Digitized by Google

37
25 C
7

COLLECTIO MAXIMA
CONCILIORUM
OMNIUM
HISPANIÆ,
ET NOVI ORBIS.
TOMUS SECUNDUS.

Continens Concilia & monumenta ab anno Chriſti CCC. uſque ad DCCI.


COLLECTI
MAXIMA
CONCILIORVM
HISPANIÆ
NOVI ORBIS
S. Valerius
S. Leander
S. Isidorus
S. Martinus
S. Eugenius III
S. Ildephonsus
Priscillianus
Marcion
Arius

VITTORIO EMANUELE IN ROMA BIBLIOTECA

COLLECTIO MAXIMA CONCILIORUM OMNIUM HISPANIÆ, ET NOVI ORBIS,

EPISTOLARUMQUE DECRETALIUM CELEBRIORUM, NECNON PLURIUM MONUMENTORUM VETERUM AD ILLAM SPECTANTIUM:

CUM NOTIS ET DISSERTATIONIBUS,

QUIBUS SACRI CANONES, HISTORIA AC DISCIPLINA ECCLESIASTICA, ET CHRONOLOGIA, ACCURATE ILLUSTRANTUR.

TOMUS SECUNDUS.

Curâ & ſtudio

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE,

Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtri Generalis, Regii ac Supremi Fidei Senatus Conſultoris, in Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, ac poſt plures alias cathedras Primarii ſacrorum Bibliorum Interpretis;

NUNC

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, TITULI S. BALBINÆ, PROTECTORIS REGNI SICILIÆ.

B A

ROMÆ, M. DC. XCIV.

Typis Jo: Jacobi Komarek Bohemi propè SS. Vincentium & Anaſtaſium in Trivio.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
D. D. LUDOVICO PORTOCARRERO
S. R. E. CARDINALI,
TITULI S. SABINÆ,

Protectori Hiſpaniarum, & Primati, Archipræſuli Toletano, à conſiliis Statûs Majeſtatis Catholicæ, &c.

JOSEPHUS CARDINALIS DE AGUIRRE

Salutem plurimam.

PRODIT jam in lucem integra Collectio, & pleniſſima, quantum fieri potuit, Conciliorum Hiſpaniæ & Novi Orbis. Sanè illam jam diu deſideràſti, & ut perficeretur, auxiliatrices manus præbuiſti, EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS. Cùm enim anno octogeſimo quinto hujus ſæculi opus haberem manuſcriptis Conciliorum, & plurium monumentorum veterum exſtantium in antiquiſſima Bibliotheca magnæ Eccleſiæ tuæ Toletanæ; ſcripſiſti ad Illuſtriſſimum illius Capitulum, ut omnia illa mihi oſtenderet;

ſive

ſive eorum copiam faceret. Ita ab illo incunctanter mihi præſtitum fuit, præſertim cura & labore cl. viri D. Michaëlis del Olmo, tunc canonici & Bibliothecarii, nunc jam delecti ſacræ Rotæ Auditoris. Neque hoc tantùm debui venerando illi cœtui: ſed & cùm graviter Toleti ægrotaſſem ineunte Septembri ejuſdem anni, mirum eſt quantum amoris, comitatis, & aſſiſtentiæ mihi præſtiterint lectiſſimi illi viri, nobilitate, pietate, & doctrinâ illuſtres, quibus præcipua ſacerdotia contuleras, in honorem & decus ejuſdem graviſſimæ Eccleſiæ. Nimirum ab ipſo initio ſive ingreſſu tuo in eum Archiepiſcopatum, & celſiſſimam dignitatem Primatis Hiſpaniarum, curâſti uſque modò, & adhuc curare pergis, ut Præbendæ ipſius dignioribus conferantur, & totidem ferè adamantibus aut gemmis, quot ſacerdotibus, chorum ipſius exornas. Floret proinde in eo mirum in modum, & ſuprà quàm dicere hoc loco poſſim, diſciplina Eccleſiaſtica, religio cultûs divini, rituum ſacrorum obſervatio, & pietas morum. Hæc ego ipſe non ſolùm aliorum teſtimonio & communi fama novi, ſed etiam oculis ipſis uſurpavi ſæpè, dum Toleti agerem, eaque ſæpiùs in colloquiis repeto, præſertim ubi oportere poſſe video, ut in aliis Eccleſiis idipſum præſtetur.

At mirum non eſt, Eccleſiam Toletanam, quantum ſupereminet innumeris aliis opulentiâ & magnitudine, tantundem præſtare pietate ac religione; neque aliter faceret ſatis priſco & tot ſæculis continuato decori ſuo. Illa enim ipſa eſt, quæ tot ſanctiſſimos & doctiſſimos Archipræſules habuit, præſertim Eugenios, Helladios, Ildephonſos, Julianos, alioſque ſimiles. Sub eorum ductu aut præſidio celebravit tot graviſſima & doctiſſima Concilia, quot & qualia fortaſſe nulla alia Eccleſia unquam poſt Romanam. Hinc maxima illa omnium veneratio & pia affectio, non modò Regum, aliorumque Principum, urbium, & populorum, erga Toletanam Eccleſiam; ſed etiam Romanorum Præſulum, quorum plurimi à tot jam ſæculis eam innumeris laudibus, honoribus, ac privilegiis decorârunt. Quod cùm plurimorum teſtimoniis, & vaſtis voluminibus, præſertim Epiſtolarum Decretalium, expreſſum fuerit, fruſtrà hoc loco pleniùs commemorandum recipiam. Edidit quidem multa eorum, quæ in hac Collectione continentur, Illuſtriſſimus D. D. Garſia de Loaïſa, Philippi III. glorioſæ memoriæ Regis Hiſpaniarum Magiſter, & poſtea Archipræſul Toletanus. Edidere quoque antea & poſtea pleraque eorum nonnulli alii. Sed enim parcè id factum eſt, ob inopiam manuſcriptorum codicum, quorum tamen multò plura longo tempore &

labore

labore aſſiduo, è variis bibliothecis, & libris rarioribus nactus fui, cum monumentis multis ſanctorum Patrum, quodammodo ad Hiſpaniam ſpectantibus, quorum pleraque, aut nondum edita, aut parùm trita erant.

Ea itaque omnia ferè in hoc Opere edenda fideliſſimè curavi, pulchro charactere & forma, cum Diſſertationibus Eccleſiaſticis, & Notis non ſolùm meis, ſed etiam plurimorum pietate & eruditione illuſtrium virorum, qui aut ex inſtituto, aut obiter, ea ſacra monumenta, vel aliquam eorum partem explanârunt. Unicuique eorum Notas proprias & Obſervationes conſigno, ac tribuo nominatim, cujuſcumque nationis aut conditionis fuerint. Omnibus enim iis honorem & gratiam referre oportet, quoniam in decus & utilitatem Eccleſiæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ laborârunt. Utinam ego extremus omnium aliquid in eum finem contulerim, ac de cætero qualibuſcumque laboribus meis præſtem. Multa fortaſſe invenientur in iis correctione digna, aut minùs accuratè dicta, præſertim ob graviſſimas ægritudines, quibus in Hiſpania & Romæ diſtentus & impeditus fui uſque modò, dum editio Operis hujus vaſtiſſimi pararetur. Eandem ob cauſſam prætermiſi nonnulla monumenta obſervatu digna, & Notas in illorum explanationem. Sed ubi vix vivere aut reſpirare dabatur, præter quotidianas curas, & negotiorum molem in hiſce ſacris Congregationibus, ac tot alia Curiæ Romanæ impedimenta, quomodo liceret plura accuratiùs ſcribere, quæ otium & ſeceſſum requirunt? Indulgeant itaque mihi pii & æqui lectores, ſi in tam vaſtis voluminibus aliquot defectus aut nævos detexerint. Id tamen fidenter pronunciare poſſum, nullum mihi ſcienti ac prudenti contigiſſe, ſed per imprudentiam ſolùm, aut nimiam aliarum occupationum molem. Id etiam ex animo & ſecurè teſtor, ſi quid in tot & tam variis ſcriptionibus, tam hujus Collectionis, quàm aliarum quarumlibet lucubrationum mearum, minus conſonum, aut devium à Fide Catholicæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, vel à recta & ſana morum doctrina inventum fuerit, totum id longiſſimè fuiſſe & eſſe à voluntate & intentione mea, quâ ſemper hactenus per divinam gratiam vixi, ac paratus ſum vivere & mori, in ſinu ejuſdem piiſſimæ matris Eccleſiæ, & ſub obedientia Apoſtolicæ Sedis, ac piorum quorumlibet & eruditiorum hominum correctione.

Hæc itaque, qualiacumque ſint, ad te mitto, & ſimiliter ad Illuſtriſſimum tuum Capitulum, in ſignum amoris mei ac venerationis ſingularis. Vale igitur EMINENTISSIME PRINCEPS, & jux-

& juxta inſignem claritatem ſplendidiſſimi generis tui, & zelum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quo ardes, hæc ſacra monumenta & ſcripta protege, atque in uſum & functionem tot ſubditorum tuorum tranſire ſtude. Ita opto & ſpero, ad obſequium Majeſtatis divinæ, & utilitatem Eccleſiæ, quamvis nimiùm impar, & minimè dignus tam ſacra tractâſſe myſteria. Dabam Romæ quinta die Auguſti anni MDCXCIV.

ΤΩι ἈΝΔΡΙ ΣΟΦΩΤΑΤΩι,

Καὶ ἐξοχωτάτῳ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας τῆς Καθολικῆς
ΚΑΡΔΙΝΑΛΕΙ

ἸΩΣΗΦΩι ΣΑΕΝΖ ἈΓΥΙΡΡΗι,

Εἰς φῶς ἐκδόντι τοὺς τῆς Ἐκκλησίας τῆς Ἰβηρικῆς,
καὶ τοῦ νέου Κόσμου, ἤτοι Ἀμερικῆς
Συνόδους.

ΩΔΗ.

ἉΛΙΟΥ φέγγος γλυκερὸν βροτοῖσιν,
Βένθε' αὐγάζων χθονὸς ἠδὲ πόντου,
Εἰπέ μοι πρόφρων, τινα φῶτ' ἐφεῦρες
Ἶσον Ἀγυίῤῥῃ;
Τὸν μὲν ἠπείρω κελαδοῦσιν ἄμφω,
Τῷ πότμον καὶ ἀμφοτέρων δίδονται,
Τὸν καὶ ὑψίστη ἀρετὴ γεραίρει,
Εὐτυχία τε.
Μοῖρα γὰρ δῶκεν θεόθεν βλάστουσα
Ἐσθλὸν οἱ κῦδος, κλέος, ἠδὲ δόξαν,
Πᾶσιν ἀνθρώποις σοφίης παρέσχεν
Ἀγλαϊόμενον.
Ἀλλὰ τοὺς πρώτους σοφίας ἀμίλλας,
Ἠδὲ καὶ νίκας παρέχειν ἄεργον
Οὐ δύναντ' αὐτόν· πόνῳ ἀκολούθως
Εὐπείθετο.
Οὐδὲ κάλλιστη ἀρετῆς πάρεδρος
Τιμὰ ἐμβάλλειν ἀγαθαῖς φρεσὶν
Θῦφον, ἢ ὄκνον δύνατ', ἀλλὰ μᾶλλον
Θῆκεν ἄοκνον.
Χάρμα γὰρ παύροις ἄπονον λέλογχε·
Τοὺς γὰρ ἱδρῶτας προτέρουσι τιμᾶς
Θῆκεν ὁ ΖΕΥΣ, ἁμετέρων ἀγαθῶν
Δώτηρ ἐάων.
Καὶ τὸ γὰρ πρῶτον βάλες οἷς Ἀγυίῤῥιν
Ἵμερος καλᾶς ἀρετᾶς ἁπάσας,
Τὸ βλάβον πασῶν κρατέειν, πάθων τε
Ἠγνοάλεξας.
Νῦν τὸ καὶ αὐτῷ παρέχεις δυνάσθαι
Εἰς νέον σύρειν φάος ἀλίων,
Μυρίας δέλτους, ἀρετῆς γέμουσας
Οὐδὲν ἀχρεῖος·
Τάσδε πλουτίζειν χρὴ νέους, τὰ δῶλα
Πάντες οἱ ΧΡΙΣΤΟΥ χρυσέου προτίμων,
Ταῖς μάλα ἁγνοῦ βιότοιο, ψυχῶν τ'
Ἀσφαλίσασθαι.
Χαίρετ' Ἱσπανῶν ἱερῆς παλαιοὶ,
Χαίρετε πρῶτοι βασιλεῖς, δικασταὶ,
Νῦν γὰρ ἀρχαίας ἔχετ' εὐσεβείας
Ἄθλον ἕκαστος.
Τῶν φρενῶν γὰρ γ' ἰδμοσύνῃ πεποιθὼς,
Εἰσφέρει πολλὰς Συνόδους φαεσθεῖν,
Εὐσεβεῖς καὶ τὰς σελίδας ἀνάκτων
Δῶρον Ἀγυίῤῥης.
Χαῖρ' εὐσεβὴς ἀβάτου τὸ πρόσθεν,
Νῦν βατοῦ γαίας, καλέουσι πάντες
Τὸν νέον Κόσμον, θράσος ἂν ἀγαυῶν
Εὗρεν Ἴβηρος·

SAPIENTISSIMO VIRO,

Et Eminentiſſimo ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ
CARDINALI

JOSEPHO SAENZ DE AGUIRRE

Typis mandanti Hiſpanæ Eccleſiæ,
& Novi Orbis, ſeu Americæ,
Concilia.

ODE.

SOLIS ô cunctis jubar expetendum,
Quod ſpecus luſtras maris atque terræ,
Dic virum quemnam ſimilem repertum
Cernis Aguirri?
Gaudet hunc Orbis celebrare uterque,
Et Deus ſortes tribuiſſe utraſque:
Nam bonis virtus ſociata fatis
Munera præbet.
Fama nam ſummo veniens Olympo,
Gloriam, laudem tribuit, decuſque,
Et viros omnes ſimul obſequentes
Reddidit ipſi.
Otium at nullæ potuere pugnæ
Gignere invictæ, ſapientis arte
Mentis expreſſæ: magis inde ſurgit
Cura laboris.
Nec comes virtutis honor ſuperbum
Injicit faſtum, ut ſolet, inſolentem,
Nec pigrum reddit; ſed amor laboris
Creſcit honore.
Deſides pauci tenuere læti
Gloriam; præit labor atque ſudor:
Sic tibi viſum, Deus, omnia affers
Qui bona nobis.
Nunc Aguirri, quod parit alma virtus
Dulce tu deſiderium dediſti;
Quin & affectus ſuperare cunctos,
Et mala præbes.
Annuis nunc tu quoque, ut ipſe doctos
Plurimos virtute libros refertos,
Utiles nobis, domitis tenebris,
Vendicet Orbi;
Et notas addat facis ut diſertas,
Aureis glebis magis æſtimandas
Integris vitâ, propriæ tenet quos
Cura ſalutis.
Gentis Hiſpanæ ſacer eja cœtus
Præſulum, gaudete duces priores,
Accipit priſcæ pietatis ampla
Munera quiſque.
Mente confiſus generoſâ Aguirres,
Lucis, antiquas Synodos Iberas,
Paginas Regumque pias priorum,
Munere donat.
Gaude & ignoti bone cultor Orbis,
Quem novum mundum libuit vocare,
Cujus extremas peragravit oras
Tutus Iberus;

Οἱ ΘΕΟΥ καὶ τοῦ μεγάλου πᾶσιν
Ὕμμιν ἔδειξαν, βιότου ὁποίαν
Ἀσφαλῆ σημεῖον, ἀγάπης διδοῦσαν,
Κ᾽ ἐλπίδ᾽ ἀληθῆ.
Ἄλλοι ἄγγελοι ἀρετ᾽ οὐκ ἔσονται
Κόσμῳ, ὕμμιν τῶν προτέρων δικαίων
Ἱρέων, ὀρθοῖς κανόνας βίου, οὓς
Ὕμμιν ἔδωκεν.
Τοῦτο δὲ καὶ πᾶσιν φανερῶσ᾽ Ἀγυῤῥὶς
Νῦν ἐπὶ κλειναῖς σελίδεσσι, τοῦτο δὲ
Δύσμορον λάθων ἐδάμασσε, ἠδὲ
Τὸν φθόνον ἀργόν.
Οὐ γὰρ αἱ πρῶται Συνόδους ἁπάσας
Συλλέγοντες, τὸ κλέος ἐσθλὸν ἔχοι
Τόσσον, αὐτῷ νῦν ὅσον οἱ ὁ ΧΡΙΣΤΟΥ
Λαὸς ὀφείλει.
Θυμέ τι σπεύδεις ἄοδον κέλευθον
Ἐλθέμεν; δεινὸν πτέρυγας θρασείας,
Οὐ πρέπει σαυτῷ κελαδεῖν ἀοιδαῖς
Ἄνδρα μέγιστον·
Τὸν φίλον θείας χαρίτεσσ᾽ ἀληθῶς,
Τὸν σοφὸν, τόνδε φρόνιμον, τὸν ἁγνὸν,
Τὸν κ᾽ ἐπιστήμαις, κ᾽ ἀρετῇ στέφανοι
Ἐστεφάνωσαν.
Νήπιος ῥαπτῇ σχεδίῃ θαλάσσης
Κύματ᾽ ἐλπίζει περάαν, ὃς ἔργα
Ἐξόχου ἀνδρὸς ἀγαθοῦσ᾽ ἀνίσοις
Βούλετ᾽ ἐπαίνοις.

Ἰγνάτιος Βασιλείου ὁ ἐκ τῆς Μεγάλης Κανέας.

Qui Fidem veræ tribuit ſalutis,
Et tibi vitæ comitem fidelem
Gratiam certam Dei, & afferentem
Spem generoſam.
Nam ſacerdotum veniet tuorum
Fama virtutis reliquas ad oras,
Regulas vitæ quibus altioris
Tu modò debes.
Omnibus nunc hæ patuere Aguirris
In piis doctiſque libris, quibuſque ob-
Livionem jam domuit ſiniſtram,
Invidiamque.
Grandius fama haud poterit ſonare
Gloriam illorum Synodos, priores,
Qui dedere Orbi, magis at pateſcet
Gloria Aguirris.
Invium tentas peragrare callem
Mens mea, audaces revoca volatus;
Hunc virum digno celebrare cantu
Haud tibi fas eſt;
Hunc virum doctum, ſapientem, amicum
Gratiis divis, bene conſulentem,
Cujus & virtus meritò coronæ
Præmia donat.
Stultus imbelli maris æſtuoſi
Cogitat cymbâ penetrare fluctus,
Qui virum haud juſtâ celebrare ſperat
Laude ſupremum.

D. Joannes Baptiſta de Miro, monachus Caſinas, ſacrorum Canonum Profeſſor in Urbe, & ſacr. Congreg. Indicis Conſultor.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

I. PRÆTER ea quæ monui in Præfatione Tomi I. pauca quædam adjungere viſum. In hoc ſecundo volumine exhibeo Concilia omnia (quotquot inveniri potuerunt) celebrata in Hiſpania ab initio circiter ſæculi IV. uſque ad initium octavi, cum Diſſertationibus Eccleſiaſticis unicuique eorum opportunis, ac Notis, tum propriis, tum eruditiſſimorum quorumcumque hominum, cujuſcumque nationis & ſtatûs, quotquot inveni aliquid contuliſſe in ſcriptis circa Canones eorundem, ſive ex inſtituto, ſive ſolùm in tranſitu.

II. Idipſum ferè præſtiti circa Epiſtolas Pontificum Romanorum ſcriptas ad Hiſpaniam toto eo tempore, quarum auctoritatem & γνησιότητα nemo in dubium vocat: & ſi fortaſſe quiſpiam nimium delicatus in aliquam particulam unius vel alterius opponit aliquod dubium, ſtudeo illud ſolvere. Circa nullam ferme earum occurrunt difficultates illæ propemodum inſuperabiles, quas nobis ipſis objecimus Tomo I. adverſus αὐθεντίαν aliarum, quæ à tot ſæculis circumferuntur ſcriptæ nomine veterum Pontificum uſque ad tempus Syricii Papæ. Porrò tot illorum argumentorum pondere preſſi, ſæpè diximus, ac faſſi ſumus, quamvis reſponderi iis utcumque poſſit, aut occurri, adhuc aquam nobis hærere, nec negari poſſe, aliquibus earum ſaltem, aut pleriſque, decurſu temporis irrepſiſſe centones aliquos & aſſumenta, quibus interpolatæ fuerunt, ſive ab Iſidoro quodam Mercatore, ut plerique volunt, ſive à Theodiſclo Hiſpalenſi Antiſtite, quem alii cenſent fuiſſe corruptorem ſcriptorum Sancti Iſidori Hiſpalenſis, ac proinde earum Epiſtularum, quas ipſe cenſetur colligendas curâſſe integras labiſque puras, ſive tandem ab aliquo ſciolo aut imperito, adhuc ignoto, qui circa finem ſæculi octavi aut initio noni eas vitiaverit. Sed de hoc jam ſatis egimus in eodem Tomo, præſertim DISSERT. I. & IV. nec inculcare ampliùs oportet.

III. Itaque nemo exiſtimet nos illas integrè & quoad omnia in eis contenta recepiſſe tuendas, ſed ſummùm quoad præcipua capita, & cum delectu, ut ibidem latiùs dictum eſt. Ejuſdem generis videtur Epiſtola pariter vulgata nomine Sancti Melchiadis Papæ ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, quam infrà exſcribimus pag. 70. & ſeqq. Licèt enim vindicemus illam à criticorum argumentis Diſſert. IV. poſt Severinum Binium, qui illam cenſuit germanam; non poſſumus negare, adhuc perſiſtere ingentem ſuſpicionem de ipſius interpolatione.

IV. Itaque omnes ferè Pontificum veterum Epiſtolæ à nobis exſcriptæ Tomo I. & præterea illa Melchiadis, poſſunt pati exceptiones jam indicatas, & poſt tot objectiones ſeu difficultates propoſitas ab eruditiſſimis viris intra ipſam communionem ſedis Apoſtolicæ (ut nihil dicam de Davide Blondello, & aliis heterodoxis) licèt quadantenus à nobis defenſæ aut vindicatæ fuerint poſt Turrianum, Binium, & alios quoſpiam, adhuc ſuſpectæ ſunt de interpolationibus, aſſumentis, & parachroniſmis. Quare paucæ admodum invenientur ex iis ab ea ſuſpicione immunes, niſi fortè aliunde conſtet eſſe germanas, quales ſunt nonnullæ exſtantes apud aliquos auctores antiquos & graves, veluti S. Dionyſium Alexandrinum, Euſebium Cæſareenſem, S. Athanaſium, Theodoretum, alioſque ſimiles.

V. Cur autem Epiſtola illa Syricii Papæ ad Himerium Antiſtitem Tarraconenſem exſtiterit ſemper, & modò exſtet integra ac labis expers, præ aliis Pontificum antiquiorum, rationem reddidimus infrà Diſſert. V. pag. 126. & ſeqq. ad annum Chriſti CCCLXXXV. Quòd autem nonnulli interpolatam volunt Epiſtolam Vigilii Papæ ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem, infrà rejiciemus in Notis ad illam pag. 277.

VI. Moneo in anteceſſum hac occaſione, abs dubio interpolatas fuiſſe cujuſpiam veteratoris aut scioli manu, inter alias Epiſtolas priſcis Pontificibus exſcriptas, illam S. Calliſto I. tributam, ſicuti & aliam, quæ pluribus ſæculis poſtea circumfertur ſcripta nomine S. Gregorii Magni ad Secundinum incluſum: ac tandem alia tributa S. Iſidoro Hiſpalenſi, ad Maſſanum. Nimirum eæ tres ab ineunte circiter nono ſæculo cenſentur pariter vitiatæ aſſumentis quibuſdam planè contrariis veteri diſciplinæ Eccleſiaſticæ aliis locis palam ſtabilitæ ad eiſdem Patribus: uti cum pluribus doctiſſimis viris oſtendo infrà Diſſert. X. Excurſu III. & IV. pag. 594. & ſeqq.

VII. Itaque nemo exiſtimet nos integrè ſive ex toto probâſſe unquam, aut probare, veluti integrè germanas, omnes illas Epiſtolas, ſive ad Hiſpanos, ſive ad quoslibet alios, circumferri ſolitas in communibus editionibus & Collectionibus Conciliorum nomine prædictorum Pontificum. Vix enim unquam illas recipimus veluti omnino authenticas, & ab omni labe liberas, niſi ſolùm aut ſummùm cum eo delectu, & circumſpectione, ac modo quo admiſſæ fuerunt ab Illuſtriſſimo Antonio Auguſtino Archipræſule Tarraconenſi, poſt Turrianum, & ab aliis quibuſdam poſt Severinum Binium: ac tandem, ſi accuratè legantur quæ circa id ſcripſimus, invenietur ſententia noſtra non multùm diſſidens ab illa doctiſſimorum Cardinalium Baronii ac Bellarmini dubitantium de αὐθεντίᾳ earundem Epiſtolarum ob centones aſſutos ex auctoribus poſterioribus, parachroniſmos, & teſtimonia Scripturæ juxta verſionem Sancti Hieronymi, quæ intra quatuor priora ſæcula Eræ Chriſtianæ aut nondum facta fue-

rat ab ipſo, aut nuſquam recepta erat adhuc. Et licèt iis, aliiſque difficultatibus ſatisfacere conati ſimus in allegatis Diſſertationibus Tomi I. non propterea fidem integram præſtamus toti contextui earundem Epiſtolarum; ſed adhùc hæremus, & quæſtionem in medio relinquimus.

VIII. Nonnulla alia monumenta vetera Hiſpaniæ promiſeramus in Synopſi Conciliorum ipſius, editâ Salmanticæ anno MDCLXXXVI. Verùm cùm exemplaria eorū continerentur in manuſcriptis antiquiſſimis, ac valdè detritis decurſu tot ſæculorum, quo luctata fuerant cum blattis & tineis; non potuerunt exſcribi ſine innumeris ſordibus ac defectibus paſſim occurrentibus: ac proinde puduit ea publicæ luci committere cum nullo fructu & magno tædio lectorum. Inter alia verò erant quæ ſtatim ſubjungo: Siſebuti Regis Gotthorum Epiſtola ad Epiſcopum Menteſanum, qui ſe reclusit in monaſterio. Cæſarii Patricii ad Siſebutum Regem Epiſtola, de Cæcilio Epiſcopo capto à militibus. Siſebuti Regis ad Cæſarium Epiſtola reſcripta per Auſemundum. Cæſarii Patricii ad Siſebutum Regem Epiſtola miſſa per Aſcellum. Ejuſdem Epiſtola ad Siſebutum Regem miſſa per Amellium & Theodericum. Siſebuti Regis Epiſtola ad Euſebium Epiſcopum. Ejuſdem Epiſtola alia ad Tudilanem, cùm ex laïco habitum in monaſterio ſuſcepiſſet. Ejuſdem Regis Epiſtola ad Advalicaldum Regem Longobardorum & Theodelindam Reginam, pro Fide Chriſti, per Totilanem directa. Paſſio S. Deſiderii Epiſcopi Viennenſis, ſcripta à Siſebuto Hiſpaniarum Rege anno DCXII. Huc ſpectat Epiſtola quædam Tarræ monachi, quam, licèt nimium quantum deformatam, exegit ſæpiùs, & tandem obtinuit à nobis Cl. V. Joannes Mabillonius. Denique plura alia S. Martini Bracarenſis monumenta & opuſcula apud nos ſunt lectu digniſſima, quæ paramus edenda in aliquo libro minoris formæ ſeorſum.

MONI-

MONITUM COLLECTORIS

AD ILLUSTRISSIMOS DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HISPANIÆ, AC NOVI ORBIS:

UT CONCILIA FREQUENTER CELEBRENT.

DUM publicæ luci committimus hęc ſacra Concilia, & alia monumenta ad Hiſpaniam ſpectantia, Commentariis, Diſſertationibus, ac Notis recentibus explanata, pręſertim in hoc Tomo II. oportet in anteceſſum pręmittere nonnihil de ingenti utilitate, immo & neceſſitate, celebrandi Concilia, pręſertim Provincialia, ad diſciplinam Chriſtianam & Eccleſiaſticam conſervandam, promovendam, & reſtaurandam, moreſque ſubinde corrigendos, tam cleri, quàm populorum.

X. Sanè videmus in hoc volumine (ut cętera prętermittam) quanto zelo divini cultus, ac reformationis morum, æſtuaverint graviſſimi illi Pręſules Eccleſiarum Hiſpanię, qui ab ineunte quarto ſęculo uſque ad initium octavi (pręter Synodos Diœceſanas, quas unuſquiſque eorum frequenter coëgiſſe cenſetur, juxta morem ab initio ſtatutum, & tamdiu continuatum in tota Eccleſia) tot Concilia Nationalia & Provincialia, eaque doctiſſima & numeroſiſſima, celebrârunt. Quod equidem ab iis factum fuit juxta antiquiſſimam traditionem ab ipſis Apoſtolis emanantem.

XI. Certè triceſimus octavus Canon (aliàs XXXVI.) inter Apoſtolicos ita habet: Δεύτερον τοῦ ἔτους Σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλως τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας Ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν· ἅπαξ μὲν, τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς Πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ. Ideſt: *Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent; & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant: ſemel quidem quartâ ſeptimanâ Pentecoſtes, ſecundò verò duodecima die menſis Hyperberetæi*. ideſt, juxta computum Romanum, IV. Idus Octobris, ut habetur in Ms. Vaticano. Deinde verò in Concilio IV. Toletano, cui pręfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis anno DCXXXIII. Can. III. ſtatuitur: *Quintodecimo Kalendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia Synodus, propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur*. Ita frequenter cogebantur Synodi in Hiſpania olim, non modò Diœceſanę, ſed & Provinciales. Quin & quamplura Generalia totius nationis Concilia à tempore Eliberitani uſque ad XVII. Toletan. intra quatuor ea ſęcula fuiſſe celebrata in Hiſpania, patebit ea legenti in hoc Tomo. Cumque circa annum epochę Chriſtianę CDXLVII. Alipio & Ardebure VV. CC. Coſs. in Hiſpania detectę fuiſſent Manichęorum & Priſcillianiſtarum reliquię; S. Leo Papa Epiſt. XCIII. aliàs XV. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, indixit *Concilium Epiſcopale, celebrandum in loco opportuniori ſacerdotibus provinciarum*. Ac propterea ſubdit: *Dedimus literas ad fratres & Coëpiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, & Luſitanos, atque Gallicianos, eiſque CONCILIUM SYNODI GENERALIS INDIXIMUS*. In ordine verò ad id congregandum, adjutores dat Idatium ac Ceponium Epiſcopos eidem Turibio: qui in quadam ad utrumque Epiſtola, diuturnitatem ejus peſtis in Hiſpania graſſantis tribuit omiſſioni ſive neglectui celebrandi Concilia: *Quod quidem per mala temporis noſtri, Synodorum conventibus decretiſque ceſſantibus, liberiùs crevit*. Porrò Epiſtolas ipſas ſanctorum Leonis & Turibii ad Idatium & Ceponium, exhibemus infrà pag. 207. & ſeqq.

XII. Hoc ipſum accidit circa relaxationem morum & diſciplinę Eccleſiaſticę, in omnibus iis regnis ac provinciis, ubi nec Nationalia, nec Provincialia Concilia, immo nec Diœceſana, niſi fortè rarò, aut perfunctoriè, celebrantur, quibus Pręſules ipſi, ſacerdotes, clerici, & tandem ſubditi omnes regantur, ac ſeſe in officio contineant. Eam ipſam Conciliorum frequentiam indicunt ſacri Canones, & exigit neceſſitas atque utilitas publica. Quot mala, quot peccata, quot animarum detrimenta ex eorum neglectu ſequantur, experientia ipſa ubique paſſim docet, ac ſępè poſt plurimos Eccleſię Patres obſervavit Sanctus Carolus Borromęus, qui propterea tot graviſſima & doctiſſima Concilia Mediolani celebravit, & illuſtri exemplo fuit inclinante ſęculo pręcedenti, ut alia pariter cogerent in Hiſpania ſub idem ferè tempus Præſules Toletani, Hiſpalenſes, Tarraconenſes, ac Valentini, quorum Acta exhibemus Tomo IV. ſimiliterque alii Antiſtites magni nominis in Italia, Germania, ac Gallia, uſque in hodiernum ferè diem: prout legere eſt potiſſimùm in uberrima Collectione Conciliorum Labbeana. Utinam Illuſtriſſimi quique Primates, Metropolitani, & Epiſcopi, id prę oculis habeant; ne fortè in tremendo judicio Princeps Paſtorum ſanguinem animarum de manibus ipſorum requirat. Deſerviant pariter exemplo tot Concilia Hiſpanię ac Novi Orbis, tum Provincialia, tum Diœceſana, ſęculo pręcedenti celebrata, eaque doctiſſima ac ſaluberrima, quę eodem Tomo IV. publicę luci committimus: utinam cum aliquo Dei obſequio, & Eccleſię fructu.

XIII. Huc ſpectat quòd plurimi eorundem Antiſtitum in Conciliis Provincialibus, & aliis Comitiis, pręſertim apud Galliam, ſimul cum aliis doctiſſimis viris, ſtudioſè curaverint reformationem morum, & puritatem ac ſoliditatem Ethices Chriſtianę adversùs laxitates multorum caſuiſtarum, quorum tot

Theſes

Theſes pernicioſas & ſcandaloſas ut minimùm damnavit Sedes Apoſtolica ſub Pontificibus Alex. VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Laudandi quidem ſunt illi Preſules, qui in eum finem plurimùm laborârunt, & tot ſynaxes inſignium Theologorum coegerunt zelo reformandę diſciplinę moralis: & pręſertim inter illos, quatuor Galliarum Archiepiſcopi, ac duodecim Epiſcopi, qui tempore Urbani VIII. die 5. Aprilis, anno MDCXLIV. in unum congregati ſcripſerunt ad eundem Pontificem celeberrimam illam Epiſtolam, & ubique ſparſam adversùs licentiam quorundam caſuiſtarum in opinando, ajentes inter plura alia de iis: *Divinorum ſacramentorum uſus, qui ſacer omnino ac ſalutaris eſſe debet, in pernicioſum, ac piis omnibus deplorandum abuſum ſæpiſſimè convertitur. Depravatis demque ac corruptis moribus, blandimenta potiùs atque operimenta, quàm ſalubria remedia comparantur. UT E SENTENTIIS EX LIBRIS ILLORUM FIDELITER EXCERPTIS, nemini non apertum atque exploratum eſſe poteſt.* Deinde ſuum vehemens deſiderium ſignificant *ad corruptelas morum expurgandas, effrenatamq; illam quorumlibet flagitiorum (qua nunquam tanta fuit) licentiam, AUGENTIBUS EAM IN DIES NOVITIIS QUIBUSDAM CASUUM CONSCIENTIÆ ARCHITECTIS.* Hęc illi graviter, & cum magno plauſu ac fructu apud Sedem Apoſtolicam.

XIV. Inſuper Octavius Archiepiſcopus Senonenſis, in literis eodem anno ac die datis ad graviſſimum Cardinalem Franciſcum Barberinum (poſtea decanũ ſacri Collegii) ſcripſit: *Eò mollities animorum, ac diſciplinæ elangueſcentis diſſolutio proceſſit, ut jam de vera pœnitentia ac ſincero amore Dei loqui penè ſit nefas. Hoc videlicet artificium humani generis hoſtis excogitavit, quo fatiſcentis religionis degenerem illam laxitatem pro ipſa religione obtruderet, quaſi à diverticulis ad viam regredi, à via aberrare ſit.......... Ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum, ita crux Chriſti evacuatur; jam enim crimen ludus eſt, & pœnitentia crimini datur.* Hęc ille, & plura ſimilia alii Epiſcopi, in Epiſtola alia ad Innocentium X. data anno ſequenti MDCXLV. die 21. Julii.

XV. Nihil autem aptius ad ea mala doctrinæ & morũ præcavenda & vitanda eſſe poteſt, quàm frequentia Provincialium Conciliorum, quæ propterea tot ſacris Canonibus omni tempore commendata fuit, & tandem urgentiſſimè in Concilio Tridentino Seſs. XXIV. decreto De Reformatione cap. ſecundo, illis potiſſimùm verbis: *Provincialia Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſq; ex ſacris Canonibus permiſſis, renoventur. Quare Metropolitani per ſe ipſos, ſeu illis legitimè impeditis, Coepiſcopus antiquior, intra annum ad minus à fine præſentis Concilii, & deinde quolibet ſaltem triennio, poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat Synodum in provincia ſua cogere, quo Epiſcopi omnes, & alii, qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, convenire omnino teneantur,* &c.

XVI. Juſtum autem erit, ac meritò ſperandũ eſt de zelo & pietate modernorum Hiſpaniæ ac Novi Orbis Præſulum, ne in ea parte ſe à prædeceſſoribus ſuis, & nominatim ab iis qui ſæculo præcedenti floruerunt, ſuperari patiantur. In eum finem tot Concilia ab Hiſpanis Epiſcopis celebrata ab initio Eræ Chriſtianæ, & præcedenti ſæculo, tam intra illam, quàm in Novo Orbe, exhibemus toto decurſu hujus vaſti Operis; præſertim dolentes quòd ab initio circiter hujus ſæculi uſque modò non inveniatur Concilium aliquod Provinciale editum Latinè in tota Hiſpania, nec in Novo Orbe, quod adjungeremus præcedentibus, quamvis diù multumque ſtuduerimus illud invenire ſi quodnam eſſet. At enim Concilia Hiſpanicè ſolùm ſcripta, aut etiam edita, non oportuit à nobis recudi ſimul cum Latinis, ſicut nec Gallicè, Germanicè, aut Anglicè, vel Italicè ſcripta, locum habent in Collectionibus aliis, ſed ſolùm quæ Latinè edita fuerunt.

XVII. Sicubi autem in Obſervationibus ſive Notis ad illa, vel alia monumenta ſacra, aut in Diſſertationibus Eccleſiaſticis, aut denique in toto Opere, ſatis prolixo, nobis aberrare contigit (ſicut & in aliis quibuslibet lucubrationibus, tam editis quàm edendis) totum id judicio S. Romanæ Eccleſiæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, ſummittimus corrigendum, moderandum, aut prorſus delendum. Quin & quoties aut monitu doctiorum quorumlibet, aut ſtudio proprio, meliora, vel alia ab iis didicerimus, abſque cunctatione ulla ſententiam mutabimus. Jamdiu enim nobis altè inſedit illud S. Gregorii Magni lib. 2. Epiſt. XXXVII. *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus ſum, & hunc ſolum mihi amicum exiſtimo, per cujus linguam ante apparitionem diſtricti judicis, mea maculas mentis tergo.* Valete ILLUSTRISSIMI DD. mihique aſſiduis ſudoribus in utilitatem publicam & obſequium veſtrum utcumque laboranti, & admodùm peccatori, apud Deum veſtris precibus opem ferte, & ſuperſtiti & vitâ functo.

CENSU-

CENSURA

R. P. D. JOANNIS MARIÆ GABRIELLII, Monachorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Viſitatoris Generalis, S. Theol. Mag. ſacræ Congreg. Indicis Conſultoris, Supremæ ac Univerſalis Romanæ Inquiſitionis Qualificatoris, &c.

HUNC ſecundum Tomum *Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis*, incredibili ſtudio, limatiſſimo judicio, & omnigena eruditione concinnatæ ab Eminentiſſimo ac Reverendiſs. D. Cardinali de Aguirre (*cujus ingenii*, ut verbis B. Hieronymi de S. Cypriano loquentis appoſitè utar, *ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint ejus opera*) honoris causâ juſſus à Reverendiſſimo Patre Thoma Maria Ferrari, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, inoffenſo pede decurri, & citrà vel minimum orthodoxæ Fidei & proborum morum detrimentum ſedulò evolvi, eiſque optimè congruere deprehendi, quod idem Maximus Eccleſiæ Doctor in Epiſtola ad Florentium de libro valdè prolixo Synodorum S. Hilarii protulit: *Noſti hoc eſſe Chriſtianæ animæ pabulum, ſi in lege Dei meditetur die ac nocte*. Opus ſanè ingens ac multiplex, in quo continentur Hiſtorica, Chronologica, Chronographica, Juridica, Ethica, Exegetica, Aſcetica, Canonica, Polemica, Liturgica, & Dogmatica, unà cum variis lectionibus, emendationibus, Notis, Diſſertationibus, optatiſſimis veterum Epiſtolarum Decretalium ante Syricium Romanum Pontificem à neotericis mordicùs impetitarum vindiciis, aliorumque Mss. hactenus magna rei Eccleſiaſticæ jactura, cum ſitu, carie, tineis, blattiſque miſerè colluctantium editionibus, cæteriſque cujuſque modi conſcriptionibus, in quibus omnibus ſumma fide & perſpicuitate, magnoque Eccleſiæ bono, atque Eminentiſſimi nominis ornamento elucubrandis, purpuratus pater quàm ſanctè adhæſit huic ſapientiſſimo ac graviſſimo monito B. Greg. VII. Pontificis Maximi: *Si quas doctrinas ſive ad Fidei certitudinem aſtruendam, ſive ad morum rectitudinem, pertineant, præter Apoſtolicas ad nos continua ſucceſſione propagatas, diſſeminari quis videat, obſiſtat, dimicet, pro divina traditione, ut pro aris & focis*, dicatque cum Tertulliano: *Hæ ſunt doctrinæ dæmoniorum, prurientes auribus, natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiæ ipſius elegit*. Unde jure merito eruditiſſimus ſcriptor profiteri poteſt cum S. P. Bernardo: *Nihil ſimile habet quod loquor illorum blanditiis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, atque ita quemcumque beatificant, in errorem inducunt: blanda, ſed periculoſa laus, quum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur* .... *Quærant ſibi jam in parvulis Babylonis dulces, ſed truces matres, quibus lac mortis emulgeant, quos blandis mulceant favoribus, ac flammis nutriant ſempiternis*.

De Script. Eccleſ. — *Epiſt. 6.* — *Lib. 3. epiſt. 10. ad Henr. Reg.* — *Lib. De præſcript. cap. 7.* — *Epiſt. 78.*

Sacris enim Eccleſiaſticarum Synodorum oraculis, ſicut olim inſana hæreſeon portenta profligata, vitiorum colluvies diſſipata, periculoſæ perſecutionum ingruentium procellæ compreſſæ, Myſteriorum aſſerta ſanctitas, propagati ſacræ Hierarchiæ fines, ſervati Eccleſiaſtici ritus, propugnata Patrum jura, præſcripta populorum obſequia; ita hac ſæculorum fæce, ex hoc vaſto Opere, ceu ex inſtructiſſimo armamentario, mille clypei pendent omnis armatura fortium contra recens probabilitatis commentum in dies irruentis ad Chriſtianæ pietatis excidium, Catholici nominis dedecus, & interitum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ, ut ſcribit S. Cyprianus, *retinaculum Fidei eſt*. Porrò *mos iſte ſemper in Eccleſia viguit* (teſte Vincentio Lirinenſi) *ut quò quiſque foret religioſior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet*: adeò ut S. Gregorius Theologus conſtanter aſſeverare non dubitârit: ἀλλ' οὐδὲ τῶν κομψῶν τις καὶ ἀστεῖος ἐγὼ, καὶ οἷος κολακείᾳ κλέπτειν τὴν εὔνοιαν, ὅτε ὁρῶ πολλοὺς τῶν νῦν ἱερατεύειν ὑποκρινομένων, οἳ τὴν ἁπλῆν καὶ ἄτεχνον ἡμῶν εὐσέβειαν, ἔντεχνον πεποιήκασι, καὶ πολιτικῆς τι καινὸν εἶδος ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὰ ἅγια μετῳκισμένην, καὶ ἀπὸ τῶν θεάτρων ἐπὶ τὴν τοῖς πολλοῖς ἀθέατον μυσταγωγίαν, ὡς ἤδη δύο σκηνὰς, εἰ δεῖ τολμήσαντα τοῦτο εἰπεῖν, τοσοῦτον ἀλλήλων διαφερούσας, ὅσον τὴν μὲν πᾶσιν ἀνεῖσθαι, τὴν δὲ τισί· καὶ τὴν μὲν γελᾶσθαι, τὴν δὲ τιμᾶσθαι· καὶ τὴν μὲν θεατρικὴν, τὴν δὲ πνευματικὴν ὀνομάζεσθαι. *Neque facetus quiſpiam ac jucundus ſum, atque ita comparatus, ut hominum benevolentiam blanditiis & aſſentatione ſurripere queam, quales multos eorum video, qui hoc tempore ſacerdotii munus profiteantur, qui Fidei noſtræ pietatem, quæ priùs ſimplex atque artis expers erat, artificioſam reddiderunt, ac novum quoddam politicæ genus à foro ad ſancta translatæ, & à theatris ad ſacrarium vulgi oculis minimè inſpectandum: ita ut, ſi audacter hoc dicere oporteat, duæ jam ſcenæ ſint, inter quas hoc dumtaxat interſit, quòd illa omnibus pateat, hæc quibuſdam: illa rideatur, hæc in honore ſit: illa theatrica, hæc ſpiritualis nominetur*.

De diſciplina & habitu Virginum. — Oratio 27.

Propterea nemo has ſynodicas ſanctiones tanquam Lesbiam regulam, vel Lacedæmoniorum

ſeu

ſeu Athenienſium leges, aut ſaltem Græciæ ſapientum oracula, pridem abolita & extincta, autumet; ſed potiùs antiquam legum Hiſpanæ Eccleſiæ & terribilem aciem debellatus error agnoſcat, & Chriſtianus quà latè patet Orbis, piiſſimi ac Eminentiſſimi auctoris zelum ſtudioſè æmulatus, eam ordinatam miretur. Cùm autem ex Nazianzeni laudati ſententia: τῷ ὄντι γάρ αὕτη μοι φαίνεται τέχνη τις τεχ-
Orat. 2. ... ἄνθρωπον ἄγειν. τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον. οὐδὲν γὰρ ὄφελος
νῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ... *Ars quadam artium, & ſcientia*
Orat. 20. ... ὃ μὴ πρὸς ἀρετὴν φέρει, μηδὲ ποιεῖ βελτίους τοὺς περὶ αὐτὸ σπουδάζοντας. *& nihil magni facien-*
ſcientiarum ſit hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex; iccircò horum
dum ſit, quod ad rectè honeſtèque vivendum nihil affert. nec ſui ſtudioſos meliores reddit;
Loco citato. voluminum lectores enixè obſecro, *ut luce clarius videant* (ita ſubjungere libet cùm Lirinenſi) *beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſcepta ſemel religionis integritatem.* Sicque religioſiſſimis his documentis imbuti, cum S. Stephano Pontifice Maximo etiam in rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus ex animo conteſtentur, praxique ipſa exſequantur. *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*: quandoquidem ex magni Athanaſii
Epiſt. Ad Orthodoxos. ſuffragio: οὐ γὰρ νῦν Κανόνες καὶ τύποι ταῖς Ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν. *Non nupera aut novitia res eſt Canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio, ſed à primis uſque Patribus per manus tradita eſt, & fundata in Eccleſiis.* Ex Cœnobio S. Pudentianæ de Urbe IV. Idus Auguſti, anno Chriſtiano MDCXCIV.

D. Joannes Maria Gabriellius monachorum S. Bernardi Ordin. Ciſtercien. Viſitator Generalis, S. Theol. Mag. Sac. Congreg. Indicis Conſultor, ac Supremæ Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. M. S. P. Apoſtolici.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

INDEX SUMMARIUS

EORUM, QUÆ CONTINENTUR HOC TOMO SECUNDO CONCILIORUM HISPANIÆ AC NOVI ORBIS.

DISSERTATIO I. Aliàs XVI. *Quonam tempore & anno celebratum fuerit Concilium Eliberitanum*. Ubi plura ad Chronologiam & hiſtoriam ſpectantia. pag. 1.

Excurſus I. Quorundam errata, & variorum opiniones, atque in iis D. Loaïſæ, referuntur & refelluntur. Oſtenditur Concilium Eliberitanum non fuiſſe celebratum eodem tempore quo Nicænum, nec poſtea. 1.

Excurſus II. Uberiùs oſtenditur major antiquitas Concilii Eliberitani quàm Nicæni, immo & quàm pacis Eccleſiæ à Conſtantino datæ: ut proinde ſaltem ante annum CCCXIII. & fervente adhuc perſecutione, celebratum fuerit. Objectiones quorundam, & in iis Stephani Baluzii, refutantur. 4.

Excurſus III. Quo tandem anno coacta fuerit eadem Synodus. Relatis opinionibus aliorum, & præmiſſis pluribus ad Chronologiam perſecutionum variarum poſt initium quarti ſæculi: concluditur, videri celebratam intra menſem Majum anni CCCIII. 6.

Excurſus IV. Opinio exotica, ſive paradoxon Joannis Morini, autumantis Concilium hoc celebratum fuiſſe ante medium tertii ſæculi, & Imperium Decii Auguſti, refertur & refellitur multipliciter: obſervatis pluribus ac variis rebus & monumentis circa chrono-taxin, & Paſſiones Martyrum in Hiſpania intra tertium ſæculum, & ſub initium quarti, paullò poſt hoc Concilium celebratum. 9.

Excurſus V. Oſtenditur adverſus eundem Morinum, nec in media poſteriori parte ejuſdem ſæculi tertii celebratum fuiſſe hoc Concilium. Ubi plura ſpectantia ad chrono-taxin, hiſtoriam ſacram, & varias antiquitates Hiſpaniæ. Clauſula totius Diſſertationis. 12.

DISSERTATIO II. *De Conciliis Eliberitano poſterioribus intra & extra Hiſpaniam, quibus magnus ille Oſius Epiſcopus Cordubenſis interfuit ſæculo quarto, cum aliis Hiſpanis Præſulibus*. 15.

Excurſus I. Credibile eſſe, magnum illum Oſium nonnulla Concilia poſt Eliberitanum celebrâſſe intra Hiſpaniam, quamvis Acta eorum non exſtent. Porrò Synodum ab eo coactam fuiſſe Cordubæ circa medium quarti ſæculi, & in ea damnâſſe quos paullò antea Concilium Sardicenſe abdicaverat, ac reſtituiſſe quos ſolverat. Quinam iî fuerint, & quanta inde laus Oſio. 15.

Excurſus II. De Conciliis interjectis Eliberitano & Cordubenſi, quibus Oſius adfuit cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, tempore Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris, cui chariſſimus fuit, ac nominatim de Conciliis Arelatenſi & Alexandrino. Geſta Oſii in utroque. 17.

Excurſus III. Eundem Oſium interveniſſe cum magna nominis celebritate, ac præſediſſe, & ſubſcripſiſſe ante omnes alios Patres, Magnæ Synodo Nicænæ, veluti Legatum Sedis Apoſtolicæ, juſſu Sylveſtri Papæ, & aſſenſu Conſtantini Auguſti. Plura circa id obſervatu digna. Porrò ipſum quoque adfuiſſe Concilio Gangrenſi. 21.

Excurſus IV. Oſium pariter interfuiſſe ac præſediſſe Concilio Sardicenſi, & pleroſque illius Canones ſuggeſſiſſe ac dictâſſe. Quanta eorum auctoritas ſit, & nominatim ſecundi, conformis pluribus aliis Eliberitani Concilii antea ab eodem Oſio celebrati, quorum auctoritas confirmatur, contra Auxilium ſcriptorem ſæculi X. & prorſus immunis à labe Novatianiſmi oſtenditur. Ubi plura ad Hiſtoriam & Chronologiam ſpectantia. 23.

Excurſus IV. Oſium feliciſſimum futurum fuiſſe, nî jam centenarius circiter Cordubâ Sirmium profectus eſſet, ſive potiùs abductus vi illata ab Imperatore Conſtantio, ibidem Concilium indicente anno CCCLVI. poſterius alio Sirmienſi celebrato anno CCCLI. impulſu Photini Epiſcopi hæretici. Utri eorum adfoerit Oſios. Porrò illum diu ac fortiter reſtitiſſe novæ Fidei formulæ ibidem editæ, donec tandem flagellis & tormentorum machinis excruciatus ſubſcripſit per vim, & in ſpeciem ſolùm. 26.

Excurſus V. Quænam fuerit nova illa Fidei formula, cui Oſius ſubſcripſiſſe dicitur coactus in Concilio Sirmienſi. Porrò plures alias præceſſiſſe diverſorum, & priorem quandam Sirmii editam contra Photinum, anno CCCLI. abſente Oſio. Itaque poſteriorem aliam Sirmienſem anni CCCLVII. ipſi tribui à S. Hilario, tanquam Arianam. Dubitatur an reipſa Oſius illi ſubſcripſerit ſciens & prudens, licèt invitus, & tormentis fractus. Illuſtre S. Athanaſii teſtimonium pro illo: ex quo colligitur, Oſium aut non ſubſcripſiſſe illi formolæ, aut id feciſſe Catholico ſenſu, cujus ea capax erat. 28.

Excurſus VI. Excuſatur denuò Oſius ab ea ſubſcriptione formulæ in Concilio Sirmienſi poſteriore anni CCCLVII. comparatione facta cum Liberio Papa, qui eodem ferè tempore ſubſcripſiſſe legitur, & conſenſiſſe damnationi S. Athanaſii, citra hæreſim tamen. Porrò Oſium longè minùs peccâſſe, nimirum in ſola receptione Urſacii & Valentis Arianorum ad communionem. 31.

Excurſus VII. Perſecutio illata Oſio ab Imperatore Conſtantio, impulſu Arianorum, & reſiſtentia diuturna illius, ac merita inſignia in Eccleſiam, referuntur illuſtri teſtimonio Sancti Athanaſii, Græcè ac Latinè edito. Notæ aliquot in illud. 33.

Excurſus VIII. Quid reſponderit Oſius literis Conſtantii Imperatoris, hortantis & urgentis, ut Cordubâ Sirmium proficiſceretur, quo ibidem ſubſcriberet damnationi Athanaſii, & factioni Arianorum. Epiſtola ejuſdem Oſii Græcè ac Latinè exhibetur. 35.

Excurſus IX. Obſervantur nonnulla in prædictam Epiſtolam Oſii ad Conſtantium, ſacerdotali ſpiritu ac libertate plenam: Oſium ſub initium quarti ſæculi tormenta & vibices pro Chriſti Fide paſſum. Ætas illius & Conſtantii invicem computata. An re ipſa ſecum in Hiſpaniâ detulerit Athanaſium. Impudentia Conſtantii æternitatem ſibi tribuentis, ab Oſio reprehenſa. 38.

Excurſus X. Diſſeritur, an Oſius poſt lapſum illum miſerandum in Concilio Sirmienſi ſeriò pœnituerit, an potiùs impœnitens horrendam mortem ſubierit. Veterum teſtimonia ipſius famæ in ſpeciem adverſantia objiciuntur & urgentur, præſertim Sanctorum Hilarii & Euſebii Vercellenſis, ac Iſidori Hiſpalenſis, juxta quædam exemplaria Mss. 39.

Excurſus XI. Oſtenditur ex oppoſito illuſtribus S. Athanaſii teſtimoniis, non ſolùm mira fortitudo, & libertas ſacerdotalis Oſii adverſus Imperatorem Conſtantium, & reliquos Arianos, pro Catholica Fide, uſque ad plagas & rotas; ſed etiam pœnitentia poſt lapſum, exſecratio hæreſeos Arianæ, & pia mors apud Sirmium; non autem horrenda apud Cordubam, ut alii fabulantur. 42.

Excurſus XII. Eadem Oſii reſipiſcentia & pia mors confirmatur, non modò ſolutione argumentorum, quæ Excurſu X. objecta ſunt, ſed etiam conſiderationibus variis, ac teſtimoniis aliis S. Athanaſii ac Theodoreti. Auctoritas S. Iſidori objecta examinatur, & oſtenditur, aut ſubdititia, aut nihil probans. Meram fabulam eſſe narrationem illam de horribili morte Oſii apud Cordubam. 44.

Excurſus XIII. Oſtenditur luculentiùs adhuc ex ſacris monumentis ejuſdem temporis, narrationem illam adversùs Oſium, ne umbram quidem veritatis habere. Inſuper, nullum Hiſpaniæ Epiſcopum conſenſiſſe Ario ab exorta ejus hæreſi uſque ad finem, ſub Imperio Valentiniani. 46.

Excurſus XIV. Expenditur obſcurus locus S. Auguſtini pro Oſio, & verus ipſius ſenſus oſtenditur ex Actis Concilii I. Arelatenſis in Gallia celebrati: ac concluditur ejuſdem Oſii defenſio, allegatis ſcriptoribus qui illum tuentur, nemine jam ex Catholicis diſcrepante. Monitum ad recentes Ariomanitas. 49.

DISSERTATIO III. *De variis Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania ante & poſt Eliberitanum, nullatenus contentis in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis. Ubi de Chronicis Dextro, Maximo, Luitprando, Juliano Perez, & Hauberto, adſcriptis, apud quæ indicantur plurima Hiſpaniæ Concilia.* 52.

Excurſus I. Plurima Concilia, tanquam celebrata in Hiſpania, memorari in Chronicis, à centum circiter annis circumferri ſolitis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, nullatenus indicata à S. Iſidoro, vel quopiam alio ſcriptore, uſque ad finem ferè præcedentis ſæculi. Eorum pſeudo-chronicorum auctor, ſive architectus innumerabilium fictionum, quiſnam fuerit? 52.

Excurſus II. Ex ſcriptis nondum editis Cl. V. Nicolai Antonii profertur brevis narratio, in qua de ortu, progreſſu, & interitu jam imminente eorum pſeudo-chronicorum agit, præſertim Dextri, & promittit uberiorem eorum refutationem. 54.

Excurſus III. Quodnam judicium tulerint de eiſdem Chronicis viri alii inſignes, pariter & de Chronico Hauberti Hiſpalenſis nomine edito, & obtruſo circa medium hujus ſæculi. Auctoris proteſtatio valdè notanda. 56.

Excurſus IV. De Conciliis, quæ juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicuntur celebrata in Hiſpania apud Eliberim & Cheronem prope Valentiam, intra primum ſæculum Eræ Chriſtianæ, à primis Epiſcopis, præſertim S. Jacobi diſcipulis. Quid in ea parte ſentiendum ſit, etiam ab ipſis Eccleſiis, in quarum honorem ea antiquitatis monumenta, aliaque ſimilia, ex iis Chronicis circumferuntur. 58.

Excurſus V. De variis Conciliis, quæ dicuntur ſecundo ac tertio ſæculo celebrata in diverſis Hiſpaniæ locis, juxta Chronica illa ſubleſtæ Fidei, Dextro, Maximo, Juliano, & Hauberto adſcripta. Refutantur omnia, veluti ψευδώνυμα aut ſubdititia. 59.

Excurſus VI. De Concilio quodam Toletano, quod juxta Chronicon Dextro adſciptum dicitur celebratum anno CCCXI. in defenſionem Eliberitani. Oſtenditur illud eſſe ſuppoſititium, & plura ibidem, atque in aliis pſeudo-chronicis narrari à veritate aliena, præſertim circa cultum SS. quæ animadverſione & correctione egeant. Indiculus Chronologicus Conciliorum Hiſpaniæ, quæ primis quatuor ſæculis Eræ Chriſtianæ celebrata dicuntur in novis pſeudo-chronicis. 61.

Excurſus VII. Defenſores eorundem pſeudo-chronicorum admonentur, & dedocentur teſtimoniis virorum graviſſimorum intra & extra Hiſpaniam, præſertim è Societate JESU, qui detexerunt eorum fabuloſam inventionem, commenta, fictiones, parachroniſmos, & abſurditates: ut proinde iis nulla Fides adhibenda ſit, neque circa Concilia Hiſpaniæ, neque circa alia innumera paradoxa, niſi aliunde certo aliquo teſtimonio antiquorum, aut veteri & recepta traditione confirmentur. 64.

Excurſus VIII. An tempore S. Damaſi habitum fuerit in Hiſpania Concilium aliquod adversùs Arianos: & quale illud fuerit. Ubi plura obſervatu digna ad Hiſtoriam & Chronologiam Eccle-

Eccleſiaſticam ſpectantia. 67.
EPISTOLA Melchiadis Papæ, ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, noviter correcta juxta antiquiſſima Mss. De accuſationibns, & jurgiis, & nt nemo alteri infeſtus ſit. De baptiſmo & impoſitione manuum Epiſcoporum: ntrum eorum aliud ſine altero ſufficiat, aut majus eſſe videatur. 70.
Notæ Severini Binii. 72.
DISSERTATIO IV. *An Epiſtola hac nomine S. Melchiadis Papæ inſcripta ad Hiſpanos ſit germana; & qualiter extricari poſſint criticorum nodi, illam ſuppoſitionis arguentium.* 74.
EPISTOLA Liberii Papæ ad Oſinm Epiſcopnm Cordubenſem, de lapſu Vincentii, Circa annnm Chriſti CCCLIII. 77.
Notæ Variorum. 77.
CONCILIUM Cordubenſe Præſide Oſio celebratum anno circiter CCCL. vel juxta alios CCCLX. Ex Synodico apud Labbeum Tomo II. Concil. pag. 91. 78.
EPISTOLÆ tres Sancti Paciani Epiſcopi Barcinonenſis ad Sympronianum Novatiannm, Prima *De Catholico nomine*: Secunda *De literis ejuſdem Semproniani*: Tertia *contra tractatus Novatianorum*. Collatæ modò cum Ms. pulcherrimo ſereniſſimæ Suecorum Reginæ, octingentorum circiter annorum antiquitatis, extante nunc in Bibliotheca Vaticana, additâ ad marginem varietate lectionum. 79.
EPISTOLA I. Sancti Paciani ad Sympronianum Novatianum *De Catholico nomine*. 80.
EPISTOLA II. Sancti Paciani Epiſcopi Barcilonenſis ad Sympronianum, De ejus literis. 83.
EPISTOLA III. Sancti Paciani Epiſcopi Barcilonenſis ad eundem, *Contra tractatus Novatianorum*. 85.
Notæ in hanc Epiſtolam. 94.
Parænesis ejuſdem S. Paciani, ſive Libellus exhortatorius ad pœnitentiam. 94.
Notæ Cardinalis de Aguirre in ſcripta Sancti Paciani, & ſpeciatim in Epiſtolam primam. 98.
Notæ ejuſdem in Epiſtolam ſecundam. 100.
Notæ ejuſdem in Epiſtolam tertiam. 101.
Notæ ejuſdem in Parænesin, ſive libellum exhortatorium ad pœnitentiam. 103.
Corollaria quædam opportuna, circa doctrinam veterum Hiſpaniæ Patrum, *De Pœnitentia agenda*. 111.
Vita S. Damaſi Papæ, ſnb qno celebratum fuit Concilinm Cæſar-auguſtannm. Ex libro *Pontificali*, ſive Anaſtaſio Bibliothecario. 112.
CONCILIUM Cæſar-auguſtannm XII. Epiſcoporum, Erâ CDXVIII. id eſt anno Chriſti CCCLXXX. ſub Damaſo Papa, contra Priſcillianiſtas. 113.
Canones VIII. 113.
Notæ Variorũ in Conciliũ Cæſar-anguſtanũ. 115.
Fragmentum memorabile ex Cl. V. Hieronymo Blanca, initio ferè libri primi *Rerum Aragonenſiũ*, nbi nominatim de Cæſar-auguſta urbe, ejuſque ſacris antiqnitatibns, inſignioribus Epiſcopis, ac Conciliis agit, maxime verò de hoc ipſo, quod hîc exhibuimns. 121.
EPISTOLA Syricii Papæ, anno Chriſti CCCLXXXV. ad Himerium Tarraconenſem. 123.
DISSERTATIO V. *In Epiſtolam Syricii Papæ. Cur hæc Syricii Epiſtola præ aliis Pontificum anteriorum integra labiſque pura conſervetur, & qualiter exponenda ſit.* 126.
Excurſus I. Qnando, & qua occaſione, & quantò majori ſolennitate, quàm aliæ PP. veterum, fuerit hæc Epiſtola publicata, cum aliis, ad reformandam diſciplinam Eccleſiaſticam. 126.
Excurſus II. Exponnntnr præcipua Epiſtolæ capita multiplici obſervatione hiſtoriæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, præſertim circa reconciliationem & communionem, olim lapſis datam aut negatam. 128.
CONCILIUM Toletannm I. XIX. Epiſcoporum, anno Chriſti CD. 130.
Canones XXI. 130. & ſeq.
Conſtitutio Concilii Epiſcoporum Toleti habiti Arcadii & Honorii temporibus, Erâ CDXXXVIII. ſub die ſeptimo Idus Septembris, Stilicone Conſule. 130.
Subſcriptiones. 134.
Notæ Cardinalis de Aguirre in Concilium Toletanum I. 134.
Regula Fidei Catholicæ. 135.
Obſervationes Cardinalis de Aguirre in hanc Fidei regulam. 136.
Exemplaria Profeſſionnm in Concilio Toletano contra ſectam Priſcilliani, Erâ CDXXXVIII. anno Chriſti CD. 137.
Exemplar Definitivæ ſententiæ translatæ de Geſtis. 137.
Notæ Cardinalis de Agnirre in hanc ſententiam definitivam. 138.
Fragmenta ſub titulo Conciliorum Toletanornm, ſine ordine ant tempore, vel corruptè, vel falsò citata; cùm in his quæ hactenus apparuerunt Conciliis non inveniantur. 140. & ſeqq.
Notæ variorum in Titulnm, Præfationem, & Subſcriptiones Concilii I. Toletani. 144.
Notæ in Regulam Fidei Catholicæ. 149.
Notæ in Exemplaria Profeſſionum. 150.
EPISTOLA Innocentii I. Papæ ad Synodnm in civitate Toletana conſtitutam. 151.
Obſervatio Cardinalis de Aguirre in hanc Epiſtolam. 152.
EPISTOLA eadem Innocentii I. Papæ ad Epiſcopos Synodi Toletanæ, longè plenior, ex reſtitutione Jacobi Sirmondi. De diſſenſione, corruptaque diſciplina Eccleſiarum Hiſpaniæ. 153.
Notæ Variorum. 155.
DISSERTATIO VI. *De Præſulibus Toletanis, qui huic & aliis Conciliis interfuerunt, quinam ex iis, & quo loco ſubſcripſerint. Ubi obiter de dignitate Metropolitica Eccleſiæ Toletanæ, & Primatu ſupra alias Hiſpaniæ.* 157.
Excurſus I. De duobus Catalogis antiqnis Toletanorum Præſulum. Quiſnam ex iis huic Concilio intervenerit, & quis ejus Præſes fuerit? 157.

Excurſus II. An tempore hujus Concilii, & deinceps ſæculo quinto ac ſexto, dignitas Metropolitica eſſet apud Toletum, an potiùs apud Carthaginem Spartariam. Ubi de hujus Præſulibus Hectore & Liciniano, ac de Aſturio & Montano, Antiſtitibus Toletanis. 158.
Excurſus III. Dignitas Metropoleos conſervata indiſcriminatim in Eccleſia Toletana, aliiſque Hiſpaniæ ac Galliæ Narbonenſis, à tempore Concilii Toletani III. uſque ad XII. Porrò in hoc conceſſum fuiſſe Toletanis Præſulibus Primatum aliquem ſpecialem præ aliis Metropolitanis Hiſpaniæ, ac tandem ſeſſionem & ſubſcriptionem ante omnes alios, etiam ordinatione antiquiores. 161.
Excurſus IV. Primatus Eccleſiæ Toletanæ, tam in totam provinciam Carthaginenſem, quàm in alias Hiſpaniæ Metropoles, quibus gradibus & quomodo ſtabilitus fuerit, præſertim ab anno DCLXXII. De unctione regia Gotthorum in ſuis coronationibus, uſque ad irruptionem Sarracenorum in Hiſpaniam, & deinceps à tempore Urbani II. Papæ. Quędam in Catalogo Toletanorum Præſulum notata. 164.
Chronicon Idatii Epiſcopi Hiſpani, ab anno Chriſti CCCLXXIII. & deinceps, uſque ad CDLXII. vel CDXC. Poſt varias editiones, Romanam, Pampilonenſem Epiſcopi Sandovalii, Scaligerianam, Jacobi Sirmondi, & aliorum, nunc recuſum, ad ampliorem lucem Chronologię Conciliorum, & aliorum monumentorum veterum, quę in hoc Opere evulgantur. 168.
Prędatio Jacobi Sirmondi S. J. De Chronico & Faſtis Idatii. 165.
Obſervatio Cardinalis de Aguirre. 168.
Veterum de Idatio teſtimonia. 169.
Ad Idatii Epiſcopi Chronicon Pręfatio. 170.
Idatii Epiſcopi Chronicon. 171.
Ejuſdem Idatii Epiſcopi Faſtorum Conſularium pars, ab exordio Aureliani Auguſti ad obitum Honorii. 179.
Hiſtoria ſive Chronicon Gotthorum, Wandalorum, Suevorum, & Wiſi-gotthorum, Auctore S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi. 183.
Admonitio Cardinalis de Aguirre. 183.
Hiſtoria Wandalorum. 187.
Hiſtoria Suevorum. 188.
Chronica Regum Wiſi-gotthorum, partim ex Iſidoro, partim ex Wulſa. 189.
CONCILIUM Bracarenſe, pręſide Pancratio, ſive Pancratiano, primę Sedis Bracarenſis Epiſcopo, anno circiter Chriſti CDXI. Ex Capitulo II. libri VI. *Monarchia Luſitania* Fr. Bernardi de Brito, monachi ordinis Sancti Bernardi, & Chronologi generalis: nunc Collectioni Conciliorum Hiſpanię additum. 190.
Notę Cardinalis de Aguirre in hoc Concilium Bracarenſe. 191.
Obſervatio ejuſdem in Epiſtolas ſequentes. 194.
EPISTOLA Servorum Dei Vitalis & Conſtantii Spanorum ad Sanctum Capreolum Epiſcopum Eccleſię Catholicę Carthaginis, anno Chriſti circiter CDXXXI. 195.
Reſcriptum Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis, datum, ut apparet, paullò poſt celebratam Synodum Epheſinam, anno CDXXXI. exeunte, aut inchoante CDXXXII. 196.
Notę Cardinalis de Aguirre in hanc Epiſtolam. 201.
CONCILIUM Hiſpanicum Generale, ſuaſu Leonis Pontificis in cauſſa Priſcillianiſtarum indictum, anno Domini CDXLVII. 202.
Epiſtola XCIII. aliàs XV. S. Leonis Papę cognomento Magni, ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, anno Chriſti CDXLVII. 207.
Notæ Variorum. 212.
EPISTOLA S. Turibii Aſturicenſis, De non recipiendis in auctoritatem Fidei apocryphis ſcripturis, & de ſecta Priſcillianiſtarum. 218.
Notæ Cardinalis de Aguirre in hanc Epiſtolam. 220.
EPISTOLA S. Leonis Magni Papæ XCV. aliàs CIX. ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum, De Paſchate anni CDLV. 223.
Notæ Variorum, & obſervatio circa Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, ac Chalcedonenſe, ſolenniter in Hiſpania receptum. 223.
EPISTOLA I. Epiſcoporum Tarraconenſium, ſcripta circa annum CDLXV. ad Hilarum Papam, in Concilio Romano lecta. 225.
Summarium, De ordinatione Epiſcopi per Sylvanum Calagurritanum Epiſcopum, contra Patrum regulas & Nicænos Canones facta. Apud Romanum Pontificem conqueruntur; eumque conſulunt, quid in hoc caſu facere, aut qua ratione abuſibus ejuſmodi occurrere debeant. 225.
Notæ Variorum in hanc & ſequentes Epiſtolas. 226.
EPISTOLA II. Epiſcoporum Tarraconenſium, ad Hilarum Papam, in Concilio Romano lecta. 227.
Sancti Hilari Papæ conſultatio in Synodo Romana circa Epiſtolas Epiſcoporum Tarraconenſium, cum interlocutionibus, anno Chriſti CDLXV. 228.
EPISTOLA Hilari Papæ ad Aſcanium & reliquos Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos, anno Chriſti CDLXV. 229.
Notæ Variorum. 230.
EPISTOLA Simplicii Papæ ad Zenonem Spalenſem Epiſcopum, ab anno CDLXVIII. ad CDLXXXIII. 232.
EPISTOLA Felicis Papæ III. ad Zenonem Epiſcopum Spalenſem, ab anno CDLXXXIII. ad CDXCII. 234.
Notæ Cardinalis de Aguirre. 234.
CONCILIUM Tarraconenſe X. Epiſcoporum, habitum Erâ DLIV. anno Chriſti DXVI. tempore Hormiſdæ Rom. Pont. 235.
Tituli XIII. 235.
Subſcriptiones. 237.
Notæ Variorum in ſubſcriptiones. 238.
Fragmenta Concilii Tarraconenſis ex Gratiano. 238.
Notæ Variorum in Concil. Tarraconenſe. 238.

CON-

CONCILIUM Gerundenſe VII. Epiſcoporum, habitum Erâ DLV. anno Chriſti DXVII. tempore Hormiſdæ Rom. Pont. 241.
Canones X. 241.
Notæ Variorum in Concilium Gerundenſe. 243.
EPISTOLA I. S. Hormiſdæ Papæ ad Joannem Tarraconenſem Epiſcopum, anno Chriſti DXVII. 246.
EPISTOLA II. Ejuſdem Hormiſdæ Papæ ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ, anno Chriſti DXXI. 247.
Notæ Variorum in hanc Epiſtolam. 248.
EPISTOLA III. Ejuſdem Hormiſdæ ad Saluſtium Epiſcopum Spalenſem. 249.
Notæ in hanc Epiſtolam. 250.
EPISTOLA IV. Ejuſdem Hormiſdæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ. 250.
Notæ in hanc Epiſtolam. 251.
EPISTOLA V. Ejuſdem Hormiſdæ Papæ ad omnes Epiſcopos Hiſpaniæ. 252.
Notæ in hãc Epiſtolam. 253.
Obſervationes Cardinalis de Aguirre in Epiſtolam ſynodicam Epiſcoporum in Sardinia exſulum, poſt obitum Sancti Hormiſdæ Papæ. 256.
EPISTOLA Synodica Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exſulum, anno, ut videtur, Chriſti DXXVI. aut circiter. *De gratia Dei, & humano arbitrio.* 257.
Notæ Cardinalis de Aguirre in eam Epiſtolam. 262.
SYNODUS Toletana II. VIII. Epiſcoporum, Erâ DLXV. anno Chriſti DXXVII. 265.
Canones V. 265.
Notæ Cardinalis de Aguirre in hoc Conciliũ. 267.
EPISTOLA Montani Epiſcopi Toletani ad fratres & filios territorii Palentini. 269.
Notæ Cardinalis de Aguirre. 270.
EPISTOLA alia ejuſdem Montani ad eundem Theoribium. 271.
Notæ Cardinalis de Aguirre. 271.
EPISTOLA Juſti Epiſcopi Orgelitani ad Syrgam Papam, anno Chriſti DXXXV. 273.
Notæ Cardinalis de Aguirre in hanc Epiſtolam. 274.
EPISTOLA Vigilii Papæ ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem, cujus conſultationibus reſpondet, anno Chriſti DXXXVIII. 275.
Notæ Cardinalis de Aguirre in hanc Epiſtolam. 277.
Canones Barcinonenſes, ſeu Concilium Barcinonenſe, habitum circa Eram DLXXVIII. ſive annum Chriſti DXL. 279.
Notæ Variorum in Canones Barcinonenſes. 279.
CONCILIUM Ilerdenſe VIII. Epiſcoporũ, Erâ DLXXXIV. ideſt an. Chriſti DXLVI. 282.
Canones XVI. 282.
SYNODUS habita in Conventu Ilerdenſi anno quintodecimo Theudaredi Regis, ſub die octavo menſis Auguſti. 282.
Fragmenta Concilii Ilerdenſis. 285.
Notæ Variorum in hoc Concilium. 286.
CONCILIUM Valentinum ſex Epiſcoporum, habitum Erâ DLXXXIV. id eſt anno Chriſti DXLVI. 288.
Canones VI. 288.
Fragmenta, quæ citantur ex Concilio Valentino; ſive id Hiſpanum, ſive Gallicanum ſit. 290.
Notæ Variorum in Concilium Valentinum. 290.
CONCILIA Bracarenſia ſub Regibus Suëvorum. 292.
Series Suëvorum Regum, ſub quibus Concilia Bracarenſia habita ſunt. 292.
SYNODUS Bracarenſis I. regnante D. N. Jeſu Chriſto, currente Erâ DXCIX. anno tertio Ariamiri Regis, die Kalendarum Majarum, nimirum anno Chriſti DLXI. 292.
Notæ Variorum. 296.
CONCILIUM apud Lucum, à Theodemiro Principe habitum Erâ DCVII. anno Chriſti DLXIX. 299.
Præmonitio Cardinalis de Aguirre ad Lectorem. 299.
Notæ D. Garſiæ Loaïſæ. 300.
Diviſio provinciarum Hiſpaniæ, & earum ſedium. 301.
Diviſio Oxomenſis & Ancenſis Epiſcopatuũ. 307.
SYNODUS Bracarenſis II. XII. Epiſcoporum, anno Chriſti DLXXII. Sub Mirone Suëvorum Rege, celebratum tempore interregni Pontificii, poſt obitum Joannis Papæ III. 316.
Canones X. 316.
Fragmenta, quæ citantur ex Conciliis Bracarenſibus, & in eis non exſtant. 319.
Notæ Variorum in Conciliũ Bracarenſe II. 320.
Notæ in ſubſcriptiones. 323.
Venantii Fortunati carmen ad Martinum Epiſcopum Galliciæ. 324.
Capitula ex Orientalium Synodis à S. Martino Epiſcopo Bracarenſi collecta, & in Concilio Lucenſi publicata. 325.
Canones Orientalium Synodorum. 327.
Paſſio S. Vincentii Abbatis Legionenſis, Ramiri, & ſociorum Martyrum, ex vetuſto Breviario Vallis-oletano, ad annum Chriſti DLXXXIV. 336.
Ex novo Breviario Vallis-oletano. 336.
Notæ Variorum. 337.
CONCILIUM Toletanum III. Epiſcoporum LXII. in quo Ariana hæreſis in Hiſpania damnata eſt, anno IV. Reccaredi Gotthorum in Hiſpania Regis, Chriſti DLXXXIX. 338.
Symbolum Fidei à ſancto Concilio Nicæno editum. 340.
Fides ſancta, quam expoſuerunt CL. Patres, conſona magnæ Nicænæ Synodo. 340.
Tractatus Chalcedonenſis Concilii. 340.
Confeſſio Fidei Epiſcoporum, presbyterorum, vel primorum Gotthicæ gentis, qui infrà ſcripſerunt. 341.
Capitula ſanctæ Synodi Toletanæ, facta tempore domini Reccaredi Regis, LXXII. Epiſcoporum. 344.
Edictum Regis Reccaredi in confirmationem Concilii. 349.
Homilia S. Leandri Epiſcopi in laudem Eccleſiæ ob converſionem gentis Gotthicæ, poſt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Concilium & confirmationem Canonum edita. 351.
Notæ Variorum in ſubſcriptiones Concilii Toletani III. 353.
Notæ Variorum in Conciliū Toletanū III. 355.
DISSERTATIO VII. in Canonem XI. Concilii Toletani III. *Quonam ſenſu peccatoribus poſt pœnitentiam lapſis in hoc Concilio negetur novus acceſſus ad pœnitentiam, ſive reconciliatio-nem.* 358.
Excurſus I. Exhibetur litera Canonis, & expenditur ingens illius difficultas. Porrò Patres Toletanos videri in eo loquutos de pœnitentia ſolenni, quæ nullatenus iterabatur: non autem de pœnitentia ſecreta & ſacramentali pro minoribus criminibus & occultis, etiam mortiferis. Explicata in eum ſcopum inſignia Patrum loca, & in iis SS. Ambroſii ac Paciani. Sanè difficultatem prædictam debere ab omnibus Catholicis ſolvi, ſi res attentiùs conſideretur. 358.
Excurſus II. Lapſos in crimina, etiam mortifera, minoris notæ, immo & relapſos, ſemper ſolitos fuiſſe, ac debuiſſe, confiteri ſacramentaliter & ſecretò, licèt multi præterea ex devotione & humilitate id publicè facerent. Illuſtris locus Origenis circa id. Patres Toletanos hoc loco non videri damnâſſe iteratam pœnitentiam ſive reconciliationem ſecretam, ſed ſolennem. An qui poſt iſtam relabebatur in aliquod crimen ex gravioribus, maneret incapax remedii? Egregius locus S. Auguſtini id negantis, variis conſiderationibus illuſtratus. 360.
DISSERTATIO VIII. In Canones XI. & XII. ejuſdem Concilii. *De inſtauratione priſcorum Canonum circa pœnitentes, tum lapſos poſt baptiſmum, tum relapſos poſt pœnitentiam, præſertim in Hiſpania.* 362.
Excurſus I. Quonam ſenſu inſtaurata fuerit diſciplina antiquorum Canonum in hoc Concilio erga pœnitentes, tum primò lapſos, tum deinde relapſos. Ubi plura, ſpeciatim circa priores, obſervantur ex variis Hiſpaniæ Conciliis, & ex SS. Patribus, præſertim Paciano, Cypriano, Ambroſio, & Chryſoſtomo. Monitum memorabile Cardinalis Bellarmini contra nonnullos pſeudo-pœnitentes, & ſacerdotes faciles nimiùm in iis abſolvendis. 362.
Excurſus II. Oportere plurimùm, ut ante confeſſionem gravium peccatorum, vel ſaltem ante abſolutionem, præmittantur exercitia interna & externa pœnitentię. Monitum circa id Cardinalis Bellarmini, conſentaneum Canonibus ſacris, & SS. Patribus, pręſertim Cypriano & Leoni, quorum graviſſima teſtimonia expenduntur, etiam pro praxi noſtrorum temporum, non quoad totam ſatisfactionem pręmittendam, ut olim, ſed quoad partem aliquam. 365.
Excurſus III. Eadem doctrina de differenda in certis caſibus abſolutione, & exhortando, aut etiam obligando pœnitentem nonnunquam, ut aliquot dignos pœnitentię fructus premittat antequam abſolvatur, oſtenditur non ſolùm conformis antiquę ſacrorum Canonum & Pontificum diſciplinę, ſed etiam communis Theologorum, ac certa judicio Cardinalis de Lugó. Porrò illam fuiſſe traditam in theoria & praxi à ſanctiſſimis viris Franciſco Xaverio, Thoma de Villa-nova, & Carolo Borromęo, ac latè à Cardinali Bellarmino, & recentibus aliquot Conciliis. 369.
Excurſus. IV. Patres Hiſpanos, tum in hoc Concilio, tum in aliis, plurimùm commendâſſe clericis, pręſertim ſacerdotibus, ſtudium accuratum, & obſervantiam Canonum pœnitentialium. Idipſum curę fuiſſe poſtremis hiſce ſęculis S. Carolo, aliiſque Pręſulibus, ſed pręcipuè Concilio Tridentino, cujus illuſtria loca expenduntur pro praxi hodierna Canonum antiquorum, cum aliquali proportione. 372.
Excurſus V. Qualiter deſervire poſſit Confeſſariis notitia priſcorum Canonum erga pœnitentes. An ii per Concilium Tridentinum inſtaurati fuerint circa ſatisfactiones pœnales juxta gravitatem & numerum peccatorum imponendas. Porrò obligationem earum oriri ex jure divino, quo urgemur ad agendum dignos pœnitentię fructus. Locus vulgatiſſimus Sancti Gregorii in eum ſcopum. Expenditur doctrina ejuſdem Concilii, illuſtrata conſiderationibus Cardinalis Bellarmini, & Ritualis, ac Catechiſmi Romani, & Sacramentalis Ambroſiani. Loca quædam illuſtria ejuſdem Gregorii & Auguſtini in eundem ſcopum. 374.
DISSERTATIO IX. *De pœnis relapſorum inſtauratis in hoc Concilio, & de vario genere aut modo pœnitentiæ.* 377.
Excurſus I. In quibuſnam pœnis ſita eſſet ſeveritas priſcorum Canonum inſtaurata à Patribus hujus Concilii, adversùs illos, qui actâ pœnitentiâ canonica relabebantur in ſcelera. Porrò eos non fuiſſe privatos communione in fine vitę, uti tertio ſęculo mediante, & initio quarti obſervabatur; ſed potiùs admiſſos, juxta indulgentiam Concilii Nicęni, ac decreta Pontificum Innocentii & Syricii; quę in eum ſcopum expenduntur & illuſtrantur. Semper itaque fuiſſe iis relapſis locum, non quidem pœnitentię ſolennis, ſed alterius diverſę, utilis tamen & fructuoſę ad ſalutem. 377.
Excurſus II. Eadem doctrina de loco relicto peccatoribus relapſis in hoc & aliis Conciliis ad pœnitentiam ſalutarem, quamvis non canonicam, nec ſolennem, confirmatur illuſtribus Patrum teſtimoniis; pręſertim Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, Iſidori, ac S. Thomę, & variis conſiderationibus. 379.
Excurſus III. Pręter pœnitentiam ſolennem, quę nunquam iterabatur, fuiſſe aliam publicam ſine ſolennitate, aliamque privatam & ſecretam in foro conſcientię coram ſacerdote ſolo. Hanc porrò de peccatis internis & externis minùs gravibus, licèt mortiferis, iteratam fuiſſe, tum tempore hujus Concilii, tum antea & poſtea. Oſtenditur id multipliciter adverſus quoſdam negantes olim relapſis poſt baptiſmū pœnitentiam fuiſſe pluſquam ſemel conceſſam. 381.

CON-

CONCILIUM Narbonenſe Hiſpano-Gallicum, Reccaredi Gotthorum in Hiſpania Regis tempore celebratum, ſub die Kalendarum Novembrium Erâ DCXXVII. id eſt anno Chriſti DLXXXIX. *Ex Ms. inſignis & antiquiſſimi monaſterii S. Æmiliani in Rivogia, unde illud exſcripſit clariſs. Vir Joannes Baptiſta Perez: computatum inter Hiſpanienſia, quia tunc Narbona ſubjacebat Gotthis Hiſpaniæ Regibus, & Narbonenſis Metropolitanus cum aliis Epiſcopis ſubſcribebat Conciliis Hiſpanienſibus.* 385.
Tituli Canonum. 385.
Præfatio. 385.
Canones. 386.
Subſcriptiones. 387.
Notę Variorum. 387.
CONCILIUM Spalenſe I. Erâ DCXXVIII. anno Chriſti DXC. 390.
Tituli. 390.
Fragmenta quæ ex Concilio Hiſpalenſi citantur. 391.
Notę Variorum. 393.
Synopſis rerum Sancti Leandri Præſulis Hiſpalenſis, præſertim geſtarum in his Conciliis. Ex Bollando & Sociis ad diem XIII. Martii. 394.
§. I. S. Leandri memoria ſacra in Martyrologiis, & celebris apud ſcriptores, maximè apud S. Iſidorum Hiſpalenſem. 394.
§. II. Converſio S. Hermenegildi, dein Reccaredi Regis cum gente Gotthorum, & Synodus Toletana III. prędicatione imprimis atque hortatu S. Leandri. 395.
§. III. Epiſtolæ S. Gregorii Papæ ad S. Leandrum. Hujus obitus, ſepultura, translationes. 397.
S. Gregorii Magni Papę Epiſtolę ad Hiſpanos, cum Notis brevioribus Cardinalis de Aguirre. 398.
EPISTOLA I. Ad Sanctum Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, de Reccaredo Rege, & de trina merſione baptiſmi. 398.
Notę. 399.
EPISTOLA II. Ejuſdem ad S. Leandrum. Libros in expoſitionem Beati Job, & librum Regulę Paſtoralis tranſmittit. 399.
Notę. 399.
EPISTOLA III. Ejuſdem, pręfixa Commentariis in librum beati Job, ad eundem Leandrum. 400.
Notę. 402.
EPISTOLA IV. Ejuſdem ad eundem S. Leandrum. De laude charitatis. De onere ſuę prælationis. Quantum laudat Gregorius Leandrum, tantundem demittit ſe ipſum, humilitate mira. De doloribus podagrę, quos ambo patiebantur. De Pallio ad ſacra tantùm Miſſarum ſolennia tranſmiſſo. 404.
Notę. 405.
EPISTOLA V. Ejuſdem ad Reccaredum Regem Hiſpanię. 405.
Notę. 407.
EPISTOLA VI. Ejuſdem ad Claudium in Hiſpaniis degentem. 408.
Notę. 408.
EPISTOLA VII. Ejuſdem ad Joannem Defenſorem. Capitulare. 409.
EPISTOLA VIII. Ejuſdem ad eundem Joannem Defenſorem euntem in Hiſpaniam. 411.
EPISTOLA IX. Ejuſdem ad Vitalem Defenſorem. De Conſiliariis excommunicatis Jannarii Epiſcopi. 412.
EPISTOLA X. Ejuſdem ad Joannem Defenſorem, de monachis Capricanę Inſulæ. 413.
EPISTOLA XI. Seu potiùs ſententia Joannis Defenſoris. De cognitione, de qua inter Epiſcopos reſedit, & de Januario Malachitano, quem abſolvit. 413.
CONCILIUM Cæſar-auguſtanum II. celebratum Erâ DCXXX. anno VII. Reccaredi Regis, ſub Gregorio Papa I. anno Chriſti DXCII. 414.
Prœmonitio D. Michaëlis Cercito Epiſcopi Barbaſtrenſis. 414.
Canones. 414.
Subſcriptiones. 414.
Notę Variorum in hoc Concilium. 415.
De Fiſco Barcinonenſi Erâ DCXXX. 415.
Subſcriptiones. 415.
Notę D. Garſię Loaiſę. 416.
CONCILIUM Toletanum ſub Reccaredo, anno XII. regni ejus, Erâ DCXXXV. anno Chriſti DXCVII. habitum ſub Gregorio Papa I. 416.
Canones. 416.
Subſcriptiones. 416.
Notę Variorum. 417.
CONCILIUM Oſcenſe anno tertio decimo regni domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi Regis, Erâ DCXXXVI. an. Chriſti DXCVIII. celebratum. 417.
Canones. 417.
Nota Cardinalis de Aguirre. 418.
CONCILIUM Barcinonenſe, Erâ DCXXXVII. anno XIV. Regis Reccaredi, anno Chriſti DXCIX. habitum. 418.
Pręfatio. 418.
Canones. 418.
Subſcriptiones. 419.
Notę Variorum. 419.
Chronicon Joannis primùm fundatoris & Abbatis monaſterii Biclarenſis, poſtea Epiſcopi Gerundenſis, qui ſubſcribit in Concilio Barcinonenſi anno DXCIX. ex variis Mss. editum ab Henrico Caniſio Noviomago J. C. & Profeſſore ſacrorum Canonum in alma Academia Ingolſtadienſi. 421.
Pręfatio Henrici Caniſii ad Lectorem. 421.
Notę & obſervationes Cardinalis de Aguirre in Chronicon iſtud. 422.
Chronicon Joannis Biclarenſis, poſtea Gerundenſis. 423.
Admonitio ad Lectorem. 426.
EPISTOLA I. Liciniani Epiſcopi Carthaginis Spartariæ in Hiſpania. *De libro Regularum*, ad S. Gregorium Papam urbis Romæ. 427.
EPISTOLA II. Liciniani ad Vincentium Epiſcopum Eboſitanæ Inſulæ, contra eos qui cre-

de-

debant Epiſtolas de cælo cecidiſſe in Memoriam S. Petri Romæ, nunc primùm edita ex Ms. Eccleſiæ Toletanæ. 428.
EPISTOLA III. Liciniani & Severiani ad Epiphanium Diaconum, in qua oſtenditur angelos & animas rationales eſſe ſpiritus, ſive totius corporis expertes. Ex Ms. Eccleſiæ Toletanæ. 429.
SYNODUS Toletana ſub Gundemaro, Erâ DCXLVIII. anno Chriſti DCX. 433.
Notæ D. Loaïſæ. 433.
Decretum piiſſimi atque glorioſiſſimi Principis Gundemari regis, Erâ DCXLVIII. 435.
Notæ D. Loaïſæ. 436.
De ſubſcriptionibus. 436.
Tractatus clariſs. V. D. Garſiæ Loaïſæ, *De Primatu Eccleſiæ Toletanæ*. 437.
Appendix ad Tractatum Illuſtriſſimi D. Garſiæ Loaïſæ, *De Primatu Eccleſiæ Toletanæ*. Ex Ludovico Thomaſſino Oratorii Gallicani presbytero, Tomo I. *De Beneficiis*, lib. 1. capitul. 38. 453.
CONCILIUM Egarenſe, in Egara, loco provinciæ Tarraconenſis, ſub Siſebuto, anno regni ejus tertio, Erâ DCLII. anno Domini DCXIV. ſub Bonifacio IV. 457.
Notæ Variorum. 458.
Diatriba Cl. V. Stephani Baluzii Tutelenſis, *De Epiſcopatu Egarenſi*, ad eruditiſs. P. Philippum Labbeum. 459.
EPISTOLA Deus-dedit Papæ ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum. 461.
Notæ Cardinalis de Aguirre. 461.
CONCILIUM Hiſpalenſe II. ſive Synodus habita in civitate Spali, ſub die Iduum Novembrium, anno nono, regnante Siſebuto glorioſiſſimo Principe, Erâ DCLVII. id eſt anno Chriſti DCXIX. 462.
Tituli Canonum. 462.
Notæ Variorum. 470.
Notæ peculiares Paſchaſii Queſnelii Tomo II. in opera S. Leonis Papæ, pag. 631. & ſeqq. ad Canonem VII. 473.
CONCILIUM Toletanum IV. Epiſcoporum LXII. provinciarum Hiſpaniæ & Galliæ, celebratum Erâ DCLXXI. anno Chriſti DCXXXIII. 477.
Tituli Canonum. 477.
Geſta ſynodalia in Toletana urbe, in Concilio LXII. Epiſcoporum Hiſpaniæ & Galliæ provinciarum, edita anno tertio regnante glorioſiſſimo domino noſtro Principe Siſenando, die nono Decembris, Erâ DCLXXI. 478.
Notæ Variorum in Conciliũ Toletanũ IV. 494.
EPISTOLA Martini Epiſcopi Bracarenſis, ad Bonifacium Epiſcopum, *De trina merſione*, Nunc primùm edita ex Mss. Eccleſiæ Toletanæ. 506.
CONCILIUM Toletanum Quintum, Erâ DCLXXIV. anno primo domini noſtri Chintilani Regis, ideſt Chriſti DCXXXVI. Honorii I. Papæ X. 507.
Tituli Canonum. 507.
Notæ Variorum. 510.
CONCILIUM Toletanum VI. XLVIII. Epiſcoporum, univerſale, coactum Erâ DCLXXVI. ideſt anno Chriſti DCXXXVIII. Chintilæ Regis Hiſpaniæ ſecundo jam completo, ut conjicio, & tertio ineunte. 512.
Tituli Canonum. 512.
Notæ Variorum. 518.
Notæ in ſubſcriptiones. 521.
CONCILIUM Toletanum VII. In nomine Domini Salvatoris noſtri, incipit ſynodale decretum in Toletana urbe XXX. Epiſcoporum Concilio geſtum, anno quinto clementiſſimo domino noſtro Chindaſvindo Rege regnante, die decimo quinto Kalendas Novembris, Erâ DCLXXXIV. ideſt, anno Chriſti DCXLVI. 522.
Tituli Canonum. 522.
Præfatio. 522.
Subſcriptiones Epiſcoporum. 525.
Notæ Variorum. 526.
De ſubſcriptionibus. 527.
De viſione habita Tajoni Epiſcopo in Romana Eccleſia, & de libro Morali in Hiſpaniam ducto. 528.
Præfatio Tajonis Epiſcopi Cæſar-auguſtani ad Quiricum Barcinonenſem Antiſtitem, in quinque libros Sententiarum à ſe collectos ex operibus S. Gregorii Papæ: primùm eruta ex antiquiſſimo Ms. Bibliothecæ Thuaneæ à V. Cl. Joanne Mabillone M. B. Congregationis Sancti Mauri in Gallia, & ab ipſo Notis illuſtrata. Anno Chriſti circiter DCL. 530.
Incipit liber Sententiarum primus, *Quòd Deus incommutabilis, ſummus, & æternus exiſtat*. Solus Deus in ſemetipſo incommutabilis eſt, quia ſolus habet immortalitatem, &c. Quirici Epiſcopi reſponſio ad Tajonem Epiſcopum. 532.
Notæ Cl. V. Joannis Mabillonis, in duas Epiſtolas præcedentes Tajonis & Quiricii. 532.
Admonitio ad Lectorem. 533.
Reſcriptum gratiarum Quiricii Epiſcopi Barcilonenſis, ad S. Ildephonſum Toletanæ ſedis Epiſcopum, pro Opere De virginitate Sanctæ Mariæ. 533.
EPISTOLA S. Indephonſi Toletanæ ſedis Archiepiſcopi ſanctiſſimo Domino Quiricio Epiſcopó. 534.
EPISTOLA Quiricii Barcilonenſis Epiſcopi domino Ildephonſo Archiepiſcopo. 535.
EPISTOLA Sancti Ildephonſi Toletani Archiepiſcopi ad dominum Quiricium Epiſcopum. 535.
EPISTOLA I. Idali Barcilonenſis Epiſcopi domino Juliano primo Toletanæ ſedis Apoſtolo anno Chriſti circiter DCLXXXVII. 536.
EPISTOLA II. Idali Barcilonenſis Epiſcopi domino Zuntfredo Narbonenſis primæ ſedis Epiſcopo. 537.
CONCILIUM Toletanum VIII. In nomine Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti, incipiunt geſta ſynodalia LII. Epiſcoporum, In urbe regia celebrata, die decima ſeptima Kalendarum Januarii, Erâ DCXCI. 538.

Tituli Canonum. 540.
Decretum io die ſecunda Univerſalis Concilii, editum in nomine Principis. 549.
Lex edita in eodem Concilio à Recceſvintho Principe. 550.
Notæ Variorum in hoc Concilium. 551.
De ſubſcriptionibus Abbatum & aliorum. 553.
EPISTOLA beati Iſidori junioris, Epiſcopi Hiſpalenſis Eccleſiæ, ad Laudefredum Epiſcopum Cordubenſis Eccleſiæ directa. 554.
Notæ D. Loaïſæ, ſeu potiùs Petri Pantini Belgæ (cujus nomine editæ fuerunt Tomo II. *Hiſpania illuſtrata*, pag. 195. & ſeqq.) De ſubſcriptionibus virorum illuſtrium officii Palatini. 555.
Notæ Variorum in Concilium Toletanum octavum. 563.
Placitum Judæorum, in nomine Principum factũ, domino noſtro Recceſvintho Regi. 567.
Obſervatio quædam Cardinalis de Aguirre circa vitam Sancti Ildephonſi, qui interfuit Concilio huic. 568.
Vita ſanctiſſimi patris Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani, ex varia librorum antiquorum lectione collecta, per Fratrem Michaëlem Carranzam, monachum Carmelitam, & cœnobii Carmelitarum Valentię Priorem, edita ibidem anno MDLVI. 568.
SYNODUS Toletana IX. XVI. Epiſcoporum, anno ſeptimo Recceſvinthi Principis acta, Erà DCXCIII. ideſt anno Chriſti DCLV. 573.
Tituli Canonum. 573.
Prę fatio. 573.
Notę Variorum. 577.
CONCILIUM Toletanum X. XX. Epiſcoporum, anno octavo Recceſvinthi Regis, Erà DCXCIV. celebratum ſub Vitaliano Papa, ideſt anno Chriſti DCLVI. 579.
Tituli Capitulorum. 579.
Præfatio. 579.
Capitula. 579.
Decretum pro Potamio Epiſcopo. 583.
Ex Concilio Valentino Gallię titulo quarto. 583.
Aliud Decretum. 584.
Subſcriptiones. 584.
Notę Variorum in Conciliũ Toletanum X. 585.
DISSERTATIO X. *De diſciplina antiqua Eccleſiæ, ſpeciatim Hiſpanica, in hoc & aliis Conciliis, circa lapſos in peccatum carnis poſt baptiſmum, ne ordinentur, nec adminiſtrent Ordines jam ſuſceptos.* 589.
Excurſus I. Indicantur varii Canones & decreta Conciliorum, præſertim Hiſpaniæ, quibus receptio & adminiſtratio Ordinum prohibetur omnino quibuslibet hominibus lapſis in peccatum mortale, præſertim carnis, poſt baptiſmum, cohærenter ad Canones Apoſtolorum, & alia Concilia, ac decreta ſedis Apoſtolicæ in Epiſtolis ad Hiſpanos. 589.
Excurſus II. Refertur miſerandus Potamii Epiſcopi Bracarenſis lapſus, & ſpontanea accuſatio coram Patribus hujus Concilii. An propter crimen omnino ſecretum, quale fuit illud, debuerit in foro conſcientiæ abdicare ſe Epiſcopatu, & exercitio ſacrorum Ordinum ante omnem accuſationem vel notitiam aliorum hominum? Statuitur ſententia affirmans, & oſtenditur, inhabilitatem ad Ordines recipiendos ſive adminiſtrandos, annexam fuiſſe iis criminibus externis, quamquam prorſus occultis. Lapſus Epiſcoporum, Potamii in Hiſpania, & Genebaldi in Gallia, expenduntur, & invicem comparantur. 591.
Excurſus III. Eadem pœna depoſitionis, ſeu privationis perpetuæ, ipſo jure olim ſtatuta adverſus eos omnes qui poſt ſacrum Ordinem receptum lapſi ſunt in peccatum carnis, oſtenditur perpetuò tradita à S. Gregorio Papa multis ac variis locis. Porrò Epiſtolam ad Secundinum circumferri ſolitam ipſius Gregorii nomine, ut ſacerdotes in carnis peccatum occultè lapſi reſtituantur poſtquam dignam pœnitentiam egerint, vitiatam fuiſſe à quopiam ſciolo aut iniquo homine, quoad eam partem, ſicuti & aliam S. Iſidori nomine ad Maſſanum ſcriptam, aliamque longè antiquiorem nomine S. Calliſti Papæ de eadem re. Oſtenditur illarum ſuppoſitio, & confirmantur, aut explanantur plura circa ſententiam noſtram de Collectione Iſidoriana. 594.
Excurſus IV. Objiciuntur nonnullæ difficultates graves adversùs doctrinam præcedentem, deſumptæ potiſſimùm ex variis Canonibus Conciliorum Hiſpaniæ, pro reſtitutione in integrum miniſtrorum Eccleſiæ, etiam ſacerdotum, lapſorum in peccatum carnis, præſertim occultum, poſtquam condignâ pœnitentiâ expiatum fuit. Ubi iterum de Epiſtolis adſcriptis Gregorio Magno, Calliſto I. & S. Iſidoro Hiſpalenſi, ex quarum ſuppoſitione ea relaxatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ longè poſtea ſecuta fuit. 597.
Excurſus V. Omne crimen, præſertim carnis, commiſſum poſt baptiſmum, à tempore Apoſtolorum, ſive ſecretum ſive publicum, impedimento perpetuo fuiſſe ad recipiendos ſacros Ordines, & adminiſtrandum jam ſuſceptos. Veſtigatur quænam ratio aut cauſſa impulerit Patres Concilii Ilerdenſis, ut aliquantò mitiùs ſe haberent erga miniſtros altaris lapſos. Memoranda hiſtoria juvenis graviſſimè lapſi, & poſt pœnitentiam reconciliati à Joanne Apoſtolo expenditur in eum ſcopum. Similiter & Epiſtola celebris Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem. 600.
Excurſus VI. Condeſcenſionem ſive diſpenſationem illam Patrum Concilii Ilerdenſis cap. 5. ut miniſtri altaris carnaliter lapſi, & poſtea dignè pœnitentes, poſſent perſiſtere in gradu antea ſuſcepto, ſolùm de lapſu occulto fuiſſe ab iis intellectam, non de publico, ſive de aliis noto. Nec Eccleſiam in Conciliis, nec Sedem Apoſtolicam in Epiſtolis Decretalibus inveniri, ſaltem primis decem ſæculis, diſpenſâſſe, ut clerici palam aut publicè lapſi in peccatum carnis, reſtituantur ordini ſacro, vel ſinantur illum recipere, aut promoveri, adhuc poſt pœnitentiam factam. 602.

Ex-

Excurſus VII. Nonnullis inſuper illuſtribus teſtimoniis comprobatur eadem ſeveritas Eccleſiæ, tum univerſalis, tum Gallicanæ, & Hiſpanicæ, ab ineunte ſæculo ſexto uſque ad finem decimi ſaltem, ne quiſquam poſt ſacrum ordinem lapſus in peccatum carnis, quamvis dignè pœnitens, reſtitueretur miniſterio ſuo, vel ſineretur aſcendere ad gradum Eccleſiæ ſuperiorem. Eandem diſciplinam perduràſſe in Hiſpania adhuc ſub tyrannide Sarracenorum. 605.

Excurſus VIII. Qualiter à ſæculo undecimo prævaluerit doctrina illa orta ex Epiſtolis ſeu centonibus adſcriptis Calliſto & Gregorio Pontificibus Romanis, circa clericos occultè lapſos in peccatum carnis, ut poſt dignam pœnitentiam ſinantur redire ad miniſterium ordinis jam recepti. Porrò graviſſimum Cardinalem Petrum Damianum acriter pugnàſſe pro Canonibus ſacris contra incontinentiam clericorum. Exſcribitur ad longum memorabilis ſententia S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis conſulti circa eam quæſtionem. 607.

Excurſus IX. Expenditur eadem ſententia S. Anſelmi circa clericos lapſos, conſentaneè quibuſdam Canonibus Conciliorum Ilerdenſis & Toletani ſupramemorati, ejuſque praxis quoad peccata occulta dignè expiata uſque in hodiernum diem: non autem quoad peccata publica, ſive aliis orta, in materia carnis; quicquid ſit de criminibus hæreſeos & ſchiſmatis. Porrò in his Eccleſiam olim diſpensàſſe intuitu magni cujuſpiam boni, & ad vitandum graviſſimum malum. Illuſtris locus S. Auguſtini id confirmans expenditur. 609.

Excurſus X. Eccleſiam ſeverè ſe geſſiſſe cum clericis lapſis, non deſperatione indulgentiæ, ſed zelo diſciplinæ. Diſpensàſſe nonnunquam cum iis ex cauſſa publica, & valdè neceſſaria, etiam venientibus ex hæreſi, aut ſchiſmate, ut permanerent in ordine jam recepto: non tamen cum lapſis palam in peccatum carnis, aut crimen id manifeſtè confitentibus. 611.

Excurſus XI. Recapitulantur, ſeu in epitomen rediguntur, præcipua eorum quæ in ſuperioribus fuſiùs tractata ſunt. Nonnihil etiam de relaxatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ erga clericos incontinentes ab ineunte XIII. ſæculo, & deinceps uſque modò. Qualiter Concilium Tridentinum ſacros circa id Canones inſtaurandos & exſequendos curaverit, & eam curam graviſſimis verbis injunxerit Epiſcopis. Plurimos eorum egregiè curàſſe illorum obſervantiam poſtea, ſed minùs felici ſucceſſu quàm opus eſſet. Summùm nactos fuiſſe, ut occultè lapſi dignam pœnitentiam agerent, & ex toto corde converterentur ad Deum, antequam redirent ad exercendum ſacrum ordinem. Porrò idipſum à paucioribus lapſorum fuiſſe impetratum, pleriſque fortaſſis abſque digna pœnitentia, aut etiam poſt relapſum, audentibus ſe ingerere divinis myſteriis temerè ac præproperè. Refellitur paradoxon immane quorundam plus nimio in ea parte conſcientias laxantium. 613.

Excurſus XII. Quàm ſublimiter ſentire oporteat de ſtatu clericali, & quibuslibet ordinibus ſacris, ut nemo criminoſus, & præſertim impudicus, illos accipere aut adminiſtrare præſumat. Quantum ſibi metuere debeant, & quot malorum cauſſa ſint, quicumque indignis aut libidinoſis hominibus ſuffragium, auxilium, aut conſilium præbent, ut in Epiſcopatum, ſacerdotium, vel quemvis alium ex ſacris ordinibus promoveantur. Ipſi quoque ordinandi qualiter ſe gerere debeant ne labantur à primo uſu rationis in aliquod crimen, præſertim carnis. Quid ſi ceciderint ante ſacrum ordinem receptum? Quid ſi poſtea? idque vel ſecretò, vel publicè? 616.

Excurſus XIII. Deploratio malè amiſſæ virginitatis ex S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut qui eam culpâ ſuâ perdiderunt, non audeant recipere ſacros ordines, nec adminiſtrare jam ſuſceptos, niſi priùs ingenti contritione, & magna vitæ mutatione in melius dignos pœnitentiæ fructus fecerint. 620.

Translatio Sancti Fructuoſi Compoſtellam. Auctore Hugone Archidiacono Compoſtellano. 622.

SYNODUS, quæ geſta eſt in provincia Luſitaniæ, apud urbem Emeritenſem, quæ caput ejus dignoſcitur eſſe. XII. Epiſcopis in unum collectis, die VIII. Iduum Novembris, anno XVIII. sereniſſimi Receſvinthi Regis, Erâ DCCIV. ideſt, anno Chriſti DCLXVI. 625.

Tituli Canonum. 625.

Notæ Variorum. 632.

EPISTOLA Innocentii III. ad Petrum Compoſtellanum Archiepiſcopum. 633.

Opuſculum Paulli Diaconi Emeritenſis, De vita Patrum Emeritenſium, ex Mss. Gotthicis & Latinis editum à D. Thoma Tamajo de Vargas. 639.

Caput I. Auguſtus puer, miniſter Eccleſiæ ſanctæ Eulaliæ Emeritenſis, moriturus ducitur ad tribunal gloriæ. 640.

Caput II. Monachus Caulianenſis apud Emeritam monaſterii morti proximus ex ebrio & fure ad Dominum converſus. 641.

Caput III. Nunctus Abbas Africanus Emeritam veniens à ſceleratis eſt occiſus: qui poſt à dæmone ſunt correpti. 642.

Caput IV. Paullus medicus natione Græcus fit Epiſcopus Emeritenſis: mulierem ex partu laborantem ſanat. 643.

Caput V. Fidelis natione Græcus, filius ſororis Paulli Epiſcopi Emeritenſis, vivente avunculo ſubrogatur in Epiſcopatu. 644.

Caput VI. Fidelis Epiſcopus poſſeſſiones ſuas reliquit Eccleſiæ S. Eulaliæ: clericos à ruinæ periculo liberat. 645.

Caput VII. Fidelis Epiſcopus viſus intereſſe ſacrorum choris. 645.

Caput VIII. Fidelis Epiſcopus viſione admonitus, bonis in pauperes diſtributis, migrat ad Dominum. 646.

Caput IX. Maſſona natione Gotthus, nutritus in Eccle-

Eccleſia S. Eolaliæ, ſuccedit Fideli in Epiſcopatu. Xenodochium & monaſteria ædificat. 647.
Caput X. Leovigildus Rex Wiſi-gotthorum Arianus ſtudet avertere Maſſonã Epiſcopum Emeritenſem à Fide Catholica. 648.
Caput XI. Sunna Pſeudo-Epiſcopus Emeritenſis Arianus diſputatione publica victus à Maſſona. 648.
Caput XII. Maſſona Toletum à Rege vocatus, recuſans dare tunicam S. Eulaliæ, in exſilium miſſus equum ferocem domat. 650.
Caput XIII. Nepopis Pſeudo-Epiſcopus Arianus in Emeritâ ſubſtitutus. Maſſona verò in monaſterio per triennium exſul miraculis claret. 651.
Caput XIV. Leovigildus Rex percuſſus à S. Eulalia, Maſſunam reſtituit Eccleſiæ Emeritenſi. 652.
Caput XV. Fugienti Nepopi Pſeudo-Epiſcopo Maſſona res Eccleſiæ recuperat. 652.
Caput XVI. Leovigildo Regi in hæreſi mortuo, Reccaredus filius Catholicus ſucceſſit. 653.
Caput XVII. Sunnæ Pſeudo-Epiſcopi fraude cùm à Witterico Comite Maſſona gladio peteretur, miraculo liberatus. 653.
Caput XVIII. Iterum Maſſona liberatur ab Inſidiis Sunnæ ope Claudii Ducis Emeritenſis. Sunna pertinax & exſul moritur in Mauritania. Vacrila ſocius criminis fit mancipium Eccleſiæ. 654.
Caput XIX. Narbonenſis tumultus Arianorum ab Epiſcopo Athaloco excitatur, compreſſus eſt operâ Reccaredi Regis. 655.
Caput XX. Maſſona valdè ſenex factis eleemoſynis moritur, Eleutherio archidiacono ex prædictione viri ſancti præmortuo. 655.
Caput XXI. Poſt Maſſunam Innocentius diaconus fit Epiſcopus Emeritenſis, & poſt illum Renovatus: uterque clarus miraculis. 656.
Nota Cardinalis de Aguirre ad Lectorem. 657.
Præfatio Juliani Pomerii Toletanæ ſedis diaconi, in librum Ildephonſi ejuſdem ſedis Archiepiſcopi, De laude intemeratæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ei viſibiliter in die Aſſumptionis ſuæ apparuit, veſtimentumque ei dedit. 658.
CONCILIUM Toletanum XI. XIX. Epiſcoporum, in quo ſedium Epiſcopalium diviſio facta eſt, anno IV. Wambani Regis, VII. Idus Novembris, anno Redemptoris noſtri DCLXXV. tempore Adeo-dati Papæ. Eſt Provinciale. 660.
Tituli Capitulorum. 660.
Præfatio. 660.
Capitula. 663.
Subſcriptiones. 668.
Notæ Variorum. 668.
CONCILIUM Bracarenſe III. quod factum eſt ſub anno IV. glorioſi domini noſtri Wambani Regis, Erâ DCCXIII. ideſt anno Chriſti DCLXXV. 675.
Tituli Capitulorum. 675.
Subſcriptiones. 678.
Notæ Variorum. 678.
CONCILIUM Toletanum XII. XXXV. Epiſcoporum, ad Regem confirmandum, circa tempora Agathonis Papæ habitum, anno primo orthodoxi atque ſereniſſimi domini Ervigii Regis, V. Idus Januarii, anno Redemptoris noſtri DCLXXXI. Erâ DCCXIX. 681.
Tituli Capitulorum. 681.
Capitula. 683.
Subſcriptiones. 687.
Lex edita in confirmatione Concilii Toletani, ſub die octava Kalend. Februarii, anno primo Ervigii Regis. 689.
Notæ Variorum. 689.
CONCILIUM Toletanum XIII. XLVIII. Epiſcoporum, actum anno IV. Ervigii Regis, Erâ DCCXXI. anno Domini DCXXCIII. ſub Leone Papa II. 694.
Symbolum Nicæni Concilii. 795.
Tituli Capitulorum. 696.
Subſcriptiones. 702.
Lex in confirmatione Concilii edita à Flavio Ervigio Rege. 704.
Notæ Variorum. 705.
Admonitio Cardinalis de Aguirre ad Lectorem. 700.
EPISTOLA I. Leonis II. Papæ ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ. 711.
Notæ Severini Binii. 712.
EPISTOLA II. ad Quiricum Epiſcopum. 713.
Notæ Severini Binii. 713.
EPISTOLA III. ad Simplicium Comitem. ibid.
EPISTOLA IV. ad Ervigium Regem Hiſpaniæ. 714.
EPISTOLA Benedicti II. Papæ ad Petrum Notarium Regionarium. Monet illum ut Acta ſynodalia ſexti Concilii (quorum gratiâ à Leone II. in Hiſpanias miſſus erat) Epiſcoporum Hiſpaniæ ſubſcriptione muniri curet. 716.
CONCILIUM Toletanum XIV. XVII. Epiſcoporum, Erâ DCCXXII. anno V. Ervigii Regis, Chriſti Redemptoris DCLXXXIV. celebratum ſub Benedicto II. 717.
Tituli Capitulorum. ibid.
Canones. ibid.
Notæ Garſiæ Loaïſæ. 720.
CONCILIUM Toletanum XV. LXI. Epiſcoporum, anno Domini DCLXXXVIII. tempore Sergii Papæ celebratum. 721.
Subſcriptiones. 728.
Notæ Garſiæ Loaïſæ. 729.
CONCILIUM Cæſar-auguſtanum III. tempore Sergii Papæ I. celebratum anno Domini DCXCI. nunc denuò collatum cum Ms. D. Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, qui illud exſcripſit ex Codice Æmilianenſi. 732.
Tituli Capitulorum. ibid.
Præfatio. ibid.
Canones. 733.
Notæ Garſiæ Loaïſæ. 734.
CONCILIUM Toletanum XVI. LIX. Epiſco-

po-

porum celebratum Erâ DCCXXXI. ideſt anno Chriſti DCXCIII, 735.
Tituli Capitulorum. ibid.
Præfatio. ibid.
Canones. 740.
Decretum Flavii Egicæ Regis, 746.
Subſcriptiones. ibid.
Notæ Variorum. 748.
CONCILIUM Toletanum XVII. tempore Sergii Papæ I. anno Domini DCXCIV. celebratum. 752.
Tituli Capitulorum. ibid.
Regula ſanctæ Fidei decurrente Imperii anno religioſiſſimi ac ſereniſſimi Domini Egicani Regis ſeptimo, ſub die quinto idus Novembris, Erâ DCCXXXII. 752.
Canones. 754.
Lex in confirmatione Concilii edita. 758.
Sententiæ quæ in veteribus exemplaribus Conciliorum non habentur, ſed à quibuſdam in ipſis inſertæ ſunt, 758.
Notæ D. Loaïſæ. 760.
CONCILIUM Toletanum XVIII. tempore Wittizæ Regis celebratum anno Domini DCCI. ſub Joanne VI. 763.
Nota Card. Baronii, ibid.

DISSER.

DISSERTATIO PRIMA
ALIAS XVI.

Quonam tempore & anno celebratum fuerit Concilium Eliberitanum.

Ubi plura ad Chronologiam & Hiſtoriam ſpectantia.

DECREVERAM progreſſu Tomi I. hanc ipſam quæſtionem ex inſtituto profligare, ac nonnullas alias, ſaltem poſt Commentarios ejuſdem Concilii Eliberitani. Sed cùm ad finem illorum deveniret typographus, viſum eſt volumen illud juſto majus evaſurum, ac mole ſua terrorem vel faſtidium lectoribus illaturum. Quapropter eas Diſſertationes initio hujus ſecundi Tomi præfigendas cenſui, ac præcipuè propoſitam in ipſa epigraphe, quæ multorum ingenia torſit, & vexat uſque modò. Ex dicendis verò in illa ſpero extricandos plures Chronographiæ & Hiſtoriæ nodos ſatis irretitos, & non parum addere obſervationibus iis, quas ſummo vir ingenio & eruditione Ferdinandus de Mendoza protulit, præſertim libro primo Commentariorum in idem Concilium cap. 2. & 3.

EXCURSUS I.

Quorundam errata, & variorum opiniones, atque in iis D. Loaïſæ, referuntur & refelluntur. Oſtenditur, Concilium Eliberitanum non fuiſſe celebratum eodem tempore quo Nicænum, nec poſtea.

2. IN hac re mirum, quantum nonnulli aberrârunt: ſed omnium maximè nonnulli Anglorum, qui teſte Alano Copo dialogo quarto, dixerunt, Concilium Eliberitanum circa annum MCC. celebratum fuiſſe. Verùm ad refutandum adeò immanem errorem nullo allo argumento opus eſt, quàm ipſis codicibus manuſcriptis, quorum plurimi exſtantes in Hiſpania præſeferunt antiquitatem longè majorem, literis Longobardis & Gotthicis. Ac certè ille, qui ex Regio & antiquiſſimo S. Æmiliani Monaſterio delatus fuit à Philippo II. ad Bibliothecam D. Laurentii in Scoriali, dictus Albeldenſis, ſeu Wigilanus, ſcriptus Erâ MXIV. ideſt anno Chriſti CMLXXVI. præcedit duobus ſæculis tempus ab iis erronibus aſſignatum eidem Synodo.

3. Secundò Magdeburgenſes, teſte Arnaldo Pontaco in Chronologia, ſub anno Chriſti DCCXCIV. voluerunt, Id Concilium celebratum fuiſſe circa annum DCC. Nimirum intererat maximè illorum negare, aut occultare antiquitatem ejus Synodi, in qua tot Eccleſiæ dogmata, traditiones, Canones Pœnitentiales, & ſalutaria decreta contra eorum inſanias à priſcis ſæculis præſcribuntur. Sanè vel ſola illa ſacra nomina Valerii, Oſii, & aliorum Epiſcoporum ſubſcribentium Canonibus (abſdubio editis durante, aut imminente Gentilium perſecutione) palam oſtendunt antiquitatem longè majorem, & ſub Imperatoribus ethnicis; ac proinde ſaltem intra quartum ſæculum Eræ Chriſtianæ. Verùm mittamus ejuſmodi deliramenta, potiùs riſu digna, quàm impugnatione ſeria: & accedamus ad veroſimiles aliorum opiniones.

4. Tertiò Joannes Vaſæus illud refert ad annum CCCXXXVIII. ſicuti & Petrus Gregorius libro 22. Syntagm. cap. 13. ad an. CCCXXXVI. Eorum opinio fundamentum aliquod habet in quibuſdam antiquis ſcriptoribus, veluti Sozomeno lib. 1. *Hiſtoriæ Eccl.* cap. 16. Photio in libro *De ſeptem Conciliis*, Beda *De temporibus* cap. 65. Nicephoro lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 14. ac Gratiano diſt. 16. cap. *Sexta Synodus*: qui omnes volunt Concilium Nicænum fuiſſe habitum ſub Julio I. Papa: ac proinde non ante annum CCCXXXVI. quo is Pontifex electus fuit. Cumque aliorum judicio, & multis Codicibus manuſcriptis, vulgatum ſit, Concilium Eliberitanum fuiſſe coactum paullò poſt Nicænum, conſequens apparet, ut & illud tempore Julii Papæ fuerit celebratum, ac proinde anno CCCXXXVI. vel paullò poſtea.

5. Sed enim totum id ex aperto errore in Chronographia & hiſtoria Eccleſiaſtica procedit, juxta quam res explorata eſt, & in confeſſo jam

diu apud omnes viros doctos, Concilium Nicænum fuiſſe celebratum ſub Sylveſtro, cui ſucceſſit αὐτίκα Marcus Papa, & ſubinde Julius anno CCCXXXVI. Id apertè tradunt Euſebius (qui interfuit eidem Concilio) in Chronico, Hieronymus in ejus continuatione, Socrates lib. 2. cap. 27. Theodoretus *Hiſt. Eccl.* lib. 1. cap. 3. & Gelaſius Cyzicenus lib. 1. palam afferentes, aut ſatis indicantes, Nicænam Synodum cœptam fuiſſe Coſſ. Paullino & Juliano. Conſtat ex Concilio Chalcedonenſi Actione ſecunda (apud Labbeum Tomo IV. col. 340.) ubi legitur titulus: *Expoſitio Fidei Concilii habiti in Nicæa.* Ibi enim initio antequam recitetur Symbolum Fidei, dicitur: ἐν ὑπατείᾳ Παυλίνου καὶ Ἰουλιανοῦ τῶν λαμπροτάτων, ἔτους ἀπὸ Ἀλεξάνδρου χλϛ´, ἐν μηνὶ Δαισίῳ ιθ´, τῇ πρὸ ιγ´ καλανδῶν Ἰουλίων, ἐν Νικαίᾳ τῇ μητροπόλει Βιθυνίας. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν, &c. *Conſulatu Paullini & Juliani virorum clariſſimorum Coſſ. anno poſt Alexandrum ſexcenteſimo triceſimo ſexto, menſis (ſecundùm Græcos) Deſii, die nonodecimo, qui eſt tertio decimo Kalendarum Juliarum, in Nicæa metropoli provinciæ Bithyniæ. Credimus in unum Deum, &c.* Paullinum autem & Julianum (aliàs Anicium Fauſtum Paullinum, & Julianum Cameninum, juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos) intra Pontificatum Sylveſtri, Conſules fuiſſe anno CCCXXV. exploratum eſt. Denique Concilium ipſum finitum ſub Sylveſtro Papa, conſtat ex ipſius reſcripto ad eandem Synodum, in quo ejus Acta probat. Dato igitur, aut permiſſo, Concilium Eliberitanum fuiſſe eodem tempore celebratum ac Nicænum, perperam illud refertur ad annũ CCCXXXVI. vel CCCXXXVIII. in quibus jam erat Pontifex Julius.

6. Quartò, Ambroſius de Morales libro duodecimo *Hiſtoriæ Hiſp.* cap. 31. magnus ille Antonius Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum Blancam, Illuſtriſs. Loaïſa in Notis pag. 22. & apud ipſum Stephanus Garybajus, cenſent coactum eodem tempore quo Nicæna Synodus, & Erâ CCCLXII. immo & poſt eam celebratam, ut Loaïſa addit. Ducuntur aliquot manuſcriptis antiquis, in quibus Era prædicta ponitur.

7. Verùm ut concedam in eorum doctiſſimorum hominum ſententiam, plura obſtant, meo judicio decretoria. Imprimis quòd Concilium Eliberitanum fuerit celebratum eodem tempore quo Nicænum, immo poſt Nicænum, & tamen Erâ CCCLXII. coactum ſit, ἀσύστατα planè ſunt, ſivè invicem pugnantia. Nicænum enim habitum fuit anno CCCXXV. ac proinde Erâ CCCLXIII. ut oſtenſum fuit nuper ex Actione ſecunda Concilii Chalcedonenſis, & teſtatur Socrates lib. 1. cap. 9. fine, ex Annalium Commentariis, veluti rem prorsùs exploratam. Non ergo potuit Eliberitanum celebrari anno præcedenti CCCXXIV. cui reſpondet Era CCCLXII. ſi ponitur celebratum eodem tempore, aut poſt illud, uti auctores citati volunt. Quem parachroniſmum miror Loaïſæ diligentiam fugiſſe, niſi fortè abductus fuerit opinione quorundam veterum, jam deſertâ ab omnibus Chronographis, referentium Concilium Nicænum ad annum Chriſti CCCXXIV. Quòd ſi quis pervicaciter contendat, Eliberitanum fuiſſe coactum Erâ CCCLXII. ut ponitur ab iis auctoribus; fateatur neceſſe eſt, fuiſſe celebratum anno proximè præcedente CCCXXIV. ac proinde ante Nicænam Synodum: quod ii auctores negant.

8. Præterea, ſive ponatur Nicæna Synodus coacta anno CCCXXV. uti ferè omnes volunt, ſive anno præcedenti CCCXXIV. non potuit eodem anno cogi poſt illam Eliberitanum Concilium præſente Oſio. Hic enim Apoſtolicæ Sedis nomine præſedit Synodo Nicænæ, quæ utrovis eorum annorum inchoata fuerit, non fuit abſoluta niſi triennio elapſo, ſi fides habenda ſit multis ſcriptoribus Græcis, & præſertim Anonymo apud Lipomanum tom. VI. allegantí Alexandrum, quem ait ſcripſiſſe Acta ejus magnæ Synodi, & teſtanti eam duraſſe triennio ac ſex menſibus. Idipſum ferè habet Gelaſius Cyzicenus in Commentariis Actorum ejuſdem Synodi, parte ſecunda, dicens de Conſtantino Auguſto: *Sexto quidem decimo anno, & ſexto menſe regni ſui, JUXTA VETERES HISTORIAS, ut ſuprà diximus* (nimirum cap. 5.) *ſanctum Epiſcoporum Concilium congregavit: anno verò viceſimo, cùm Synodi conventum diſſolviſſent, in ſuas parœcias, ut dictum eſt, unumquemq; dimiſit.* Audis id Concilium perduraſſe ab anno decimo ſexto uſque ad viceſimum Imperii Conſtantini, ac proinde pluſquam tribus annis interjectis. Nicephorus quoque lib. octavo *Hiſtoriæ* cap. viceſimo ſexto, juxta verſionem & partitionem Joannis Langi, quâ utor, inquit: *Synodus verò ipſa Nicææ annis tribus, & paullò longiùs eſt acta. Et res Nicææ talem habuere finem.* Favetque eidem opinioni Caſſiodorus in Chronico, quatenus ait illam ſub conſulatu Januarii & Juſti habitam fuiſſe; qui certè incidit in annum CCCXXVIII. Imperii verò Conſtantini XXI. & XXII. nimirum, perfectam aut finitam. Si, inquam, fides habenda ſit iis auctoribus, corruit ſententia D. Loaïſæ. Incredibile enim eſt, Oſium primarium inter Legatos Sedis Apoſtolicæ, Concilii Præſidem, Conſtantioo ipſi, & omnibus Patribus ſummè venerandum, non adſtitiſſe Niceæ toto eo tempore: nimirum ab anno CCCXXV. uſque ad CCCXXVIII. in quo ea Synodus finem habuit. Quomodo ergo potuit anno CCCXXIV. aut CCCXXV. in quo ponitur initium Concilii Nicæni, eo jam celebrato, intervenire Eliberitanæ Synodo in Hiſpania, adeò remota à Nicæa urbe, & cum aliis Patribus ſubſcribere?

9. Sed ſinamus falſam eſſe illam Gelaſii, Nicephori, aliorumque ex Græcis opinionem mox relatam. Ponamus præterea cum Baronio, inchoatam & abſolutam fuiſſe anno CCCXXV. prout colligitur ex Euſebio lib. 3. *De Vita Conſtantini*. cap. 14. & lib. 4. cap. 40. & 47. Adhuc vera eſſe nequit opinio Loaïſæ arbitrantis poſt peractam Synodum Nicænam, eodem anno celebratam fuiſſe Eliberitanam. Imprimis enim nonnulli colligunt ex Epiſtola Synodica Concilii

Gan-

Gangrenſis, Oſium finito Concilio Nicæno profectum fuiſſe Nicæâ Gangras ad Synodum illam celebrandam: utpote cùm inter Patres inibi præſentes numeretur: licèt non in omnibus exemplaribus ejus Concilii, ſed in quibuſdam tantùm: uti videre eſt Tomo II. Collectionis Labbeanæ col. 414. & 415. Fieri autem non potuit, ut intra paucos menſes ejuſdem anni Oſius Nicæâ Gangras, atque inde Eliberim ſe conferret. Verùm dato quòd Concilium Gangrenſe fuerit celebratum multò ante aut poſt Nicænum, tam celerem reditum in Hiſpaniam non patitur nimia locorum diſtantia, & brevitas temporis. Nicephorus libro citato cap. 15. ut indicaret ex quàm diſſitis regionibus conveniſſent Patres Nicæam, dixerat: *Ab ipſis quoque Hiſpanis Oſius, videlicet celeberrimus ille, unà cùm aliis ibidem conſidebat.* Unde palam infertur, non potuiſſe Oſium eodem anno celebratæ Synodi Nicænæ accedere Eliberim, & intereſſe ejus Concilio. Nicænum enim inchoatum fuit decimo tertio die ante Kalendas Julii, ut teſtatur Synodus Chalcedonenſis; ſive undecimo, ut habet Socrates locis citatis. Dies autem, in quo Nicæna fuit finita (ſive eodem anno, ſive tribus poſtea elapſis) fuit octavus ante Kalendas Septembris: ut legitur in vetuſtiſſima Collectione Creſconiana, ex teſtimonio Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani. Difficillimum autem eſt, ne dicam ἀδύνατον, à die octavo ante Kalendas Septembris uſque ad finem ejuſdem anni fuiſſe tempus ſufficiens, ut Oſius, expeditis omnibus negotiis, & communicatis cum Imperatore Conſtantino (cui chariſſimus ac maximè venerandus erat) & tranſmiſſis tot regionibus interjectis, Nicæâ Eliberim accederet, inibique convocatis reliquis Epiſcopis Concilium celebraret, niſi celerrimis ventorum alis advectus fuiſſet.

10. Certè juxta Coſmographos, & nominatim juxta Geographiam Synodicam, nuper editam ex conatibus Geographicis Gulielmi Sanſon Tomo XVI. Collectionis Labbeanæ, nulla ex urbibus, in quibus hactenus Concilia Oecumenica celebrata ſunt, æquè diſtat ab Eliberi, ſive terrâ ſeu mari, ac Nicæa, ultra Conſtantinopolim & Chalcedonem ſita, juxta Sangarium fluvium, non procul à Ponto Euxino, & in ipſa regione Bithyniæ. Ambæ nimirum urbes invicem diſtantes collocantur quadraginta quinque circiter gradibus, qui æquivalent milliaribus Italicis bis mille trecentis ſexaginta duobus. Longa equidem via, & nimia diſtantia eſt hæc, ut tranſmitti potuerit ab Oſio, jam tum ſexagenario ut minimum, intra quatuor poſtremus menſes anni CCCXXIV. aut CCCXXV. relicto etiam tempore, ut intra illos Eliberitana Synodus, ſatis longa, & Canonibus copioſa, celebraretur. Quid ſi addamus, ex fide Codicum Juſtelli, Hardyi, & aliorum, ac juxta Collectionem Labbei Tomo II. col. 414. Oſium interfuiſſe Synodo Gangrenſi apud Paphlagoniam, quæ ab omnibus ponitur celebrata tempore Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris, ac fortaſſe immediatè poſt Nicænam? Id enim ſatis veroſimile apparet, cùm Oſius eo tempore à Sylveſtro R. Pontifice miſſus fuerit legatus in Orientem, ut omnem ſtatum Eccleſiarum labantem componeret: ac proinde ſatis conſonum veritati appareat, ut celebrata Synodo ſummi momenti, qualis fuit Nicæna, inde Gangras progrederetur; urbem non valdè procul inde diſtantem, in Paphlagonia, quæ eſt pars Aſiæ minoris. Si autem id ſemel ponatur, longè difficilior erit reditus Oſii in Hiſpaniam eodem Concilii Nicæni anno.

11. Ulteriùs, incredibile apparet Eliberitanam Synodum celebratam fuiſſe poſt Nicænam, ſive eodem anno, ſive alio ex ſequentibus. Etenim in Nicæna traditum fuerat celeberrimum Fidei Symbolum, quod fuit Catholicæ Eccleſiæ præcipua teſſera contra Arium & gregales. Traditum (inquam) fuit, hortante imprimis magno Oſio, ipſius Synodi Principe: ut teſtatur S. Athanaſius, qui aderat, in Epiſt. *ad ſolitariam vitam agentes*. Certum autem prorſus apparet, ſi poſtea celebratum fuit Concilium apud Eliberim, curaturum eundem Oſium, ut inibi quoque idem Symbolum à ſe conditum, & ſolenniter editum in magna Synodo Nicæna, reciperetur proferreturque. At id factum non eſt, neque ulla in Actis Eliberitani Concilii mentio exſtat, vel ejus Symboli, vel myſterii Trinitatis, vel τοῦ ὁμοουσίου contra Arium. Signum itaque manifeſtum eſt, Concilium Nicænum non fuiſſe ante Eliberitanum. Immo & hoc fuit antequam hæreſis Arii inciperet, aut ſaltem priuſquam aliquid de illa ſciretur. Non enim excitata fuit controverſia inter Alexandrum Præſulem Alexandriæ, & impiiſſimum Arium, circa ſolidam Deitatem Chriſti, uſque ad annum CCCXVII. Conſulatu Ovinii Gallicani & Septimii Baſſi, anno XI. & XII. Imperii Conſtantini.

12. Denique idipſum uberiùs conſtabit ex dicendis ſtatim Excurſu ſequenti, ubi demonſtrabitur, Eliberitanum Concilium fuiſſe antiquius Imperio Conſtantini, ac proinde Nicæna Synodo, quæ ἀναμφισβητήτως ſub illo celebrata fuit.

13. Opponunt aliqui Codices Mss. Regiæ Bibliothecæ S. Laurentii, & duos alios Eccleſiæ Toletanæ, in quibus dicitur, Eliberitanam Synodum fuiſſe habitam eodem tempore ac Nicænam, & nominatim Erâ CCCLXII. In re autem adeò antiqua ſtandum eſſe antiquiſſimis exemplaribus, & nihil ex conjectura aſſerendum.

14. Verùm hoc non urget. Nam imprimis Codices illi non excedunt antiquitatem DCC. annorum, ſcriptique fuerunt ſex circiter ſæculis poſt Synodum Nicænam, atque eo tempore, quo nulla ferè eruditionis, aut Chronologiæ cura erat apud Hiſpanos; ſed ſolùm *armorum ſtrepitus, & fera prælia*. Quare exſcriptores eorum Codicum facilè potuerunt errare, addito iis ex conjectura tempore alio, quàm oporteret. Nimirum Codex Wigilanus Regii & antiquiſſimi Monaſterii S. Æmiliani, in Bibliothecam S. Laurentii delatus à Philippo II. ſcriptus fuit à Wigila monacho Albeldenſi Erâ MXIV. ideſt anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo ſexto: alter ejuſdem Bibliothecæ, qui appellatur Hiſpalenſis, ſcriptus dicitur duodecim retrò annis, intra idem ſæculum decimum:

mum: ex Toletanis verò antiquiſſimus, dictus Lucenſis, ſcriptus ab Ayſtrulpho, ſive Michaële Dens, non habet certum annum. Denique intra ſæculum quartum non erat uſus adhibendi Eram, vel nomina Imperatorum in Conciliis, aliiſque ſcripturis, ſed Conſulum dumtaxat. Itaque exſcriptores eorum codicum, Wigilani & Hiſpalenſis, dum addidere in limine Concilii Eliberitani Eram CCCLXII. aut nomen Imperatoris Conſtantini, aut ſub ejus Imperio fuiſſe celebratum, eodem tempore ac Nicænam Synodum, procul dubio falſi ſunt.

EXCURSUS II.

Uberiùs oſtenditur major antiquitas Concilii Eliberitani, quàm Nicæni, immo & quàm pacis Eccleſiæ à Conſtantino datæ: ut proinde ſaltem ante annum CCCXIII. & fervente adhuc perſecutione, celebratum fuerit. Objectiones quorumdam, & in iis Stephani Baluzii, refutantur.

15. POTISSIMUM Argumentum, idque *évavtiſſimum*, quo extorquetur major antiquitas Concilii Eliberitani, quàm Nicæni, immo & quàm pacis datæ à Conſtantino Magno, deſumitur ex multis illius Canonibus ſeu Capitulis, quæ palam oſtendunt, quo tempore condebantur à Patribus Eliberitanis, crudelem perſecutionem adversùs Chriſtianos viguiſſe, ab ethnicis illatam. Hoc enim declarant Canones I. II. III. IV. XXV. XLI. LV. & LX. in quibus totidem decreta exſtant de iis qui poſt baptiſmum idolis immolaverunt; de Flaminibus ethnicorum baptizatis, ſive adhuc catechumenis, qui idolis ſacrificium aut munera obtulerunt; de Epiſtolis communicatoriis Confeſſorum, ſive Martyrum, quas lapſis tribuere ii ſolebant; de idolis non habendis domi; de ſacerdotibus Gentilium, qui jam non ſacrificant; de iis, qui deſtruentes idola occiduntur. Manifeſtum itaque eſt, ea decreta fuiſſe ab Eliberitanis Patribus edita, quo tempore crudeliter ethnici in Chriſtianos deſæviebant, ac proinde ſaltem ante annum Chriſti CCCXIII. Nam anno CCCXII. qui fuit primus Melchiadis Papæ, & ſeptimus Imperii Conſtantini, jam hic victo Maxentio Tyranno, & pace Eccleſiæ reddita, ediderat varia reſcripta pro Chriſtianis: ut legere eſt apud Euſebium libro decimo *Hiſtoriæ* cap. 1. 6. & 7. Unde & conſequens eſt, id Concilium fuiſſe peractum ſaltem ante prædictum annum Chriſti CCCXIII. utpote fervente adhuc perſecutione.

16. Urgetur id ipſum illuſtri teſtimonio S. Innocentii I. Papæ, qui cœpit Eccleſiam regere ſub initium ſæculi ſequentis, ideſt anno CCCCII. in Epiſtola celebri ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, qui Sedem Apoſtolicam conſuluerat circa varias quæſtiones: ac nominatim, *quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam, ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt*. Reſpondit verò ſtatim Pontifex, ſatis indicans Concilii Eliberitani decreta, præſertim 7. 47. 64. & 65. illorum, quamvis ſuppreſſo nomine: *De his obſervatio prior durior;* (nimirum qua PP. Eliberitani iis peccatoribus communionem negant, etiam in fine vitæ) *poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut eis concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur. NAM CUM ILLIS TEMPORIBUS CREBRÆ PERSECUTIONES ESSENT, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu; NEGATA MERITO COMMUNIO EST, conceſſa pœnitentia, ne totum penitùs negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis; & ne Novatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio: ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.*

17. Hæc inibi Innocentius, quæ non modò illuſtrant Canones plures hujus Concilii, nec ſolùm illius Patres eximunt ab omni Novatianiſmi ſuſpicione ob negatam pluribus lapſis communionem in extremo vitæ: ſed etiam palam oſtendunt, ea decreta prodiiſſe apud Eliberim, *cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent*: ac proinde ante annum ſaltem CCCXIII. quo jam Eccleſia tota fruebatur optata pace. Vide plura huc ſpectantia ſuprà apud eruditiſſimum Mendozam libro 1.

18. Et quidem longè ampliùs deferendum eſt huic teſtimonio, quàm variis conjecturis V. Cl. Stephani Baluzii, qui Tomo I. novæ Collectionis pag. 23. multis adſtruere conatur, Concilium hoc paullò ante Nicænum fuiſſe habitum in media Eccleſiæ pace. Etenim Canones ſuprà indicati num. 15. denotant fervorem perſecutionis, & ſummum periculum labendi in cultum idolorum ob vim à tyrannis illatam. Unde longè aliter in iis ſermo eſt de lapſis, quàm in Conciliis Valentino anni CCCLXXIV. & Arelatenſi II. anni CCCCLII. Canone X. immo & quàm in Ancyrano anni CCCXIV. paullò poſt pacem à Conſtantino datam: quorum exemplo utitur Baluzius, ut ſolvat argumentum præjactum, immo & in nos regerat. Ancyranum enim in Canonibus ſuis iteratò adſcribit pœnam iis ſolùm, qui jam antea in perſecutione ſacrificaverant, & ad idola pranſi ſunt, & ſuppliciis aut minis ceſſerunt, &c. nimirum in perſecutione ethnicorum, quæ paullò antè præceſſerat. Itaque non comminatur Synodus illa pœnam aliquam iis, qui poſtea laberentur in perſecutione (quæ jam nulla erat) ſed ſolùm indicit pœnam ob præteritum lapſum exſequendam. Canones autem Eliberitani comminantur pœnam ob lapſum futurum: veluti Can. I. *ei qui ad templum immolaturus acceſſerit*. Can. II. Flaminibus, *qui triplicaverint facinus*. Can. III. Flaminibus, *qui non immolaverint*,

rint,

rint, ſed munus tantùm dederint, &c. Quæ ſanè denotant urgentem tunc perſecutionem. Quod verò idem Baluzius opponit etiam Canones Neocæſareenſes anni ejuſdem CCCXIV. præter rem omnino eſt, cùm in iis nec verbum habeatur contra eos qui à fide lapſi fuerant, aut de cætero laberentur.

19. Quòd ſi verò aliquis excipiat, Innocentium non fuiſſe loquutū de conſuetudine negandi communionem lapſis quibuſdam morientibus, tempore Concilii Eliberitani, ſed multò antea, tempore S. Cypriani; facilè refelletur. Nam, ut conſtat ex eodem Gypriano Epiſtolâ octavâ ad Cornelium Papam, ipſe longè aliter cenſuit, quàm poſtea Eliberitani Patres arbitrati ſunt. Ibidem enim aliquantò poſt medium invehitur contra Novatianum, veluti *diſcuſſionis & zeli recrudeſcente inſania*, negantem lapſis omnia pietatis officia. Et præterea Epiſtolâ nonâ ad Antonianum (quæ eſt quinquageſima ſecunda apud Pamelium & Rigaltium) latiùs eundem Hæreſiarcham refellit, probatque benignam Eccleſiæ conſuetudinem admittendi lapſos poſt debitam pœnitentiam ad pacem ac communionem Eccleſiæ, & in iis Trophimum. Quamvis autem ibidem columnâ quartâ (quæ apud Labbè Tomo I. eſt 707.) diſtinguat plurimùm inter libellaticos & ſacrificantes idolis, quòd hi poſteriores longè graviùs peccaverint; ac rurſus columnâ octavâ pejores cenſeat eſſe mœchos & fraudatores (quos tamen Novatianus admittebat) quàm libellaticos; adhuc tamen concludit columnâ nonâ, non longè à fine Epiſtolæ, omnibus iis verè pœnitentibus veniam & pacem eſſe dandam. Ait enim, inter multa alia lectu digniſſima: *Neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum: cùm ſciamus, juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam peccatoribus non denegari.* Pacis autem nomine videtur intelligere communionem, ſaltem laïcam, qualem tantùm præmiſerat conceſſam fuiſſe Trophimo. Et loquens columnâ ſextâ nominatim de mœchis (in quos tam ſeverè animadvertunt PP. Eliberitani Can. VII. XLVII. LXIV. & LXV. negantes iis communionem etiam in fine) dixerat: *Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur.* Non ergo Innocentius loco citato indicavit conſuetudinem duriorem, quæ eſſet tempore S. Cypriani, ſed longè poſteriùs inductam ab Eliberitanis Patribus ſub graſſante perſecutione, ac proinde ante annum CCCXIII. qui duodecim aliis præceſſit Nicænam Synodum.

20. Denique id ipſum confirmari poſſet: quoniam ab eo an. CCCXIII. uſque ad CCCXXV. in quo Concilium Nicænum celebratum eſt, non potuit Oſius intereſſe Synodo Eliberitanæ, nec ſuæ Eccleſiæ Cordubenſi, nec eſſe in ulla regione Hiſpaniæ: cùm toto eo temporis interſtitio, & longè poſtea, diſtentus fuerit graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis apud Conſtantinum Imperatorem, & variis Romanæ Eccleſiæ legationibus, ac Conciliis plurimis in Oriente, & longiſſimè ab Hiſpania: ut ſingillatim oſtendit miro vir ingenio & eruditione D. Ferdinandus de Mendoza lib. 1. De confirmando eodem Concilio à Clemente VIII. cap. 2. ubi excurrit per varias functiones, legationeſque obitas iis annis ab ipſo Oſio: præſertim cùm is adſtiterit Conſtantino ſenenti edictum in cauſa Donatiſtarum, Sabino & Ruffino Coſs. ann. CCCXVI. ut conſtat ex S. Auguſtino in lib. ad Donatiſtas poſt Collat. cap. 33. immo & antea dum idem Imperator ederet Conſtitutionem ad Cæcilianum: quod contigit anno CCCXIII. quo primùm illius cauſſa ad Conſtantinum fuit delata: ut colligitur ex Optato Milevitano lib. 1. contra Parmenianum. Anno verò CCCXVII. conſtat ſatis ipſum in Oriente verſatum, præſertim adversùs Arium. Quapropter, ſicuti neceſſum eſt ut interfuerit Concilio Eliberitano ante Nicænam Synodum; ita etiam non poſt annum CCCXIII. maximè cùm jam tunc Eccleſiæ pax data fuiſſet à Conſtantino. Quem nodum ſatis implicitum, neſcio an facilè extricare poſſint, quotcumque oppoſitum docent.

21. Opponunt aliqui teſtimonium celebre S. Iſidori lib. 6. *Etymologiarum.* cap. 16. quaſi ibi dicat: *Canones autem Conciliorum à temporibus Conſtantini cæperunt. In præcedentibus namque annis, perſecutione fervente, docendarum plebium minimè dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes eſt ſciſſa: quia non erat licentia Epiſcopis in unum coëundi, niſi tempore prædicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Epiſcopis liberè congregari.* Hinc autem videtur palam colligi, judicio Iſidori Concilium Eliberitanum, ejuſque Canones, non fuiſſe ante pacem Eccleſiæ datam à Conſtantino, & ferveſcente perſecutione, ſed aliquantò poſtea.

22. Reſp. Iſidorum eo loco, ſi integrè legatur, prout in Mss. melioris notæ, & in Regia editione Hiſpaniæ exſtat, ac præterea in celebri Codice Vaticano n. 630. ſcripto tempore Nicolai I. Papæ, qui fuit olim Joannis Epiſcopi Atrebatenſis, non loqui de quibuslibet Conciliorum Canonibus, ſed Generalium. Sic enim habet: *Canones autem Conciliorum Generalium à temporibus Conſtantini cæperunt*, &c. Et ratio quam ſubjungit, id ipſum oſtendit. Nam difficultas ſumma, ut Epiſcopi in unum coëant ad edendos Canones perſecutione fervente, ſolùm habet locum circa Concilia Generalia ex omnibus Epiſcopis variarum nationum coacta, qui ſine ingenti mari terraque periculo & labore, nec ſe invicem convocare, nec uno aliquo loco convenire in tanto numero poſſent: ſecus verò de Conciliis Provincialibus, aut Nationalibus, quæ minori numero Patrum conſtant, & ſtrictiori locorum ſpatio coërcentur. Unde & clam convenire, & ſacras leges ſuis populis condere, abſque manifeſto periculo poterant. Et hujus generis fuit Concilium Eliberitanum, procul dubiò fervente perſecutione coactum, ac proinde ante pacem Eccleſiæ datam à Conſtantino.

23. Opponit præterea Baluzius verba Oſii ita loquentis in Canone quartodecimo (aliàs undecimo) Concilii Sardicenſis: *Memini autem ſupe-*

ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis laïcus in ea, in qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, ideſt, per tres ſeptimanas non celebraret conventum, communione privaretur. Quibus verbis procul dubiò reſpexit Oſius ad Canonem XXI. Eliberitanom, ubi dicitur: *Si quis in civitate poſitus, tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineatur, ut correptus eſſe videatur.* Hinc colligit Baluzius, Oſium in Sardicenſi Concilio loquutum de ſuperiori Concilio, cui ipſe Interfuerat; non quidem poſtremo, quod Nicænum fuit; ſed ſuperiore, ideſt, penultimo, nimirum Eliberitano. Unde & poſtea colligit, hoc fuiſſe anterius quidem Nicæno, poſterius verò Ancyrano, & Neo-cæſareenſi, quæ duo anno CCCXIV. poſt datam Chriſtianis pacem celebrata ſunt.

24. Sed enim ſi ſubtilis hęc conjectura Baluzii aliquam vim habet, potiùs iotelligendus erit Oſius iis verbis loquutus de Concilio illo, cui immediatè antea Interfuerat, quàm de eo, qui mediatè ſolùm præceſſerat. Nimirum, verba illa: *ſuperiori Concilio*, ex communi nſo loquendi apod bonos ſcriptores, denotant Concilium proximè ſive immediatè antea celebratum: ſicuti qood quiſpiam ait ſe ſuperiori anno, libro, aut capite dixiſſe, accipitur de anno, aut libro, aut capite proximè pręcedenti. Cùm ergo Baluzius aſſerat, Concilium, cui Interfuit Oſius proximè ante Sardicenſe, fuiſſe Nicænum; iotelligendns de hoc erit Oſius, non de Eliberitano, quod fatetur fuiſſe ante illud. Cumque nullo modo accipi poſſit de Nicæno, in quo id decretum non exſtat; conſequens eſt, ut nomine *ſuperioris Concilii* intellexerit quidem Eliberitanum; non tameo veluti immediatè celebratum ante Sardicenſe, immo neque proximè ante Nicænum, ſed longè antea, ſive ſoperiore, aut præcedenti, ſeu præterito tempore. Neque enim curandum, ut verba illa Oſii intelligantur juxta prædictas latinitatis leges, aut excultiorem loquendi ſtylum, à quo longiſſimè fuit Oſius: ot patet ex ipſo Concilio Sardicenſi Latinè reddito, & Eliberitano, quæ potiùs Chriſtianam ſimplicitatem præſeferunt, quàm ſtylum ad regulas Priſciani, aut Ciceronis exactom. Immo atteotis verbis ejuſdem Concilii Græcè exſtantibus, colligi videtur, decretum illud ab Oſio memoratum, multò ante Sardicenſem Synodum prodiiſſe: id eſt, non eorundem Epiſcoporum ætate, ſed patrum, ſive parentum ipſorum. Id enim denotant verba illa Canonis undecimi Sardicenſis apud Labbeum tom. 2. col. 637. μέμνησθε δὲ καὶ ὅτι τῷ παρελθόντι χρόνῳ τοῖς πατέρες ὑμῶν κεκρίκασι, &c. Quæ juxta receptam & germanam verſionem Herveti Latinè ſonant: *Recordemini autem, patres noſtros in tempore præterito judicâſſe*, &c. Itaque ſatis indicatur verbis iis, decretum illud non fuiſſe conditum tempore Epiſcoporum eorum qui Sardicam convenerunt, ſed longè antea, temoore Epiſcoporum præcedentium: qui nimirum inchoante eo ſæculo intervenerant Concilio Eliberitano ſimol cum ipſo Oſio, ot minimum quadraginta annis ante Sardicenſem Synodum: quæ coacta fuit anno Chriſti trecenteſimo qoadrageſimo ſeptimo. Eliberitana aotem trecenteſimo tertio, ut conſtabit Excurſo ſequenti. Concludimus itaque nollo ſolido argumento refelli ſententiam hactenus traditam.

25. Ex dictis corruit obiter opinio Onuphrii in Faſtis aſſerentis Concilium hoc fuiſſe celebratom anno CCCXIII. oſtenſom enim ſatis relinquimus, fuiſſe coactum vigente adhoc perſecutione: ac proinde ante annum prædictnm, in quo Eccleſia optata requie fruebatur, præſertim apud Hiſpaniam.

EXCURSUS III.

Quo tandem anno coacta fuerit eadem Synodus. Relatis opinionibus aliorum, & præmiſſis pluribus ad Chronologiam perſecutionum variarum poſt initium quarti ſæculi; concluditur, videri celebratam intra menſem Majum anni CCCIII.

26. QUAMVIS oſtenſum ſatis fuerit, Eliberitaoam Synodum fuiſſe coactam non modò ante Concilium Nicænom, ſed etiam ante pacem à Conſtantino datam, ac proinde ſaltem ante annum CCCXIII. (otpote cùm conceſſa fuiſſet anno CCCXII.) adhuc tamen reſtat inquirendum quonam certo anno ex præcedentibus celebrata ſit.

27. Communior ſententia eſt coactum fuiſſe an. Chriſti CCCV. Ita Cardinalis Baronins to. 2. ad eundem annum num. 38. Padilla 1. part. *Hiſt. Eccl. Hiſpaniæ* centuriâ quartâ cap. 5. Gordonus & Coriolanus ad eundem anoum, Saavedra in *Corona Gotthica*, cap. 2. Joanoes Dartis ad *Decretum*. diſt. 15. Severinus Binios, Philippus Labbè, & Gabriel Coſſartius in ſuis editionibus Conciliorum, & Notis ad eam Synodum.

28. Verùm omnes ii, qui Chronicon Flavio Lucio Dextro adſcriptum, & Inventum, nt ajunt, circa annum MDXCIV. tuentur, collocant cum ipſo Concilium Eliberitanum, quinquennio ante, ideſt, anno ipſo ſæculari CCC. Legendi ex iis imprimis Rodericus Caro, & Magiſter Franciſcus Bivar io Commeotariis ejos Chronici, ubi hæc habentur ad anoum CCC. *Illiberi in Bætica Concilium multorum Epiſcoporum contrahitur. Præeſt Felix Epiſcopus Accitanus. Cogitur juſſu mandatoque Melantii Toletani Pontificis, & Hiſpaniarum Epiſcopi primæ Sedis.* Conſonat Julianus, paullò poſt inventionem Dextri detectus pariter, ut dicitur, & per omnia Dextro cohæreos: nt multorum graviumque doctorumque hominum, non extra Hiſpaniam modò, ſed intra illam, haud dubia ſententia fit, utroque Chronicon eodem artifice prodiiſſe, quamquam tot ſæculis diſſiti fuerint iovicem Dexter, Jolianuſque, ſi tamen hic onquam in rerum natura fuit. Vide quæ contra ejuſmodi commenta ſæpiùs diximus cum eruditiſſimis Marchione de Mondexar, Nicolao Antonio, Joanne Luca Corteſio, Bollando, Henſchenio, Papebrochio, aliiſque tomo 1. in Notis ad librum primum Commentariorum io Concilium Eliberitanum, præſertim pag. 249. 261, & poſt.

& poſtea in librum ſecundum pag. 297. 301. & 302. Nequeo tamen hoc loci prætermittere verba illa Papebrochii tom. 7. SS. Maji pag. 394. ubi ita loquitur de artifice eorum Chronicorum, aliarumque ſimilium farraginum: *Non poteram credere relationibus ab Hieronymo Higuera de Roman acceptis, quia eum eſſe noveram INVENTOREM INFINITARUM FABULARUM* (hoc epitheto eum inſignit, licèt inſtituti ſui ſodalem) *quibus Eccleſiaſticam Hiſpaniæ hiſtoriam integro jam ſæculo inquinari, ſæpiùs dolere cogor.* Et ſtatim ferè columna ſequenti ſe accingit *refutandis Higueræ commentis.*

29. Clariſſimus interpres ejuſdem Concilii D. Ferdinandus de Mendoza in celeberrimis Commentariis lib. 1. citato cap. 2. operosè admodùm veſtigare curavit, quonam anno illud fuerit coactum. Et poſt multa ſolidè atque eruditè diſcuſſa, concludit non longè à fine ejuſdem capitis: *Non potuit igitur Concilium hoc, cui Oſius adfuit & Valerius, non modò ante Arelatenſe* (Concilium anno CCCXIV. celebratum) *ſed & ante perſecutionem Diocletiani & Maximiani, non cogi: cùm in illa certum ſit Divum Valerium periiſſe.* Deinde multis contendit, perſecutionem illam non eſſe referendam ad Conſulatum IX. Diocletiani, & Maximiani VIII. ſed Diocletiani VIII. & Maximiani VII. cùm Dominica ſalutaris Paſſionis jam pro foribus eſſet, ut inquit Euſebius lib. 8. cap. 2. ſive in ipſa die Paſſionis Chriſti, ut ſcribit Caſſiodorus. Eum verò Conſulatum quamvis referat Cuſpinianus ad an. Chr. CCCVI. veriùs Onuphrius rejicit ad annum CCCIII. His & aliis conjecturis ductus, ſic controverſiam definit circa finem capitis: *Concilium igitur hoc, cùm ante perſecutionem Diocletiani & Maximiani habitum ſit, non potuit non anno Domini CCC. vel CCCI. cogi. Nam poſteriori Diocletiani & Maximiani ætate cogi potuiſſe; vel (quod minùs eſt probabile) Conſtantii & Galerii ſucceſſorum Imperio, ut Cæſar Baronius contendit; vel ante pacem Eccleſiæ à Conſtantino redditam, & ejuſdem Imperio, ut ſenſiſſe videtur Antonius Benter, & Concilii Suëſſionenſis apud Sanctum Medardum notarius in Actis ejuſdem; ipſa rerum antea geſtarum hiſtoria, Daciani Præſidis immanitas, Vincentii diaconi martyrium, Valerii exſilium & mors, Oſii confeſſio & ſtigmata, ipſiuſque tandem Concilii Illiberritani Canones & decreta, omnino repugnare videntur.*

30. Hactenus ille eruditiſſimus interpres, cujus ſententiam reliquis omnibus veriorem exiſtimo, ſive propiùs ad verum accedentem, quàm ullam aliam ex iis. Adhuc tamen cenſeo, id Concilium celebratum fuiſſe aliquantò poſtea, nimirum fluente Majo anni CCCIII. ubi primùm notitia edicti crudelis Romæ publicati die ipſo Dominicæ Paſſionis, juxta Euſebium, vel potiùs ſeptimo Kal. Martii, ut inquit Lactantius lib. 2. de mortibus perſecutorum, ad Hiſpaniam pervenit. Ut autem hæc mea ſuſpicio aut opinio confirmetur, & clariùs percipiatur, nonnulla obſervare placet circa annum perſecutionis Diocletiani & Maximiani, quâ nondum cœptâ in Hiſpania, ſed jam ferè imminente, Concilium apud Eliberim coactum fuit. Imprimis enim licèt ſub initium Imperii Diocletianus ſævire in Chriſtianos cœpiſſet, ut colligit Baronius ex Actis S. Sebaſtiani, quem anno ſecundo illius paſſum vult cum Tiburtio, Chromatio, & aliis; continuaveritque eandem lanienam per decem annos, ut teſtatur Severus Sulpicius lib. 2. cap. 47. certum tamen eſt maximè terribilem perſecutionem Eccleſiæ ab eo illatam fuiſſe poſtea anno XVIII. Imperii, vel XIX. ut teſtatur Euſebius in Chronico & Hiſtoria, inſuperque Oroſius lib. 7. cap. 25. Porrò annus Diocletiani XIX. incidit in CCCIII. Chriſti, ſive Eræ communis, eſtque ille ipſe, quem paullò antea ex Mendoza obſervavimus, ſuffragante Baronio, Diocletiani VIII. & Maximiani VII. Auguſtorum Conſulum. Quod ipſum antea tradiderat Faſtorum pater Onuphrius, & ſequitur recenter Schelſtrate in *Antiquit. Eccl.* Romanæ editionis pag. 277. tom. 1. Habemus itaque horribilem illam Eccleſiæ perſecutionem, & poſtremam omnium, quæcumque ab iis Auguſtis illatæ ſunt, cœpiſſe anno CCCIII. juxta computationem mox indicatam Euſebii (qui jam tum florebat) illam rejicientis ad ann. XIX. Diocletiani imperantis.

31. Porrò annum prædictum incipit numerare Euſebius à Paſchali menſe, in quo per eos dies, quibus Paſſionis Domini memoria recolitur, edicto eorundem Imperatorum tam dira immanitas in Chriſtianos fuit, ut intra triginta dies ſeptemdecim millia promiſcui ſexus per diverſas provincias martyrio coronarentur, ut habetur in Actis, quæ appellant Damaſi, loquentis de Marcellino Papa. Juſſum præterea impio illo decreto, Eccleſias dirui, ſacros libros ad incendium tradi, Chriſtianos honoribus functos gradu ſuo decidere, reliquos capite minui. Hæc itaque accidebant, juxta Euſebium, ab ineunte vere anni CCCIII. & deinceps uſque ad ver anni proximè ſequentis CCCIV. in quo Diocletianus & Maximianus ſpontè ſe imperio abdicârunt, ut inquit Euſebius, & redegerunt ad privatum vitæ genus, idque eodem die Kalendarum Aprilis, ut teſtatur Idatius in Faſtis.

32. Itaque ſicuti à Kal. Aprilis an. CCCIV. finitum fuit Imperium Diocletiani & Maximiani; ita etiam perſecutio Chriſtianorum in omnibus provinciis, cùm primùm ad eas certa abdicationis notitia delata fuit. Statim enim Julius Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius, qui, teſtibus Eutropio, Victore, Oroſio, & Zonara, Cæſares erant, Auguſti & Imperatores facti ſunt, priore illorum nolente pluſquam Galliis & Britaniis dominari, ac præterea Hiſpaniæ (lege Marianam lib. 4. c. 15.) poſteriore autem poſſidẽte quicquid reliquum erat Romani Imperii.

33. Conſtantius Chlorus brevi Auguſta dignitate potitus, & ſummùm biennio, diem obiit Eboraci in Anglia, an. CCCV. vel potiùs CCCVI. nullâ perſecutione Chriſtianis intentatâ, immo peculiari honore ac gratiâ iis exhibitâ, uti fidem faciunt Euſebius lib. 1. *De vita Conſtantini*, & Sozomenus lib. 1. cap. 7. Adfuit morienti Conſtan-

ſtantinus Magnus, cujus imperium ab eodem anno numeratur, quamvis tunc ſolùm Cæſar appellaretur. Sequenti verò à Maximiano Armentario ſocero ſuo Auguſtus denominatus eſt. Fruſtra autem laboraremus in oſtendendo Conſtantinum nunquam, nuſquam Eccleſiam perſecutum, cui potius optatam pacem, tranquillitatem, & ſplendorem ubique attulit.

34. Ex his patet, crebras illas perſecutiones ab Innocentio I. Papa indicatas ſuprà numer. 30. quarum tempore celebratum eſt Concilium Eliberitanum, non fuiſſe illatas Eccleſiæ ab Imperatoribus Conſtantio Chloro, aut Conſtantino Magno, quorum prior ab ann. CCCIV. poſterior ab an. CCCVI. Auguſti appellatione potitus eſt.

35. Supereſt autem exquirendum, an eæ perſecutiones motæ fuerint ab alio quopiam ex iis, qui poſt Diocletianum & Maximianum ſponte cedentes, Romanum Imperium adepti ſunt. Porrò ex iis Galerius Maximianus Armentarius, quem paullò antè diximus, præter Gallias & Britanias, Hiſpaniaſque, reliquo Romano orbi imperâſſe. curas adeò vaſtæ molis partitus ſuit, creatis Cæſaribus Severo & Galerio Maximino ſororis filio; quorum priori Italiam, poſteriori Orientem commiſit, reſidens ipſe apud Illyricum. Contigit autem id eodem tempore, quo Conſtantinus Magnus fuit Cæſar appellatus, nimirum CCCV. vel CCCVI. uti ex Victore edito ab Andrea Schotto colligit eruditiſſimus Petavius in aureo illo *Rationario temporum*.

36. Verùm cùm Conſtantini Auguſti imagines Romam allatæ fuiſſent, Prætoriani milites ſubitò Imperatorem acclamârunt Maxentium Herculii filium, qui Galerium Maximinum Auguſtum, & Severum Cæſarem, adversùm ſe præliantes, fugavit ac vicit. Ipſe verò, licèt initio Chriſtianis favere videretur, paullò pòſt exuta ovis pelle lupus apparuit, & præter plures flagitioſæ vitæ turpitudines, dirè Eccleſiam perſecutus fuit intra Italiam, & ſaltem Romæ, ut teſtantur Acta S. Marcelli Papæ, qui ſub ipſo paſſus eſt.

37. Præterea Maximinus cognomento Galerius, qui à Galerio Maximiano creatus fuerat Cæſar anno CCCVI. poſtea perditiſſimis moribus infamis, flagitioſæ vitæ ab Euſebio deſcriptæ, addidit immanitatem adversùs Chriſtianos, anno præſertim CCCVII. verùm intra Orientem, & præſertim Alexandriæ, ubi & incomparabili Virgini S. Catharinæ, inſignis triumphi glorioſiſſimique martyrii cauſſa exſtitit.

38. Denique Licinius, ab eodem Galerio Maximiano Cæſar deſignatus apud Illyricum anno CCCVII. ſuccedentibus poſtea præliis adversùs Conſtantinum, diram perſecutionem movit in Eccleſiam; verùm intra ſolius Orientis limites, donec tandem à Conſtantino ipſo victus fuit anno CCCXVII. & ſequenti.

39. Itaque poſt finitam perſecutionem poſtremam Diocletiani & Maximiani an. CCCIV. initio Aprilis per utriuſque ſpontaneam abdicationem, ſecutæ ſunt aliæ tres Maxentii, Maximini, & Licinii intra tempus Conſtantini imperatoris. Verùm eæ comparatione præcedentium ferè nullius momenti habentur, ideoque à Severo Sulpicio lib. 2. excluduntur à numero recepto perſecutionum, quarum poſtremam ponit à Diocletiano & Maximiano illatam, ſicuti & Oroſius lib. 7. Sed quamvis hanc opinionem, ſive numerandi rationem, refellat S. Auguſtinus lib. 18. *De Civitate*. cap. 52. oſtendens plures fuiſſe uſque ad ſuum tempus perſecutiones Eccleſiæ, quàm decem, & nominatim addat illam Juliani Apoſtatæ, quæ diu poſt obitum Conſtantini fuit; non tamen recenſet aliquam ex iis, quas nuper indicavimus, Maxentii, Maximini, & Licinii: ſive quia minoris notæ fuerunt viſæ, uti ex Severo Sulpicio loco indicato: ſive quoniam duæ illarum intra ſolum Orientem, alia intra Romam fuit.

40. Utcumque res ſe habeat, id certum videtur, nullam illarum trium Hiſpaniam tetigiſſe, neque aliam poſt annum CCCIV. in quo Diocletianus & Maximianus imperio ſe abdicârunt. Nam neque Conſtantius Chlorus, qui ſtatim ferè in Hiſpania, ſicuti & in Gallia ac Britania imperavit; nec Conſtantinus ejus filius, qui eidem in Imperio ſucceſſit, & Auguſtus denominari cœpit anno CCCVI. ullam in Hiſpania, aut alibi terrarum, Eccleſiæ perſecutionem moverunt. Maxentius verò, & Maximinus, ac Licinius, interea alibi imperantes, vix extra Orientem, nullatenus verò intra Hiſpaniam, Chriſtianos inſectati ſunt.

41. Hinc novum robur accipit ſententia hactenus ſtabilita de Concilio Eliberitano, ſaltem ante annum CCCV. coacto, contrà quàm vult Card. Baronius, & plerique recentiores. Conſtat enim, tum ex ſtylo multorum Canonum ipſius, tum præterea ex Epiſtola Innocentii I. Papæ ſuprà num. 16. laudata, editos fuiſſe, *cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent*. Oſtenſum autem relinquimus ab anno CCCIV. ineunte, poſt abdicatum Imperium Diocletiani & Maximiani, nullas omnino perſecutiones, nec crebras nec raras, in Hiſpania fuiſſe. Non ergo poſt annum CCCIV. Canones Eliberitani fuerunt editi.

42. Sed neque conditi videntur fuiſſe anno CCCIII. inclinante, in quo per totum ferè orbem terrarum ſęviſſima Diocletiani & Maximiani perſecutio graſſabatur. Nam tunc ipſorum nomine Dacianus Præſes, ſaltem ab exeunte Majo ejuſdem anni, jam inchoâſſe videntur lanienam illam in Hiſpania Tarraconenſi, quæ continuata fuit aſſidua penè effuſione Martyrum, atque in iis (Januario ſequenti) glorioſiſſimi S. Vincentii diaconi, ac ſocii S. Valerii Epiſcopi Cæſarauguſtæ, cum quo perductus Valentiam fuit ad cauſſam coram ipſo Daciano dicendam. Porrò Valerius huic Concilio interfuit, & ſubſcriptus legitur ſexto loco inter alios Epiſcopos. Inter diaconos quoque qui adfuerunt, cenſetur Vincentius; quo veluti interprete utebatur ſanctus ille Præſul, propter impedimentum linguæ: ut ejuſdem S. Vincentii Acta ſincera & germana, præſertim nuper edita à Theoderico Ruinart M.B. habent ad diem 22. Januarii. Quin & cùm ex præcepto Lucii I. Papæ Epiſcopus juſſus fuiſſet ſecum habere tres diaconos, & hi locum haberent in Synodis, ut in

Con-

Concilio IV. Toletano dicitur, & alibi ſæpè; probabile admodùm eſt, Vincentium diaconum ſimul cum Epiſcopo ſuo Valerio huic Synodo interfuiſſe. Quare cùm ambo paſſi fuerint in perſecutione Daciani, Valerius quidem durum exſilii, Vincentius verò necem acerbiſſimam die 22. Januarii, anni haud dubiè CCCIV. neceſſum eſt, ut antea huic Concilio interfuiſſent; ac proinde celebratum ſit nondum illatâ, ſed jam imminente ea perſecutione, menſe Majo anni CCCIII.

43. Quòd verò anno CCC. fuerit coactum, prout in Chronico ſub Dextri nomine edito legitur, an disjunctim eo ipſo anno, aut proximè ſequenti, prout Mendoza vult; potiùs divinando, quàm certò pronunciando, dici poteſt. Itaque in ea ſententia ſum, ut poſt inchoatam ultimam perſecutionem Diocletiani & Maximiani anno CCCIII. circa feſtum Paſchæ, Epiſcopi Hiſpaniæ paullò poſtea certiores facti ejus procellæ jam ſibi imminentis, Synodum apud Eliberim congregaverint, quâ ſe ſuoſque munirent ſanctis legibus ad corrigendum mores, & reſiſtendum viriliter Daciano. Et hoc ipſum probabile admodùm videtur juxta teſtimonium illud Innocentii I. Papæ ſuprà num. 30. eos Canones referentis ad illa tempora, *in quibus crebræ perſecutiones erant*. Certum autem eſt, ante tempus Paſchale anni CCCIII. non cœpiſſe eas crebras perſecutiones, in Hiſpania ſaltem. Quare nec Concilium id videtur habitum, donec intra eundem annum notitia perſecutionis proximè imminentis pervenit ad Hiſpanos Epiſcopos, qui proinde ſe munierunt adversùs illam iis decretis ſeu Canonibus editis. Itaque mihi aut verum, aut maximè vero cohærens videtur, quòd ea Synodus labente jam vere ejuſdem anni CCCIII. coacta ſit, tranſactis duobus menſibus, aut circiter, ab edicto Romæ publicato.

44. Accedit congruentia non omnino levis circa rem adeò obſcuram de die Iduum Majarum, in quo id Concilium dicitur inchoatum, juxta vetuſtum Codicem Eccleſię Urgellenſis allegatum à Mendoza. A die enim anni CCCIII. dicato Dominicæ Paſſioni recolendæ, uſque ad Idus Majas ejuſdem anni, ſat temporis fluxit, ut Epiſcopi Hiſpani reſcirēt impium edictum Imperatorum Romę promulgatum contra Chriſtianos, & congregarentur ad Synodum celebrandam contra perſecutionem imminentem. Aut fortè jam convenerant, juxta antiquum Hiſpaniæ morem (qui poſtea confirmatus fuit in Concilio IV. Toletano Can. IV.) inchoandi Concilium *quinto decimo Kalendarum Juniarum*, ut ibidem dicitur: nimirum, die 18. Maii. Tunc autem facilè certiores eſſe poterant impii decreti Romæ publicati die ipſo anniverſario Paſſionis Dominicæ, ac proinde edere Canones, quibus Chriſtiani munirentur, & terrore pœnæ ſtimularentur ad reſiſtendum perſecutioni. Unde & anno proximè ſequenti CCCIV. die 22. Januarii locus fuit ut Valerius Epiſcopus & Vincentius diaconus, qui huic Concilio adfuerant, conſtanter paterentur, alter durum exſilium, alter internecionem acerbiſſimam coram impio Præſide Hiſpaniarum Daciano: ſimiliterque, ut Oſius plagas ac notam in vultu ſubiret ob Fidei confeſſionem ſub Maximiano, cujus rei fidem facit Epiſtola ejuſdem Oſii ad Conſtantium Auguſtum, cui initium: Ἐγὼ μὲν ὡμολόγησα καὶ τὸ πρῶτον, ὅτι διωγμὸς γέγονεν ἐπὶ τοῦ πάππου σου Μαξιμιανοῦ: prout exſcripſit Athanaſius *Ad ſolitariam vitam agentes*.

45. Perſecutio autem illa cœpiſſe videtur ordine quodam ab Hiſpania Tarraconenſi. Sub Daciano enim Barcinone invictiſſima virgo Sancta Eulalia glorioſiſſimam necem ſuſtulit. Inde Cæſarauguſtam tranſiit Dacianus, & poſt plurimorum Martyrum lanienam, ſecum Valerium Epiſcopum, ac Vincentium diaconum Valentiam detulit cruciandos. Proceſſit Calagurrim, & poſtea Legionem, Emeritam, Toletum, ac Complutum, relictis in unaquaque earum urbium, & populis vicinis, uberrimo innoxiorum hominum ſanguine, ſcriptis totidem ſuæ crudelitatis teſtimoniis. Ex ea Hiſpaniæ parte veluti media, tranſiit ad remotiorem, id eſt, ad ulteriorem Hiſpaniam, ubi Concilium hoc paullò antea celebratum erat. Et Cordubæ quidem Oſium flagris cæſit, non tamen occîdit, ſicut nec Valerium Epiſcopum morte multavit, ſed exſilio tantùm. Denique Hiſpalim pervenit, & ibi Juſtam ac Ruffinam martyrio coronavit. Itaque de primo ad ultimum videtur Concilium hoc celebratum ineunte Majo aut Junio anni CCCIII. intra quem Dacianus exſequutus fuit crudele illud Imperatorum edictum vere exeunte, deinde initio anni CCCIV. pervenit Valentiam, & proceſſit ad reliquas Hiſpaniæ urbes nuper memoratas, & lanienam continuavit, donec apud Bæticam innotuit abdicatio Diocletiani ac Maximiani, & deſpoticum Imperium Conſtantii Chlori bene affecti erga Chriſtianos, & nolentis de cætero ipſorum ſanguinem fundi.

EXCURSUS IV.

Opinio exotica, ſive paradoxon Joannis Morini, autumantis Concilium hoc celebratum fuiſſe ante medium tertii ſæculi, & imperium Decii Auguſti, refertur & refellitur multipliciter: obſervatis pluribus ac variis rebus & monumentis circa chronotaxin, & paſſiones Martyrum in Hiſpania intra tertium ſæculum, & ſub initium quarti, paullò poſt hoc Concilium celebratum.

46. JOANNES Morinus presbyter Congregationis Oratorii D. N. JESU CHRISTI in Gallia, vir eruditiſſimus, & πολύγλωττος, libro nono *De Pœnitentia*. cap. 19. adversùs omnes aliorum opiniones certum exiſtimat, Concilium hoc fuiſſe celebratum longè ante ſæculum quartum, immo ante hęreſim Novati, quæ circa medium ſæculi tertii cœpit. Unde loco citato §. 11. hæc inter alia παράδοξα habet: *Era Concilii Eliberitani hæreſi Montani & Tertulliani de mœchis neganda pace, condemnationiſq; (quæ teſte Baronio facta eſt an. CCXV.) poſtponenda eſt. Sed Novatianam hæreſim, &* per-

perſecutionem Decianam (quæ capit anno CCL.) præcedit. Annum ſingularem eruere difficile eſt. Videamus quo fundamento ductus, ita cenſuerit, & audiamus ipſum loquentem §. 9. ac 10.

47. *Ex iis quæ dicta ſunt, evidenter mihi colligi videtur, Concilium Eliberitanum multò eſſe antiquius, quàm vulgò feratur. Neceſſe enim eſt ut Cypriani tempus & perſecutionem Decianam multis annis præcedat, licèt vulgò ad Diocletianam referatur. Nam homicidis & idololatris, ut vidimus, communionem negant. Præceſſerunt igitur Patres illi hæreſim Novati, & Decii Valerianiq; perſecutiones. Quis enim credat tam ſanctos Patres hæreſim notoriam, à Sede Apoſtolica, à tam variis Conciliis, atque ut ita dicam, ab univerſo orbe damnatam, amplecti voluiſſe? morem generali Eccleſiæ conſenſu receptum ſolos poſt tot annos repudiâſſe? Sanè ſicut Patres illi Eccleſiæ decreto de recipiendis mœchis morem geſſerant, ita dubitari non poteſt, ſucceſſores eorum Eccleſiæ decreto de recipiendis idololatris morem geſſiſſe. Cùm igitur eos non recipiant, Eccleſiæ illud decretum præceſſerunt.*

48. *Idem demonſtratur alterius generis argumento. Certum eſt Diocletianam perſecutionem in Hiſpaniam, Galliam, & Angliam non perveniſſe, eò quòd provinciæ illæ à Conſtantio Imperatore Conſtantini Magni patre regerentur, qui naturâ ſuâ clementiſſimus erat, Chriſtianiſq; favebat. De eo teſtatur Euſebius lib.* 1. De vita Conſtantini. *c.* 11. *Cùm Imperatores Diocletianus & Maximianus edictum cruentum in Chriſtianos tuliſſent; Conſtantium aulicis ſuis propoſuiſſe, aut idolis ſacrificarent (quo facto dignitate & officio fruerentur) aut id ſi facere negarent, omni ad aulam aditu prohiberentur: eos verò, qui prius elegerant, procul à comitatu ſuo ſubmoviſſe.* Quomodo enim (*inquiebat*) fidem erga Imperatorem ſervare poterunt inviolatam, qui adversùs Deum Optimum Maximum perfidi eſſe manifeſtò convincuntur? *Illos autem, qui dignitatibus ſuis privari maluerunt, quàm Deo non obedire, & impuris ſacrificiis pollui, ſimiles erga Imperatorem futuros affirmâſſe, ſtipatoreſq; ſuos. & Imperii cuſtodes conſtituiſſe. Inſuper eodem capite ſcribit, Conſtantium collegis ſuis longè diſſimilem fuiſſe, tandemq; idololatrarum ſuperſtitionem penitùs deſeruiſſe, Deumq; verum agnoviſſe, & coluiſſe. Idem cum Euſebio teſtantur Donatiſtæ apud Optatum Milevitanum lib.* 1. *ubi refertur eorum ad Conſtantinum Imperatorem poſtulatio:* Rogamus te, ô Conſtantine Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit. & ab hoc facinore immunis eſt Gallia, &c. petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipias. *Cùm igitur Canones Eliberitani paſſim de Chriſtianis in idololatriam vi tormentorum lapſis agant, videtur omnino conſequens, ante Diocletiani perſecutionem Concilium illud celebratum eſſe.*

49. Hæc ille doctiſſimus ſcriptor. Sed enim longè à veritate, & omnium eruditorum hominũ judicio, quibus certum eſt, Concilium iſtud intra quartum ſæculum fuiſſe celebratum. Id enim planè demonſtrant nomina Epiſcoporum Valerii, Oſii, Melantii, & Sabini, aliorumque, qui ibidem convenerunt; & quorum epocha ab omnibus antiquis ſcriptoribus (ut recentiores præteream) intra quartum ſæculum collocatur. Ac de S. Valerio Epiſcopo Cæſarauguſtano res notiſſima eſt: cùm ſub Diocletiano apud Valentiam ſimul cum S. Vincentio Martyre, ipſius diacono, Fidem conſtanter fuerit profeſſus an. CCCIII. vel CCCIV. menſe Januario; certè poſt hanc Synodum, cui interfuit, celebratam, & in exſilio vitam finierit paullò pòſt. Nec recurri poteſt ad alium Valeriom antiquiorem Epiſcopum Cæſarauguſtanum, qui vixerit circa medium tertii ſæculi ſub Imperio Decii. Nullum enim veſtigium ejus Valerii exſtat in tota antiquitate. Legimus quidem, Valerium Epiſcopum Cæſarauguſtæ ſubſcribentem in Concilio apud eam urbem celebrato anno CCCLXXX. verùm is fuit palam poſterior. Nec credibile eſt Valerium ſubſcribentem Eliberitanæ Synodo permanſiſſe Epiſcopum ab anno circiter CCL. in quo illam collocat Morinus, ſpatio aliorum centum triginta annorum, uſque ad CCCLXXX. Immo adhuc ſtatutâ epochâ ejuſdem Synodi anno CCCIII. cùm S. Valerius jam tunc eſſet ſenex, valdè debilis, & linguæ balbutie impeditus, non potuit permanere aliis octoginta circiter annis, præſertim inter ærumnas duriſſimi illius exſilii, quo multatus fuit à Daciano Præſide, ad montes illos, qui Cinga flumine alluuntur, ubi & paullò pòſt in Chriſti confeſſione obiiſſe creditur.

50. Eodem argumento ferè circa Oſium demonſtratur, Eliberitanum Concilium non fuiſſe celebratum circa medium tertii ſæculi, ſed quinquaginta, ut minimum, annis poſtea. Oſius enim in eo ſubſcribens, perſtitit non modò uſque ad annum CCCXLVII. in quo præfuit Concilio Sardicenſi; ſed etiam uſque ad CCCLVII. in quo Sirmienſi Concilio interfuit, & vi tormentorum horribilium compulſus, nomini ſuo labem aliquam ad tempus aſperſit. Licèt autem tunc eſſet decrepitæ ætatis, non tamen uſque adeò, ut intra Epiſcopatum vixiſſet centum ſeptem, aut eo ampliùs, annis, prout neceſſum eſſet, juxta opinionem Morini. Si enim Synodus Eliberitana, in qua ſubſcripſit Oſius jam Epiſcopus Cordubenſis, celebrata fuit ante annum CCL. oportet ut ſupereſſet ille aliis centum ſeptem annis Epiſcopus uſque ad CCCLVII. quo certum eſt Conciliũ Sirmienſe ipſo præſente celebratum fuiſſe. Atqui tam diuturna in Epiſcopatu duratio, & vita adeò longæva (quæ debuiſſet planè ad centum quinquaginta circiter annos porrigi) incredibilis eſt à temporibus heroïcis, nec niſi temerè de quopiam affirmari poteſt, ubi teſtes idonei ejuſdem temporis non producuntur, quales certè non ſunt. Quin potiùs ex S. Athanaſio, & ex ipſo Oſio in Epiſtola ad Conſtantium ſuprà indicata, ſatis conſtat, Epiſcopatum ipſius tempore Concilii Sirmienſis per ſexaginta circiter annos fuiſſe continuatum. Non ergo ante annum CCL. fuerat ordinatus Epiſcopus, ſed plurimis annis poſtea.

51. Præſenſit Morinus, ex parte ſaltem, hujus argumenti vim num. 11. & reſpondet, nullam rationem habendam ſubſcriptionis Oſii in hoc

Con-

Concilio: cùm in Mss. antiquis paſſim occurrant ſubſcriptiones adulterinæ & ſuppoſitæ, quæ ex uno ad aliud Concilium transferuntur incuriâ exſcriptorum, vel auſu cujuſpiam ſcioli.

52. Atqui in oppoſitum eſt, quòd licèt ita aliquando contingat, id de facto atque in ſingulari ita contigiſſe, oſtendi debet invicto aliquo argumento. Alioqui nihil firmum haberemus circa plurimorum Conciliorum ſubſcriptiones, nec circa illorum epocham, quæ paſſim ex tempore Epiſcoporum ſubſcribentium colligitur. Nullo autem urgenti argumento oſtendit Morinus ſubſcriptionem Oſii in hoc Concilio ſubreptitiam fuiſſe. Quin potiùs veram oſtendunt omnia exemplaria Mss. & edita.

53. Deinde Oſius ipſe in Concilio Sardicenſi (cui præfuit anno CCCXLVII.) apertè indicat cap. quartodecimo, aliàs undecimo, ſe interveniſſe multò antea cum aliis Patribus huic Concilio Eliberitano, dum memorat in illo ſtatutum fuiſſe: *ut ſi quis laicus in ea, in qua commoratur, civitate, tres Dominicos dies, ideſt, per tres ſeptimanas, non celebraret conventum, communione privaretur*. Idipſum autem ſtatutū antea invenitur cap. 21. Concilii Eliberitani. Idem ergo Oſius, qui certè præfuit Concilio Sardicenſi, intervenerat priùs Eliberitano: ac proinde ſubſcriptio ejuſdem in hoc non eſt ſuppoſita, ſed vera.

54. Præterea dato quòd fluctuaret fides unius ſubſcriptionis Oſii in eo Concilio ſeorſum conſiderata, non tamen prout conjuncta tot aliis Epiſcoporum, S. Valerii Cæſarauguſtani, Melantii Toletani, & Sabini Hiſpalenſis: qui tres ſimul cum illo florebant initio ſæculi quarti, juxta omnia antiqua Hiſpaniæ monumenta. De Valerio res notiſſima in ipſo Martyrologio Romano, ac deſumpta ex Actis antiquiſſimis ipſius Valerii, ac S. Vincentii Martyris, ejus diaconi, & comitis in martyrio, quæ exſtant apud Bollandum die 22. Januarii, & recentiùs adhuc apud Theodericum Ruinart M. B. Congregationis S. Mauri apud Gallias, in *Actis ſinceris & ſelectis primorum Martyrum*. pag. 387. & ſeqq. Eaque palam conſonant quatuor Sermonibus S. Auguſtini de eodem S. Vincentio; ideſt, juxta noviſſimam editionem Benedictinam, Ser. 279. & tribus ſequentibus, ubi in 276. memorat *furioſas voces Daciani Præſidis*, ſub quo ambo paſſi ſunt. Auguſtinus verò jam florebat ſub finem ejuſdem ſæculi quarti, quo ineunte Valerius & Vincentius paſſi ſunt, anno nimirum CCCIII. vel CCCIV. De Melantio, eodem tempore Toletanam Eccleſiam gubernâſſe, quo Leocadia Virgo Toleti ſub Daciano ipſo paſſa eſt, nemo in dubium vocavit hactenus. Denique Sabinum fuiſſe eodem tempore Epiſcopum Hiſpalenſem, & inibi in ſuburbio tumulâſſe corpus S. Ruffinæ, à Daciano ipſo combuſtum in amphitheatro, res teſtata eſt in antiquo Breviario Eborenſi, & communi traditione recepta. De Oſio autem nec veſtigium dubitationis eſſe poteſt, quòd initio ſæculi quarti floreret, jam tum Cordubenſis Epiſcopus, & plagas ac vibices in defenſionem Fidei ſubierit in eadem perſecutione: ut ipſe ſatis indicat in citata ad Conſtantium Epiſtola, & præterea teſtatur S. Athanaſius. Itaque quatuor illæ Epiſcoporum ſubſcriptiones ita concurrunt ſub initium ſæculi quarti, ut certum omnino ſit non fuiſſe intruſas, ſed veras tempore illius imminentis perſecutionis, ob cujus metum Synodus Eliberitana coacta fuit.

55. Mirum autem eſt, doctiſſimum Morinum negare anſam fuiſſe perſecutionem illatam Hiſpaniæ tempore Diocletiani ſub Daciano Præſide, quam tot priſca monumenta teſtatam habent, & præterea memorant Prudentius lib. περὶ στεφάνων, hymno V. S. Gregorius Turonenſis lib. 1. *De gloria Martyrum*. cap. 90. ac Venantius Fortunatus lib. 8. Carmine 4. ut plures alios ſequentium temporum ſcriptores miſſos faciam, & innumera ſigna adhuc exſtantia ejuſdem perſecutionis Diocletiani in Hiſpania, perpetuamque earum Eccleſiarum traditionem. Sufficeret ad illam credendam teſtimonium vetuſtiſſimum Actorum S. Vincentii, quibus uſa fuit priſcis ſæculis Eccleſia, & nominatim S. Auguſtinus locis citatis, ubi hæc habentur: *Cùm apud civitatem Cæſarauguſtam .... Daciano cuidam Præſidi gentili & ſacrilego, à dominis & principibus ſuis, Diocletiano videlicet & Maximiano, ſæviendi in Chriſtianos fortè* (aliàs, *forte*) *occaſio cecidiſſet*, &c. Idipſum ſatis declarat, inter alias, ſtropha una Prudentii, intra idem ſæculum quartum accinentis in illo Hymno:

> *Quis audienti talia,*
> *Daciane, tunc ſenſus tibi?*
> *Quantis gementem ſpiculis*
> *Figebat immanis dolor?*

56. Præterea nullatenus verum eſſe poteſt quod idem Morinus de hoc Concilio ait: *Neceſſe eſt, ut Cypriani tempus, & perſecutionem Decianam præcedat, licèt ad Diocletianam vulgò referatur*. Etenim oſtenſum eſt ſuprà num. 16. & 17. ex auctoritate Innocentii I. (qui ante Pontificatum floruerat inclinante ſæculo quarto) hoc Concilium celebratum fuiſſe, *cùm crebræ perſecutiones eſſent*. nimirum in Hiſpania. Nam quæ ſolùm alibi graſſabantur, non poterant Epiſcopis Hiſpaniæ tantam ſolicitudinem injicere, & ſuadere diſciplinam adeò ſeveram erga lapſos. Atqui ante perſecutionem Decianam, & Cypriani tempus, non fuerunt in Hiſpania crebræ perſecutiones. Non ergo Concilium hoc fuit celebratum ante perſecutionem Decianam, & tempus Cypriani. Aſſumptum, ſive minor propoſitio facilè ſuadetur: quoniam ab initio tertii ſæculi, uſque ad medium illius, in quo exarſit Decius adversùs Chriſtianos, & floruit Cyprianus in Africa, vix ulla Chriſtianorum perſecutio in Hiſpania fuiſſe legitur, niſi brevis, & multis annis interpolata.

57. Nimirum dumtaxat ex veterum teſtimoniis habemus, anno nono Septimii Severi Imperatoris, Coſſ. eodem Severo Auguſto III. & M. Aurelio Antonino Auguſto (quibus reſpondet annus Eræ communis, ſive Chriſti, CCI.) paſſos fuiſſe Valentiæ Felicem presbyterum, Fortunatum & Achilochum diaconos: quod tamen aliqui à Mariana citati lib. 1. *De rebus Hiſpaniæ*. cap. 7. ad Valentiam Galliæ referunt, volentes illuc

illuc miſſus à S. Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, Ponamus autem id in Valentia Hiſpaniæ contigiſſe. Quâ veri ſpecie dici poteſt, aut quis unquam cogitavit, initio ſæculi tertii crebras in Hiſpania perſecutiones fuiſſe, aut Concilium Eliberitanum propterea eo tempore celebratum?

58. Porrò tempore Imperatorum ſequentium, Caracallæ, Heliogabali, & Severi Alexandri (optimi Auguſtorum Gentilium) nulla perſecutio in Hiſpania fuiſſe invenitur uſque ad annum CCXXXV. quo Maximinus imperare cœpit ſub finem Martii uſque ad Octobrem anni CCXXXVII. quo occiſus fuit. Eo autem regnante, ſolùm habemus ex traditione, Maximum & ſocios ad Buſragani montis ſpecum, viginti quatuor millibus à Tarracone, pro Chriſto ſanguinem fudiſſe. Nihil aliud habent vetera Hiſpaniæ monumenta. Unde toto eo tempore non acciderunt *crebræ perſecutiones* ab Innocentio Papa memoratæ. Multò autem minus ſub Imperio Gurdiani ac Philippi, cui interfecto anno CCXLIX. Coſſ. Fulvio Æmiliano & Vetio Aquilino, ſucceſſit ἀμέσως Decius. Unde patet ex chronotaxi omnium eorum Imperatorum, ab initio uſque ad medium tertii ſæculi, quo electus eſt Decius, non fuiſſe crebras Chriſtianorum perſecutiones in Hiſpania; ac proinde Concilium Eliberitanum ante Decianam perſecutionem celebratum non fuiſſe, prout Morinus vult.

EXCURSUS V.

Oſtenditur adversùs eundem Morinum, nec in media poſteriori parte ejuſdem ſæculi tertii celebratum fuiſſe hoc Concilium. Ubi plura ſpectantia ad chronotaxin, hiſtoriã ſacram, & varias antiquitates Hiſpaniæ. Clauſula totius Diſſertationis.

59. SED nec celebrari potuit tempore Decii Imperatoris. Nam licèt aliquot horribiles perſecutiones Chriſtianis excitaverit, nullam invenies fuiſſe in Hiſpania ſub eius Principatu, qui triennium non attigit, cùm cæſus fuerit exeunte anno CCLI. quo Q. Herennius Ethruſcus Decius Cæſar ſimul cum ipſo Conſulatum gerebat. Ex quibus omnibus palam demonſtratur, Concilium hoc non fuiſſe celebratum ante medium tertii ſæculi.

60. Idipſum cenſendum de poſteriori ferè ejuſdem ſæculi parte. Neque enim qui in ea imperârunt, Valerianus, Gallienus, Claudius, & Aurelianus, quicquam in Hiſpania adversùs Chriſtianos moliti inveniuntur, excepto quòd ſub Imperio Valeriani, & Pontificatu Stephani, contigit lapſus Baſilidis ac Martialis memoratus à S. Cypriano; ut in ſuperioribus vidimus: & imperante Aureliano, Narciſſus Gerundæ in Hiſpania Epiſcopus (cujus corpus adhuc integrum in ea urbe vidi anno MDCLXXXVII. quatuordecim ſæculis tranſactis ab ejus nece) ſimul cum Felice diacono, martyrium paſſus eſt. Solùm invenio apud Antonium Auguſtinum in Indice Epiſcoporum Tarraconenſium initio hæc verba: *B. Fructuoſus Chriſti Martyr, cum Augurio & Eulogio diaconis ſub Gallieno Imperatore XII. Kal. Februarii, anno plus minus Chriſti CCLXV. occiſus eſt. Extat hymnus elegans Prudentii, cujus initium eſt:*

Felix Tarraco Fructuoſe veſtris.

61. Sanè Ambroſius Morales, & Joannes Mariana, diligentiſſimi ſcrutatores omnium veterum monumentorum Hiſpaniæ, quotquot ſuo tempore exſtabant, nullius mangonio interpolata aut corrupta, non invenerunt toto eo tempore crebras illas Chriſtianorum perſecutiones in Hiſpania, niſi ſummùm unam vel aliam minoris notæ, & ad breve tempus, quales nuper indicavimus. Idem dictum accipe de imperio Claudii, Taciti, M. Aurelii Probi, M. Aurelii Cari, hujuſque filiorum Carini ac Numeriani. Hic dum lecticâ veheretur, ab Arrio Apro ſocero ſuo, dominandi ambitione arrepto, occiſus fuit anno CCLXXXIV. quo Conſulatum II. gerebat ſimul cum Carino fratre. Nullum autem veſtigium reliquerunt perſecutionis Chriſtianorum in Hiſpania.

62. Eodem anno CCLXXXIV. die 17. Septembris ſalutatus fuit imperator Diocletianus, ut habetur in Chronico Alexandrino, ubi hæc leguntur ſub eiſdem Coſſ. *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octobris Chalcedone renunciatus, V. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januariis Conſul proceſſit.* Ab eo anno incipit Era quæ dicitur Diocletiani, ſeu Martyrum Alexandrinorum: ac paullò pòſt initium habuit crudelis illius perſecutio adversùs Chriſtianos, licèt non continuata, nec ſemper æquali immanitate exarſerit. Vix tamen invenietur annus ex undeviginti imperii ipſius, ac Maximiani ſocii, in quo plurimi Martyres ſanguinem pro Chriſto non fuderint, aut etiam innumerabiles: ut palam demonſtrat Ruinartus in Actis Martyrum germanis, Præfatione erudita adversùs Henricum Dodvvellum, qui nuper illorum numerum minuere tentavit Diſſertatione inter Cyprianicas inſcripta, *De Martyrum paucitate.*

63. Porrò inter tot Diocletiani perſecutiones, primò ad Hiſpaniam ſpectare videtur illa, quæ anno Domini CCLXXXVII. contigit, juxta Chronotaxin Ambroſii Moralis, ſub Proconſule aut Præſide Diogeniano. Hic enim Hiſpali Juſtam & Ruffinam, Virgines Chriſtianas (ut habetur in Breviario Gotthico S. Iſidori) equuleo torſit. Deinde verò, juxta Uſuardum ad diem 19. Julii, illas ungularum laniatione vexavit: poſtea carcere, inediâ, & torſionibus afflixit: tandem Juſtâ in carcere ſpiritum exhalante, Ruffinæ cervix confracta eſt in confeſſione Domini. Et hæc quidem accidiſſe videntur anno tertio Imperii Diocletiani, ac primo Maximiani, cùm jam tum eſſet Epiſcopus Hiſpalenſis Sabinus, qui eidem Concilio Eliberitano ſubſcribit tertio loco apud Loaïſam, tamquam antiquus inter cæteros.

64. Poſtea verò, ejuſdem Diocletiani anno decimo nono, Coſ. VIII. Maximiani VII. juxta Faſtos Idatii, & ſeptimo Kal. Martii, ut inquit Lactan-

Lactantius lib. ſecundo De mortibus perſecutorū (cui reſpondet annus Chriſti CCCIII.) exarſit & publicata fuit graviſſima perſecutio Chriſtianorum, cujus comparatione præcedentes fuerunt leviores, aut quaſi velitationes quædam. Cœpit autem Romæ primùm decreto Maximiani Herculei, ut Acta germana S. Sabini Epiſcopi Spoletani ac Martyris teſtantur: deinde publicata eſt in Oriente juſſu alterius Maximiani cognomento Galerii apud Nicomediam Bithyniæ. Eodem anno, Diocletiani decimo nono (ut narrat Euſebius lib. octavo cap. 3.) circa feſtum Paſchatis, per totum Imperium Romanum fuit publicatum edictum, ut diruerentur omnes Chriſtianorum Eccleſiæ, Scripturæ ſacræ traderentur igni, ac nulli hominum conditioni aut ætati parceretur. Quod ſtatim eo funere cœpit exſecutioni mandari, ut intra unum menſem decem & ſeptem millia hominum pro Fide Chriſti cæſa diverſis locis, & vario tormentorum genere numerentur.

65. Ejus feralis edicti, quod ſtatim per curſores in Galliam & Hiſpaniam miſſum fuit, horrore commoti Epiſcopi, ſive juxta morem coëundi inclinante Majo, ſive quintodecimo Kalendas Junii, ad bonum regimen Eccleſiarum Hiſpaniæ, convenerunt Eliberi, ut deliberarent qualiter reſiſtendum eſſet impiiſſimis Imperatorum mandatis, quibus pœnarum comminationibus eſſent continendi in officio Chriſtiani quique, ne ad idola defluerent, aut Fidem quoquo modo abnegarent: ac tandem quomodo eſſet ſervanda diſciplina Eccleſiaſtica. In ea verò parte aliquantò duriores videntur fuiſſe: quoniam eò uſque ultima perſecutio adeò horribilis fuerat, ut licèt innumeri homines utriuſque ſexus in reliquis partibus Imperii Romani fortiter ſe habuiſſent, & martyrium feliciter conſummáſſent; multi tamen alii ubique ferè tormentis cedentes, aut idolis immolâſſent, aut inter Libellaticos deterioris conditionis numerati invenirentur.

66. Quare exeunte vere ejuſdem anni CCCIII. videtur cœpiſſe in Hiſpania exſecutio impiiſſimi illius edicti Imperatorum, ac primùm quidem in oppidis iis, quæ ſunt proximiora Pyrenæis montibus, & Galliæ viciniora. Itaque Dacianus Barcinone Cucufatum, ac glorioſiſſimam Virginem Eulaliam (aliam ab Emeritenſi) crudeliſſimis tormentis affecit. Progrediens Cæſarauguſtam, ibi Encratim Virginem (vulgo *Engratiam*) ac decem & octo ipſius comites, tum præterea innumeros cives ejus nobiliſſimæ urbis, trucidavit. Unde Martyrologium Romanum ad diem tertium Novembris ait: *Cæſarauguſtæ Sanctorum INNUMERABILIUM MARTYRUM, qui ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide mirabiliter occubuerunt pro Chriſto*. Eodē ferè modo loquitur Uſuardus eadem die. Immo & clariſſimus Conſul ac Poëta Prudentius, qui exeunte eodē ſæculo quarto florebat, & in pueritia potuit agnoſcere ſenes aliquot oculatos teſtes ejus magnæ lanienæ Martyrum, non modò illorum numerum ingentem canit, ſed & Cæſarauguſtam ipſam Romæ in multitudine Martyrum ferè exæquat, ac omnibus aliis urbibus præfert. Accinit enim Περὶ στεφάνων hymno 4. cum illa loquens:

Sola in occurſum numeroſiores
Martyrum turbas Domino parâſti:
Sola prædives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens Orbis populoſa Pœni,
Ipſa vix Roma in ſolio locata,
Te, decus noſtrum, ſuperare in iſto
Munere digna eſt.

67. Porrò ſub initium anni proximè ſequuti, id eſt, Chriſti CCCIV. Dacianus Cæſarauguſtâ Valentiam detulit Valerium Epiſcopum, & Vincentium diaconum, ferro onuſtos, ibidemque alterum duriſſimo exſilio multavit (ea conditione edicta, ne poſſet habitare oppidum aliquod pluſquam viginti domos habens, nec illud ingredi, ut ſcribit Antonius Beuter *Hiſtor. Hiſp.* par. 1. cap. 25.) alterum horrendis ſupra modum tormentis vexavit, ipſique ſplendidiſſimi triumphi occaſionem dedit. Inde progreſſus impiiſſimus Præſes, Compluti Juſtum ac Paſtorem pueros, Toleti Leocadiam Virginem, Legione Marcellum ac filios, Emeritæ Eulaliam alteram, æquè celebrem ac illam Barcinonenſem, atque aliis locis alios plurimos martyrio affecit, ipſum Oſium Epiſcopum Cordubæ flagellis cæcīdit, ob confeſſionem Chriſti. Noluit autem illum interimere, ſicut nec Valerium: fortaſſe ob reverentiam aliquam tantorum virorum, qui vel illi crudeliſſimo tyranno extorſerunt aliquid pietatis ac venerationis. In iis autem, aliiſque fortaſſe necibus inferendis, videtur Dacianus impendiſſe poſteriorem partem anni CCCIII. prioremque paratem anni CCCIV. donec nota dimiſſione ſive abdicatione Imperii Diocletiani ac Maximiani, procella illa ceſſavit, præſertim ſub novo Imperatore.

68. Hæc videtur fuiſſe vera ſeries perſecutionis Daciani in Hiſpania. Ex qua non modò confutatum manet paradoxon Morini negantis perſecutionem à Diocletiano excitatā fuiſſe in Hiſpania, & fidem earum ſubſcriptionum Concilii Eliberitani: quæ abſdubio conſonant ſibi, & traditioni, & manuſcriptis omnibus antiquiſſimis, & ſcriptoribus vicinis eidē tempori, præſertim Prudentio, Auguſtino, & Gregorio Turonenſi: quorum primus inclinante eodem ſæculo quarto, ſecundus ineunte quinto, tertius ſub finem ſexti, floruit.

69. Argumenta verò ejuſdem erudītiſſimi ſcriptoris non urgent: & præſertim primum ſuprà num. 47. ipſius verbis exſcriptum, quo contendit incredibile eſſe ſanctos illos ac venerabiles Epiſcopos, qui huic Concilio interfuerunt, auſos fuiſſe negare communionem, etiam in fine vitæ, quibuſdam hominibus ſceleratis, veluti homicidis, idololatris, aliiſque, poſtquam ea dogmata damnata fuerant ab Eccleſia univerſa in Novatiano & ſequacibus tempore S. Cornelii Papæ, anno circiter CCLIV. ut conſtat ex Epiſtolis variis S. Cypriani, præſertim XLII. LI. & LII. Unde Morinus colligit iſtud Concilium fuiſſe celebratum ante hæreſes Novatiani ab Eccleſia damnatas, ac proinde ante medium tertii ſæculi.

70. Non, inquam, urget. Procedit enim Mori-

Morinus ad id colligendum ex falſa hypotheſi ejuſdem dogmatis erronei in Novatiano & Patribus Eliberitanis. Novatianus enim, primus auctor ſchiſmatis in Eccleſia, & primus Antipapa, ambitionis œſtro percitus adversùs Cornelium Papam ritè electum, criminabatur illum, quòd lapſos poſt actam pœnitentiā reciperet intra ſinum Eccleſiæ: & omnes hortabatur ne quempiam eorum, qui poſt baptiſmum ſe peccato aliquo inquinâſſent gravi, ad communionem admitterent; quaſi in Eccleſia non eſſet poteſtas ad illos reconciliandos, vel communioni reſtituendos. De quo legendus idem Cyprianus locis indicatis, ac præterea S. Cornelius apud Euſebium lib. 6. *Hiſt.* cap. 45. & 37. & Socrates lib. 4. cap. 43.

71. Patres autem Eliberitani nullatenus negârunt poteſtatem Eccleſiæ à Chriſto conceſſam ad remittenda peccata quælibet poſt baptiſmum commiſſa: quin potiùs illam apertè indicârunt variis locis ac manifeſtis contra errorem Novatiani & gregalium: uti oſtenſum ſæpè fuit Tomo præcedenti in Commentariis ejuſdem Concilii, præſertim lib. ſecundo cap. 6. 32. & 46. ac ſæpiſſimè poſt actam pœnitentiam conceſſerunt communionem, & ipſis clericis pœnitentibus laïcam. Quod autem propter nonnulla ſcelera horribiliora communionem negaverint, etiam in fine vitæ, non fuit ob errorem circa poteſtatem Eccleſiæ, ſed propter auſteritatem diſciplinæ, & terrorem aliorum, quod memorat ſatis, ſed non improbat, quin potiùs excuſat, S. Innocentius Papa in Epiſtola illa num. 16. citata. Ut omittam varios interpretum ſenſus circa communionem ibidem negatam, cujus generis eſſet: de quo ſatis dictum fuit locis indicatis ex libro ſecundo.

72. Denique, ſi præter communionem quibuſdam ſceleratis negatam in fine vitæ dicendum eſſet, Patres Eliberitani Concilii illud celebrâſſe ante hæreſim à Novatiano invectam, alioqui verò in eam jam damnatam ab Eccleſia incidiſſe; idem planè dici poſſet de Patribus graviſſimi Concilii Sardicenſis, qui longè poſtea, anno Domini CCCXLVII. eandem pœnam impoſuerunt Epiſcopis ambientibus tranſitum ab una Eccleſia ad aliam. Privârunt enim illos communione, etiam in fine vitæ: ut patet ex Canone I. ubi Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui præerat, interrogavit reliquos: *Placetne hoc omnibus, ut ejuſmodi improbitas acerbiùs vindicetur? Exiſtimo enim eos ne laïcorum quidem habere communionem.* πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· ἀρέσκει πᾶσιν. *Omnes Epiſcopi responderunt: PLACET.* Deinde Can. II. adversùs eos qui per dolum & ambitum quærunt & excuſare volunt ejuſmodi tranſitiones, proponit Oſius graviſſimè puniendas videri, ὥστε μηδένα τοιοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ τέλει, λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. *Ut nemo poſſit qui eſt ejuſmodi, ne in fine quidem, laïca communione dignus haberi.* Deinde interrogat reliquos Epiſcopos an hæc ſententia placeat, & ſtatim ſubditur: ἀπεκρίναντο· τὰ λεχθέντα ἤρεσεν. *Responderunt: Placent quæ dicta ſunt.*

73. Atqui abſurdum eſſet dicere, vel Concilium Sardicenſe fuiſſe coactum ante medium tertii ſæculi, ſive ante damnatam Novatiani hæreſim; cùm planè celebratum fuerit circa medium quarti anno CCCXLVII. vel Patres ejuſdem graviſſimi & in tota Eccleſia uſque modò celeberrimi Concilii Novatianam hæreſim ex orco revocâſſe; ſed dumtaxat diſciplinam Eccleſiaſticam aſperioribus quibuſdam pœnis aut minis ſervandam curâſſe. Idem ergo dicendum de Eliberitano Concilio. Itaque certiſſimum eſt, celebratum fuiſſe longè poſt medium tertii ſæculi; immo poſt totum illud tranſactum. Certum quoque videtur, non eodem tempore, quo Concilium Nicænum, nec anno ἑξῆς ſequenti, aut paullò poſtea, aut antea, ultra annum Chriſti CCCV. cùm jam tunc & deinceps nullæ Gentilium perſecutiones in Hiſpania fuerint, ad quas fortiter tolerandas aut vincendas ii ſanctiſſimi Patres ſeſe ac ſuos iis ſeveriſſimis Canonibus munirent. Supereſt itaque ut anno ipſo ſæculari CCC. aut CCCI. aut tandem (quod mihi magis placet) CCCIII. ineunte vere, fuerit celebratum.

DISER-

DISSERTATIO SECUNDA.

De Conciliis Eliberitano poſterioribus intra & extra Hiſpaniam, quibus magnus ille Oſius Epiſcopus Cordubenſis interfuit ſæculo quarto, cum aliis Hiſpanis Præſulibus.

EXAMINATO tempore Concilii Eliberitani, & oſtenſo ſatis (ni fallor) anno plus minus quo celebratum fuit; oportet nunc breviùs agere de aliis ſequentibus, ſi qua fortè in Hiſpania fuerunt uſque ad Cæſarauguſtanum I. quod omnium conſenſu habitum eſt anno Eræ Chriſtianæ CCCLXXX. Porrò nec in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis, nec in ulla alia manuſcripta aut edita uſque modò Concilium aliquod Hiſpaniæ certum hactenus invenire licuit toto eo tempore interjecto, & multò minùs Acta, ſive Decreta, aut Canones illius. Solùm exſtant teſtimonia quædam veterum, aliquid ea de re indicantia, quæ expendere oportet. Similiter excurrendum erit per plura Concilia, quibus Oſius ille celeberrimus interfuit, cum aliis Epiſcopis Hiſpanis, intra idem ſæculum quartum, longiſſimo vitæ ſuæ curſu, tam in Occidente, quàm in Oriente. In quo plura occurrent obſervatu digna.

EXCURSUS PRIMUS.

Credibile eſſe, magnum illum Oſium nonnulla Concilia poſt Eliberitanum celebrâſſe intra Hiſpaniam, quamvis Acta eorum non exſtent. Porrò Synodum ab eo coactam fuiſſe Corduba circa medium quarti ſæculi, & in ea damnâſſe quos paulò antea Concilium Sardicenſe abdicaverat, ac reſtituiſſe quos ſolverat. Quinam ii fuerint, & quanta inde laus Oſio.

2. OCCURRIT imprimis magnus ille Oſius, & celeberrimus Conciliorum Pater, cujus laudibus pleni ſunt ſcriptores rerum Eccleſiaſticarum intra ſæculum quartum, quo præcipuè ille floruit. Nam licèt ſub initium ipſius inveniatur ſubſcripſiſſe Concilio Eliberitano tanquam Epiſcopus Cordubenſis ſecundo loco, aliàs undecimo, juxta diverſa Mss. nondum tamen videtur celebris admodùm fuiſſe intra aut extra Hiſpaniam eo tempore, ſed aliquantò pòſt; præſertim anno ſequenti ſub Præſide Hiſpaniæ Daciano, à quo tormenta pro Fide tulit; & poſtea ſub Imperatoribus Conſtantino & Conſtantio, ac Pontificibus Romanis Melchiade, Sylveſtro, Julio, & Liberio. Longiſſimo enim vitæ curſu omnes illos præceſſit ortu, & ſecutus eſt obitu, centenarius ut minimum.

3. Credibile autem eſt, ut qui ab ineunte ſæculo quarto uſque ad medium illius interfuit tot Conciliis extra Hiſpaniam, poſtea judicandis, non modò tamquam unus è Patribus, ſed etiam veluti hortator, & præcipuus excitator, ac plerumque veluti Legatus Sedis Apoſtolicæ, aut Præſes pariter quoque in Hiſpania ſua, ac diœceſi propria, aliquot alia celebranda curaret tot annorum ſpatio. Præſertim cùm Apoſtol. Can. XXXVIII. ſtatutum fuiſſet, *ut bis in anno Concilia Epiſcoporum celebrentur*, &c. *ſemel quarta hebdomada Pentecoſtes, ſecundò verò duodecima die menſis Hyperberetai*. Sive, ut ex Mss. Vaticanis habemus, IV. Idus Octobris. Eccleſia autem Hiſpanica ſemper fuit retinentiſſima ſacrorum Canonum: ut patet ex toto Conciliorum ejus contextu. Quin & ob difficultatem congregandi Concilia bis in anno, opus habuit diſpenſatione Pontificia Hormiſdæ Pontificis ad Epiſcopos Hiſpaniæ, qua indulget, ut ſemel ſingulis annis Concilium celebretur. Illum exhibebimus ſuo loco circa annum DXX. Nec par eſt exiſtimare de magno Oſio, & adeò ſolicito de ſalute exterarum nationum, nullam habuiſſe ſuorum curam, coactis aliquot Synodis, quibus certè opus videbatur ad diſciplinam Eccleſiaſticam in Hiſpania conſervandam, & populos in officio continendos.

4. Sed enim hæc mera rationabilis conjectura eſt, cui non ſatis fidere poſſemus niſi nonnulla quædam accederent. Inter quæ præcipuum eſt quod legitur in libello Synodico apud Collectionem Labbei Tomo II. col. 91. *De Synodo Cordubæ* celebrata ab Oſio, hiſce verbis: Σύνοδος Κορδύβης

θεί-

Ἣν ὅσιος ὁ πανίερος Σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐπισκόπων ἐν τῇ οἰκείᾳ πόλει συγκαλεσάμενος, τὸ θεουργὸν ἐκφάντωρ μάθημα· κατακρίνας οὓς ἡ Σαρδικὴ ἀπεκήρυξε Σύνοδος, καὶ οὓς αὕτη ἐδέξατο, προσδεξάμενος. *Quapropter Cordubæ Epiſcopus ſanctiſſimus Oſius, Synodum divinam & ſanctam Epiſcoporum ſua in civitate congregans, divinitus expoſitam illuſtravit doctrinam, condemnans eoſdem, quos Sardicenſis abdicaverat Synodus, & quos ea abſolverat recipiens.*

5. In quibus verbis obſervanda quædam occurrunt. Primum eſt, id Concilium celebratum Cordubæ ab Oſio fuiſſe poſterius Sardicenſi, ſiquidem hujus mentio fit in illo, & abdicationis quorundam Epiſcoporum, reſtitutioniſque aliorum. Cùm verò conſtet apud omnes, Concilium Sardicenſe fuiſſe celebratum anno Eræ Chriſtianæ CCCXLVII. ſub Julio Papa, colligitur planè Cordubenſe fuiſſe aliquantò pòſt, ſaltem circa medium quarti ſæculi plus minùs. Annum enim illius certum aſſignare non poſſumus, nec dicere fuiſſe eundem quo Sardicenſis Synodus coacta fuerat: cùm opus habuerit Oſius, præſertim decrepita ætate, remeandi Cordubam per longiſſima terræ mariſque ſpatia è Sardica urbe mediterranea Thraciæ, Græcis & Turcis modò *Sophia*, Bulgariæ capite. Reverſum verò fuiſſe Oſium Sardicâ Cordubam, ſicuti & alios Epiſcopos ad ſuas Eccleſias, ſatis indicat Sozomenus lib. 3. cap. 11. dum ait: *His rebus ex utraque parte confectis, Concilium dimiſſum eſt, & quiſque ad ſuam Sedem revertit.*

6. Secundò conſtat, id Concilium non fuiſſe Diœceſanum, cùm ipſi plures Epiſcopi interveniſſe dicantur. Sed nec videtur fuiſſe Provinciale: ſiquidem nec Corduba erat Metropolis, nec Oſius habebat Epiſcopos ſuffraganeos, quos convocaret ad Synodum celebrandam. Patet verò ex verbis allegatis libelli Synodici, Oſium congregâſſe *Synodum divinam & ſanctam Epiſcoporum in ſua civitate*. Quapropter exiſtimo, fuiſſe Concilium Nationale Hiſpanicum, inſtar Eliberitani quinquaginta circiter retrò annis celebrati interveniente eodem Oſio. Verùm cum hoc diſcrimine, quòd tunc dumtaxat fuiſſet Epiſcopus Cordubenſis, & non primò loco ſubſcribens: in Cordubenſi autem Concilio fuerit Præſes, aut Legatus Sedis Apoſtolicæ, qualis fuerat in pluribus aliis extra Hiſpaniam tempore Conſtantini & Conſtantii Imperatorum, ac nominatim in ipſo Sardicenſi: aut ſaltem tanquam antiquiſſimus omnium Hiſpaniæ Epiſcoporum. Quare indixit abſdubio Oſius Cordubenſe Concilium, convocavitque Epiſcopos Hiſpaniæ, ſive tanquam illorum primus, attenta conſecratione, ſive tanquam Legatus Papæ, iiſque omnibus præfuit perinde ac Patribus Synodi Sardicenſis.

7. Licèt autem non poſſimus deſignare nomina omnium Epiſcoporum Hiſpaniæ, qui intervenêre Synodo Cordubenſi, niſi divinando; poſſumus tamen valdè rationabiliter inter eos referre nonnullos, quos ſimul cum ipſo Oſio conſtat celebrâſſe paullò antea Concilium Sardicenſe. Nimirum in exemplaribus vetuſtiſſimis illius, repræſentatis à Philippo Labbè Tomo II. Collectionis Conciliorum, columnâ 662. ſex priores ſubſcriptiones Patrum ejus Concilii ſunt Epiſcoporum Hiſpanorum, prolatæ hoc ordine:

Oſius ab Spannia Cordubenſis.
Annianus ab Spanniis de Caſtolona.
Florentius ab Spanniis de Emerita.
Domianus ab Spanniis de Aſturica.
Caſtus ab Spanniis de Cæſaraugufta.
Prætextatus ab Spanniis de Barcilona.

In alio Ms. apud eundem Labbè col. 758. poſt ſubſcriptionem Oſii primo loco, ſequuntur quatuor aliæ diverſorum; & poſtea à ſexto loco incipiunt nomina poſteriorum quinque Hiſpaniæ Præſulom. Credibile autem eſt, eos omnes qui præeunte Oſio intervenêre Synodo Sardicenſi, adeò diſtanti ab Hiſpania, poſtea regreſſos cum ipſo pariter Cordubæ celebrâſſe Concilium, præſertim circa abdicationem & reſtitutionem eorum, quos paullò antea in Sardicenſi damnaverant vel abſolverant. Sanè ſi credendum eſſet Chronico Dextri nomine edito, Commentariis Bivarii illuſtrato, ad annum Chriſti CCCLVI. num. 3. facilè nomina eorum Præſulum haberemus, qui interfuêre Concilio Cordubenſi. Verùm cùm id Chronicon judicio eruditiorum virorum intra & extra Hiſpaniam, ſit planè ſubdititium, & ſolis mercibus Higuerianis contextum, nulla ejus ratio à nobis habenda eſt. Vide infrà num. 140.

8. Quinam verò fuerint Epiſcopi apud Sardicam damnati aut reſtituti, conſtat ex Epiſtola Synodali Concilii ejuſdem exſtante apud Collectionem Creſconii, & in Hilarii Fragmentis, primo loco ſubſcriptâ ab Oſio, col. 66a. apud Labbeum mox citatum: ubi damnati referuntur, *Urſacius à Singiduno, Valens à Murſa, Narciſſus à Neronopoli* (ita legendum, non Ieropoli, aut Hierapoli: ſiquidem apud Athanaſium lib. *De Fuga* legitur: Νάρκισσος ἀπὸ τῆς πόλεως Νέρωνος) *Stephanus ab Antiochia, Acacius à Cæſarea, Menophantes ab Epheſo, Georgius à Laodicea,* :::::

9. Potuit verò fortaſſis loco ipſo nimia vetuſtate detrito legi nomen cujuſdam Theodori pariter ibidem damnati, teſtibus ejuſdem Concilii Patribus in alia Epiſtola Synodali ad Eccleſiam Alexandrinam in fine, ubi hæc leguntur: Τίνα δὲ ἐστὶ τὰ ὁρισθέντα τῆς ἁγίας Συνόδου δογματισθέντα κατὰ Θεοδώρου, καὶ Ναρκίσσου, καὶ Στεφάνου, καὶ Ἀκακίου, καὶ Μηνοφάντου, καὶ Οὐρσακίου, καὶ Οὐάλεντος, καὶ Γεωργίου, τῶν προϊσταμένων τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως, καὶ πλημμελησάντων καθ' ὑμῶν, καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν, γνώσονται ἐκ τῶν ὑποτεταγμένων· ἀπεστείλαμεν γὰρ ὑμῖν, ἵνα καὶ ἡ ὑμετέρα θεοσέβεια σύμψηφος τοῖς παρ' ἡμῶν ἐκδοθεῖσι γένηται, καὶ γνώσονται, ὅτι ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, οὐ παροφᾷ τοὺς ἐν αὐτῇ πλημμελήσαντας. *Quæ autem decreta ſunt à ſancta Synodo in Theodorum, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Menophantem, Urſacium, Valentem, & Georgium, antesignanos Arianæ hæreſeos, qui & in vos, & in alias Eccleſias peccaverunt; ex iis quæ ſubjecta ſunt, cognoſcetis: quæ ideo ad vos miſimus, ut veſtra in Deum pia religio ſuffragaretur ſententiis à nobis latis; ſimulque intelligat, Eccleſiam Catholicam nequaquam diſſi-*

diſſimulanter cum iis agere, qui ipſum offendunt. Hos itaque Ariana hæreſi infectos damnavit Oſius in Synodo Cordubenſi, ſicuti paullò antea in Sardicenſi damnaverat.

10. In alia verò Epiſtola ejuſdem Concilii Sardicenſis ad omnes Epiſcopos, exſtante apud Athanaſium Apologiâ 2. explicatiùs habentur nomina & qualitates eorum hoc ordine: *Theodorus ab Heraclea, Narciſſus à Neroniade Ciliciæ, Stephanus ab Antiochia, Georgius à Laodicea, Acacius à Cæſarea Palæſtinæ, Menophantes ex Epheſo, quæ eſt Aſiæ, Urſacius à Singiduno Myſiæ, Valens à Murſis Pannonicis.*

11. Videamus modò quinam primùm Sardicæ, ac poſtea Cordubæ reſtituti ſive abſoluti ſunt. In Epiſtola Synodali citata ad Julium Papam memorantur tres unica periodo, damnati antea ab Arianis, & Sardicæ innoxii declarati à Catholicis. *Perſeverent autem* (ajunt Patres) *Marcellus, Athanaſius, & Aſclepius in noſtra communione: quia obeſſe eis non poterat iniquum judicium,* &c. Porrò is Athanaſius eſt magnus ille Alexandriæ Præſul, & immobilis columna Fidei Catholicæ: quem ab Arianis iniquiſſimè damnatum, ab octoginta Epiſcopis Catholicis defenſum tanquam innoxium, Julius Papa matura deliberatione ac judicio reſtituit, ac ſubinde Synodus Sardicenſis perhonorificè recepit, & magnis ornavit elogiis in Epiſtola citata Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, exſtante apud ipſum Athanaſium Apologiâ ſecundâ, Baronium ad annum CCCXLVII. num. 26. & Labbeum col. 664.

12. Præterea ex eadem Epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam conſtat, Sardicæ receptos cum honore fuiſſe, *Aphthonium, & Athanaſium Capitonis filium, & Paullum & Plutionem compresbyteros, utpote de quibus conſtabat, eandem fraudem ab Euſebianis perpeſſos eſſe, & quoſdam eorum in exſilium ejectos, quoſdam mortis interminationes effugiſſe,* &c. In Epiſtola verò Synodali ſuprà citata ad omnes Epiſcopos, initio ferè, Athanaſio Epiſcopo Alexandrino adjungitur Marcellus tanquam *Ancyro-galatiæ Epiſcopus*, & Aſclepas, fortaſſe ille ipſe qui inter ſubſcriptiones ejuſdem Concilii dicitur *Aſclepius à Palæſtina de Gaza*. Ii igitur omnes, aut ſoli, aut præcipuè, primùm in Sardicenſi, deinde verò in Cordubenſi Concilio, utrobique ſub Oſio Præſide, tanquam innoxii reſtituti ſunt.

13. Porrò earum reſtitutionum in utroque Concilio primas partes habuit, poſt ſanctiſſimum Papam Julium, Oſius noſter: uti ſatis declarat eadem Synodalis Epiſtola Sardicenſis Concilii ad omnes Epiſcopos paullò poſt initium: ubi memoratâ contumaciâ Arianorum nolentium Sardicam convenire ad probandum crimina objecta eiſdem Athanaſio, Marcello, & Aſclepæ, poſtquam citati fuerant, ſubditur illicò: Καί τοι πάντων ἡμῶν συνελθόντων ἐπισκόπων, καὶ μάλιστα τοῦ εὐγηροτάτου Ὁσίου, τοῦ καὶ διὰ τὸν χρόνον, καὶ τὴν ὁμολογίαν, καὶ διὰ τὸ τοσοῦτον κάματον ὑπομεμενηκέναι πάσης αἰδοῦς ἀξίου τυγχάνοντος, ἀναμεινάντων καὶ προτρεπομένων αὐτοὺς εἰσελθεῖν εἰς τὴν κρίσιν, ἵν' ἅπερ ἀπόντων τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν ἐθρύλλησαν καὶ ἔγραψαν κατ' αὐτῶν, ταῦτα παρόντες ἐλέγξαι δυνηθῶσιν. *Tametſi omnes Epiſcopi ſimul congregati, & inprimis præclara ſenectute Oſius, homo & ob ævi longitudinem, & confeſſionem ſuam, & ob tantos ſuos labores omni reverentia dignus, exſpectaremus & hortaremur eos, ut in judiciū prodirent, & ea quæ rumoribus & literis de commiſtris noſtris abſentibus jactaverant, præſentes juſtis rationibus comprobarent.* Quibus verbis non modò illuſtre Magni illius Oſii elogium habemus; ſed etiam fidele teſtimonium zeli ac juſtitiæ ipſius pro Athanaſio, Marcello, & Aſclepa, contra falſas Ariomanitarum accuſationes, reſtituendis honori debito & regimini Eccleſiarum ſuarum, quibus injuſtiſſimè ſpoliabantur.

14. Hæc igitur ſola capita conſtat poſtea ſub eodem Oſio in Synodo Cordubenſi confirmata fuiſſe; quamvis dubitare non liceat ibidem plura alia ſtatuta eſſe circa diſciplinam Eccleſiaſticam, cujus ille retinentiſſimum ſe exhibuerat in ipſo Concilio Sardicenſi, aliiſque multis infrà indicandis. Præſertim cùm Canon ille XXXVIII. aliàs in Græco XXXVI. Apoſtolorum, ſuprà n. 3. allegatus, quo bis in anno præcipiebatur celebrari Epiſcoporum Concilia, ſubderet materiam in iis tractandam, dicens: Ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλοις τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν. *Inter ſe examinent decreta Religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant.* Quænam verò ejuſmodi decreta ſint in ſpecie ab Oſio, & aliis Epiſcopis, nemo, niſi divinando, affirmare poteſt, donec appareant tandem pleniora ſcripta, è quibus videtur deſumptus libellus ille Synodicus, à Pappo & Juſtello Græcè ac Latinè editus. Vide infrà num. 194.

EXCURSUS II.

De Conciliis interjectis Eliberitano & Cordubenſi, quibus Oſius adfuit cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, tempore Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris, cui chariſſimus fuit: ac nominatim de Conciliis Arelatenſi & Alexandrino. Geſta Oſii in utroque.

PONENDUM ex traditis Diſſertat. præcedenti, Concilium Hiſpanicum apud Eliberim celebratum fuiſſe ſub initium quarti ſæculi, an. Eræ Chriſtianæ plus minus CCCIII. Cordubenſe autem, Excurſu præcedenti memoratum, anno circiter CCCL. cùm jam Oſius cum aliis Epiſcopis Hiſpanis celebrâſſet Concilium apud Sardicam, & inde Cordubam rediiſſet. Videamus modò quibus præterea Conciliis intervenerit eo ſpatio interjecto quinquaginta circiter annorum, & quid præcipuum in iis geſſerit, ſimul cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis.

16. Ac primò quidem oportet agere de Conciliis prædictis ſub Sylveſtro Papa, cujus Pontificatus cœpiſſe creditur Kalendis Februarii, anno Chriſtiano CCCXIV. Conſtantini Imperat. IX. Antè verò quàm eo ipſo anno Arelatenſis Synodus cogeretur, jam Oſius Hiſpaniæ finibus egreſ-

egreſſus fuerat, & Romam contenderat, uti par credere eſt, ad veneranda SS. Apoſtolorum & Martyrum monumenta, ipſamque Apoſtolicam Sedem, prout à primis Eccleſiæ ſæculis in more fuit. Ea occaſione apud Conſtantinum, impensè Chriſtianis faventem, invenit gratiam ſingularem, uſque adeò ut frequenter ipſi à latere & conſilio eſſet, ejuſque patrocinium juxta varias Eccleſiarum neceſſitates ſolicitaret. Nimirum huc ſpectant, inter alia, literæ illæ Conſtantini ipſius ad Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem, quas Cardinalis Baronius Tom. III. ad annum Chriſti CCCXII. (nimirum, biennio ante Concilium Arelatenſe coactum) exſcribit, ſequentibus verbis:

CONSTANTINUS A. CÆCIL. EPISC. CARTH. S.

17. *Quoniam viſum eſt nobis, per omnes provincias Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ certis quibuſdam legitimæ & ſanctiſſimæ religionis Catholicæ miniſtris in ſumptus communes aliquid ſuppeditare; literas ad Urſum virum nobiliſſimum, Quæſtorem noſtrum in Africa, dedi: & ei ſignificavi, ut tria millia φόλεις tuæ gravitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictam pecuniæ ſummam recipiendam curaveris; omnibus qui in ſcheda ad te ab Oſio miſſa antè ſcripti ſunt, has pecunias diſpertiri jubeto. Quòd ſi aliquid ad iſtud meum in hac re erga omnes hos inſtitutum cumulatè explendum deeſſe animadvertas; ab Heraclida noſtrarum poſſeſſionum procuratore audacter & abſque haſitatione, quod neceſſarium fore putaveris poſtules velim. Nam illi coràm imperavi, ut ſi quid pecuniæ tua gravitas ab eo peteret, abſque dubitatione ulla tibi numerandum curaret. Et quoniam accepi, quoſdam homines non animo ſatis rectè compoſito & conſtituto, populum à ſanctiſſima & Catholica Eccleſia, malâ & pernicioſâ corruptelâ velle avertere; ſcias velim, me Anolino Proconſuli, quin etiam Patricio Præfectorum Vicario, cùm præſtò apud me eſſent, talia mandata dediſſe, ut cùm in reliquis omnibus, tum in hoc maximè curam diligentem ponerent; & rem ejuſmodi, ſi fortè acciderit, nullo modo negligerent. Quapropter, ſi quos homines in eo furore & amentia inhæreſcere perſpicias; abjectâ omni cunctatione, judices, quos dixi, adito, & hoc idem illis referto, ut illi in hos, ſicut coram mandavi, animadvertant. Dei Optimi Maximi numen te in multos annos conſervet.*

18. Hæc ſcripſit Conſtantinus ad Cæcilianum, tunc vehementer à Donatiſtis ſchiſmaticis exagitatum: & eam pecuniæ ſummam, nimirum, trium millium pholium (id eſt, non obolorum, ut interpretatur Suïdas, ſed marſupiorum monetæ, uti & hodiè Turcæ numerant) diſtribui jubet omnibus iis, quos in ſcheda ſua nominâſſet Oſius; utpote qui jam eo tempore plurimum gratiâ apud Imperatorem valebat, & penè rerum potiebatur in iis, quæ ad Eccleſias ſpectabant. Jam enim tunc Conſtantinus optimè affectus erat erga Religionem Chriſtianam, ut oſtendunt illa ipſius verba, *populum à ſanctiſſima & Catholica Eccleſia*, &c. Quin & ipſi Oſius ad baptiſmum recipiendum hortator fuiſſe videtur, juxta varia veterum teſtimonia, quæ eruditè expendit idem Baronius ad annum Chriſti CCCXXIV. præſertim num. 27. & ſeqq.

19. Nimirum ibidem producit aliquot teſtimonia, etiam Gentilium, quibus id ſatis teſtantur, Conſtantinum poſt cædem Criſpo filio ſuo, juveni præſtantiſſimo, propter inanes ſuſpiciones illatam, & Faoſtæ uxoris cædem, conſcientiâ ſcelerum commotum, nec invenientem apud ſacrificos idololatras, ſive apud Sopatrum celebrem Philoſophiæ doctorem, modum aliquem ea expiandi, didiciſſe ab Oſio opportunum remedium, ſi Religione Chriſtiana palam ſuſcepta, baptiſmi ſalutaribus undis ablueretur. Id palam indicat Zoſimus lib. 2. licèt circa nomen Oſii aliqua difficultas ſit, dum ab ipſo non appellatur Oſius, ſed ſolùm *quidam Hiſpanus genere, cui nomen eſſet Ægyptius*.

20. Idipſum ferè tradunt Gentiles generatim à Sozomeno memorati lib. 1. cap. 5. quamvis ipſe neget Criſpum à Conſtantino interemptum, aut ſaltem refellat afferentes, Conſtantinum ob illatam Criſpo cædem recepiſſe baptiſmum. Porrò Hiſpanum illum, *cui nomen eſſet Ægyptius*, non alium fuiſſe Baronius vult, quàm Oſium Hiſpanum Cordubenſem Epiſcopum, tunc gratiâ apud Conſtantinum valentem, qui ipſi baptiſmum ſuggeſſerit, veluti remedium unicum iis ſceleribus expiandis, Epiſcopos enim perſuaſiſſe Conſtantino, ut baptiſmum reciperet ad veniam ſcelerum impetrandam, Gentiles ipſi à Sozomeno ibidem allegati obſervant. Mirum autem non eſt quòd Oſius Hiſpanus, & Epiſcopus, ab iis appellaretur, ſeu diceretur Ægyptius; non quaſi in Ægypto natus (alioqui cur Hiſpanum dicerent?) ſed tanquam magus, ſive maleficiorum & incantationum artifex, quales ut plurimum à Gentilibus appellabantur Chriſtiani, præſertim ſacerdotes & Epiſcopi. Immo & ab antiquo tempore Hiſpani, hodieque, quaſdam vagorum & erraticorum virorum ac mulierum turbas præſtigiis inanibus deditas, ac divinationi, appellant *Gitanos*, & *Gitanas*, veluti ex Ægyptiis magis originem aut morem illum trahentes; qui & apud Italos *Zingari*, id eſt, Ægyptii, appellantur. Cumque aliunde certum habeamus, Oſium ſaltem ab initio Pontificatûs Sylveſtri, & ante baptiſmum Conſtantini, fuiſſe huic familiarem, ac fortaſſis jam miſſum in Ægyptum, ut poſtea dicemus; prudenter conjici poteſt, hortatorem fuiſſe præcipuum eidem Imperatori, ut palam Chriſti Religionem profiteretur, & baptiſmum acciperet.

21. Porrò Baronius loco citato ad annum Chriſti CCCXXIV. num. 27. palam affirmat id de Oſio, jam tum ex legatione Ægypti Romam reverſo. Addit verò: *Quod autem* (Conſtantinus) *non Romanum Antiſtitem*, (Sylveſtrum) *ſed peregrinum hominem* (Oſium) *ejus rei ſuaſorem & impulſorem iidem* (Gentiles) *tradant, ex iis certiores & evidentiores videri poſſunt latebræ Sylveſtri Romani Pontificis*. Nimirum, cùm eo tempore Sylveſter latitaret apud Soractem, facile fuit ut Conſtantinus Romæ non conſuleret ipſum, eo

tem-

tempore abſentem, circa expiationem ſcelerum per baptiſmum; ſed dumtaxat Oſium, qui tunc aderat Romæ, & ob legationem in Ægyptum, jam tum ſuſceptam juſſu ejuſdem Sylveſtri, aut aliquantò poſtea, à Zoſimo & aliis Gentilibus fuit dictus Ægyptius.

22. Ex eadem familiaritate Oſii cum Conſtantino pariter oriri potuit, ut hic poſt viſionem illam mirabilem ſanctæ Ceucis in aëra, ipſum conſuleret circa myſteria Religionis noſtræ circa annum CCCXVI. quo illa contigiſſe creditur: ut notatum exſtat apud Sozomenum ad marginem lib. 1. cap. 3. ubi rem totam enarrat, præſertim ax Euſebio Cæſareenſi, aurito teſte, & conſcio ex ora ejuſdem Imperatoris, qui viſionem ipſam crucis cum hiſce veebis, IN HOC VINCE, jurejurando confirmavit, ac præterea Chriſtum ipſum ſibi apparuiſſe per quietem cum eo ſigno quod in cœlo viſum fuerat, & juſſiſſe ut aliud ſimile conſtrueret, eoque deinceps in præliis uteretur. Subdit veeò ſtatim Sozomanus: *Et quoniam Imperator non ampliùs jam ullo egeret interprete, ſed manifeſtò eſſet ei declaratum, quomodo de Deo ſentiret; primo mane convocatis Chriſti ſacerdotibus, de religione Chriſtiana eos percontatur. Qui, libris ſacræ Scripturæ prolatis, ea quæ ad Chriſtum ſpectabant illi exponunt: quæ quidem ante quàm facta eſſent, à Prophetis prædicta eſſent, demonſtrârunt. Signum autem quod apparuerat, indicium eſſe dixerunt victoriæ contra inferos: quam quidem victoriam, cùm ad homines deſcendiſſet, crucis tormenta ſubeundo, oppetendo mortem, & tertia die ad vitam reſurgendo, reportâſſet,* &c. Hæc & plura alia Cheiſtianæ doctrinæ rudimenta Conſtantino tradita fuiſſe ab Oſio cum aliis ſacerdotibus convocatis, nihil vetat, & ſatis credibile eſt, cùm jam tum illa tantæ auctoritatis & gratiæ eſſet apud Imperatorem; à cujus latere vix diſcedere ſolitum, niſi ubi legationes obeundæ eſſent ad Concilia celebranda, vel alia Eccleſiæ graviſſima negotia peragenda, exploratum habemus apud ſcriptores ejuſdem ſæculi: inter quos Socrates lib. 1. *Hiſtor.* cap. 7. de Conſtantino teſtatur, Oſium *amâſſe & coluiſſe plurimum*.

23. Primum itaque Concilium extra Hiſpaniam tempore Sylveſtri Papæ celebratum præſente Oſio, videtur fuiſſe Arelatenſe primum, cujus epocha communiter refertur ad annum Chriſti CCCXIV. Sylveſtri I. Conſtantini IX. Ceconio Ruffo & Voluſiano II. Conſulibus, juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos: ſive Voluſiano & Aniano Coſs. ut alii numerant. Neſcio autem, quam ob cauſſam eruditiſſimus Sirmondus in Notis poſthumis à Labbeo editis in *Appendice* To. I. col. 1565. illud referat ad annum Chr. CCCXIX. contra communem aliorum chronotaxin. Habitum fuit ejuſdem Conſtantini juſſu in cauſſa Cæciliani & Donatiſtarum, qui ter condemnati, ipſum Imperatorem appellârunt. Convenerunt ad illud ex Hiſpania nonnulli, juxta exemplar editum à Labbeo Tom. I. col. 1430. hoc ordine: *Liberius Epiſcopus, Florentinus diaconus de civitate Emerita, provinciâ Hiſpaniæ. Sabinus presbyter de civitate Betica. Probatius presbyter, Caſtorius diaconus de civitate Tarracona, Clementius presbyter. Ruffinus exorciſta de civitate Cæſaraugusta.* Additur præterea: *Termatius presbyter, Victor lector, de civitate Baſligenſium*; fortè *Aſtigenſium*, Nimirum *Aſtigi* dicebatur olim urbs, quæ hodie *Ecixa* appellatur, nobile oppidum Bæticæ, quod olim fuit Epiſcopalis Sedes. Liberius autem Epiſcopus Emeritanus, eſt ille ipſe, qui, ut dictum eſt, aliquot retrò annis intervenerat Concilio Eliberitano ſimul cum Oſio Cordubenſi. Unde & ambo videntur curâſſe, ut quædam ibidem ſtatuta, pariter in hac Synodo Arelatenſi ſancirentur, ut poſtea dicemus num. 26. & 27.

24. Exiſtimo, presbyteros Hiſpaniæ ſuper memoratos veniſſe nomine Epiſcoporum ſuorum ad Concilium Arelatenſe in Gallia celebrandum. Imperator enim Conſtantinus edicto ſuo convocaverat innumeros ferè Epiſcopos ex Italia, Sicilia, Gallia, & Hiſpania, in eum finem: ut patet ex verbis Epiſtolæ ipſius apud Labbeum ſuprà col. 1424. & in Auguſtiniana editione noviſſima Monachorum Sancti Mauri Tomo IX. in *Appendice* col. 23. Πλείςυς ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίων (lege Ἀρελατησίων) πόλιν εἴσω Καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν. *Plurimos ex diverſis ac prope infinitis locis Epiſcopos in urbem Arelatenſem intra Kalendas Auguſti juſſimus convenire.* Sed Epiſcopi Hiſpani, excepto Liberio Emeritenſi, ſe excusârunt, & nonnulli presbyteros, alioſve inferiores miniſtros ſuo nomine illuc miſerunt.

25. Inter illos non invenio Oſium ſubſcribentem: ſed tamen adſtitiſſe ibidem, immo & præſediſſe nomine Sylveſtri Papæ, colligi ſatis videtur. Imprimis enim, teſte Euſebio, tunc jam florente, Conſtantinus adfuit Concilio Arelatenſi: ac proinde Oſius etiam, qui eodem tempore cum ipſo verſabatur, & ab ejus latere non diſcedebat, ut ſuprà vidimus. Deinde Cæcilianus Epiſcopus, uti antea tempore Melchiadis Papæ, ita & ibidem innocens declaratus fuit adversùs Donatiſtas: quod & ipſi fatebantur poſtea, duri licèt ac rebelles, teſte Auguſtino lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 6. ajente: *Fatetur etiam Parmenianus, ad Arelatenſe oppidum, & Epiſcopos judices, & partes ex Africa conveniſſe, Cæcilianum ſcilicet, atque Donatiſtas: ubi omnia ſuis credidit, qui nihil victi potuerunt de judicibus conqueri.* Præmiſerat verò idem Auguſtinus cap. 5. Parmenianum ipſum calumniatum fuiſſe, ſive conqueſtum adversùs Oſium Epiſcopum Cordubenſem, quòd cùm eſſet judex illius controverſiæ, ac deberet ſe gerere immunem à ſtudio partium, potiùs Cæciliani advocatum quàm judicem egiſſet. *Cùm enim diceret, per Oſium Hiſpanum adjutorium præſtitum Cæciliano, ut ad eorum communionem ſanctorum & illibatorum numerus cogeretur, & huic impietati fidem ſervorum Dei integram reſtitiſſe.* Hæc autem vix locum, aut ne vix, haberè poſſunt, niſi Oſius Arelatenſi Concilio, veluti judex aſſiſteret cum aliis Epiſcopis Italis, Gallis, & Hiſpanis, quos pariter Donatiſtæ criminabantur. Immo cùm Parmenianus eodem loco apud Auguſtinum nominatim invehatur contra ſolum

Oſium; videtur hic in eo Concilio potiorem cæteris locum habuiſſe, ſeu præſediſſe nomine Sedis Apoſtolicæ, quemadmodum poſtea in Conciliis pluribus.

26. Denique idipſum confirmatur; quoniam plerique Canones ejuſdem Concilii videntur mutuati ex Eliberitano paucis antea annis celebrato ab Oſio. Nimirum, quæ ibidem ſtatuuntur Canone IV. De Agitatoribus. Can. V. De Theatricis, ſive Scenicis, & De manuum impoſitione, Canone VII. De Præſidibus, ſeu Magiſtratibus, & De literis communicatoriis. Can. IX. De literis Confeſſorum, Canone XI. De conjunctione ſive matrimonio cum Gentilibus, Can. XII. De miniſtris ſeu clericis fœneratoribus. Canone XIV. De falſis accuſatoribus, Can. XVI. De excommunicatis. Can. XXI. De presbyteris aut diaconibus, & Can. XXII. De apoſtatis. Ea, inquam, omnia videntur deſumpta ex totidem Canonibus Eliberitanis LXII. XXXIX. LVI. LVIII. XXV. XV. XX. LXXV. LIII. & I. ubi eadem ferè habentur jam antea ſtatuta ab Oſio cum aliis Patribus in Concilio Eliberitano, undecim retrò annis, juxta chronotaxin noſtram: ut proinde idem Oſius prædicta decreta, aliaque nonnulla, Patribus Arelatenſibus ſuggeſſiſſe credatur; ut conferenti utroſque Canones manifeſtum erit. Quod ipſum longè poſtea feciſſe eundem Oſium in Concilio Sardicenſi, oſtendemus inferiùs.

27. Verùm ſingulari obſervatione dignum eſt, citatum Canonem XXII. Arelatenſem (quo apoſtatis impœnitentibus, & in extrema infirmitate petentibus communionem, negatur hæc) deſumptum planè fuiſſe ex Canone primo Eliberitano, ubi idem ferè ſtatutum fuerat; & ſanctè quidem, ut in ejus Commentariis Tomo I. oſtenſum eſt. Nunc accipe verba S. Cypriani Epiſt. LII. ad Antonianum, ajentis juxta morem ſui temporis: *Et iccircò, frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos eſſe cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos, non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Adfuit itaque Oſius Concilio Arelatenſi, & ſuggeſſit plures Canones: ſicuti & certè adfuit Liberius Epiſcopus Emeritanus, qui Concilio Eliberitano interfuerat ſimul cum Oſio.

28. Secundum Concilium extra Hiſpaniam celebratum præſente Oſio, fuit Alexandrinum, anno Chriſti CCCXIX. Sylveſtri Papæ VI. Conſtantini Imperatoris XIV. Interfuêre omnes Epiſcopi ad primatum Alexandrinum ſpectantes, unà cum Oſio Epiſcopo Cordubenſi, qui munere legationis Pontificiæ utebatur, ac præerat nomine Sedis Apoſtolicæ: & propterea fortaſſe S. Athanaſius Apologiâ ſecundâ hanc Synodum appellat Generale Concilium. Occaſionem præcipuam ad illud convocandum optimè expreſſit doctiſſimus Severinus Binius in Notis ad illud hiſce verbis: *Cauſſa primaria hujus Concilii hæc eſt: cùm Sylveſter Pontifex per encyclicas ab Alexandro ſcriptas Arianorum turbas ibi excitatas cognoviſſet; Oſium Cordubenſem Epiſcopum Legatum ſuum iſtuc ablegavit, qui ſumptis à Conſtantino Imperatore literis, quas illi communicavit, (exſtantque infrà apud Gelaſium lib. 2. cap. 4.) pacis & concordiæ ſuaſoriis, in Ægyptum veniens; ad Arianorum motus componendos Synodum indicit, eorumque cauſſam in judicium prædictorum Epiſcoporum deducit.*

29. Sanè apud Socratem lib. 1. *Hiſtoriæ.* narrantur fusè contentiones & diſcordiæ excitatæ ab Ario adversùs Alexandrum Epiſcopum Alexandriæ, ob quas ſedandas Oſius juſſu Conſtantini Imperatoris Alexandriam contenderit. Cùm enim capite 3. illas narrâſſet, ſubdit capite 4. *De his rebus cùm certior factus eſſet Imperator, incredibilem animo hauſit dolorem: perturbationemque illam ſuam ipſius calamitatem eſſe cenſuit. Extemplò igitur illud diſcordiæ incendium, quo inter ipſos exardeſcebant, reſtinguere ſeriò aggreditur: literaſque per virum ſpectatum & fidelem, Oſium nomine, Epiſcopum Cordubæ, quæ eſt civitas Hiſpaniæ (hunc enim Imperator ſingulari amore complexus eſt, & honore ſummo proſequutus) ad Alexandrum & Arium mittit.* Porrò literas ipſius ſtatim exſcribit Socrates, prout habentur apud Euſebium Cæſareenſem in libris *De vita Conſtantini*, & Gelaſium lib. 2. cap. 4. inter Acta Concilii Nicæni.

30. Acta ejus Concilii Alexandrini videntur interiiſſe; ut nunquam aliquod eorum exemplar inventum fuiſſe legamus. Conſtat tamen ex Athanaſio Apologiâ 2. citatâ, Colluthum presbyterum Alexandrinum in ordinem ibidem ab Oſio redactum fuiſſe, eo quòd munia Epiſcopalia tentâſſet, præſertim ordinandi alios, cùm Epiſcopali poteſtate careret. Præterea Socrates de eodem Concilio loquens iterum occaſione Synodi Nicænæ, ſex annis poſtea coactæ, inquit: *Epiſcopi, qui in Concilio Alexandrino aderant, hanc de οὐσίᾳ, & ὑποστάσει, id eſt, ſubſtantiâ, ſive perſonâ, controverſiam excuſſerunt. Nam Oſius Epiſcopus Cordubæ civitatis Hiſpaniæ (cujus antea fecimus mentionem) ab Imperatore Conſtantino ad tumultum ab Ario concitatum ſedandum miſſus, dum Sabellii Afri dogma explodere cogitaret, de οὐσίᾳ, id eſt eſſentia, & ὑποστάσει, id eſt, ſubſtantiâ, ſive perſonâ, diſceptavit; unde materia alteri contentioni ſuppeditata eſt.*

31. Denique in Synodico libro apud Labbeum col. 1495. ſolùm habetur, in eadem Synodo, quæ *Alexandrina Alexandri* dicitur, abdicatos & anathematizatos fuiſſe, *ὡς ἐμμένοντας τῇ ἀπιστίᾳ, καὶ σηπεδόνα τῆς ἐκκλησίας προσφέροντας, tanquam in infidelitate perſeverantes, & putredinem ſive ulcus Eccleſiæ afferentes*, Arium, Euzoium, Achillam, Acitalem, Lucium, Sarmatium, Julium, Menam, Arium alium, & Helladium; ipſorumque depoſitionem ubique emiſiſſe, ſubſcribentibus Epiſcopis Libyæ & Pentapolis, Syriæ & Lyciæ, Cappadociæ & Aſiæ, atque etiam Alexandro Conſtantinopolitano. Quod ipſum ferè teſtatur Alexander Epiſcopus Alexandrinus in Epiſtola ad alium Alexandrum apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. quæ integra exſtat Græcè & Latinè apud Labbè Tom. II. col. 7. ac ſeqq. Ac

Pho-

Photius in *Excerptis*, in Actis Alexandri ait: *Conſtantinus mittit Alexandriam OSIUM, nomine & re SANCTUM, quem Hiſpaniæ civitas Corduba in Epiſcopatu habebat.*

32. Hæc ferè ſola ſunt, quæ in eo Concilio Alexandriæ celebrato facta novimus, licèt dubitari nequeat Oſium ibidem cum aliis Catholicis Epiſcopis, juxta monitum Sylveſtri & Conſtantini, curâſſe ut extingueretur ignis ille ab Ario excitatus, qui tribus penè ſæculis arſit, donec in Concilio III. Toletano ſub Recaredo Hiſpaniæ Rege, & S. Leandro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, omnino extinctus fuit, anno Eræ Chriſtianæ DLXXXIX. Denique Oſium curâſſe Alexandriæ ut res æquiſſimè componerentur, nec tamen obtinuiſſe, conſtat ex Euſebio lib. 2. *De vita Conſtantini*. cap. 62. Socrate lib. 1. c. 4. Theodoreto lib. 1. c. 7. & aliis.

EXCURSUS III.

Eundem Oſium interveniſſe cum magna nominis celebritate, ac præſediſſe, & ſubſcripſiſſe ante omnes alios Patres, Magnæ Synodo Nicænæ, velut Legatum Sedis Apoſtolicæ, juſſu Sylveſtri Papæ, & aſſenſu Conſtantini Auguſti. Plura circa id obſervatu digna. Porrò ipſum quoque adfuiſſe Concilio Gangrenſi.

33. INTER Concilia omnia à tempore Apoſtolorum celebrata uſque modò, celeberrimum ſemper habitum fuit, & habebitur, Nicænum Primum, tempore Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris, cui, præter alios minoris notæ, trecenti illi duodeviginti Patres interfuêre, adversùs impiiſſimum Arium, qui ore putido, ac calamo virulento, auſus fuit negare veram divinitatem & æternitatem Filio Dei. Unde S. Leo Magnus Epiſt. LIII. aliàs LVI. quæ eſt ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, inquit: *Nulla ſibimet de multiplicatione Synodalis Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis, quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre: cùm tanto divinitus privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum.* Eant nunc recentes Ariomanitæ, Photiniani, Servetiani, & Sociniani, & inſanas ac blaſphemas ſuas ſynaxes pluris habeant, quàm illam ſacroſanctam Synodum: de cujus excellentia plura præmiſimus Tomo II. *Theologiæ S. Anſelmi*, in Prolegomenis, & deinde Diſp. LV. tota ſect. 2.

34. Huic tanto ac tam venerando Concilio præfuit nomine Sedis Apoſtolicæ Oſius, juſſu Sylveſtri Papæ & Conſtantini Imperatoris (à cujus latere non diſcedebat eo tempore) ſimul cum Victore & Vincentio presbyteris, pariter à Sylveſtro miſſis. Unde ii primi tres Symbolo Fidei ibidem ſtabilito, & Canonibus, ſubſcribunt hoc ordine, ante reliquos omnes Patres:

Oſius Epiſcopus civitatis Cordubenſis provinciæ Hiſpaniæ. (aliàs *Spaniæ*) *Ita credo, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt.*

Victor & Vincentius presbyteri urbis Romæ, pro venerabili viro Papa & Epiſcopo noſtro ſancto Sylveſtro ſubſcripſimus, ita credentes, ſicut ſuprà ſcriptum eſt.

35. Sequuntur continuata ſerie ſubſcriptiones aliorum Patrum, atque imprimis *Alexandri Alexandriæ magnæ*, qui Epiſtolis ſuis encyclicis reliquos excitaverat contra impiiſſimum Arium. Porrò eas ſubſcriptiones Latinè ſolùm, poſt alios, exhibet Labbeus Tom. II. col. 50. & ſeqq. Poſtea verò ex papyro Ægyptiaca, olim exſtante apud Joannem Sambucum, profert col. 54. & ſeq. ſubſcriptiones alias Græcas triginta quatuor circiter Patrum, quaſi & ii pariter Concilio eidem Nicæno interfuerint. Sed enim falluntur omnino qui ita exiſtimant: ut palam oſtendit eruditiſſimus Noris Diſſertat. IV. *De epochis Syro-macedonum.* pag. 513. nam eædem prorſus ſubſcriptiones apparent in Synodo VI. Generali, trecentis quinquaginta quinque annis poſtea CP. celebratâ, & ad illam ſpectant: cùm inter alios ſubſcribat Theopemptus Epiſcopus Ἰουστινιανοπολιτῶν, ἤτοι Μωκισσῶν μητροπόλεως δευτέρας Καππαδοκῶν ἐπαρχίας. *Juſtinianopolitarum, ſive Mokiſenorum metropoleos ſecunda Cappadocum provinciæ.* Qua ſubſcriptione corrigitur illa alia ejuſdem Theopempti Epiſcopi exſtans apud prædictam chartam Niliacam, ubi Noriſius palam nonnulla errata detexit. Conſtat verò Juſtinianopolim ducentis triginta circiter annis poſt Concilium Nicænum, ſub Juſtiniano Imperatore metropolitica jura impetrâſſe: ut habetur in Synodo V. Generali celebrata ſub ipſo Juſtiniano Collatione V. Quare ſubſcriptio illa Theopempti, & aliæ adjunctæ, abſdubio ſpectant ad Synodum VI. Generalem, multò poſtea celebratam, anno DCLXXX. ſub Conſtantino Pogonato, ubi & apud eundem Labbeum Tomo VI. col. 1060. fine, legitur illa ipſa Theopempti, niſi quòd in Græca additur ἐλέει Θεοῦ, *miſericordiâ Dei*; & in Latina ſola, *Chriſto amabilis*. Sed hæc obiter ſolùm indicâſſe licuerit.

36. Similiter in Hiſtoria ejuſdem Concilii Nicæni Græcè ſcripta à Gelaſio Cyziceno, & Latinè reddita, lib. 2. cap. 27. & iterum poſt c. 36. ſub finem ejuſdem libri, apud Labbè Tomo II. col. 227. & col. 267. exhibetur *Catalogus ſanctorum Epiſcoporum, per quos ſancta magna & univerſalis Synodus Nicææ coacta, miſit omnibus in toto Orbe terrarum Dei Eccleſiis ea, quæ ab ipſis per Spiritum ſanctum in ea conſtituta ſunt.* Deinde ſtatim primo loco ante nomina aliorum Patrum legitur inſcriptio, ſive ſubſcriptio Oſii hiſce verbis Latinis & Græcis: ΟʹΣΙΟΣ ἐπίσκοπος Κορδύβης ταῖς κατὰ Ῥώμην, καὶ Ἰταλίαν, καὶ Σπανίαν πᾶσαν, καὶ ταῖς ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι τοῖς ἐπέκεινα κατ' αὐτὰ ἕως τοῦ Ὠκεανοῦ, ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις, διὰ τῶν σὺν αὐτῷ πρεσβυτέρων Ῥώμης Βίκτωρος καὶ Βικεντίου. Ideſt: *Oſius Epiſcopus Cordubæ ſanctis Dei Eccleſiis, quæ Romæ ſunt, & in Italia, & Hiſpania tota, & in reliquis ulteriùs nationibus, uſque ad Oceanum commorantibus, per eos qui cum ipſo erant, Romanos presbyteros, Victorem & Vincen-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

centium, nimirum, ſocios legationis ejuſdem, nomine Sylveſtri Papæ. Quod ipſum totidem verbis legitur apud Gelaſium.

37. Huc etiam ſpectat ejuſdem Nicæni Concilii Epiſtola ad ipſum Sylveſtrum Papam, exſtans in antiquis codicibus manuſcriptis Collectionis Creſconianæ, quanquam multis nævis vitiata, prout illam edidit primò Surius, & poſtea Labbeus ubi ſuprà col. 58. cum hac inſcriptione: *Beatiſſimo Papæ urbis Romæ cum omni reverentia colendo Sylveſtro, Oſius Epiſcopus provinciæ Hiſpaniæ, civitatis Corduba, Macarius Epiſcopus Eccleſię Hieroſolymitanæ, Victor & Vincentius presbyteri urbis Romæ, ordinati ex directione tua, & trecenti decem & octo, in Domino ſalutem.*

38. Deinde verba ejuſdem Epiſtolæ, licèt deturpatę injuriâ temporum, aut librariorum negligentiâ, hæc ſunt: *QUONIAM omnia* [a] *corroborata de divinis myſteriis Eccleſiaſticæ utilitatis* [b], *quæ ad robur pertinent ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ad ſedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur: nunc itaque ad* [c] *veſtræ Sedis argumentum accurrimus roborare. Itaque cenſeat veſtra Apoſtolica doctrina, Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicæ urbis in unum convenire, veſtrumque habere* [d] *Concilium, ſicut docet myſtica veritas;* [e] *ut firmetur noſtra ſanctimonia, gradusque fixos, vel textus ordinationis tuæ ſanctimoniæ noſtra poſſit habere regula: quoniam decet numerum dictorum tuorum Coëpiſcoporum à te diſcere gradus,* [f] *vel ordines conſtituere urbis. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro univerſo Concilio. Data 8. Kalendas Julias* [g], *accepta 13. Kalendas Novembris, Paullino & Juliano ſummis Conſulibus.* Conſule ſis ad marginem variantes codicum lectiones, ſeu correctiones, quibus adjunctis Epiſtola adhuc mendoſa, barbara, & hiulca remanet.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

a Corroborantur divinis.
b Cauſsâ.
c Variæ fidei argumentum.
d Conſilium.
e Confirmas hæc ſancita noſtra.
f Confirmes etiam ſcendere verbi.
g Septembris.

39. Reſcriptum autem Sylveſtri Papæ ad ipſum Oſium, alioſque Patres Nicæni Concilii, apud Baronium, Binium, Labbeum, & alios, ejuſmodi eſt.

Sylveſter Epiſcopus ſedis Apoſtolicæ, & S. Eccleſiæ Catholicæ reverendæ Religionis urbis Romæ, fratribus & Coëpiſcopis, qui in Nicænum Concilium convenerunt, in Domino ſalutem.

Gaudeo promptam vos benignitatem ſervare. Nam & confirmo, ſiquidem ad doctrinæ veſtræ reclamantes de myſterio vel unitate Trinitatis, Chriſmatis vos ſecundùm dicta & doctrinam Evangelicam, ſanctam accepiſſe gratiam: de quo examinationis probo vera fuiſſe & eſſe manſura, quæ in veſtrum noſtrumque manavêre myſterium, meum chirographum & diſcipulorum meorum offero in veſtro ſancto Concilio, quicquid conſtituiſtis, unà parem dare conſenſum. Atque in gremio veſtræ Synodi parva propter diſciplinam Eccleſiæ alligabo præcepta: propter Victorinum, qui arbitrio ſuo quicquid vellet affirmabat, & cyclos Paſchæ pronunciabat fallaces: & cum Epiſcopis totius urbis Italiæ examinatam univerſitas veſtri ſancti Concilii dignetur accipere veritatem. Et alia manu: *Oret pro nobis beatitudo veſtri ſancti Concili trecentorum decem & octo, ut charitatis, quæ vobis data eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur augmentum. Data quinto Kalendas Novembris, accepta quarto Idus Februarii, Conſtantino ſepties, & Conſtantio Cæſare quartò Conſulibus.*

40. Hæc ibi. Ex quibus vox *quartò* auferenda eſt: cùm Conſtantius Cæſar fuerit primò Conſul anno CCCXXVI. celebrato jam Concilio Nicæno. Conſtantius, inquam, non Conſtantinus Cæſar, ut per incuriam legitur editum apud Schelſtrate ex Onophrio & aliis Diſſert. 2. paginâ 281. Conſtantinus enim Cæſar filius Conſtantini Auguſti natu major, non videtur eo anno Conſulatum geſſiſſe, ſed in precedentib. CCCXX. CCCXXI. & CCCXXIV. ac poſtea CCCXXIX. cum Conſtantino Auguſto VIII.

41. Præterea Photius in Bibliotheca Cod. 88. (juxta editionem Rhotomagenſem G. L. anni MDCLIII. quâ utor, col. 206.) ait: *Legimus hiſtoriæ formâ RES IN SYNODO NICÆNA GESTAS, tribus libris. Refert auctor Oſium Cordubæ Epiſcopum, & Bitonem atque Vincentium, Romanos ſacerdotes, SYLVESTRI PONTIFICIS LEGATOS, adfuiſſe*, &c. Porrò Codex ille Photii, ut ipſe eo loco teſtatur, titulum præferebat: *Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri tres.* Eſt autem idipſum opus quod habemus Grecè ac Latinè editum ſæpè, Pariſiis anno MDC. typis Frederici Morelli, Romæ MDCVIII. & tandem apud Labbeum Tomo II. col. 103. & ſequentibus, nomine Gelaſii Cyziceni, in cujus libro 2. cap. 5. referuntur ex teſtimonio Euſebii Cæſareenſis nationes Epiſcoporum, qui intervenêre Synodo Nicænæ. Ubi autem devenitur ad illorum nomina, primo loco deſignatur Oſius, veluti præcipuus Legatus Sylveſtri Papæ, hiſce verbis: Αὐτός τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος ὁ ΟΣΙΟΣ, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου ΣΥΛΒΕΣΤΡΟΥ, σὺν πρεσβυτέροις Ῥώμης Βίτωνι καὶ Βικεντίῳ, τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. *Ipſe etiam OSIUS ex Spaniis, nominis & famæ celebritate inſignis, qui SYLVESTRI Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis presbyteris Bitone & Vincentio, cum aliis multis in conventu illo adfuit.*

42. Nec adfuit modò, ſed quemadmodum in Concilio Alexandrino ſex retrò annis Sabellii errorem rejecerat, ut ſuprà num. 30. obſervavimus ex Socrate, & hæreſim Arii paullò antea excitatam exſtirpare ſtuduerat; ita & hanc primò ac præcipuè inter Patres Nicænos damnavit, quà voce, quà exhortatione, quà nominis proprii ſubſcriptione præ aliis, ut ſuprà vidimus. Unde cùm divinum illud Fidei Symbolū à tota Synodo proferretur; creditur primus omnium, veluti præcipuus Apoſtolicæ Sedis Legatus, præiviſſe cæteris, & clara voce protuliſſe verba illa: ΠΙΣΤΕΎΟΜΕΝ ΕἸΣ ἝΝΑ ΘΕΌΝ, &c. CREDIMUS IN UNUM DEUM, &c. ac præſertim verbum illud de Filio Dei ὉΜΟΟΎΣΙΟΝ Τῼ͂ ΠΑΤΡΊ, CON-

SUB-

SUBSTANTIALEM PATRI, quæ vox fuit veluti teſſera Religionis Catholicæ adversùs Arianos. Unde S. Athanaſius in Epiſt. *Ad ſolitarios.* ait de Oſio: *Qui formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit*. Integram illam videre potes optimè expreſſam apud Labbeum Tomo II. col. 27. & 28. Græcè ac Latinè, ex Athanaſio in Epiſt. *Ad Jovianum*, Socrate lib. 1. cap. 5. Theodoreto lib. 1. cap. 12. unde & eandem eruerat auctor *Hiſtoriæ Tripartitæ*, lib. 1. cap. 17. Præterea qualiter Oſius in ea Synodo Magna inſtiterit, ut ſacerdotes matrimonio ligati continentiam ex debito profiterentur, ac perpetuò ab uxoribus abſtinerent; ſatis dictum fuit Tomo I. lib. 2. *Comment. in Concil. Eliberitanum*. cap. 66.

43. Mirum autem non eſt, tantam apud omnes auctoritatem & venerationem habuiſſe Oſium in eo Concilio, cùm longè antea illam ſibi conciliâſſet apud omnes, poſtquam celebrato in Hiſpania celeberrimo illo Concilio Eliberitano, paſſus fuerat crudelem perſecutionē an. CCCIV. immediato, & tormenta pro Fide Chriſti ſub Daciano Præſide, ut ſuo loco vidimus. Unde ab eo tempore ſtigmatibus impreſſis fronti, ſpectabilis ubique moribus, doctrinâ, ac notis tormentorum ex confeſſione illa relictis, ab omnibus habebatur ſanctus juxta nomen ſuum, & computabatur inter Martyres, ſive Confeſſores Chriſti, inſtar aliorum quorundam Patrum, qui Nicæam convenêre decorati ſtigmatibus & ſplendidiſſimis aliis ſignis martyrii antea toleraci; in quæ mira pietate figebat oſcula Conſtantinus Imperator. Propterea & ipſi Oſius multò antea chariſſimus Romæ fuerat à tempore converſionis ſuæ, & aſſiduus ferè comes, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Ipſius nutu & Sylveſtri Papæ juſſu, miſſus fuit primò Alexandriam, poſtea Nicæam, ut nomine Sedis Apoſtolicæ præſideret Concilio omnium ſeculorum celeberrimo; & tanquam divinus quidam vir, aut è cœlo delapſus, declararet ac confirmaret Catholicam Fidem adversùs Ariomanitas, peſtilentiſſimos illius hoſtes. Lege Nicephorum lib. 8. cap. 14. ubi texit catalogum plurimorum Epiſcoporum, qui notis martyrii præfulgentes, Nicæno Concilio adfuêre, inter quos OSIUM CORDUBENSEM recenſet.

44. Anno proximè præcedenti aut ſequenti Concilii Nicænum, ideſt, Eræ Chr. CCCXXIV. vel CCCXXVI. creditur coacta Synodus Gangrenſis, ſic appellata à Gangris civitate in Paphlagonia apud Aſiam minorem. Huic verò pariter intervenìſſe Oſium, communiter traditur, & conſtat ex Epiſtola Synodali Patrum ibidem congregatorum, in cujus titulo Latino legitur nomen *Oſii Cordubenſis*, non primo loco, uti in Concilio Nicæno, ſed decimo quarto; fortaſſis, quia ibidem non erat Legatus Sedis Apoſtolicæ, uti fuerat in Alexandrina Excurſu ſecundo memorata, & poſtea fuit in aliis ſequentibus.

45. Similiter in fine ejuſdem Epiſtolæ Synodalis legitur nomen Oſii inter alios Epiſcopos, juxta Mss. Codices Juſtelli & Hardyi, aliorumque, licèt in nonnullis aliis deſit, ſicuti & in exemplari Græco apud Labbeum Tomo II. col. 413. Id autem certum eſt, in alio exemplari juxta Latinam interpretationem Dionyſii Exigui, ibidem edito col. 423. hæc verba haberi: *Et ſubſcripſerunt ſuprà nominati ſexdecim Epiſcopi*. Sunt autem totidem qui habentur in Latina editione Epiſtolæ Synodicæ, & inter eos Oſius. nam ſi hic auferatur, ſolùm reſtant quiodecim, juxta nonnulla exemplaria Latina, & tredecim juxta Græcum ibidem editum pag. 413. Quare ad implendum numerum ſexdecim Epiſcoporum, oportet inter eos numerare Oſium, prout habetur in aliis Mss. Cumque in eo Concilio plura habeantur in laudem virginitatis; accedit non levis conjectura præſentiæ Oſii, utpote qui teſte S. Iſidoro, ſcripſit ad ſororem ſuam librum, ſeu Epiſtolam *De laudibus virginitatis*. Idem quoque, ſicut in Concilio Nicæno laboravit pro continentia perpetua ſacerdotum conjugatorum ſancienda; ita & in Gangrenſi cum aliis Patribus videtur egiſſe contra errorem extremè oppoſitum Euſtachii Epiſcopi Sebaſteni, exſecrantis omnino functiones quaslibet ſacerdotum eorum, qui in ſtatu laïcali nuptias contraxiſſent. Quamobrem in eadem Synodo Gangrenſi depoſitus fuit, ut patet ex ipſius Præfatione, ſive Epiſtola *Ad Epiſcopos Armeniæ*. Lege præterea Socratem lib. 2. cap. 33.

46. Quamvis verò Synodus eadem Gangrenſis communiter referatur ad an. Chr. CCCXXIV. aut CCCXXVI. ut ſuprà dixi; exiſtimo incertam omnino eſſe illius epocham, cùm nemo veterum illam deſignet. Credibile autem eſt potiùs coactam fuiſſe aliquot annis ante Concilium Nicænum, quàm poſtea. Si enim poſt illud celebrata fuiſſet, cùm jam Oſius nomine Sedis Apoſtolicæ præfuiſſet tantæ illi & tam venerandæ Synodo totius Eccleſiæ; incredibile apparet non habiturum primum locum & præcipuum inter Patres Gangrenſes: nec decens videbatur ut ii aliter ſe gererent cum tanto Præſule, ac tam magnæ exiſtimationis apud Sylveſtrum Papam & Conſtantinum Imperatorem.

EXCURSUS IV.

Oſium pariter interfuiſſe ac præſediſſe Concilio Sardicenſi, & pleroſque illius Canones ſuggeſſiſſe ac dictâſſe. Quanta eorum auctoritas ſit, & nominatim ſecundi, conformis pluribus aliis Eliberitani Concilii antea ab eodem Oſio celebrati, quorum auctoritas confirmatur, contra Auxilium ſcriptorem ſæculi X. & prorſus immunis à labe Novatianiſmi oſtenditur. Ubi plura ad Hiſtoriam & Chronologiam ſpectantia.

47. ULTRA ea, quæ ſuprà Excurſu I. præſertim à num. 7. diximus de Concilio Sardicenſi occaſione Cordubenſis ab Oſio poſtea celebrati, addendum eſt, Oſium toto illo tempore interjecto Synodis Nicænæ & Sardicenſi, id eſt, ab anno CCCXXV. ad CCCXLVII. verſatū fuiſſe partim in Oriente apud Conſtantinum aut Conſtantium, partim apud Pontifices Silveſtrum & Julium (Marcus enim exiguo tempore rexit Eccleſiam) partim deni-

deoique, oti credere par eſt de tanto viro, io diœceſi ſua Cordubenſi: ut iovigilaret ſaluti ovium ſibi à Deo commiſſarum. Neque enim ovile proprium deſeroiſſe putandus eſt, oiſi cogente cauſſa communi ac neceſſitate totius Eccleſiæ, quæ tantopere eo tempore afflictabatur ab Arianis, tum reliqoo tempore Conſtaotini, tum præcipuè ſub Conſtantio. Io tot autem Catholicorum perſecutionibus, præſertim contra Magnum Athanaſium excitatis, Oſius firmiſſima Fidei columna fuit, & invictus ejuſdem S. Doctoris defenſor, uti omnia ejus temporis Concilia & ſcripta tradunt, quorum oonnulla indicabimus poſtea.

48. Tumultuantibus autem Arianis, & Conciliabola multa cogentibus adversùs Catholicam Fidem in Concilio Nicæno ſtabilitam, & contra Athanaſium acerrimom ipſius defenſorem, anno undecimo poſt obitum Conſtaotini Magni, Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſulibus Ruffino & Euſebio, Conſtantii & Conſtantis Imperatorum decimo & undecimo, Julii Papæ undecimo, indicta fuit Synodus Sardicenſis (quam S. Auguſtinus *magnum & plenarium totius Eccleſiæ Concilium* appellat) convenientibus illuc ducentis octoginta circiter Epiſcopis ex Occidente, ex Oriente autem ſeptuaginta ſex. Hæc ferè ad verbum ſcribit (ot alios miſſos faciam) Sozomenus lib. tertio *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. uodecimo; ubi & de Oſio oominatim ſermonem habet. Itaque facta computatione, numeroſior Synodus fuit Sardiceoſis, quàm Nicæna, trecentis decem & octo ſolòm Patribus conſtans, cùm illa conſtiterit trecentis quinquaginta ſex.

49. Præfuit eidem Concilio Sardicenſi ex delegatione Julii Papæ, & conſenſu utriuſque Imperatoris, Magnus ille Oſius, & primo loco ſubſcripſit. Nimirum, tanta erat illius auctoritas in tota Eccleſia, tam celebris pietas & doctrina, tam veneranda canities, quinquageſimo anno Epiſcopatus ſui fluente, tam longa experientia Conciliorum, ot quemadmodum Magnæ illi Syoodo Nicęnę præfuerat viginti duobus retrò annis jubēte Sylveſtro Papa, & annuente Conſtantino Auguſto; ita etiam Sardicenſi Præſes deputatus fuerit à Jolio Papa, conniventibus Conſtaotio & Conſtaote Imperatoribus. Detulit verò ſecum ex Hiſpania Oſius quinque alios Epiſcopos, qui pariter cum ipſo ſubſcribunt, & fortaſſe plures alios ex Gallia, Italia, aliiſque regionibus; cùm eſſet ubique terrarum notus, & haberetur veluti oraculum illius ævi.

50. Multum ponderis habuit Sardicæ Oſius in protegeodo & ad Synodum illam admittendo S. Athaoaſio ac ſociis, quos jam Julius Papa, acceptis graviſſimorum Epiſcoporum teſtimoniis de ipſorum innocentia, & coacto præterea Rumæ aliorum quinquaginta Epiſcoporum Concilio, declaraverat innoxios unanimi ipſorum conſenſu. Cùm verò aliqui Orientales nollent adhuc illos intra Synodum Sardicæ admittere, nec eam celebrari, niſi adeſſent Muſonianus, Heſychius, & Caſtritius, cum ſatellitiis ſuis, à quibus ſe protegendos ſperabant; Oſius & reliqoi Patres ooluerunt conſentire impio eorum conatui: indixère autem, ut in ipſo Concilio propooereot ſi quæ capita accuſationis habebant contra Athanaſium, & illa probarent; alioqui ſubituri pœnam talionis. Ipſi autem diffidentes cauſſæ ſuæ, clam receſsère Sardicâ, & Philippopoli convenère: ubi in Conciliabulo ediderunt novam Fidei formulam, veluti ad ſupplendum quod Nicænæ defuerat, & Homoûſion abrogârunt. Quin & in Juliom Papam, Oſium, ac reliquos Juſtitiam Athanaſii tuentes, anathema dicere auſi ſunt.

51. Sed Oſius, & alii Patres Sardicenſes, nihil morati frivolas & calumnioſas exceptiooes, auſuſque nefarios, iis anathema conclamârunt: præſertim Stephano Antiocheno, Menophanti Epheſino, Narciſſo Neroniadis, Theodoro Heracleenſi, Acacio Cæſareenſi, Urſacio à Singidono, Valenti à Murſis, & Gregorio, qui in Alexandrinam ſedem multo milite armatus irruperat. Eos omnes itaqoe Epiſcopali dignitate privârunt. Athanaſium verò ac ſocios, tam Romæ, quàm Sardicæ, ſuo honori reſtitutos Synodali ſententiâ, confirmârunt io regimine ſuarum Eccleſiarum. Præterea Homoûſion, & totam formulam Nicænæ Fidei confirmârunt, ac probâruot, veluti integram, perfectam, & nullis aſſumentis egentem: aliam verò oovam ab iiſdem refractariis adinventam, & evulgatam ſub ejuſdem Synodi Sardicenſis nomine, damnârunt veluti adulterioam & ſubdititiam.

52. Hæc omnia teſtantur ſcriptores ejuſdem quarti ſæculi, ac qoioti ſequentis; præſertim Athanaſius ipſe Apologiâ II. & libro *De Synodis*, & io Epiſtola *Ad ſolitariam vitam agentes*, Theodoretus lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 7. Socrates lib. 2. cap. 5. 9. 16. & Sozomenus lib. 3. cap. 2. 5. 7. 9. 10. & 11. ut alios recentiores omittam: niſi quòd Sozomenus ait, Catholicos Patres Sardicæ edidiſſe Fidei formulam, ſeoſo eandem cum Nicæna, pluribus aotem verbis cooceptam, cujus oomine Oſius & Protogenes apud Juliom Papam ſe excuſaverint. Fallitur enim in hoc Sozomenus: cùm S. Athanaſios, qui præſens erat eidem Coocilio, oppoſitum teſtetur. Etenim ait, aliquos in ea Synodo voluiſſe ot verba quædam ibi adjungerentur formulæ Nicænæ, quaſi ſupplementa quædam: reliquos autem PP. Sardicenſes reſtitiſſe, qoòd ſe dicerent illâ contentos; ac decreto ſanxiſſe, ut nihil adderetur: *ne illis quibus libido erat ſemper nova ſtatuere, occaſio ejuſmodi ſuppeteret, ut iterum atque iterum nova de Fide definirent*. Ita Athanaſius in literis Synod. ad Eccl. Antiochenam.

53. Nec tantùm curæ fuit Oſio in ea Synodo cum aliis Patribus Nicænam Fidei formulam confirmare, & Athanaſii reſtitutionem à Julio Papa publicatam ſtabilire. Ulteriùs eoim veluti ingenium & lingua fuit ejus Coocilii in ſoggerendis & dictandis pleriſque Caoonibus ibidem editis. Ex viginti enim ſtatutis, quiodècim ab ipſo propoſiti fuerunt toti Synodo verbis illis: ὍΣΙΟΣ ἐπίσκοπος πόλεως Κορδύβης εἶπεν· *OSIUS Epiſcopus urbis Cordubæ dixit*. Deinde io fine cujuſque ferè Canonis ſobditur: *πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· ἀρέσκει πᾶσιν. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet omnibus*;

Tanta erat auctoritas Oſii in ea ſacratiſſima Synodo, ut ipſius ſuggeſtionibus ſive ſententiis, veluti cnidam cœleſti oraculo, ab omnibus, & ab ipſo Magno Athanaſio, qui aderat, unanimiter ſubſcriberetur.

54. Notandum verò eſt, quicquid in tribus primis Canonibus ſtatutum fuit cootra ambitioſas traoſitiones Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam, præſertim ampliorem ant opuleotiorem, ſub graviſſimis pœnis, ſervatum reipſa fuiſſe imprimis ab ipſo Oſio, qui ea decreta ſuggeſſit, ac dictavit. Cùm enim à prima ſui inſtitutione in Epiſcopū Cordubenſem fluxiſſent jam tum quinquaginta aut plures anni, & plerique eorum ſub Pootificatu Sylveſtri ac Julii, & ſub Imperatoribus Cooſtantino ac Conſtaotio, apud quos ſummam auctoritatem & gratiam habuit; nunquam, nuſquam invenitur aliam, vel majorem aut ampliorem Eccleſiam ambiiſſe, vel indicâſſe deſiderium aliquod tranſitionis. Quid ad hæc ii, qui quovis colore aut alio prætextu quæſito, ab uoa io aliam Eccleſiam tranſire ſtudent? Sanè ambitionem aut avaritiam eſſe veram ejus inſtabilitatis cauſſam, declarat Oſius verbis ipſis Canonis primi, dum ait: *Ne cui Epiſcopo liceat à parva civitate in aliam migrare. Ejus enim cauſſa prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur. Nullus enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit, qui à majori civitate in minorem tranſire ſtuduerit. Unde conſtat eos ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem. Placetne hoc omnibus, ut ejuſmodi improbitas acerbiùs vindicetur? Exiſtimo enim eos ne laïcorum quidem debere habere communionem. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet omnibus.* Sed jam antea, Tomo I. hujus Operis Differt. XII. plura de hoc præmiſimus obſervatu digna, quæ ooo vacat repetere.

55. Porrò in Caoone ſecundo notandum eſt, Epiſcopis per ambitum & fraudem ibidem deſcriptam tranſeuntibus ad ampliorem Eccleſiam, indici privationem perpetuam communionis, etiam laïcæ, in fine vitæ. ὥστε (inquit Oſius) μηδένα τοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ τέλει, λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. *Ut nemo poſſit, qui eſt ejuſmodi, ne in fine quidem, laïca communione dignus haberi.* Cumque interrogâſſet Oſius alios Patres, an hæc ſententia placeret? ἀπεκρίναντο· τὰ λεχθέντα ἤρεσεν. *Reſponderunt: Placent quæ dicta ſunt.*

56. Hæc tam gravis & dura pœna, quâ quibuſdam negatur communio, etiam laïca, in fine vitæ, eſt illa ipſa, quæ longè antea ab ipſo Oſio & aliis Hiſpaniæ Epiſcopis in Concilio Eliberitano ſtatuta fuerat ob quædam graviora peccata: ut patet ex Canonibus, ſive capitibus ipſius I. II. III. VI. VII. VIII. XVIII. LXIII. LXVI. LXXI. & LXXV. Quam ob cauſſam nonnulli ſcriptores, etiam Catholici, id Concilium rejecerunt velut de Novatianiſmo ſuſpectum: tamquam ſi io iis capitibus Epiſcopi Hiſpani cum Novatiano negâſſent Eccleſiæ poteſtatem reconciliandi, vel communionem præſtandi lapſis poſt baptiſmum in gravia illa ſcelera. Verùm immunes prorſus fuiſſe ab eo errore Patres Eliberitanos, nec eripuiſſe Eccleſiæ poteſtatem prædictam, ſed ſolùm juxta neceſſitatem & opportunitatē temporis, illius ſeveriorem diſciplinam curâſſe ac ſtatuiſſe, tam apertè & eruditè demonſtravit V.CL.D. Ferdinandus de Mendoza io ejuſdem Coocilii Commentariis lib. primo cap. 4. nt jam de cætero nullus, quem ſciam, illis eam adeò tetram labem adſcripſerit. Alioqui adſcribenda eſſet graviſſimis aliis Patribus loogè antiquioribus Coocilio Eliberitano, qoos tameo S. Cyprianus Catholicos cenſet, dum inqnit Epiſt. ad Anton. *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtbic in provincia noſtra dandā pacem mœchis non putaverunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt: NON TAMEN A COEPISCOPORUM COLLEGIO RECESSERUNT.* Id eſt manſère intra pacem & communionem Eccleſiæ Catholicæ. Vide Petavium in Epiphaoium Tomo II. Hæreſi LIX. pag. 233. ubi Eliberitanos Patres vindicat ab ea Novatianiſmi labe.

57. Verùm qoamvis nulla alia argumenta eſſent ad id demonſtrandum, ſufficeret Canon ſecundus modò exſcriptus: in qno trecenti illi quinquaginta ſex graviſſimi Patres Concilii Sardicenſis, præeunte & ſuggereote ipſo Sedis Apoſtolicæ Legato Oſio, qui olim intervenerat eidem Synodo Eliberitanæ, privant commuoione, etiam laïcâ, in ipſo fioe vitæ, Epiſcopos per fraudem ambieotes tranſitum ab ooa Eccleſia in aliam ampliorem. Quis autem Novatianiſmi arguet Conciliom Sardicenſe dum ſtatuit eam acerbiſſimam pœnam? Nemo certè, cùm illud ſemper fuerit ſummæ auctoritatis in Eccleſia Catholica. Quapropter audiendus oon eſt Auxilius, ſcriptor ſæculi decimi, in libro *De Ordinationibus Formoſi Papæ*, edito primùm à doctiſſimo Joanoe Morino, & poſtea recuſo in Biblioth. Maxima Aniſſoniana Tom. XVII. ubi ioquit, Oſium ſecutum fuiſſe errorem Novatiani in eo ſecundo Sardicenſi Canooe ſuggerendo. Deſipit enim Auxilius in ea parte, ut jam monui cum ipſo Morino Tomo I. hujus Operis Differt. XI. oum. 23. Alioqui errâſſet pariter totum Sardicenſe Concilium probans ſententiam Oſii. Abſit verò ita loqoi aut ſeotire de Concilio illo, quod ſummæ ſemper auctoritatis fuit & eſt, habetque omnes notas Coocilii legitimi, immo & Oecumeoici.

58. Imprimis enim coactum fuit auctoritate legitima Julii Papæ (quæ ſola ſufficeret) conſentientibus Imperatoribus Conſtantio & Conſtante, nt ſuprà vidimus. Deinde illud fuiſſe Generale patet, tum ex convocatione ampliſſima, & ingeoti Epiſcoporum multitudioe ex omni natione, majori certè numero, quàm in Coocilio Nicæno. Ulteriùs finito illo, Oſius & reliqui Epiſcopi literas dederunt ad Julium Papam, & rogârunt, ut ipſorum ſententiam ſua auctoritate confirmaret, teſte Sozomeno lib. 3. cap. 11. & Nicephoro lib. 9. cap. 12. Julium verò probâſſe ipſorum ſenrentiam, patet: cùm in ea exſequuti fuerint judiciom ipſius Pontificis de reſtituendo Athanaſio, gratulantis eam ob cauſſam in Epiſtola ad Alexandrinos, quam idem Athanaſius profert Apologiâ ſecundâ. Quin & Juſtinianus Im-

* Collect. Max. Concil. Hiſp. Tom. II.

D pera-

perator dncentis circiter annis poſtea, in edicto de tribus Capitulis, *Univerſalem Synodum Sardicenſem* allegat. Itaque nihil illi deeſt, ut cenſeatur Univerſalis; ac proinde omnino libera ab hæreſi Novatiana, dum præeunte Synodo Eliberitana, & Oſio Præſide ſuggerente, privat communione in fine vitæ Epiſcopos per frandem ambientes tranſitum ad aliam Eccleſiam.

59. Urgetur idipſum: quoniam Apoſtolica Sedes ſummum ſemper honorem habuit Synodo Sardicenſi, tanquam Catholicæ & legitimè celebratæ per Oſium Legatum Julii Papæ, ac reliquos CCCLV. Epiſcopos. Imprimis enim totam illam cum Actis ſuis, ſive Capitulis viginti, prout ab eo tempore uſque modò circumferuntur, manuſcripta & edita, Græcè ac Latinè, collocavit in Codice Canonum, quo Eccleſia ſemper uſa ſuit, & utitur hodie. Exſtant integrè in Codicibus antiquiſſimis Bibliothecæ Vaticanæ, tum in aliis Chriſtiani Orbis, ac demnm in vetuſtiſſimis iis, quos edidêre hoc ipſo ſæculo Juſtellus, Queſnellius, & alii: ſicuti & in Codice Canonum, quo Eccleſia Hiſpanica à principio uſa ſuit, & cujus Indicem nunquam hactenus editum exhibemus in hoc ipſo Opere. Quis autem effutire audeat, In Actis tam apertè & ſolenniter probatis ab Eccleſia Catholica, tot ſæculorum curſu uſque modò, exſtare doctrinam hæreticam à Novatiano inductam?

60. Inſuper, Romani Pontifices, Innocentius I. in Epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem, & Zoſimus apud Concilium VI. Carthaginenſe Can. III. cenſentur citare Canones Nicænos dum allegant Sardicenſes, quaſi Sardicenſis Synodus ſit æquè authentica & Univerſalis ac Nicæna, ſive hujus Appendix. Similiter S. Gregorius Magnus lib. 2. Epiſt. X. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Etymologiarum cap. 16. & in Præfatione ad ſuam Collectionem à nobis latè explanatam initio Tomi I. Venerabilis Beda lib. *De temp.* cap. 65. aliique multi ex Patribus, dum numerant quatuor prima Concilia Generalia, ſub Nicæni nomine intelliguntur comprehendere Sardicenſe, veluti ipſius Appendicem. Quamvis enim in eo multi Canones editi fuerint circa Eccleſiaſticam diſciplinam, nihil tamen ad Fidem ſpectans additum aut detractum fuit Symbolo Nicæno, cui ſolùm integrè ac plenè ſubſcriptum fuit. Quandoque autem Romani Pontifices nominatim allegant Canones Sardicenſes, & per eos diſſolvendas monent Eccleſiaſticas controverſias, ſive diſceptationes: ut patet ex Leone IV. in Epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ. Deinde Nicolaus I. Epiſtolâ quartâ cauſſam illam adeò famoſam Rhotadi Epiſcopi juxta eoſdem Canones Sardicenſes dirimit: atque in alia Epiſtola ad Clerum CP. teſtatur Concilium Sardicenſe ab omni Eccleſia receptum fuiſſe.

61. Quæ omnia profectò inſigne decus afferunt Oſio ejuſdem Concilii Præſidi, & auctori ac ſuggeſtori partis longè majoris Canonum Sardicenſium, ac nominatim illius ſecundi, quo Epiſcopis clam ambientibus regimen aliarum Eccleſiarum indicitur privatio omnimodæ communionis, etiam in fine vitæ. Non enim in Univerſali Synodo, tam ſancta, & adeò probata ab Eccleſia, ac fuit Sardicenſis, ſtatutũ aliquid fuiſſe putãdum eſt, quod faveat hæreſi Novatianæ. Unde & conſequenter Conciliũ Eliberitanum, cui quadraginta quatuor plus minus annis retrò idem Oſius intervenerat, liberum prorſus manet ab ea labe, dum in variis capitibus lapſos in graviſſima ſcelera multat perpetua privatione communionis, etiam in fine vitæ. Quod tamen qualiter intelligendum ſit, ſatis in illius Commentariis Tomo I. hujus Operis dictum eſt, tum libro 1. citato cap. 4. tum libro 2. cap. 6. Quæ omnia, poſt hæc à me ſcripta, confirmata invenio ab eruditiſſimo Petavio in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LIX. ubi poſt tractatam hanc ipſam ferè quæſtionem concludit, *procul à Novatianorum errore aut perfidia Eliberitanos Patres abfuiſſe, nec aliud omnino, niſi aut priſcam Eccleſiæ diſciplinam, ſed uſu jam obliteratam, denuò revocâſſe; aut hærentem adhuc in Hiſpaniis, novis legibus adſtrinxiſſe: cùm capitalium ſcelerum, idololatriæ, homicidii, & adulterii, olim, ut Innocentius Papa docet, communi conſuetudine veniam nullam & abſolutionem obtinerent: non quòd ab Eccleſia abſolvi non poſſent, ut Tertullianus aſſerebat; ſed quòd ejus, quam à Chriſto ampliſſimam cæperat, poteſtatis uſum certis terminis circumſcripſiſſet.*

EXCURSUS IV.

Oſium feliciſſimum futurum fuiſſe, ni jam centenarius circiter Cordubâ Sirmium profectus eſſet, ſive potiùs abductus vi illata ab Imperatore Conſtantio, ibidem Concilium indicente anno CCCLVI. poſterius alio Sirmienſi celebrato anno CCCLI. impulſu Photini Epiſcopi hæretici. Utri eorum adfuerit Oſius. Porrò illum diu ac fortiter reſtitiſſe novæ Fidei formulæ ibidem editæ, donec tandem flagellis & tormentorum machinis excruciatus ſubſcripſit per vim, & in ſpeciem ſolùm.

62. FINITO Concilio Sardicenſi anno CCCXLVII. videtur paullò pòſt Oſius Cordubam rediiſſe, ibidemque Concilium celebrâſſe ſuprà Excurſu I. memoratum, & in eo abſolviſſe, ſive innoxios declarâſſe, Athanaſium ac ſocios, qui Sardicæ reſtituti ſedibus ſuis fuerant; damnâſſe autem quos eadem Synodus abdicârat, veluti calumniatores ipſorum, & nullam accuſationem probare valentes, ac propterea Philippopolim clam dilapſos ad ſuam perfidiam proſequendam. Sanè Sozomenus libro *Hiſtoriæ* tertio cap. 11. narrans quæ geſta ſunt Sardicæ ab Oſio in eo Concilio, ſatis denotat illum Cordubam reverſum, dum concludit: *His rebus ex utraque parte confectis, Concilium dimiſſum eſt, & quiſque ad ſuam Sedem revertit.*

63. Atque utinam Oſius Cordubæ permanſiſſet de cætero, poſt ſexaginta annos Epiſcopatûs ejus urbis, nec Sirmium profectus fuiſſet. Sic certè in beata canitie, & feliciſſima ſenectute, curſum diuturnæ vitæ cum ingenti gloria apud Deum & homines abſolviſſet; proculdubio ad-

ſcribendus Sanctorum Faſtis, & ab Eccleſia Catholica numerandus inter Divos, nullâ, vel levi, conſtantiæ ac pietatis ſuæ uſque ab finem dubitatione relicta. Implêſſet quoque officium boni Paſtoris erga gregem ſuum, & reſidentiam jure divino exactam, ubi jam videbatur nulla eſſe urgens ratio boni communis Eccleſiæ Univerſalis in ea decrepita ætate, quæ conſtringeret ad deſerendum oves ſuas, à quibus tamdiu antea in eum finem abfuerat: præſertim cùm jam in Conciliis Nicæno & Sardicenſi, Catholicam Homoûſii doctrinam adversùs Ariomanitas tam ſplêdidè ac feliciter confirmâſſet. At videtur in eo itinere, ſive longa peregrinatione excuſandus à qualibet ſuſpicione ſiniſtra, quòd non ſpontè, ſed invitus omnino Sirmium adierit juſſu Conſtantii Imperatoris, ut teſtatur Socrates lib. 2. cap. 24. verbis paullò pòſt exſcribendis.

64. Id certum eſt, Oſium in extrema ætate Cordubâ Sirmium adiiſſe, urbem Pannoniæ ſive Hungariæ, inde diſtantem ſeptingentis ut minimum Hiſpaniæ leucis, viginti duabus à Buda, ad radices Arpatari montis, non procul à Danubio flumine, prope amnem Boſvvetham, qui 5. millibus paſuum infrà fluit in Savam longè ampliorem. Eo igitur loco celebratum fuit Concilium, ab ipſa urbe *Sirmienſe* nominatum, ubi ad tempus morabatur Gallus, conſtitutus Cæſar à Conſtantio Imperatore Arianorum partibus favente.

65. Audiamus Socratem id narrantem lib. 2. cap. 24. *Interea temporis* (inquit) *Photinus illius Eccleſiæ Antiſtes, dogma quoddam, quod ille ipſe ſeparatim excogitaverat, palam divulgare conatur: & quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Imperator* (nimirum Conſtantius) *Concilium Epiſcoporum convocari jubet. Eò igitur convenêre ex Epiſcopis Orientis Marcus Arethuſius: Georgius Epiſcopus Alexandriæ, quem Ariani, Gregorio ſede illa Epiſcopali deturbato (ut antè dixi) illuc miſerant: Baſilius, qui Eccleſiæ Ancyræ, Marcello expulſo, præfuit: Pancratius Peluſii: Hypatianus Heracleæ. Ex Epiſcopis autem Occidentis, Valens Murſorum: ET OSIUS EPISCOPUS CORDUBÆ, QUÆ EST URBS HISPANIÆ, QUI ID TEMPORIS PERMAGNA FAMÆ CELEBRITATE FUIT, INVITUS ACCESSIT.*

66. Verùm ſalivam movet quod ſtatim ſubjungit Socrates: *Iſti* (Epiſcopi) *poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, quo anno propter belli tumultus & ſeditiones nullus Conſul conſueta Conſulatùs munera obire poterat, Sirmii congregantur.* Porrò is annus fuit Eræ communis CCCLI. nam cui *alius* præceſſerat utroque eo Conſule, fuit CCCL. juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos; Conſtantii verò Imperatoris XIV. & XV. Oſius autem paullò aotè Sardicâ regreſſus Cordubam, & celebrato ibi Concilio ſuprà memorato, ubi Acta Sardicenſia confirmavit, non potuit tam citò in decrepita ætate, & tam magna locorum diſtantia, ex ultimis Hiſpaniæ partibus Sirmium accedere, ne invitus quidem, anno ipſo CCCL.

67. Hic nodus dupliciter fortaſſe extricari poteſt. Primò ſi dicatur cum eodem Socrate, Oſium quidem interveniſſe huic Synodo Sirmienſi anno CCCLI. & in ea jacturam ſuæ opinionis feciſſe ſubſcriptâ formulâ Epiſcoporum Conſtantio Imperatori adhærentium; poſtea verò pœnitentem facti rediiſſe in Hiſpaniam, & in Cordubenſi Concilio ſuprà memorato eluiſſe maculam illam, præſertim iterum recepto in communionem Athanaſio, quem antea in Concilio Sardicenſi innoxium declaraverat; & excluſis iis Arii ſectatoribus, quos ibidem abdicaverat. Hæc ſolutio difficultatis propoſitæ eſt veroſimilis, & quâ ſtatutâ valdè conſulitur piæ ac receptæ ſententiæ de vera pœnitentia Oſii poſt miſerandum illum lapſum, quam poſtea confirmabimus. Si enim conſtrictus flagellis aliiſque tormentis in ea extrema ætate, oretenus vel ſcripto ſolùm impiæ alicui Epiſcoporum formulæ conſenſit; poſtea ſibi redditus, & integræ libertati reſtitutus, non potuit illuſtrius pœnitentiæ ſuæ teſtimonium edere, quàm in eo Concilio Nationali paullò poſtea Cordubæ celebrato.

68. Secundò reſponderi poteſt, non unicum, ſed duplex Concilium Sirmii celebratum fuiſſe: ut oſtendit eruditiſſimus Petavius in Diſſertatione peculiari *De Photini damnatione*: quam totam exſcripſit, & pulcherrimæ Collectioni ſuæ Conciliorum inſeruit Philippus Labbè Tomo II. col. 729. & ſeqq. Porrò prius illorum collocatur anno prædicto CCCLI. in quo Socrates lib. 2. cap. 24. ait Oſium interveniſſe, & paullò poſtea cap. 26. addit lapſum fuiſſe, ut ſtatim videbimus. Poſterius autem Concilium Sirmienſe ab omnibus collocatur ſex annis poſtea, nimirum Chriſti CCCLVII. Huic verò alii ſcriptores, & nominatim idem Petavius in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LXXIII. ajunt Oſium interveniſſe, quicquid aliter videatur ſentire Socrates, qui lapſum Oſii ad prius illud Concilium refert. Si ponamus eorum ſententiam eſſe veram, adhuc fieri potuit, ut Oſius, licèt jam centenarius, ſicut Cordubâ Sirmium contenderat, ita etiam Sirmio Cordubam regrederetur, & inibi Synodum celebraret, in qua priorem illam noxam elueret, vindicato præterea Athanaſio, & proſcriptis illius accuſatoribus, ſicut ipſe decennio antè ſtatuerat in Concilio Sardicenſi cum magna ſui nominis gloria. Vide infrà num. 72.

69. Utrovis modo difficultati prædictæ occurratur, ſive juxta ſententiam Socratis, ſive juxta contrariam aliorum, nihil dicetur quod falſitatis aut parachroniſmi convinci facilè poſſit. Utrobique etiam conſulitur honori Oſii, dum idoneum affertur teſtimonium pœnitentiæ & ſatisfactionis publicæ, quæ lapſum illum pluribus titulis miſeratione dignum expiavit. Neque enim in Synodo Cordubenſi putandus eſt defendiſſe Athanaſium, & damnâſſe ejus accuſatores, quin illius doctrinam Catholicam probaverit, & horum Arianam aut Semi-arianam proſcripſerit. Tota enim controverſia illius Concilii in re circa doctrinam erat potiùs, quàm circa facta perſonarum.

70. Sed quicquid ſit de præſentia Oſii in priori Concilio Sirmienſi, aut in poſteriori ſolùm, exhibeamus modò verba Socratis citato cap. 26. illius

* *Collect. Max. Concil. Hiſp.* Tom. II.

lius lapſum enarrantis. *Quoniam autem* (inquit) *de Oſio Corduba Epiſcopo, quòd animo invito ad Concilium Sirmii habitum acceſſerit, mentionem fecimus, de hac re pauca jam dicemus. Quanquam iſte paullò antè per fraudulentum Arianorum conatum erat in exſilium miſſus: id temporis tamen ſtudio & labore Epiſcoporum qui Sirmii convenerant, factum eſt, ut Imperator illum accerſeret, habens in animo, vel perſuadendo, vel cogendo, eum inducere, ut cum Epiſcopis ibi coactis conſentiret: nam ſi iſtud factum eſſet, illorum fides perilluſtri teſtimonio confirmata videretur. Hac de cauſſa invitus (ut dixi) acceſſit ad Concilium. Simulatque verò ſenex ille eorum fidei aſſentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis diſtorta. Quapropter Fidei formulis eo tempore editis, vi & neceſſitate compulſus conſenſit, ſubſcripſitque. Atque res tum Sirmii geſta hunc exitum habuêre.*

71. Iis artibus, dolis, & cruciatibus uſus fuit Iniquiſſimus Imperator Conſtantius, ejuſque ſeductores, & accuſatores S. Athanaſii, ac Arianiſmi aſſertores, ut Oſium, firmiſſimam eatenus Fidei columnam, flecterent, & in ſuas partes traherent. Videbant enim magnum auctoritatis pondus opinioni ſuæ acceſſurum, ſi tanti viri, jam pridem toto Orbe Chriſtiano celeberrimi, aſſenſu roboraretur: ut palam indicat iis verbis Socrates.. Et licèt tot terroribus ac plagis non potuerint ab eo extorquere ut damnaret Athanaſium (ut hic ipſe teſtatur in Epiſtola *Ad ſolitariam vitam agentes*) extorſerunt tamen, ut fractis jam viribus longiſſimo ſenio, & membris tormentorum vi, ſubſcriberet formulæ cuidam apud Sirmium editæ (juxta teſtimonium ejuſdem Socratis, & S. Hilarii infrà allegandi) quæ ſola ſplendidiſſimum eouſque Oſii nomen, & ubique terrarum ſparſam integritatis & conſtantiæ famam, ad tempus obſcuravit.

72. Notandum verò eſt, reſiſtentiam Oſii ad ſubſcribendum, fuiſſe admodùm diuturnam. Nam, uti oſtendit Petavius in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LXXIII. Semi-arianorum, pag. mihi 318. Conſtantius Imperator anno CCCLVI. ſe contulerat Sirmium, ubi à paucis Epiſcopis, præſertim Occidentalibus, quorum præcipui erant Urſacius à Singidono Myſiæ, & Valens à Murſis Pannonicis, edita fuit nova Fidei formula. Oſius Sirmium accedens, nec hortationibus, nec minis Conſtantii præſentis, nec artibus eorundem verſipellium Epiſcoporum, perſuaderi potuit ad ſubſcribendum integro ferè anno, quo ibi detentus fuit à Conſtantio uſque ad ſequentem CCCLVII. in quo inde receſſit, nondum extorto Oſii aſſenſu. Neque enim tormenta illa videntur fuiſſe Oſio illata præſente Conſtantio, ſed jam inde profecto. Fortaſſe, quamvis impius, & contrarius Nicænæ Fidei, motus veneranda illa canitie, & longæva ſenectute, atque incomparabili fama Oſii, non eſt auſus Conſtantius præſens illum cruciatibus affligere, ſed ſolùm poſt diſceſſum ſuum id præcepit, aut permiſit rapacibus quibuſdam lupis: qui omni pudore exuto, & feritate immani, venerandum toti Orbi Chriſtiano ſenem flagellis, & machinis tormentorum excruciandum curârunt, donec formulæ ab ipſis excogitatæ ſubſcriberet, ſi tamen reipſa ſubſcripſit: de quo ſtatim.

EXCURSUS V.

Quænam fuerit nova illa Fidei formula, cui Oſius ſubſcripſiſſe dicitur coactus in Concilio Sirmienſi. Porrò plures alias præceſſiſſe diverſorum, & priorem quandam Sirmii editam contra Photinum anno CCCLI. abſente Oſio. Itaque poſteriorem aliam Sirmienſem anni CCCLVII. ipſi tribui à S. Hilario, tanquam Arianam. Dubitatur an reipſa Oſius illi ſubſcripſerit ſciens & prudens, licèt invitus, & tormentis fractus. Illuſtre S. Athanaſii teſtimonium pro illo: ex quo colligitur, Oſium aut non ſubſcripſiſſe illi formulæ, aut id feciſſe Catholico ſenſu, cujus ea capax erat.

73. VERUM Oſii lapſus eatenus magis aut minùs accuſari vel excuſari poteſt, quatenus comperta habeatur nova illa Fidei formula, cui dicitur ſubſcripſiſſe, licèt coactus, in Sirmienſi conventu Epiſcoporum quorundam Occidentalium. Cùm enim plures formulæ ſub idem ferè tempus cuſæ fuerint, & quædam aliis pejores, aut excuſabiliores; oportet examinare cuinam illarum ſubſcripſerit Oſius: ut ex ejus qualitate, miſerandi ſenis lapſum juſta lance expendamus: immo & an revera alicui formulæ ſubſcripſerit.

74. Porrò prætermiſſis pluribus Arianorum formulis antea conceptis, nunc ſolùm indicabimus illas, quæ poſt annum CCCL. editæ fuerunt, & ad rem noſtram ſpectant. Socrates quidem lib. 2. cap. 31. & 32. enumerat novem omnino uſque ad Conciliabulum Conſtantinopolitanum, quod habitum eſt ſtatim poſt Seleucienſe: quæ duo Philippus Labbè Tomo II. col. 804. refert ad annum CCCLIX. Sed utrumque id fuit poſterius Concilio Sirmienſi, & lapſu Oſii, de quibus tantùm in præſenti loquimur.

75. Similiter numerantur novem formulæ ab Athanaſio, oculato aut aurito teſte eorum, quæ tunc gerebantur, in libro *De Synodis*, ubi illas recenſet. Hoc loco enumerabo ſolas quatuor priores, ut deveniam ad alias Sirmii editas, quæ ſolæ ad rem noſtram pertinent. Prima Antiochiæ edita fuit Encæniorum tempore, Marcellino & Probino Conſulibus, anno CCCLI. ubi de οὐσίᾳ, ſive eſſentia, nihil dictum eſt. Secunda ecthesis, ſive formula, in eodem Conciliabulo edita, ſed paullò prolixior, ubi Filium Dei μονογενῆ Θεὸν καὶ τῆς οὐσίας εἰκόνα, *unigenitum Deum, & eſſentiæ imaginem*, ſive ſubſtantiæ figuram, nominàrunt. Tertia ibidem à Theophrenio concepta legitur, in qua τῆς οὐσίας vocabulum non exſtat. Quarta paucis pòſt menſibus per Narciſſum, Marin, & alios, in Galliam miſſa fuit ad Conſtantinum. In ea damnabantur qui dicerent, ἐξ οὐκ ὄντων υἱόν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγενῆσθαι. *Filium fuiſſe ex non entibus, aut ex altera ſubſtantia, & non ex*

Deo

Deo genitum. Quatuor formulæ prædictæ potiùs à Semi-arianis profectæ videntur, quàm ab Arianis: cùm priores in iis faterentur, ſive agnoſcerent palam Filium unigenitum Deum, ex Deo genitum; non autem ex nihilo productum, ſive ex non entibus, neque ex altera ſubſtantia, ſive eſſentia, contrà quàm effutiebant Ariani, ſive rigidiores Arianæ impietatis ſectatores.

76. Quinta formula ſcripta fuit in Concilio Sirmienſi ſatis longa, quam exhibet Socrates lib. 2. cap. 25. quaſi editam præſente Conſtantio Imperatore, & Oſio, poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, id eſt, anno CCCLI. Sed enim, ut ſuprà vidimus num. 66. & 72. nec Oſius adfuit illi Concilio Sirmienſi, nec Conſtantius. Oſium enim tunc Cordubæ verſatum fuiſſe, & Concilium cum aliis Epiſcopis celebrâſſe, atque Acta Sardicenſia confirmâſſe, oſtenſum fuit ſuo loco. Conſtantius quoque Imperator, ut colligit Petavius, præſertim ex Ammiano Marcellino, ejuſdem temporis ſcriptore, non potuit Sirmium accedere niſi Junio aut Julio anni CCCLVI. nec Oſium eò violenter abductum flectere quamdiu ibi moratus eſt. Unde conſtantia Oſii diuturna, & miſerandus tandem lapſus, ſolùm contingere potuit in Conciliabulo ſeu conventiculo quodam paucorum, ſive non multorum perduellium Epiſcoporum apud Sirmium, anno CCCLVII. quando jam Conſtantius inde diſceſſerat, & anno integro poſtquam Concilium poſterius Sirmienſe inchoatum fuerat: uti idem Petavius pag. 318. Animadverſionum in Epiphanium affirmat. Tam diuturna fuit perſecutio illata venerando illi ſeni, & tanti momenti exiſtimabatur ejus aſſenſus ab Imperatore Conſtantio, atque Epiſcopis ipſum lactantibus.

77. Ex dictis colligitur, formulam novam Fidei per vim ſubſcriptam ab Oſio, non fuiſſe illam ſatis prolixam à Socrate relatam lib. 2. citato cap. 25. Ea nimirum edita fuit contra Photinum ejuſdem civitatis Sirmii Epiſcopum, qui renovatis ſive incruſtatis quodammodo erroribus Pauli Samoſateni, effutiebat Chriſtum fuiſſe & eſſe dumtaxat in tempore genitum, non autem ab æterno exiſtentem. Unde in fine ejuſdem formulæ concluditur: *Si quis Chriſtum JESUM, Dei Filium, qui Patri ad univerſarum rerum fabricationem inſervivit, non ante ſæcula fuiſſe dixerit, ſed ab eo tempore ſolùm quo ex Maria natus fuit, Filium & Chriſtum fuiſſe, & tum incepiſſe Deum eſſe, ſicut Paulus Samoſatenus aſſerebat; anathema ſit.* Nimirum formula hæc Sirmii edita fuerat anno ipſo CCCLI. poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, uti paullò antè præmiſerat idem Socrates cap. 24. quo tempore Oſius in Hiſpania verſabatur.

78. Supereſt itaque, ut fuerit alia formula, cui ſubſcripſerit Oſius in conventiculo quodam adjecto Concilio poſteriori Sirmienſi, quod omnes alii ſcriptores referunt ad annum CCCLVII. quo certè Conſulatum gerebant Conſtantius Auguſtus IX. & Fl. Julianus Cæſar II. Immo & idem Socrates initio capitis 25. citati teſtatur, Epiſcopos Sirmii congregatos novas Fidei formulas condidiſſe; unam Græcè editam à Marco Arethuſæ Epiſcopo, & duas alias Latinè, quæ inter ſe nec verbis nec ſenſu congruebant. Deinde formulam Marci exſcribit, abſdubio contra Paullum Samoſatenum & Photinum, ut nuper diximus. Eam verò tanquam piam & Catholicam refert & interpretatur S. Hilarius, nullatenus eam tribuens Marco Arethuſio, ſed Concilio ipſi Sirmienſi, contrà quàm Socrates vult.

79. Et certè ſi Oſius nulli alteri formulæ ſubſcripſiſſet, quàm prædictæ, famam integram fortaſſe conſervâſſet, nec S. Hilarius tam acriter contra eum invectus fuiſſet, ac poſtea videbimus. Quamvis difficilè appareat, quomodo in ea formula explicari Catholicè poſſint verba illa: *Non enim Filium in eodem gradu cum Patre locamus, ſed Patri ſubjectum facimus.* Idem dico de aliis paullò poſtea adjunctis de eodem Filio: *Patri ad univerſarum rerum fabricationem inſervivit.* Hæc enim videntur denotare Filium eſſe alterius inferioris gradus à Patre, tanquam ipſi ſubjectum, & veluti inſtrumentum ad univerſarum rerum creationem: quæ tria nequeunt cadere in verum Deum, ſed dumtaxat in creaturam, quamvis omnium primogenitam. Abſit verò ut Catholici Verbum Dei, ſive Filium, inter entia creata comprehendamus, quamvis ſupremo loco. Mitto, quòd in ea formula Homoûſion prætermittatur. Sed quamvis mihi aqua hæreat in eorum verborum interpretatione, credo ſapientiſſimum Hilarium longè meliùs illorum vim calluiſſe, prout Græcè ſcripta, aut Latinè reddita eo tempore circumferebantur: ut proinde in iis ſenſum Catholicum invenerit, quem ego difficilem aut æquivocum cenſeo. Lege eandem ecthesin apud ipſum lib. *De Synodis adverſùs Arianos*, col. 372. editionis Pariſienſis anni MDCLII. aliter verba Græca Latinè vertentem, quàm legantur in Latina interpretatione, quà utor, editionis Baſileenſis, inter ſcripta Socratis lib. 2. cap. 25. pag. 243. Vide infrà num. 86. & ſeqq.

80. Quapropter alia certa formula Sirmii edita fuit, cui Oſius cum nominis ſui jactura dicitur ſubſcripſiſſe. Ea verò κατ' λέξιν refertur ab Hilario libro citato *De Synodis*, col. 357. tanquam *blaſphemia apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcripta*; hiſce ipſorum verbis: *Cùm nonnulla putaretur eſſe de Fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt & diſcuſſa, præſentibus ſanctiſſimis fratribus, & Coëpiſcopis noſtris, Valente, Urſacio, & Germinio. Unum conſtat Deum eſſe omnipotentem Patrem, ſicut per univerſum orbem creditur, & unicum Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum, Salvatorem noſtrum, ex ipſo ante ſæcula genitum. Duos autem Deos nec poſſe nec debere prædicari: quia ipſe Dominus dixit:* Ibo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. *Ideo omnium Deus unus eſt, ſicut Apoſtolus docuit* Roman. 3. An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Immo & Gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. *Sed cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quid verò quoſdam haud multos movebat de ſubſtantia, quæ Græcè USIA appellatur, id eſt, ut expreſſiùs intelligatur,*

gatur, HOMOUSION, quod dicitur, aut HOMOEUSION, nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam prædicare ea de cauſſa ratione, quòd nec in divinis Scripturis contineatur, & quod ſuper hominis ſcientiam ſit, nec quiſquam poſſit nativitatē Filii enarrare, de quo ſcriptum eſt: GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT? Scire autem manifeſtum eſt ſolum Patrem quomodo genuerit filium ſuum, & Filium quomodo genitus ſit à Patre. Nulla ambiguitas eſt, majorem eſſe Patrem. Nulli dubium poteſt eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, maieſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe, Filio teſtante: QUI ME MISIT, MAJOR ME EST. Et hoc Catholicum eſſe nemo ignorat, duas perſonas eſſe Patris & Filii, majorem Patrem, Filium ſubjectum, cum omnibus iis, quæ Pater ipſi ſubjecit: Patrem initium non habere, invifibilem eſſe, immortalem eſſe, impaſſibilem eſſe. Filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine: cujus Filii generationem (ut antè dictum eſt) neminem ſcire niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei, Dominum & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem vel corpus, id eſt hominem, ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ, ſicut angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, & præcipuè ipſe magiſter Gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Maria Virgine, per quem compaſſus eſt. Illa autem clavis totius Fidei, & illa confirmatio, quòd Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Euangelio: ITE ET BAPTIZATE OMNES GENTES IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI: integer, perfectus numerus Trinitatis eſt: Paracletus autem Spiritus per Filium eſt, qui miſſus venit juxta promiſſum, ut Apoſtolos, & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret.

81. Hactenus formula illa nomine Oſii ac Potamii relata, & blaſphemiæ titulo notata à S. Hilario: qui paullò antè quàm illam exſcriberet, præmiſit ſenſum ejus à vera Fide abhorrentem, hiſce verbis ad Epiſcopos, quibus librum illum *De Synodis adversùs Arianos* dirigit: *Meminiſtis nãque in ea ipſa ſcripta proximè apud Sirmiũ blaſphemia, id tentatum ac laboratum fuiſſe, ut dum Pater unus & ſolus omnium Deus prędicatur, Deus eſſe Filius negaretur: & dum de Homoûſio, & Homœûſio taceri decernitur, id decretum eſſe, ut aut ex nihilo, ut creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur. Tum porrò in eo quòd honore, claritate, dignitate, majeſtate Pater major diceretur, id eſſe quæſitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater major eſt, indigeret. Poſtremò, dum ignorabilis ejus nativitas aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum neſcire quod ex Deo ſit juberemur: perinde quaſi juberi decernique poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit ſciat, aut quod ſcierit ignoret. Ipſam autem ex ſolido IMPIISSIMÆ BLASPHEMIÆ PESTEM, invitus licèt, ſubdidi*, &c. Ac ſtatim ferè exhibet formulam ipſam Oſii & Potamii, paullò antè à nobis exſcriptam.

82. Sanè, ſi Oſius compos ſui, ſive judicio & libertate præditus, formulam ipſam vidit ac legit, & ſubſcripſit eo ſenſu, quo illam interpretatur S. Hilarius; non poteſt excuſari à graviſſimo crimine blaſphemiæ, ſive hæreſeos externæ contra veram Deitatem Filii. Externæ, inquam. nam Oſium nonniſi repugnantem, invitum, & poſt reſiſtentiam integri anni, ac immania tandem tormenta ſubſcripſiſſe, omnes veteres ſcriptores teſtantur. quod argumento invicto eſt, ipſum interiùs retinuiſſe quam altè imbiberat, & euſque palam docuerat ac propagaverat, Nicænam de HOMOUSIO fidem.

83. Sed quid ſi Valens & Urſacius, vel alii defenſores Arii verſipelles, mille dolis, & arte Pelaſga inſtructi, ſcripſerint quidem formulam verbis ab Hilario relatis, eamque fecerint ſubſcribi ab Oſio; ſed jam oculis caliganti præ nimio ſenio, & ipſi aliter illam legerint, aut aliis mitioribus & tolerabilioribus verbis, quibus nullo modo negaretur vera Deitas Filio Dei, ſed tantùm prętermitteretur vocabulum Homoûſii, quaſi diſpenſatoriè, & ad tempus dumtaxat? Quippe ita contigiſſe, cum fundamento ſuſpicari poſſumus de tanta Valentis & Urſacii, aliorumque Ariomanitarum malitia, & de tam invicta euſque Oſii decrepiti conſtantia. Immo & idem Hilarius Catholicè exponit ac probat libro citato *De Synodis*, col. 374. & ſeqq. formulam illam ſeu expoſitionem Fidei editam Sirmii ab Orientalibus, in qua tamen *Homoûſion* non habetur. Quin & nonnulla ſatis difficilia, exponit benignè, ut legenti palam erit, & ſatis jam ſuprà indicavimus num. 79.

84. Verùm ſinamus formulam illam Oſio lectam fuiſſe iiſdem verbis, juxta S. Hilarii interpretationem, eripientibus Deitatem Filio. Quid ſi ſubſcripta ab eo fuerit, non ſui compote, ſed deliquium mentis ſubeunte in extrema illa ætate, ac fracto tormentis corpore, ubi nulla vis animi ſupererat ad deliberandum? Quod ſatis ſignificat Sulpicius lib. 2. *Hiſtoriæ*, dicens: *Oſium quoque ab Hiſpania in eandem perfidiam conſenſiſſe, opinio fuit: quod eò mirum & incredibile videbatur, quia omni ferè ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: niſi fatiſcente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in literis refert) deliraverit.* Potuit itaque fieri, ut Oſius in ea adeò decrepita ætate ac tormentis deliquium mentis pateretur.

85. Quid ſi nec ſubſcripta quidem, ſed ſolùm publicata ipſius, ac Potamii, Valentis, & Urſacii nomine, recuſante aut neſciente Oſio? Sanè D. Athanaſius, teſtis incorruptus ejuſdem temporis, non tribuit illi talem ſubſcriptionem, ſed ſolùm quòd minis & tormentis perterritus ab Imperatore Conſtantio, in communionem admiſerit Urſacium & Valentem. Nimirum in Epiſtol. *Ad ſolitariam vitam agentes*, inquit: *Tantam vim intulit ſeni* (Conſtantius nimirum Oſio) *quem Sirmii pro exſilio detinebat, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus attrituſque malis, tandem ægrèque cum Urſacio & Valente communicaret; ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet.* Nihil hîc de ſubſcriptione illius formulæ, palam Arianæ. Nec certè locus erat probandi illam, niſi improbato ac damnato Athanaſio, fortiſſimo Deitatis

Filii defenſore. Si igitur Oſium tot tormentis & duriſſimis vexationibus unius anni non fuit perſuaſus ad ſubſcribendum damnationi Athanaſii; multò minùs ad damnationem Fidei Catholicæ, quam cum ipſo tuebatur.

86. Nec oppoſitum perſuadet ſatis auctoritas S. Hilarii tribuentis Oſio eam impiam formulam. Imprimis enim non aderat Sirmii Hilarius, nec numeratur inter Epiſcopos Occidentales, qui ad eam Synodum convenerunt. Deinde S. Athanaſius longè propinquior Sirmio, & conſcius rerum omnium quæ inibi gerebantur, nihil ait de ſubſcriptione formulæ facta ab Oſio. Solùm ait, ipſum perſecutione & lanienâ fractum communicâſſe cum Urſacio & Valente: qnod eatenus recuſaverat. Credibile itaque eſt, per fraudem Arianorum Occidentalium evulgatam fuiſſe formulam illam, tanquam imprimis ſubſcriptam ab Oſio, ut ſumma ipſius auctoritate apud omnes abuterentur, & eo ſcuto ſuam ariomaniam protegerent: ut ſuprà vidimus num. 70. ex Socrate, qui id mutuare potuit ex ipſo Athanaſio in citata Epiſtola *Ad ſolitarios* ajente, Epiſcopos Arianos apud Conſtantium Imperatorem conqueſtos fuiſſe, nihil ſe proficere exſilio Liberii Papæ, & aliorum Epiſcoporum è Catholicis, niſi præterea in ſuas partes traherent Oſium *Principem Synodorum, qui ſiquid ſcriberet, ubique audiretur*: *QUI FORMULAM FIDEI IN NICÆNA SYNODO CONCEPIT, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit*.

87. Denique formula ipſa, pront hodie legitur in *Fragmentis Hilarii*, editis à Nicolao Fabro (dignis certè caſtigatiori editione, quam avidè exſpectamus à doctiſſimis Monachis Congregationis S. Mauri) Ariana planè ac blaſphema eſt, & quæ vel ipſis Semi-arianis diſplicuit. Quare incredibile apparet, eam ipſam totidem verbis exſtantem, Sirmii ab Oſio ſciente & prudente probatam fuiſſe. Permiſſo autem, & nullatenus conceſſo, quòd illam ſubſcriptione aut aſſenſu externo munierit; crediderim Sirmii conceptam fuiſſe, & propoſitam Oſio, non eiſdem omnino verbis, quæ hodie leguntur, ſed aliis mitioribus, & quæ paterentur ſenſum Catholicum, tolerabilemque, licèt ab Urſacio & Valente nonniſi ſenſu Ariano ſcriptæ fuiſſent. Itaque dato qnòd Oſius vi tormentorum in ea ætate centenaria conſtrictus ſubſcripſerit formulæ alicui, juxta mentem & ſenſum Arianorum, blaſphemæ in Filium Dei; non tamen niſi quatenus in ea eſſet alius ſenſus Catholicus, juxta quem ſolum ſubſcriberet Oſius, & reticenda duceret vocabula τῆς οὐσίας, καὶ ὁμοουσίου, καὶ ὁμοιουσίου, diſpenſatoriè, vel ad tempus. Sic certè pariter apud Sirmium, abſente Oſio, prolata fuit à Concilio formula alia Fidei, prætermittens vocabula eſſentiæ, atque Homoûſii, quæ proinde in iis temporis ac rerum circumſtantiis nimio artificio compoſita, & valdè ſuſpecta videtur, & capax ſenſûs Ariani adversùs veram Deitatem Filii, ut notavimus num. 79. Et tamen quia capax erat pariter ſenſûs Catholici, ipſe S. Hilarius illam exponit piè, ac tuetur veluti Catholicam lib. citato *De Synodis*, pag. 372. & ſeqq.

88. Idem igitur forſan potuiſſet facere S. Doctor circa formulam poſteriorem Sirmienſem, attentis dumtaxat ipſius verbis, capacibus ex ſe utriuſque ſenſus, tum Catholici, tum Ariani. Sed interpretatus fuit illam qualem invenit, in partem deteriorem, propter Urſacium & Valentem, ſibi poſtea notiſſimos, & palam contrarios veræ Filii Deitati. Non enim debuit aut potuit intelligere formulam illam, niſi juxta genium & furorem Arianum utriuſque eorum, ſatis ſibi perſpectum. Cùm autem venerabilis Oſius ex oppoſito tot illuſtria Catholicæ Fidei ſuæ teſtimonia ediſſet, ac tot Conſtantii Imperatoris diras, & Arianorum perſecutiones tam longo tempore propter illam paſſus eſſet; potuiſſet forcaſſe S. Hilarius benignè ac piè verba illa interpretari, quatenus ab Oſio ſubſcripta; & mitiùs ſe habere erga ſenem tanta nominis claritate, ſexaginta circiter annis eouſque pro Eccleſia laborantem. Sed ne Hilarius ita ſe gereret, & ut duriùs loqueretur de Oſio, in cauſſa fuiſſe credo ſiniſtram relationem de illo habitam, & bona fide acceptam ab ipſo: cùm tamen longè aliter, ac multò honorificentiùs de Oſio ſcriberet Athanaſius verbis num. 84. allegatis, qui totam illam tragœdiam magis compertam habere potuit. Solùm enim tribuit Oſio, quòd invitus communicaverit Urſacio ac Valenti: non autem quòd ejuſdem Athanaſii damnationi conſenſerit. Hinc autem conſequens eſt, ut nec Arianæ doctrinæ, nec cuipiam formulæ eam impietatem præſeferenti ſubſcripſerit; nam cauſſa Athanaſii eadem omnino erat cum cauſſa doctrinæ Catholicæ contra Arium: ac proinde non fuit locus ut Oſius perſiſteret immobilis in tuendo Athanaſio, quin pariter permaneret conſtans in defendenda Catholica adversùs Arium doctrina. Hæc ſalva ſumma veneratione erga S. Hilarium, & ſub cenſura meliùs ſentientium, dicta ſunto.

EXCURSUS VI.

Excuſatur denuò Oſius ab ea ſubſcriptione formula in Concilio Sirmienſi poſteriore an. CCCLVII. comparatione facta cum Liberio Papa, qui eodem ferè tempore ſubſcripſiſſe legitur, & conſenſiſſe damnationi S. Athanaſii, citra hæreſim tamen. Porrò Oſium longè minùs peccâſſe, nimirum in ſola receptione Urſacii & Valentis Arianorum ad communionem.

89. ITAQUE Oſius multiplici ex capite videtur excuſandus, ſive immunis pronunciandus à tetro crimine ſubſcribendi formulæ poſteriori Sirmienſi, blaſphemiæ notâ inuſtæ à S. Hilario. Imprimis enim non eſt certum quòd Oſius illam dictaverit, ſcripſerit, aut ſubſcripſerit; quin potiùs ſatis colligitur ex Athanaſio oppoſitum, ut nuper oſtenſum eſt. Facilius autem fuit Athanaſio prope Sirmium verſanti in Oriente compertam habere totam eam hiſtoriam ſive tragœdiam amici ac defenſoris ſui Oſii, quàm Hilario abſenti, & fortè tunc in Occidente commoranti apud Galliam, Italianive.

90. Deinde potuit facilè evenire, ut dolis Arianorum, potiſſimùm Urſacii ac Valentis, con-

tra

tra veritatem vulgaretur oblque ea formula, tanquam edita aut ſubſcripta ab Oſio, cujus auctoritatem ii tantopere ambiebant in patrocinium ſuæ ſectæ; venerando ſene, jam centenario, & tormentis diuturnis afflicto, id prorſus neſciente, aut tractis per vim manibus ſubſcribente, ſine ullo prorſus voluntatis conſenſu, ac proinde abſque peccato ullo.

91. Rurſus permiſſo, & ultrò dato, quòd Oſius tormentorum immanitate compulſus fuerit ſubſcribere, idque fecerit deliberato judicio ad redimendam vexam, *& ob amorem ſui ſepulchri*, ut inquit S. Hilarius (nimirum, ut liber Sirmio Cordubam redire ſineretur ad moriendum in urbe ſua) potuit ſubſcribere ſenſu Catholico, qualem formula illa Sirmienſis, Oſio ad ſubſcribendum exhibita, admittere poterat, quamvis etiam præſeferret alium ſenſum Arianum, juxta genium Urſacii ac Valentis. Quoties autem in una eademque formula aut propoſitione continentur æquè aut circiter duo ſenſus, alter Catholicus, alter hæreticus, ex qualitate ſubſcribentium aut docentium conjicitur ſenſus quo illam proferunt traduntve. Cùm igitur Oſius palam eſſet ac fuiſſet ſemper Catholicus eouſque, immo Catholicorum Præſulum dux celeberrimus & anteſignanus; cenſeri debet ſubſcripſiſſe formulam illam ſenſu Catholico, cujus capax erat. Contrà verò Urſacius & Valens infecti Ariana lue palam ac ſemper, hæretico animo ſubſcripſiſſe cenſendi ſunt. Porrò S. Hilarius ſciens perverſitatem amborum, & præterea Oſium recepiſſe illos in communionem, quamvis invitum, & tormentis compulſum, credidit bona fide, illum abſolutè ſubſcripſiſſe formulæ illi ſub eiſdem verbis quibus circumferebatur, judicio ſuo blaſphemæ prorſus & impiæ. Si autem reflexiſſet in dolos Arianorum, fortaſſe detexiſſet alium ejus ſenſum Catholicum, quemadmodum fecit circa formulam priorem Sirmienſem; & mitiùs loqueretur de Oſio, imitatione S. Athanaſii excuſantis illum quantum licuit, & ſolùm imputantis quòd Urſacium ac Valentem recepiſſet in communionem.

92. Certè Oſius in ea parte, licèt à nullo prudente poſſit abſolutè pronunciari immunis à crimine, longè tamen minùs deliquiſſe videtur, quàm Liberius Papa eodem ferè tempore. Is enim ab initio Pontificatus ſui uſque ad finem exſilii biennis, perſtitit acerrimus Fidei Catholicæ defenſor contra Arianos, multaque propterea pertulit dura & terribilia ab iis: ut teſtantur Sanctus Athanaſius in utraque Apologia, Ruffinus lib. 10. *Hiſtoriæ*, cap. 22. Socrates lib. 2. cap. 29. Sozomenus lib. 4. c. 10. Theodoretus lib. 2. c. 16. & 17. Sulpicius lib. 2. Nicephorus lib. 9. cap. 35. 36. & 37. Conſonatque ex Gentilibus Ammianus Marcellinus ejuſdem temporis ſcriptor libro 15. Quin & Ruffinus capite 27. ſequenti ejuſdem lib. 10. cùm legiſſet quæcumque de Liberio ſcripta fuerant, concludit, ſe non potuiſſe deprehendere, quòd is ſubſcripſiſſet formulæ Sirmienſi. Dato autem quòd ſubſcripſerit, ut cenſent idem Athanaſius locis paullò antè indicatis, & S. Hilarius lib. *Adversùs Conſtantium*, ac S. Hieronymus in *Chronico*, atque in *Catalogo Scriptorum*; plerique Hiſtorici illum excuſant à crimine violatæ ex animo Fidei, ſolumque accuſant ſubſcriptionis externæ, & condemnationis S. Athanaſii, ad ſuam vexam ulteriorem redimendam, poſtquam horribilem perſecutionem & biennii exſilium pertulerat.

93. Reprehenditur ex eo capite Liberius ab omnibus, & jure quidem. Non enim potuit ſine gravi ſcelere conſentire exteriùs damnationi Sancti Athanaſii, nec ſubſcribere formulæ alicui prorſus Arianæ (ſi talis verè fuiſſet illa Sirmii edita) immo nec dubiæ aut æquivocæ, ſine graviſſimo ſcandalo orbis Chriſtiani. At utrumque id crimen reluctante interiùs animo perpetravit, & retenta Fide apud ſe; quicquid ſæculo decimo dixerit Auxilius in Opere *De Ordinationibus Formoſi Papa*, edito in magna Biblioth. PP. Aniſſoniana Tomo XVII. ubi lib. 1. cap. 15. & 27. ac lib. 2. cap. 4. Liberium apoſtatam & hæreticum appellat: quod ipſum poſtea fecit Benno Cardinalis ſchiſmaticus, & plures alii ejuſdem furfuris, ad conflandam invidiam Apoſtolicæ Sedi. Sed immeritò omnes ii eam hæreſeos notam inuſsère Liberio: ut palam oſtendimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, Tract. 2. diſput. 28. ſect. 2. ubi de num. 23. ac 24. explicuimus difficilia aliquot teſtimonia Sanctorum Athanaſii, Hilarii, & Hieronymi, ac Liberati diaconi, ajentium Liberium tandem Arianæ perfidiæ ſubſcripſiſſe.

94. Nimirum, ut eo num. 24. monuimus, in confeſſione ſive formula, tum Sirmienſi, tum Antiochena, atque in ſententia contra S. Athanaſium lata, quibus Liberius ſubſcripſiſſe dicitur, nihil erat quod in ſuo ſenſu obvio & naturali intelligi non poſſet Catholicè, & inoffenſa Filii Deitate; licèt vocabulum Homoûſii prætermitteretur, & plerique Orientalium, atque ex Occidentalibus Urſacius ac Valens, Ariana impietate ac ſenſu illam intelligerent ac ſubſcriberent. Quapropter Liberius non ſponte ſua, ſed invitus ſubſcribens eidem formulæ, retinuit ſemper in animo Catholicam Fidem: immo & nihil palam illi contrarium probavit. Crimen itaque ipſius fuit, partim aſſentiendi injuſtæ ſententiæ contra Athanaſium, partim ſcandali dati Chriſtiano orbi in ſubſcribendo exteriùs formulæ, quam conſtabat palam ipſi Liberio, à plerìſque Epiſcopis editam ſenſu Ariano.

95. Hoc ſenſu accipiendus eſt S. Hieronymus locis allegatis, dum inquit, *Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem flexum fuiſſe*. Similiter S. Hilarius, dum in libro *Adversùs Conſtantium* ita illum reprehendit: *Vertiſti uſque ad Romam bellum tuum: eripuiſti illinc Epiſcopum. Et ô te miſerum! qui neſcio an utrum majore impietate relegaveris, quàm dimiſeris*. Nimirum, par ferè iniquitas fuit Conſtantii, Liberium Fidei defenſorem propterea Romà exſilio relegare, ac poſtea ob impiam formulæ ſubſcriptionem condemnationemque Athanaſii, quamvis externam ſolùm, & vi extortam, revocare ab exſilio. Denique eodem ſenſu intelligendus glorioſus ille Confeſſor, ſeu Martyr, Romæ celebris in Eccleſia ſui nominis

nis, prope Baſilicam ejuſdem Liberii, id eſt, S. MARIÆ Majoris; de quo olim in Breviario, ſive Officio ſolenni hæc legebantur, quæ poſtea expuncta ſunt: *Beatus Euſebius presbyter, cum præſente Conſtantio Fidem Catholicam conſtantiſſimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe; ab irato Conſtantio includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in longitudine pedes quatuor.* Quòd enim Sanctus ille doleret Liberium Papam conſenſiſſe Arianæ perfidiæ, accipiendum eſt, non de interno conſenſu, immo nec externo verbis formalibus expreſſo aut ſubſcripto, ſed ſolùm interpretato. Præſtitit enim Liberius externa illa ſubſcriptione fundamentum & ſcandalum, ut putaretur prorſus conſentire Arianis, qui eandem formulam Ariano animo ſubſcribebant, & in odium Homoûſii Athanaſium damnabant.

96. Longè itaque minùs quàm Liberius, culpandus eſt Oſius: cùm non modò Fidem Catholicam conſtantiſſimè retinuerit ac defenderit longiſſimo vitæ progreſſu, & propter illam plagas & vibices in Hiſpania ſuſtinuerit initio ferè ſæculi quarti, ſub perſecutione illata à Maximiano, ac longè poſtea Sirmii ſub Conſtantio, tormentis inflictis & machinis admotis ſeni jam centenario: verùm etiam nec ſubſcripſerit formulæ Sirmienſi, quamvis æquivocæ aut dubiæ, nec damnationi S. Athanaſii, uti ex ejuſdem S. Doctoris teſtimonio oſtenſum fuit ſuprà num. 84. & 85. Potiùs verò credendum tanto teſti, rerum illarum, quas oculis penè uſurpabat, peritiſſimo, quàm cuilibet alteri abſenti longè, aut etiam poſteriori, qualis certè fuit Sozomenus, integro ferè ſæculo: qui libro 4. cap. 11. inquit: *Oſius cum quibuſdam aliis ibi Epiſcopis, quò Valentis, Urſacii, & Germinii pertinax contentio tolleretur, vi quidem compulſus, Sirmii, ut antea diximus, conceſſit ut voces* Conſubſtantialis, & Subſtantiâ ſimilis, *minimè à quoquam proferrentur: tum quòd in ſacris literis numquam invenirentur: tum quòd ſubſtantiam Dei curioſè indagare, hominum captum longè ſuperaret.* Dato quòd Oſius invitus ita ſe geſſerit; potiùs peccavit diſſimulatione, aut ſilentio diſpenſatorio formulæ Catholicæ ad tempus, quàm hæreſi aliqua. Sed nec certum eſt ita ſe geſſiſſe Oſium, nec Athanaſius illi eam labem adſcribit.

97. Tota itaque Oſii accuſatio legitima in Concilio Sirmienſi poſteriore celebrato anno CCCLVII. juxta S. Athanaſium, in eo ſita eſt, ut poſt toleratum exſilium, poſt perſecutionem & vexationem integro ferè anno Sirmii illatam, poſt plagas denique ac machinas tormentorum admotas, tandem ægrè atque invitò communicaverit Urſacio ac Valenti, Epiſcopis Arianis: non quidem in hæreſi, immo neque in ſubſcriptione externa formulæ dubiæ, neque in damnando Athanaſio; ſed ſolùm in aliis rebus ſacris & politicis, qualiter invicem communicabant reliqui Epiſcopi inter ſe. Gravis quidem hæc culpa fuit, ſi voluntaria & libera Oſio, quanquam metu & doloribus in extrema ætate fracto: ſed compaſſione digna, & non levi excuſatione apud omnes illos, qui ſe homines meminerint, & non prorſus exuere velint omnem humanitatis ſenſum, præſertim erga ſummè venerandum, afflictiſſimum, & capularem ſenem.

98. Porrò qualiſcumque fuerit lapſus Liberii atque Oſii, videtur contigiſſe uterque anno eodem CCCLVII. intra Sirmium; tamen aliquantò priùs ille Oſii, quàm Liberii. Etenim ut allegato Theodoreto monet Petavius in *Notis ad Epiphanium* Hæreſi LXXIII. Semi-arianorum, ad eundem annum paginâ 319. Conſtantius Imperator anno CCCLV. Mediolani ſententiam dixit exſilii in Liberium, qui illud paſſus fuit per biennium. Eo tranſacto, matronæ Romanæ precibus ſuis à Conſtantio impetrârunt edictum, aut ſaltem proximam ſpem, ut reſtitueretur. Interea Liberius Sirmium accitus, paullò poſt Oſii lapſum territus malis, & animatus ſpe recuperandi libertatem, formulæ alteri Sirmienſi, in qua Homoûſion prætermittebatur, ſubſcripſit, & damnationi S. Athanaſii, quarum neutram ab Oſio probatam fuiſſe, ſatis jam videmur oſtendiſſe, quantum in rebus adeò antiquis & implicatis conjicere fas eſt, ex ipſo S. Doctore.

EXCURSUS VII.

Perſecutio illata Oſio ab Imperatore Conſtantio, impulſu Arianorum, & reſiſtentia diuturna illius, ac merita inſignia in Eccleſiam, referuntur illuſtri teſtimonio S. Athanaſii, Græcè ac Latinè edito. Nota aliquot in illud.

99. SED ut rem ferè totam ſolido fundamento innixi expediamus, oportet integrè hoc loci exhibere perſecutiones Oſio illatas, & artes Arianorum ad ipſum flectendum, antequam in Concilio Sirmienſi contraheret demum labem aliquam aut detrimentum eximii illius nominis, quo per ſpatium ſexaginta annorum circiter Epiſcopatûs toti Eccleſiæ celeberrimus fuerat.

100. Rem ipſam verò à nomine meliùs accipere poſſumus, quàm à ſanctiſſimo Doctore Athanaſio, teſte irrefragabili eorum omnium quæ tunc gerebantur; & cujus honoris causâ Oſius plurimas Conſtantii, omniumque Arianorum perſecutiones paſſus fuit. Videbimus venerandum illum ſenem, jam penè centenarium, Epiſcoporum Patrem, Conciliorum Principem, tot victoriis celeberrimum, tot triumphis coronatum, Eccleſiæ columnam, Romanorum Pontificum hyperaſpiſten, Imperatorum euſque oraculum, & firmiſſimum Catholicorum omnium columen; adhuc in ea extrema ætate, contra omnia Conſtantii & Arianorum terriculamenta, perſecutiones, contumelias, exſilia, carceres, flagella, & machinas tormentorum, perſtitiſſe diu immobilem, tam in tuenda Catholica Fide, quàm in protegendo Athanaſio. nimirum eadem erat utriuſque cauſa. Nec poterat reipſa defendi aut damnari Athanaſius, quin & Fides ipſa, ob quam exſulabat, & tam diras Arianorum perſecutiones ſubibat. Licet enim

enim Ariani plura alia crimina objicerent Athanaſio; illorum falſitas & impoſtura toti orbi manifeſta fuit, & Arianis ipſis; ut proinde omnibus in comperto eſſet, veram cauſſam perſecutionis Athanaſii, non in alio, quàm in defenſione Catholicæ doctrinæ, olim apud Concilium Nicænum definitæ, ſitam fuiſſe.

101. Exhibeamus itaque, tam Græcè quàm Latinè, partem quandam Epiſtolæ S. Athanaſii *Ad ſolitariam vitam agentes*: in qua S. Doctor narrat ſummam exiſtimationem in qua erat Oſius apud omnes, etiam Arianos, & quibus artibus hi, præſertim Conſtantii Imperatoris patrocinio & literis innixi, ſæpiùs tentaverint illum Cordubâ Sirmium abducere, perſuadere, immo & cogere, tam ad ſubſcribendum damnationi ejuſdem Athanaſii, quàm ad abolendam aut extenuandam formulam Fidei in Concilio Nicæno ſtabilitam: utrumque tamen irrito conatu. Audiamus itaque Athanaſium loquentem.

ATHANASIUS in Epiſtola Ad ſolitar, *poſt medium*.

102. Τὸ μὲν γὰρ μαστιγοῦσθαι Χριστιανῶν ἴδιόν ἐστι, τὸ δὲ μαστίζειν Χριστιανοὺς, Πιλάτου καὶ Καϊάφα τὸ τόλμημα. οὕτω μὲν οὖν καὶ τὴν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν, καὶ κατ' ἀρχὴν ἐπεχείρησαν διαφθεῖραι, θέλοντες ἐγκαταμῖξαι καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἀσέβειαν. ὁ δὲ Λιβέριος ἐξορισθεὶς, ὕστερον μετὰ διετῆ χρόνον ὤκλασε, καὶ φοβηθεὶς τὸν ἀπειλούμενον θάνατον, ὑπέγραψεν, ἀλλὰ καὶ τοῦτο δείκνυσιν ἐκείνων μὲν τὴν βίαν, Λιβερίου δὲ τὸ κατὰ τῆς αἱρέσεως μῖσος, καὶ τὴν ὑπὲρ Ἀθανασίου ψῆφον, ὅτε τὴν προαίρεσιν εἶχεν ἐλευθέραν, τὰ γὰρ ἐκ βασάνων παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην γινόμενα, ταῦτα οὐ τῶν φοβηθέντων, ἀλλὰ τῶν βασανιζόντων ἐστὶ βουλήματα. πάντα μέν τοι περὶ τῆς αἱρέσεως ἐπεχείρουν, καθ' ἑκάστην δὲ Ἐκκλησίαν τηροῦντες, ἣν ἔμαθον πίστιν, τοὺς μὲν διδασκάλους προσεδόκων, τὴν δὲ Χριστομάχον αἵρεσιν κατέλαβον, καὶ φεύγοντες, ὡς ὄφιν, ἐκτρέπονται.

103. Τοιαῦτα δὲ καὶ τοσαῦτα ποιήσαντες οἱ δυσσεβεῖς, οὐδὲν ἐνόμιζον πεποιηκέναι, ἕως ὁ μέγας Ὅσιος ἀπείρατος ἦν αὐτῶν τῆς πονηρίας. καὶ γὰρ καὶ κατὰ τοῦ τηλικούτου γέροντος, ἐκτεῖναι τὴν μανίαν ἑαυτῶν ἐσκέψαντο, καὶ οὐδ' ὅτι πατήρ ἐστι τῶν Ἐπισκόπων ᾐδέσθησαν, οὐδ' ὅτι γέρων ὁμολογητὴς εὐλαβήθησαν, ἔτι τὸν χρόνον τῆς ἐπισκοπῆς, ὅτι ἑξήκοντα ἔτη καὶ πλεῖον ἔχει ἐν αὐτῇ, ᾐδέσθησαν· ἀλλὰ πάντα ἐξέθεντο, καὶ πρὸς μόνην τὴν αἵρεσιν ἔβλεπον, ἄνθρωποι ἀληθῶς, μήτε τὸν Θεὸν φοβούμενοι, μήτε ἄνθρωπον ἐντρεπόμενοι.

104. Προσελθόντες τοίνυν Κωνσταντίῳ, τοιούτοις πάλιν ἐχρήσαντο ῥήμασι· πάντα μὲν πεποιήκαμεν, καὶ ἐξωρίσαμεν τὸν Ῥωμαίων Ἐπίσκοπον, ἐξωρίσαμεν δὲ καὶ πρὸ αὐτοῦ πλείστους ὅσους Ἐπισκόπους, πάντα τε τόπον φόβου πεπληρώκαμεν, ἀλλ' οὐδὲν ἡμῖν ἐστι τὰ τοιαῦτα σου ἔργα, οὐδὲ κατώρθωται φρόνημα ἡμῶν, ἕως Ὅσιος ἀπολείπεται. ἐκείνου γὰρ ὄντος ἐν τοῖς ἰδίοις, καὶ πάντες ἐν ταῖς ἰδίαις Ἐκκλησίαις εἰσὶν, ἱκανὸς ὢν ἐν λόγῳ καὶ πίστει πείθειν, πάντας τοὺς καθ' ἡμῶν.

105. Οὗτος καὶ Συνόδων καθηγεῖται, καὶ γράφων ἀκούεται πανταχοῦ· οὗτος καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο, καὶ τοὺς Ἀρειανοὺς ἀνεκήρυξεν αἱρετικοὺς εἶναι πανταχοῦ. ἂν τοίνυν οὗτος μένῃ, περιττὴ ἡ τῶν ἄλλων ἐξορισμὸς γίγνεται. ἡ γὰρ αἵρεσις ἡμῶν ἀπελέγχεται. ἄρξαι τοίνυν καὶ τοῦτον διώκειν, καὶ μὴ φείσῃ κἂν ἀρχαῖος ᾖ. καὶ γὰρ ἡ αἵρεσις ἡμῶν οὐκ οἶδεν οὐδὲ γερόντων τιμᾶν πολιάν. ταῦτα ἀκούων οὐκ ἐμέλλησε Βασιλεὺς, ἀλλὰ εἰδὼς τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸ ἱκανὸν τοῦ γέροντος, γράφει καὶ καλεῖ τοῦτον ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν, ὅτε καὶ Λιβέριον κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐπείραζεν.

106. Ἐλθόντα δὲ ἔσω αὐτὸν ἠξίου, καὶ προετρέπετο τὰ συνήθη λέγων, οἷς δὴ καὶ τοὺς ἄλλους ἀπατᾶν ἐνόμιζεν, ἵνα καθ' ἡμῶν μὲν γράψῃ, πρὸς δὲ τοὺς Ἀρειανοὺς ἔχῃ τὴν κοινωνίαν. ὁ δὲ γέρων οὐδὲ τὴν ἀκοὴν αὐτοῦ ἠνέσχετο, καὶ λυπηθεὶς, ὅτι καὶ ὅλως ἐφθέγξατό τι τοιοῦτο, ἐπέπληξε, καὶ πείσας αὐτὸν, ἀνεχώρησεν εἰς τὴν πατρίδα, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἑαυτοῦ.

107. Ἀλλὰ τῶν αἱρετικῶν ἀποδυρομένων, καὶ πάλιν παροξυνόντων, εἶχε δὲ καὶ τοὺς εὐνούχους ὑπομιμνήσκοντας, καὶ μᾶλλον παροξύνοντας, γράφει λοιπὸν Βασιλεὺς μετ' ἀπειλῆς, καὶ ὑβρίζεται μὲν ὁ Ὅσιος, οὐ κινεῖται δὲ διὰ τὸν φόβον τῆς ἐπιβουλῆς· ἀλλ' ἑστηκὼς τῷ φρονήματι, καὶ τὴν ἐπὶ πέτραν οἰκοδομήσας ἑαυτοῦ τὴν τῆς πίστεως οἰκίαν, ἐπαῤῥησιάζετο κατὰ τῆς αἱρέσεως, ῥανίδας ἢ σταγόνας ἀνέμου ἡγούμενος, τὰς ἐν τῶν γραμμάτων ἀπειλάς.

108. Πολλάκις γοῦν γράψαντος Κωνσταντίου, καὶ τὰ μὲν κολακεύοντος ὡς πατέρα, τὰ δὲ ἀπειλοῦντος, καὶ τοὺς ἐξορισθέντας ὀνομάζοντος, καὶ λέγοντος, ὅτι σὺ μόνος τυγχάνεις ὁ κατὰ τῆς αἱρέσεως; πείσθητι καὶ γράψον κατὰ Ἀθανασίου· ὃς γὰρ κατ' ἐκείνου γράφει, πάντως τὰ Ἀρειανῶν μεθ' ἡμῶν φρονεῖ· οὐ κατεπλήττετο ὁ Ὅσιος, ἀλλὰ καὶ πάσχων ὕβρεις, ἔγραψε καὶ αὐτὸς τοιαῦτα, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἀνέγνωμεν, καὶ ἔστιν ἐν τῷ τέλει γεγραμμένη.

109. Ideſt: *Verberari enim Chriſtianorum proprium eſt: flagellare autem Chriſtianos, Pilati & Caiphæ officia ſunt. Ad iſtum modum Romanam Eccleſiam adorti ſunt pervertere, cupientes illi admiſcere ſuam impietatem. Liberius deinde poſt exactum in exſilio biennium inflexus eſt, minisq; mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt. Verum illud ipſum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cùm liberos affectus habebat, ſatis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem ejus ſententiam extorta ſunt, ea jam non metuentium, ſed ita cogentium voluptates habenda ſunt. Omnia quidem illi pro hæreſi ſua moliti ſunt; ſingulæ tamen Eccleſiæ fidem, quam didicerant, retinuêre; ſed ita ut & magiſtros deſiderarent, & Chriſto inimicam hæreſim coacti admitterent, quam tamen, ut ſerpentem, animis ſuis averſabantur.*

110. *Tantis ac talibus ſceleribus factis, nihil omnino ſe adhuc feciſſe arbitrabantur, quamdiu magnus ille Oſius eorum malitiam expertus non eſſet. Nam in eum talem tantumq; virum, ſuam rabiem protendere ſtuduerunt: neque quòd pater eſſet Epiſcoporum, reveriti ſunt: neque quòd confeſſor erat, pudore moti ſunt: neque quòd ſexageſimum annum, & eo ampliùs, in Epiſcopatu agebat, reſpexerunt; ſed omnia ſimul vilipendentes, ad ſolam ſuam hæreſim oculos intentos habuêre, homines revera neque Deum timentes, neque hominem verentes.*

111. *Adorti igitur Conſtantium, talibus verbis alloquuntur: Omnia quidem à nobis facta ſunt, profligavimus in exſilium Romanorum Pontificem, & jam*

& jam ante eum extorres fecimus quamplurimos Epiſcopos, omniaque loca terroribus implevimus, ſed tamen pro nihilo ſunt tanta tua opera, neque quicquam profecimus, quamdiu reliquus eſt Oſius. Quamdiu enim ille in ſuis agit, omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur: poteſt ille & verbis & auctoritate fidei ſuæ omnes contra nos inducere.

112. *Hic princeps eſt Synodorum; & ſi quid ſcribit, ubique auditur: hic formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit. Quid ſi ille igitur in ſuo ſtatu maneat, ſupervacuum eſt cæterorum exſilium: hæreſis enim noſtra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc perſequi, neque illi ob annos parcendum putet; ſiquidem hæreſis noſtra non curat ſeniorum canitiem. Auditis ergo iſtorum verbis, non cunctandum ſibi ratus Conſtantius, ut qui virum noſſet, & quanta auctoritatis ſenex ille eſſet, ſcribit & edicit, ut ad ſe veniat, quemadmodum & Liberium initio tentavit.*

113. *Venientem igitur rogabat hominem, & ſolitis ſuis verbis, quibus alios circumvenire pro more habebat, excipit, cohortaturque, ut in nos ſubſcriberet, & cum Arianis communionem haberet: ſenex verò ejus rei vel auditum ægrè ferens, mæſtuſque, quòd vel tinnitum eorum verborum ſentiret, Imperatorem magnis rationibus conterritum de ſententia deduxit, atque ita in patriam ſuam ac Eccleſiam rediit.*

114. *Verùm cùm Ariani denuò lamentarentur, Imperatoremque irritarent, & Eunuchi ſermonibus ſubſervientes, eum majorem adhuc in modum exacerbarent; ſcribit denuò cum minis ad Oſium: ille autem contumeliis quidem afficiebatur, ſed tamen ob terrores illos de ſententia ſua non deceſſit, & decretum animi conſtanter retinuit: quippe qui ſupra firmam petram Fidei domicilium ſuum ædificaverat, & liberrimè contra hæreſin, imbres & ventos Epiſtolarum minas arbitrans, loquutus eſt.*

115. *Subinde igitur Conſtantio ſcribente; & nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his verbis eum conveniente; ſolusne etiamnum hoſtis hæreſeos manebis? Obſequere, & ſcribe contra Athanaſium: qui enim contra eum ſcribit, ille plenè nobiſcum Arianas ſententias amplectitur: nihil ad iſta expavit Oſius, quin inter contumelias, quas patiebatur, iſtiuſmodi Epiſtolam ſcripſit, quam ipſi legimus, & ſub finem adjecimus.*

116. Hactenus ſanctiſſimus Doctor Athanaſius, à quo fideliter & exactè relatam habemus perſecutionem illam Conſtantii Imperatoris, & Arianorum ipſum lactantium adversùs Catholicos, nominatimque contra Liberium Papam, & Oſium, ſine cujus aſſenſu aut ſuffragio in eandem ſententiam, nihil ſe agere aut proficere in eo certamine profitebantur. Huc maximè ſpectant verba ipſorum de Oſio, inſignibus elogiis plena: HIC PRINCEPS EST SYNODORUM: ET SI QUID SCRIBIT, UBIQUE AUDITUR. HIC FORMULAM FIDEI IN NICÆNA SYNODO CONCEPIT, ET ARIANOS UBIQUE UT HÆRETICOS TRADUXIT.

117. *Venientem igitur rogabat*, &c.] Hinc patet, Oſium ſæpè vocatum fuiſſe à Conſtantio, ut condeſcenderet deſiderio Arianorum: & prima quidem vice, venerandum ſenem diu multumque impetitum, nullatenus conſenſiſſe; quin potiùs Conſtantium ipſum flexiſſe, & ab eo reditum *in ſuam Eccleſiam* impetrâſſe. Fortaſſe tunc Cordubam reverſus, celebravit ibi eam Synodum ſuprà ex libello Synodico memoratam, in qua Athanaſium & nonnullos alios, quos ipſe antea in Concilio Sardicenſi innoxios declaraverat, iterum inſontes haberi decrevit: Urſacium verò ac Valentem, & alios Arii gregales, qui ibidem damnati fuerant, denuò reos & iniquos cenſeri voluit.

118. Sed contendentibus his, & nullum lapidem non moventibus, quoniam experiebantur unius Oſii reſiſtentiam ſatis eſſe ne quicquam proficeret ipſorum ſecta, adiêre iterum Conſtantium, ejuſque Eunuchorum ſolicitationibus uſi ſunt, ut denuò Oſium, quamvis centenarium, vocaret Sirmium, immo reluctantem cogeret ad longiſſimam peregrinationem terrâ marique, ab uno ferè extremo totius Europæ in aliud. Scripſit itaque Conſtantius *cum minis ad Oſium*. Sed is tamen licèt contumeliis afficeretur & terroribus, *de ſententia ſua non deceſſit, & decretum animi conſtanter retinuit, veluti ſupra firmam petram fundatus, & liberrimè contra hæreſin, imbres & ventos Epiſtolarum* (Conſtantii) *minas arbitrans, loquutus eſt*. Habemus hinc, Oſium à Conſtantio per plures literas vocatum fuiſſe Cordubâ Sirmium: ſine fructu tamen, quoniam ille renuit venire, & immobilis in Fidei Catholicæ profeſſione permanſit.

119. *Subinde igitur Conſtantio ſcribente*, (proſequitur Athanaſius) *& nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos* (inter quos præcipuus erat Liberius Papa) *enumerante*, &c.] ut ſcriberet contra Athanaſium; ad hæc nihil expavit venerandus ſenex Oſius. Quin & Imperatori reſcripſit Epiſtolam ſequentem, zelo Fidei & libertate ſacerdotali plenam, quam affert ſtatim idem S. Doctor, & nos κατὰ πόδας ex ipſo Græcè ac Latinè exhibere voluimus.

EXCURSUS VIII.

Quid reſponderit Oſius literis Conſtantii Imperatoris, hortantis & urgentis, ut Cordubâ Sirmium proficiſceretur, quò ibidem ſubſcriberet damnationi Athanaſii, & factioni Arianorum. Epiſtola ejuſdem Oſii Græcè ac Latinè exhibetur.

ΟΣΙΟΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΩ,

Βασιλεῖ ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

120. Ἐγὼ μὲν ὡμολόγησα καὶ τὸ πρῶτον, ὅτε διωγμὸς γέγονεν ἐπὶ τοῦ πάππου σου Μαξιμιανοῦ. εἰ δὲ καὶ σύ με διώκεις, ἕτοιμος καὶ νῦν πάντα ὑπομένειν, ἢ ἐκχέειν αἷμα ἀθῷον, καὶ προδοῦναι τὴν ἀλήθειαν. σὲ δὲ οὐκ ἀποδέχομαι τοιαῦτα γράφοντα καὶ ἀπειλοῦντα. παῦσαι τοιαῦτα γράφων, καὶ μὴ φρόνει τὰ Ἀρείου, μηδὲ ἄκουε τῶν ἀνατολικῶν, μηδὲ πίστευε τοῖς περὶ Οὐρσάκιον καὶ Οὐάλεντα. ἃ γὰρ ἐκεῖνοι λέγουσιν, οὐ δι' Ἀθανάσιον φθέγγονται, ἀλλὰ διὰ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν.

121. Πίστευσόν μοι Κωνστάντιε, πάππος ὢν σου καθ' ἡλικίαν, ἐγενόμην ἐν τῇ κατὰ Σαρδικὴν Συνόδῳ, ὅτε σύ τε καὶ ὁ μακαρίτης ἀδελφός σου Κώνστας, πάντας ἡμᾶς συνήγαγε, καὶ δι' ἐμαυτοῦ τοὺς ἐχθροὺς Ἀθανασίου προεκαλεσάμην, ἐλθόντας αὐτοὺς εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ ᾤκουν ἐγὼ, ἵν' εἴ τι ἔχοιεν κατ' αὐτοῦ, λέγωσιν· ἐπαγγειλάμενος αὐτοῖς θαρρεῖν, καὶ μὴ ἄλλο τι προσδοκᾶν, ἢ ὀρθὸν τὸ κριτήριον ἐν πᾶσιν ἔσεσθαι. τοῦτο δὲ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον ἐποίησα, προτρέπων, εἰ μὴ θέλοιεν ἐπὶ πάσης τῆς Συνόδου, κἂν ἐπ' ἐμοῦ μόνου· ἐπαγγειλάμενος πάλιν, ὅτι ἂν μὲν ὑπεύθυνος δειχθῇ, πάντως ἀποβληθήσεται καὶ παρ' ἡμῶν· ἂν δὲ ἀναίτιος εὑρεθῇ, καὶ ἐλέγξῃ συκοφάντας ὑμᾶς, ἐὰν παραιτῆσθε τὸν ἄνθρωπον, ἐγὼ μετ' ἐμαυτοῦ πείσω τὸν Ἀθανάσιον ἐλθεῖν εἰς τὰς Σπανίας.

122. Καὶ ὁ μὲν Ἀθανάσιος ἐπὶ τούτοις ἐπείθετο, καὶ οὐκ ἀντέλεγεν. ἐκεῖνοι δὲ πρὸς πάντα μὴ θαρροῦντες ὅμως ἀνένευον. ἐγένετο δὲ πάλιν ὁ Ἀθανάσιος εἰς τὸ σὸν στρατόπεδον, ὅτε μετεπέμψω γράψας αὐτῷ, καὶ παρόντας ἐν αὐτῇ τῇ Ἀντιοχείᾳ τοὺς ἐχθροὺς, κληθῆναι πάντας ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἠξίωσεν, ἵν' ἢ ἐλέγξωσιν, ἢ ἐλεγχθῶσι, καὶ ἵνα ἢ παρόντα δείξωσιν, οἷον λέγουσιν, ἢ ἀπόντα μὴ διαβάλλωσι, καὶ ἔτι σου λέγοντος οὐκ ἠνέσχοντο, ἀλλὰ κἀκεῖνοι παρῃτήσαντο.

123. Τί τοίνυν ἀκούεις ἔτι τῶν κακολογούντων αὐτόν; πῶς ἀνέχῃ Οὐάλεντος καὶ Οὐρσακίου; καίτοι μετανοησάντων αὐτῶν, καὶ ἐγγράφως αὐτῶν ὁμολογησάντων τὴν συκοφαντίαν; ὡμολόγησαν γὰρ οὐ βίαν παθόντες, ὡς αὐτοὶ προφασίζονται, οὐ στρατιωτῶν ἐπικειμένων, οὐκ εἰδότος τοῦ ἀδελφοῦ σου, οὐκ ἐγίγνετο γὰρ παρ' αὐτῷ τοιαῦτα, οἷα νῦν γίγνεται, μὴ γένοιτο, ἀλλ' αὐτοὶ θέλοντες, ἑαυτοὺς ἀνῆλθον εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων παρόντων ἔγραψαν· γράψαντες πρότερον καὶ Ἀθανασίῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν.

124. Εἰ δὲ βίαν προφασίζονται, καὶ τοῦτο γινώσκουσι κακὸν, οὐκ ἀποδέχῃ δὲ οὐδὲ σύ· παῦσαι τοῦ βιάζεσθαι, καὶ μήτε γράφε, μήτε πέμπε κόμητας· ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξορισθέντας ἀπόλυσον, ἵνα μὴ βίαν αἰτιωμένου σου, μείζονας βίας ἐκεῖνοι ποιῶσι.

125. Τί γὰρ τοιοῦτο γέγονε παρὰ Κώνσταντος; τίς Ἐπίσκοπος ἐξωρίσθη; πότε κρίσεως Ἐκκλησιαστικῆς μέσος γέγονε; τίς αὐτοῦ Παλατῖνος ἠνάγκασε κατὰ

τινος

OSIUS CONSTANTIO

Imp. in Domino ſalutem.

120. EGO confeſſionis munus explevi, primùm cùm perſecutio moveretur ab avo tuo Maximiano: quòd ſi tu quoque perſecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potiùs ſuſtinendum paratus ſum, quàm ut effundam innocentem ſanguinem, & veritatem prodam: teque nequaquam probo talia ſcribentem, & iſtiuſmodi minas denunciantem. Deſinas igitur iſtiuſmodi ſcribere, neque ſentias cum Ario, neque audias Orientales, neque Urſacio & Valenti fidem habeas: quæ enim illi dicunt, non ob Athanaſium, ſed ob ſuam hæreſim dicunt.

121. Mihi crede, qui tibi avus ætate eſſe poſſem: fui ipſe in Sardicenſi Concilio, cùm tu tuuſque frater beatus Conſtans nos omnes eò convocabat: ipſeque ultrò Athanaſii inimicos provocavi, cùm ad Eccleſiam, ubi ego commorabar, adveniſſent, ut ſi quid contra eum haberent, ederent, promiſique eis ſecuritatem, neve quicquam aliud exſpectarent, quàm rectum in omnibus judicium, idque non ſemel, ſed bis feci: quòd ſi nollent rem ab univerſa Synodo diſceptari; ſaltem me judice uterentur: promiſique etiam, nos Athanaſium, ſi io ooxa reperiretur, omnibus modis ejecturos eſſe. Quòd ſi innocens deprehendatur, & vos oſtenderit calumniatores, & æquè illum recuſaveritis, ego illi perſuadebo, ut mecum in Hiſpanias veniat.

122. Athanaſius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contrà obloquutus: illi verò ad omnia æquè diffidentes receſſerunt. Athanaſius deinde tuis literis accerſitus venit in caſtra tua, omneſque inimicos ſuos, qui Antiochiæ præſtò erant, ſingulatim citari juſſit, ut aut redarguerent, aut redarguerentur, & aut ſe præſentem commonſtrarent ea feciſſe quæ objecerant, aut ne abſentem calumniarentur, ſed ne te quidem hæc ipſis denunciantem ſuſtinuerunt, minimè iſtiuſmodi conditiones admittentes.

123. Cur igitur nunc audis obtrectatores ejus? aut cur toleras Valentis & Urſacii criminationes, pœnitentiâ & ſcripto profeſſos ſe calumniam feciſſe? Confeſſi enim ſunt ſuam ſycophantiam, non vi adacti, ut ipſi cauſſantur, cùm nulli ibi milites incumberent, & tuus frater neſciret. Nihil enim tale ſub ipſo agebatur, qualia nunc fiunt, ſed illi ultrò Romam venerunt, & coram Epiſcopo presbyteriſque ibi præſentibus confeſſionem ſuam ſcripto ediderunt, cùm priùs pacatas literas & amicas ad Athanaſium dediſſent.

124. Quòd ſi iis libet vim cauſſificari, idque pro malo habent, nec à te probatur; omitte igitur & tu violentiam tuam, nec literas ſcribe, nec Comites mitte; ſed relegatos exſiliis libera, nec te de vi querente, majorem vim illi ſub tuo nomine exerceant.

125. Quid enim tale à Conſtante actum eſt? aut quis ibi Epiſcopus relegatus? aut quando judiciis Eccleſiaſticis interfuit? aut quis ipſius Palatinus

τινος ὑπεξάψαι, ἵνα οἱ περὶ Οὐάλεντα ταῦτα λέγωσι;

126. Παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ μνήσθητι, ὅτι θνητὸς ἄνθρωπος τυγχάνεις. φοβήθητι τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως, φύλαξον σεαυτὸν εἰς ἐκείνην καθαρόν. μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ Ἐκκλησιαστικὰ, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα· σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν· ἡμῖν τὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπίστευσε. καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ Θεῷ· οὕτω φοβήθητι, μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς Ἐκκλησίας εἰς σεαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ. ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ. οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν· οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾷν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ.

127. Ταῦτα μὲν οὖν κηδόμενος τῆς σῆς σωτηρίας γράφω. περὶ δὲ ὧν ἐπέστειλας, ταύτης εἰμὶ τῆς γνώμης· ἐγὼ οὔτε Ἀρειανοῖς συγκατατίθεμαι· ἀλλὰ καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἀναθεματίζω. οὔτε κατὰ Ἀθανασίου γράφω, ὃν ἡμεῖς τε καὶ ἡ Ῥωμαίων Ἐκκλησία, καὶ πᾶσα ἡ Σύνοδος ἐκαθάρισε.

128. Καὶ γὰρ ταῦτα καὶ σὺ συνορῶν μετεπέμψω τὸν ἄνθρωπον, καὶ συνεχώρησας αὐτῷ μετὰ τιμῆς εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἐπανελθεῖν. τίς τοίνυν γέγονε πρόφασις τῆς τοσαύτης μεταβολῆς; οἱ αὐτοὶ γὰρ ἐχθροὶ οἱ καὶ πρότερον ὄντες καὶ νῦν εἰσιν αὐτοῦ, καὶ ἃ νῦν ψιθυρίζουσιν· οὐ γὰρ παρόντος αὐτοῦ φθέγγονται· ταῦτα καὶ πρὶν πέμψαι τὸν Ἀθανάσιον κατελάλουν, ταῦτα καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν Σύνοδον διεθρύλλουν. καὶ ἀπαιτούμενοι παρ' ἐμοῦ, καθὰ προεῖπον, τὰς ἀποδείξεις οὐκ ἴσχυον παρασχεῖν· εἰ γὰρ εἶχον, οὐκ ἂν ἔφυγον οὕτως αἰσχρῶς.

129. Τίς οὖν ἔπεισέ σε μετὰ τοσοῦτον χρόνον ἐπιλαθέσθαι τῶν γραμμάτων καὶ ῥημάτων; ἐπίσχες, καὶ μὴ πρόσεχε κακοῖς ἀνθρώποις, ἵνα μὴ διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους καθῆκον, σεαυτὸν ὑπεύθυνον ποιήσῃς· ὧδε γὰρ τούτοις χαρίζῃ, ἐν δὲ τῇ κρίσει μόνος μέλλεις ἀπολογεῖσθαι. οὗτοι τὸν ἴδιον ἐχθρὸν, διὰ σοῦ θέλουσιν ἀδικεῖν, καὶ βούλονταί σε διάκονον τῆς ἑαυτῶν πονηρίας γενέσθαι, ἵνα διὰ σοῦ καὶ τὴν μυσαρὰν αἵρεσιν, εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐπισπείρωσιν. οὐκ ἔστι δὲ φρόνιμον δι' ἄλλων ἡδονὴν ἑαυτὸν εἰς πρόδηλον κίνδυνον ἐμβάλλειν. παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ πείσθητί μοι, Κωνστάντιε. ταῦτα γὰρ πρέπει καὶ ἐμὲ γράφειν, καὶ σὲ τούτων μὴ καταφρονεῖν.

nus vim adhibuit, ut contra aliquem ſubſcriptio fieret, ut idem Valens cum ſuis aliquid colligat, habeatque quod objiciat?

126. Deſine, quæſo, & memineris, te mortalem eſſe: reformida diem judicii, ſerva te in illam diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias: *Date* (ſcriptum eſt) *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo.* Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.

127. Hæc quidem ob curam tuæ ſalutis ſcribo, & de iis quæ in Epiſtolis ſcribis, hanc meam ſententiam accipe. Ego neque Arianis aſſideo, neque ſuffragor, ſed eorum hæreſim anathemate damno, neque Athanaſii accuſationibus ſubſcribo, quem nos, & Romana Eccleſia, & univerſa Synodus innocentem pronunciavit.

128. Nam & tu quoque, cùm rem cognitam perſpectamque haberes, Athanaſium acceſſiviſti, feciſti ei copiam, ut cum honore in patriam & Eccleſiam reverteretur. Quæ igitur cauſſa eſt hujus tantæ mutationis, cùm iidem inimici ejus ſint, qui antea fuerunt? Et quæ nunc ſuſurrant, nihil eorum, cùm ille præſens eſſet, hiſcere audebant; ſed ea, antequam accerſeres Athanaſium, obmurmurabant, quo tempore à me conventi, quemadmodum ſuperiùs dixi, ut ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt. nam, ſi quicquã potuiſſent, non ita turpiter aufugiſſent.

129. Quis te igitur induxit, ut poſt tantum temporis tuarum literarum & ſermonum obliviſcereris? Inhibe te, quæſo, neque aures præbeas malis hominibus, neque ob mutuas invicem cum illis gratificationes, temetipſum reum facias. Quæ enim iis indulſeris, de illis in judicio ſolus cogeris cauſſam reddere. Iſti ſuum inimicum per te ſatagunt injuriâ afficere, teque volunt miniſtrum ſuæ malitiæ eſſe, ut per te deteſtabilem hæreſim in Eccleſia ſeminent. Non eſt prudentis, in gratiam alienæ libidinis ſe ipſum in certum periculum conjicere. Deſine, quæſo, & auſculta mihi, Conſtanti: hoc enim decet & me ſcribere, & te non vilipendere.

130. Subdit verò Athanaſius, ſtatim poſt Epiſtolam Oſii exſcriptam: *Ταῦτα μὲν ὁ Ἀβραμιαῖος γέρων, ὁ ἀληθῶς Ὅσιος, ἐφρόνει τε καὶ ἔγραφεν. Hæc Abrahamicus ille ſenex, verè Oſius, id eſt, ſanctus, & ſenſit & ſcripſit.*

131. Ac meritò quidem ita loquitur Athanaſius, juſtiſque elogiis extollit venerandum illum Præſulem, quo nemo unquam liberiùs, nemo animo ſublimiori Deitatem veram Chriſti, & doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, contra Arianos rerum potientes ſub Conſtantio Imperatore defendit. Et quamvis iſte ſolus ferè ubique terrarum dominaretur (utpotè mortuo jam Conſtante, à quo in officio continebatur) & vires omnes exereret ad trahendum Oſium in Arianam impietatem, literis iteratis, minis, terroribus, blandimentis; ſtetit ſenex immotus, *veluti Marpeſia cautes.* Quin & tot ac talia illi regeſſit in Epiſtola præjacta, ut palam oſtenderet ſe longè ſuperiori animo eſſe, quàm Conſtantium ipſum: cui projinde exprobrat apertè impietatem Arianam, inconſtantiam judicii, facilitatem credendi calumniatoribus, & injuſtitiam damnandi Athanaſium, quem poſt accuratiſſimum rei examen antea innoxium prorſus invenerat.

EXCURSUS IX.

Obſervantur nonnulla in præjactam Epiſtolam Oſii ad Conſtantium, ſacerdotali ſpiritu ac libertate plenam. Oſium ſub initium quarti ſæculi tormenta & vibices pro Chriſti fide paſſum. Ætas illius & Conſtantii invicem computata. An reipſa ſecum in Hiſpaniam detulerit Athanaſium. Impudentia Conſtantii æternitatem ſibi tribuentis, ab Oſio reprehenſa.

132. POSSET inſtitui ampliſſimus Commentarius, & ſatis fructuoſus, in præjactam Oſii Epiſtolam; non modò ad concordiam inter Sacerdotium & Regnum ſtabiliendam, reſervato unicuique proprio jure, ſed etiam ad oſtendendum qualiter Epiſcopi ſe gerere debeant, quoties Imperatores ac Principes quique terreni Eccleſiæ jura invadunt, aut ejus libertatem violant, vel in ſacros homines auctoritatem exercere non verentur. Sed cùm hoc ex inſtituto tractare non ſpectet ad ſcopum hujus Operis, id aliis agendum relinquo. Fortaſſis enim expediet, quempiam virum præſtantem, æquè doctum ac pium, in ſe recipere eam tractationem ſuprà hanc Epiſtolam, etiam poſtquam Illuſtriſſimus Archipræſul Marca tam latè de eo argumento diſſeruit in libris *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, ac poſtea clariſſimus Princeps Cœleſtinus Sfondratus in ſuo *Regali Sacerdotio*, quod cum eximia laude eruditorum omnium manibus teritur. Itaque placet modò ſolùm nonnulla in ea Epiſtola obſervare, quæ opportuna ſunt methodo ac ſcriptioni noſtræ.

133. *Ego confeſſionis munus explevi*, &c.] Memorat Oſius perſecutionem Chriſtianorum ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide illatam tempore Maximiani Imperatoris, quem *τὸν πάππον*; id eſt, *avum*, appellat Conſtantii. Nimirum in illa tot Martyrum laniena, quos vel in ſola Cæſarauguſta innumerabiles fuiſſe ſatis oſtendimus Diſſert. I. hujus Tomi Excurſu V. paſſus fuit ipſe Oſius diros cruciatus ob defenſionem Fidei anno CCCIV. & vibices contraxit ex tormentis relictos, qui illum reliquo longiſſimo vitæ tempore venerabilem toti Eccleſiæ reddiderunt, & imprimis charum Imperatori Conſtantino: uti ſuprà à num. 16. dictum eſt.

134. Porrò Oſius ex fortitudine & tolerantia ſua veteri cruciatuum illorum, animos reſumit, & ſuggerit Conſtantio, ſe æquè modò, licèt in extrema ætate, paratum eſſe ad quodvis durum & terribile ſuſtinendum, ne ſanguinem innoxium fundat, vel juſtitiam aut veritatem prodat, damnando Athanaſium, vel conſentiendo Urſacio ac Valenti, qui Ariana hæreſi infecti, illum inſectabantur, veluti in ea parte ſibi adverſarium.

135. *Mihi crede, qui tibi avus ætate eſſe poſſem.*] Nimirum anno CCCIII. interfuerat Oſius Concilio Eliberitano, & inter undeviginti Epiſcopos, qui aderant, ſubſcripſerat, juxta Codices Mendozæ Mss. undecimo loco, juxta alios verò ſecundo. Epiſtola autem Conſtantii, cui reſpondet Oſius, videtur ſcripta anno CCCLVI. aut circiter, ſiquidem anno *ἀμέσως* ſequenti per vim illatam à Conſtantio Cordubâ Sirmium abductus fuit Oſius. Præceſſerant itaque plus minus quinquaginta quatuor anni Epiſcopatûs Oſii à tempore, quo interfuerat jam Epiſcopus Concilio apud Eliberim. Immo & S. Athanaſius verbis ſuprà num. 110. exſcriptis, inquit de Oſio: *Sexaginta jam, & eo ampliùs, annos in Epiſcopatu agebat*. Quare attenta ætate poſſet Oſius jam tum ferè centenarius, fuiſſe avus Conſtantii Imperatoris, qui tunc viceſimum circiter annum Imperii numerabat; ætatis verò plus minus quadrageſimũ. Mortuus enim fuit poſtea anno Chriſti CCCLXI. ætatis 45. teſtibus Ammiano & Socrate. Natus itaq; fuit Conſtantius anno circiter CCCXVI. quo tempore Oſius numerabat ætatis annos plus minus quinquaginta quinque. Unde dubium non eſt; quin attenta ætate illius avus eſſe potuiſſet.

136. *Fui ipſe in Sardicenſi Concilio* &c.] Nimirum anno CCCXLVII. ut ſuprà Excurſu IV. præmiſimus, & qualiter in eo ſe geſſerit Oſius. Nunc addit, Concilium id celebratum fuiſſe hortatu ejuſdem Conſtantii, ac fratris ipſius Conſtantis, quem *τοῦ μακαρίτου*, id eſt, *beati*, appellatione honorat: tum quòd bonus Imperator fuiſſet, tum quòd jam tum vitâ functus eſſet. Scilicet Conſtans, anno CCCXLVIII. poſt celebratum Concilium Sardicenſe, monuit Conſtantium, ut Athanaſium & alios Epiſcopos in ea Synodo inſontes declaratos, ſuis Eccleſiis reſtitueret. Biennio autem pòſt, id eſt, anno CCCL. quo Magnentius perfidus & ingratus imperium uſurpavit Conſtanti, hic anno ætatis ſuæ quadrageſimo interfectus fuit. Unde oportet Epiſtolam hanc Oſii loquentis de Conſtante veluti jam vitâ functo, ſaltem poſt cædem Conſtantis ſcriptam fuiſſe, & quantum judicare poſſum, anno CCCLVI. plus minuſve, ut jam antè monui.

137. Subdit deinde plura in defenſionem Athanaſii, adversùs quem Urſacius & Valens, cæterique inimici nihil probare potuerunt: quin & veritate conſtricti, ſuam ſycophantiam, ſive calumniam pœnitentia & ſcripto confeſſi ſunt: ut propterea indignum eſſet Conſtantio, ac planè injuſtum, iis aures præbere de cætero in ea accuſatione, ob quam infamiâ notati fuerant. Sanè nihil ejuſmodi permiſſurum fuiſſe ævo ſuo Conſtantem: ſub ejus imperio nullum Epiſcopum relegatum fuiſſe: nunquam illum judiciis Eccleſiaſticis interfuiſſe. Palatinos ejus, ſive aulæ miniſtros nemini adhibuiſſe vim ut ſubſcriberet contra quempiam. Hæc & plura alia ibi.

138. Notanda autem ſunt verba illa Oſii de Athanaſio præcedentia intra Concilium Sardicenſe: *Quòd ſi innocens deprehendatur, & vos oſtenderit calumniatores, & æquè illum recuſaveritis, EGO ILLI PERSUADEBO UT MECUM VENIAT IN HISPANIAM*. Hinc aliquis fortaſſe colliget, veram eſſe narrationem quorundam recentiorum deſumptam ex Chronicis noviter detectis (ſeu potiùs obtruſis) quâ ajunt, Athanaſium reipſa cum Oſio Hiſpaniam adiiſſe, & aliquanto tempore ibidem moratum, ad vitandam perſecutionem

tionem Arianorum. Sanè eruditus Bivarius in Commentariis ad Dextrum anno CCCLII. pag. 381. relatis iis Athanaſii verbis, non dubitat Olympium Thraciæ Epiſcopum, eadem cum eo ſententem, fuiſſe adductum in Hiſpaniam ab Oſio, dum ſtatim ſubdit: *Similiter cum Olympio Athanaſii in ſententia compare, factum ab Oſio non ambigo.* nimirum, ut pariter ab Oſio in Hiſpaniam deferretur. Et paullò antè præmiſerat Bivarius, Athanaſium Hiſpaniam adiiſſe comitem Oſii, idque mox probandum receperat.

139. Sed enim nullam rei probationem ſolidam adjungit Bivarius, nec potuit illam colligere ex verbis prælaudatis Athanaſii, cujus propoſitum deferendi ſecum Oſium in Hiſpaniam, non fuit abſolutum, ſed dumtaxat conditionale, ſi Athanaſius poſt innocentiam ſuam in Concilio Sardicenſi probatam, & calumniam adverſariorum convictam, non reciperetur in communionem. Cùm verò in eodem Concilio numeroſiſſimo & plenario probata fuerit Athanaſii innocentia, & convicti ipſius adverſarii, & palam data eidem communio, ſeu potiùs reſtituta; non debuit Oſius, & fortaſſe nec decenter potuit, exſequi propoſitum illud deferendi ſecum Athanaſium in Hiſpaniam, Neque enim decebat Athanaſium communioni reſtitutum deſerere Eccleſiam Alexandrinam ſibi commiſſam, & tam longè peregrinari in Hiſpaniam, præſertim Bæticam, quæ tunc terminus ferè Orbis habebatur.

140. Deinde nemo veterum ſcriptorum meminit ejus peregrinationis Athanaſii in Hiſpaniã, nec idem S. Doctor, quo nemo meliùs id teſtari potuiſſet. Quin nec in eo Chronico, ſeu potiùs Pſeudo-chronico Dextri, ubi tam multa paſſim leguntur παράδοξα & inaudita, id habetur, aut indicatur. Multò autem minùs, quod alii obtrudere audent ex farraginibus aliorum Pſeudo-chronicorum, S. Athanaſium eo tempore metu Arianorum delituiſſe apud Regnum Caſtellæ Veteris in ea parte montis Diſtertii, quæ tunc appellabatur Vallis-Venaria, nunc corrupto nomine VALVANERA, ubi exſtat antiquiſſimum Monaſterium Ordinis S. P. N. Benedicti, quatuor leucis à Naxara urbe verſus Meridiem, Beatiſſimæ Virgini dicatum ſub invocatione *De Valvanera*, quo ex proximis & diſſitis locis Hiſpani devotionis cauſsâ & miraculorum famâ ducti, frequentiſſimè confluunt. Nimirum permiſſo gratis, Oſium reipſa in Hiſpaniam ſecum detuliſſe Athanaſium, non eſt veriſimile quòd hic ſe reciperet in montem Diſtertium quadringentis circiter milliaribus Italicis diſtantem à Corduba, ubi habitabat Oſius, & in loco aliquo ſuæ diœceſis palam vel occultè poterat Athanaſium fideliſſimum amicum retinere ac defendere.

141. *Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe.*] Hiſce verbis Oſius non modò admonet Conſtantium mortalitatis ſuæ, ne inſoleſcat; ſed etiam reprehendere videtur ob faſtuoſum illum & plus nimio arrogantem æternitatis titulum, quem ſibi uſurpâſſe dicitur, aliquando auditus uti verbis illis, ÆTERNITATEM MEAM. Nimirum, Ammianus lib. 5. ait de illo proſperitate rerum & adulationibus inflato: *Immunem ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo, confeſtim à juſtitia declinavit, ita intemperanter, ut ÆTERNITATEM MEAM aliquoties ſubſcriberet ipſe dictando.* Reprehendit illum hoc loco propterea Oſius, veluti negantem Filio Dei æternitatem, & ſibi adſcribentem, quo nihil ſceleratius & inſolentius eſſe poteſt.

142. Moneo autem, non ſemper Conſtantium Filio æternitatem negâſſe. Nam in Sirmienſi formula, Euſebio & Hypatio Coſſ. coram Conſtantio Sirmii hibernante ab Epiſcopis quibuſdam concepta, teſte Sozomeno, definitum fuit, *Filium per omnia Patri ſimilem eſſe.* Unde ſtatim conſequens eſt, ut æternus pariter credatur. Nec aliò referri poſſe videntur quæ apud Epiphanium Hæreſi LXXIII. leguntur de Fide, κατὰ τὸ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα. Cumque Valens Epiſcopus ſubſcribens illi parti priori, quâ Filius dicitur Patri ſimilis, nollet addere poſteriorem *per omnia*; Conſtantius ibidem ad ſubſcribendum coëgit. Itaque tunc ſaltem non negabat æternitatem Filio Dei. Lege Præfationem doctiſſimam Nicolai Fabri ad Fragmenta S. Hilarii ex bibliotheca Pithœana col. 408.

143. Sed & ipſi Epiſcopi Homoûſio adverſantes, uſque adeò viles & abjecti palpones atque aſſentatores Conſtantii fuerunt, ut dum eripere ſatagebant Filio Dei ſimilitudinem κατὰ πάντα, ac proinde æternitatem; non vererentur illam Conſtantio adſcribere. Ob idque eos laceſſit Athanaſius nuper citatus libro De Synodis, *quòd æternum illi Imperatorem non dubitarent dicere, qui æternum Dei eſſe negarent Filium.* Meritò itaque Oſius hoc loco ipſi Conſtantio inquit: παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ μνήσθητι ὅτι θνητὸς ἄνθρωπος τυγχάνεις, *Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe.*

144. Reliquas Epiſtolæ partes impendit Oſius in oſtenſionem conſtantiæ ſuæ, defenſionem Athanaſii, & nequitiã adverſariorum oſtendendã, ne Conſtantius ullam iis fidem præſtet. Vide infrà num. 199. facetum locum Ammiani Marcellini contra eundem Conſtantium.

EXCURSUS X.

Diſſeritur, an Oſius poſt lapſum illum miſerandum in Concilio Sirmienſi, seriò pœnituerit, an potiùs impœnitens horrendam mortem ſubierit. Veterum teſtimonia ipſius famæ in ſpeciem adverſantia objiciuntur & urgentur, præſertim Sanctorum Hilarii & Euſebii Vercellenſis, ac Iſidori Hiſpalenſis, juxta quædam exemplaria Mſs.

145. HACTENUS ſatis de rebus Oſii uſque ad lapſum in Concilio Sirmienſi poſteriore celebrato anno CCCLVII. ſitum in eo quòd diuturnis tormentis & perſecutionibus attritus & vexatus, communicaverit Urſacio & Valenti; quod ſolùm de illo teſtatur S. Athanaſius; vel etiam in eo, quòd formulæ illi ſuprà num. 80. exhibitæ ſubſcripſerit, quam S. Hilarius blaſphemam appellat. Sinamus Oſium utroque eo titulo lapſum fuiſſe,

nec

nec aliquid valere conjecturas noſtras, teſtimonio ſatis idoneo Athanaſii innixas potiſſimùm, ut poſteriorem & graviorem ſubſcriptionis notam evadat.

146. Reſtat modò inquirendum, an Oſius de illo qualicumque ſcelere ſive lapſu pœnitentiam egerit, & tandem in pace ac commuoione Eccleſiæ longiſſimum vitæ curſum finierit: an potiùs impœnitens & horrenda, ut quidam ajunt, morte, de hoc mnndo migraverit. Proponam primò argume nta, ſive difficultates, quæ ſuadere videntur O ſium non egiſſe pœnitentiam, & miſerrimo fine vitæ periodum clauſiſſe: deinde verò exhibebo fundamenta in oppoſitum, & quid tandem ſentiendum ſit.

147. Primò contra Oſium allegantur multi antiquorum, qui referentes ejus lapſum, nullatenus meminerunt pœnitentiæ ipſius, quæ certè debuiſſet eſſe manifeſta & publica, ſicuti & lapſus fuit publicus. Imprimis id conſtare videtur ex S. Hilario, ſcriptore ejus temporis, & teſte oculato aut aurito eorum omnium quæ tunc inter Catholicos & Arianos gerebantur. Quotieſcumque enim meminit Oſii, nunquam ſine exſecratione id feciſſe invenitur, præſertim libro *De Synodis*, ob formulam illam Sirmienſem. Præterea libro *Adversùs Conſtantium* jam vitâ functum, (ac proinde poſt obitum Oſii, qui aliquantò ante Conſtantium deceſſerat) inter plurimas alias iniquitates, quas eidem exprobrat, inter medium & finem ait: *Suſcipis etiam adversùm deliramenta Oſii, & incrementa Urſacii ac Valentis, emendationum tuarum damnationes*. Si autem Oſius palam pœnituiſſet, incredibile apparet quòd Hilarius id non ſignificaret, ſaltem poſt mortem Oſii, ad æquitatem ſervandam, immo & ad juſtitiam Catholicæ cauſſæ tuendam contra Arianos, qui jactabant Oſium ab ipſis ſtetiſſe.

148. Secundò opponuntur teſtimonia omniũ ferè veterum, qui de lapſu Oſii apud ſirmium teſtimonium unanimiter ſeruōt; de pœnitentia verò ipſius altùm ſilent: uti videre eſt apud Hiſtoricos illos qui intra ſæculum ab ejus morte computatum ſcripſere; veluti Sulpicium Severum, Socratem, & Sozomenum. Quibus adjungi poſſunt, Phœbadius ſive Sœbadius Agennenſis adversùs Arianos, & Vigilius contra Eutychen lib. 5. Idem colligitur ex ſcriptoribus longè poſterioribus: veluti ex Auxilio, ſub initium ſæculi decimi, in libro *De Ordinationibus Formoſi Papæ*, & Nicephoro circa ſæculum decimum tertium. Quos omnes adversùs Oſium coacervant aliqui, & ex Sectariis David Blondellus in Præfatione Apologetica Geoealogiæ Franciciæ contra Chifletium. Nimirum homini exoſam habenti auctoritatem ſupremam Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis, exoſus fuit pariter Oſius, qui illam in Concilio Sardicenſi tam fortiter aſſerendam curavit.

149. Tertiò urget maximè teſtimonium exſtans de Oſio apud S. Iſidorum Hiſpalenſem libro communiter inſcripto *De viris illuſtribus*, hiſce verbis: *Oſius Cordubenſis civitatis Epiſcopus, ſcripſit ad ſororem ſuam* De laude virginitatis *Epiſtolam, pulchro ac diſerto comptam eloquio. In Sardicenſi etiam Concilio quamplurimas ipſe edidit ſententias. Hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis, accerſitus à Conſtantio Principe, minisq; perterritus; metuens ne ſenex & dives damnaretur, vel exſilium pateretur; illicò Arianæ impietati conſenſit: cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim crudelis exitus finivit: nam poſt impiam (ut ait quidam) Oſii prævaricationem, dum S. Gregorius Eliberitanus Epiſcopus in Cordubenſem urbem, juxta imperiale decretum, fuiſſet adductus, ac minimè vellet illi communicare, commotus Oſius dixit Clementio Conſtantii præfecto Vicario, ut mitteret eum in exſilium: at ille:* Non audeo (inquit) *Epiſcopum in exſilium mittere, niſi priùs eum ab Epiſcopatu dejeceris. Ut autem vidit S. Gregorius, quid Oſius vellet dare ſententiam, appellat Chriſtum, totis Fidei ſuæ viſceribus exclamans: Chriſte Deus, qui judicaturus es vivos & mortuos, non patiaris hodie inhumanam proferri ſententiam adversùs me minimum ſervum tuum, qui pro fide nominis tui, ut reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum: ſed tu ipſe, quæſo, in cauſſa tua hodie judica, ipſe ſententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quaſi metuens de exſilio fugere cupio; cùm mihi pro tuo nomine nullum ſupplicium grave ſit; ſed ut multi à prævaricationis errore liberentur, cùm præſentem viderint ultionem. His dictis ecce repentè Oſius reſidens, faſtu quaſi Regalis imperii, cùm ſententiam conaretur exprimere, os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque illicò exſpiravit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementius ille Gentilis expavit: & licèt eſſet judex, tamen metuens, ne in ſe ſimile ſupplicium vindicaretur, proſtravit ſe ad pedes ſancti viri, obſecrans ut ſibi parceret, qui in eum divinæ legis ignorantiâ peccâſſet, & non tam proprio arbitrio, quàm mandantis imperio. Inde eſt, quòd ſolus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem, nec in fugam verſus eſt, nec paſſus eſt exſilium. Unuſquiſque enim timuit de illo alteriùs judicare.*

150. Huic teſtimonio S. Iſidori occurri ſolet à defenſoribus Oſii multipliciter. Imprimis ajunt nonnulli, corrupta, interpolata, & vitiata fuiſſe ejuſdem S. Doctoris ſcripta à quodam Theodiſco Græco, qui Honorato poſt ipſum Iſidorum ſucceſſit in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, & poſtea in pœnam ſuorum ſcelerum depoſitus fuit. Ita enim teſtatur Lucas Epiſcopus Tudenſis in Hiſtoria Hiſpaniæ, quam ſcripſit ſub initium ſæculi decimi tertii. Itaque quicquid ibi narratur de contentione inter Gregorium Epiſcupum Eliberitanum & Oſium, eſſe centonem quempiam aſſutum germanis S. Iſidori ſcriptis, in quibus juxta varios codices Mss. & ab eruditiſſimo Mendoza aliiſque citatos ac lectos, nihil ejuſmodi habetur, ſed hæc tantùm: *Oſius Cordubenſis Eccleſiæ, civitatis Hiſpaniarum Epiſcopus, eloquentia viribus ſatis exercitatus, ſcripſit ad ſororem ſuam* De laude virginitatis *Epiſtolam, pulchro ac diſerto coopertam eloquio. Compoſuitq; & aliud Opus* De interpretatione veſtium ſacerdotalium, quæ ſunt in Veteri Teſtamento, *egregio quidem ſenſu & ingenio elaboratum. In Sardicenſi etiam Concilio, quamplurimas* edi-

edidit ipſe ſententias. Hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis, ideſt, poſt centeſimum primum annum, in ipſo etiam limine vitæ, à Fidei limitibus ſubruens, ſerpentis jaculo concidit. Nam accerſitus à Conſtantio Principe, miniſq; perterritus, metuens, ne ſenex & dives damna rerum, vel exſilium pateretur; illicò Arianæ impietati conſenſit, & vocabulum Homoüſion, quod ſimul cum Patribus ſanctis, cæteris Eccleſiis ſequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit; cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim exitus crudelis finivit.

151. Addunt deinde, dato quòd id teſtimonium prius de controverſia inter Gregorium & Oſium exſtaret in genuinis S. Iſidori ſcriptis, non tamen veluti ab ipſo traditum, aut confirmatum; ſed dumtaxat veluti narratum ex relatione cujuſpiam hominis obſcuri, aut fide non digni; quod videtur conſtare ex verbis illis: *ut quidam ait.* Hunc verò fuiſſe Marcellinum, ſchiſmaticum quendam Italiæ presbyterum, & Luciferiani erroris ſequacem, qui ſimul cum Fauſtino ejuſdem ſchiſmatis participe ſcripſit Opuſculum *De geſtis Epiſcoporum*, qui Arimini conſpirârunt ad ſupprimendum vocabulum Homoûſii: & in illo totidem verbis loquitur de Oſio, ac Iſidorus eo loci, abſque mutatione ulla.

152. Verùm exceptiones iſtæ, ſive ſolutiones difficultatis objectæ, non videntur plenè occurrere. Imprimis valdè ambiguum eſt & ſuſpectum id quod dicitur de Theodiſco Iſidori ſucceſſore in Sede Hiſpalenſi, & ſcriptorum ipſius corruptore: ut ſatis oſtendi Tomo I. hujus Operis Diſſert. IV. Excurſu VII. Immo nullus omnino veterum ante Lucam Tudenſem & Archiepiſcopum Rodericum, ejuſdem ſynchronon, invenitur meminiſſe prædicti Theodiſci aut Theodiſcli, vel tranſlationis Primatûs Hiſpaniæ ab Hiſpalenſi Eccleſia in Toletanam ob eam cauſſam.

153. Deinde licèt verba illa de contentione inter Gregorium & Oſium, & de horrenda hujus morte, deſumpta fuerint planè ex Marcellino ſchiſmatico, & ex hujus Opuſculo citato exſcripta κατὰ πόδας, ſive ab Iſidoro illum citante abſque nomine, ſive à corruptore quolibet ſcriptorum Sancti Doctoris; non propterea ſatis arguuntur erroris aut falſitatis: cùm manifeſtum ſit, ſchiſmaticos multos alioqui fide dignos haberi, & cum laude allegari in hiſtoriis, quas edidere: ut patet in Socrate, Sozomeno, Nicephoro, & aliis quibuſdam ſchiſmatis aut hæreſeos ſuſpicione notatis, quorum tamen aliàs in rebus hiſtoricis ratio habetur, & teſtimonia paſſim recipiuntur, etiam circa cauſſam Oſii, ut vidimus in ſuperioribus.

154. Ulteriùs, narrationem ipſam litis ſeu controverſiæ excitatæ inter Gregorium Epiſcopum Eliberitanum & Oſium Cordubenſem, cum prioris laude & victoria, ac poſterioris exſecratione, indicare ſatis, aut etiam confirmare videtur S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, ac Martyr, ejuſdem planè temporis, in Epiſtola ad eundem Gregorium Epiſcopum, exſtante inter *Fragmenta S. Hilarii*, edita à Cl. V. Nicolao Fabro, hiſce verbis:

EUSEBIUS AD GREGORIUM EPISCOPUM SPANIÆ.

Domino ſanctiſſimo Gregorio Epiſcopo Euſebius in Domino ſalutem.

155. *LITERAS ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum & Dei ſacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis & Urſacii, & cæterorum, quos ipſi agnito blaſphemiæ crimine ante damnaverunt, aſſenſum tuum denegâſſe: Fidem ſcilicet ſervans, quam Patres Nicæni ſcripſerunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis: quia hoc cujus propoſito & hac fide pollens, noſtri dignatus es meminiſſe. Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte, quibus potes tractabis quanto labore prævales, tranſgreſſores: objurga infideles, increpa, nihil metuens de regno ſæculari, ut feciſti: quia potior eſt qui in nobis eſt, quàm qui in hoc mundo. Nos verò tui conſacerdotes tertio laborantes exſilio, hoc dicimus quod manifeſtum eſſe putavimus: quoniam omnis ſpes Ariomanitarum non in ** ſua aut limito conſenſu, ſed in protectione pendet Regni ſæcularis, ignorantes ſcripta: quia maledicti ſunt qui ſpem habent in hominem: noſtrum autem adjutorium in nomine Domini qui fecit cælum & terram. In paſſionibus perdurare cupimus, ut ſecundùm quod dictum eſt, in regno glorificari poſſimus. Dignare nobis ſcribere quid malos corrigendo profeceris, vel quantos fratres aut ſtantes agnoveris, aut ipſe movendo correxeris. Salutant te omnes qui mecum ſunt, maximè diaconus, ſimulq; petunt ut cunctos lateri tuo fideliter adhærentes, noſtro digneris obſequio ſalutare.*

156. Porrò dubitare fas non eſt, Epiſtolam prajactam fuiſſe ſcriptam à S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, qui tunc in eadem navi erat cum aliis Catholicis Præſulibus relegatis in odium Fidei. Neque etiam ambigi poteſt, Gregorium illum Epiſcopum Spaniæ, ſive Spanienſem (ita enim proferebant antiqui) eo tempore præfuiſſe Eccleſiæ Eliberitanæ in Hiſpania ulteriore, ſeu Bætica. Ejus meminit poſtea S. Hieronymus lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſt.* cap. 105. dicens: *Gregorius Bæticus Eliberi Epiſcopus uſque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit, & de Fide elegantem librum, qui hodie ſupereſſe dicitur.* Quæ verba tranſtulit Honorius Auguſtodunenſis in ſuum *De ſcriptoribus* libellum 2. cap. 106. Quòd autem Bivarius, ut ſuum Dextrum tueatur, ad ann. CCCLVI. & CCCLXXV. contendit Gregorium ſynchronon Oſio, & hoc loco memoratum, non fuiſſe Epiſcopum Eliberitanum, ſed Toletanum; caret omni fundamento: cùm in Catalogis veteribus Præſulum Toletanorum nullus toto eo ſæculo legatur Gregorius, neque apud quenquam auctorem antiquum. Quin potiùs S. Hieronymus verbis modò exſcriptis, Gregorium illum, quem Bæticum Eliberis Epiſcopum appellat, ſupponit jam mortuum in extre-

trema ſenectute. Unde attento tempore quo Hieronymus id ſcribebat, ſub finem circiter quarti ſæculi, aut initium quinti, neceſſum eſt dicere, hunc ipſum Gregorium fuiſſe qui an. CCCLVII. Oſio reſtitit, & diu poſtea vixit.

157. Deinde priora ejuſdem Epiſtolæ verba videntur denotare litigium illud ab Iſidoro ſeu Marcellino memoratum inter Gregorium ipſum & Oſium tranſgreſſorem, cui reſtitit. Nihil enim aliud præſeferunt illa: *Literas ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum & Dei ſacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe.* Inſuper quæ ſequuntur idipſum confirmare videntur: *Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitto.* Quid enim aliud hæc ſibi volunt, quàm Gregorium Eliberitanum noluiſſe communicare Oſio tranſgreſſori, ut Marcellinus priori illo teſtimonio narrat? Unde videtur conſequens, ut vera etiam ſit ejuſdem narratio de horrenda morte Oſii ſequuta inter litigandum cum Gregorio: ac proinde Oſium impœnitentem periiſſe. Et hactenus quidem de argumentis negantium reſipuiſſe Oſium.

EXCURSUS XI.

Oſtenditur ex oppoſito illuſtribus S. Athanaſii teſtimoniis, non ſolùm mira fortitudo, & libertas ſacerdotalis Oſii adverſùs Imperatorem Conſtantium, & reliquos Arianos, pro Catholica Fide, uſque ad plagas & rotas; ſed etiam pœnitentia poſt lapſum, exſecratio hæreſeos Arianæ, & pia mors apud Sirmium; non autem horrenda apud Cordubam, ut alii fabulantur.

158. SAT multa paſſus fuit miſerandus Oſius in extrema illa ſenecta, ſat longum martyrium duxit anno penè integro apud Sirmium, quin prætereа infamiam perpetuam ſuper dolorem vulnerum ejus adjiciamus. Satis plagarum, vexationum, verberum, ac machinarum exhauſto corpori admotarum paſſus fuit ab Arianis, antequam per vim, aut fortaſſis etiam ſine libero rationis & arbitrii uſu, in decrepita ætate communicaret impiis Urſacio ac Valenti, & ſubſcriberet formulæ illi, judicio S. Hilarii & aliorum quorundam, blaſphemæ accontrariæ Deitati veræ Filii, ſive Homoüſio, quod ipſe cum Patribus Nicænis eouſque tam firmiter ſtabilierat.

159. Satis, inquam, perpeſſus fuit (ultra tormenta jam olim ſub initio ejuſdem ſæculi Cordubæ tolerata in lanlena illa Daciani Hiſpaniarum Præfecti, quorum vibices perpetuò retinuit) quin prætereа in honore ſummum dedecus adhuc patiatur apud nonnullos recentiores, præſertim Davidem Blondellum ſuprà num. 148. allegatum; dum valdè prudenter cenſeri poteſt ac credi, Oſium de qualicumque illo lapſu ſeriò pœnituiſſe, & communioni Eccleſiæ reſtitutum in pace extremum clauſiſſe diem.

160. Agmen ducat defenſionis ejus Magnus ille Athanaſius, & immobilis Fidei atque Homoüſii cum ea illigati, columna, ac teſtis omni exceptione major: qui in ſæpiùs citata Epiſtola *Ad ſolitarios*, ita fatetur Oſii prævaricationem, ut plurimum illam extenuet, ac deinde prorſus deleat teſtimonio illuſtri retractationis & pœnitentiæ ſequutæ.

161. Quod ut ordine enarremus, placet exhibere longiuſculum teſtimonium S. Doctoris, ductum à fine Epiſtolæ graviſſimæ Oſii *Ad Conſtantium Imperatorem* iniquiſſimum, in ſuperioribus exſcriptæ & expenſæ. Statim enim Athanaſius de eodem Conſtantio ſubdit: ὁ δ᾽ ὅτε τῶ ἐπιβολαύων ἀπεχείρω, &c. *Ille autem neque inſidias de manibus depoſuit, neque criminandi occaſiones quærere deſiit, ſed graviùs ſemper minabatur, ut eum vi oppreſſum in ſuas partes transferret, aut inobſequentem exterminaret. Sed ut occaſionem duces & ſatrapæ Babylonis ſedulò quærentes contra Danielem non inveniebant, niſi ex cauſſa legis Dei: ita quoque nunc ſatrapæ impietatis, ne fingere quidem quicquam contra ſenem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro ſuo nomine Oſius, hoc eſt,* ſanctus, *habebatur, vitaq; ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen mutuarentur.*

162. *Calumniantur igitur eum, ſed non ut illi Danielem apud Darium, illibenter talia audientem; ſed ut Jezabel contra Nabuth, & ut Judæi apud Herodem, his verbis agentes: Non ſolùm non ſubſcribit contra Athanaſium, ſed & nos ob Athanaſium condemnat, & hæreſim tali odio perſequitur, ut aliis ſcribat, melius eſſe mortem perferre, quàm proditores fieri veritatis: ob ipſam enim deinde ait, dilectum fratrem Athanaſium perſecutionem ſuſtinere, & Liberium Romanorum Epiſcopum, cæteroſq; omnes inſidiis tentari.*

163. *Hæc cùm audiſſet impietatis propugnator Conſtantius Cæſar, & quòd alii eſſent per Hiſpanias ejuſdem cum Oſio ſententia, quot cùm ſolicitâſſet ad ſubſcriptionem, & impellere nequiviſſet, accerſit Oſium, & pro exſilio detinet illum integrum annum Sirmii, nihil veritus impius, nec Deum, neque patris ſui, quem erga Oſium habebat, affectum, neque ſenectutem hominis jam centenarii inhumanus ille reſpexit. Omnia namque ob amorem hæreſis neglectui habebat novus ille Achab, & noſtris temporibus ſecundus Baltaſſar.*

164. Hæc Athanaſii teſtimonia expendant quicumque plus juſto Oſium gravant, tam conſtantem, tam impavidum in tot perſecutionibus æquo animo perferendis, nec à quoquam, ſed à Conſtantio Imperatore potentiſſimo, ſpirante minas, exſilia, & tormenta, nullo ætatis aut meritorum diſcrimine habito, & eodem tempore perſequente crudeliter Liberium Pontificem Romanum, cum aliis fideliter ipſum ſequentibus in Oriente & Occidente, Oſiumque cum pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis dum ille eſſet Cordubæ, ac tandem Sirmii per annum ferè integrum.

165. Notandum prætereа, nec Conſtantium, nec Epiſcopos Arianos ipſius gregales, durante eo exſilio & perſecutione Oſii apud Sirmium, inveniſſe in ejus moribus quicquam reprehenſione dignum; ſed ſolùm ipſi objeciſſe defenſionem Ni-

cænæ

cenæ Fidei, & Athanaſii pro ea certantis. *Omnibus enim* (inquit S. Doctor) *notus erat, ac verus pro ſuo nomine HOSIUS, id eſt, ſanctus, habebatur, vitaq; ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen mutuarentur.*

166. Hinc obiter deſpicies plauſtra calumniarum in Oſium jacta ab iis Epiſcopis Orientalibus planè Arianis, qui Sardicæ congregati ad Synodum celebrandam, receſſerunt ab Oſio & reliquis Epiſcopis Catholicis, & miſerunt ad Africam quoddam impium decretum ſatis prolixum, extans inter *Fragmenta S. Hilarii* à Nicolao Fabro eruta ex Bibliotheca Pithœana, cui initium: *Gregorio Alexandriæ Epiſcopo,* &c. Ibidem enim multa impiè proferuntur adversùs Oſium, quaſi ſceleratorum hominum defenſorem, & piorum perſecutorem: qualem etiam fuiſſe volunt Julium Papam (licèt judicio Catholicæ Eccleſiæ ſanctiſſimum) & utrumque in impietate conjungere non verentur, præſertim verbis illis: *Unde Julium urbis Romæ, Oſium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treviris damnavit omne Concilium* (nimirum, Conciliabulum eorundem Arianorum) *ſecundùm antiquiſſimam legem* (meliùs dicerent, noviſſimam temeritatem & impudentiam) *ut auctores communionis Marcelli & Athanaſii, cæterorumq; ſceleratorum.* Hoc nimirum epitheto decorabant Ariani innocentiſſimos quoſque Arianiſmi perſecutores, Julium, Athanaſium, alioſque Catholicos.

167. Veniamus jam ad verba Athanaſii, ſtatim ſuperioribus adjuncta, quæ & Oſii lapſum, & pœnitentiam illicò ſequutam apertiſſimè proferunt. Subdit enim S. Doctor de Conſtantio Imperatore: *Τοσαύτην γὰρ βίαν πεποίηκε τῷ γέροντι, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν συνέσχεν, ὡς θλιβέντα αὐτὸν, μόλις κοινωνῆσαι μὲν τοῖς περὶ Οὐάλεντα καὶ Οὐρσάκιον, μὴ ὑπογράψαι δὲ κατὰ Ἀθανασίου· ἀλλὰ καὶ οὕτως οὐκ ἠμέλησεν ὁ γέρων. μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν, ὥσπερ διατιθέμενος ἐμαρτύρατο τὴν βίαν, καὶ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτιζε.* id eſt: *Tantam enim vim intulit* (Conſtantius) *ſeni* (Oſio) *& ita eum arctè tenuit; ut afflictus attritusq; malis, tandem ægreq; cum Urſacio & Valente communicaret; ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet. Verùm ne ita quidem eam rem pro levi habuit. MORITURUS ENIM, QUASI IN TESTAMENTO SUO, EORUM VIM PROTESTATUS EST, ET ARIANAM HÆRESIM CONDEMNAVIT, VETUITQUE EAM A QUOQUAM PROBARI AUT RECIPI.*

168. Durus certè ac pervicax erit, quiſquis poſt tam illuſtre teſtimonium magni Athanaſii de pœnitentia Oſii, dubitare de illa pergat. Nec ambigere licet S. Doctorem tam aſſeveranter id affirmantem, certiſſimam rei notitiam habuiſſe à gravibus & incorruptis viris, qui aderant Oſio retractanti & corrigenti quæcumque antea in extrema illa ſenectute per vim & acerbitatem tormentorum illatam commiſerat. Unde paullò pòſt, tam de Liberio Papa, quàm de Oſio (qui duo circa idem ferè tempus ciciderant, & mox pœnitentiam egerant) ſubdit hæc valdè notanda: *Quis iſta animadvertens, non opportunè ad Dominum vociferetur? Stupor & horror factus eſt ſuper terram: obſtupuit cœlum ſuper hoc, & terra magis, magisq; exhorruit. Patres populorum, & Fidei magiſtri tolluntur, & impii in Eccleſiam intruduntur. Quis cùm videret Liberium Pontificem è Roma in exſilium ejici, magnum Oſium tot mala pati, tot Epiſcopos ex Hiſpania & aliis regionibus in exſilium deportari, non abundè animadvertit, omnes criminationes contra Athanaſium, & reliquos omnes, falſas eſſe, & omnia ſycophantiis ſcatere?* Ac ſtatim adjungit: *ποῖον ἔγκλημα καὶ Λιβερίῳ; ἢ ποία κατηγορία κατὰ τοῦ γέροντος Ὀσίου;* *Quod enim, quæſo, crimen Liberii? aut quid in ſene Oſio culpari potuit?* Cui interrogationi, ſeu excuſationi utriuſque, facillimè occurri poſſet, ſi Liberius & Oſius non dignè pœnituiſſent de ſuo lapſu. Certus igitur erat Athanaſius de retractatione & correctione utriuſque. Et quomodo id compertum non haberet, qui tam in ea Epiſtola *Ad ſolitarios*, quàm in *Apologiis* ſuis, aliiſque pluribus ſcriptis, cedro & immortalitate dignis, tam diſtinctè, tam minutatim, & ingennè narrat ea omnia quæ inter Catholicos & Arianos diſputata & geſta ſunt, ut nemo veterum ea pleniùs nôſſe aut retuliſſe inveniatur?

169. Sed & longè poſtea in eadem Epiſtola *Ad ſolitarios* (quæ longiſſima eſt) pag. mihi 855. poſtquam acerrimè invectus fuit contra Imperatorem Conſtantium, veluti Antichriſti prodromum, & longè pejorem Ethnicis, Judæis, ac tyrannis quibuslibet, & impio Rege Achab, ſubdit de hoc: *Ille ſaltem interfecto Nabuthe compunctus eſt, & viſo Helia extimuit: iſte verò* (Conſtantius) *OSIUM, TANTUM ET TAM EXIMIUM VIRUM, nihil reveritus eſt, neque poſt tot exſilia Epiſcoporum otio acquievit, aut animo compunctus fuit; ſed ut alter Pharao, quò magis atteritur, eò magis induraſcit, & quotidie pejora meditatur.* Porrò Athanaſius non ita honorificè ſcriberet de Oſio, jam tum vitâ functo, niſi certum omnino eſſet, & famâ publicâ vulgatum, maculam illam per vim & tormenta ab Oſio contractam, dignis lacrymis & competenti ſatisfactione deterſam fuiſſe.

170. Denique id maximè obſervandum eſt, Athanaſium ſcripſiſſe eam Epiſtolam *Ad ſolitarios*, mortuo jam Oſio: ut planè denotant verba illa num. 167. exſcripta: *Moriturus enim, quaſi in teſtamento ſuo, eorum* (Arianorum) *vim proteſtatus eſt, & Arianam hæreſim condemnavit, vetuitque eam à quopiam probari aut recipi.* Unde duo colliguntur valdè notanda & opportuna.

171. Primum eſt, eam teſtificationem proferri ab Athanaſio cum magna maturitate, prævio accurato examine eorum quæ contigerant poſt lapſum Oſii, & in ejus morte: quando nimirum rem totam potuit magis compertam habere apud Sirmium, & finitimas regiones, ubi plerumque habitabat Athanaſius, quàm alii longiùs inde diſtantes, aut minùs conſcii eorum quæ Sirmii contigerant.

172. Secundum eſt, Oſium detritum ætate centum & unius annorum, quorum ultimum peregit Sirmii in aſſidua perſecutione, ac præterea vexatum ibidem verberibus, & machinis admo-

trema ſenectute. Unde attento tempore quo Hieronymus id ſcribebat, ſub finem circiter quarti ſæculi, aut initium quinti, neceſſum eſt dicere, hunc ipſum Gregorium fuiſſe qui an. CCCLVII. Oſio reſtitit, & diu poſtea vixit.

157. Deinde priora ejuſdem Epiſtolæ verba videntur denotare litigium illud ab Iſidoro ſeu Marcellino memoratum inter Gregorium ipſum & Oſium tranſgreſſorem, cui reſtitit. Nihil enim aliud præſeferunt illa: *Literas ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum & Dei ſacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe*. Inſuper quæ ſequuntur idipſum confirmare videntur: *Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte*. Quid enim aliud hæc ſibi volunt, quàm Gregorium Eliberitanum noluiſſe communicare Oſio tranſgreſſori, ut Marcellinus priori illo teſtimonio narrat? Unde videtur conſequens, ut vera etiam ſit ejuſdem narratio de horrenda morte Oſii ſequuta inter litigandum cum Gregorio: ac proinde Oſium impœnitentem periiſſe. Et hactenus quidem de argumentis negantium reſipuiſſe Oſium.

EXCURSUS XI.

Oſtenditur ex oppoſito illuſtribus S. Athanaſii teſtimoniis, non ſolùm mira fortitudo, & libertas ſacerdotalis Oſii adversùs Imperatorem Conſtantium, & reliquos Arianos, pro Catholica Fide, uſque ad plagas & rotas; ſed etiam pœnitentia poſt lapſum, exſecratio hæreſeos Arianæ, & pia mors apud Sirmium; non autem horrenda apud Cordubam, ut alii fabulantur.

158. SAT multa paſſus fuit miſerandus Oſius in extrema illa ſenecta, ſat longum martyrium duxit anno penè integro apud Sirmium, quin præterea infamiam perpetuam ſuper dolorem vulnerum ejus adjiciamus. Satis plagarum, vexationum, verberum, ac machinarum exhauſto corpori admotarum paſſus ſuit ab Arianis, antequam per vim, aut fortaſſis etiam ſine libero rationis & arbitrii uſu, in decrepita ætate communicaret impiis Urſacio ac Valenti, & ſubſcriberet formulæ illi, judicio S. Hilarii & aliorum quorundam, blaſphemæ ac contrariæ Deitati veræ Filii, ſive Homoûſio, quod ipſe cum Patribus Nicænis eouſque tam firmiter ſtabilierat.

159. Satis, inquam, perpeſſus fuit (ultra tormenta jam olim ſub initio ejuſdem ſeculi Cordubæ tolerata in lanſena illa Daciani Hiſpaniarum Præfecti, quorum vibices perpetuò retinuit) quin præterea in honore ſummum dedecus adhuc patiatur apud nonnullos recentiores, præſertim Davidem Blondellum ſuprà num. 148. allegatum; dum valdè prudenter cenſeri poteſt ac credi, Oſium de qualicumque illo lapſu seriò pœnituiſſe, & communioni Eccleſiæ reſtitutum in pace extremum clauſiſſe diem.

160. Agmen ducat defenſionis ejus Magnus ille Athanaſius, & immobilis Fidei atque Homoûſii cum ea illigati, columna, ac teſtis omni exceptione major: qui in ſæpiùs citata Epiſtola *Ad ſolitarios*, ita fatetur Oſii prævaricationem, ut plurimum illam extenuet, ac deinde prorſus deleat teſtimonio illuſtri retractationis & pœnitentiæ ſequutæ.

161. Quod ut ordine enarremus, placet exhibere longiuſculum teſtimonium S. Doctoris, ductum à fine Epiſtolæ graviſſimæ Oſii *Ad Conſtantium Imperatorem* iniquiſſimum, in ſuperioribus exſcriptæ & expenſæ. Statim enim Athanaſius de eodem Conſtantio ſubdit: ὁ δ᾽ οὔτε τὸ ἐπιβουλεύειν ἀπεχείρει, &c. *Ille autem neque inſidias de manibus depoſuit, neque criminandi occaſiones quærere deſiit, ſed graviùs ſemper minabatur, ut eum vi oppreſſum in ſuas partes transferret, aut inobſequentem exterminaret. Sed ut occaſionem duces & ſatrapæ Babylonis ſedulò quærentes contra Danielem non inveniebant, niſi ex cauſſa legis Dei: ita quoque nunc ſatrapæ impietatis, ne fingere quidem quicquam contra ſenem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro ſuo nomine Oſius, hoc eſt,* ſanctus, *habebatur, vitaq; ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen machinarentur.*

162. *Calumniantur igitur eum, ſed non ut illi Danielem apud Darium, illibenter talia audientem, ſed ut Jezabel contra Naboth, & ut Judæi apud Herodem, his verbis agentes: Non ſolùm non ſubſcribit contra Athanaſium, ſed & nos ob Athanaſium condemnat, & hæreſim tali odio perſequitur, ut aliis ſcribat, melius eſſe mortem perferre, quàm proditores fieri veritatis: ob ipſam enim deinde ait, dilectum fratrem Athanaſium perſecutionem ſuſtinere, & Liberium Romanorum Epiſcopum, cæteroſq; omnes inſidiis tentari.*

163. *Hæc cùm audiſſet impietatis propugnator Conſtantius Cæſar, & quòd alii eſſent per Hiſpanias ejuſdem cum Oſio ſententia, quos cùm ſolicitâſſet ad ſubſcriptionem, & impellere nequiviſſet, accerſit Oſium, & pro exſilio detinet illum integrum annum Sirmii, nihil veritus impius, nec Deum, neque patris ſui, quem erga Oſium habebat, affectum, neque ſenectutem hominis jam centenarii inhumanus ille reſpexit. Omnia namque ob amorem hæreſis neglectui habebat novus ille Achab, & noſtris temporibus ſecundus Balthaſſar.*

164. Hæc Athanaſii teſtimonia expendant quicumque plus juſto Oſium gravant, tam conſtantem, tam impavidum in tot perſecutionibus æquo animo perferendis, nec à quoquam, ſed à Conſtantio Imperatore potentiſſimo, ſpirante minas, exſilia, & tormenta, nullo ætatis aut meritorum diſcrimine habito, & eodem tempore perſequente crudeliter Liberium Pontificem Romanum, cum aliis fideliter ipſum ſequentibus in Oriente & Occidente, Oſiumq; cum pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis dum ille eſſet Cordubæ, ac tandem Sirmii per annum ferè integrum.

165. Notandum præterea, nec Conſtantium, nec Epiſcopos Arianos ipſius gregales, durante eo exſilio & perſecutione Oſii apud Sirmium, inveniſſe in ejus moribus quicquam reprehenſione dignum; ſed ſolùm ipſi objeciſſe defenſionem Ni-

cænæ

cœnæ Fidei, & Athanaſii pro ea certantis. *Omnibus enim* (inquit S. Doctor) *notus erat, ac verus pro ſuo nomine HOSIUS, id eſt, ſanctus, habebatur, vitaque ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen mutuarentur*.

166. Hinc obiter deſpicies plauſtra calumniarum in Oſium jacta ab iis Epiſcopis Orientalibus planè Arianis, qui Sardicæ congregati ad Synodum celebrandam, receſſerunt ab Oſio & reliquis Epiſcopis Catholicis, & miſerunt ad Africam quoddam impium decretum ſatis prolixum, exſtans inter *Fragmenta S. Hilarii* à Nicolao Fabro eruta ex Bibliotheca Pithœana, cui initium: *Gregorio Alexandriæ Epiſcopo*, &c. Ibidem enim multa impiè proferuntur adversùs Oſium, quaſi ſceleratorum hominum defenſorem, & piorum perſecutorem: qualem etiam fuiſſe volunt Julium Papam (licèt judicio Catholicæ Eccleſiæ ſanctiſſimum) & utrumque in impietate conjungere non verentur, præſertim verbis illis: *Unde Julium urbis Romæ, Oſium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treviris damnavit omne Concilium* (nimirum, Conciliabulum eorundem Arianorum) *ſecundùm antiquiſſimam legem* (meliùs dicerent, noviſſimam temeritatem & impudentiam) *ut auctores communionis Marcelli & Athanaſii, cæterorumque ſceleratorum*. Hoc nimirum epitheto decorabant Ariani innocentiſſimos quoſque Arianiſmi perſecutores, Julium, Athanaſium, alioſque Catholicos.

167. Veniamus jam ad verba Athanaſii, ſtatim ſuperioribus adjuncta, quæ & Oſii lapſum, & pœnitentiam illicò ſequutam apertiſſimè proferunt. Subdit enim S. Doctor de Conſtantio Imperatore: Τοσαύτην γὰρ βίαν πεποίηκε τῷ γέροντι, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν συνέσχεν, ὡς θλιβέντα αὐτὸν, μόλις κοινωνῆσαι μὲν τοῖς περὶ Οὐάλεντα καὶ Οὐρσάκιον, μὴ ὑπογράψαι δὲ κατὰ Ἀθανασίου· ἀλλὰ καὶ οὕτως οὐκ ἠμέλησεν ὁ γέρων. μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν, ὥσπερ διατιθέμενος ἐμαρτύρατο τὴν βίαν, καὶ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτιζε. id eſt: *Tantam enim vim intulit* (Conſtantius) *ſeni* (Oſio) *& ita eum arctè tenuit; ut afflictus attritusque malis, tandem ægrèque cum Urſacio & Valente communicaret; ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet. Verùm ne ita quidem eam rem pro levi habuit. MORITURUS ENIM, QUASI IN TESTAMENTO SUO, EORUM VIM PROTESTATUS EST, ET ARIANAM HÆRESIM CONDEMNAVIT, VETUITQUE EAM A QUOQUAM PROBARI AUT RECIPI.*

168. Durus certè ac pervicax erit, quiſquis poſt tam illuſtre teſtimonium magni Athanaſii de pœnitentia Oſii, dubitare de illa pergat. Nec ambigere licet S. Doctorem tam aſſeveranter id affirmantem, certiſſimam rei notitiam habuiſſe à gravibus & incorruptis viris, qui aderant Oſio retractanti & corrigenti quæcumque antea in extrema illa ſenectute per vim & acerbitatem tormentorum illatam commiſerat. Unde paullò pòſt, tam de Liberio Papa, quàm de Oſio (qui duo circa idem ferè tempus ceciderant, & mox pœnitentiam egerant) ſubdit hæc valdè notanda: *Quis iſta animadvertens, non opportunè ad Dominum vociferetur? Stupor & horror factus eſt ſuper terram: obſtupuit cœlum ſuper hoc, & terra magis, magiſque exhorruit. Patres populorum, & Fidei magiſtri tolluntur, & impii in Eccleſiam intruduntur. Quis cùm videret Liberium Pontificem è Roma in exſilium ejici, magnum Oſium tot mala pati, tot Epiſcopos ex Hiſpania & aliis regionibus in exſilium deportari, non abundè animadvertit, omnes criminationes contra Athanaſium, & reliquos omnes, falſas eſſe, & omnia ſycophantiis ſcatere?* Ac ſtatim adjungit: Ποῖον γὰρ ἔγκλημα καὶ Λιβερίῳ; ἢ ποία κατηγορία κατὰ τοῦ γέροντος Ὀσίου; *Quod enim, quæſo, crimen Liberii? aut quid in ſene Oſio culpari potuit?* Cui interrogationi, ſeu excuſationi utriuſque, facillimè occurri poſſet, ſi Liberius & Oſius non dignè pœnituiſſent de ſuo lapſu. Certus igitur erat Athanaſius de retractatione & correctione utriuſque. Et quomodo id compertum non haberet, qui tam in ea Epiſtola *Ad ſolitarios*, quàm in *Apologiis* ſuis, aliiſque pluribus ſcriptis, cedro & immortalitate dignis, tam diſtinctè, tam minutatim, & ingenuè narrat ea omnia quæ inter Catholicos & Arianos diſputata & geſta ſunt, ut nemo veterum ea pleniùs nôſſe aut retuliſſe inveniatur?

169. Sed & longè poſtea in eadem Epiſtola *Ad ſolitarios* (quæ longiſſima eſt) pag. mihi 855. poſtquam acerrimè invectus fuit contra Imperatorem Conſtantium, veluti Antichriſti prodromum, & longè pejorem Ethnicis, Judæis, ac tyrannis quibuslibet, & impio Rege Achab, ſubdit de hoc: *Ille ſaltem interfecto Nabuthe compunctus eſt, & viſo Helia extimuit: iſte verò* (Conſtantius) *OSIUM, TANTUM ET TAM EXIMIUM VIRUM, nihil reveritus eſt, neque poſt tot exſilia Epiſcoporum otio acquievit, aut animo compunctus fuit; ſed ut alter Pharao, quò magis atteritur, eò magis indureſcit, & quotidie pejora meditatur.* Porrò Athanaſius non ita honorificè ſcriberet de Oſio, jam tum vitâ functo, niſi certum omnino eſſet, & famâ publicâ vulgatum, maculam illam per vim & tormenta ab Oſio contractam, dignis lacrymis & competenti ſatisfactione deterſam fuiſſe.

170. Denique id maximè obſervandum eſt, Athanaſium ſcripſiſſe eam Epiſtolam *Ad ſolitarios*, mortuo jam Oſio: ut planè denotant verba illa num. 167. exſcripta: *Moriturus enim, quaſi in teſtamento ſuo, eorum* (Arianorum) *vim proteſtatus eſt, & Arianam hæreſim condemnavit, vetuitque eam à quoquam probari aut recipi*. Unde duo colliguntur valdè notanda & opportuna.

171. Primum eſt, eam teſtificationem proferri ab Athanaſio cum magna maturitate, prævio accurato examine eorum quæ contigerant poſt lapſum Oſii, & in ejus morte: quando nimirum rem totam potuit magis compertam habere apud Sirmium, & finitimas regiones, ubi plerumque habitabat Athanaſius, quàm alii longiùs inde diſtantes, aut minùs conſcii eorum quæ Sirmii contigerant.

172. Secundum eſt, Oſium detritum ætate centum & unius annorum, quorum ultimum peregit Sirmii in aſſidua perſecutione, ac præterea vexatum ibidem verberibus, & machinis admo-

tis, obiiſſe Sirmii paulò poſt lapſum. Neque enim credibile eſt in adeò decrepita ætate, tot perſecutionibus & tormentis afflictâ, fuiſſe locum ut Oſius inde rediret per tot terras & maria, ab uno ferè extremo Europæ in aliud, ac Cordubam perveniret, & rerum ibidem potiretur: qualiter opus eſſet, ut narratio illa Marcellini de horrenda ejus morte apud Cordubam, vera eſſet. Vide infrà num. 187. Unde vel ſolo magni Athanaſii teſtimonio, falſitatis manifeſtæ convincitur narratio prædicta, & germanis S. Iſidori Operibus ab aliquo ſciolo aſſuta ex ſcriptis Marcellini: qui addictus partibus Luciferianorum, de Novatianiſmo ſuſpectorum in neganda communione lapſis, videtur illius januam præcluſiſſe Oſio, & ad conflandum ipſi majorem invidiam, excitâſſe fabulam illam de horribili morte Oſii, aut excitatam ab aliis, facilè admiſiſſe, & temerè conſignâſſe ſcriptis.

173. Similiter Athanaſius ipſe poſt obitum Oſii ſcripſit Diſputationem illam celebrem contra Arianos: in qua, poſtquam præmiſerat, non eſſe præſtandam fidem verbis aut ſcriptis hæreticorum, contraponit his ſcripta Patrum, quos Catholicos & Apoſtolicos appellat, atque primo loco nominat Oſium verbis illis: εἰ γὰρ ἦν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ χαράγματα, οἷα ἐγγόνει παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ὁμολογητοῦ Ὁσίου, &c. *Si enim ſcripta iſta ab orthodoxis proficiſcerentur, QUALIA SUNT MAGNI ILLIUS ET CONFESSORIS OSII, Maximini Galliæ, aut ejus ſucceſſoris, aut Philogonii, aut Euſtathii, Orientis Epiſcoporum, aut Julii & Liberii* (poſt correctionem & pœnitentiam) *Romanorum Pontificum* (his alios adjungit) *nihil eſſet, quod in his ſcriptis ſuſpicarêre. Simplicia enim & ſincera Apoſtolicorum virorum ingenia ſunt.* Quo auſu ita ſcriberet S. Athanaſius de Oſio jam vitâ functo, ſi non eſſet certus de pœnitentia ipſius, ac morte ſancta & pia?

EXCURSUS XII.

Eadem Oſii reſipiſcentia & pia mors confirmatur, non modò ſolutione argumentorum, quæ Excurſu decimo objecta ſunt, ſed etiam conſiderationibus variis, ac teſtimoniis aliis S. Athanaſii ac Theodoreti. Auctoritas S. Iſidori objecta examinatur, & oſtenditur, aut ſubdititia, aut nihil probans. Meram fabulam eſſe narrationem illam de horribili morte Oſii apud Cordubam.

174. PLACET modò, non tantùm reſpondere objectis Excurſu X. adverſus reſipiſcentiam, ſive pœnitentiam Oſii poſt lapſum, ſed inſuper illam manifeſtiorem reddere piorum aliorum teſtimoniis poſt D. Athanaſium jam latè expenſum, & qui unus ſufficeret ad defenſionem Oſii in tuto ponendam.

175. Atque imprimis, vel ipſe S. Hilarius, qui toties exclamat contra formulam illam blaſphemam, tanquam ab Oſio & Potamio Sirmii editam, nuſquam negare invenitur Oſium poſtea illam retractâſſe, aut pœnitentiam feciſſe. Quin potiùs videtur, aut ſuſpendiſſe judicium ea de re, & ſoli Deo remiſiſſe, aut præterea indicâſſe Oſii correctionem attenta pietate totius vitæ anteactæ. Id ſignificant verba illa S. Doctoris de Oſio jam lapſo & mortuo: *Sed de eo nihil queror, qui iccircò eſt reſervatus, ut judicio humano ignoraretur qualis antea vixiſſet.* Quaſi diceret Hilarius, ſe minimè audere ſententiam damnationis ferre adversùs Oſium, id enim Dei ſolius judicio reſervatum eſſe: ſed ita, ut homines agnoſcere poſſent, qualis ipſe ante lapſum fuiſſet.

176. Cùm igitur omnium hominum teſtimonio, quotquot eo tempore vixerunt, ac præſertim Patrum Nicænorum & Sardicenſium, & in iis magni Athanaſii, vita Oſii uſque ad ætatem centenariam fuerit irreprehenſibilis, ut vidimus num. 165. & zelo Fidei ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſignis, ut omnes ſcriptores veteres teſtantur; videtur conſequens judicio Hilarii, ne quiſquam temerè audeat judicare Oſium impœnitentem obiiſſe; ſed potiùs ſperare fas ſit, tam innoxiæ & probatæ vitæ periodum bono fine clauſam fuiſſe.

177. Videtur autem Hilarius ita loquutus ſub dubietate aliqua, quia non legit Epiſtolam illam S. Athanaſii *Ad ſolitarios*, ſcriptam, ut cenſeo, poſt mortem Oſii, vivente adhuc Conſtantio Imperatore, circa annum Chriſti, ſive Eræ vulgaris, CCCLIX. quo etiam Liberius poſt ſuum lapſum reſipuerat. Non enim tunc ſcripta quæque tam facilè evulgabantur ac modò, beneficio artis typographicæ. Si enim Hilarius teſtimonium Athanaſii legiſſet, aut notitiam habuiſſet ab eiſdem teſtibus fidedignis, idipſum indubitanter aſfirmâſſet.

178. Verùm quemadmodum Ariani tot verſutiis, artibus, & dolis uſi ſunt, ut Oſium viventem ſuis partibus addicerent, veluti virum incomparabilem, & ſummæ apud omnes auctoritatis: ita cenſendi ſunt evulgâſſe ubique ipſius lapſum, ſive acceſſum ad Urſacium & Valentem, alioſque è grege Arii, nulla mentione facta pœnitentiæ ſequutæ. Quapropter mirum non eſt, ut ſparſo per Orbem rumore aut fama communionis initæ ab Oſio cum iis Epiſcopis verſipellibus, & tacita ipſius correctione ac pœnitentia, S. Hilarius, & alii Præſules Catholici bona fide execrarentur illius lapſum, & nihil apertè de emendatione dicerent. Sed conſuluit Deus honori illius venerandi ſenis per os teſtium fide dignorum, à quibus rem accepit S. Athanaſius, & ſcriptis conſignavit.

179. Ex dictis abundè patet ad primum argumentum num. 147. ex S. Hilario deſumptum. Nihil enim aliud evincit, quàm lapſum Oſio imputatum ab Hilario in ſubſcribenda illa formula apud Sirmium, quam S. Doctor *blaſphemam* appellat. Sed nec certum eſt quòd Oſius illam ſubſcripſerit, ſaltem prudens & ſciens, aut libero judicii & arbitrii uſu, ut jam ſuprà vidimus à n. 89. & conſtat ex Athanaſii teſtimonio num. 167. exſcripto, totam Oſii culpam ſitam fuiſſe in communicando cum Urſacio & Valente Epiſcopis Arianis, à quorum conſortio eouſque receſſerat. Itaque potuit facilè contingere, ut iidem Ariani, inter alia apertiſſima mendacia, & impoſturas, quarum convicti fuerunt, vulgarent aut diſſeminarent,

Oſium

Oſium ſubſcriptione ſua impiam illam formulam muniiſſe, idq́ue bona fide crederet S. Hilarius, & ex communi fama narraret, quamvis non eſſet verum. Nec enim credibile eſt, magnum illum virum judicio ac libertate præditum, probâſſe formulam illam uſque adeò inſanam & blaſphemam, ut vel ipſis Arianis occultis aut Semi-arianis probroſa viſa fuerit, illamq́ue propterea ſupprimendam curaverint.

180. Secundo argumento num. 148. objecto ex hiſtoricis veteribus, qui lapſum Oſii memorant, & pœnitentiam ſilent, reſponderi ſatis poſſet eo modo, quo fieri ſolet cuilibet argumento inficiali, quod in ſcholis negativum dicitur, & levis ponderis cenſetur. Verùm præterea addimus, quemadmodum nuper dictum eſt, impios illos Urſacium & Valentem, alioſq́ue Arii gregales, omni ſtudio curâſſe ut Oſii acceſſus ad illos, licèt per vim & tormentorum lanienam extortus, per totum orbem innoteſceret, ad conciliandam Arianiſmo auctoritatem; reſipiſcentia autem poſterior ſilentio premeretur. Unde & factum credo, ut Phœbadius, qui eodem Hilarii tempore in Gallia florebat, & poſteriores hiſtorici, veluti Sulpicius, Socrates, Sozomenus, Vigilius, ac multò magis Auxilius & Nicephorus, qui pluribus poſtea ſæculis ſcripſerunt, ſolùm memorarent lapſum Oſii, & nihil de pœnitentia palam ac perſpicuè dicerent.

181. Credendum quoque, illos nullatenus legiſſe, aut non plenè conſiderâſſe Epiſtolam illam S. Athanaſii *Ad ſolitarios*, in qua tam apertè lapſum & pœnitentiam Oſii commemorat. Si autem illam perlegerunt, fieri potuit, ut non cenſerent opus eſſe teſtandi correctionem Oſii, ſatis ſuperq́ue tali ac tanto S. Doctoris teſtimonio firmatam. Et inde fortaſſis eſt, ut quamvis memorent aut notent nævum Oſii temporarium, ſemper de illo jam vitâ functo loquantur honorificè, & cum veneratione magna, tanquam de viro re ac nomine ſancto.

182. Sed nec fortè ii legerant illuſtria verba ejuſdem Athanaſii in libro, ſive Apologia *De fuga ſua*, ſcripto pariter poſt mortem Oſii, ubi de illo ait: περὶ γὰρ τοῦ μεγάλου καὶ εὐγηροτάτου, καὶ ὁμολογητοῦ ἀληθῶς Ὁσίου, &c. *Nam de magno illo & graviſſimæ ætatis viro, eodemq́ confeſſore Oſio, verè Oſio, ideſt,* ſancto, *ſuperfluum arbitror mentionem facere, cùm nullus fortaſſe ſit, qui cognitum non habeat, eum ab iſtis quoque in exſilium miſſum eſſe. Non enim quicquam latere poteſt in viro illo tantæ claritudinis. In qua enim Synodo ille non dux & anteſignanus fuit? quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Quis illum mæſtus adiit, ut non lætus abierit? Quis indigus ab eo poſtulavit, quin poſtulatum obtinuerit? Atque contra hunc quoque ſe audaces improbiq́ oſtendêre, eò quòd certus ille earum calumniarum, quas pro tuenda impietate contra me ſtruerent, ipſarum inſidiis ſubſcribere noluit. Quamvis enim tandem ob illatas ipſi multas plagas, immodicas & ſtructas in cognatos ejus inſidias, CESSERIT IPSIS AD HORAM, utpote ſenex, & corpore imbecillis; tamen ex his quoque malitia iſtorum apparet, qui minimè veros ſe Chriſtianos eſſe, undequaque declarare contendunt.*

183. Ea tamen Athanaſii verba legit abſdubio Theodoretus, qui multa eorum κατ' πόδας exſcribit lib. 2. *Hiſtor. Eccl.* cap. 15. citato Athanaſio: & ex iis patet, Oſium tandem tormentis & perſecutionibus fractum in illa extrema ſenecta, non niſi *ad horam* ceſſiſſe: ac proinde ſtatim reſipuiſſe, & retractâſſe quod invitus commiſerat, prout antea num. 167. oſtenſum fuit alio luculentiſſimo teſtimonio ejuſdem Athanaſii. Subdit autem paullò poſtea Theodoretus, enarratis aliorum Præſulum perſecutionibus eodem tempore: *Tales auſus ſunt factionis impiæ* (Arianorum) *adversùs ſanctos. Oſius autem hic erat Epiſcopus Cordubæ, celebris in magna Nicæna Synodo, & Princeps Sardicenſis.* Dum autem Theodoretus de Oſio, adhuc poſt lapſum illum *ad horam*, loquitur tanquam de viro ſancto, eumq́ue tam miris laudibus extollit; ſatis denotat, ipſum reſipuiſſe, & ſanctitatem ad morulam interruptam digna correctione recuperâſſe.

184. Ad tertium argumentum num. 149. objectum (quod difficilius eſt) vidimus ibidem uſque ad num. 158. qualiter multi reſpondeant, & qualiter teſtimonia illa S. Iſidori, Marcellini presbyteri, & S. Euſebii Vercellenſis, ibidem exſcripta, urgeri poſſint, ne Oſius pœnituiſſe credatur, ſed potiùs horrendam mortem obiiſſe. Quibus addi poteſt teſtimonium libri Anonymi Gothico charactere, memorati ab Ambroſio de Morales lib. 10. cap. 37. in quo latiùs narratur caſus & mors tremenda Oſii, ſimul & Potamii Epiſcopi (ut ibi dicitur) Liſbonenſis lapſus à Fide ob avaritiam, & tandem infelix mors. Vide infrà num. 191.

185. Verumtamen reſumendo quædam ex iis, & nonnulla alia addendo, reſpondemus imprimis, narrationem illam num. 149. exſcriptam de horrenda morte Oſii apud Cordubam, nullatenus exſtare in Manuſcriptis pleriſque purioribus, ſed ſolùm in quibuſdam minùs correctis libris S. Iſidori *De viris illuſtribus*, idq́ue ex ſcriptis Marcellini ſchiſmatici, qui cum nonnullis aliis Luciferianis ex parte tuebatur doctrinam erroneam Novatiani de lapſis nunquam ad communionem recipiendis. Unde in libro *De geſtis Epiſcoporum*, qui Arimini conſpirârunt ad ſupprimendum vocabulum Homouſii, invectus fuit contra Oſium, quem fama erat pariter illud prætermiſiſſe in formula illa blaſphemiæ nomine relata ac notata à S. Hilario, de qua latè in ſuperioribus egimus.

186. Itaque, uti Marcellinus nimio zelo exceſſit contra Oſium, & alios Arimini ac Sirmii lapſos, claudens iis omnem aditum veniæ; ita videtur facilè accepiſſe, aut foviſſe, & ſcriptis conſignâſſe narrationem illam de horrenda Oſii morte in urbe Corduba coram Clementio Gentili, quæ abſdubio ex ſiniſtro vulgi rumore, aut fictione alicujus hominis fraudulenti, ortum habuit. Nimirum, narratione illa Marcellinus confirmabat opinionem ſuam de Epiſcopis lapſis nunquam

quam ad communionem recipiendis, dum legerent omnes, Oſium toto Orbe celeberrimum, poſtquam cecidit Sirmii, voluiſſe Cordubæ ad communionem recipi per vim Gregorio Epiſcopo Eliberitano illatam coram Clementio Præfecto; & in pœnam ejus ſceleris obiiſſe mortem horrendam.

187. Verùm nec Oſium Sirmii ex animo ſubſcripſiſſe formulæ illi blaſphemæ, nec inde Cordubam remeâſſe, ſed obiiſſe Sirmii ſanctè ac piè, exſecrato Arianiſmo & ejus ſectatoribus, tam clarè oſtenſum fuit ſuprà, inſignibus teſtimoniis S. Athanaſii, & conjecturis urgentibus, ut nulla prudens dubitatio eſſe poſſit de ipſius pœnitentia, & falſitate illius narrationis. Quòd ſi verò quiſpiam contendat, lapſum Oſii accidiſſe in Conciliabulo Ariminenſi an. CCCLIX. indeque Oſium in Hiſpaniam rediiſſe, & Concilium ſuprà Excurſu I. memoratum Cordubæ celebrâſſe anno CCCLX. in quo palam damnavit Arianos, & peccatum ſuum correxit (ut contendit eruditè Bivarius in Dextrum pag. 386. num. 3.) non difficilè concedam in eam ſententiam, modò firmum habeamus, Oſium publicè erratum ſuum apud Sirmium, aut Ariminum antea commiſſum, tandem correxiſſe. Et id generatim teſtari videtur S. Damaſus illis verbis: *In ipſo principio ab iis ipſis, qui in Arimino revocare aut retractare compellebantur, uſque ad hoc cauſſa correcta eſt, ut confiterentur, circumventione ſibi obreptum.* Lege Theodoretum lib. 2. cap. 17.

188. Fateor, apud S. Iſidorum libro illo *De viris illuſtribus*, juxta multa Mss. exſtare verba illa de Oſio nn. 150. exſcripta, in quorum extrema parte de illo legitur: *Ne ſenex & dives damna rerum vel exſilium pateretur, illicò Arianæ impietati conſenſit, & vocabulum HOMOUSII, quod ſimul cum Patribus ſanctis, cæteris Eccleſiis ſequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit. Cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim exitus crudelis finivit.*

189. Sed hæc bona fide ſcripta fuerunt à Sancto Iſidoro, ſive potiùs exſcripta, circa annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum, ducentis ſexagiota plus minùs tranſactis à morte Oſii: quo tempore in Occidente, partim ex Marcellini libro illo, partim ex narratione & fama vulgi, quæ *vires acquirit eundo*, diſſeminatus fuerat longè ac latè Oſii lapſus, multò major ac deterior, quàm reipſa fuit, & ſubinde mors infeliciſſima, ſive apud Sirmium, ſive in urbe Corduba.

190. Cæterùm in eodem Occidente non ita facilè inveniebantur, aut legebantur Opera Sancti Athanaſii Græcè ſcripta intra Orientem, præſertim Epiſtola *Ad ſolitarios*, & Apologia *De fuga*: in quibus omnia alia apparebant; & luculentiſſimè habebatur, Oſium Sirmii infracto animo uſque ad flagella & tormenta plurima per integrum annum reſtitiſſe: deinde fracto viribus corpore vix & ægrè communicâſſe *ad horam* Urſacio ac Valenti Arianis: non autem ſubſcripſiſſe formulæ impiæ ipſorum, aut damnationi S. Athanaſii: deinde verò moriturum, quaſi pro teſtamento exſecrâſſe hæreſim Arianam, & omnes illius ſectatores.

191. Denique, licèt in exemplaribus Mss. S. Iſidori, quotquot exſtant, ſicuti & in excuſis, legantur plura contra Oſium juxta alterutrum è teſtimoniis jam exſcriptis, credibile valdè eſt, ea verba non ab Iſidoro prodiiſſe, ſed à quopiam ſciolo aut maligno corruptore ſcriptorum ipſius, ſive is fuerit Theodiſcus in Sede Hiſpalenſi ſucceſſor (ut multi cum Luca Tudenſi ajunt, quibus non aſſentior) ſive Iſidorus quiſpiam Mercator dictus (ut recentiores ferè omnes volunt, quamvis ille mea opinione nunquam in rerum natura fuerit ſub eo nomine) ſive tandem quidam alius adhuc ignotus: qui, quemadmodum juxta pleroſque priſcis veterum Pontificum Epiſtolis uſque ad Siricium centones & aſſumenta multa ac parachroniſmos adjecit: ita etiam mangonio aliquo librum illum Iſidori *De viris illuſtribus* vitiâſſe putandus eſt. Vide quæ hac de re latè præmiſimus Tomo I. Diſſertat. I. & IV. Porrò ex iis quæ apud Sanctum Iſidorum leguntur, juxta diverſa exemplaria, videtur deſumptum quicquid narrat Honorius Auguſtodunenſis de Oſio; ſimiliter & ſcriptor ignotus cujuſdam Codicis exarati Gotthico charactere, lecti à doctiſſimo viro Ambroſio de Morales in Bibliotheca S. Ildephonſi Complutenſis. Verùm is auctor, ipſius judicio, antiquior eſt Iſidoro. Sed quid ſi ſit Marcellinus ille ſchiſmaticus, cui ea fabula tribuitur communiter?

192. Itaque falſa videtur omnino narratio illa horrendæ mortis Oſii, ſive crudelis exitûs, juxta alia & alia illius libri Iſidoriani exemplaria: cùm conſtet manifeſtiſſimo S. Athanaſii teſtimonio, Oſium ad horam lapſum in ſola communicatione violenta cū Urſacio & Valente Arianis, illicò reſipuiſſe & pœnituiſſe, ac moriturum, quaſi tabulis teſtamenti anathema iis dixiſſe, ac quibuſlibet ipſorum ſequacibus. Quod tanti Doctoris teſtimonium, nec S. Hilarius, nec ullus alius veterum, veluti Sulpicius, Phœbadius, Theodoretus, Socrates, & Sozomenus, infringunt. Nemo enim eorum, ſive legerit Epiſtolam Athanaſii *Ad ſolitarios*, & Apologiam *De fuga*, ſive non, dixit aut ſcripſit Oſium impœnitentem obiiſſe. Quotcumque verò ea Opuſcula legerunt, ſatis, credo, arbitrati ſunt, quòd à ſanctiſſimo & incorruptiſſimo Doctore tam aſſeveranter traderentur, ne quis de eorum veritate dubitaret.

EXCURSUS XIII.

Oſtenditur luculentiùs adhuc ex ſacris monumentis ejuſdem temporis, narrationem illam adversùs Oſium, ne umbram quidem veritatis habere. Inſuper, nullum Hiſpaniæ Epiſcopum conſenſiſſe Ariis ab exorta ejus hæreſi uſque ad finem, ſub Imperio Valentiniani.

193. JAM quod objectum fuit à nu. 154. ex Epiſtola illa S. Euſebii Vercellenſis *Ad Gregorium Epiſcopum Hiſpanum* (qui Eliberitanæ Eccleſiæ præfuiſſe legitur apud S. Hieronymum verbis num. 156. allegatis) nullatenus confirmat narrationem illam Marcellini de morte horribili Oſii apud Cordubã

occa-

occaſione diſſidii cum Gregorio ipſo coram Clementio Conſtantii Præfecto. Nihil enim ibi de hoc habetur, nihil de urbe Corduba, nihil de recurſu Oſii in ea cauſſa purè Eccleſiaſtica ad forum ſæculare. Nec poſſet Oſius, niſi amiſſo rationis judicio, aut exuto omni pudore, trahere Gregorium per vim ad tribunal laïcum; cùm paucis antè annis tanquam Præſes in Concilio Oecumenico Sardicenſi, Canone III. tam graviter ac ſeriò ſtatuiſſet, ut cauſſæ Epiſcoporum à Sede Apoſtolica terminarentur. Quomodo Oſius ſui compos, & nullis minis aut terroribus Clementii Præfecti Cæſarei apud Cordubam orbem compulſus, auderet perfricta fronte Gregorium Epiſcopum coram illo ſiſtere, cùm biennio plus minus ante obitum ipſi Cæſari Conſtantio dixiſſet in Epiſtola illa graviſſima ſuperioribus exſcripta: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

194. Quapropter ex Epiſtola illa S. Euſebii Vercellenſis exſtante inter *Fragmenta Operum Sancti Hilarii*, ne in ſpeciem quidem colligitur quicquam favens narrationi illi de horribili morte Oſii apud Cordubam urbem. Solùm exinde conſtat, Gregorium Epiſcopum Hiſpanum reſtitiſſe palam Oſio (nimirum apud Sirmium, quò ambo per vim à Conſtantio abducti fuerant) ac præterea Epiſcopis illis, qui biennio pòſt apud Ariminum, territi minis Conſtantii Imperatoris, communicârunt Urſacio & Valenti, ac reliquis iis Epiſcopis, quos idem S. Euſebius hypocritas & Ariomanitas appellat. Itaque ſolùm agit de Oſio, in Sirmienſi Conciliabulo ubi lapſus fuit; & de Ariminenſi nominatim, ubi Oſius nunquam interveniſſe legitur. Ibidem igitur Gregorius Eliberitanus palam reſtitit Epiſcopis illis, qui vili & abjecto animo ceſſerunt minis ac terroribus Conſtantii, ac formulam Fidei Nicænam deſeruerunt: non autem litigium aliquod habere potuit eo tempore cum Oſio, qui longiſſimè inde apud Sirmium in Pannonia biennio antè obierat.

195. Immo & (quod valdè notandum) apud Ariminum duo tantùm Concilia celebrata id temporis inveniuntur: unum Oecumenicum, alterum Arianum: utrumque an. Chr. CCCLIX. cùm jam Oſius apud Sirmium pœnitens ſanctè & piè diem obiiſſet anno CCCLVII. paullò poſt lapſum ſuum, ut ſuperioribus oſtenſum fuit. Porrò Oecumenicum illud præceſſit intra prædictum annum CCCLIX. & plenè Catholicum fuit: ut patet ex *Definitione Fidei* ibidem edita, & *Damnatione hæreſeos Arianæ*, atque *Epiſtola Synodica ad Conſtantium*, Græcè ac Latinè exſtante apud Collectionem Labbei Tom. II. col. 795. ac ſequentib. Arianum verò Conciliabulum Ariminenſe poſteriore parte ejuſdem anni CCCLIX. exhibetur ibidem col. 801. & ſeq. Cùm igitur in *Epiſtola S. Euſebii Vercellenſis* dicatur Gregorius Hiſpanus Epiſcopus reſtitiſſe Oſio (ſcilicet apud Sirmium anno CCCLVII.) ac deinde hypocritis & Ariomanitis apud Ariminũ cõgregatis an. CCCLIX. nimirum biennio poſt mortem Oſii, apud Sirmium; quâ, non dico veritate, ſed veritatis ſpecie, dici poteſt, Gregorium apud Cordubam Oſio reſtitiſſe?

196. Evidentiùs autem idipſum patebit ex Epiſtola Synodica ejuſdem Conciliabuli Ariminenſis *Ad Conſtantium*, in qua cùm nominentur Epiſcopi illi degeneres & refractarii, qui abjecto & adulatorio animo receſſerunt à formula veræ Fidei paullò antea Arimini conſtituta in legitimo & Oecumenico Concilio; nulla tamen fit Oſii mentio: cùm certè omnino fieri deberet, ac primo loco, tum ob antiquitatem maximam & auctoritatem ſummam illius: tum præterea ad venerationem eidem Pſeudo-ſynodo conciliandam. Atqui nec nomen Oſii ibi legitur. Non itaque Oſius ibidem fuit, nec potuit cum Gregorio Eliberitano ibidem diſſidium habere, adhuc dato quòd jam tum nullatenus obiiſſet. Lege *Fragmenta Hilarii* lib. 2. pag. 36. & 37. Baronium ad annum CCCLIX. nu. 33. 34. & 35. ac Labbeum ubi nuper col. 802. Unde ſemper mihi difficilis apparet opinio Bivarii ſuprà num. 187. indicata, & aliorum ex Hiſpanis contendentium, lapſum Oſii accidiſſe in Conciliabulo Ariminenſi anno CCCLIX. & inde Cordubã rediiſſe an. CCCLX. ac celebrato illo Concilio ſuprà Excurſu I. memorato in favorem Athanaſii, & contra Arianos, Cordubæ paullò pòſt mortuum fuiſſe. Conformiùs enim longè eſt verbis S. Athanaſii, quòd Sirmii obierit anno CCCLVII.

197. Inſuper, Gregorius Eliberitanus eodem an. CCCLVI. quo Oſius ex Hiſpania juſſu Conſtantii profectus Sirmium, & ibidem manens integro anno uſque ad lapſum Oſii, reſtitit ipſi ob communicationem tandem præſtitam Urſacio ac Valenti Arianis; deinde mortuo ibidem Oſio paullò pòſt, ſub finem anni CCCLVII. permanſiſſe videtur in Pannonia, aut non longè, inde exſul cum aliis ſanctis Epiſcopis uſq; ad an. CCCLIX. in quo apud Ariminenſe Concilium Fides Nicæna confirmata fuit, & poſtea ob furorem Conſtantii ſuppreſſa aut violata, tam publicè & impudenter, ut propterea S. Hieronymus in Dialogo *Adversùs Luciferianos* dixerit tritam illud: *Totus penè Orbis Arianum ſe eſſe miratus, tunc verè ingemuit.*

198. Non inquit Hieronymus, *totus Orbis*, ſed *totus penè Orbis*. Quamvis enim plurimi Epiſcoporum Conſtantii metu perculſi, prætermiſſâ formulâ Nicænæ Fidei, aliam ſubrogaverint Arianiſmo faventem, & multi ex iis fuerint qui antea eodem anno in legitimo Concilio Ariminenſi Nicænum Symbolum confirmaverant; permansêre multi alii, & in iis Gregorius Eliberitanus, cum Liberio Papa, qui noluit ſubſcribere. Similiter S. Athanaſius eodem tempore in *Epiſtola ad Africanos* inquit: *Quis non odio habeat illos, qui quæ Patrum ſunt, abrogant; recentiora verò Arimini per vim & metum extorta anteponunt?* Ulteriùs S. Ambroſius in Epiſtola 32. aliàs 21. mox citanda, ait: *Certè major numerus Arimini, Nicæni Concilii Fidem probavit, Ariana decreta damnavit.* Et S. Damaſus: *In ipſo principio, ab iis ipſis, qui*

in

in Arimino revocare aut retractare cōpellebantur, eiſque ad hoc cauſſa correcta eſt, ut confiterentur circumventione ſibi obreptum.

199. Nimirum in eo Conciliabulo Ariminenſi (quod ii perduelles Epiſcopi legitimum Concilium appellabant, & præferre volebant Oecumenico illi paullò antea celebrato) talis formula concepta fuit, ut ex ea per legitimam illationem Filius non homoûſios, ſive *conſubſtantialis* Patri, non Deus ſimpliciter, ſed factura Dei, ſive creatura diceretur. Unde Ambroſius non multis poſt annis de eodem Conciliabulo ſcribens Epiſtolâ XXXII. ad Valentinianum Imperatorem (aliàs XXI. juxta noviſſimam editionem Monachorum S. Mauri) inquit: *Cum iis planè bene convenit Ariano, qui Chriſtum creaturam dicit: quod etiam Gentiles atque Judæi promptiſſimè confitentur. Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi Synodo: meritoq; Concilium illud exhorreo, ſequens tamen tractatum Concilii Nicæni, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare. Quam Fidem parens tuæ clementiæ Theodoſius beatiſſimus Imperator & ſequitur & probavit. Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpania, & cum pia divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt.* Eandem verò degenerum Epiſcoporum apud Ariminum blaſphemiam exſecratus fuit Gregorius Eliberitanus, qui adhuc in eiſdem partibus verſabatur, idque ſcripſit ad S. Euſebium Epiſcopum Vercellenſem tunc exſulantem, qui ipſi reſpondet in Epiſtola illa num. 155. exſcripta, & laudat impensè quòd primum Oſio (nimirum apud Sirmium) deinde verò hypocritis illis & Ariomanitis apud Ariminum reſtitiſſet.

200. Concluditur itaque, nullum fuiſſe locum ab anno CCCLVI. quo Gregorius Eliberitanus (ſicut & Oſius) ex Hiſpania Sirmium abductus fuit, uſque ad annum CCCLIX. ſub cujus finem terminatum eſt Conciliabulum Ariminenſe, ut Gregorius ipſe in Hiſpaniam rediret; multò autem minùs, ut apud Cordubam urbem haberet coram Clementio Præfecto litigium illud cum Oſio, jam antea apud Sirmium vitâ functo.

201. Unde id ſolatii habere poſſumus Hiſpani, ut quo tempore Oſius Cordubenſis ad horam cecidit apud Sirmium, reſiſteret ipſi Gregorius Eliberitanus Epiſcopus ejuſdem provinciæ Bæticæ: cumque poſtea plerique Epiſcopi apud Ariminum probroſâ ἀνοσίᾳ convellerent Catholicam de Homoûſio Fidem, Gregorius ipſe palam & intrepido animo illam tueretur. Quare de primo ad ultimum narratio illa de horrenda morte Oſii apud Cordubam, fabuloſa eſt, dignaque planè ut de cætero ab eruditis quibuslibet hominibus in Morboniam aut Utopiam inſulam relegetur. Et certè illius miſerandæ Epiſcoporum cataſtrophes, tam apud Sirmium, quàm apud Ariminum, non fuit cauſſa infelix Oſius, ſed iniquiſſimi illi Urſacius & Valens, ac præſertim impiiſſimus Conſtantius Imperator: quem propterea non ſolùm exſecrantur Athanaſius, Hilarius, & alii Patres; ſed etiam irridet Ammianus Marcellinus, Ethnicus licèt, dicens: *Chriſtianam Religionem abſolutam & ſimplicem, anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexiùs quàm componenda, excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſiùs aluit concertatione verborum: ut catervis Antiſtitum jumentis ultrò citroq; diſcurrentibus, per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum traducere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit nervos.*

202. Colligitur demum, in graviſſimo illo ſchiſmate inter Catholicos ex una parte, & Arianos ex altera (quod totum ferè Orbem Chriſtianum diviſit, ab undecimo circiter anno Imperii Conſtantini, id eſt, Eræ Chriſti ſive Vulgaris trecenteſimo decimo ſeptimo, uſque ad Imperium Valentiniani Auguſti, per octoginta circiter annos) nullum Epiſcopum Hiſpanum ſubſcripſiſſe Arianiſmo in rei veritate, ne Oſium quidem. Quod ſanè mirabili ac piiſſimæ Dei providentiæ erga Hiſpaniam adſcribendum, ubi ex aliis nationibus in Oriente & Occidente, tam multos ac penè innumeros Epiſcopos legimus ea ſorde maculatos, etiam in ipſis Conciliis, ſive Conciliabulis potiùs.

203. Ut enim nihil addam de Ariminenſi Synodo, omnium teterrima & probroſiſſima (quod paullò antè indicavi) nec de Alexandrina aut Nicæna Oecumenica, intra quas non defuerunt aliqui faventes Ario, quamvis non palam; fuerunt plurimæ aliæ in quibus prævaluit Arianiſmus. Tales reputantur vel in ſolo libello Synodico Græco, operâ Juſtelli detecto, Cæſareenſis Palæſtina Arianorum, Tyria, Mareotica, Antiochena, & Conſtantinopolitana, tempore Conſtantini Magni, qui tamen ſemper immobilis in Fide Catholica perſtitit, & ſolùm ex ſiniſtra verſipellium quorundam narratione ac dolis nonnunquam minùs quàm par eſſet, aliquot Catholicos protexit.

204. Deinde ſub Imperio Conſtantii ducto ab anno CCCXXXVII. Arianiſmus eouſque repreſſus, velut ruptis repagulis liberiùs graſſari cœpit; primùm in Conciliabulo Conſtantinopolitano, coacto juſſu ejuſdem Conſtantii, de quo inquit idem Synodicus: καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ ὀρθοδοξούντων, μόνος εἰς τὸ Ἀρειανικὸν κατωλίσθησε φρόνημα. *Et cùm fratres illius orthodoxi eſſent, ſolus ipſe in Arianorum ſenſum prolapſus eſt.* Deinde Antiochiæ tres aliæ Synodi erraticæ ſunt coactæ: prima ſub Euſebio Nicomedienſi, in qua Symbolum Fidei Nicænæ corruptum fuit: ſecunda, in qua præterea Athanaſius depoſitus eſt: tertia demum in qua ita Photinus, Sabellius, & Marcellus Ancyræ, anathemate notati ſunt, ut tamen novum Fidei Symbolum cuderetur, quod veluti alienum, aut etiam contrarium Nicæno, Julius Papa & cæteri Orientales admittere noluerunt.

205. Porrò in nulla Synodo erratica iſtarum fuit Oſius, vel quiſpiam alius Epiſcopus Hiſpanus. Solùm in ſequenti, nimirum Sardicenſi Oecumenica, & adhuc numeroſiore quàm Nicæna, interfuit ac præſedit nomine Apoſtolicæ Sedis Oſius, & cum eo ſex alii Hiſpaniæ Epiſcopi ſuprà Excurſu I. num. 7. nominati; omnes Catholici, & Athanaſii defenſores, qui & poſtea Cordubæ celebrâſſe cenſentur cum eodem Oſio Concilium ibidem memoratum, & per omnia cohærens Ni-

cæno

cienio ac Sardicenſi. Nec dubito eodem circiter tempore plures alias Synodos pariter Catholicas ab Oſio, veluti præſtantiſſimo Conciliorum Patre, & immobili Catholicæ Religionis columna, in Hiſpania, & fortaſſe apud Cordubam, coactas fuiſſe, aſperrimis illis temporibus. Sed cùm earum monumenta non exſtent, potiùs viſum illas ex conjectura probabili indicare, quàm temeritate quadam aſſerere celebratas certo quopiam anno, uti audet architectus pſeudo-chronicorum.

206. Similiter nec Oſius, nec ullus alius Hiſpaniæ Epiſcopus, interfuit aliis Synodis Arianorum poſtea ſequutis. Talis fuit Philippopolitana ex ſeceſſu illorum Epiſcoporum, qui noluêre cum Oſio ac reliquis Patribus Sardicenſibus in Sardicenſi Concilio admittere S. Athanaſium. Talis deinde Antiochena, præſide ibidem Impio & calumniatore Stephano Epiſcopo, qui poſtea jure depoſitus fuit. Talis & Hieroſolymitana, ac Sirmienſis prior Semi-arianorum anno CCCLI. ut ſuprà num. 77. diximus, contra Photinum coacta in ſpeciem ſolùm: ἀνανδρίᾳ δὲ, κατὰ τοῦ θείου συμβόλου, καὶ Ἀθανασίου τοῦ γενναιόφρονος. *Reverà autem contra divinum Symbolum, & Athanaſium generoſa mente præditum*, ut inquit Synodicus liber. Porrò ei Synodo non interveniſſe Oſium, jam ſuprà monuimus num. 76. nec ullum alium Hiſpaniæ Epiſcopum illuc profectum invenio. Quòd ſi Socrates lib. 2. cap. 26. ibidem citatus indicat Oſium eidem Sirmienſi Concilio interveniſſe; corrigendus eſt, cùm ſolùm inveniatur adfuiſſe poſteriori alteri Concilio Sirmienſi anno CCCLVII. ut eo loci comprobavimus: & in illo pariter fuit Gregorius Hiſpanus Epiſcopus Eliberitanus, qui Oſio ad communionem admittenti Urſacium ac Valentem reſtitit. Itaque ubi unus Hiſpaniæ Epiſcopus miſerè cecidit (quamvis citra hæreſim ullam, ut ſæpè oſtenſum eſt) alius Epiſcopus Hiſpanus illum reprehendit.

207. Unde demum efficitur (quod probandum recepimus) neminem Epiſcopum Hiſpanum unquam Ario conſenſiſſe, ſaltem uſque ad annum CCCLVII. in quo mortuus fuit Oſius apud Sirmium. Quin & biennio pòſt, cùm plurimi Epiſcopi in poſteriori Concilio (veriùs Conciliabulo) turpiter ad partes Arii tranſiiſſent, Gregorium prædictum Eliberitanum Præſulem iis reſtitiſſe, & tam immane ſacrilegium exprobrâſſe, palam vidimus ex Epiſtola S. Euſebii Vercellenſis ad eundem, exſcripta num. 155.

208. In progreſſu autem oſtendemus, qualiter poſt mortem Oſii, tempore S. Damaſi Papæ nonnulla contra Arianos Concilia fuerint celebrata in Hiſpania, teſte S. Athanaſio. Unde Catholicam Fidei Nicænæ in ea doctrinam permanſiſſe illibatam, ſicuti & in Gallia, ſaltem uſque ad tempus Valentiniani Imperatoris; jure dixit eodem tempore Ambroſius verbis illis num. 199. exſcriptis, quæ lubens reſumo: *Quam Fidem* (Nicænam) *parens tua clementiæ Theodoſius* (natione Hiſpanus) *beatiſſimus Imperator, & ſequitur, & probavit &c. Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum pia divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt.*

EXCURSUS XIV.

Expenditur obſcurus locus S. Auguſtini pro Oſio, & verus ipſius ſenſus oſtenditur ex Actis Concilii I. Arelatenſis in Gallia celebrati: ac concluditur ejuſdem Oſii defenſio, allegatis ſcriptoribus qui illum tuentur, nemine jam ex Catholicis diſcrepante. Monitum ad recentes Ariomanitas.

209. ERUDITISSIMUS Mendoza lib. 1. in Concil. Eliberitanum, egregiè defendens cauſſam Oſii, inter plura alia ſolidè allegata pro ipſius emendatione & pia morte, laudat & exſcribit locum quendam S. Auguſtini Tomo IX. lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani, qui in Epiſtola quadam ad Tychonium indignabatur adversùs Oſium, tanquam injuſtum & ſceleratum. Defendit verò Oſium S. Doctor ibi cap. 4. hiſce verbis: *Quod enim de Oſio dicunt Cordubenſi quondam Catholico Epiſcopo, flagitandum eſt ut probent, non ſolùm talem illum fuiſſe qualem dicunt; ſed quòd talis fuerit manifeſtum illis fuiſſe, quibus eum communicâſſe aſſerunt. Hoc enim niſi probaverint, fruſtra dicunt ſe ſciſſe qualis fuerit: quia neſcientibus obeſſe non potuit, à quibus ſe iſti innocentibus ſeparando, propter ipſam ſeparationis ſacrilegam iniquitatem innocentes eſſe non poſſunt. Hoc enim magicredibile eſt (ſi tamen Oſius ab Hiſpanis damnatus, à Gallis eſt abſolutus) ſic fieri potuiſſe, ut falſis criminationibus Hiſpani circumventi, & callida inſidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent ſententiam, & poſtea pacificè in humilitate Chriſtiana cederent ſententiæ collegarum, quibus illius innocentia comprobata eſt, ne pervicaci & animoſa perverſitate, priores ſuas ſententias defendendo, in ſacrilegium ſchiſmatis, quod omnia ſcelera ſupergraditur, cæcitate impietatis irruerent: ſic ut iſti miſeri fecerunt, & nec ſerò ſaltem totiens diviſi atque conciſi ſentiunt quod fecerunt.*

210. Sed enim ex verbis iſtis S. Auguſtini directò ſolùm habetur defenſio Oſii, quantum ad ea quæ geſſerat in Concilio Arelatenſis I. longè antea; non autem quoad geſta multò poſtea apud Sirmium, ubi miſerè lapſus fuit.

211. Quod ut luculenter appareat, recolendum memoriâ eſt quod ſuprà num. 23. & ſeqq. præmiſimus de Concilio Arelatenſi I. in Gallia celebrato anno Chriſti CCCXIV. Sylveſtri Papæ I. Conſtantini Imperatoris IX. in cauſſa Donatiſtarum contra Cæcilianum, præſente Oſio, cum Imperatore Conſtantino, cui eo tempore familiariſſimus erat, & plurimis Patribus Gallis, Hiſpanis, Italis, aliiſque diverſarum nationum: quos Ado in Chronico ſexcentos fuiſſe ait: cæteri verò ducentos ſolùm. Porrò in eo Concilio Hiſpani (ſi ſtandum ſit relationi Parmeniani) initio ſuffragium dedêre pro Donato adversùs Cæcilianum: ſed videntes reliquos Patres apertè ac rationabiliùs ſtantes pro illo, ac præſertim Oſium, conceſſere in eandem eorum ſententiam, & Cæcilianum innoxium declarârunt, ac proinde in iquam fuiſſe accuſationem illius à Donatiſtis fa-

ctam per calumniam & dolum, præſertim Ingentii ſcribæ mercede conducti ad mentiendum. De quo legendi, Euſebius lib. 10. cap. 5. Optatus Milevitanus lib. *Contra Parmenianum*, S. Auguſtinus Epiſt. LXVIII. aliàs LXXXVIII. & Baronius latè ad annum CCCXIV. num. 21. & ſeqq. uſque ad 72.

212. Nunc verò ex illo primo libro S. Auguſtini ſuprà citato contra Epiſtolam Parmeniani, conſtabit mens S. Doctoris in tuendo Oſio. Conquerebantur imprimis Donatiſtæ *De ſententia Concilii Arelatenſis*, & effutiebant, *Gallos, Hiſpanos, & Italos, & eorum ſocios* (id eſt, reliquos aliarum nationum Epiſcopos in eo Concilio congregatos, & Cæcilianum innocentem declarantes) *traditoribus Africanis* (ſcilicet Cæciliano, & Felici Aptungitano Epiſcopo) *commercio ſcelerum & ſocietate criminum eſſe conſimiles*. Verùm nominatim & maximè conquerebantur de Oſio, veluti qui auctoritate ſua reliquos Hiſpanos, initio Donatiſtis faventes, traxiſſet in ſuam & aliorum communem ſententiam pro Cæciliano & Felice, tanquam iniquè accuſatis.

213. Hac occaſione S. Auguſtinus ibidem cap. 4. profert verba illa numero 209. exſcripta de Oſio, *Quod enim de Oſio dicunt Cordubenſi*, &c. Nimirum Donatiſtæ ajebant, Oſium fuiſſe hominem injuſtum ac ſceleratum, ac proinde Patres Concilii Arelatenſis cum eo communicantes ſeſe conſtituiſſe reos ſcelerum ipſius, ac participes eorundem criminum. Quippe veluti teſſera Donatiſtarum erat, hominem Chriſtianum nullam communicationem habere poſſe cum injuſtis, ſeu peccatoribus; cùm tamen ipſi eſſent omnium nequiſſimi, & veluti tales Eccleſiaſtico & Imperiali judicio toties condemnati.

214. Eam verò criminationem refellit S. Auguſtinus, imprimis ponendo aut aſſerendo, Oſium Catholicum Epiſcopum fuiſſe: deinde negando fuiſſe injuſtum aut ſceleratum, qualiter ipſi effutiebant: præterea inficiando, iniquitatem ejus (ſi qua eſſet) fuiſſe perſpectam aliis Epiſcopis, qui in Concilio Arelatenſi cum ipſo communicârunt. Subjungit, ſi fortè Oſius ab Hiſpanis eſt damnatus, & à Gallis abſolutus, ut Donatiſtæ ajebant; fieri potuiſſe, ut Hiſpani Donatiſtarum fraudibus decepti, initio vellent ferre ſententiam contra Cæcilianum, & contradicere Oſio in ea parte: poſtea verò perſpectâ juſtitiâ Cæciliani, Donatiſtarum dolis, & unanimi Patrum aliorum atque ipſius Oſii conſenſu; *pacificè in humilitate Chriſtiana cederent ſententiæ collegarum, quibus illius* (Cæciliani) *innocentia comprobata fuerat*. Quam ipſam mutationem ſententiæ in Hiſpanis, ſi reverà fuit, laudare pergit Auguſtinus, allegatis in id Scripturæ ſacræ locis, contra Donatiſtarum proterviam, & ſubjungit: *Si viveret Parmenianus* (nimirum ille ipſe contra cujus Epiſtolam ad Tychonium ſcribit) *non auderet jam reprehendere Hiſpanos, & eos appellare prævaricatores, qui à ſententia ſua in collegarum ſententiam deflexerunt, ne ipſe offenderet collegas ſuos, qui multi Primiano jam à ſe damnato in melius correcti, ad trecentorum Concilium tranſierunt; magis eligentes contra ſuas proprias venire ſententias, quàm contra pacem unitatis, etiam in parte Donati.*

215. Hæc ibi S. Auguſtinus cap. 4. allegati libri primi, pro Hiſpanis qui Concilio Arelatenſi interfuerunt, & nominatim pro Oſio. Deinde capite octavo introducit Parmenianum conquerentem, *quòd Conſtantinus eos* (Donatiſtas, nimirum, ſæpiùs jam convictos & damnatos) *ad campum, id eſt, ad ſupplicium duci juſſit; & hoc tam immaniter juſſiſſet, Hiſpano Oſio ſuggerente ſuſpicionibus ſuis, ſicut ſemper, damnando inauditos.*

216. Verùm calumniam hanc Oſio impactam refellit ſtatim Auguſtinus dicens: *Quaſi verò non humaniùs ac probabiliùs alius crediderit Oſio tanquam Epiſcopo ſuggerente potiùs factum, ut in leniorem coërcitionem, quamvit immaniſſimi ſceleris, id eſt, ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator.* Hæc ibi S. Doctor de pietate Oſii, quem ſuprà Catholicum Epiſcopum appellaverat, & de quo nihil ſiniſtrum unquam ſcripſiſſe legitur, nec memorâſſe lapſum ipſius apud Sirmium, quantum mihi licuit rem veſtigare in ſcriptis Auguſtini. Dum verò illum iteratò laudat, & vindicat à calumniis Donatiſtarum, videtur optimam de illo opinionem habuiſſe, quemadmodum de aliis Epiſcopis Catholicis, qui piè ac ſanctè vixerunt, & in communione ac pace Eccleſiæ mortui ſunt. Scribebat porrò librum prædictum S. Auguſtinus, juxta ſententiam doctiſſimorum Patrum Congregationis S. Mauri, in Præfatione ad Tomum ipſius nonum, anno circiter CD. id eſt, quadraginta duobus tranſactis à morte Oſii, quo tempore fama ipſius videtur integra fuiſſe apud omnes, & nulla ratio habita fabuloſæ illius narrationis Marcellini presbyteri de horrenda morte Oſii. Vide Diſſert. III. num. 65. quàm aliter Bivarius interpretetur locum præjactum S. Auguſtini, ſed immeritò.

217. Denique ſæculis ſequentibus, & nominatim nono, non ſolùm apud Latinos, ſed & Græcos, Oſius famam integram retinuit, veluti qui martyrium paſſus fuiſſet tempore Diocletiani, & poſtea defenſor Fidei conſtantiſſimus fuiſſet. Unde illud Photii in Epiſtola ad Michaëlem Bulgariæ Principem, loquentis de Nicænis Patribus: Οἷς δὲ ὁ Κορδύβης ὅσιος συνετέτακτο, ὃς κατὰ τοὺς ἐθνικοὺς διωγμοὺς τὴν κλῆσιν ἐπαληθεύων ἐδείχθη. Ὅσιος γὰρ ὀνομαζόμενος, ἀκίβδηλον αὐτοῦ τὴν ὁμολογίαν τῆς εἰδωλικῆς λατρείας διετήρησεν. *Cum his erat Oſius Cordubæ Epiſcopus, qui in Ethnicorum perſecutionibus nomen ſuum reipſa verum eſſe demonſtravit. Cùm enim OSIUS appellaretur, confeſſionem ſuam ab idolorum cultu puram integramque ſervavit.*

218. Mitto plura alia hujuſmodi teſtimonia apud veteres ſparſa: & ſolùm addo, etiam hoc ſæculo in Oriente apud Syros Oſium inter Divos coli, & in Kalendario eorum collocari die V. Novembris, teſte aurito Bivario in Dextrum ad annum CCCLX. num. 2. qui refert ſe id accepiſſe Romæ ab Archiepiſcopo Damaſceno, Legato tunc Patriarchæ ejus nationis in Urbe; & extare ibidem multas Eccleſias Oſio dicatas.

219. Hæc in honorem & qualemcumque defen-

ſen-

fenſionem illius venerandi Præſulis, Conciliorum Principis, Epiſcoporum Magiſtri, defenſoris acerrimi Fidei Catholicæ, ac Nicæni Symboli, obſervâſſe ſufficiat, præter nonnulla alia, quæ adjeci Commentariis doctiſſimorum Mendozæ, Loaïſæ, & Gonzalez, Tomo præcedenti, libro primo *in Concilium Eliberitanum*, pag. 303. & ſeqq. Sanè ii pariter ita lapſum Oſii fatentur, ut ab eo reſipuiſſe, atque in pace Eccleſiæ diem obiiſſe cenſeant, rejectis narrationibus in oppoſitum, veluti aëreis, ſive fabuloſis. Quod ipſum ex inſtituto docent, Baronius Tomo III. ad annum CCCLVII. num. 30. & ſeqq. Padilla *Hiſt. Eccleſiaſt. Hiſpaniæ* Centuriâ IV. cap. 53. Pineda *Monarch. Eccl.* lib. 13. cap. 5. Villegas in *Floribus SS.* Valdès *De dignitate Regum Hiſpaniæ*, cap. 7. num. 20. Mata-moros in *Apologetico*, Alderete in *Antiquitatibus Hiſpaniæ*, lib. 1. cap. 3. Bivarius in Dextrum ad annum CCCLX. num. 2. Nicolaus Antonius Tomo I. nondum edito, & apud me exſtante, Scriptorum veterum Hiſpaniæ.

220. Quin & Primus Cabilonenſis in ſua *Topographia ſpirituali*, verbo *Corduba*, collocat illum inter Sanctos ejus nobiliſſimæ urbis. nam relatis multis ipſorum, ſubdit: *Hic Oſius Epiſcopus conſocius Athanaſii Alexandriæ Epiſcopi, Hilarii Pictavienſis, Euſebii Vercellenſis, & Meletii Antiocheni Epiſcoporum, migrat Confeſſor.* Sed enim collocare quempiam inter Sanctos, ad ſolam Sedem Apoſtolicam attinet, quæ tamen nihil definivit circa ſanctitatem Oſii. Nobis ſatis fuerit veram ipſius correctionem & pœnitentiam, ac piam mortem hiſtoricè oſtendiſſe.

221. Ex Gallis idipſum tuentur Theophilus Raynaudus in *Hoplotheca* ſectione 2. ſerie 3. cap. 26. Joannes Morinus lib. 1. *Exercitationum* cap. 20. Godefridus Hormantius in *Vita S. Athanaſii* Gallicè ſcripta, Tomo II. lib. 8. cap. 4. ac Natalis Alexander in *Hiſt. Eccleſ.* ſæculi IV. Diſſert. XXX. nemine Catholicorum, quem legerim, diſcrepante, & unico ex heterodoxis Davide Blondello diſſentiente, cui, præter alias exceptiones, non audiendo, ſufficit illud Ariſtotelis: μία χελιδὼν οὐ ποιεῖ τὸ ἔαρ.

222. Verùm ſinamus gratis, ſive permittamus ultrò Oſium reipſa in Arianiſmum fuiſſe lapſum, atque in eo permanſiſſe abſque retractatione aut correctione ulla. Quid inde boni eliciet Blondellus, aut ſi quis alius cum eo ita cenſet? Numquid Calviniana aut Lutherana communio, vel ipſa Religio Catholica, aliquod inde decus aut utilitatem perciplet? nullatenus. Cùm enim omnes conveniamus in aſſerendo Trinitatis myſterio, juxta Nicæni Concilii doctrinam, nemini Chriſtianorum conveniens eſſe poteſt quòd ab ea degeneraverit, & perpetuò receſſerit Oſius ille Magnus, qui tot annis, tali conſtantia, tam ſumma apud omnes auctoritate pro ea decertavit. Itaque infructuoſum eſt prorſus, non modò Catholicis, ſed ipſis quoque heterodoxis, quòd aſſeratur Oſium in Arianiſmo extremum clauſiſſe diem.

223. Sed nec Sociniani, ſive Ariomanitæ recentes, qui cloacam illam aut ſentinam inſtaurant, ubi ipſorum patriarcha exonerans alvum egeſſit peſtilentem animam, aliquod patrocinium ſuis erroribus inde habere poſſunt. Si enim non accipiunt teſtimonium S. Athanaſii excuſantis Oſium, & aſſeverantis ipſum pœnituiſſe ac retractâſſe quæcumque invitus fecerat; ſupereſt ut acquieſcant narrationi apud S. Iſidorum exſtanti, & ex Marcellino deſumptæ, de terribili morte Oſii, & prodigio divinitus patrato contra illum, in defenſionem Gregorii Eliberitani pugnantis pro Catholica Fide. Hinc autem Sociniani nullum ſectæ ſuæ patrocinium accipient, ſed potiùs damnationem manifeſtam invenient. Si enim Deus patentl miraculo interemit Oſium prò Ario ſtantem, & liberavit Gregorium ipſi reſiſtentem; profectò cauſſa Fidei Nicænæ, pro qua decertabat Gregorius, juſta & Deo ipſi probata fuit. Deus enim ſummè ſanctus, verax, ac juſtus, nequit miraculo ullo confirmare doctrinam falſam, aut rem injuſtam.

224. Itaque novi iſti Ariomanitæ, quocumque ſe vertant circa mortem Oſii, nullum inde præſidium ſibi accerſere poſſunt. Sed mittamus illos, veluti cæcos & duces cæcorum: quorum inſanas blaſphemias latiùs confutavimus toto ſecundo Tomo Theologiæ S. Anſelmi, præſertim in Prolegomenis: ubi oſtenſum fuit contra noviſſimos illorum, præſertim Eniedinum, Schlichtingium, Smalcium, Crellium, Brennium, Sandium, aliaque exoſa Deo & cœlitibus nomina, Patres Concilii Nicæni non aliam de Homoûſio, ſeu vera Filii conſubſtantialitate cum Patre, doctrinam tradidiſſe, ab ea, qnàm ipſi ab anterioribus Eccleſiæ Patribus traditione continuata acceperant, Patres ab Apoſtolis, & Apoſtoli ab ipſo Chriſto.

DISSERTATIO TERTIA.

De variis Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania ante & poſt Eliberitanum, nullatenus contentis in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis.

UBI DE CHRONICIS DEXTRO, MAXIMO, LUITPRANDO; JULIANO PEREZ, ET HAUBERTO, ADSCRIPTIS, APUD QUÆ INDICANTUR PLURIMA HISPANIÆ CONCILIA.

HACTENUS curæ fuit explanare, quibus Conciliis interfuerit Oſius intra & extra Hiſpaniam, ac quidnam in iis geſſerit. Quia verò circa id fortaſſe plus juſto ac ſolito morati ſumus lectorem, nunc ea prolixitas brevitate compenſanda erit, celeri Excurſu per ſingula eorum quæ memorantur, vel apud antiquos ſcriptores, vel à modernis ſub prætextu Commentariorum in Chronicon illud, quod nomine Dextri apparuit, & vulgatum fuit à centum circiter annis, cum libris aliis Marco Maximo, Luitprando, Helecæ, Juliano Perez, & Hauberto Hiſpalenſi adſcriptis: qui omnes, judicio eruditiſſimorum virorum intra & extra Hiſpaniam, ejuſdem ſunt farinæ, ſeu potiùs furfuris. Licèt negari non poſſit, plurima in iis veroſimilia haberi, quæ forſan in re contigerunt, & reipſa accidiſſe volunt illorum Commentatores, præſertim verò eruditiſſimus Bivarius. At id non evincit ex vi Chronicorum ejuſmodi, quæ erudit auctoritate carent; ſi aliunde, ex ſcriptoribus aut aliis monumentis veteribus & fide dignis non habeatur.

EXCURSUS I.

Plurima Concilia, tanquam celebrata in Hiſpania, memorari in Chronicis, à centum circiter annis circumferri ſolitis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, nullatenus indicata à S. Iſidoro, vel quopiam alio ſcriptore uſque ad finem ferè præcedentis ſæculi. Eorum pſeudo-chronicorum auctor, ſive architectus innumerabilium fictionem, quiſnam fuerit.

2. IN Chronico illo Flavii Lucii Dextri Barcinonenſis nomine vulgato Toleti circa annum MDXCIV. & poſtea edito cum Commentariis atque Apologiis variorum, præſertim Franciſci Bivarii Ciſtercienſis, indicantur ſparſim plurima Concilia, tanquam in Hiſpaniis celebrata à tempore Apoſtolorum uſque initium quinti ſæculi, quo idem Dexter, S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis filius, & amicus S. Hieronymi, florebat *clarus apud ſæculum*, & notus ob Hiſtoriam *Omnimodam*, ſic inſcriptam, & dicatam ipſi Hieronymo, id teſtanti, tum in Apologia adversùs Ruffinum libro ſecundo, tum in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſt.* ubi de eodem Dextro honorificè loquitur.

3. Utinam haberemus modò aliquod exemplar omnino germanum, aut ſaltem ſcriptum antiquo charactere, Hiſtoriæ memoratæ Dextri, licèt non excederet ducentos vetuſtatis annos. Sic enim liberi eſſemus à tot controverſiis moleſtiſſimis, excitatis à fine ſæculi præcedentis, quo exemplar quoddam ipſius dicitur Toleti apparuiſſe, veluti delatum ex Bibliotheca vetuſtiſſimi & clariſſimi Monaſterii Fuldenſis in Germania; ubi tamen re poſtea ſæpiùs examinata diligenter, nec in librorum indicibus, neque apud monachos ibi commorantes, ullum unquam veſtigium ejuſmodi Hiſtoriæ inventum fuit. Quod multi & graves viri examinare curârunt diligentiſſimo ſtudio intra ipſum Fuldenſe Monaſterium; quidam pro-

propriis oculis, uti ex Societate JESU Broverus, qui Antiquitates Fuldenſes collegit ac prælo edidit, Cornelius à Lapide, Lambertus Stravius Rector Collegii Fuldenſis, & ex aliis Reverendiſſ. Abbas S. Anaſtaſiæ D. Alphonſus Vazquez, Catholicæ Majeſtatis eximius Theologus, atque Ablegatus in Poloniam. Omnes autem ii teſtati ſunt, nullum ejus libri veſtigium apud Fuldam eſſe, vel memoratum inveniri. Vide infrà Excurſu VII. Unde eruditiores plerique, tam intra quàm extra Hiſpaniam, cenſent nullum uſque adhuc exemplar antiquum Hiſtoriæ Dextri inventum fuiſſe: illud autem quod Toleti apparuit, cum aliis Marci Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, quamvis invicem diſtantium multis ſæculis, uno ferè tempore nata fuiſſe è cerebro unius ejuſdemque male feriati capitis; nimirum, Hieronymi Roman de la Higuera; hominis quidem plurimæ lectionis & obſervationis hiſtoricæ, ſed longè majoris cavillationis, & artis Pelaſgæ ad obtrudendum veroſimilia pro veris, poſſibilia pro factis, & imaginaria quæque pro ſolidis ac reipſa exiſtentibus. Is nimirum, cogitationes ſuas inanes & aëreas venditavit pro ſcriptis Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, aliorumque, miſeranda corruptione Hiſtoriæ Hiſpanicæ, ac deluſione imperitarum plebium, ſemidoctorum hominum; immo & multorum ex doctis alioqui, ſed minus in Criticæ aut eruditione ſolida & antiqua verſatis.

4. Unde ſtatim ferè ac prodierunt ſcripta illa, ſeu folia ficûs, ab Higuera diſſeminata, doctiſſimus vir Joannes Baptiſta Perez Canonicus Toletanus, & poſtea Epiſcopus Segobricenſis, quo pollebat ſubacto judicio, ea rejecit, veluti palam ſuppoſititia. Pariter illa ſpreverunt eodem tempore ex Ipſa Societate Petrus Ribadeneyra, ac Joannes Mariana, ſicuti & poſtea Ferdinandus de Salazar, Cornelius à Lapide, Melchior Inchofer, Philippus Labbè; ac tandem Joannes Bollandus, Godefridus Henſchenius, & Daniel Papebrochius, Collectores magni ejus Operis, quo Acta Sanctorū caſtigatiſſima exhibentur, XIX. juſtis voluminibus jam editis Antuerpiæ; in quibus paſſim ea recentia pſeudo-chronica rejiciuntur, veluti ſpuria, & conficta, ac nullius omnino momenti ad quicquam in Hiſtoria ſacra aut humana ſtabiliendum, quicquid imperitorum hominum, aut ſemidoctorum vulgus; immo etiam aliàs doctorum nonnulli, in oppoſitum clament, velintque ea ſcripta eſſe cedro digna & veneranda.

5. Poſſem equidem innumera ferè loca proferre Bollandi, Henſchenii, ac Papebrochii, in quibus, aut ſupreſſo nomine, aut nominatim ac palam, ſugillant & traducunt Hieronymum Roman de la Higuera, quamvis ſodalem ſui ipſorum inſtituti, tanquam architectum earum fabularum, quæ in dictis pſeudo-chronicis leguntur. Verùm ſatis ſit indicare nonnulla ex Tomo VII. Sanctorum Maji, ubi pag. 393. inquit Papebrochius: *Non poteram credere relationibus ab Hieronymo Higuera de Roman acceptis; QUIA EUM ESSE NOVERAM INVENTOREM FABULARUM INFINITARUM, quibus Eccleſiaſticam Hiſpaniæ hiſtoriam integro jam ſæculo inquinari, ſæpiùs dolere cogor.* Ac præterea eodem loco col. 2. incumbit *refutandis Higueræ commentis*. Et paginâ 394. *circiter* ſequenti, laudans fideliſſimum Aragoniæ Hiſtoriographum Hieronymum Zuritam, inquit: *Libros edidit anno MDLX. utique longè priuſquam Higuera cogitaret de hiſtoria Hiſpanica ſuppoſititiis ſuis antiquitatibus interpolanda.*

6. Denique, ut plurima alia prætermittam, in eodem Tomo VII. ad diem 30. Maji pag. 405. toti capiti quinto hanc epigraphen adhibet: *HIGUERÆ FIGMENTA.* Ac pag. 406. num. 50. marginali ait: *Romanus iſte* (Higuera nimirum, qui & Roman) *machinam talem moliens, nihil egit ſolertiùs, quàm ut quaquaverſùm ſpargeret ſuorum commentorum fragmina, quibus poſtea in confirmationem adornata à ſe fabulæ concurſuris, tanquam teſtimoniis omni certitudine ſubnixis uteretur.* Nimirum, pariter finxit, & in vulgus diſſeminavit alio atque alio tempore, varia ſcripta nomine Dextri, poſtea alia ſub nominibus Maximi Cæſarauguſtani, Luitprandi, Juliani Perez, & aliorum. Si vis rem totam ab ovo, ut ajunt, diſcere, lege eruditiſſimas Diſſertationes Eccleſiaſticas, præſertim III. & IV. Excellentiſſimi Principis Marchionis de Mondexar (aliàs Agropolitani) ubi clariùs meridiano ſole demonſtrat, quomodo, quibus gradibus, & quàm apertis fictionibus, ea pſeudo-chronica ab Higuera fuerint obtruſa; & quot teſtimoniis plurimorum, etiam intra Societatem, falſitatis ac fictionis convicta.

7. Quamvis verò ſingula eorum figmentis plena ſint, ſibi invicem adſtipulantur ea arte, ut quæcumque in uno quolibet paradoxa, immo & fabuloſa leguntur, poſſint fulciri ex farraginibus alterius: ut proinde ſummo vir ingenio, eruditione, ac criſi, Nicolaus Antonius, Jacobæus Eques, & Conſiliarius Regius, anno MDCLXXXIV, octo ante obitū ſuum diebus, in Epiſtola doctiſſima ad me Matrito Salmanticam data, facetè ſcripſerit, quatuor illos ab Higuera cuſos auctores, Dextrum, Maximum, Luitprandum, & Julianum Perez, eſſe totidem pſeudo-evangeliſtas, qui ſibi invicem concordant in mentiendo, ſicuti quatuor Evangeliſtæ ſacri mutuò ſibi conſonant in veritate aſſerenda.

8. Idem Nicolaus Antonius duobus tomis jampridem anno MDCLXXII. Romæ editis Bibliothecæ Hiſpanæ, & ubique cum ingenti plauſu receptis, ubicumque ſeſe offert occaſio, acriter invehitur adverſùs omnia ea figmenta: ſed præſertim ubi loquitur nominatim de Hieronymo Roman de la Higuera (qui fuit quaſi primus *doli fabricator Epeus*, ut Maro accinebat) Roderico Caro, Franciſco Bivario, Laurentio Ramirez de Prado, Thoma Tamayo de Vargas, & Joanne Tamayo de Salazar, ſcriptore, ſeu conſarcinatore Martyrologii Hiſpani. Quære ſingulos utroque eo tomo ſub propriis nominibus.

9. Sed adhuc uberiùs ea commenta refellit tribus aliis voluminibus nondum editis, & apud me exſtantibus, magnam partem ſcriptis propriâ ipſius manu; *De ſcriptoribus Hiſpanis quotquot* fuere

fuere uſque ad annum Chriſti MD. Ibi ſæpiùs, & graviùs, & vehementiùs, omni argumentorum genere palam oſtendit falſitatem, abſurditates, erroreſque paſſim occurrentes in libris iis, præſertim ubi nominatim agit de prædictis, Dextro, Maximo, Luitprando, & Juliano Perez, ac de Heleca Cæſarauguſtano Epiſcopo, cujus nomine etiam aliæ ſimiles farragines obtruſæ fuerunt.

10. Verùm ſpeciatim Tomo I. ex nondum editis, ubi agit de ſcriptoribus Hiſpanis quarti ſæculi Eræ Chriſtianæ, & nominatim de Dextro, enarrat initium, progreſſum, & interitum eorum pſeudo-chronicorum jam imminentem, hiſce verbis, quæ lectoribus eruditis invidere nolui, donec fortaſſe id eximium Opus publicæ luci committatur.

EXCURSUS II.

Ex ſcriptis nondum editis Cl. V. Nicolai Antonii profertur brevis narratio, in qua de ortu, progreſſu, & interitu jam imminente eorum pſeudo-chronicorum agit, præſertim Dextri, & promittit uberiorem eorum refutationem.

11. HUJUS ſæculi quarti exeuntis (ait ille pag. 409. Ms.) abſque dubio eſt DEXTRI memoria, quam conſervavit Hiſpanis ſui Hiſtorici magnus Doctor Hieronymus; neque eſt aliquid ſolidum ac certum, quod movere nos debeat, ut hinc ad ſequens ſæculum quintum, res ejus transferamus. Pacianum Epiſcopum Barcinonenſem, egregiumque ſcriptorem, nuper laudatum dimiſimus. Hujus filius Dexter fuit, clarus parente optimo, clarus literis, & honoribus geſtis in ſæculo. Vetus, inquam, & verus Dexter, quem unus S. Hieronymus, non ſemel, aut ſine peculiari elogio, poſteritati commendavit.

12. Quod nomen jam hoc ſæculo ex innocenti & laudabili, fatalitate quadam, in contrarium adeò degeneràſſe, ut fictitii ac ſubleſti proverbialis ferè appellatio ſit, maximopere dolet probum ac ſeriò doctum quemque, Hiſpanique nominis verè amantem. Natus quippe ante octoginta fermè annos, Dextri illius antiqui ſchemate ſeſe venditans novitius alter; quem brevi, ſive propitia, ſive ſiniſtra fama, pro varia hominum opinione, per totum Latini orbis ſpatium enormiter famoſum volare fecit.

13. Sed nec nondum nos Icaro huic cereis pennis audaciſſimè innixo, verum hiſtoriæ ſolem, in ruinam exitiumque opponemus; cùm id peculiari opere à nobis procurandum ſit: ſed germanum Dextrum Paciani filium, mutuatis ab Stridonenſi magno encomiaſte vivis coloribus, deſcribere opus & conſilium eſt.

14. De patria nihil habemus dicere, niſi quòd Paciano Barcilone Epiſcopo natus, noſtras vulgò habitus ſit, reclamante nullo, aut aliorſum trahente. Sæculari autem militiæ dato nomine, variiſque, ut ſolet, geſtis reipublicæ muneribus, ad ſupremum tandem μετὰ τὰ σκῆπτρα (ut ait Zoſimus) *citra Regium*, auctoritatis culmen, in Occidente fuit aſſumptus anno Chriſtiano CCCXCV. aut circiter. Hoc enim anno, quo Coſs. fuère Olybrius & Probinus, diemque ſuum obiit Theodoſius Imperator, Dextro PP. directæ ſunt leges aliquot in Codice Theodoſiano, nempe L. LIII. & L. LIV. *De curſu publico*. L. II. *De Indulgentiis debitorum*. L. II. *Si quis pecunias conflav*. L. V. *De exſecutor. & exactionibus*. L. CXLVI. *De decurionibus*. omnes in eodem Theodoſiano Codice.

15. In Occidente diximus, non in Oriente, quæ una è fabulis de Dextro jactatis. Nam cùm hæ leges, ſive mandata Mediolani concepta ſint, quæ urbs Italiæ celeberrima ditionis fuit Imper. Honorii, ejuſque Occidentalis Imperii propriæ, in qua commoratum hoc anno eundem Honorium, exequiaſque Theodoſio parenti celebràſſe, non ſinit nos ambigere S. Ambroſii ea, quam habuit coram eo, laudatoria piiſſimi Principis oratio; certiſſimum haberi debet Honorii has eſſe Conſtitutiones ad Præfectum ſuo in Occidentalibus partibus, non in Orientalibus, Prætorio directas, quantumvis uterque Cæſar his inſcriptus ex more ſit. In qualibet enim alterutrius, vel cujuſcumque ex pluribus Imperatoris ſanctione, ætatis, quâ nati ſunt, aut quâ rebus quique præeſſe cœperunt, ordine ſervato inſcribebantur ſimul omnes uti ſanctionis auctores, quaſi unius, ejuſdem, atque indiviſi Imperii diviſiſſe inter ſe adminiſtrationis curam, non Principatûs majeſtatem, videri vellent.

16. Nec S. Hieronymus in *Apologia adversùs Ruffinum* ſecunda quicquam ait, niſi Præfectum Prætorio fuiſſe. *Ante annos fermè decem, cùm Dexter amicus meus, qui Præfecturam adminiſtravit Prætorii, me rogâſſet*. Nec tamen totius Occidentis Præfecturam tribuimus Dextro, quæ nulla hujus temporis tam ampla fuit; ſed Italiæ, ex diviſione Conſtantini, ſat vulgò notâ, quatuor Præfecturarum. Idque inde colligitur, quòd in laudata lege II. Cod. Theodoſiani *De Indulgentiis debitorum* res ordinetur Provinciæ Campaniæ, quæ ad Præfectum Italiæ ſpectabat.

17. Nec remorari nos debet nota illa inſcriptionis harum legum, nempe L III. & L IV. *De curſu publico*, quibus aliæ ſimiles ſunt in eodem titulo: *Dextro PP. O.* quæ quidem in cæteris deeſt. Vel enim O. litera per compendium ſignificat Præfecto Prætorio (non *Prætorii* legendum) vel ſi Orientis Præfecturam denotare aliàs ſolet, ut obſervat Urſatus *De Notis Romanorum* paginâ 366. hic ſaltem ubi apertiſſimè res ad Præfecturam ſpectat Italiæ, vitioſa & ſuppoſititia eſt.

18. Hunc eundem, nec alium fuiſſe Dextrum exiſtimo, ad quem anno quo Coſs. fuère Valentinianus IV. & Eutropius, ſcilicet redemptionis noſtræ CCCLXXXVII. Comitem per id tempus rerum privatarum, nuncupata fuit L. II. Codice Juſtinianeo *Nerei dominicæ, vel templorum* &c. ſub Theodoſio ſcilicet magno in Orientis partibus; nam Conſtantinopoli, ubi hoc anno is fuit, lex data legitur. Ad quod munus fortè, niſi & alia

fuo-

ſuerint, non ad Præfecturam, quæ nondum ei obvenerat, reſpiciens Hieronymus, an. CCCXCII. quo ſcriptores laudabat Eccleſiaſticos, *clarum apud ſaculum* pronunciavit noſtrum. *Dexter* (inquit) *Paciani, de quo ſuprà dixi, filius, clarus apud ſaculum, & Chriſti Fidei deditus, fertur ad me omnimodam hiſtoriam texuiſſe, quam necdum legi.*

19. Hic ipſe ſic animatus vir in ſtudia hiſtorica ſolicitavit anxiè magnum eundem Hieronymum ad colligendum ac deſcribendum Eccleſiaſticos ſcriptores, eo libello, quo vix alium utiliorem veteres membranæ nobis conſervavêre. Idcircò ei, quem hortatorem elucubrandi operis ſibi fatetur fuiſſe, nuncupatione illius dignari æquum exiſtimavit Hieronymus. *Hortaris Dexter* (ait in Proœmio) *ut Tranquillum ſequens, Eccleſiaſticos ſcriptores in ordinem digeram*, &c. Qui paullò infrà Dextri eloquentiam non obſcurè annotâſſe videri poteſt, dum Ciceronem ſuum Dextri vocat. *Itaque Dominum Jeſum Chriſtum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romana eloquentia ſtetit, non eſt facere dedignatus in Bruto, Oratorum Latina lingua texens catalogum; id ego in Eccleſia ejus ſcriptoribus enumerandis dignè cohortatione tua impleam.*

20. *Omnimodam* hanc talis viri *hiſtoriam* in deperditis habuêre undecim ferè ſæculorum, qui his delectarentur ſtudiis, homines; quorum quidē ad aures nihil de Dextro & ſcriptis ejus aliud, quàm quod à Hieronymo erga eum amor, ac viri fama expreſſerat, perveniſſe legimus. Cùm repentè, dum retrò proximum exiret ſæculum, percrebreſcere rumor cœpit de inventa in Germaniæ quodam angulo memorata Hiſtoria. Inventionis hiſtoriam referunt Didacus Murillus in *Hiſtoria de nueſtra Señora del Pilar*, c. 4. & in *Apologetico ejuſdem Hiſtoriæ prologo*. Franciſcus Portocarrero *Vida de S. Ildefonſo*, in *Proœmio*. Joannes Calderon in *Præfatione* Cæſarauguſtanæ *Dextri* editionis, Franciſcus Bivarius in *Apologia pro Dextro* editionis Lugdunenſis, & in *Cenſura Operum Luitprandi*, editionis Antuerpienſis, aliique.

21. Auctor rei Jeſuitarum ſodalis quidam, Hieronymus Romanus de la Higuera nomine, Toletanus patriâ, undique munitus vir ſubſidiis curioſæ omnis, quâ hiſtorica conſtat res, doctrinæ. Amicis hic nunciavit primum, atque inde amicorum ope quemvis alium per Hiſpanias certiorem fieri voluit, remiſſum ſibi à Thoma de Torralva, ejuſdem Societatis, è Germaniæ Wormacia urbe *Dextri Chronicon*, ſive *Hiſtoriam omnimodam*, unà cum M. Maximi, aliorumque continuatorum fragmentis.

22. Offendiſſe ajebat hunc Torralvam in quendam iſtius urbis civem, dum inter Germanos peregrinatur, qui penes ſe Fuldenſi è Bibliotheca, ut referebat, acceptum hunc theſaurum ſervabat; quem cùm redimere ab eo vellet, fruſtrà fuit, Codicem exſcribendi permiſſione contentus. Atque hujus exempli à Torralva excerpti, ſibique officiosè, veluti ad præceptorem, anno MDXCIV. tranſmiſſi, poſſeſſionem ubique jactabat; communicans inde per literas doctis, ſibique familiaribus aliquot viris, fragmenta quædam, quæ ad momenta eorum pertinerent, ægrè ſe continens præ gaudio Higuera.

23. Idem tamen poſt aliquot annos exempla alia hujus ſui exempli è manibus abire permiſit. Quorum aliquod Cæſarauguſtæ repertum, Joannes Calderon Franciſcanus ann. MDCXIX. typis in eadem urbe committi curavit primus. Viſa tamen in publica hominum luce, illuſtrium horum virorum, aliàs celebrium, tam propitia, ſecundaque rebus Hiſpaniæ noſtræ monumenta, veluti ex orci faucibus erepta, mirum quantum exultare ſubſultare omnes, qui aliquo honoris ſenſu, pietatiſve tangerentur, ſtatim fecêre; provincias, urbes, Eccleſiarum Collegia ſacra, Religioſorum hominum cœtus efferre ſe, ac nova ſibi delata in gremium, clariſſimorum civium, ſodalium, tutelarium, inclytarum actionum, geſtorumque olim famæ celebris ornamenta jactare, conferreque invicem & gratulari. tamquam ſi Pyrenæi ſaltus igne iterum correpti, Hiſpaniæ, quanta eſt, fines omnes metallorum liquefactorum torrentibus inundaviſſent. Hinc eruditiores cura etiam ſolicitare, ut ingruentem lætitiam non cæcâ mente, ſed oculatâ, ſuique, ac ſuorum bonorum conſciâ, ſuſcepiſſe viderentur.

24. Eodem enim ferè tempore Rodericus Carus Utrarienſis presbyter, Franciſcus Bivarius Ciſtercienſis monachus, Thomas Tamayus Vargas Regius hiſtoricus, propugnandæ, exponendæ, illuſtrandæ, atque ornandæ huic Spartæ induſtriam omnem, ingeniique atque eruditionis vires, quibus pollebant maximis, contulêre. Carus expedivit certè rem, edito Dextri ac Maximi ſyſtemate, ex collatione aliquot Mss. exemplorum, brevibuſque notis, ſed elegantibus, & ingennis munito, Hiſpali anno MDCXXVII. Bivario ſeriùs agenti volumen excidit ſatis grande ſoli Dextro impenſum, Lugduni eodem anno. Cùm præceſſiſſet utique triennio integro Thomæ Tamayi juſtum Opus, ſub *Dextri defenſi*, ſeu *Novitatum antiquarum* vulgari titulo, recèns repertum *Chronicon* veteri auctori aſſerens, veraque eſſe maximo conatu contendens omnia in eo comprehenſa, aut ſaltem falſa certò haud eſſe. Taceo innumeros, qui aliud agentes, hiſtorias nempe Regnorum, urbium, ſacrarum familiarum domorumve, generales, particulares, elogia, Apologetica rerum Hiſpaniarum ſcribentes, Dextri verſibus complevêre omnes paginas, monetâ hac uti legitimâ paſſim expensâ, perque omnium ſinus liberaliter ſparsâ.

25. At quamvis huic facilitati res tam novas temerè credendi non unus aut alter ex noſtris, cui dextra in parte mamillæ cor ſaliret, indignatus, continere intra prudentiæ limites civium noſtrorum philautiam, quæ verè judicii omnes faciebat partes, tam verbis præſentes, quàm ſcripto per literas diù procuraviſſent, victi demum ſuppreſſique, & quaſi tacere compulſi ſunt prævalente ſuffragiorum numero ac lenocinante cæco patriæ amori novæ mercis cupiditate. Niſi quòd ante aliquot annos re penitiùs conſideratâ, caſuque repertis non quidem levibus ſuſpicionis argumentis, nego-

negotium penè jam apud nos confectum retractari cœpit, advocatâ ad partes liberè ſentiendi, quâ rationis compotes ſumus ac dicimur, facultate, fereq; eò jam res proceſſit, ut admoneri ſe noſtri cives nō ægrè patiantur, à novis his Chronologis Hiſtoriæ noſtræ, non lætas vires, ſed tumorem inditum; & quæ turgida & inflata ſit, habitiorem falsò apparere.

26. Sed quia de his fabulis peculiariter agendum nobis eſt in Cenſura ejuſdem Pſeudo-Dextri; *Omnimodam* veri & germani DEXTRI HISTORIAM, loculis *Bibliothecæ noſtræ Hiſpanorum ſcriptorum*, deperditam hodie jam, aut latentem; inſerimus tactum, & ad alia pergimus; contenti annotâſſe obiter, penes me eſſe illius *Chronici*, ſeu *Chronicorum Dextri*, *Maximi*, *atque Luitprandi* exemplum, quæ primò vel habuit, vel jactavit ſe habere Hieronymus Higuera (an è Germania accepta non auſim dicere.) Idque ab editis ſub eorum nomine in publicam lucem diverſiſſimum. Stupes, Lector, demiratus confidentiam cenſuræ. Placaberis, ſpero, gratiaſque mihi de indicio habebis, cùm collatis inter ſe Dextri nomine inſcripto vulgari *Chronico*, nullam, ut præſefert, jacturam paſſo, ac noſtro altero acephalo, majorique ex parte mutilo, quod ad finem hujus *Bibliothecæ* partis edi curabimus, perpenſiſque noſtris ſuo tempore ſufficiendis pro hujus poſterioris conſtantiori fide argumentis, ad occultum hactenus, aut nondum ſatis reſeratum temerariæ? aut veriùs impiæ ſuppoſitionis myſterium, manu & oculis contrectandum introducêris.

EXCURSUS III.

Quodnam judicium tulerint de eiſdem Chronicis viri alii inſignes, pariter & de Chronico Hauberti Hiſpalenſis nomine edito, & obtruſo circa medium hujus ſæculi.
Auctoris proteſtatio valdè notanda.

27. HUCUSQUE Nicolaus Antonius, non minùs ingenuus, & veritatis amans, quàm eruditus, qui poſtremis vitæ ſuæ annis, ſimul cum literatiſſimo & Excellentiſſimo Marchione Mondexarenſi (tot libris jam editis ſatis celebri) & Cl. V. D. Luca Cortéſio, Conſiliario ſupremi Caſtellæ Senatûs, D. Joſepho Pellizerio, Thoma de Leon Jeſuita, aliiſque egregiis viris, veras & ſolidas Hiſpaniæ laudes amantibus, & reſpuentibus fabuloſas, impensè laboravit in detegenda origine eorum Chronicorum, ſeu librorum, qui ingenti omnium ferè ordinum plauſu circumferebantur, nomine Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ, & Juliani Perez.

28. Sed quamvis laudati ii viri doctiſſimi invenerint in dictis Chronicis, ſeu libris, tertio quoque verbo tot abſurditates & falſitates, quemadmodum & alii à nobis allegati num. 5. & 6. (ut nihil dicam de Archipræſule Marca, & pluribus aliis, pariter rejicientibus ſcripta illa veluti notha, & ſubleſtæ fidei) adjecerunt præterea diligentiam ſummam, ut invenirent primum illud exemplar Dextri, quo ab initio uſus fuit Higuera, ſive id accepiſſet ex Germania, ut ipſe ajebat, ex Monaſterio Fuldenſi; vel, ut poſtea adjecit, à P. Torralva, ſive non. Tandem nulli parcentes diligentiæ aut ſumptui, illud invenerunt, ut idem Nicolaus Antonius teſtatur, verbis num. 26. exſcriptis. Sed quale? Diverſiſſimum ſanè ab iis exemplaribus, quæ idem Higuera poſteriùs ubique diſtribuenda curavit. Illud enim erat utcumque tolerabile, ſive longè minùs fabuloſum: hæc verò tot additamentis, fictionibus, falſitatibuſque interpolata, vitiata, aut corrupta ſunt, ut nihil ferè in iis ſanum inveniatur, nihil fide dignum in iis quæ addit ſupra id, quod jam antea à probatis ſcriptoribus traditum fuerat. Addit autem paſſim nova, & mira, & incredibilia: ut proinde iis pſeudo-chronicis, præſertim Juliani Toletani, objicere poſſimus verba illa increpatoria S. Auguſtini li. 3. *Contra Julianum* Eclanenſem, & ipſius gregales, cap. 3. *Mira ſunt quæ dicitis: nova ſunt quæ dicitis: falſa ſunt quæ dicitis. Mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.*

29. Idem porrò judicium ferunt eruditiſſimi quique ſuprà laudati, & nominatim ipſe Nicolaus Antonius tribus iis voluminibus Mss. apud me exſtantibus, circa Opera alia ejuſdem generis ab Higuera pariter ficta, & in lucem edita: qualia ſunt Chronica M. Maximi Cæſarauguſtani Epiſcopi, unà cum *Fragmentis Helecæ, & Braulionis*, ſucceſſorum in eadem Sede. Item *Chronica Luitprandi Ticinenſis diaconi*, & *Juliani Toletani archidiaconi*: ac præterea *Adverſaria eorundem Luitprandi & Juliani*. Hæc omnia jamdiu edita ex Mss. Higueræ, quamvis multorum elogiis laudata, & Commentariis illuſtrata à nonnullis viris eruditis; nunquam tamen fidem impetrare potuerunt ab aliis longè eruditioribus in criſi librorum, quales hactenus allegavimus. Plena enim ſunt eventibus ac rebus miris, novis, ac planè falſis, juxta phraſin illam S. Auguſtini. Et, ut antea monui, eo artificio, ſeu ea mentiendi arte compoſita ſunt, ut in qualibet narratione omnia illa *Chronica* & *Adverſaria* ſibi invicem reſpondeant & conſonent. Quod argumento planè invicto eſt (præter plura alia meridiano ſole clariora, quorum multa ſparſim præmiſimus Tomo I. hujus Operis) prædictos omnes libros, non ab aliis & aliis ſcriptoribus diverſo tempore ac loco prodiiſſe, ſed ab uno eodemque auctore intra Toletum, iis fabulis fingendis, conſarcinandis, & veluti quadam harmonia contemperandis vacante.

30. Poſſem hoc loci κτ' πόδας exſcribere quicquid laudatus D. Nicolaus Antonius profert circa Maximum, Helecam, Braulionem, Luitprandum, & Julianum, ſub propriis eorum nominibus Tomo I. & II. *De ſcriptoribus antiquis Hiſpaniæ* apud me Mss. ex quibus luculentiſſimè conſtaret eorum omnium ſuppoſitio & ſtructura ab eodem artifice, & uniformitas in fingendo. Sed prætermittendum duxi hoc loco brevitatis gratiâ, ac propterea quòd ſperem id Opus eruditiſſimi, & auro contrà non carum, tribus voluminibus com-

comprehenſum, publicæ luci committendum, vel à me, vel à quopiam alio.

31. Verùm ex Tomo I. *Bibliotheca Hiſpana*, Romæ edito ab ipſo D. Nicolao Antonio anno MDCLXXII. pag. 456. verbo, *Hieronymus Roman de la Higuera*, accipe pauca hæc de Chronicis iis plurimorum plauſu receptis: *Quæ tamen alii, exterorum nempe eruditiſſimus quiſque, noſtrorumque hi, qui ratione magis, quàm præjudicatis ducuntur opinionibus; ſive conſcio* (Higuerâ) *ſive ignaro eo fuiſſe confiƈta, atque iis Hiſtoricis, quorum nomina præſeferunt, ſuppoſita; luculentioribus in dies argumentis convicti liquidò ipſi credunt, nec minùs ſperant perſuadere aliis ſe, ad rem qui mentem adduxerint doceri cupidam, facilè poſſe*. Hæc paullò temperantiùs contra Higueram Romæ ſcribebat tunc, quòd nondum haberet planè exploratam ipſius fictionem. Verùm poſtquam in Hiſpaniam rediit, & non ſolùm teſtimoniis fidedignorum, ſed oculis ipſis, mangonium, & malam illius fidem compertam habuit; illicò exaſperavit ſtylum, & nominatim tanquam fabulatorem perſtrinxit. Qua de re vir optimus aliquando à me admonitus, ut mitiùs ſe gereret, reſpondit, & multis rationibus probandum recepit, non aliter loqui & ſcribere oportere. Tantam enim ſtragem hiſtoriæ Hiſpanicæ, præſertim ſacræ, ab iis pſeudo-chronicis illatam fuiſſe, ut oporteat ea palam traducere, & exſecrari nominatim auctores illorum, veluti pernicioſos bono communi ac veritati. Cujus rei exempla attulit, etiam ex ſanctis Patribus deſumpta, quibus perſuaſus fui ad idem ſentiendum.

32. Præterea creditur idem Higuera inchoâſſe aut affecta reliquiſſe plura alia nondum edita, quod ſciam, veluti, *Fragmenta S. Athanaſii* primi Epiſcopi Cæſaranguſtani: item Iſidori Epiſcopi Pacenſis *Epitomen temporalem* (diverſam crediderim ab ea, quæ exſtat adhuc Ms. in Bibliotheca magnæ Eccleſiæ Toletanæ, unde fidele exemplar eruendum curavi, quod penes me eſt) ac denique *Additiones Joannis Ægidii Zamorenſis ad Chronicon Juliani*. Porrò ea ſcripta, vel in ipſa epigraphe redolentia genium Higueræ, non dubito præcedentibus ſimilia, & in iis memoranda ſimiliter inter plura alia ſubleſtæ fidei, multa Hiſpaniæ Concilia, quæ nunquam, nuſquam fuerunt. Solùm miror defuiſſe iis obſtetricantem manum cujuſpiam defenſoris, vel commentatoris, ut is partus jam diu publica luce frueretur. Si quando id acciderit; moneo poſteros ne ſimilibus fabulis fidem præſtent, & ut meminerint illorum verborum Laocoontis ad ſuos: *equo ne credite Teucri*.

33. Idipſum cenſendum de Chronico circa medium hujus ſæculi obtruſo ſub nomine Hauberti Hiſpalenſis: quod eatenus à nemine viſum, aut nominatum, ſe inveniſſe jactabat, & è Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſis clam abſtuliſſe, atque in Hiſpaniam detuliſſe, Antonius Zapata (ita ſe appellari amabat, ſed reipſa Antonius Lupian) in Catalonia natus, pulſandis organis in ſua patria addictus. Is leviter tinctus lectione hiſtoriæ variæ, præſertim Hiſpanæ, ac non parùm animatus exemplo Higueræ, cui tam bene ceſſerant apud pleroſque fictiones ejuſmodi; recentem eam chimæram invexit: in qua innumeras novitates, paradoxa inaudita, Concilia eatenus ignota Hiſpaniæ, Sanctos plures exteros, quaſi Hiſpanos, Sedes Epiſcopales nunquam ab alio memoratas, & alia id genus portenta protulit.

34. Porrò id Chronicon Gotthico charactere ſcriptum noluit unquam exhibere alicui emunctioris naſi, aut ſatis perito in legendis antiquis literarum formis, aut veteribus Mss. quamvis ſæpè & inſtanter rogatus fuiſſet à quibuſdam. Nimirum, intererat plurimum ne fraus detegeretur. Sed poſtea deprehenſum fuit à viris peritiſſimis, & omni fide dignis, qui fraudem ſuſpicabantur, & diligentiſſimè inquirebant, intra Codicem illum nihil aliud eſſe quàm *Chronicon Euſebii Cæſareenſis*, cum *Continuatione S. Hieronymi*. Eum librum pro Chronico Hauberti venditavit diu Lupianus, & ſparſit quædam exemplaria cogitationum, ſive fictionum ſuarum, quaſi ad literam exſcripta è Chronico ipſo apud ſe exſtante; in quo tamen nec verbum habebatur, nec nomen quidem Hauberti Hiſpalenſis, niſi recenti manu initio adjectum, loco Euſebii Cæſareenſis, cujus opus erat. Detecta itaque fraude Lupiani; iidem homines eruditi, qui antea vehementer illam ſuſpicabantur, oculis demum ipſis eam uſurpârunt, & Haubertum Hiſpalenſem cenſuerunt ſimilem chimæram illis aliis ab Higueriano genio profectis.

35 Verùm cùm juxta vetus dictum, experimentumque commune, nulla ſit fatuitas abſque patrono; inventus fuit in Hiſpania qui Pſeudo-Haubertum protegeret, ac multis & vægrandibus voluminibus tuendum atque illuſtrandum reciperet. nimirum Gregorius Argaïz, profeſſione Benedictinus. Quod ipſum, licèt videatur non nimis decorum dilectiſſimæ Religioni meæ, cui tot nominibus obſtrictus ſum; cenſui minimè diſſimulandum hoc loco: ne quis exiſtimet me ſiniſtro quopiam genio, aut præpoſtero affectu abductum, ſtrinxiſſe calamum adversùs Higueram, alterius inſtituti hominem. Ingenuus veritatis & utilitatis publicæ amor, qui compulit Bollandum, Henſchenium, Papebrochium, & tot alios Societatis claros ſcriptores, ſuprà num. 5. & 6. indicatos, ad traducendum nominatim illum, quamvis ſuum ſodalem; impulit etiam me ad ferendum palam judicium de ipſo; & pariter de Lupiano & Argaïzio: verùm mitiùs de hoc, quòd non mala fide, dolo, aut fraude, ſed ab eo ſeductus, per nimiam ſimplicitatem peccaverit. Vide infrà n. 52. & 53.

36. Hæc in toto iſto Opere, ſive Collectione Conciliorum Hiſpaniæ, & quibuslibet aliis lucubrationibus noſtris jam editis, aut etiam edendis, intellecta velim. Nemini enim arbitrio noſtro notam inurimus, nemini nominatim invidiam conflamus, niſi præcedentibus jam aliorum libris publicè ſparſis cum eadem criſi. Et hoc ipſum quidem, tunc ſolùm præſtamus, quum judicio gravium virorum, ac noſtro, intereſt Reipublicæ literariæ, ac tuendæ veritati hiſtoricæ, præſertim ſacræ ſive Eccleſiaſticæ, ac neceſſarium eſt,

ut fraudes, fictiones, & commenta ſimilia, cum ſuis artificibus, ſive architectis, innoteſcant, & de cætero cum riſu aut exſecratione repellantur.

EXCURSUS IV.

De Conciliis, quæ juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicuntur celebrata in Hiſpania apud Eliberim & Cherronem prope Valentiam, intra primum ſæculum Æræ Chriſtianæ, à primis Epiſcopis, præſertim S. JACOBI diſcipulis. Quid in ea parte ſentiendum ſit, etiam ab ipſis Eccleſiis, in quarum honorem ea antiquitatis monumenta, aliaque ſimilia, ex iis Chronicis circumferuntur.

37. QUALISCUMQUE verò ſit, ſi qua eſt, auctoritas Chronicorum eorundem, hoc loco ſolùm indicabimus Concilia ab ipſis memorata, eiſdem ipſorum verbis, & annis Æræ Chriſtianæ, ſive communis, qua utitur Pſeudo-Dexter; cùm tamen notiſſimum ſit, nec ipſius ſæculo, nec præcedentibus, numeratum fuiſſe juxta annos Chriſti, ſed ſolùm penes Conſules, aut Æram Diocletianam. Quod unum ſufficeret ad evincendam ſuppoſitionem, immo & malam fidem architecti illarum farraginum. Sed ut ut ſit, ſeriem annorum ab ipſo obſervatam ſequemur.

38. Anno Chriſti quinquageſimo ſeptimo inquit Chronicon Dextro adſcriptum: *Horum S. JACOBI diſcipulorum* (de quibus antea egerat) *nonnulli ſub Alloto, Neronis judice, DUM AD CONCILIUM ILLIBERRI CONVENIUNT, flammis exuſti, ſpoliati ſuis, ſuorumque bonis omnibus, generosè morientes pro Fide Chriſti, coronati ſunt.* Vide Notas Franciſci Bivarii in hæc verba, ſimiliter & in alia de reliquo alleganda, ne paſſim ipſum citare cogamur. Idemque dictum eſto circa Concilia indicata in Chronicis adſcriptis Maximo, & ab ipſo Bivario editis.

39. Anno Chriſti ſexageſimo: *Cùm convenissent in Cherronenſi urbe prope Valentiam in Hiſpania, CONCILII CAUSSA, ſancti Pontifices, diſcipuli quoque S. JACOBI, Baſilius Carthaginis Spartariæ diſcipulus ejus primus, Eugenius Valentinus, Pius Hiſpalenſis, Agathodorus Tarraconenſis, Elpidius Toletanus, Etherius Barcinonenſis, Capito Lucenſis, Ephrem Aſturicenſis, Neſtor Palentinus, Arcadius Juliobrigenſis; ſub eodem Neronis judice* (nimirum, Alloto antea nominato) *bonis ſpoliati, necati ſunt.*

40. Sed enim ne fidem præſtemus iis narrationibus Dextro adſcriptis (præter alia argumenta *ἀναντιῤῥήτω*) urget admodùm quòd in antiquiſſimo Martyrologio Eccleſiæ Lugdunenſis, ubi memorantur ad Idus Majas primi Epiſcopi ad Hiſpanias miſſi (inter quos præcipui fuiſſe creduntur diſcipuli S. Jacobi) longè alia nomina, quàm prædictorum, leguntur. En verba: *Natalis SS. Confeſſorum, Torquati, Thyſephontis* (aliàs *Cteſiphontis*) *Secundi, Indaletii, Cæcilii, Eſicii, Euphraſii, qui Romæ à SS. Apoſtolis ordinati Epiſcopi, & ad prædicandum verbum Dei in Hiſpanias, tunc Gentili adhuc errore implicatas, directi ſunt.* Ex poſt pauca ſubditur: *Torquatus Acci, Thyſephon Vergii, Euphraſius Eliturgi, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Eliberi, Eſicius Carſeca, quieverunt.*

41. In quibus non apparet nomen cujuſquam eorum S. Jacobi diſcipulorum, qui ſub Dextri auctoritate Concilium celebrâſſe in Hiſpania, aut martyrium ſubiiſſe leguntur. Quin & antiqua ac communis ferè multarum Hiſpaniæ Eccleſiarum traditio fert, hoc poſteriori loco nominatos, fuiſſe ſocios ac diſcipulos S. Jacobi, & eo Hieroſolymis per martyrium ſublato, ab Apoſtolis Petro & Paullo miſſos Româ in Hiſpaniam fuiſſe ad prædicandum. Quod poſtremum ſatis confirmant duæ Pontificiæ Epiſtolæ, altera Innocentii I. Papæ ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, altera Gregorii lib. 1. Regeſti ad Alphonſum VI. & Sanctium, Hiſpaniæ Reges: quarum prior exſtat in Collectione Labbeana Conciliorum Tomo II. col. 1245. poſterior Tomo X. col. 53. Immo & Breviarium ipſum Romanum, quo omnes utimur, in Lectionibus ſecundi Nocturni ad diem 25. Julii, id confirmat.

42. Præterea nec nomina illa diſcipulorum S. Jacobi ſub auctoritate Dextri memorata, conveniunt ſatis cum nominibus eorundem exſtantium in Hiſtoria Pelagii Epiſcopi Ovetenſis, ſcripta ſexcentis circiter retrò annis, apud Bibliothecam magnæ Eccleſiæ Toletanæ, unde exemplar fideliter eruendum curavi, quod penes me habeo. Etenim diſcipulos S. Jacobi numerat Calocerum, Baſilium, Pium, Chryſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum. Ex quibus ſoli Baſilius & Pius in illa narratione habentur apud Dextrum, aſſignatâ unicuique eorum omnium pro libito propriâ Eccleſiâ: idque ea veteratoris Pſeudo-Dextri ſecuritate de impetranda à nobis fide, ac ſi palam id in tabulis incorruptis ejuſdem primi ſæculi ſcriptum oſtendiſſet. Porrò vera eorundem diſcipulorum nomina, & Eccleſiarum quas rexerunt, potiùs accipienda duco ex vetuſtiſſimo illo Martyrologio Lugdunenſi, quàm ex Hiſtoria Pelagii; quod & vetus traditio Eccleſiarum ſcriptorumque Hiſpaniæ confirmat.

43. Notet maximè prudens & eruditus lector, nos nullatenus negare, tum primo Æræ Chriſtianæ ſæculo, tum ſequentibus, celebrata fuiſſe ab Epiſcopis Hiſpaniæ plura Concilia, quorum memoria non invenitur apud quemquam antiquum & indubitatum ſcriptorem, neque apud Collectionem ullam Conciliorum, ſeu veterem ſeu recentem. Veroſimile enim eſt, immo & valdè credibile, priſcos illos Epiſcopos Apoſtolicorum temporum, & ſucceſſores eorum, virtutibus heroïcis præditos, & velut primitias ſpiritûs habentes, in Hiſpania ſæpiùs coëuntes, ſimul contuliſſe plura ſpectantia ad Fidem, mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam, atque edictis ſuis decreviſſe quicquid opus videbatur in eum ſcopum. Ejuſmodi verò collationes & decreta, Conciliorum nomine appellari, nihil vetat.

44. Quin & ut reipſa plures ejuſmodi conventus, Concilia, aut Synodos iniiſſe cenſeantur, credere nos cogit Canon XXXVI. Apoſtolorum,

in

in quo dicitur: Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν· ἅπαξ μὲν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ. *Bis in anno fiat Epiſcoporum Synodus, & inter ſe examinent decreta Religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant: ſemel quidem quarta hebdomada Pentecoſtes; iterum autem Hyperberetæi* (aliàs Octobris) *duodecimo*. Immeritò autem pro frequentia Conciliorum citatur à Bivario S. Lucius Papa in *Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, quam exhibuimus Tomo I. pag. 195. & ſeqq. quoniam in illa nec verbum de Conciliis celebrandis apparet.

45. Quis autem neget ſanctiſſimos illos Epiſcopos eum Canonem, aut ſaltem illius doctrinam, adeò ſalutarem & neceſſariam populis ritè erudiendis, exactè obſervâſſe? Quomodo non credemus, ad debellandas tot hæreſes alio atque alio tempore, intra quodlibet ferè ſæculum excitatas, & præſertim primis tribus Eræ Chriſtianæ, ſimulque ad præcavendas & ſuperandas tot Ethnicorum perſecutiones, non ſæpiùs coiviſſe, ſimul deliberâſſe & decreviſſe plurima populis Hiſpanis utilia & ſalutaria; ac proinde multas Synodos coëgiſſe? Nec aliter florere potuiſſet in Hiſpaniis Religio Chriſtiana tam longè ac latè, editis tot Martyribus, non modò ſub Imperio Diocletiani, ubi innumerabiles fuerunt, vel in una Cæſarauguſta; ſed etiam tempore Neronis, qui apud Cluniam Coloniam (hodie *Coruña del Conde*) erexit columnam illam memoratam ab Aldo Manutio in *Orthographia*, Ambroſio Morales lib. 9. *Hiſtor.* cap. 17. & Baronio ad annum Chriſti LXIX. additâ literis uncialibus inſcriptione, quâ crudeliſſimus Chriſtiani nominis perſecutor gloriabatur, ſe morti tradidiſſe latrones & ſuperſtitioſos. Hoc enim epitheto dignabatur Chriſtianos illos, qui apud Cluniam ob profeſſionem Fidei ſplendidiſſimum martyrium ſubiere.

46. Ut propterea jure dixerit laudatus Baronius ad prædictum annum: *Conſidera ex his vehementiſſimam perſecutionem Neronis* (loquitur de illa apud Cluniam Hiſpaniæ) *ut creditum fuerit Chriſtianam Religionem ab eo penitùs extirpatam*. Ac præterea: *Potes ex his quoque Lector probè conjicere, FUISSE HISPANIARUM ECCLESIAM HIS TEMPORIBUS FLORENTISSIMAM, dum tanquam ingens quoddam ab impiis æſtimatum eſt collatum à Nerone beneficium, quòd Chriſtianis eam provinciam expurgâſſet*. Quomodo autem Hiſpana Eccleſia poſſet tunc eſſe florentiſſima, tum Neronis ævo, tum perſecutorum ſequentium, tum maximè Decii ac Diocletiani, editis Martyribus abſque numero; ſi in ea non floreret maximè Fides, puritas morum, & Eccleſiaſtica diſciplina; quibus ſervandis tam neceſſaria eſt ſanctitas, cura, & ſolicitudo Epiſcoporum, præſertim congregatorum in Conciliis; ubi ſacrarum legum cuſtodia firmiùs ac latiùs ſtabilitur, errata præterita corriguntur, futura præcaventur, & mores omnium reformantur?

47. Dicamus itaque, ſub Ethnicis Imperatoribus fuiſſe plurima Concilia, ſive Synodos, aut conventus Epiſcoporum in Hiſpania, ad Fidem tuendam, mores corrigendos, & diſciplinam Eccleſiaſticam ordinandam, non minùs quàm in aliis regionibus Occidentis & Orientis. At verò quænam in ſingulari fuerint ea Concilia, quo loco, quonam anno, & à quibus Epiſcopis celebrata fuerint; nemo, niſi divinando, affirmare poteſt. Non enim id colligi valet ex traditione aliqua (quæ certè non exſtat) neque ex ſcriptore aut monumento aliquo certo aut indubitato quindecim primorum ſæculorum Eræ Chriſtianæ; ſed duntaxat ex iis pſeudo-chronicis, quæ ſub finem decimi ſexti (id eſt avorum noſtrorum tempore) & poſtea diebus noſtris, à quibuſnam malè feriatis capitibus obtruſa fuerunt. Illorum commune peccatum inde ortum fuit, quòd plurima lectione inſtructi, præſertim rerum Hiſpanicarum, conjiciebant, aut ratione aliqua veroſimiliter ſuſpicabantur multa, quæ unoquoque tempore potuerunt evenire. Hinc proceſſerunt temerè ad ea affirmanda, quaſi revera tunc eveniſſent. Itaque exorbitârunt palam, indebito tranſitu à poſſibilitate ad factum, & à veroſimili ad verum.

48. Et certè clariſſimæ Eccleſiæ, ac toto Orbe celebres, Toletana, Hiſpalenſis, Tarraconenſis, Cæſarauguſtana, ac Bracarenſis, aliæque Hiſpaniæ ſimiles, & antiquiſſimæ, non egent commentitiis laudibus, aut calamis vænalibus, quibus adſcribantur iis fabuloſi honores, ex Conciliis reipſa non celebratis apud illas, aut ex Epiſcopis imaginariis, aut Sanctis qui in rerum natura non fuerunt, vel floruerunt alibi. Eſt enim adeò clara illarum memoria ab antiquis ſæculis uſque modò certis & exploratis ejuſmodi titulis, aliiſque pluribus, ut nihil ultrà deſiderare debeant, & jure indignari poſſint adversùs rhapſodos & fabuloſos ejuſmodi aſſentatores, qui ambitu quodam, aut cenodoxiæ genio, vel novitatum pruritu, aut quæſtuoſo animo & ſordido, iis adulantur, nullo earum decore, & communi veritatis hiſtoricæ rerum Hiſpanicarum, præſertim ſacrarum, jacturâ.

EXCURSUS V.

De variis Conciliis, quæ dicuntur ſecundo ac tertio ſæculo celebrata in diverſis Hiſpaniæ locis, juxta Chronica illa ſubleſtæ fidei, Dextro, Maximo, Juliano, & Hauberto adſcripta. Refutantur omnia, veluti ὑποβολιμαῖα aut ſubdititia.

49. QUAMVIS nollem ea reſumere, quæ in Apparatu Tomi I. præmiſi circa rem hanc; cogit me rerum ordo, ac ſeries temporum, ad nonnulla eorum repetenda. Porrò ex dictis ibidem, & nuper adjectis, ſatis colligitur, fuiſſe locum, rationem, & neceſſitatem, ut tribus primis Eræ Chriſtianæ ſæculis plura Concilia Epiſcoporum cogerentur in Hiſpania. Unde non dubito, generatim loquendo, multa ibidem cele-

brata fuiſſe à ſanctiſſimis Epiſcopis Hiſpaniæ, præſertim Toleti, Hiſpali, Tarracone, aut Bracaræ, tanquam in Eccleſiis præcipuis, florente tunc maximè pietate ac religione Hiſpanorum, ut præmiſimus num. 46. Quòd autem reipſa fuerint coacta hoc vel illo loco, aut anno, & à quibuſnam Epiſcopis, nemo unquam mortalium determinâſſe aut aſſeruiſſe invenitur, niſi avorum noſtrorum tempore auctor Chronicorum prædictorum. Is enim longè oculatior cæteris, inveniſſe dicitur innumera antiquitatis monumenta, à nemine eouſque cognita, & Concilia Hiſpaniæ plurima, quorum nec Dionyſius Exiguus, nec apud noſtrates Hiſpanos S. Martinus Bracarenſis, nec S. Iſidorus Hiſpalenſis, nec ulli alii Collectores Conciliorum, veteres aut recentes,. meminerunt. Hæc, nimirum, felicitas ſervata fuerat uni Higueræ: qui non peragratis regionibus variis, aut bibliothecis inſignibus per Europam diſperſis, nec evolutis archivis aut chartulariis Eccleſiarum & urbium (uti fecere eo ferè tempore ex Hiſpanis clariſſimi ſcriptores & hiſtorici, atque antiquarii, Antonius Auguſtinus, Garſias Loaïſa, Joannes Mariana, Hieronymus Zurita, Ambroſius Morales, Stephanus Garibay, Prudentius Sandoval, Antonius Jepius) ſed permanens Toleti aſſiduò, tot pretioſa monumenta ſe inveniſſe jactabat, eaque venditabat aliis, facili credulitate deluſis. Verùm quibuſdam ſubacti judicii, & exactæ criſeos, gemmæ illæ deprehenſæ fuerunt vitreæ, atque evanidæ, &, quod apud Græcos in proverbio eſt, *θη-σαυρὸς ἄνθρακες*.

50. Primo itaque loco intra ſecundum ſæculum occurrit Concilium Toletanum, de quo Dextri nomine dicitur, ad annum CV. num. 6. *Poſt aliquot annos ab adventu ſuo in Hiſpanias, Sanctus Eugenius M. Marulus rem primatûs Hiſpaniæ confert cum viris ſanctis, & primariis, Epitecto Cæſaraugustano, & Philotheo ſocio peregrinationis ſuæ, Legato etiam S. Clementis, Vitalique, & Avito, qui profectus pòſt ad inſulas Fortunatas Martyr fuit; Aulo Cornelio Palma, & P. Turano, Duum-Viris, Toletanis, Catholicis viris, multiſq; Carpetaniæ, & aliunde Epiſcopis coactis*. Quam narrationem omnibus retrò ſæculis inauditam, multis exornat, & comprobare nititur Bivarius eo loco, ſicuti & plura alia ſimilis farinæ; eruditione quidem multa, ſed malè impensâ in defenſionem cauſſæ prorsùs deploratæ apud omnes eos, quibus dexteritas eſt diſcernendi in antiquorum ſcriptis vera à ſubdititiis, & germana à nothis. Quin nec opus eſt multâ induſtriâ, aut exacta criſi, ad detegendam fabulam in iis verbis contentam, & adulatione plenam (quæ ſtatim in oculos incurrit) erga magnam Eccleſiam & nobiliſſimam urbem Toletanam, ubi eæ farragines excogitatæ fuerunt: quæ duę certè iis fucatis & fictis ornamentis non egent, & jure indignari poſſunt adversùs ejuſmodi mythologos veteratoreſque.

51. Secundò occurrit aliud Concilium Toletanum apud eundem Pſeudo-Dextrum ad annum CXII. hiſce verbis; *S. Marcus Marcellus Eugenius Toleti Concilium ex Epiſcopis Carpetanis, & aliis, habet de rebus Fidei ac morum*. In iis verbis, ſicut & in proximè præcedentibus, cæcum, aut ultrò exoculatum eſſe oportet, qui non videat affectationem verborum, tam in anticipato Toletanæ Eccleſiæ Primatu, ſolidioribus aliàs fundamentis innixo, quàm in multiplicandis nominibus Eugenii Præſulis, & aſſignanda Concilii materia *in rebus Fidei ac morum*; quæ locutio à paucis retrò ſæculis introducta fuit. Et certè ſanctiſſimi illi Eccleſiæ Epiſcopi primis ſæculis, ſpiritu humilitatis & veræ pietatis pleni, nihil cogitabant de honore Primatûs, ſed de onere ritè ſuſtinendo, & ſalute animarum procuranda. Quin longè poſtea, & inclinante quarto ſæculo, S. Gregorius Nazianzenus, cùm eſſet Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, non dubitavit dicere in conſpectu ejus magnæ atque Imperialis urbis: *ὡς ὄφελόν γε μηδὲ ἦν προεδρία, μηδέ τις τόπου προτίμησις, καὶ τυραννικὴ προνομία, ἵν' ἐξ ἀρετῆς ἐγνωριζόμεθα*. *Utinam autem ne ullus quidem Sedis principatus eſſet, nec ulla alia loci prælatio, nec tyrannica prærogativa, ut ex ſola virtute cognoſceremur*. Nec tamen inde impeditur rectus ordo Hierarchię Eccleſiaſticæ, inter ſuperiores & inferiores ſanctè conſtitutus. Sed aliud longè eſt affectatio ſacri honoris, & elatio ultra terminos ritè prǽſcriptos, quæ ſola digna eſt reprehenſione, & iis verbis carpitur à Nazianzeno. Vide quæ præmiſimus Tomo I. lib. 3. cap. 42. pag. 644.

52. Tertium Concilium memoratur, tanquam Hiſpali celebratum anno CLIX. juxta Chronicon Hauberto Hiſpalenſi adſcriptum; id eſt, homini nunquam in rerum natura viſo aut audito, donec Antonius Lupian, aliàs Zapata, ſatis mihi notus viſu & alloquio, circa medium hujus ſæculi novum id pſeudo-chronicon invexit; id eſt, chimæram recentem, ſeu parergon ultra alias ſub præcedentis ſæculi finem obtruſas. Inibi ergo ad prædictum annum dicitur: *Hiſpali Synodus contracta eſt XXXVI. Epiſcoporum, qui in agro congregati, in puteo profundo necati ſunt. Animæ eorum evolare uſque ad cælos viſæ ſunt à circumſtantibus. Corpora eorum à Chriſtianis* :::: *ſunt*, Sinamus vixiſſe inter mortales Haubertum Hiſpalenſem, & Chronicon aliquod ſcripſiſſe circa ſæculum nonum aut decimum, juxta Lupianum. Unde nam Haubertus poſt tot ſæcula ille habere potuit eam notitiam? ex quonam ſcriptore, aut traditione, nunquam eatenus memorata, aut poſtea audita, donec Lupiano placuit eam obtrudere? Sanè ſicuti Higuera Toletanæ Eccleſiæ & urbi inſigniter adulatus fuit ejuſmodi commentis; ita & Lupianus Hiſpalenſi. Uterque inter ſe partitur monumenta ſacra, Concilia, Epiſcopos, Sanctos, & Martyres, ut unicuique earum Eccleſiarum & urbium adſcribat, quaſi iis quiſquiliis aut figmentis egerent ad ſplendorem ſuum ſolidum ac ſecurum in eximio gradu retinendum.

53. Verùm ſicuti non defuêre pſeudo-chronicis Higueræ commentatores, qui in ejus gratiam veroſimilia pro veris, poſſibilia pro factis, & notha pro germanis haberi vellent, nimia potiùs, quàm mala fide: ita nec Lupiano hyperaſpiſtes inter noſtrates defuit, ut ſuprà num. 34. & 35. præmiſi, nempe Argaïzius. Illum diu ac multùm

ſcri-

ſcripturientem & libros edentem pro Hauberto (mediocri hiſtoriæ notitia, verùm majori ſimplicitate aut pervicacia) monuimus multi ne iis næniis vacaret, aut operam luderet. Reverendiſſimus Magiſter Joannes de la Riba, Catholicæ Majeſtatis Theologus & Concionator (qui antea fuerat Generalis Benedictinæ Congregationis Hiſpanicæ) vir ſanè doctus, juſtitiæ ac veritatis amantiſſimus, illum nonnunquam propterea increpavit, & mihi idipſum exſequendum injunxit. Sed nec ipſius monita, nec mea, nec Clariſſ. Viri & celeberrimi ſcriptoris D. Emmanuelis Gonzalez Tellez, qui in eadem ſententia jam tandem nobiſcum erat, nec aliorum plurium, quicquam profecerunt. Novaturienti enim genio præditus, & præoccupatus inſanabili illo cacoëthe ſcripturiendi mira ac rara, undecumque ea accepiſſet, nunquam ſibi temperavit in ea parte. Denique editis quatuordecim plus minùs voluminibus, avidiſſimè receptis, & auro contrà non caris apud minùs peritos, atque ingenti pretio venditis in America; tandem plenus triumphis, ut ſibi videbatur, reportatis ex Pellizerio, & aliis viris eruditis, à quibus refellebatur, in extrema ſenectute diem Matriti obiit, anno circiter MDCLXXXIII.

54. Quarto loco ſuccedit Bracarenſe, cum aliis multis & frequentibus Hiſpaniæ, apud pſeudo-chronicon Juliani Perez nomine vulgatum, nothum quidem, ſed germanum fratrem aliorum ſimilium ab uno Higuera editorum: in quo ad annum CCLII. num. 105. dicitur: *In cauſſa Novati habentur in Hiſpania crebra Concilia: ſcilicet, Bracaræ, Emeritæ, Tarracone, Hiſpali, Toleti, & alibi*. Voluit artifex earum farraginum demereri omnes Hiſpaniæ Eccleſias, & urbes, ac ſodalitates Regularium veterum; ideoque nulli earum non dedit aliquid eximium, veluti Concilia, ſanctos Præſules, martyres, &c. Sic etiam Argaïzius ſe geſſit poſtea in ſuo Hauberto illuſtrando: ut propterea Magiſter Gregorius Quintanilla, pariter Benedictinus, & in Salmanticenſi Univerſitate Primarius linguæ ſacræ Profeſſor, libro edito in Tabernaculum Fœderis, facetè illum incuſaverit, quòd ſe geſſiſſet in ſuis libris evulgandis, inſtar Mahometi in Alchorano diffundendo. Ut enim id plauſibile ubique redderet, cuilibet religioni veræ aut falſæ aliquid contulit nebulo ille. Fidem aliquam exhibuit, partim doctrinæ Evangelicæ, partim Moſaïcæ, partim Ethnicæ, partim Neſtorianæ; ut ex omni conditione hominum ſectatores haberet innumeros, & laudatores. Nemo enim facilè id reprehendit aut reſpuit, in quo aliquid honoris aut gratiæ ſibi concedi agnoſcit.

55. Sanè nihil in Hiſpania geſtum fuiſſe contra hæreſim Novatiani agnoſcitur toto tertio ſæculo, neque ullum ejus rei veſtigium habemus, cujuſquam veteris ſcriptoris teſtimonio aut traditione acceptum. Neque enim illud exſtat apud quenquam auctorem de ea hæreſi loquentem, qualis fuit imprimis S. Cyprianus paſſim in Epiſtolis, præſertim de Lapſis; intra ſæculum ipſum tertium. Sed nec ullus allegari poteſt ex ſæculo quarto: veluti Euſebius lib. ſexto, Epiphanius Hæreſi LIX. Ambroſius lib. primo *De Pœnitentia*, ac S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in tribus Epiſtolis adversùs Novatianos, & Parænesi ad Pœnitentiam; ubi certè allegâſſet contra illos Concilia Juliani nomine memorata, ſi in Hiſpania ſæculo antecedenti celebrata fuiſſent adversùs Novatianiſmum, quem ii Patres impugnabant. Verùm artifex illius pſeudo-chronici plurimis poſtea ſæculis intra Toletum conſiſtens, teleſcopio ſuo detexit ea, quæ prædicti Patres ſuo ævo, & poſteriores ſequentibus ignorârunt.

56. Quintum Concilium apud eundem Pſeudo-Julianum num. 111. circa eadem ferè tempora, appellatur Tarraconenſe, cum pluribus aliis circa baptiſmum ab hæreticis collatum. Verba exhibeo: *Habentur etiam frequenter Synodi Tarracone, Hiſpali, Carthagine, Bracaræ, Toleti, Emeritæ: an baptiſmus collatus ab hæreticis cum intentione faciendi quod Eccleſia prætendit, validus ſit. Concluſit validum, nec ſemel ab hæreticis baptizatum, baptizandum*. Si quemadmodum exſtant plura veterum teſtimonia de Conciliis circa eam quæſtionem habitis Romæ à S. Stephano Papa, in Africa à S. Cypriano, & in Aſia à S. Firmiliano, eſſet vel unum aliquod de Conciliis pariter celebratis in Hiſpania, aut traditio quæpiam antiqua; facilè cederemus. Verùm cùm nemo antiquorum inveniatur, qui eorum Hiſpaniæ Conciliorum meminerit, nec S. Pacianus, qui in Hiſpania *De baptiſmo* ſcripſit quarto ſæculo, nec S. Auguſtinus, qui tam fusè initio quinti egit ea de re adversùs Donatiſtas, nec demum aliquis uſque ad finem ſæculi præcedentis; videtur totum id pariter Higuerianis mercibus adſcribendum. Maneant itaque prædicta Concilia, ſicut & plurima alia iis pſeudo-chronicis indicata, intra limites poſſibilitatis: ex qua ſola procedere ad affirmandum factum, ſive exiſtentiam cujuſpiam rei, ſolius hominis eſſe poteſt, aut nimium creduli ſive temerarii, aut egregiè ad fingendum compoſiti.

EXCURSUS VI.

De Concilio quodam Toletano, quod juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicitur celebratum anno CCCXI. in defenſionem Eliberitani. Oſtenditur illud eſſe ſuppoſititium, & plura ibidem, atque in aliis pſeudo-chronicis narrari à veritate aliena, præſertim circa cultum SS. quæ animadverſione & correctione egeant. Indiculus chronologicus Conciliorum Hiſpaniæ, quæ primis quatuor ſæculis Eræ Chriſtianæ celebrata dicuntur in novis pſeudo-chronicis.

57. VIDIMUS ſuprà Differt. I. Concilium Eliberitanum fuiſſe ab Hiſpanis Epiſcopis celebratum anno Eræ Chriſtianæ CCCIII. aut circiter. Nunc videamus quænam alia intra idem ſæculum quartum celebrata dicantur in iis Chronicis ſubleſtæ fidei, quamvis non exſtent in Collectione S. Iſidori, nec in ulla alia veteri aut recenti.

58. Primò occurrit, juxta Chronicon Dextro

tro adſcriptum ex editione Franciſci Bivarii, ad annum CCCXI. pag. 370. num. 3. Concilium Toletanum ſub Natali Epiſcopo hiſce verbis: *Concilium Toleti contrahitur in defenſionem Eliberitani*. Præmiſſum verò fuerat immediatè ad annum CCCX. *Natalis Epiſcopus Toletanus ſucceſſit ſanctiſſimo Confeſſori Melantio, qui ut illa ferebant tempora, multa paſſus eſt pro Eccleſiæ Catholicæ contra hæreticos & Gentiles defenſione.*

59. Sed enim in iis verbis plura difficilia occurrunt & incredibilia. Imprimis tam in hoc Concilio, quàm in aliis quatuor priorum ſæculorum, Chronicon illud numerat annos à nativitate Chriſti Domini: quod unum ſatis eſſet ad convincendam ſuppoſitionem & fraudem, immo & ignorantiam craſſam architecti illius in Chronologia & Hiſtoria. Notum enim eſt iis omnibus, qui alterutram vel à limine ſalutârunt, ne Chriſtianos quidem, primis ſaltem quinque ſæculis, numerâſſe annos à Chriſto nato, donec Dionyſius Exiguus, ineunte ſæculo ſexto, circa annum DXXX. eam epocham introduxit. Immo & ea ipſa paucis locis aut nationibus multò poſtea recepta fuit: veluti à Beda in Anglia poſt initium ſæculi octavi, & in Gallia poſt medium noni, ac longè pòſt in Hiſpania. Itaque quinque primis ſæculis, tam à Chriſtianis, quàm à Gentilibus, numerabantur anni per Conſules, aut ab imperio Diocletiani, aut præterea nonnunquam ab Urbe condita. Hæc ſola cæcitas architecti illarum farraginum ſatis eſſet, ut quilibet homines mediocriter docti oculos aperuiſſent ad fictionem detegendam. Deinde accedendo propiùs ad rem noſtram, Catalogus à D. Loaïſa editus Toletanorum Præſulum, qui numerat inter illos Melantium, collocat poſt ipſum immediatè Pelagium: immo ab hoc numerare incipiunt S. Ildephonſus, & Catalogus Ms. S. Æmiliani. Poſt Pelagium ſequitur ſine ullo medio Patruinus, ſeu Patronus, qui poſtea anno Chriſti CD. vel CDV. celebravit Concilium I. Toletanum, ſuo loco à nobis exhibendum, cum aliis duodeviginti Epiſcopis. Quomodo ergo Natalis potuit ἀμέσως ſuccedere Melantio in Epiſcopatu Toletano?

60. Deinde juxta Catalogum Præſulum illius magnæ Eccleſiæ, editum à domino Loaïſa, poſt Melantium, Pelagium, & Patruinum, jam recenſitos, ſequuntur ordine ſuo Turibius, Quintius, Vincentius, ac Paulatus: omnes ii ſex numero poſt Melantium. Accedit ſeptimus Natalis, octavus Olympius, ac nonus Audentius, cujus mentio eſt apud Gennadium. Si ergo ſex Epiſcopi fuerunt ab anno circiter CCCVI. quo Melantius obiiſſe cenſeri poteſt (ut pote qui interveneratConcilio Eliberitano circa annũ CCCIII.) quis locus eſſe potuit, ut intra ſolos quinque annos uſque ad CCCXI. obirent ſex illi Epiſcopi interjecti ſucceſſivè in Eccleſia Toletana, & jam illam regeret Natalis, præſideretque Concilio Toletano in eundem annum CCCVI. relato juxta Chronicon Dextro adſcriptum? Hæc certè ἄτοπα aut ἀδύνατα apparent.

61. Præterea, qua veritate dici poteſt, id Concilium fuiſſe contractum in defenſionem Synodi Eliberitanæ? Hæc enim unanimiter celebrata ab Epiſcopis Hiſpaniæ ſub initium ejuſdem ſæculi quarti, nullum impugnatorem habuiſſe legitur tota illa ætate, nec pluribus poſtea ſæculis. Equidem ſub initium decimi Auxilius defenſor Formoſi Papæ impugnavit aliquos Canones Concilii Sardicenſis (cui Oſius, unus ex Patribus Eliberitanis, præfuit) veluti de Novatianiſmo ſuſpectos, quòd in iis ob quædam gravia crimina negaretur reis communio, etiam in fine vitæ, quam ipſius criminationem rejecimus ſuprà Diſſert. II. à num. 55. Non tamen Auxilius eo loco meminit Synodi Eliberitanæ, aut illam impugnavit, ſed Sardicenſem ſolam: quippe eam priorem nullus rejeciſſe invenitur, niſi pauci aliquot poſt medium ſæculi proximè præcedentis, ut ſuo loco vidimus. Itaque cauſſa apud Dextrum aſſignata ad id Concilium Toleti celebrandum anno CCCXI. facititia eſt.

62. Quinam, rogo, fuere impugnatores Eliberitanæ Synodi, tam paucis retrò annis coactæ à ſanctiſſimis illis Epiſcopis? inter quos S. Valerius Præſul Cæſarauguſtanus cum diacono ſuo S. Vincentio, & Oſius ille magnus, ſeſe præparabant ad glorioſum martyrium anno ſequenti ſuſtinendum?

63. Quiſnam Hiſpanorum eſſe potuit tunc tam imperitus, aut audax, aut ſciolus, ut impugnaret Synodum illam, in qua nihil apparet alienum à doctrina ſalutari, diſciplina veteri Eccleſiaſtica, & auſteritate vitæ feliciſſimorum illorum temporum? Aut quænam tot illorum Canonum ſeveriorum particula vel periodus eſt, qua negetur poteſtas Eccleſiæ ad remittendum quælibet peccata, etiam graviſſima & atrocia, poſt baptiſmum commiſſa? In hoc autem ſita fuit hæreſis Novatianorum, etiam poſtquam Novatiani anteambulonis ſui rigorem utcumque temperârunt; ut conſtat ex Cypriano Epiſt. XLIX. Euſebio lib. 6. *Hiſtoriæ*. cap. 36. Ambroſio lib. 1. *De Pœnitentia*. cap. 2. Auguſtino & Philaſtrio in libris *De Hæreſibus*, ac Socrate lib. 4. cap. 13. qui & ipſe ſectâ Novatianus fuit. Lege ſis inter alios ea de re diſſerentes, eruditiſſimum Petavium in Epiphanium Hæreſi LIX. quæ eſt Novatianorum, ubi validè tuetur PP. Eliberitanos ab omni Novatianiſmi nota, præter plura alia quæ ſuprà dedimus Diſſert. I. citatâ à num. 16. & Diſſert. II. à num. 56.

64. Ulteriùs, neminem eo tempore auſum quicquam dicere, aut moliri contra Synodum Eliberitanam, patet ex eo, quòd decem circiter annis poſtea (nimirum Chriſti CCCXIV.) congregatum fuerit in Gallia Concilium Arelatenſe I. interveniente ibidem Oſio (qui antea Eliberitanum celebraverat) cum aliis Hiſpanis, & Epiſcopis plurimis diverſarum nationum, quos nonnulli ſexcentos fuiſſe volunt, alii ducentos. In eo autem nihil omnino muſſitatum legitur contra Synodum Eliberitanam: quin potiùs plurima illius decreta conſonant omnino Eliberitanis. Nam cùm Eliberi vicies circiter in Canonibus totidem pro graviſſimis criminibus impoſita fuiſſet perpetua communionis privatio; poſtea in Arelatenſibus ſepties eadem pœna ſtatuitur: nimirum,

Can,

Can. IV. *De Agitatoribus*. V. *De Theatricis*. VI. *De iis qui in infirmitate credere volunt*. VII. *De his qui Magiſtratus Gentilium gerunt*. IX. *De literis Confeſſorum*. XI. *De Matrimoniis infidelium*. & XXIII. *De Apoſtatis*. ut mittam plures alios Canones Arelatenſes palam ex Eliberitanis deſumptos, uti citato loco indicavimus.

65. Quod autem Bivarius in Notis ad ea verba Dextri, omnes nervos ingenii & eruditionis exerens, contendit allegato Auguſtino lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 4. Oſium fuiſſe ab Hiſpanis Arelate accuſatum, & à Gallis abſolutum de nimio illo rigore, quo ſe geſſerat in condendis Canonibus Eliberitanis plus juſto ſeveris; voluntaria ipſius conjectura eſt, & nullatenus prodeſt ad tuendum verba Dextri nomine ſcripta circa perſecutionem motam adversùs Concilium Eliberitanum in Hiſpania, ob cujus defenſionem fuerit aliud Toleti congregatum anno CCCXI. Senſus enim S. Auguſtini eo loco eſt longè alius, ut ſatis oſtendimus Diſſert. II. Excurſu XIV. Nec Arelate fuit excitata controverſia circa auſteritatem Concilii Eliberitani, quæ potiùs unanimiter probata fuit, ſimilibus ſeptem Canonibus editis. Tota altercatio fuit circa cauſſam Cæciliani cum Donatiſtis, quos initio abſolvebant Hiſpani, & damnabat Oſius, cujus ſententiam tandem omnes Patres ejus Synodi, & Hiſpani ipſi (antea adverſi in ea parte Oſio, tanquam nimis ſevero contra Donatiſtas) tandem re meliùs cõſiderata, ſequuti ſunt: ut palam à nobis eo loco confirmatum eſt. Itaque ſemper apparet fictitium id Conciliũ Toletanum, quaſi congregatum anno CCCXI. in defenſionem Eliberitani; utpote quod à nemine intra aut extra Hiſpaniam impugnabatur.

66. Præterea eadem ferè ſeveritas Eliberitanorum Patrum in vindicandis criminibus gravioribus, negatâ in perpetuum communione, ſervata fuit poſtea intra idem ſæculum quartum anno CCCXLVII. in primis Canonibus Concilii Oecumenici Sardicenſis, à tota Eccleſia cum ſumma veneratione recepti; cui præfuit idem Oſius, & intervenêre plures alii Hiſpaniarum Epiſcopi, cum trecentis quinquaginta variarum nationum pariter ſubſcribentes. Ubinam ergo Pſeudo-Dexter fundamentum invenire potuit, ut aſſereret Synodum Eliberitanam circa annum CCCXI. (id eſt, octo circiter annis poſtquam celebrata fuerat) perſecutionem paſſam, ut propterea opus fuerit alia Synodo Toleti coacta ad illam tuendam?

67. Mitto plurima alia non minus decretoria adversùs id figmentum; & solùm addo, pariter nutare fidem verborum illorum, quibus Melantius Præſul Toletanus decoratur elogio *ſanctiſſimi Confeſſoris*. Licèt enim nullatenus dubitem, ſed potiùs piè credam, Melantium eo felici ſæculo fuiſſe virum pium, & bonum Præſulem, inſtar aliorum qui intervenerant Synodo Eliberitanæ cum ipſo; nullum tamen fundamentum invenio in SS. Iſidoro, Ildephonſo, aut aliis antiquis ſcriptoribus, vel in aliqua veteri traditione, ut Melantius habeatur aut computetur inter Sanctos, qualiter illum collocant idem Dexter ad annum CCLXXXVI. Julianus ad CCLXXXI. & CCLXXXVIII. Luitprandus in Fragmentis ad annos CCCII. & CCCV. invicem ſe munientes, ut aſſolent, ad quamlibet fabulam ſtabiliendam, & confundentes Melantium hunc cum S. Melanio Epiſcopo Rhotomagenſi, qui in Martyrologio Romano laudatur ad diem 22. Octobris. Plura de hac fictione præmiſi Tomo I. pag. 301. in Notis ad ſubſcriptionem Melantii apud Concilium Eliberitanum, & monui quàm temerè Tamayus illum Martyrologio Hiſpano inſeruerit Tomo V. ad eandem diem.

68. Nimirum, hæc & alia commenta ſimilia, quæ notavi ibidem pag. 303. 312. & 322. circa Patritium, Flavium, & Camerinum, quos pariter Tamayus intruſit Martyrologio Hiſpano (ſicut & alios plures ſine ullo ſolido fundamento, in toto illo vaſtiſſimo Opere) nullo in pretio eſſe debent, & doctiſſimorum hominum judicio merentur indignationem omnium eorum, qui verum decorem Hiſpaniæ, immo & Eccleſiæ, amant, inanem autem, ſeu pro libito fictum deteſtantur. Præſertim quoniam pernicioſum eſt & exſecrandum quòd quipiam malè feriati homines audeant obtrudere regno alicui, Eccleſiæ, urbi, aut populo, Sanctos aliquos nunquam Faſtis Divorum adſcriptos, nec antiquiſſima veneratione certis locis uſque adhuc cultos, aut non natos vel verſatos ibidem, ſed longè alibi. Atque hoc ipſum jamdiu exhorrui, tam in illis pſeudo-chronicis, quàm in eo Martyrologio, magna ſui parte iis farraginibus conſtante. Unde ortum fuiſſe vereor, ut in aliquibus Eccleſiis & populis celebrentur tanquam Sancti proprii, & ipſarum Epiſcopi, qui aut nec Sancti, nec Epiſcopi fuerunt; aut ſi Sancti & Epiſcopi, certè in aliis Eccleſiis & populis exterarum nationum orti ſunt, aut Sedes ſuas habuerunt. Sed parum proderit hæc animadverſio ac lamentatio mea, & aliorum impensè amantium verum Hiſpaniæ decorem, ſi domini Epiſcopi, quorum id maximè intereſt, non exquiſierint omni zelo veritatis, ac Religionis ſolidæ ſtudio, examinare novitates ejuſmodi, à centum circiter annis introductas in ipſorum diœceſibus, occaſione eorum pſeudo-chronicorum, & Martyrologii Hiſpani, præſertim circa cultum Sanctorum. Si autem invenerint ſolùm innixas ejuſmodi fundamento, planè aëreo, nec alteri ſolidiori & ſecuro; poterunt, ac debebunt ejuſmodi vanitates, immo & ſuperſtitiones, omnino abſcindere, cum magna ſui nominis laude, & Eccleſiarum fructu.

69. Certè in hanc Supremam Sacrorum Rituum Congregationem paſſim deferuntur è toto ferè Chriſtiano Orbe relationes & petitiones ad recitandum in variis Eccleſiis, urbibus, aut regionibus, officium divinum de pluribus Sanctis, quos ajunt ibidẽ natos, aut ſepultos, aut Epiſcopos fuiſſe olim; & circa alia ſimilia. Ea verò omnia accuratiſſimè examinantur: & niſi gravium ſcriptorum veterum teſtimonio, aut antiquiſſima & continuata traditione conſtent, palam rejiciuntur. Idipſum facturos ſpero Illuſtriſſimos Hiſpaniarum Epiſcopos, nec abducendos unquam indiſcreta illa pietate, quâ vulgares aut imperiti homines ubique ferè pro aris & focis tueri ſolent quic-

quid

quid novi profertur circa Sanctos aliquos, vel memorias ſacras è re ipſorum, quamvis nulli ſolido fundamento innitatur.

70. Mitto plura alia Concilia in eiſdem pſeudo-chronicis indicata, & variis Hiſpaniæ Eccleſiis, Epiſcopis, ac certis annis adſcripta, quæ pariter apud nullum antiquum ſcriptorem memorantur, neque in ulla Collectione habentur, & quorum nulla unquam traditio exſtitiſſe invenitur. Ex quibus capitibus, quamvis alia deeſſent, omnia illa reſpuenda ſunt; non veluti impoſſibilia, ſed tanquam ὑποβολιμαῖα, aut ſubditiția, quæ temerè, & ſine ullo fundamento ſolido, celebrata fuiſſe hoc vel illo loco aut anno dicuntur.

71. Talia ſunt apud Dextrum cum Commentariis Bivarii, Julianum Perez, & Haubertum, intra prima quatuor ſæcula Eræ Chriſtianæ (ut multa ex dictis reſumam, & alia breviter adnectam) ſequentia Coucilia, quæ ſolùm indicâſſe, perinde ac non admiſiſſe, aut dubitâſſe, vel refutâſſe ſit.

	Ann. Chriſti
Eliberitanum	LVII.
Chfaaonenſe	LX.
Toletanum	CV.
Toletanum	CXII.
Hiſpalenſe	CLIX.
Toletanum	CLX.
Hiſpalenſe	CCLII.
Hiſpalenſe	CCLIV.
Hiſpalenſe	CCLXX.
Toletanum	CCCXL.
Toletanum	CCCXXIV.
Hiſpalenſe	CCCLIV.
Emeritenſe	CCCLXVIII.
Luſitanum	CCCLXXXIV.
Cæſaraugustanum	CCCLXXXIV.
Toletanum	CCCLXXXVI.
Hiſpalenſe	CCCLXXXVI.
Hiſpalenſe	CCCLXXXVIII.
Toletanum	CCCLXXXVIII.
Tarraconenſe	CCCLXXXVIII.

72. Prædicta omnia Concilia, veluti apocrypha ut minimum, ſive auctoritate deſtituta cenſemus, propter argumenta præjacta, & plura alia, quæ brevitatis cauſsâ prætermittimus. Et quemadmodum unus idemque fuit architectus Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez; ita etiam in omnibus iis unus idemque continuatus fuit craſſiſſimus error numerandi tempora Conciliorum quatuor primis ſæculis per annos Chriſti: ut ſuprà num. 59. monuimus. Si quodquam verò unius aut alterius ex Conciliis aliis, licèt prætermiſſum in omnibus Collectionibus, apparuerit gravi & antiquo fundamento ſatis fulcitum; illi debitum locum & auctoritatem tribuemus, nihil divinantes de anno, aut loco, vel Epiſcopis congregatis, niſi ubi valdè probabilis conjectatio id permiſerit.

EXCURSUS VII.

Defenſores eorundem pſeudo-chronicorum admonentur & dedocentur teſtimoniis virorum graviſſimorum intra & extra Hiſpaniam, præſertim è Societate JESU, qui detexerunt eorum fabuloſam inventionem, commenta, fictiones, parachroniſmos, & abſurditates: ut proinde iis nulla fides adhibenda ſit, neque circa Concilia Hiſpaniæ, neque circa innumera alia paradoxa, niſi aliunde certo aliquo teſtimonio antiquorum, aut veteri & recepta traditione confirmentur.

73. QUAMVIS plura de hoc præmiſerimus tota Diſſertatione, præſertim Excurſu I. & II. oportet ut nonnulla alia ſuperaddamus, ad evellendam radicitus (ſi fieri poſſit) inanem credulitatem multorum, qui iis novis Chronicis, quaſi totidem oraculis fidem præſtant. Video enim apud noſtrates experimento comprobatum illud eruditiſſimi Marianæ libro *De adventu D. Jacobi* cap. 1. *Neſcio quo pacto fictis ſæpè fabulis, & præpoſteris mendaciorum nugis, populus magis, quàm veritate & ſinceritate capitur.* Itaque, præter ibidem dicta, ceu ut plurimis hominibus, magis credulis quàm eruditis, adhuc magnos clamores edentibus in defenſionem Pſeudo-Dextri Higueriani, tanquam è Fuldenſi Bibliotheca delati in Hiſpaniam, mutis eſſe liceat; placet hoc loco exſcribere nonnulla ex teſtimoniis gravium ac doctiſſimorum virorum, immo & celebriorum ſcriptorum Societatis, præter illa, quæ ſuprà indicavi aut protuli. Ex iis palam conſtabit, quali & quàm probroſa fictione invectum fuerit ab Higuera Dextri nomine illud pſeudo-chronicon, in quo tot iuaudita Concilia, & tam innumeræ fabulæ obtruduntur. Servabo autem plus minùs ordinem temporis quo floruerunt, & indicabo ſolùm ipſorum verba, latiùs exſcripta ab Excellentiſſimo Marchione Mondexarenſi in ſuis Diſſertationibus Eccleſiaſticis III. & IV. quarum hoc loco, brevitatis cauſsâ, ſolas paginas deſignabo.

74. Vix Higuera ann. MDXCIV. muſſitare cœpit, & vulgare quædam paradoxa, & folia novitatum plena, veluti deſumpta ex Dextro Fuldenſi; cùm V. Cl. Joannes Baptiſta Perez, tunc Canonicus & Bibliothecarius Toletanus, ac poſtea Epiſcopus Segobricenſis, emunctiori quo pollebat naſo, odoratus fuit ſuppoſitionem & fictionem earum farraginum, eaſque ſibilo excepit. Idipſum contigit duobus Societatis celebribus viris, atque inſignibus ſcriptoribus, Joauni Marianæ, ac Petro de Ribadeneyra, qui Toleti tunc cum eodem Higuera intra idem Collegium habitabant. Rem totam enarrat & confirmat Thomas de Leone, pariter Jeſuita, in doctiſſima Epiſtola ad laudatum Marchionem, ſcripta anno MDCLXVIII. Ideoque nec prior in toto eximio Opere *De rebus Hiſpaniæ*, aut in libro *De prædicatione S. Jacobi in Hiſpania*; nec poſterior in *Vita ejuſdem Apoſtoli*, uti voluit teſtimonio aliquo ex pluribus, quę tunc

circa

circa id nomine Dextri circumferebantur. Quin & Excellentiſſimus Dux de Alcalà teſtatus fuit, ſe ab ore ipſius Marianæ audiviſſe, *ejuſmodi libros fuiſſe confictos, ſuppoſititios, & nullius fidei*. Pag. 239. & 240.

75. Prudentius de Sandoval, Benedictinus, Epiſcopus Pampilonenſis, tot hiſtoriæ voluminibus ubique notus, & valdè verſatus in evolvendis ac diſcernendis Mss. veteribus, agens *De rebus Silonis Hiſpaniæ Regis*, pag. 107. & de quadam Epiſtola (nunquam eatenus viſa, neque unquam detecto ejus originali) quam vulgaverat P. Higuera circa S. Thyrſum Martyrem, quaſi Toleti inventam; refert controverſias & diſcordias variorum excitatas circa auctoritatem aut ſuppoſitionem ejus Epiſtolæ, & concludit: *Entendian los mas, que havia ſido ficcion de un Padre de la Compañia, harto curioſo en antiguedades, y amigo mio.* id eſt: *Plerique cenſuerunt, illam fictam fuiſſe à quodam Patre Societatis, ſtudioſo antiquitatum, & amico meo.* Immo quia illum amici nomine dignabatur, pepercit tunc ejus nomini. Verùm illud aliis locis detexit: veluti in libro *Antiquitatum Tudenſium*, pag. 11. & præterea in Notis ad ſcripta quinque Epiſcoporum fol. 190. ubi impugnans D. Maurum Caſtela Ferrer ob quandam opinionem fundamento carentem, ait de illo: *Valeſe de un autor llamado Dextro, cuya fee ayuda poco en materia tan grave, ni de las obras de el ſabemos mas de lo que ha querido decir Higuera.* Nimirum: *Allegat quendam auctorem, qui Dexter nominatur. Verùm hujus fides parum juvat in re adeò gravi: nec de ejus ſcriptis aliud ſcimus, QUAM QUOD VOLUIT DICERE HIGUERA.* Qua phraſi Hiſpanica ſatis expreſſit Sandovalius, nullam fidem iis ſcriptis adhibendam.

76. Petrus Salazar de Mendoza, canonicus Toletanus, & accuratiſſimus veſtigator monumentorum veterum ejus graviſſimæ Eccleſiæ atque urbis, ſub idem tempus elaborabat ſcripta ſua ea de re, quorum partem prælo commiſit. Quamvis verò ſciret ac videret vulgari quotidie ea folia ficta, & ubique ferè recipi cum plauſu & admiratione plurium; nulli eorum rationem habuit, veluti ſubleſtæ fidei, & fictionis manifeſtæ. Pag. 250.

77. Cornelius à Lapide in *Chrono-taxi ad Acta Apoſtolorum*, non ſolùm cenſet nullius fidei Chronicon Dextri nomine vulgatum, ſed etiam teſtatur librum illum Fuldæ nullatenus inveniri. *Nonnulli tamen eruditi* (inquit) *quibus acris eſt criſis, ſpurium cenſent, vel certè aliorum laciniis aſſutum & vitiatum: tum quia ſtylus ſub rudior Dextri ſtylum non æquat: tum quia paradoxis & parachroniſmis inſperſum videtur: tum quia ubi, & quando, & à quo poſt tot ſæcula repertum ſit, ignoratur. SANE ILLUD FULDÆ STUDIOSE PERQUISIVI, ET NON INVENI.*

78. Lambertus Stravius, Rector Societatis in Collegio Fuldenſi, ſæpiùs requiſitus an liber Dextri evulgatus ab Higuera eſſet in Bibliotheca Monaſterii Fuldenſis, prout ille aſſerebat; reſpondit literis exſtantibus apud P. Incofer ſcriptorem Societatis ejuſdem cap. 44. *De ſcriptis Flavii Dextri ſæpiùs à me quæritur per literas. Idem reſpondere omnibus cogor, in hac bibliotheca non ſupereſſe auctorem, ſed neque conſtare fueritne aliquando: multò minùs an Toletum in Hiſpania miſſus ſit.* Addit Stravius, ſe conſuluiſſe ea de re Chriſtophorum Broverum, ſcriptorem *Antiquitatum Fuldenſium*, quas edidit Antuerpiæ anno MDCXII. & pariter hunc reſpondiſſe, de tali libro nullam ſibi unquam fuiſſe notitiam. Quin & cùm ipſe Broverus teſtetur, à tempore Caroli Magni (qui fingitur dono dediſſe Chronicon illud Monaſterio Fuldenſi) totum id vaſtiſſimum ædificium ter conflagrâſſe, & monumenta quæque, ac libros, & ipſa diplomata Pontificum atque Imperatorum flammis abſumpta fuiſſe; debuit conſequenter negare, librum ejuſmodi Fuldæ conſervatum fuiſſe, adhuc ſuppoſita donatione Caroli Magni. Vide Mondexarenſem pag. 266. & ſeqq.

79. P. Paullus de Raxas, quem D. Thomas Tamayo citat inter defenſores Dextri, potiùs illum rejicit. Conſultus enim ea de re à P. Thoma de Leone ſuprà laudato, ipſi dixit, *ſibi ſemper librum illum videri intruſum & ſubdititium: præſertim poſtquam fuit apud Belgium cum Marchione de Aytona Gubernatore illorum Statuum. Facta enim exquiſita diligentia, inventum fuit, fabuloſam extitiſſe miſſionem ejus libri è bibliotheca Fuldenſi.* Ita Thomas ipſe teſtatur in ea Epiſtola anni MDCLXVIII. Mondexar. pag. 262.

80. Sed & cùm Higuera preſſus variorum objectionibus, quibus detegebatur commentum inventionis Dextri apud Fuldam, dixiſſet ſibi miſſum fuiſſe à P. Thoma Torralva ex Wormacia Germaniæ urbe exemplar quoddam ejuſdem Dextri; inquiſivit P. Melchior Incofer à P. Joanne Geleno Wormacienſis Collegii Rectore, an ita eſſet. Is verò reſpondit: *Sperabam nos certò aliquid de Chronicis manuſcriptis Flavii Lucii Dextri, & Marci Maximi, quæ à P. Thoma Torralva Wormaciâ miſſa dicuntur, & illius rogatu ad P. Hieronymum de la Higuera tranſmiſſa, cogituros. Quæſivimus ubi potuimus: ſed nihil invenimus, neque P. Thomæ, neque Chronici memoriam. Fuit hic prædicans Wormacienſis filius, antiquitatis ſtudioſiſſimus, qui nunc aliò migravit. Tamen egimus, ut ex eo aliquid intelligeremus. SED NEGAT SE UNQUAN QUICQUAM AUDIVISSE.* Mondexar. pag. 265. Itaque tam procul à veritate fuit dicere, exemplar cujuſpiam Chronici fuiſſe à Patre Torralva miſſum, quàm è Fuldenſi bibliotheca erutum.

81. P. Matthæus Raderus S. J. in *Præfatione ad Analecta* ſua in Martialem, loquens de Chronico eodem Dextri nomine inſcripto, liberrimè ait: *Hoc Chronicon nihil aliud eſt, quàm farrago fabularum, partim recenter excogitatarum, partim famæ aliquot ſæculis continuatæ mendacio comprobatarum.*

82. Aubertus Miræus in *Scholiis* ad librum S. Hieronymi *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, pariter inquit: *Eruditis hæc Fragmenta videntur ſimilis farinæ cum Beroſo Anii Viterbienſis.* qui porrò quot fabulis plenus ſit, omnes nôrunt.

83. Philippus Labbè S. J. in Diſſertat. ampliſſima & eruditiſſima *De ſcriptoribus Eccleſiaſt.*

Tomo II. pag. 36. generatim de omnibus Chronicis, Fragmentis, & Adverſariis, editis, aut conſarcinatis ab Higuera nomine diverſorum, ait: *Verùm, ut dicam quod res eſt, quodque* OMNES PER EUROPAM ERUDITIONE AC JUDICIO EXIMII CENSENT: *omnia illa Luitprandorum, Dextrorum, Maximorum, Helecarū, Julianorumq́, Hiſpano-Gotthica Chronica, cum quiſquiliis Joannis Viterbienſis, & fabulis anilibus, aut Amadiſiorum nugis, ſunt in Utopiam Morboniamq́ inſulam releganda.* Ac præterea miratur homines notæ eruditionis, Franciſcum Bivarium, Thomam Tamayum, ac Laurentium Ramirez de Prado, in animum induxiſſe, ut ea pſeudo-chronica tuerentur; ac ſubdit: *Quæ obiter dicta velim: ne imperitæ multitudini fucum facere pergant homines, aut opiparè creduli, aut certè (quod avertat Deus) plus mendacis cujuſdam gloriolæ, quàm ingenuæ veritatis amantes.*

84. Quod ipſum ferè antea cenſuerat de eiſdem Bivario ac Ramirez David Blondellus in *Genealogia Francica.* Tomo II. pag. 438. loquens de Luitprando pariter Higueriano: *Quid ad nos, ſi Adverſaria Luitprandi (mali corvi Bivarii malum ovum, cui fovendo bonas horas malè collocavit Laurentius Ramirez de Prado) exoſculére?* Quin & pagina præcedenti 437. pariter invectus fuerat contra politiſſimum D. Didacum Saavedram, quòd *Coronam* ſuam *Gothicam* fœdâſſet multis ejuſmodi quiſquiliis. *Didaci Saavedræ* (inquit) *non ſtipulis, quibus (seu radiis ſtramineis) diſcriminaretur, ſed putri limo, exhalantibuſq́ mephitim Franciſci Bivarii, Hieronymi Higueræ, & conſimilium fabulatorum foliis Coronam ſuam deturpare auſi, judicium probare nequaquam poſſumus.* Sed enim cùm notum ſit, Blondellum erga res & ſcripta quæque ac decora Hiſpanorum iniquiori animo, & ſtylo liberiori fuiſſe; parum moveret illius judicium, nì præterea tot aliorum teſtimoniis omni exceptione liberis, & argumentis invictis confirmaretur.

85. Præter tam multos ſcriptores hactenus laudatos tota Diſſertatione, allegat Marchio Mondexarenſis ubi ſuprà, præſertim pag. 274. (& fideliter quidem, quantum mihi examinare licuit, neque aliter de tanto viro & eximio Principe cogitari poterat) plurimos alios, pariter rejicientes illa *Chronica, Adverſaria*, & *Fragmenta*, veluti ſubdititia, notha, ac ficta. Nimirum Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem, D. Iſidorum Aliagam Inquiſitorem Generalem Hiſpaniæ & Archiepiſcopum Valentinum, Joannem Briz Martinez Abbatem Pinnatenſem, Martinum Carrillo Abbatem Montis-Aragonii, Joannem de la Poente, Alphonſum Maldonado, Martinum de Anaya Maldonado, Franciſcum de Rioxa Ahumada, Joannem de Arruego, Lupum de la Caſa, Gabrielem Pennotum, Ludovicum Nonium, Lucam Holſtenium, Leonem Allatium, Jacobum Uſſerium, Rocchum Pyrrhum, Ferdinandum Ughellium, Joannem Suërium Boxhornium, Arnaldum Ochenart, Franciſcum Mariam Florentinium, Gaſparem Eſtazum, Antonium Brandaon; & ex Societate JESU Ferdinandum Quirinum de Salazar, nominatum ad Archiepiſcopatum Charqoenſem in Peruvia, Heribertum Roſvveïdum, Dionyſium Petavium, Theophilum Raynaudum, Joſephum Tirinum, ac Joannem Baptiſtam Pozam.

86. Quibus ſi adjungas plures alios Epiſcopos, hiſtoricos, & ſcriptores celebres, tam ab ipſo Excellentiſſimo Marchione, quàm à nobis decurſu totius Diſſertationis in eundem ſcopum laudatos; invenies profectò, commune judicium eruditorum cujuslibet nationis, ordinis, & gradûs, quotquot ea *Chronica, Adverſaria*, & *Fragmenta* examinârunt, in eo convenire, ut à centum circiter annis excogitata fuerint Toleti, partim ex veroſimilibus conjecturis eorum, quæ olim contingere potuerunt; partim ex fabuloſis narrationibus, aut aëreis traditionibus; partim ex libidine fingendi plura in decus nationis, patriæ, aut hujus vel illius Eccleſiæ, cui architectus earum farraginum adulatur; partim ex cenodoxia, ſive pruritu captandæ alicujus gloriolæ apud præſentes & poſteros. Quod ipſum de inventoribus fabuloſorum Hauberti Hiſpalenſis, Liberati, &c. dictum accipe.

87. Unde Antonius Macedo in *Luſitania purpurata*, pag. 11. dixit: *Viri docti, Itali, Germani, Galli, Hiſpani, Luſitani, Belgæ, Flavii Dextri Chronicon integræ fidei eſſe negant: utpote quod ab aliis auctoribus Dextri nomine obtento conſcriptum ſit: qui, ut dictis fidem conciliarent, illud ſibi affinxerunt: ac proinde parvi momenti eſt quodcumque iſtud ſit deſumptum à Dextro teſtimonium.*

88. Nec locus excipiendi adversùs laudatos ſcriptores, quaſi nonnulli eorum æmulatione aliqua, aut præpoſtero affectu, vel circa decus Hiſpaniæ, vel erga Hieronymum Roman de la Higuera, ſtylum contra nova Chronica exacuerint & ſtrinxerint. Nam, præter plura alia, iis exceptionibus præcludendis ſatis ſuperque eſt, quòd non modò omnes ferè exteri eruditiores, ſed & præſtantiſſimi quique inter Hiſpanos, & nationis ſuæ amantiſſimi, illa rejecerint ab initio uſque modò, potiùs rationem veritatis habentes, quàm amoris patrii: præſertim cùm Hiſpania tot titulis certis & exploratis longè ac latè ſplendidiſſima, non egeat ejuſmodi quiſquiliis, & fabuloſis laudibus. Similiter nec tot ſcriptores inſignes Societatis olim & nunc ea commenta ſibilo excipere, aut nominatim Higueram traducere cenſendi ſunt, iniquo erga illum affectu, ſed potiùs obſtricti veritatis amore, qui in quolibet homine ingenuo ac gravi præponderare debet cuilibet utilitati privatæ, aut famæ unius vel alterius ſcriptoris. Denique, ut latè oſtendit Marchio Mondexarenſis locis allegatis, commenta iis libris prolata ſunt adeò probroſa, ut vel ipſis eorum defenſoribus, præſertim Roderico Caro, & Thomæ Tamayo, tandem ut minimum interpolata & ſuſpecta apparuerint, ob ineluctabilia argumenta quæ poſtea occurrerunt.

89. Credo equidem, Higueram facilè abductum fuiſſe nimio affectu rerum Hiſpaniæ, aut Toleti, aut nominis ſibi faciendi ex tot paradoxis inventis, ut obtruderet pſeudo-chronica illa. For-

taſſis

taſſis etiam non duxit religioni fingere nonnulla, modò in nationis aut patriæ decorem cederent; quod aliqui erronea licere putârunt: ut patet ex Bodino in *Methodo Hiſtor.* cap. 4. & Cicarello in libello ſupplice edito à Leone Allatio. Sed adjiciamus cauſſam aliam veroſimiliorem Higueriani auſus. Cùm eodem tempore, quo ille iis næniis diſtinebatur Toleti,introducta fuiſſet opinio (multò poſtea damnata) de licito uſu reſtrictionum mentalium; quid mirum ſi fortè vulgaret tanquam vera & exiſtentia plurima, quæ intus reputabat ſolùm poſſibilia aut veroſimilia? Nimirum, juxta illam exſecratam opinionem,jam tum invaleſcentem, potuit facilè occurrere Higueræ reſtrictio aliqua mentalis, quâ verum cum falſo componeret, & veroſimilia pro certis, ac poſſibilia pro præteritis venditaret.

90. Idipſum fortaſſe contigit Antonio Lupian, aliàs Zapata, ut novam chimæram Hauberti Hiſpalenſis obtruderet, veluti ſupplementa quædam Higuerianarum cogitationum, circa medium hujus ſæculi, quando opinio illa reſtrictionum mentalium tam altas radices miſerat. Quid ſi etiam eidem doctrinæ innixus Joannes Tamayo de Salazar, tot farraginibus impleverit ſex illa vægrandia volumina ſui Martyrologii Hiſpani? Nempe utriuſque tempore plauſibilis & valdè probabilis habebatur opinio illa docens, poſſe homines licitè dicere ac ſcribere plura falſa in ſenſu naturali & obvio, dummodo in alio ſenſu mentali & reſtricto vera ſint:quâ diſtinctione adhibita nullum mendacium tam apertum dici poterat, ut ſub conditione aliqua, vel ſenſu intus concepto, non poſſet verificari & impunè proferri.

91. Undecumque verò inſederit animis ipſorum tam abſurda cogitatio, & infelix conatus, id certum eſt, & invictis argumentis comprobatum ab inſignibus viris omnium nationū ſuperiùs laudatis, contineri in iis pſeudo-chronicis,non ſolùm innumera paradoxa, ſed ſubdititia, intruſa, falſa, conficta, & ut Græci loquuntur, ἄτοπα, ὑποβολιμαῖα, & ἀπίστα; ac proinde nullam fidem mereri quicquam in iis contentum, quatenus ibidem habetur. Nam ſi in ſcriptis probatis & exploratis veterum, vel in traditionibus antiquis & venerandis, ſufficiens aliunde fundamentum habeat narratio aliqua, non propterea rejicienda erit, quòd etiam in iis pſeudo-chronicis legatur.

92. Et hæc pauca è plurimis quæ ad manum erant, ſufficiant ad ea Chronica ac commenta rejicienda:in quibus tot Concilia quatuor primis ſæculis (idemque eſt de aliis tribus ſequentibus) celebrata finguntur in Hiſpania: tot ipſi Martyres, Epiſcopi, Confeſſores, Virgines, & Scriptores tribuuntur,qui vel nunquā antea iis claſſibus adſcripti fuerunt, aut alibi terrarum nati ſunt, & nunquam Hiſpanas oras ingreſſi. Quo quid pernicioſius eſſe poſſit Hiſtoriæ Hiſpanicæ,cultui Eccleſiaſtico, & veritati rerum geſtarum, immo & decori nobiliſſimæ nationis,tot veris titulis cōſpicuæ,ego non invenio.Utinam ii,quorum intereſt,præſertim DD. Epiſcopi, & Regii Conſiliarii Senatuum Juſtitiæ ac Fidei, tam probroſas fictiones cum ipſis pſeudo-chronicis exterminent, & ſimilibus fabulatoribus frænum imponant, ut ſæpè aliàs monui.

EXCURSUS VIII.

An tempore S. Damaſi habitum fuerit in Hiſpania Concilium aliquod adverſus Arianos: & quale illud fuerit. Ubi plura obſervatu digna ad Hiſtoriam & Chronologiam Eccleſiaſticam ſpectantia.

93. VIDIMUS Differt. II. Excurſu I. Cordubæ celebratū fuiſſe Concilium anno circiter CCCL. (vel ut alii volunt CCCLX.) à magno illo Oſio, & aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, adverſus Urſacium, Valentem, alioſque Præſules Arianos, quos antea idem Oſius anno CCCXLVII. cum aliis Patribus abdicaverat in Oecumenico Concilio Sardicenſi, ſub Pontificatu Julii I. Nec dubito circa idem tempus, & Liberii Papæ, qui ipſi in Sede Apoſtolica ſucceſſit,coactas fuiſſe plures alias Synodos iis aſperrimis temporibus in Hiſpania, ubi Epiſcopi tam conſtanter tuebantur Catholicam adverſus Arium doctrinam, ut ſuis locis diximus.

94. Verùm dolendum eſt, quòd ea monumenta prorſus perierint, ſicuti & plura alia Hiſpaniæ: ut proinde vix de iis, niſi ſummùm generatim loqui poſſimus. Ut proinde temerè ſe gerant, quicumque ex aërea pſeudo-chronicorum narratione obtrudunt Concilia antiquis ignota, iiſque adſcribunt certum locum, annum, ac numerum & nomina Epiſcoporum intervenientium: de quo ſatis in ſuperioribus dictum eſt.

95. Porrò durante perſecutione Athanaſii celebrata fuiſſe in Hiſpania aliquot Concilia contra Arianos, dubitari nequit. Nam præter illud Cordubenſe paullò antea memoratum, exſtat illuſtris Athanaſii locus Tomo I. in Epiſt. *Ad Epictetum Epiſcopum Corinthi*, ubi ait: Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ νῦν γινομένων Συνόδων, ἐν τε τῇ Γαλλίᾳ, καὶ Σπανίᾳ, καὶ τῇ μεγάλῃ Ῥώμῃ, πάντες οἱ συνελθόντες, τοὺς μὲν ἔτι κρυπτομένους καὶ φρονοῦντας τὰ Ἀρείου, Αὐξέντιον δὲ λέγω τὸν ἐν Μεδιολάνῳ, καὶ Οὐρσάκιον, καὶ Οὐάλεντα, καὶ Γάϊον ἀπὸ τῆς Παννονίας παμψηφεὶ, ὡς ἐφ' ἑνὸς πνεύματος κινούμενοι, ἀνεθεμάτισαν. *Diverſis Conciliis per Galliam, Hiſpanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo conventu fuere, iſtos lucifugas, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arii ſunt ſapiunt, Auxentium dico Mediolanenſem, Urſacium, Valentem, & Gaium Pannonem, communi calculo, unius ſpiritûs incitatu, anathemate percuſſerunt.* Videntur ea contigiſſe longè poſt mortem Oſii, cujus nulla eſt mentio apud Athanaſium in ea Epiſtola; & ſub Pontificatu S. Damaſi natione Hiſpani, inchoato anno CCCLXVII. cujus tempore Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis Arianus, adhuc ſub Valentiniano Imperatore Catholiciſſimo, clam effundebat virus ſuum cum Urſacio & Valente contra Religionem Catholicam. Unde Damaſus plures Synodos contra illum coëgit Romæ,ejuſque imitatione Gallia & Hiſpania nonnullas alias, ann. plus minus CCCLXIX. poſt quas eam Epiſtolam ſcripſit Athanaſius.

96. Ut autem id intelligatur pleniùs, obſer-

vandum eſt, Auxentium Epiſcopum Mediolanenſem, profeſſione Arianum, & Catholicis infenſiſſimum, proptereaque impugnatum à ſanctiſſimis viris Athanaſio, Hilario, Philaſtrio, & Euſebio Vercellenſi, ſtuduiſſe dolis & fucata confeſſione videri Catholicum apud Valentinianum Imperatorem. Eo autem ſeducto, Hilarius Mediolano diſcedere juſſus veluti calumniator, ſcripſit Epiſtolam ad omnes Epiſcopos & fideles, ut Auxentium vitarent: quam Hieronymus lib. *De Scriptoribus*, appellat *Libellum contra Auxentium*. Et certè eo antidoto opus fuit: quoniam Auxentius noviter in ſuperbiam elatus, quòd Imperator, & Mediolanenſes ſibi, veluti Catholico, inhærerent; plures ſeducere perrexit, atque in iis Epiſcopos multos Illyrici. Ne autem id virus latiùs ſerperet, Hilarius eam Epiſtolam encyclicam ſcripſit, quâ veteratoris fraudes detegerentur: videturque poſtrema ex lucubrationibus S. Doctoris, ſcripta anno CCCLXVIII. niſi fortè doctiſſimi PP. Congregationis Benedictinæ S. Mauri invenerint aliam poſteriorem in nova editione Operum S. Hilarii, quam avidiſſimè exſpectamus.

97. Sed & S. Damaſus Papa, qui Auxentii artem Pelaſgã noverat, eodem anno CCCLXIX. Romæ Concilium celebravit nonaginta Epiſcoporum Italiæ & Galliæ: in quo, poſt accuratam rei diſcuſſionem, tum formula Ariminenſis Concilii damnata fuit, tum idem Auxentius nominatim: ac præterea ſcripta eſt Epiſtola Synodalis ad Epiſcopos Illyrici, ut vitarent Auxentium, & in formula Fidei permanerent, quam Synodus Nicæna præſcripſerat. Exſtat ea Epiſtola Græcè & Latinè apud Labbeum Tom. II. col. 901. & 902. Porrò ante id Concilium aliud item Romanum præceſſerat ſub eodem Damaſo: in quo Valens & Urſacius, veluti Ariana lue infecti, damnati fuerant: ut teſtatur laudatus Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos. qui & fidem facit, antea à ſe in Ægypto Synodum coactam, in qua relatum fuit ad Damaſum Papã de damnando Auxentio.

98. Hac igitur occaſione, tum Conciliorum Romæ, & in Ægypto celebratorum, tum præterea Epiſtolæ S. Hilarii ad omnes Epiſcopos, coacta eſt paullò pòſt Synodus in Hiſpania, in qua Auxentius, Urſacius, & Valens, denuò damnati fuere, veluti Arii ſequaces, & Catholicæ Fidei hoſtes. Utinam autem quemadmodum S. Athanaſius factum teſtatur, ſic etiam locum Concilii indicaret & tempus.

99. Sed tamen illud probabiliter conjici poteſt, tum ex relatis verbis S. Athanaſii, tum ex obſervationibus hiſtoricis doctiſſimi Cardinalis Baronii ad annum CCCLXIX. quo ipſo, aut circiter, ea Concilia in Galliis, Hiſpaniis, & Romæ ſub Damaſo Papa (qui biennio antè Pontificatum inierat) contra Auxentium Mediolanenſem, Urſaciumque, pariter Arianos, celebrata fuerunt. Sed quonam loco id Hiſpaniæ Concilium unicum aut multiplex habitum fuerit, nemo veterum nos docet, nec affirmare poſſumus. Satis itaque ſit tempus illius deſignare ex conjectura circa annum Chriſti CCCLXIX.

100. Si qua verò fides tribuenda ſit Chronico Flavii Dextri nomine vulgato, multa erunt, quibus idipſum aliquantò diſtinctiùs comprobetur. Imprimis enim ille ad annum Chriſti CCCLX. legitur dicens: *Gregorius Toletanus Epiſcopus communicavit res ſuas cum B. Hilario Epiſcopo Pictavienſi*. Hoc enim ſtatuto, credibilius apparet, nomen Hilarii jam tum celebre in Hiſpania fuiſſe: ut proinde Epiſcopi ejus exemplo & literis incitati, veteratores illos communione ſua interdixerint.

101. Deinde idem Dexter ad an. CCCLXIV. *Synodus Iliciana circiter eodem tempore coacta*. Verùm non *Iliciana*, ſed *Illyriciana*, legendum. Ea autem anno circiter CCCLXVIII. apud Illyricum coacta fuit: ejuſque meminère Theodoretus lib. 4. cap. 8. Sozomenus lib. 6. cap. 12. atque Hilarius in Fragmentis Synodi Ariminenſis, & liber Synodicus verbis illis: Οὐαλεντινιανὸς γοῦν ὁ μέγας, &c. apud Labbeum Tomo II. col. 887. Itaque non fuit ea Synodus Iliciana, ut artifex Pſeudo-Dextri ſcripſit (fortè ad illam Hiſpaniæ adſcribendam pro arbitratu & more ſuo) ſed Illyriciana, eaque omnino Catholica, anno circiter CCCLXVIII. id eſt, penultimo vitæ S. Hilarii illam memorantis. Dato autem quòd hæc in Hiſpania fuiſſet habita, ea eſſe non potuit de qua loquitur Athanaſius. Nam Hiſpanica videtur celebrata ſtatim poſt utramque Damaſi memoratam, quarum poſterior anno CCCLXIX. habita eſt. Idem videtur dicendum de aliis quas indicat Dexter ad annum CCCLXVIII. hiſce verbis: *Frequentes in Hiſpania paſſim Synodi dicuntur collectæ: maximè vero coguntur Toleti, & variæ prope Tritium*. Niſi, quod fieri facilè potuit, ut aliqua earum anno ſequenti celebraretur contra Auxentium, Urſacium, & Valentem, paucis retrò menſibus damnatos in Concilio Romano ſub Damaſo Papa: ac proinde locus eſt ut illam ipſam indicaret S. Athanaſius, qui nonniſi triennio pòſt obiit; nimirum, anno Chriſti CCCLXXII. ſexto Nonas Maji, ut colligitur ex Ruffino lib. 2. *Hiſtoriæ*, cap. 3. & Cyrillo Alexandrino Epiſt. I. qui quadraginta ſex Epiſcopatûs annos illi tribuunt: nimirum, computatos ab anno CCCXXVI. immediato poſt Nicænam Synodum.

102. Hæc dixerim dato quòd fides aliqua præſtanda ſit Chronico illi vulgato ſub nomine Dextri, licèt apud me, & alios longè eruditiores, nullam mereatur, adhuc poſt ingenioſa & laborioſiſſima Commentaria Franciſci Bivarii, de quo uſurpaveris jure illud:

Si Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

103. Notandum verò eſt, quo tempore ea Concilia in Hiſpania celebrabantur, tum contra Arianos, tum poſtea adversùs Priſcillianiſtas, ſub finem ejuſdem ſæculi quarti (de quibus ſuo loco) videri floruiſſe jam inter Hiſpanos Audentium, de quo Gennadius in Catalogo Virorum Illuſtrium inquit cap. 14. *Audentius Epiſcopus Hiſpanus ſcripſit adversùs Manichæos, & Sabellianos, & Arianos; maximeque intentione ſpeciali contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci vocantur, librum, quem prætitulavit: De FIDE ADVERSUS OMNES HÆRETICOS: in quo oſtendit antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuiſſe, nec quod*

ini-

initium Deitatis tunc à Deo Patre acceperit, cùm à Maria matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus eſt. Multorum opinione. Audentius ipſe eſt, qui in Catalogis veteribus Toletanorum Præſulum ponitur inter Olympium & Aſturium, vixiſſeque uſque ad annum CDV. Sed enim difficile apparet, aut attento curſu ordinario incredibile, vel etiam ἀδύνατον, quòd ab anno Chriſti CD, in quo dicitur Patruinus Toletanus interfuiſſe Concilio I. Toletano adversùs hæreticos prędictos celebrato, & nominatim adversùs Priſcillianiſtas, uſque ad annum CDV, in quo D. Loaïſa, & alii, collocant Aſturium jam Toletanum Antiſtitem, fuerit locus Audentio ad occupandam eandem Sedem. Nimirum mortuo Patruino, ſucceſſores ipſi dantur ordine ſuo apud eundem D. Loaïſam Turibius, Quintius, Vincentius, Paulatus, Natalis, Olympius, & Audentius, ante Aſturium, qui collocatur anno CDV. Quis autem credat iotra ſpatium quinque annorum fuiſſe locum, ut octo Præſules Toletani vivetent, regerent, ac morerentur? Aut igitur Audentius ille celebris ſcriptor, & Epiſcopus Hiſpanus, à Gennadio laudatus, non fuit Præſul Toletanus, ſed alterius Eccleſiæ; aut ſi Toletanæ, oportet ut in ea Sede præceſſerit longè antea. Quid etiam, ſi ille ipſe fuerit, qui anno CCCXXC. in Concilio Cæſarauguſtano I. dicitur *Augentius*, & ibidem inter alios ſubſcribit? Fieri enim facilè potuit ut *d.* mutaretur in *g.*

104. Sed ut ut ea res ſe habeat, & quicumque demum Toletanus Præſul interfuerit Conciliis ſupramemoratis ab Athanaſio contra Arianos; certum eſt, Audentium laudatum contra eos, ſimiliterque adversùs Sabellianos, & Manichæos omniũ peſſimos, ex inſtituto ſcripſiſſe, ut Gennadius teſtatur. Quod autem ipſe addit, Audentium *intentione ſpeciali* edidiſſe librũ illum *contra Photinianos*; non facilè corrigendum, proot Bivarius vult, quaſi legi debeat, *contra Priſcillianum*. Id enim nunniſi nimiâ licentiâ fieri poteſt: præſertim cùm eo ipſo ſæculo qoarto Photinianorum ſecta emerſiſſet ex officina Photini, viventis adhuc tempore S. Epiphanii: à quo tamen Hæreſi LXXIII. & in Anacephalæoſi, ſequaces illius, potiùs Paullianiſtæ, quàm Photiniani dicuntur, quòd Paullianiſtarum errorẽ tertio ſæculo ortum, & confixum ab Eccleſia, ex Orco ſuſcitâſſent. Unde & in Concilio Sardicẽſi dãnati fuerunt an. CCCXLVII. & poſtea in Sirmienſi I. anno CCCLI. ut alibi diximus.

105. Porrò Paullianiſtarum hæreſis, à Paullo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopo invecta & denominata, ea ipſa eſt, quam Gennadius teſtatur ab Audentio Hiſpano *intentione ſpeciali* impugnatã. Dum enim demonſtrandum aſſumpſit, *antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuiſſe, nec quod initium Deitatis tunc à Deo Patre acceperit, cùm à Maria matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus eſt*; (ut integra Gennadii verba reſumam) totum id reſpondet hæreſi Paollianiſtarum, ſeu Paullianorum, deſcriptæ ab ipſo Epiphanio Hæreſi LXV. Auguſtino Hæreſi XLIV. & Nicephoro lib. ſexto *Hiſtor.* c. 30. Legendum itaque eſt eo loco, uti editum habetur, *contra Photinianos*.

106. Nec propterea nego Priſcillianum ac ſequaces illius, præcipuos errores tum eorum hæreticorum, tum Manichæorum, Arianorum, & Sabellianorum, in unum collegiſſe. Hoc enim conſtat ex Regula Fidei Concilio Toletano I. inferiùs ſubjungenda. Nec ambigo Audentium Hiſpanũ Antiſtitem, ex inſtituto impugnâſſe in eo libro errores Priſcilliani ac ſequacium. Verùm cum hoc cohæret, quòd ſectæ illi non tribuerit propriam aliquam appellationem, & Priſcilliani errorem ſequentes appellatet Photinianos: quoniam illorum præſertim hæreſes à Paullianiſtis mutuatas, & eodem ſæculo quarto circiter mediante in prædictis Synodis Sardicenſi & Sirmienſi confixas, inſtaurârunt, atque in Galliam & Hiſpaniam invexerunt.

107. Obiter nota, hoc eodem tempore quo Auxentius Mediolani Arianam ſectam diſſeminabat, damnatam ab Hiſpanis Epiſcopis, floruiſſe S. Martinum, quem Philippus Cluverius libro primo *Italiæ Antiquæ*, cap. nono ſatis longo, in fine pag. 73. ait fuiſſe poſtea Tarraconenſem in Hiſpania Epiſcopum. Nititur auctoritate Sozomeni libro tertio *Hiſtoriæ Eccl.* cap. decimo tertio, ubi de eodem Martino Sabarienſi loquitur. Sed enim in verbis, tam Græcis ejuſdem Sozomeni, quàm Latinis ex interpretatione prolatis, quæ ibidem exſcribit idẽ Cluverius, nihil de Hiſpania habetur, nec de alio Martino, quàm celeberrimo illo Galliarum, Epiſcopo Turonenſi, qui Sabariæ in Pannonia natus, poſtea heroïcis ſuis virtutibus ac ſtupendis miraculis totam Eccleſiam ſplendidiſſimè illuſtravit. Unde Cluverius, alioqui diligens & eruditus Geographus, aut potiùs typographus, ſine dubio lapſus fuit: nec nos volumus Turonenſi Eccleſiæ invidere eximium honorem ſibi provenientem ex eo, quòd illam ſolam uſque ad obitum rexerit S. Martiuus, neque unquam rexerit Tarraconenſem, aut fortaſſe nec viderit. Σφάλμα itaque fuit, aut μνήμης ἁμάρτημα, ſcribere *Tarraconenſem*, ubi debuit dicere *Turonenſem*.

108. Hiſce Diſſertationibus, veluti in anteceſſum Operis præcipui expeditis, accedamus jam ad exhibendas, ordine temporum ſervato, Epiſtolas celebriores Pontificum Romanorum ad Hiſpanos, itemque Concilia ejuſdem florentiſſimæ nationis à tempore S. Damaſi, & deinceps; non alicujus mangonio obtruſa, non ſubdititia, aut ſubleſtæ fidei, qualia paſſim in iis pſeudo-chronicis indicantur; ſed vera & germana atque explorata apud omnes. Si quodquam verò ulteriùs celebratum fuiſſe colligatur ex gravi quopiam teſtimonio antiquorum, dabimus illi opportunum locum. Si denique occurrerit aliquod dubiæ fidei, proponemus difficultates nobis occurrentes, quæſtione in medio relicta. Denique ultra Diſſertationes ſtudio proprio elaboratas toto Opere (niſi fortè aliquam alieno nomine evulgare contingat) proferemus in ea omnia monumenta, Notas ſive Obſervationes doctiſſimorũ hominum, & noſtras, ſub proprio uniuſcujuſque nomine: tum ne plagiũ committere videamur: tum juxta dictum cujuſdã veterum, UT SUUM CUIQUE DECUS POSTERITAS REPENDAT.

EPISTOLA MELCHIADIS PAPÆ
AD
OMNES HISPANIÆ EPISCOPOS.

Noviter correcta, juxta antiquiſſima Mss.

De accuſationibus & jurgiis, & ut nemo alteri infeſtus ſit. De baptiſmo & impoſitione manuum Epiſcoporum: utrum eorum aliud ſine altero ſufficiat, aut majus eſſe videatur.

I. *De judiciis Epiſcoporum, ſive majoribus cauſſis ad Apoſtolicam Sedem deferendis; & ut nullus eam prohibeatur appellare.*
II. *Quod ſit majus Sacramentum, impoſitio manûs Epiſcoporum, an baptiſmus?*
III. *De jejunio Dominicæ diei, & quinta feria.*

a *Melciades* aut *Miltiades*.

Dilectiſſimis fratribus, Marino, Benedicto, Leontio, & cæteris Hiſpaniarum, ac illis in partibus conſtitutis Epiſcopis, [a] Melchiades.

1. *Cor.* 10.
b Cuſtodiat. *Vat.*
Matth. 18.
Luc. 17.

APOSTOLICI præcepti verba ſunt, *apud Judæos atque Gentiles ſine offenſione nos eſſe debere*, Hoc quiſquis Chriſtianus eſt, tota animi virtute [b] cuſtodit. Quod cùm ita ſit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, iſta contriſtent, quæ auctoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos, Dominicus in Euangelio ſermo teſtatur. Ait enim ipſe Salvator, *quòd expediat ſcandalizanti unum de puſillis, in maris profundum demergi*. Ideo quæ ſit ejus jam pœna quæramus, cui tale ſupplicium legimus expedire.

c *Pro temper perdantur: verbis mediis interjectis, omiſſis.* *Vat.*
Galat. 6.
Rom. 14.
d *Ante deeſt. Vat.*
e Caritate.
* *Neminem condemnantes ante.*
Tob. 4.
Hic incipit Epiſt. Mss. Juſtelli.
f Ut non judicemini. *Vat.*
g *Abeſt uſque ad* id quo. *Vat.*
* Sedis.
* Servari.
h *Tanquam* abeſt. *Vat.*
i Quæ prærogativa ſucceſſit.
k Beatiſſimos. *Vat.*
* *S. Leo Ep.* 84.
l Poſteri eorum.

Quapropter iſta, chariſſimi, verba valdè ſunt ponderanda, & cavenda, ne pro temporalibus [c] æterna, & pro caducis manſura, & pro parviſſimis temporalibus perdantur (quod abſit) perpetua gaudia. Unde vos rogamus & obſecramus, ut nullus alteri noceat, neque infeſtus aut nocens exiſtat; ſed (juxta Apoſtolum) *alter alterius onera portet, ut legem Chriſti adimpleat. Et nolite judicare invicem, ſed* (juxta Apoſtolum ipſum) *hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum*. Primò ſemper [d] ante omnia diligenter inquirite, ut cum juſtitia & [e] veritate definiatis. * Neminem condemnetis ante verum & juſtum judicium. Nullum ſuſpicionis arbitrio judicetis; ſed primùm probate, & poſtea charitativam proferte ſententiam. *Et quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere.*

Memento te ſermonis Domini ſemper qui ait: *nolite judicare & non* [f] *judicabimini;* [g] *nolite condemnare ut non condemnemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Epiſcopos nolite judicare, nolite condemnare abſque ſenis * hujus auctoritate. Quòd ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini.

Hoc enim privilegium huic ſanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt * ſervare, quod illæſum manet uſque in hodiernum diem. Epiſcopos ergo, quos ſibi Dominus [h] tanquam oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi & ſolvendi dedit poteſtatem, ſuo judicio reſervavit, hocque privilegium beato clavigero Petro ſua vice ſolummodo commiſit. Quod ejus juſtè prærogativum ſuccreſcit [i] ſedi, futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, quoniam & inter beatos [k] Apoſtolos fuit * quædam diſcretio poteſtatis. Et licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro conceſſum eſt ut aliis præemineret; eorumque quæ ad querelã venirent, cauſſas & interrogationes prudenter diſponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum eſſe credimus, ne omnes [l] poſterorum cuncta ſibi vindicarent, ſed ſemper majores cauſſæ, ſicut ſunt Epiſcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad unam Beati Principis Apoſtolorum Petri ſedem confluerent, ut inde ſuſcipiant finem judiciorum, unde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque à ſuo diſcreparent capite.

I. Si

I.

Si verò ſe viderit quiſquam veſtrum prægravari, hanc Sedem appellet, huc recurrat, ut ſemper inſtituta fuit conſuetudo; quia & voluntariè eis compatiemnr, & libentes [m], prout Dominus dederit, adminiculum feremus. Nec à quoqnam, fratres, inhibeatur aut objurgetur, [n] qul noſtræ conſors communionis eſſe voluerit; ſed magis ei veniendi auxilium [o] præſtetur * quia ſufficit unicuique objurgatio, quæ fit à plurimis, ut (juxta Apoſtolum [p]) *magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui in anguſtia eſt*. Propter quod *obſecro vos* ([q] ut ipſe ait) *ut confirmetis in illo charitatem*. Eorum enlm os * accuſandi ſacerdotes, vel teſtificandi in eos obſtruimus, quos non humanis ſed divinis vocibus mortuos eſſe ſcimus, quoniam infidelis * homo mortuus eſt in corpore vivente. Nec in ſuſpicionem veniat homo fidelis, * ut dicat aut faciat ea quæ pati non vult. Si quis fidelis eſt, videat ne falſa loquatur, aut cuiqnam inſidias ponat. Facile * eſt ergo hominem fallere, non tamen Deum. Sapiens non eſt qui nocet. Et nihil mali vult qul eſt fidelis. In his enim fidelem & infidelem hominem cognoſcere poſſumus, in nocendo & adjuvando, ut ipſa veritas ait: *Bonus homo ex bono theſauro cordis* [r] *ſui profert bona. Ex abundantia enim cordis os loquitur*. Pro nobis enim dicit Dominus per Prophetam: *Eos verò qui judicant vos ego judicabo*. Et iterum ad [s] ſervos ſuos dixit: *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis*. De talibus quoque Propheta canlt dicens: *Non ſic impii, ſed tanquam pulvis quem projicit ventus. Propterea non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione juſtorum: quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit. Quare conturbatæ ſunt gentes, & plebes meditabuntur inania? Conſurgent Reges terræ, & Principes tractabunt pariter adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus. Diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis* [t] *jugum ipſorum. Habitator cœli ridebit,* [u] *& Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos*. Et alibi dixit: *Scelus impii in medio cordis ejus, non eſt timor Dei ante oculos ejus. Quoniam dolosè egit adversùs eum in oculis ejus, ut inveniret iniquitatem ejus ad odium. Verba oris ejus iniquitas & dolus: ceſſavit cogitare, ut benefaceret. Iniquitatem cogitat in cubili ſuo, ſtabit in via non bona, malum non abjiciet. Domine in cœlo miſericordia tua uſque ad* [x] *nubes, juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa. Homines & jumenta ſalvos facies, Domine: quàm pretioſa miſericordia tua Deus! Et filii Adam in umbra alarum tuarum ſperabunt, inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quoniam tecum eſt fons vitæ, &* [y] *in lumine tuo videbimus lumen. Attrahe miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam rectis corde. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus impiorum non me commoveat. Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulſi ſunt, & non potuerunt ſurgere*. Audivimus à quibuſdam fratribus, quibus infeſti eratis nimis, quod jurgia & [z] diſcordiæ ſint inter vos. Propterea iſta ſcripſimus vobis mandantes, ut ita teneatis, ſicut & ab Apoſtolica Sede vobis tenenda mandantur. Unde & Domini [a] præcurſor in Euangelio militibus interrogantibus reſpondit dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Concutit enim hominem qui illum injuſtè conturbat. De his hæc vobis [b] interim ſufficiant. Si autem majoribus indigueritis, vita comite, mittite, & mittentur vobis.

I I.

De his verò ſuper quibus rogitâſtis vos informari, ideſt; utrum majus eſſet ſacramentum, manûs impoſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus; ſcitote utrumque magnum eſſe ſacramentum. Et ſicut unum à majoribus fit, ideſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt; ita & majori veneratione venerandum & tenendum eſt. Sed ita conjuncta ſunt hæc duo ſacramenta, ut ab invicem niſi morte præveniente nullatenus poſſint ſegregari: & unum ſine altero ritè perfici non poteſt. Nam unum (præveniente morte) ſalvare ſine altero poteſt, alind autem non poteſt. Unde ſcriptum eſt: *In diebus illis* (dicit Dominus) *effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*. Advertamus ſummas divitias bonitatis [d] Dei, quòd in confirmandis neophytis manûs impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio in credentium populos donavit univerſis. Sed qoia [e] diximus, quòd manûs impoſitio & Confirmatio [f] ad baptiſmi perfectionem pertineat, & qui jam regeneratus in Chriſto eſt, confirmare aliquid poſſit, fortè cogitat ſibi aliquis: quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis, [g] myſterium confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita dllectiſſimi. Attendat charitas veſtra. Sicut exigit militaris ordo, ut cùm Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non ſolùm ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus iostruat pognaturum; ita in baptizato benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem, da ei adjumentum militiæ. Numquid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam [h] pupillo conferat facultatem, niſi providere ſtudeat & tutorem? Itaque [i] Paracletus regeneratis in Chriſto cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. Ideo dicit ſermo divinus: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem* [k] *fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Ergo Spiritus ſanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. [l] Et quia in hoc mundo [m] tota ætate victuris, inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt; in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. At ſi continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia; victuris [n] tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſalvat [o] mox in pace beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat & inſtruit ad agones mundi hujus & prælia reſervandos. Qui autem poſt baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, qoia non [p] poteſt peccare poſt mortem. Hîc ſi fortè illud etiam requirere velimus, poſt Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti, quid

Apo-

m Libenter, *Vat.*
n Quoniam. *Vat.*
o Præſtet. *Vat.*
* *Quæ ſequuntur uſque ad §. II. abſunt à Ms. Juſtelli.*
2. Corinth. 2.
p *Magis* abeſt. *Vat.*
q Sicut. *Vat.*
* *Had. coll. 29.*
* *Xyſti ſent. 6. ex verſione Ruffini.*
* *Ejuſdem ſent. 165. & 169.*
* *Sent. ejuſdem 176. 291. 203.*
Matth. 12.
r Profert bona, & malus homo ex malo theſauro cordis. *Vat.*
Iſai. 49.
s Ad ſervos dicit. *Vat.*
Iſaiæ 31.
Pſal. 1.
Pſal. 2.
t Laqueos eorũ. *Vat.*
u Et abeſt. *Vat.*
Pſal. 35.
x Fides tua uſque ad nubes. *Vat.*
y *Tò* Erabeſt. *Vat.*
z Diſcordia. *Vat.*
a Dominus in Euangelio. *Tò* *Præcurſor* deeſt. *Vat.*
Luc. 3.
b Interdum. *Vat.*
De conſ. diſt. 5. Spiritus ſanctus qui ſuper. Et in Decret. Ivon. lib. 1.
Joel. 2.
d *Dei* deeſt. *Vat.*
e Vt diximus. *Vat.*
f *Ad baptiſmi perfectionẽ pertinet*, & deſunt hæc verba. *Vat.*
g Miniſterium confirmatis. *Vat.*
h Parvulo.
i Ita. *Vat.*
Pſal. 126.
k In vanum ſvigilant qui cuſtodiunt eam. *Vat.*
l *Et* abeſt. *Vat.*
m In hunc mundum. *Vat.*
n Autem. *Vat.*
o Mox &c. recipiendos. confirmatio armat &c. *Vat.*
p Quia jam. *Vat.*

Joann. 16.

Apoſtolis profuerit adventus Spiritus ſancti, ipſe Dominns eis evidenter exponit. *Quæ dico* (inquit) *vobis, uon poteſtis as portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ipſe docebit vos omnem veritatem*. Vides quia cùm Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur? Itaque ante deſcenſionem Spiritus ſancti, uſque ad negationem, Apoſtoli deterrentur: poſt viſionem p verò ejus uſque ad martyrium, contemptu ſalutis armantur. Secundùm hoc q per Chriſtum redimimur, per Spiritum verò ſanctum dono ſapientiæ ſpiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur, ut illam ſancti Spiritus vocem audire poſſimus: *Intellectum tibi* r *dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris*. De Spiritu ſancto accipimus, ut ſpiritua les efficiamur, *quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*. De Spiritu ſancto accipimus, ut ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, juſta diligere, injuſta reſpuere, ut malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diverſis illecebris, & fœdis indigniſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu ſancto accipimus vitæ amorem & gloriæ s ardorem, ut ſuccenſi divinitus, erigere à terrenis mentem ad ſuperna & divina valeamus,

p Viſitatione m. *Vat.*
q Hac. *Vat.*
r Dabo tibi. *Vat.*
Pſal. 31.
1. *Cor.* 2.
s Ardore ſuccenſi ut erigere à terr. m. *Vat.*

III.

Jejunium verò Dominici diei & quintæ feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Chriſtianorum & Gentilium t veraciter credentium atque infidelium & hæreticorum, vera & non falſa diſcretio habeatur. Unde ſcriptum eſt: *Quæ pars Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quæ autem participatio juſtitiæ cum iniquitate?* Et iterum: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*. De cætero, fratres, *videte, nequis vos decipiat inanibus verbis, neque per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum; quia in* u *Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis, in quo & circumciſi eſtis circumciſione, non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed* x *in circumciſione Chriſti, conſepulti* y *ei in baptiſmo, in quo* z *reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversùm vos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, & affigens illud cruci, expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. Nemo ergo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione angelorum; quæ non vidit, ambulans fruſtra, inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per* a *nexum & conjunctionem ſubminiſtratum & constructum, creſcit in* b *argumentum fidei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi; quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis quæ ſunt omnia in interitum* c *ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in* d *ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis* e *cum illis. Nunc autem deponite & vos* * *omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui creavit eum,* f *ut ubi non eſt Judæus & Gentilis, circumciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Induite ergo vos ſicuti electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adversùs aliquem habet querelam: ſicut & Chriſtus donavit vobis, ita & vos. Super autem omnia hæc charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis: Et pax Chriſti vigeat in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote. Verbum Dei habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes & commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* g *facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum. Vos, chariſſimi, nolite deficere benefacientes. Quod ſi aliquis fuerit qui non obedierit verbis Apoſtolicis, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quaſi inimicum* h *exiſtimare, ſed corripite ut fratrem. Deus autem pacis det vobis idipſum ſapere in alterutrum, & in omnes, & ipſe ſit ſemper vobiſcum in omni loco. Amen*. Data Kalendis Martii, Voluſiano * & Ruffino viris clariſſimis Conſulibus.

Conſtit. Apoſtol. lib. 5. *cap. ult.*
t Et ver. *Vat.*
2. *Cor.* 6.
Ibidem.
Coloſſ. 2.
u In ipſo inhabitat. *Vat.*
x τὸ Sed, abeſt. *Vat.*
y τὸ Ei, abeſt. *Vat.*
z Et reſurr. *Vat.*
a Nexus & conjunctiones.
b Augmentum Dei. *Vat.*
c Interitu. *Vat.*
d In, deeſt. *Vat.*
Coloſſ. 3.
e Viveretis in illis. *Vat.*
* Omnia.
f τὸ Vt, abeſt. *Vat.*
g τὸ Facite, abeſt *Vat.*
2. *Theſſ.* 3.
h Æſtimate. *Vat.*
Rom. 15.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hoc *enim privilegium huic ſanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum*.] Ut Epiſcoporum cauſſæ ad Romanæ Eccleſiæ Sedem deferantur, Apoſtolico Can. LXXIII. & LXXIV. conſtitutum eſt, idemque omnium ferè Pontificum decretalibus Epiſtolis confirmatum eſt.

Sacramentum.] Illi, à quibus Melchiades conſulebatur, Confirmationem ſacramentum eſſe præ-

præſupponebant. Errant igitur qui, quod ſuprà in Notis ad Urbani II. Fabiani, & Cornelii Epiſtolas annotavi, hoc ſacramentum à Melchiade inſtitutum eſſe tradunt: cujus enim expreſſa mentio fit in multis antiquorum Pontificum Epiſtolis, antiquiore Elibertino Concilio ſuprà cap. 38. & 77. pluribus vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, & Doctoribus ſuprà à nobis recenſitis; quomodo à Melchiade inſtitutum eſſe potuit?

Manûs impoſitio Epiſcoporum.] Non quælibet manûs impoſitio eſt ſacramentum, ſed tantùm confirmativa. Multiplex enim in Scriptura manûs impoſitio legitur; una curativa, de qua intelligendum eſt illud Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Item illud Act. 9. *Abiit Ananias, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, ut videas, & implearis Spiritu ſancto.* Sicut etiã illud Act. 28. *Contigit autem patrem Publii febribus & dyſenteriâ vexatum jacere, ad quem Paullus intravit, & cùm oràſſet & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum.* Alia eſt manûs impoſitio, quæ dici poteſt ordinativa vel conſecrativa, de qua dicitur 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum presbyteri,* &c. Tertia eſt impoſitio manûs ceremonialis ad baptiſmum, quæ fit ad quandam catechumeni ſanctificationem: de qua intelligendum eſt illud Auguſtini lib. 2. *De peccat. merit. & remiſſ.* c. 26. ubi ait: *Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem, manûs impoſitione ſanctificari.* Item in Concilio Hiſpalenſi II. Can. VII. Carthaginenſi IV. Canone LXXXV. Quarta eſt peccatorum reconciliativa: de qua Aurelianenſi I. Can. II. & III. & Can. VIII. Concilii Arelatenſis. Quinta eſt quædam manûs impoſitio deprecativa: qualis videtur illa, de qua eſt ſermo Act. 13. *Tunc jejunantes & orantes, imponentesq; iis manus, dimiſerunt illos.* Paullum nempe & Barnabam jam antè confirmatos & ordinatos: abeuntibus igitur manus imponendo, bene tantùm precati ſunt. Sexta eſt manûs impoſitio confirmativa, quâ gratiæ, quæ in baptiſmo ad remiſſionem peccati ſufficientiſſimè data eſt, alia ad gratiam baptiſmatis augendam & roborandam ſuperadditur, eo fine ut baptizatus Fidem in baptiſmo ſuſceptam loco ac tempore requiſito conſtanter credat, Fidemque confiteatur. De hac poſteriore intelligendus eſt hic locus Melchiadis, ſicut & illud Act. c. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Item illud: *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manûs Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus; obtulit iis pecuniam, dicens: Date mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Eodem modo accipiendum eſt illud Act. 19. *Poſtquam impoſuit Paullus illis manus, venit Spiritus ſanctus ſuper illos, loquebanturque linguis, & prophetabant.* Ita Gloſſa 1. quæſt. Canone: *Manûs impoſitio.*

Unum à majoribus fit, ideſt à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt.] Hoc idem Euſebius Epiſtolâ 3. in fine ait his verbis: *Manûs impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, quòd ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus.* Quod quidem jure divino ordinario rectè & convenienter conſtitutum eſt; ita tamen ut nihilominus juſta ac rationabili de cauſſa à Pontifice diſpenſari poſſit, ſicut & frequenter diſpenſatum eſt, ut presbyter hoc ſacramentum conferat. Nam Ambroſ. in cap. 74. ad Epheſ. teſtatur, in Ægypto presbyteros confirmare in abſentia Epiſcoporum. Item cùm Gregorio Pontifici, ut ſcribitur Epiſtolâ 26. libro 3. relatum fuiſſet, in inſula Sardiniæ ſolitos fuiſſe presbyteros baptizatos confirmare; id facere eos prohibuit: ex qua prohibitione, cùm ſcandalum ortum eſſe videret, ſic prædicto loco ſcribit: *Nos quidem ſecundùm uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus: ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (impreſſi omnes corruptè legunt, *baptizandos*) *chriſmate tangere debeant.* Unde Conc. Florent. in Decr. Eugen. ſolum Epiſcopum poſſe conferre eam unctionem, quæ eſt Confirmationis ſacramentum, ſubdit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodùm cauſſa ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtràſſe Confirmationis ſacramentum.* Qua diſpenſatione nihil juris divini immutari, pulchrè declarant Bell. & Suarez *De ſacr. Confirm. miniſtro,* apud quos plura hac de re videre poteris.

Confirmatio ad baptiſmi perfectionem pertineat.] Confirmatio appellatur perfectio baptiſmi, non tantùm hoc loco, verùm etiam in Concilio Eliberitano Canone LXXVII. item à Dionyſio Areopagita *De Eccleſiaſt. Hierarchia* cap. 4. par. 3. illius capitis, ubi eam, *divinæ generationis ſacroſanctam perfectionem* appellat. Ambroſ. lib. 2. *De Sacram.* cap. 2. eandem nominat, *Spirituale ſignaculum, quod poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat.* Non ſanè, quòd baptiſmus citra Confirmationem nihil gratiæ tribuat, aut baptizati peccatum plenè ac perfectè non tollat; ſed quòd per Cõfirmationem baptizato augmentum & robur gratiæ ſuperaddatur ad Fidem in baptiſmo ſuſceptam conſtanter profitendum. Suarez tom. 3. diſput. 34. *De confirmat.* ſect. 2.

Jejunium Dominici diei.] Vide quod diximus in Notis Can. Apoſtolic. LXV. & aliorum. BINIUS.

DISSERTATIO QUARTA.

An Epiſtola hæc nomine S. Melchiadis Papæ inſcripta ad Hiſpanos ſit germana; & qualiter extricari poſſint criticorum nodi, illam ſuppoſitionis arguëntium.

1. IMMORANDUM eſſet nimis tuendæ auctoritati hujus Epiſtolæ, nî jam id generatim feciſſemus Tomo I. in *Apparatu*, præſertim Differt. IV. circa omnes erè illas, quæ nomine veterum Pontificum à Clemente uſque ad Syricium circumferuntur. Quemadmodum verò eo loci monnimus, pleriſque illarum progreſſu temporis, vitio exſcriptorum, & quorundam ſciolorum auſu, aut interpolatione, multa errata & aſſumenta irrepſiſſe, quæ tamen non officiunt auctoritati earum quoad ſubſtantiam, ſive fundum materiæ, de qua ibidem agitur; ita etiam dicendum de hac Epiſtola Melchiadis ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos: quæ quidem in omnibus Collectionibus, tam editis quàm Mss. etiam antiquiſſimis, quibus D. Loaïſa uſus fuit, & in aliis ubique exſtantibus, præſertim in Bibliotheca Vaticana, invenitur: nec ipſius γνησιότης in dubium vocata fuit, niſi ab inclinante ſæculo præcedenti, quo ſacra hæc monumenta, primùm ab heterodoxis, poſtea verò à pleriſque criticis, etiam Catholicis, reſpui, aut ſaltem vellicari cœperunt.

2. Certè ſi S. Melchiades, & ipſius deceſſores tantam adhibuiſſent curam, ut Epiſtolæ ipſorum Decretales toto Orbe Chriſtiano publicarentur, & in omnibus Eccleſiis ſolicitè cuſtodirentur, quantam poſtea adhibuit Syricius Papa circa Epiſtolam celebrem ad Himerium Tarraconenſem (ut ſuo loco videbimus) hodie illarum exemplaria pura & incorrupta exſtarent, ſicuti prædicta exſtat. Sed omiſſio publicationis & curæ ejuſmodi, præſertim ſub Ethnicis Imperatoribus perſequentibus Chriſtianos, & ipſorum ſcripta, in cauſſa fuerunt, ut ea veneranda monumenta paucis locis ſervarentur, & errata, nævos, variaque aſſumenta ſubirent.

3. Præcipuus Melchiadis ſcopus eſt agere de judiciis Epiſcoporum, ſive majoribus cauſſis ad Sedem Apoſtolicam deferendis; & ut nullus eam prohibeatur appellare. Hoc autem nonnulli nimiùm delicati cenſent importunum & ſubditit iũ: cùm eo tempore non eſſent contentiones aut lites in Hiſpania, quæ id reſcriptum exigerent, aut egerent tali decreto.

4. Sed imprimis obſervandum eſt, Epiſtolam iſtam à Melchiade ſcriptam fuiſſe anno Chriſti trecenteſimo undecimo, aut circiter. id eſt, quinquaginta annis poſt inceptam graviſſimam illam cauſſam Baſilidis & Martialis Epiſcoporum, quæ à tempore S. Stephani Papæ, ac S. Cypriani, tot turbas & diſſidia excitavit in Hiſpania & Africa, ac tandem Romæ. Qua de re latè egimus Tom. I. Differtat. XIV. Ibidem verò Excurſu III. oſtenſum fuit, litem illam diu durâſſe: ſiquidem Baſilides & Martialis longè poſt ſuam è Sedibus depoſitionem reſtituti fuerunt à Xyſto II. Papa, ob non ſervatum juris ordinem in iis deponendis: ut patet ex ipſius Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ibidem exſcripta, quæ de eodem argumento depoſitionis Epiſcoporum, & appellationis in cauſſis majorum ad Sedem Apoſtolicam agit. Unde & §. 4. ſubdit Xyſtus: *Fratres verò, quos timore terreno injuſtè damnâſtis, ſcitote à nobis juſtè eſſe reſtitutos.* Quorſum enim hæc, nî Epiſcopi Hiſpaniarum damnâſſent antea Baſilidem Martialemque, non ſervato juris ordine; & propterea uterque à Xyſto reſtitutus fuiſſet? Quis verò exitus illius difficillimæ cauſſæ fuerit, & quamdiu duraverit, incertum eſt. Fieri autem potuit, ut illa multo tempore protraheretur, & reliquiæ adhuc durarent; vel excitarentur ſub Pontificatu Melchiadis Papæ: licèt nihil eorum modò legatur in auctoribus vel monumentis ejus temporis, quorum pleraque perierunt.

5. Obſervanda ſunt porrò verba illa Melchiadis in Procœmio Epiſtolæ: *Epiſcopos nolite judicare, nolite condemnare abſque Sedis* (aliàs *ſenis*) *hujus auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic ſanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervare: quod illæſum manet uſque ad hodiernum diem.* Hæc ferè eſt, ac fuit, præſertim nono ſæculo inclinante, petra ſcandali circa cauſſas Epiſcoporum Apoſtolicam Sedem appellantium: & cujus occaſione tot lites in Gallia motæ fuerunt adversùs Rhotadum, & Hlncmarum Laudunenſem, Epiſcopos, Romam appellantes. Qua de re ſatis egimus in *Apparatu* hujus Operis Differtat. VII. ubi & latè confirmata fuit monumentis totius antiquitatis Chriſtianæ veritas doctrinæ hoc loco traditæ à Melchiade Papa, quicquid recentiores aliqui contrà velint. Etenim teſtimonia ibidem à nobis adducta, tam Melchiade anteriora quàm poſteriora, & plura alia argumenta ἀναντίῤῥητα, rem ipſam luculentiſſimè oſtendere videntur.

6. Prima igitur difficultas objecta auctoritati hujus Epiſtolæ ſita eſt in verbis quibuſdam illius, quæ inveniuntur mutuata ex ſcriptoribus longè poſterioribus, apud quos leguntur. Imprimis totum illius initium, ſive prologus, uſque ad verba: *cui tale ſupplicium legimus expedire*, exſtat κατὰ λέξιν initio Epiſtolæ I. S. Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, duobus poſt Melchiadẽ ſæculis ſcriptæ.

7. Dein-

7. Deinde pars ultima ejuſdem prologi ab iis verbis: *Hoc enim privilegium*; uſque ad finem, impetitur veluti interpolata, ſive acceſſita ex Epiſtola 84. aliàs 12. S. Leonis Papæ, quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum. Præterea ſub finem §. 1. ejuſdem Epiſtolæ exſcribuntur verba non pauca Pſalmorum primi, ſecundi, & trigeſimi quinti, juxta verſionem S. Hieronymi, qui tamen nondum erat natus tempore S. Melchiadis Papæ.

8. Inſuper totus ferè §. 2. in quo diſquiritur, quod ſit majus ſacramentum, impoſitio manuum Epiſcopi, an Baptiſmus; videtur deſumptus *ἀυτολεξεὶ* ex Homilia de Pentecoſte, plerumque tributa Euſebio Emiſſeno, quam tamen alii S. Eucherio, alii Fauſto adſcribunt. Tres autem ii ſcriptores notiſſimi, longè poſt obitum Melchiadis orti ſunt. Quiſquis autem fuerit ejus auctor, eleganti ſtylo utitur, & longè alio ac præſtantiori, quàm ſit in reliquis Melchiadicæ Epiſtolæ partibus. Videtur ergo interpolata pluribus aſſumentis Patrum poſteriorum.

9. Secunda difficultas, eaque valdè communis, oritur ex anachroniſmo, ſive errore temporis, in quo data dicitur Epiſtola hæc: nimirum, Kalendis Martii, Voluſiano & Ruffino viris clariſſimis Conſulibus. Melchiades autem tribus ferè retrò menſibus jam obierat die decima Decembris. Itaque non à vivente, ſed à mortuo illam ſcribi oportuit.

10. Verùm hæc objecta non ſunt tanti ponderis, ut nos dimoveant, aut recedere cogant ab illa bona fide, quâ tot ſæculis credita fuit germana hæc Epiſtola, & uti talis allegata à Romanis Pontificibus, ac innumeris ſcriptoribus, præcipuè aut ſaltem à ſæculo octavo inclinante ſub Adriano Papa I. ut oſtenſum fuit To. I. Diſſert. IV. & VII. ſuprà allegatis, ex quibus plura ſatis opportunahuc transferenda eſſent, niſi repetitionis tædio prohiberemur. Nonnihil tamen ad ſingulas difficultates reſpondere aut leviter indicare oportet.

11. Primum quod attinet, fatemur verba illa priora prologi exſtare in Epiſt. 1. S. Cœleſtini ad Epiſcopos Galliarū. Unde autem probant adverſarii, ex hac poſteriore deſumpta fuiſſe, & in illam tranſlata potiùs quàm è converſo? Credibilius certè eſt, notarium illum, qui ab Epiſtolis erat Cœleſtini, uſurpâſſe verba priora Epiſtolæ Melchiadicæ, ac ſuæ adaptâſſe: uti quolibet ferè tempore ſoliti ſunt notarii Principum, & præſertim Romanorum Pontificum, etiam eruditi, uſque modò. Quod ſatis oſtenſum fuit Diſſertatione IV. citatâ Excurſu II. à num. 25. uſque ad finem: ubi plurima alia invenies ſatis opportuna ad ſuadendum, argumentum iſtud, cui maximè innituntur recentiores ad labefactandam fidem earum Epiſtolarum veterum, non eſſe ineluctabile, ut ipſi cenſent, ſed potiùs enerve, *teluma; imbelle ſine ictu*, uti olim de illo Priami dictum.

12. Quod additur ex Epiſtola S. Leonis 84. aliàs 12. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſc. quaſi eadem omnino ſint illius verba, ac Melchiadis, circa primatum S. Petri inter Apoſtolos, & ſupra reliquos Eccleſiæ Epiſcopos; ſolùm ab eo objici potuit, qui utramque Epiſtolam minimè legiſſet, nec invicem contuliſſet. Omnino enim diverſa ſunt utriuſque verba, quamvis ſenſus ſit idē: uti in aliis plurimis & indubitatis Pontificum Epiſtolis, & ſanctorum Patrum locis, idem primatus S. Petri, ſive Sedis Apoſtolicæ, ſupra reliquos Epiſcopos & Eccleſias, exprimitur aliis atque aliis verbis; & nonnunquam eiſdem, quoniam poſteriores in ea re libârunt verba prædeceſſorum, nec ſolum ſenſum. At cùm impræſenti, & verba diſſideant, & ſtylus utriuſque ejus paragraphi ſit diverſus; nihil inde contra auctoritatem Epiſtolæ Melchiadicæ erui potuit, niſi præpoſterè omnino, & ab homine, qui ſolùm alienis aut infidis oculis uſus fuiſſet.

13. Jam verò æquè inanis & ſpernenda eſt objectio ex verbis Pſalmorum 1. & 2. quaſi aſſuta fuerint juxta verſionem S. Hieronymi nondum nati. Patet enim, collata à nobis verſione Pſalmorum varia cum ea quæ adſcribitur Doctori Maximo, differre hanc ab illa quæ uſurpatur à Melchiade quoad utrumque Pſalmum priorem.

14. Major difficultas apparet quoad verba deſumpta ex Pſalmo 35. quæ conſonant ſibi, ſive eadem videntur apud Melchiadem & Hieronymum. At imprimis non omnino eadem ſunt, cùm in uno aut alio verbo, ſive voce diſſideant, uti minutatim exquiſivimus & comperimus. Sed eſto eadem prorſus eſſent, nihil inde evincitur contra auctoritatem Epiſtolæ Sancti Melchiadis. Nam præter ea quæ monuimus Diſſert. IV. allegata num. 21. & ſeqq. circa verſionem S. Hieronymi collatam cum illa antiquiore, quâ ab ipſo ferè Apoſtolorum tempore uſa fuerat Eccleſia; incumbit adverſariis onus probandi, verſionem illam prædicti Pſalmi 35. totidem verbis, quibus legitur apud Melchiadem, non fuiſſe adhuc ipſius tempore conceptam aut lectam in Eccleſia, ſed ſolùm à tempore S. Hieronymi: quod non facilè oſtendent. Deinde, dato aut permiſſo quòd ſub eiſdem verbis à Melchiade exſcriptis verſio non fuiſſet facta ipſius tempore, ſed longè poſtea; dici poteſt, quempiam fortè librarium, aut alium exſcribentem Melchiadis Epiſtolam ſæculis ſequentibus, noluiſſe verba prædicti Pſalmi allegare juxta verſionem veterem, ſed juxta recentiorem Sancti Hieronymi, quæ à tempore S. Gregorii Magni in majori pretio & frequentiori uſu eſſe cœpit, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad S. Leandrum Hiſpalenſem, & clariùs lib. 2. *Moralium*, cap. 24. Quin & ipſe S. Iſidorus Collector præcipuus Conciliorum & Epiſtolarum Pontificiarum, & ſynchronos ejuſdem S. Gregorii, teſtatur ſuo ævo receptam fuiſſe ac majori in pretio habitam verſionem recentiorem, id eſt, S. Hieronymi, *quòd eſſet verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior*.

15. Fortaſſis etiam Iſidorus ipſe videns verſionem S. Hieronymi ſuo tempore jam receptam ubique in Eccleſia, & conformiorem textui Hebraico, curavit ut veterum Pontificum Epiſtolæ in ſua Collectione ita exſcriberentur, ut teſtimonia pleraque aut omnia Scripturæ in iis citata, eſſent juxta recentiorem verſionem S. Hieronymi, ad commodiorem uſum legentium. Hæc conje-

ctura, ſicuti & præcedens, ſatis veriſimilis eſt, & opportuna ad extricandum nodos plurimos hujus generis, quibus auctoritas earundem Epiſtolarum irretiri & implicari ſolet. Itaque breviter occurri poteſt iis omnibus alterutra ſolutione: vel quia verba ipſa Scripturæ ab iis Pontificibus allegata, exſtarent in exemplari ſacrorum Bibliorum, quo ii uſi ſunt: vel quòd progreſſu temporis ab exſcriptoribus, ſive ab ipſo S. Iſidoro mutata fuerint juxta verſionem recentiorem S. Hieronymi, quæ à tempore S. Gregorii & ejuſdem Iſidori celebrior & communis apud Chriſtianos omnes eſſe cœpit.

16. Denique quod objicitur ex §. ſecundo circa comparationem ſacramentorum Baptiſmi & Confirmationis, utrum eorum majus ſit; quaſi ea verba ſint longè alterius ſtyli & elegantiæ à præcedentibus, & mutuata ex Homilia illa de Pentecoſte multò poſtea ſcripta; non admodùm premit. Imprimis ſtylus non adeò diverſus eſt, ut non potuerit prodire ab eodem ſcriptore tota Epiſtola, licèt inæqualis quoad eam partem: cùm paſſim intra eundem librum, opuſculum, tractationem, aut Epiſtolã unius prorſus auctoris, appareat inæqualitas, & major aut minor elegantia aut barbaries quoad alias atque alias partes. Indeque eſt, ut vel in ſcriptoribus politiſſimis nonnullæ periodi, ſententiæ, aut etiam lucubrationes integræ, magis aut minus laudentur, in aliis impolitis, quædã mediocria, aut toleranda, quædam verò inæqualiter horrida legantur, licèt nemo prudens eundem eſſe auctorem dubitet. Quidni & hoc ipſum contigerit Melchiadi Papæ ſcribenti eo tempore, quo potiùs curæ erat ſimplicitas Chriſtiana & pietas Pontificibus Romanis, quàm uniformitas ſtyli, aut æqualitas, vel elegantia ſermonis? Qua ipſa reſponſione occurri facilè poteſt eidem argumento paſſim objici ſolito contra auctoritatem Epiſtolarum ferè omnium, quæ priſcis Pontificibus à Clemente uſque ad Syricium adſcribuntur.

17. Deinde non parum negotii faceſſit eruditis examen auctoris Homiliæ illius de Pentecoſte nondum adhuc palam noti. Joannes enim Gagnejus Cancellarius Pariſienſis, primus omnium in Bibliotheca VV. PP. editionis Colonienſis, Homiliam illam cum pluribus aliis edidit nomine Euſebii Emiſſeni, juxta vetera exemplaria, in quibus eidem adſcriptam teſtatur. Quod ipſum ferè cenſuerat antea Trithemius lib. *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, agens de eodẽ Euſebio Emiſſeno, cui eas Homilias tribuit inter plura alia ſcripta, & floruiſſe ait anno CCCL. Sed enim, uti rectè obſervârunt Andreas Schottus, Labbeus, & alii, Homiliæ illæ ab auctore Latini ſermonis peritiſſimo ſcriptæ fuerunt; ac proinde non ab Euſebio Emiſſeno, ita appellato, quòd eſſet Emeſſæ in Syria Epiſcopus, ubi ſolùm Syriacè, aut etiam Græcè ſcripſiſſe cenſendus eſt. Quare jam communiter ferè à recentioribus tribuuntur alteri Euſebio Epiſcopo natione Gallo, vel S. Eucherio Lugdunenſi. Quicumque verò prædictorum fuerit; certè is poſt tempus S. Melchiadis floruit & ſcripſit, ut proinde hic in Epiſtola præjacta non potuerit allegare ipſius verba.

18. Sed & notandum eſt, illa non exſtare in Homilia de Pentecoſte tributa Euſebio Epiſcopo Gallicano apud noviſſimam Bibliothecam VV. PP. Aniſſonianam Tomo VI. ubi demum edita legitur pag. 770. Similiter nec inter ſcripta S. Eucherii Lugdunenſis eodem Tomo exhibita invenio Homiliam aliquam de Pentecoſte, ubi exſtent verba illa quæ in Epiſtola Melchiadis leguntur, & notantur veluti longè poſteriora atque aſſuta. Dato autem, aut permiſſo gratis, quòd exſtarent apud Euſebium Gallicanum, vel Eucherium Lugdunenſem, aut quẽlibet alium Melchiade poſteriorem; putari debet hunc ab illo mutuâſſe potiùs quàm è converſo: ſicuti generatim reſpondimus ad ſimilia objecta Tomo I. Diſſert. IV. ellegata, præſertim à num. 26. uſque ad 32. Niſi fortè quiſpiam ante aut poſt tempus S. Iſidori Collectoris Epiſtolarum, quibuſdam illarum, & huic etiam Melchiadicæ, adjunxerit in margine verba ſcriptorum poſteriorum; quæ ſubinde aliquis imperitus aut ſciolus ſucceſſu temporis aſſuerit corpori ipſi ſive contextui Epiſtolarum earundem: ut ſæpè ibidem monui, præſertim num. 100. Inde verò ſummùm colligere liceret, interpolatas eſſe, non autem ſubdititias vel fictas.

19. Altera difficultas adversùs fidem ipſius Epiſtolæ petitur ex notatione temporis ejuſdem, Kalendis Martii, Voluſiano & Ruffino VV. Cl. Coſſ. cùm tamen Melchides jam obiiſſet anno proximè præcedenti die decima Decembris.

20. Sed facilè occurritur. Imprimis non omnino compertum eſt quonam anno Melchiades diem obierit. Licèt enim ut plurimum tres anni & ſex menſes Pontificatûs illi adſcribantur; Euſebius tamen in Hiſtoria & Chronico videtur illum extendere ad ſex annos: ac proinde non eſt facilè diſignare quibus Conſulibus deceſſerit.

21. Dato autem quòd ille rexerit Eccleſiam tribus annis & ſex menſibus tantùm, non ſatis oſtendi poteſt, die decima Decembris, qua mortuus fuit, non exſtitiſſe Conſules Voluſianũ & Ruffinum, ut in notatione Epiſtolæ habetur. Nam in Actis Mss. RR. Pontificum Sereniſſ. Reginæ Sueciæ, collatione facta cum Colbertinis, ita legitur: *Melchiades natione Afer ſedit annos tres, menſes ſex, dies ſeptem, ex die Nonas Julii, à Conſulatu Maximiani VIII. uſque ad Maxentium II. qui fuit menſe Septembris, VOLUSIANO ET RUFFINO CONSULIBUS.* Quod ſanè notationi temporis prædictæ conſonare videtur.

22. Sic pariter legitur in aliis multis codicibus Mss. nunc exſtantibus in Bibliotheca Vaticana. Omnes enim, aut ſaltem plerique antiquiſſimi, Epiſtolam eandem ad Conſulatum Voluſiani & Ruffini referunt. Si autem Conſulatus utriuſque cœpit menſe Septembri (incertum qua de cauſa) ut indicatur ſatis in teſtimonio nuper exſcripto; locus planè fuerit ut tribus pòſt menſibus, die decima Decembris intra eundem annum Melchiades humana poſuerit. Quo ſtatuto evaneſcit difficultas objecta.

23. Præterea in Faſtis Idacio tributis, partim à Sirmondo editis, pleniùs verò à Labbeo Tomo II. Bibliothecæ Mss. librorum, ac recuſis noviſ-

noviſſimè ab Emmanuele Schelſtrate in Appendice Tomi I. *Antiquitatis Eccleſiæ*, pag. 549. & ſeqq. indicato ad oram anno Chriſti CCCXI. dicitur κατὰ πόδας: *Maximiano VIII. Conſule. His Coſſ. quod eſt, Ruffino & Voluſiano, diem functus Maximianus Junior*. Vides pariter utrumque eorum conjunctum: & ſolùm ſupereſt veſtigare, an eodem anno Melchiades Epiſtolam præjactam ſcripſerit. At cur non ita, cùm tot Mss. in eodem Conſulatu utriuſque tempus illius collocent?

24. Parum ab iis variat Liber Pontificalis correctus à Luca Holſtenio ex præſtantiſſimis Italiæ codicibus, & prælo datus ab eodem Schelſtrate ubi paullò antè. Legitur enim ibidem pag. 443. *Miltiades natione Afer ſedit annos tres, menſes ſeptem, dies duodecim, ex die Nonas Julii, à Conſulatu Maxentii uſque ad Maximum II. qui fuit menſe Septembris, VOLUSIANO ET RUFFINO Coſſ.* Scilicet Conſules non ſolùm creatos fuiſſe menſe Januario, ſed etiam Martio, Majo, Quinctili circa ſolſtitium, necnon Kalendis Septembris, aut Idibus Decembris, juxta variam rationem temporum; jam monuimus Tomo I. Diſſert. X. num. 9. ex Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 6. *Antiquit. Romanarum*, cap. 43. & lib. 9. cap. 31. & lib. 11. cap. ultimo: atque ex Marliano in Annalibus Conſulum pag. 5. allegante Livium & Ciceronem in eundem ſcopum. Itaque videtur ſatis conſtare tot teſtimoniis, ut plura alia miſſa faciam, Melchiadem Pontificatum geſſiſſe ſub Conſulatu Voluſiani & Ruffini, & eandem Epiſtolam ſcripſiſſe, prout in exemplaribus illius habetur, quicquid ſit de anno Eræ Vulgaris quo mortuus eſt.

25. Quapropter nimiùm delicati ſunt qui ex eo capite auctoritatem hujus Epiſtolæ negànt, cùm tot ſint Faſtorum, Manuſcriptorum, Epocharum, & auctorum varietates, quorum pleriſque concordat notatio illius, licèt nonnullis aliis diſſentiat. Vide quæ aliàs monuimus adversùs ſimiles exceptiones aut objectiones Tomo I. Diſſert. IV. citatâ, necnon Diſſertat. X. & XIII. ac præterea pluribus earum Epiſtolarum non fuiſſe ab initio adjectos Conſules, ſed poſtea ab exſcriptoribus ex conjectura additos fuiſſe, ut Binius obſervat.

EPISTOLA LIBERII PAPÆ
AD
OSIUM EPISCOPUM CORDUBENSEM,
De lapſu Vincentii.
CIRCA ANNUM CHRISTI CCCLIII.

QUIA in nullo conſcientiam tuam debeo præterire, multi ex Italia Epiſcopi convenerunt, qui mecum Imperatorem Conſtantinum fuerant deprecati, ut juberet, ſicut ipſi placuerat dudum, Concilium Aquilejenſe congregari. Vincentium Capuenſem cum Marcellò, æquè ex Campania Epiſcopo, legationem noſtram ſuſcepiſſe, ſanctitati tuæ inſinuo. De quo cùm multa ſperarem, quòd & cauſſam optimè retineret, & judex in eadem cauſſa cum ſanctitate tua frequenter reſediſſet; credideram Dei Evangelium ſua legatione poſſe ſervari. Non tantùm nihil impetravit; ſed & ipſe in illam ductus eſt ſimulationem. Poſt cujus factum, duplici mœrore confectus, moriendum magis pro Deo decrevi, ne videar noviſſimus delator exiſtere: nam videtur ſententiis accommodâſſe conſenſum.

NOTÆ VARIORUM.

EPISTOLA hæc eruta fuit à Card. Baronio ex Codice Vaticano 2672. cujus eſt inſcriptio: *Concordia Canonum*. Ex ea autem patet quanto in pretio haberet Liberius Papa Oſium, & qualiter ipſius adjutorio atque auctoritate uteretur ad graviores cauſſas expediendas. Nimirum ab eo tempore, quo ſub Imperio Maximiani, & Præfectura Daciani in Hiſpania, paſſus fuit tormenta & vibices pro Fide Chriſti apud Cordubam, circa annum CCCIV. ſemper toti Eccleſiæ venerabilis exſtitit, toto ferè Imperio Conſtantini & Conſtantii, ſub Pontificatibus Sylveſtri, Marci, Julii, & Liberii, ut ſuſiùs monuimus Diſſert. III. CARD. DE AGUIRRE.

Conſtantius victoriâ Maxentii elatus, publico edicto mandârat, ut Ariani in communionem Eccleſiæ reciperentur, Athanaſius verò condemnaretur. Liberius ut eum à concepto furore placare poſſet, atque imminentem non tam adversùs Athanaſium, quàm univerſam Eccleſiam Catholicam, ac præſertim in Occidentales Epiſcopos, perſecutionem anteverteret; deputatos anno præcedente legatos, Vincentium atque Marcellum, ad Conſtantium Arelate in Gallia agentem ablegavit,

gavit, qui de cogendo Aquilejæ Concilio illum interpellarent. Arelatem venientes, invenerunt ibi complures Arianæ factionis Epiſcopos, & aliquos Occidentales, Saturninum, & Fortunatianum Aquilejæ Epiſcopum, quos Ariani per Conſtantium in ſuam communionem pellexerant. Vincentius horum importunitate ſolicitatus, & imperio Conſtantii deceptus, tandem (proh ſcelus!) vel precibus vel minis Arianorum aut Conſtantii inflexus, ſummi Fidei athletæ, innocentiſſimique viri Athanaſii damnationi turpiſſimè ſubſcripſit, ſuoque exemplo omnes propè Italiæ Epiſcopos ad idem ſcelus committendum induxiſſet, niſi ſecunda legatio Pontificis per Luciferum Epiſcopum ejuſque collegas id impediviſſet. Hæc ex Severo lib. 2. Epiſt. Liberii ad Cõſtantium & Euſebium, & Apolog. Athanaſii ad Conſtantium. Baronius an. CCCLIII. num. 15. & ſeqq. Binius.

CONCILIUM CORDUBENSE

Præſide Oſio celebratum

anno circiter CCCL. vel juxta alios CCCLX.

Ex Synodico, apud Labbeum Tomo II. Concil. pag. 91.

1. ΔΙΟΠΕΡ Κορδύβης Ἐπίσκοπος ὁ πανόσιος Σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐπισκόπων ἐν τῇ οἰκείᾳ πόλει συγκαλεσάμενος, τὸ θεόθεν ἐκτεθὲν ἐτράνωσε μάθημα· κατακρίνας οὓς ἡ Σαρδικὴ ἀπεκήρυξε Σύνοδος· καὶ οὓς πάλιν ἐδικαίωσε, προσδεξάμενος.

Quapropter Corduba Epiſcopus ſanctiſſimus Oſius Synodum divinam & ſanctam Epiſcoporum ſua in civitate convocans, divinitus expoſitam illuſtravit doctrinã; condemnans eoſdem quos Sardicenſis abdicaverat Synodus, & quos ea abſolverat, recipiens.

---

2. De hoc Concilio, ejuſque tempore, & occaſione quâ celebratum fuit, ſatis egimus ſuprà Differt. II. Excurſu I. ubi & diximus quinam fuerint Epiſcopi in eo abdicati, quinam autem ſuis Sedibus reſtituti. Quapropter nihil hoc loco addendum cenſuimus.

3. Præterea ibidem Excurſu III. multipliciter oſtenſum fuit, Oſium & Patres cæteros Sardicenſis Concilii, ſicut & Eliberitani, longè antea celebrati, alieniſſimos fuiſſe à labe Novatianiſmi, dum tot ſeveros Canones ediderunt, quibus multis graviſſimorum ſcelerum reis interdicebatur communione, etiam in fine vitæ. Ut autem appareat uberiùs, eam ſeveritatem nihil cum Novatianis habuiſſe commune; viſum hoc loci exhibere tres Epiſtolas S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, florentis eodem tempore quo Oſius. In iis ex inſtituto refellit Novatianos; ſed ita ut diſciplinam Eccleſiaſticam tueatur, in eo gradu & aſperitate, quâ tunc recepta fuerat in Hiſpania, immo & in Gallia à tempore Concilii I. Arelatenſis celebrati anno CCCXIV. cujus multi Canones omnino reſpondent Eliberitanis: uti oſtendimus loco citato Excurſu II. num. 26. & ſeqq. Quemadmodum autem nemo unquam Novatianiſmi incuſavit Patres Concilii illius Arelatenſis, nec S. Pacianum, ob diſciplinam aliquantò rigidiorem; ita nemo jure incuſare poteſt Oſiũ, aut reliquos Patres Eliberitanos vel Sardicenſes ex eodem capite.

4. Exhibeamus itaque Epiſtolas ipſas Paciani adverſus Novatianos: ſed longè correctiores, quàm antea prodierint. Card. de Aguirre.

SANCTI PACIANI
EPISCOPI BARCINONENSIS
EPISTOLÆ TRES
AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM.

Prima de Catholico nomine : Secunda de literis ejuſdem Semproniani : Tertia contra tractatus Novatianorum.

Collatæ modò cùm Ms. pulcherrimo Sereniſſimæ Suëcorum Reginæ, octingentorum circiter annorum antiquitatis, exſtante nunc in Bibliotheca Vaticana, additâ ad marginem varitate lectionum.

UT Defenſio Patrum Concilii Eliberitani jam præmiſſa, majus robur accipiat, conſtetq́ uberius errorem Novatianorum procul ab iis fuiſſe, immò & à tota Hiſpania eo quarto ſæculo; placuit hoc loco exſcribere Epiſtolas tres celebres S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis; præſertim poſtremam earum, adverſus eandem hæreſim. Floruit verò Pacianus circa medium ejus ſæculi: utpote qui inclinante illo circa annum CCCLXXX. ſub Imperio Theodoſii Magni in extrema ſenectute erat. Viſum autem præmittere, quid de illo S. Hieronymus, quid etiam recentiores aliqui dicant. Card. de Aguirre.

S. HIERONYMUS IN CATALOGO ECCLESIASTICORUM SCRIPTORUM.

2. *PACIANUS in Pyrrhinæi jugis Barcilonæ Epiſcopus, caſtitate & eloquentia, & tam vita quàm ſermone clarus, ſcripſit varia Opuſcula, de quibus eſt* Κἐρβος, *& Contra Novatianos. Sub Theodoſio Principe in ultima ſenectute mortuus eſt.*

CARDINALIS BELLARMINUS LIBRO DE SCRIPTORIBUS ECCL.

3. *PACIANUS Epiſcopus Barcilonenſis, obiit Theodoſio imperante, & ſcripſit Epiſtolas tres contra Novatianos, quarum meminit S. Hieronymus in libro* De ſcriptoribus Eccleſ. *Nunc verò in Bibliotheca Patrum, & ſeorſum in editione Romana anni Domini MDLXIV. non ſolùm exſtant tres illæ Epiſtolæ, ſed etiam Parænеſis ejuſdem Paciani ad Pœnitentiam, & libellus* De Baptiſmo. *Neque aliquid occurrit, unde de eorum librorum auctoritate dubitari poſſit.*

PHILIPPUS LABBE IN DISSERTATIONE DE SCRIPTORIBUS ECCL.

4. *PACIANUS Barcinonenſis in Pyrenæi jugis Epiſcopus, vixit ſæculo Chriſti quarto, obiitq́ jam ultima ſenectute die 9. Martii, imperante Theodoſio Seniore, circa annum CCCLXXX. Vide cap. 106. Catalogi* De ſcriptoribus Eccleſiaſticis, *quem S. Hieronymus dicavit ejuſdem Paciani filio Flavio Lucio Dextro, Præfecto Prætorio; & Sophronius S. Hieronymi æqualis in Græcum ſermonem tranſtulit, &c.*

EPISTOLA PRIMA SANCTI PACIANI

AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM

De Catholico nomine.

Pacianus Semproniano fratri [a] *ſalutem.*

5. SI non carnalis intentio, ſed ut ego arbitror, vocatio ſpiritualis eſt, Domine, quòd ex nobis Fidem Catholicæ veritatis examinas: tu potiſſimùm quæ vel quàm diverſa [c] ſequeris indicare debueras, qui à rivulo procul in quantum apparet exorſus, fontem atque originem principalis Eccleſiæ non tenebas; [d] te, ut quæ cauſſa potiſſimùm de unitate corporis noſtri ſolviſſet, aperires: nudari enim eas partes oportet, quibus medicina depoſcitur. Nunc clauſo (ut ita dixerim) literarum ſinu, quæ membra nobis potiſſimùm curanda ſint, non videmus. Tantæ enim à capite Chriſtiano hæreſes exſtiterunt, ut nominum ipſorum ſit volumen immenſum. Nam ut Judæorum hæreticos prætermittam, Doſytheum Samaritanum, Sadducæos, & Phariſæos, quanti Apoſtolorum temporibus emerſerint, dinumerare perlongum eſt. Simon magus, & Menander, & Nicolaus, & cæteri quos fama recondit obſcura. Quid poſterioribus temporibus Ebion, & [g] Appelles, & Marcion, & Valentinus, & Cerdon; nec longè poſt eos, Cataphryges, & Novatiani, ut examina novella prætere am [h].

6. Quis ergo mihi primùm per literas refutandus eſt? ipſa ſi voles nomina omnium charta non capiet; niſi quòd ſcriptis tuis, pœnitentiam uſquequaque damnantibus, ſecundùm Phrygas te [i] aſſenſiſſe pronuncias. Verùm his ipſis, domine clariſſime, tam multiplex & diverſus eſt error, ut non hoc unum in illis quod contra pœnitentiam ſapiunt; ſed quaſi quædam capita Lernæa cædenda ſint. Et primùm hi pluribus nituntur auctoribus: nam puto, & Græcus [l] Blaſtus ipſorum eſt: Theodotus quoque & Praxeas veſtros aliquando docuêre; ipſi illi Phryges nobiliores, qui ſe animatos mentiuntur à Leucio, ſe inſtitutos à Proculo gloriantur. Montanum, & Maximillam, & Priſcillam ſequuti, quàm multiplices controverſias excitârunt de Paſchali die, de Paracleto, de Apoſtolis, de Prophetis: multaque alia, ſicut & [n] de Catholico nomine, de venia pœnitentiæ.

7. Quare ſi omnia iſta diſcutere velimus, [o] docili præſentia opus eſt: ſi hæc ſola quæ ſcribis non ſatis inſtruerem, tamen quia [p] quomodo admirantibus ſerviendum eſt, informandi tui gratiâ, ſummatim ad ea de quibus ſcribere dignatus es colloquimur. Si quid ſcire pleniùs de noſtro voles, oportet ut de tuo profiteare ſimpliciùs, ne obſcuriùs conſulendo, non ſcire nos facias, utrum interroges an laceſſas.

8. Interea quod ad præſentes [r] pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipſum auctoritatem mutueris errori, quòd (ſicut ais) per orbem totum nullus [s] intus ſit, qui te revinceret aut perſuadere tibi poſſet contrà quàm crederes. Nam & ſi nos imperiti, peritiſſimus Dei Spiritus; & ſi nos infideles, fidelis Deus, qui negare ſe non poteſt. Tum porrò quod [u] obtinendo ſacerdotibus Dei diu contendere non licebat; *Nos* (inquit Apoſtolus) *talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Poſt unam correptionem, ſicut ſcis ipſe, contentioſus omittitur. Perſuadere autem quis aliquid poſſit invito? Tua ergo frater, non illorum culpa eſt, ſi tibi quod erat optimum nemo perſuaſit. Nam & hodie in poteſtate tua eſt, ut noſtra etiam ſcripta contemnas, ſi ea mavis vincere quàm probare. Cæterùm & ipſi Domino, & Apoſtolis ejus plurimi reſtiterunt, nec perſuaderi veritas cuiquam potuit, niſi [x] ei propria religione conſenſit.

9. Itaque, domine, & nos non eâ fiduciâ ſcripſimus, quâ repugnanti aliquid perſuadere poſſimus; ſed ea fide, quâ volenti, bonæ pacis aditum non negemus; quæ ſi animo tuo [y] & cordi eſt, de Catholico nomine nullum [z] habet eſſe luctamen. Si enim per Deum id populus noſter adipiſcitur, nec interrogandum eſt, præcedente auctoritate divina. Si per hominem; quando uſurpatum, detegendum. Tunc ſi bonum nomen eſt, non recipit odium; ſi malum, caret invidiâ. Novatianos audio de Novato aut Novatiano vocari: ſectam tamen in his, non nomen accuſo: nec Montano aliquis, aut Phrygibus nomen objecit.

10. Sed ſub Apoſtolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Eſto, ſic fuerit, vel illud indulge. Cùm poſt Apoſtolos hæreſes exſtitiſſent, diverſiſque nominibus columbã Dei atque reginam lacerare per partes & ſcindere niterentur; nonne cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, [a] quo incorrupti populi diſtin-

a Deeſt. *Vat.*
c Sequereris. *Vat.*
d Ut quæ vos e. p. τὸ te, deeſt. *Vat.*
g *Apelles.* Et ita ſemper. *Vat.*
h Prætercam? *Vat.*
i Senſiſſe. *Vat.*
l Et Blaſtus. *Vat.*
n Et hoc de. *Vat.*
o Doc. præſentiam neceſſarium eſt. *Vat.*
p Quoquo modo adjurantibus. *Vat.*
r Literas. *Vat.*
s Inventus ſit. *Vat.*
u Obnitente. *Vat.*
1. Cor. 11. Tit. 3. 6.
x Niſi qui ei. *Vat.*
y *Et*, de eſt. *Vat.*
z Debet. *Vat.*
a Qua. *Vat.*

diſtingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Ego fortè ingreſſus populoſam urbem hodie cùm Marcionitas, cùm Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros ejuſmodi comperiſſem qui ſe Chriſtianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur? Age, quis cæteris plebibus nomina tanta largitus eſt? Cur tot urbibus, tot nationibus ſua quæque deſcriptio eſt? Ipſe ille qui Catholicum nomen interrogat, cauſſam ſui nominis neſciet [b], ſi requiram unde mihi traditum eſt? Certè non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non cecidit. Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit auctores.

b Neſciet ſi requiram? *Vat.*

11. Multos nos Spiritus ſanctus edocuit, quem Paracletum Apoſtolis & magiſtrum Deus miſit è cœlis; multa ratio ſicut dicit Paullus, & honeſtas, & (ut ait) ipſa natura. Quid? Parva nobis de Apoſtolicis viris, parva de primis ſacerdotibus, parva de beatiſſimo Cypriano martyre, atque Doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem? An ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur adversùs eum, quem æterni Dei teſtem, nobilis cruor, & clariſſimæ paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium ſacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una ſolidavit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Age, ſi illi, uſurpando nomini huic, auctores idonei non [d] fuerint; nos idonei erimus negando? Et noſtram potiùs auctoritatem patres ſequentur, & emendanda Sanctorum cedet antiquitas, & jam putreſcentia vitiis tempora, canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent? nec tamen æſtues frater: Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.

d Fuerunt. *Vat.*

12. Et ſi reddenda poſtremò Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana; Catholicus [e] ubi unum vel (ut doctiores * putant) obedientia [f] omnia nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei. Unde Apoſtolus: *Si in omnibus obedientes eſtis*. Et iterum: *Sicut enim per* [g] *obedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi;* [h] *ſic per obeditionem unius, juſti conſtituentur multi*. Ergo qui Catholicus, idem [i] juſti obediens. Qui obediens, idem eſt Chriſtianus, atque ita Catholicus Chriſtianus eſt. Quare ab hæretico nomine noſter populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur: ſed & ſi Catholicus ubique unum eſt, ſicut ſuperiores putant, idipſum David indicat dicens: *Aſtitit regina in veſte aurata, &* [k] *variegata*. hoc eſt, una in omnibus. Et in Cantico Canticorum Sponſus hæc loquitur: *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa eſt genitrici ſuæ*. Et iterum: *Adducentur Regi virgines poſt eam*. Et adhuc: *Adoleſcentulæ quarum non eſt numerus*. Ergo in omnibus una, & una ſuper omnia. Si rationem nominis quæris, apparet.

e Vbique unum, vel &c. *Vat.*
* Doctores. *Vat.*
f Omnium. *Vat.*
Rom. 5.
g Inob. *Vat.*
Καθολικός
Univerſalis.
h Sic per dicto audientiam un. *Vat.*
i *Juſti*, deeſt *Vat.*
k Varietate. *Vat.*
Pſal. 44.
Cant. 6.
Pſal. 44.

13. De pœnitentia verò, Deus præſtet ut nullis fidelibus neceſſaria ſit, nemo poſt ſacri fontis auxilium, ſoveam mortis incurrat; nec tarda ſolamina ingerere ſacerdotes, aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei noſtri, miſeris, non beatis; nec ante peccatum, * ſed poſt peccata detegimus: nec ſanis medicinam, ſed malè habentibus nunciamus. Si nihil in baptizatos poſſunt nequitiæ ſpirituales, nihil fraus illa ſerpentis, quæ primum ſubvertit hominem, quæ poſteris ejus tot titulos damnationis impreſſit; ſi receſſit à mundo, ſi regnare jam cœpimus, ſi nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus noſtris crimen obrepit, abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologeſis, nulli gemitus audiantur: contemnat omne remedium ſuperba juſtitia.

* *Non enim opus eſt medico valentibus*.
Matth. 9.
Matth. 2.

14. Quòd ſi hæc homini ſuo Dominus [m] providit, ſi idem ſtantibus præmia, qui jacentibus remedia largitus eſt; deſinite divinam accuſare pietatem, tot cœleſtis clementiæ titulos objectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere. Non largimur iſta de noſtro. *Convertimini ad me*, (dicit Dominus) *ſimulque* [n] *in jejunio & fletu, & planctu ſcindite corda veſtra*. Et iterum: *Relinquat impius vias ſuas,* [o] *& convertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur*. Itemque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniam Deus pius & mitis & patiens,* [p] *& qui reflectat ſententiam adversùs malitias irrogatam*. Habetne tam diuturnum ſerpens venenum; [q] & Chriſtus non habet medicinam? Diabolus in [r] mundo interficit; Chriſtus hìc non poteſt ſubvenire? Pigeat ſanè peccare, ſed pœnitere non pigeat. Pudeat periclitari, ſed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis ſanandis vulneribus invidebit? An non David dicit: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, in lacrymis ſtratum meum rigabo*. Et iterum: *Peccatum meum ego agnoſco, & facinus meum non texi*. Et adhuc: *Dixi* [s] *confitebor adverſùm me delictum meum Deo meo, & tu remiſiſti* [t] *impietatem cordis*. Nonne ille [u] poſt cædis & adulterii reatum, pro [x] Bethſabee pœnitenti, Propheta reſpondit: *Dominus abſtulit à te peccatum tuum?* [y] Num Babylonium regem poſt tot idololatriæ facinora damnatum, exomologeſis [z] non liberavit? Et quid eſt quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, reſurget; & qui adverſus fuerit, convertetur?* Quid illa tot ſimilitudinum Dominicarum argumenta reſpondent? Quòd drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam? Quòd paſtor ovem reportat erraticam? Quòd filio revertenti poſt * prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem oſtenſa ratione caſtigat? *Filius* (inquiens) *meus hic mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus eſt*. Quid ille in via vulneratus, à Levita & ſacerdote præteritus? nonne curatur?

m Ipſe pr. *Vat.*
Ioel. 2.
n Τὸ *In*, abeſt. *Vat.*
Prov. 28.
o Et vir facinoroſus cogitationes ſuas. *Vat.*
Joel. 4.
p Fit, & q. *Vat.*
q Τὸ *Et*, abeſt. *Vat.*
r Hoc m. *Vat.*
Pſalm. 6.
Pſalm. 31.
Ibidem.
s Proſequar. *Vat.*
t Impietatem cordis mei. *Vat.*
u Illi. *Vat.*
x Berſabee. *Vat.*
Hierem. 8.
y Non. *Vat.*
z Non, abeſt *Vat.*
* *A prodigo, qui prodactum' juxta Catonis dictum: propter viam facere*.
Luc. 13.

15. Revolve quæ ſpiritus dicat Eccleſiis. Epheſios deſertæ dilectionis accuſat, ſtuprum [b] Tiathyrenis imputat, Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis invitat. Quid Apoſtolus ad Corinthios, cùm

Apo. 2.
b Tyathirenſis. *Vat.*

2. Cor. 12. ita dicit; *Ne cùm venero, lugeam multos ex his, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ex his*
Galat. 6. *quæ ante geſſerunt in fornicatione & immunditiis ſuis?* Quid quum rurſus ad Galatas: *Si quis præven-*
tus fuerit in aliquo delicto (id eſt, *quocumque*) *vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite ejuſmodi in ſpiritu manſue-*
tudinis, cavens ne & tu tenteris. At numquid pater-familiâs in magna domo, argentea tantùm & aurea
vaſa cuſtodit? [d] Nonne & fictilia & lignea & compoſita quædam & refecta dignatur? *Nunc gaudeo* (in-
d Non &, *Vat.* quit Apoſtolus) *quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Et iterùm: *Quia ſecundùm Deum triſtitia pœni-*
Cor. 7. *tentium in ſalutem ſtabilem operatur.* Sed pœnitere non licuit. Nemo ſine fructu imperat laborem. *Di-*
e Operarius, *Vat.* *gnus eſt enim* [e] *mercenarius mercede ſua.* Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret
Luc. 10. pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. verum eſt, ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius
poteſtas eſt. Nam quid eſt illud quod Apoſtolis dicit; *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis.*
Et [f] *quæcumque ſolveritis in terris, ſoluta erunt & in cælis?* Cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſolvere
non licebat? An tantùm hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum ſanctum dare
Matth. 16. ſolis, & ſolis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quàm Apoſtolis imperatum eſt.

16. Quòd ſi uno in loco & reſolutio vinculorum & ſacramenti poteſtas datur; aut totum ad nos ex
1. Cor. 3. Apoſtolorum forma & poteſtate deductum eſt; aut nec illud ex decretis relaxatum eſt. *Ego* (inquit)
fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Hoc ergo ſuperædificamus, quod Apoſtolorum doctrina
fundavit. Denique & Epiſcopi, Apoſtoli nominantur, ſicut de Epaphrodito Paullus ediſſerit, *Fra-*
trem & commilitonem (inquit) *meum; veſtrum autem Apoſtolum.*

g τὸ Et, abeſt, *Vat.* 17. Si ergo & lavacri & Chriſmatis poteſtas, majorum [g] & longè chariſmatum, ad Epiſcopos inde
deſcendit; & ligandi quoque jus adfuit atque ſolvendi. Quòd etſi nos ob noſtra peccata temerariè vin-
Phil. 2. dicamus; Deus tamen illud, ut ſanctis, & Apoſtolorum Cathedram tenentibus, non negabit; qui Epi-
ſcopis etiam unici ſui nomen indulſit.

h Reverentis, *Vat.* 18. Plura ſcriberem, frater, ni & celeritate pueri [h] revertentis urgerer, [i] & vel præſenti tibi, vel
i τὸ Et, deeſt. de omni propoſito confitenti, copioſiora ſervarem. Nemo Epiſcopum hominis contemplatione deſpi-
Vat. ciat. Recordemur quòd Petrus Apoſtolus Dominum noſtrum Epiſcopum nominârit. *Sed converſi*
2. Petr. 2. (inquit) *modo ad Epiſcopum & Paſtorem animarum veſtrarum.* Quid Epiſcopo negabitur, in quo
Dei nomen operatur? Reddet quidem ille rationem ſi quid perperam fecerit, vel ſi corruptè & impiè
judicaverit; nec præjudicatur Deo, quominus mali ædificatoris opera reſcindat; interea ſi pia illa ad-
l Donaſtis. *Vat.* miniſtratio eſt, adjutor Dei operum perſeverat. Ecce Apoſtolus ad laïcos ſcribit; *Si cui quid* [l] *dona-*
2. Cor. 2. *tis, & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non* [m] *poſſideatur*
m Poſſideamur, *Vat.* *à ſatana. non enim verſutias ejus ignoramus.* Si autem quod laïci donant, Apoſtolus donâſſe ſe dicit;
quod Epiſcopus fecerit, qualiter reſpuetur? Ergo nec Chriſma, nec Baptiſma, nec criminum remiſſio,
nec innovatio Corporis, ſanctæ poteſtati ejus indulta eſt: quia nihil propria uſurpatione mandatum eſt,
totumque id ex Apoſtolico jure defluxit.

19. Scio, frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere magnoque libramine, poſt multos gemitus effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet. Si apertiùs quid tu ſentias, ſcripſeris, frater; pleniùs inſtruêris.

OBSERVATIO IN HANC EPISTOLAM.

CATHOLICUS ubique unum.] *Eccleſiam* Catholicam *appellari Græca dictione, quòd ubique terrarum diffundatur, interpretatur D. Auguſt. Epiſt.* 170. Ad Severinum. *Et in Breviculo* Contra Donatiſtas *collationis* 3. *diei cap.* 3. *narrat dixiſſe Catholicos, meritò ſe tales eſſe & vocari, quòd Eccleſia toto Orbe diffuſa communicarent: reſpondiſſe verò Donatiſtas; non Catholicum nomen ex univerſitate gentium, ſed ex plenitudine ſacramentorum inſtitutum. Alioqui Epiſtolâ* 48. *cùm reprehendit Vincentium ex hæreſi Rogatiana, quòd acutum aliquid dicere ſibi videretur, cùm Catholicæ nomen non ex totius Orbis communione, ſed ex obſervatione omnium præceptorum divinorum, & omnium ſacramentorum interpretaretur; non tam illam reprehendit nominis interpretationem (quam hoc loco doctiorum eſſe dicit D. Pacianus) quàm quòd ex ea perſuadere nitebantur Rogatianiſtæ ſe remanſiſſe ſolos qui ex divinorum præceptorum obſervatione Catholici rectè appellarentur. Mihi enim multò potiùs videtur illam probare cùm enarratione in Pſal.* 65. Eccleſia (*inquit*) totum tenet, hæretici in parte ſunt. *Illa enim eadem Epiſt.* 48. *non negat fortè appellari Catholicam, non à toto orbe terrarum, ſed à toto quod veraciter tenet,* cujus veritatis (*inquit*) nonnullæ particulæ in diverſis etiam hæreſibus inveniuntur. ANONYMUS.

Ad num. 19. *Scio frater*, &c. Ita perſtringit S. Pacianus Novatianos veniam negantes lapſis poſt Baptiſmum, ut tamen acerbitatem pœnitentiæ commendet verbis iis graviſſimis, quò veniam ſcelerum conſequantur. Lege, & expende. Miraberis profectò nimiam facilitatem, immo temeritatem eorum, qui lapſis in peccata gravia & multa, non præeunte debita diſpoſitione veræ pœnitentiæ, abſolutionem impendere audent. CARDINALIS DE AGUIRRE.

SANCTI

SANCTI PACIANI
BARCILONENSIS EPISCOPI
AD SYMPRONIANUM.
De ejus literis.
EPISTOLA SECUNDA.

Pacianus Epiſcopus Semproniano fratri ſalutem.

20. IN quæſtione prolixa quantum potero brevitatem ſequar. Neque tibi, frater, ſub interrogationis bonæ ſpecie occulta verborum tela jaculanti atque objicienti, quæ ipſe machinare, aliquam vicem malitiæ repenſabo. *Orare pro perſequentibus jubemur, maledicentibusq; benedicere*. Fraus enim quaſi vulpeculæ, vis [a] autem leonis eſt: utrumque ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna majore. Nam cùm plus [c] nocere credas, quaſi ignarus interrogas; cùm docere te putes, ſimulas erudiri. *Rabbi*, Dominum vocabant veteres Phariſæi, cùm ænigmata legis opponerent: magiſtrum appellabant, cùm ſibi omne magiſterium vindicarent. Quidlibet agas, frater, totum ex me ſimpliciter recognoſces. Malo imperitus quàm malitioſus intelligi: malo fatuus, quàm callidus judicari.

Matth. 5.
a Τὸ *Autem*, abeſt. *Vat.*
c Nôſſe te ex *Vat.*

21. Quare priuſquam rationem Fidei noſtræ (de qua moveris) aſſignem, accipe pauca de literis tuis, quas tractatui prætuliſti. Refectum eſſe te dicis prioribus Epiſtolis meis, & ſtatim addis, me cum amaritudine reſpondiſſe quæ ſcripſerim. Si amara reficiunt, quid dulcia operentur, ignoro; niſi [d] quia, ut in medicinæ poculis, ſolet amarum magis quàm dulce medicari. Sed quæſo, literas meas [e], an aliquo felle reſperſæ ſint, quid ſuperbum, quid inſuave reſponderim. Plures me ais hæreſes nominâſſe, de quibus nemo quæſierit. Age, quid tua, ſi hæreticus non eras? Qui cùm de Fide noſtra quæſtionem moveres, & doceri velle te diceres; ſcripſi ignorantiæ cauſſas eſſe multiplices, quæ vos potiſſimùm haberet, ut [f] aperires, ne retexendis pluribus æſtuarem.

d Τὸ *Quia*, deeſt. *Vat.*
e Meas repetas, an *Vat.*
f *Ut*, deeſt. *Vat.*

22. De Catholico nomine multa reſpondi placidè. Dixi enim, nihil alterius intereſſe quid alius vocaretur. Ac ſi vim nominis poſtulares, quodcumque [g] illud eſſe mirificum, ſeu unum in omnibus, ſeu unum ſuper omnia, ſeu, quod antè non dixi, filius regis, id eſt populus Chriſtianus. Adeò certè non inditum nobis quod per ſæcula tanta non caderet. Et ſanè gratulor, quòd licèt alios antepoſueris; etiam circa nos aſſentiare de nomine. Quid ſi negares? Natura clamaret. Aut ſi adhuc dubitas, taceamus. Ambo quod vocabimur hoc erimus, teſte nominis vetuſtate. Cæterùm ſi pertinaciùs flagitaveris; vide ne tibi vir ille virtutis exclamet: *Quid interrogas nomen meum? Et ipſum eſt mirabile*. Tunc addidi ſanè, unde Catholici nomen hoc traherent, non eſſe reputandum; quia nec Valentinis ſi à Valentino, nec Phrygibus ſi à Phrygia, nec Novatianis ſi à Novatiano vocarentur, imputari ſolere. Hîc tu graviter commoveris, & quaſi aculeo fixus erigeris. nam ſic iratus exclamas: Numquid Cypriano ſancto viro hoc obeſt, quòd populus ejus Apoſtaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel * Syndreum? Conviciaris, & ecce non moveor. Horum ne aliquid appellati ſumus? Interroga ſæculum, frater, totoſque ex ordine annos, an nobis nomen hoc hæſerit, an Cypriani populus aliud quàm Catholicus nominatus ſit. Nunquam nomen ullum ex his audivi. Jam vide, ſi vocari aliquis eo nomine potuit, quod ſibi neſcit impoſitum. Quid ergo? Maledicta ſunt iſta, non nomina: & maledicta iraſcentium, maledicta petulantium. Quotvis & ego vos poſſum appellare nominibus, ſi liceat iraſci. Cyprianum *Sanctum* vocas, & populum [i] ejus *Apoſtaticum*? Quomodo? *Si initium ſanctum,* * *& farina; & ſi radix ſancta, & rami.* Egone Apoſtaticus, an Novatus? Novatus, inquam, patre prodito, Eccleſiâ derelictâ, partu uxoris effuſo. Egone Apoſtaticus, an Novatianus, quem abſentem Epiſtola Epiſcopum finxit, quem conſecrante nullo linteata ſedes accepit. Verùm iſta poſteriùs: interim ipſi vos dicite quid vocemini.

g Illud eſſet, eſſe m. *Vat.*
Jud. 13.
* Arbitror hîc legẽdũ συνωδεων. eſt autem convicium à Concilii nomine ductum in invidiam Cypriani.
i Ipſius. *Vat.*
* *Romanos 11.* εἰ δὲ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα. καὶ εἰ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι.

23. Negatiſne Novatianos à Novatiano vocari? Quodlibet [k] nomen imponas, ſemper iſtud hærebit. Scrutare totos, ſi videtur, annales, & crede tot ſæculis; reſpondebis Chriſtianum. Inquirente me genus ſectæ; Novatianum non inficiaberis. Nec tamen ego Novatiani tui nomen accuſo, quod toties requiſitum circumloquentibus [l] lineis, & operto quodam ſinu claudis. Fatere ſimpliciter, nihil eſt ſceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abſcondis? quid cauſſam nominis erubeſcis? Cùm primùm ſcripſeras Cataphrygem putabam. Tunc [m] ſecundis quidem literis confiteris? Meo invides no-

k Illis nom. *Vat.*
l Lineris. *Vat.*
m Tunc. *Vat.*

nomini, & tuum vitas? Vide quid ſit pudoris in cauſſa quæ refugit quod vocatur.

24. Quæ caſtigas & agis? quaſi ad rhetorem venerimus, aut ars ſit tractanda, aut de verſibus Virgilii [o] verſus enarrare? Cùm plures hæreticos nominâſſem, addidi: *Et quos fama recondit obſcura*. Et unde tu hoc de Virgilii verſu tractum putas, ſi Virgilium omnino non noveras? Atqui ego [q] non ex ordine verſum poſui. Dixi enim: *Quos fama recondit obſcuras*: ut loquentibus moris eſt, ex copia ſermonis humani dicere aliquid quod antè dictum ſit. Tu verò verſum ſuo ordine, ſua compage repetiſti. Adeò Virgilium plus amâſti, ut nefas fieri putares, ſi verſum ejus infringeres? Et tamen ego à parvulo didiceram. Quid mirum ſi in ea incidi quæ ſciebam? In te, frater, tantus eſt labor, ut ea nunc demum legas, quæ lecta quondam ab aliis erubeſcebas. Latinis inſtitutum, Latinè loquentem tam accuſare debebis, quàm Græcè Græcum, quàm Parthicè Parthum, quàm Punicè Pœnum. Medis, Ægyptiis, Hebræis ſua lingua eſt, ſecundùm copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus eſt.

o Diſputandum. Quid ergo dixeram; aut quos Virgilii verſus enarrâram? *Vat.*
q Atqui nego. *Vat.*

25. Poëticum verſum Epiſcopus dixit. Quid? Paullus Apoſtolus erubeſcit, cùm Athenienſem illum verſum & [r] dixit & comprobat? Nam in Actis Apoſtolorum ita ponit: [t] *Quidam etiam ſecundùm vos dixerunt* [*]: Hujus namque genus ſumus. *cùm igitur genus ſimus Dei*. Et rurſus ad Titum dixit: *Dixit quidam ex illis, proprius eorum Propheta* [*]: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*. Et addidit: *Teſtimonium hoc verum eſt*. Sic [*] peccamus exemplo; nec rhetores ſumus; ſed quamcumque vocem, copiam Dei credimus. Latium, Ægyptus, Athenæ, Thraces, Arabes, Hiſpani, Deum confitentur, omnes linguas Spiritus ſanctus intelligit.

r Dicit. *Vat.*
t Sicut quidam. *Vat.*
* *Paullus ex Arato Solenſi id mutuatus eſt.*
* *Id ex Epimenide.*
* Si. *Vat.*

26. Tu ipſe cui ais: *Literas tuas vivaci cedro perlinam propter carioſos hoſtes Muſarum*. Quarum, oro, Muſarum? An quæ invenerint literas, & ſcripſerint chartas quas tineæ perſequentur? Dic, oro, frater, Muſæ literas repererunt? nonne per Dominum omnia, & à Deo omnia? Præter illas centum & viginti linguas, fuit adhuc alia Muſarum? Heſiodus iſtud in Helicone mentitus eſt: ſed Athenienſium ſtudio, *quibus* ([s] ut Apoſtolus ait) *nihil vacabat niſi loqui*. Nos, teſte Apoſtolo, omnium vocum modos, omnium genera linguarum à Deo inſpirata retinemus. Ignoſco tamen, frater, ſi quid & tu de tuo auctore præſumis, & Novatiani Philoſophiam, per quam ille in naufragium religionis incurrit, cum Heſiodi auctoritate conjungis. Veruntamen Apoſtoli meminiſſe debueras, qui ait: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem ſeductionem*.

s Vacabat. *Vat.*
Act. 17.
Col. 2.

27. Jam quale illud eſt, quod Catholicis imputandum putas: *Si quando vos Reges aut imperia perſecuta ſunt*. Ergo è contrario, vobis debuit imputari quoties [u] Regum [*] & perſecutionem Catholici pertulerunt; atque [x] noſtros pagani principes perſecuti ſunt. Vos Chriſtianorum odia pertuliſtis? Sed noſtri magis [*] queſti ſunt. Viderit [y] qui hoc fecit, quâ mente, quo ſpiritu: pacemne an diſcordiam procurârit. *Verùm & ſi quidam eorum deliquerunt*, (inquit) *numquid Fidem Dei deſtruunt*? Nec tamen tu querelam putes fuiſſe noſtrorum. Sed cùm per noſtram Fidem Chriſtiani principes eſſe cœpiſſent; ipſi principes Catholicæ, hoc eſt, ſuæ parti faventes, proprio dolore commoti ſunt; niſi fortè Danieli imputabitur quod à Dario vindicatus eſt; aut Heſteri ſanctiſſimæ fœminæ, cùm pro ea Dux Regis occiditur, aut tribus pueris, [z] quòd propter eos poſt experimenta flammarum, profanis & incredulis Rex Babylonius comminatur! Nonne Simonem Petrus judice adſtipulante confundit? Num Elymam favente Sergio Paullus excæcat? [*] Vindicatus eſſet & Hieroſolymis, ſi quid Fidei ligatus habuiſſet. Neſcis ſervire ipſas innocentibus poteſtates, & in bonum ſanctis [b] Patribus miniſtrare? Sicut Apoſtolus dicit: *Principes non ſunt timori bono operi, ſed malo: Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex ea per Dominum: miniſter enim eſt tibi in bonum*.

u Impius & perſecutiones. *Vat.*
* *Impietatem.*
x In n. *Vat.*
* *Queri debuerint.*
y Quis h. fecerit. *Vat.*
Rom. 3.
Dan. 6.
Heſter. 7.
Dan. 3.
z Cùm. *Vat.*
* *Locus hic obſcurior.*
b Partibus. *Vat.*
Rom. 13.

28. Et tamen ego de nullo queſtus ſum, de nemine vindicatus. Nec [*] impedire mihi Novatianos puto, quorum parvitate ſi vellem atque defectu, poteram gloriari. Ecce plebem tuam Imperatori nullus accuſat, & ſolus es. *Oportet nos tamen omnes ſtare ante tribunal Dei*. Quod unum ſcio quererentur Novatiani, ſi cauſſa eorum eſſet [c] ullis grata principibus.

* *Pro impedimento eſſe.*
c Illis. *Vat.*

29. *Utilius eſſet* [d] (ais) *vincere quàm placere*. At qui vincendi ardore ducuntur, contentione [e] proficiunt: Apoſtolus verò ait: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*. Contrà de ſtudio placendi: *Omnibus* (inquit) *per omnia placeo, non quærens quod mihi utile ſit, ſed quod multis, ut ſalventur*. Vos autem dum veſtra, non fratrum commoda cogitatis; vincendo mavultis elidere, quàm placendo recreare. Malum bono viciſſe, rationis eſt: cæterùm in quacumque cauſſa velle ſuperare, præſumptionis inſanæ eſt. Non de Apoſtolico jure, ſed Græco: apud quos ſcriptum putatur, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus, & inſana tygris, quid aliud velint, niſi vincere, quàm placere?

d Eſſe. *Vat.*
e Proficiant. *Vat.*
1. Cor. 11.
1. Cor. 10.

30. Vacare tibi ſcribis: & ideo te contentioſa delectant. Mihi verò Catholicis negotiis occupato, poſt triginta fermè dies literæ tuæ traditæ ſunt, poſt alios quadraginta repetitæ.

31. Iraſci me ais: abſit. Stimulari ut apem credo quæ interdum aculeo mella defendit. Verùm recole utrimque literas, jam videbis ſpiculiſne an floribus paginam conſeramus. De ſimilibus quidem Apoſtolus, quos oportet [*] indentari. Sed attende. Nos tecum quaſi columbæ, ore potiùs quàm dente confligimus.

* Non è, pro, in quod oportet dente infringi.

32. Utinam [g] verum eſſet quòd doceri velle te dicis: jam ipſa tibi manibus meis ſancti Spiritus unguenta ſuggererem. Amas me? Non læſi: ſcio. Sed tunc demum amares, ſi non diverſa ſentires, atque operi meo blandus accederes.

g Verumque. *Vat.*

33. Cypriani Epiſtolas mihi placere miraris? Quidnî beati Martyris & Catholici ſacerdotis? Novatianum mihi ingeris? Philoſophum ſæculi fuiſſe audio, nec [h] ſatis miror ab Eccleſia Dei vivi degeneraſſe.

h Non. *Vat.*

râſſe. Cognoſco, radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquiſſe, Cornelio invidentem, Novati inſaniæ commodatum, ſine conſecratione legitima Epiſcopum factum; ideoque neque factum per Epiſtolam eorum qui ſe Confeſſores eſſe ſimularent, qui matris unius membra divellerent. Hæc ego tibi, frater, confeſſione veſtrorum, literis approbabo. Ita tuus iſte Philoſophus, *ſapientiam ſuam quærens ſtatuere* (ſicut Apoſtolus ait) ſapientiæ Dei non eſt ſubjectus, quoniam per ſapientiam ſuam mundus non recognoſcit ſapientiam Dei. Nam quod antè paſſum Novatianum putas, & Cyprianum dixiſſe ſubjungis: *Præceſſit me adverſarius meus*; vide quàm manifeſtè reſpondeam. Novatianus Martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatiſſimi Cypriani auditum iſtud aut lectum eſt. Habes ejus Epiſtolas quibus Cornelium Urbis Epiſcopum, cui tunc Novatianus inviderat, inimicis principibus reſiſtentem, ſæpè confeſſum, ſæpè vexatum refert; plurimis Confeſſoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, & cum plurimis glorioſiſſimè coronatum vivente tunc Novatiano, etiamque ſecuro. Nam & ideo ab Eccleſia Chriſti receſſerat, ne illum labor confeſſionis urgeret. Qui primùm ſtimulatus invidiâ, Epiſcopatum Cornelii non ferebat; inde ſe Novato, paucorum Epiſtolis deriſus, addixerat. Hæc te omnia de Novatiano Cypriani literæ perdocebunt.

34. Porrò etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus, non tamen [k] etiam occiſus. Etiamſi occiſus; non tamen coronatus. Quidni? Extra Eccleſiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem cujus portio debet eſſe qui Martyr eſt. Audi Apoſtolum: *Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diviſero omnem ſubſtantiam meam, etſi tradidero corpus meum ad comburendum; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confeſſorum grege paſſus eſt, & ſæpè confeſſus iteratis perſecutionibus, & multa laceratione vexatus, & noviſſimè ſalutari calice propinatus eſt. Hoc fuit coronari? Quare ſibi habeat Novatianus Epiſtolas ſuas, ſibi tumorem, ſibi ſuperbiam, quâ dum in altum levatur, eliſus eſt; dum nemini parcit, effuſus.

[k] Et oc. *Vat.*
[l] Habeam. *Vat.*
1. Cor. 13.

35. En qui ſalutis viam fratribus inexorabili religione præcludat! En qui ſe * palam ferre, & aream Domini purgare confidat! Miſerere tui [m], Sympronianae frater, ne te Novatianus ſub hac fronte decipiat; ut ideo juſtior putetur quia reliquos ſui comparatione deſpexit. Sæpè fiduciam mentitur audacia; & deſperatis quibuſque peccatoribus, falſa bonæ conſcientiæ imago blanditur. Contrà verò omnis humilitas innocentia eſt, etiam illa debitrix, etiam illa peccatrix, etiam illa quæ animam ſuam cum peccatore blanditur. *Dele me* (inquit Moyſes) *de libro tuo quem ſcripſiſti; nec* [o] *peccatores pereant. Optaveram* (inquit Apoſtolus) *anathema eſſe ipſe ego in Chriſto pro fratribus meis cognatis ſecundùm carnem.* Utique ambo pro peccatoribus deprecantur; & propter hoc Deum, nec Moyſes, nec Paullus offendit. Novatianus his melior? Emendator Prophetarum? Doctor Apoſtolorum? Jam cum Chriſto videtur ut idem Moyſes? Jam ut Paullus in tertium cœlum ſublimis evehitur? Jam neglectis omnibus ſolus auditur? Hæc ad literas tuas reſpondiſſe ſuffecerit.

* *Alias*, paleam auferre.
[m] in *Tui*, deeſt. *Vat.*
Exod. 32.
[o] Ne. *Vat.*
Rom. 9.
2. Cor. 12.

36. Sed quia de pœnitentia non agenda, vel ante baptiſmum agenda, latiùs diſputâſti; multiſque capitulis exemplorum tractatus ipſius paginam referſiſti; reſpondebo ad ſingula ex abundanti: quæ Fides verior habeat, non tacebo. Tu, ut auditui noſtro largiter imperare dignatus es, benignam rurſus vicem præbeto tractatui. Præſtabit fortaſſe Dominus, ut qui nos tibi patienter obtulimus, fructum aliquem de tua etiam patientia reportemus. Dominus te in æternum cuſtodire & protegere dignetur, & Chriſtianum atque Catholicum vivere faciat, & concordare nobiſcum. Amen.

SANCTI PACIANI
BARCILONENSIS EPISCOPI
AD EUNDEM,
Contra tractatus Novatianorum.
EPISTOLA TERTIA.

Pacianus Epiſcopus Semproniano fratri ſalutem.

37. TRACTATUS omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinâſti, Sympronianae frater, hoc continet: Quòd poſt baptiſmum pœnitere non liceat; quòd mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit; immo quòd ipſa pereat recipiendo peccantes. Præclarus honos, ſingularis auctoritas, magna conſtantia; rejicere nocentes, attactus peccantium fugere, innocentiæ ſuæ malè confidere!

38. Quis

Exod. 32. Rom. 9.

38. Quis hoc viudicat frater? Moyſes, an Paullus, an Chriſtus? At Moyſes deleri è libro pro blaſphematoribus optat. Et Paullus *anathema eſſe pro fratribus*. & ipſe Dominus pro injuſtis pati mavult. Nullus horum, inqules. Quis ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis & purus qui Novatum non audierit, qui nunquam Eccleſiam deſeruerit, qui ab Epiſcopis Epiſcopus factus ſit, qui jure ordinario conſecratus, qui vacantem Cathedram In Eccleſia couſequutus? Quid ad te? inquies. Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibuſve temporibus? ſtatim poſt Domini Paſſionem? Poſt Decii principatum, id eſt, poſt trecentos prope annos Dominicæ Paſſionis. Quid ergo tunc? Prophetas ſequutus eſt ut Cataphryges, an * Philomenem aliquam, ut Apelles: an ipſe tantum auctoritatis accepit? Linguis loquutus eſt? Prophetavit? Suſcitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat ut Euangellum novi juris induceret. Etſi contrà clamet Apoſtolus: *Licet nos, aut angelus de cœlo* [b] *euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit*.

* Lege Philomenā.
b Euangelizaverit præterquam. Vat.

39. Novatianus ſic Intellexit, inquies. ſed Chriſtus hoc docuit. Ergo à Chriſti * uſque [c] Decii principatum nullus intelligens? Poſt Decium denique omnis [d] Epiſcopus impatiens; omnes alil diſſoluti, qui ſe miſcere perditis mallent, qui perire cum miſeris, qui alieno vulnere [e] vulnerari? Novatiano vindlce, juſtitia liberatur; [f] auctore corrlgitur quicquid erravit.

* Subaudi, Adventu.
c Vſque ad. Vat.
d Epiſcopatus. Vat.
e Vulnerari. abſque interrogatione. Vat.
f Novatiano auct. Vat.

40. Age, Inqules, certemus exemplis & ratione pugnemus. At ego huc uſque ſecurus; ipſa Eccleſiæ ſerie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla diſcordiæ ſtudla didici, nulla certaminum argumenta quæſivi. Tu poſtquam à reliquo corpore ſegregatus es, & à matre diviſus; ut rationem facti tui redderes, totos librorum receſſus aſſiduus ſcrutator inquiris, occulta quæque ſolicitas, quicquid exinde ſecurum eſt, inquietas. Noſtri nihil ultrò diſputavêre majores, nuda eſt apud nos ipſa ſecuritas; [g] quid attuleris de tua parte, [h] munitum. Ergo neſcio quid Novatianus egerit, quid Novatus admiſerit, quid Euariſtus tumuerit, quid Nicoſtratus nunciârit: arma veſtra dum deſpiclo, non novi; vide ſi cum inermi veritate confligis. Exſpectemus tamen quid objicias, quid loquaris. Poteritne vel nuda veritas, innocentlave imperita ſubſiſtere.

g Quicquid. Vat.
h Munitum eſt. Vat.
2. Tim. 3.
l Renatum. Vat.

41. Proponis, & rectè quidem, Eccleſiam eſſe populum ex aqua & Spiritu ſancto [l] renovatum, ſine negatione nominis Chriſti, templum & domum Dei, columnam & ſtabilimentum veritatis, virginem ſanctam caſtiſſimis ſenſibus, ſponſam Chriſti ex oſſibus ejus & carne, *non habentem maculam neque rugam*, integra Euangeliorum jura ſervantem. Quis hoc noſtrum negat? Quin etiam addimus, Eccleſiam eſſe *Reginam in veſte aurata & variegata, fœcundam vitem in lateribus domus Domini*; matrem adoleſcentularum, quarum non eſt numerus. Unam ſpecioſam columbam [m] matris ſuæ, atque perfectam, ipſam omnium matrem, ædificatam in fundamentis Prophetarum & Apoſtolorum, *& ipſo angulari lapide JESU CHRISTO*; domum magnam, vaſorum omnium diverſitate [n] locupletatam. Sed hæc noſtra poſteriùs, interim tua illa videamus.

Eph. 5.
Pſ. 44.
Pſ. 127.
Cant. 6.
m Col. electam matr. Vat.
Eph. 2.
n Locupletem. Vat.

42. *Eccleſia eſt populus ex aqua & Spiritu ſancto renatus*. Age, quis mihi fontem Dei [o] clauſit? Quis Spiritum rapuit? Quinimmo apud nos aqua viva eſt ipſa quæ ſalit à Chriſto; tu à fonte perpetuo ſeparatus, unde generaris? Spiritus quoque ſanctus à principali matre non abiit: ad te unde pervenit? niſi forte diſcordantem ſecutus eſt, [p] tot ſacerdotibus derelictis non conſecrata ſede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamavit. Veſtræ plebi unde ſpiritum quam non conſignat unctus ſacerdos? Unde aquam quæ à matrice diſceſſit? Unde innovationem, quæ cunabula pronubæ pacis amiſit?

o Clauſit. Vat.
p Et tot. Vat.

43. *Eccleſia eſt populus ſine negatione nominis Chriſti*. Nulline apud nos Confeſſores, Martyres nulli, nulli immaculati atque integri ſacerdotes, quos [q] catenæ, quos ignes, quos gladii probaverunt? Fuere, inquies, ſed negatores recipiendo, perierunt. Taceo, ne hæc quidem [r] collegio, quòd libellum de negatoribus vel lapſis recipiendis Novatianus veſter, cùm adhuc in Eccleſia degeret, & ſcripſit, & ſuaſit, & legit. Interim cui perſuadere poteris, quòd lapſis receptis Eccleſia tota conciderit? Quòd admiſſis pœnitentibus, admittentium populus negator effectus ſit? Quòd ſi & remiſſior plebs aliqua fuit, etiam ceteræ [s], quæ non factum ejus probârint, ſed conſuetudinem & pacem ſequutæ ſint; Chriſtianumne [t] nomen amiſerunt? Accipe Jeremiæ vocem: *In diebus illis non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum* [u] *obſtupuerunt: ſed unuſquiſque in ſuo peccato morietur*. Nec apud Ezechielem tacet Dominus: *Quomodo anima patris, ita & anima filii meæ ſunt. Unuſquiſque in ſuo peccato morietur*. Item infrà: *Filius non accipiet facinus patris, neque pater accipiet facinus filii: juſtitia juſti ſuper eum erit*. Ipſe tu illud ponis exemplum: *Et ſi fuerint* [x] *tres hi in medio, Noë, Job, & Daniel, non liberabunt filios neque filias, ipſi ſoli ſalvi erunt*. Ecce ſalvi ſunt ipſi qui in medio peccantium conſtituti ſunt, qui alios liberare non poſſunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Eccleſiam exiguæ portionis infirmitate condemnas. Quid? apud te ſancti omnes quos Novatus erudiit, quos Euariſtus elegit, quos Nicoſtratus docuit, quos Novatianus inſtituit? Tu ſpinas & tribulos refugiſti? tu non habes in tua fruge zizania? tibi jam grana purgata ſunt? ad te ſine ventilabro purgator ille venturus eſt? tu ſolus ex omnibus paleas non habebis? Age, dic reliqua.

q Carceres, quos cat. Vat.
r Colligo. Vat.
s Cæt. plebes. Vat.
t Chriſtianum nom. amiſerint. Vat.
Jer. 31.
u Stupuerunt. Vat.
Ezech. 18.
Ibid. 14.
x Fuerint tres hi in med. eorū. Vat.

44. *Eccleſia eſt corpus Chriſti*. Corpus utique, non membrum: corpus, multis in unum partibus membriſque collectum, ſicut ait Apoſtolus: *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa*. Ergo Eccleſia plenum eſt corpus, & ſolidum, & toto jam orbe diffuſum. Sicut civitas, inquam, cujus partes [a] in unum: non ut vos eſtis, Novatiani, quædam inſolens portiuncula tuberque collectum, & [b] reliquo corpore ſeparatum.

1. Cor. 12.
2. Tit. 2.
a Par. omnes. Vat.
b A reliquo. Vat.

45. *Eccleſia eſt templum Dei*. Templum certè amplificum, domus magna, habens quidem *vaſa*

Rom. 5.

aurea

aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; *quædam in* [c] *honorem*, multa verò magnifica in multiplices uſus variorum operum deſtinata.

c Honore. Vat.

46. *Eccleſia eſt virgo ſancta, caſtiſſimis ſenſibus ſponſa Chriſti. Virgo*, verum eſt; ſed & mater. *Sponſa*, manifeſtum eſt; ſed & uxor & conjux de viro ſuo ſumpta. Ideoque *os de oſſibus ejus & caro de carne*. Nam de hac David dicit: *Uxor tua ſicut vitis fœcunda in lateribus domus tuæ, filii tui ſicut novella olivarum in circuitu menſæ tuæ*. Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, quâ totus orbis impletur, quâ circumfluis ſemper alvearibus populoſum fervet examen. Magna in filios cura matris iſtius, & mollis affectus: honorantur boni, caſtigantur ſuperbi, curantur ægroti; nullus perit, nemo deſpicitur, [e] ſecuti fœtus ſub indulgentia matris retinentur.

Geneſ. 2. Pſal. 127.
e Securi. Vat.

47. *Eccleſia eſt non habens maculam neque rugam*. Hoc eſt, hæreſes non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Novatianos. In his ſunt enim quidam ſinus maculoſi atque rugoſi, pretioſiarum veſtium ornatibus invidentes. Cæterùm peccator & pœnitens non eſt Eccleſiæ macula: quia quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Eccleſiam conſtitutus eſt. Ubi deſinit peccare, jam ſanus eſt. Hæreticus verò veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti, ſcindit, intercipit, vitiat, irrugat. *Cùm enim ſchiſmata* (inquit) *& contentiones in vobis ſint, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis*? Sed &, *ſermo eorum quaſi cancer ſerpit*. Hæc eſt macula unitatis, hæc ruga. Denique ubi ſuper his Apoſtolus loquitur, de amore Chriſti & dilectione proponit. *Sicut Chriſtus* (inquit) *dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*: ut hæreticos [e] ſummoveret, quia diligere non noverunt. Cæterùm, cur hæc miſero pœnitenti? [f] quia & amare optat & amari.

1. Cor. 3. 2. Tim. 2.
Epheſ. 5.
e Admoneret. Vat.
f Qui &. Vat.

48. *Eccleſia eſt* [g] *integra, Evangeliorum curam cuſtodiens*. Integra utique quia tota, quia plena. Ubi præmium fidelibus datur, ubi miſeris lacrymæ non negantur, ubi rogantium fletus auditur, ubi alligantur vulnerati, ubi curantur ægroti, ubi nihil ſibi vendicat inſolens ſanitas & ſuperba juſtitia, ubi ſolicita in omnibus charitas perſeverat, omnia credens, omnia ſperans, omnia ſuſtinens. Unde illud Apoſtoli: *Quis infirmus eſt, & non ego infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror*? Ubi onera ſua ſuſtinet tota fraternitas communiter dolens, mutua pietate ſecura, cuncti invicem ſuſtinentes in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem Spiritûs in conjunctione pacis. Hoc erit Eccleſia, Sympronianе frater; hoc erit populus ex aqua & Spiritu ſancto renatus in Chriſto.

g Eſt, int. Ev. jura cuſtodiens. Vat.
1. Cor. 11.
Epheſ. 4.

49. Neſcio, ais, an remitti peccatum ab Epiſcopis poſſit, cùm dixerit Dominus: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cælis eſt*. Cur igitur Novatianus tuus, ne falſo quidem adhuc Epiſcopatu [i] fieret, antequam ſacerdotio illius invideret, hæc ſuaſit? Habes Cypriani teſtimonium. Cypriani, quem nec vos unquam infamare potuiſtis. Nam quodam in loco, ad Antonianum hoc modo ſcripſit: *Additum eſt etiam Novatiano tunc ſcribente; & quod ſcripſerat, ſua voce recitante; & Moyſe, tunc Confeſſore, nunc jam Martyre, ſubſcribente; ut lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur; quæ literæ per totum* [k] *miſſæ ſunt, & in notitiam Eccleſiis omnibus* [l] *prælatæ ſunt*. Quid ais Sympronianе frater? Novatianus hæc ſcripſit; & ut obſequium meræ voluntatis adjungeret, etiam ſcripta recitavit. Teſtis eſt ejus dextera, teſtis quæ ſcripſit manus, teſtis lingua quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc veſtra erupit invidia, Epiſcopus non erat. Longè poſterius cum plurimis Coëpiſcopis, cum plurimis Confeſſoribus, ſtatimque Martyribus, ut idem Cyprianus ſcribit, aſſenſus eſt ſenum [n] conſilio, licere dare pacem. Si pœnitentiæ negandus eſt aditus, Novatianus in crimine eſt, qui hæc ſcripſit, ſuaſit, & legit. Ubi tunc impatiens rigor? ubi ferox illa cenſura? Si nemo vobis Cornelium prætuliſſet, maneret illa [o] ſcribentis auctoritas.

Matt. 10.
i Ep. Sacerdos, longè antequam Cornelius Romæ Epiſcopus fieret. Vat.
k Mundum. Vat.
l Perlatæ ſunt. Vat.
n Sen. quam licet lapſis d. pac. Vat.
o Illa Novatiani ſcrib. Vat.

50. Nunc diſplicet tota ſententia, nunc in nos tela jaciuntur, his ipſis ſubminiſtrantibus, quorum auctoritate convaluit cauſſa telorum. At in hanc ipſam hæreſim, Novatiani quando [*] cœperunt? Audite quæſo, & totum ordinem veſtri erroris advertite. Cornelius jam Romæ Epiſcopus à ſexdecim Epiſcopis factus, locum Cathedræ vacantis acceperat, & in illa qua fuit præditus caſtimonia virginali, crebras perſecutiones irati principis ſuſtinebat. Tum fortè quidam presbyter Novatus [*] ex Africa, fraudatis in Carthaginenſi Eccleſia viduis, [q] ſpoliatis pupillis, pecuniâ Eccleſiæ denegatâ, projecto extra domum patre, & eodem fame mortuo nec ſepulto, uxoris gravidæ utero calce percuſſo, partuque ejus effuſo, Romam venit. Et cùm apud Carthaginem, urgentibus in Eccleſia fratribus, dies cognitionis ipſius immineret, hîc latitavit.

* *Locus videtur à Novatianis corruptus; niſi fortè loquatur de peccatoribus in hæreſim lapſis, ut annotavit Bellarminus* lib. 3. De Eccleſia, *cap. 9. ad ſeptimũ argumentum*.
* *Subaudiendum* reor prolabi.
q Spoliatiſque. Vat.
* *Novatus quis fuerit vide apud D. Cyprian. Ep. 49. ad Cornelium de Novati ſceleribus*.

51. Nec multò pòſt, Novatianum iſtum Epiſcopatu Cornelii anxium (nam ſibi ſperaverat) cum aliquantis, ut in tali re ſolet, ex ſua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet; ut magnum aliquid ſperet, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero qui tempeſtatem perſecutionis illius evaſerunt; apud quos hanc ipſam de lapſis receptis, Cornelio conflaret invidiam: dat eorum Epiſtolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate Epiſtolarum, ſedente jam Romæ Epiſcopo, adversùm fas ſacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit: Cornelium lapſis communicâſſe arguit, ſe [r] vendicat innocentem. Contra hunc mihi reddenda ratio eſt, contra hunc afferendus pudor, contra hunc vita [s] purganda.

r Vindicat. Vat.
s Purganda? Vat.

52. Sed & vos, inquies, Epiſcopi, talia cur probatis? Dicat hoc alius, tu [t] Novatianum defende. Inexcuſabilis videatur hæc cæteris cauſſa, tibi [u] licet grata ſit. Tibi innocens ſit quiſquis eſt pro te nocens. Ne accuſaveris alium eo crimine quo tu non potes liberari. [x] Age, jam totum pudorem nos Epiſcopi debeamus, quia & Apoſtolorum nomen accepimus, quia Chriſti appellatione ſignamur. Negantem, inquis, Dominus negat, tu negantem, nolo fatearis. Quis eum negantem confitetur? Qui ad pœnitentiam cogit, objurgat, crimen oſtendit, vulnera aperit, ſupplicia æterna commemorat, in-

t Novatiane. Vat.
u τὸ Licet, abeſt. Vat.
x Age jam. Vat.

teritu

Matth. 5. teritu carnis emendat? Hoc caſtigare eſt, non fateri. Ait nobis Dominus: *Vos eſtis ſal terræ.* Rectè
y Inculcari. *Vat.* ergo pſallimus iſta dicendo, nec ad nihilum valebit quiſquis audierit. Vides non y proculcari à nobis
ſententiam Domini, ſed probari; oon abjici ſeveritatem, ſed voluntatem ejus aperiri.

53. Sed pœnitenti, ioquies, peccata dimittis; cùm tantùm in baptiſmate tibi liceat relaxare
peccatum. Non mihi planè, ſed Deo ſoli, qui & io baptiſmate donat admiſſum, & pœnitentium
1. Cor. 5. lacrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini. *Dei ſumus*
1. Cor. 3. a Irrigavit, *Vat.* *adjutores*, (inquit) *Dei ædificatio eſt.* Et iterum: *Ego plantavi, Apollo* a *rigavit, ſed Deus in-*
crementum dedit. Ergo neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.
Quare ſive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſeu veniam pœnitentibus relaxamus; Chriſto
id auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit.

b Gratiæ. *Vat.* 54. Si pœnitentibus remiſſio peccatorum dari potuit (ais) baptiſma non fuit neceſſariom. In-
ſulſiſſima comparatio! Baptiſmus enim ſacramentum eſt Dominicæ Paſſionis. Pœnitentium venia,
meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia b gratia Dei donum eſt; id eſt, gratuita do-
natio: labor verò iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui la-
Eze. 18. crymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.

55. Fruſtra me poſuiſſe aſſeris illud exemplum, quòd Deus dixerit: *Malo pœnitentiam peccatoris,*
quàm mortem. Quid ſi adjeciſſem illud Iſaïæ: *Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi*
Apocal. 2. *fueris.* Quid ſi id Apocalypſis: *Memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera.* Hæc
Rom. 3. (inquies) gentibus dicta ſunt ante baptiſmum. Audi Apoſtolum: *Scimus autem, quoniam quæcum-*
que lex dicit, iis qui in lege ſunt dicit & loquitur. Ergo eos qui ſine lege vixeruot, pœnitendi conditio
non tenebit. Qui etſi pœnituiſſent, libera id fide fecerant, non impoſito per legem vinculo pœnitendi.

56. Ergo & vel Judæi (inquies) qui ante baptiſmum pœnituerunt, poſt baptiſmum pœnitere
non poſſunt. Quis hoc te docuit frater Symproniane? Quis ſuaſit, ut qui antè pœnituerit, poſtea pœ-
nitere non debeat? Sed poſterius hoc videbimus. Interim, ſi Judæis poſt baptiſmum præcluſa eſt
pœnitentia, quia illam antè perſolverint; concede, vel gentes quæ pœnitentiæ legem antè neſcierint,
poſteriùs pœnitere debere. Sed & de Judæis nolo fallaris, Illi enim propterea priùs pœnituerunt, quia
1. Cor. 10. vetus baptiſma corruperant, & quaſi poſt Fidem Fide prodita pœnitebant. Audi Apoſtolum: *Nolo*
enim ignorare vos, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt.
c Ediderunt. *Vat.* *& omnes in Moyse baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eundem cibum ſpiritualem* c *ederunt, &*
omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali petra ſequenti; petra autem
erat Chriſtus. Hoc ergo baptiſma violaverant, & ideo pœnitebant. Videamus deinde quid dicas. *Si*
Deus ſæpiùs jubet hominem pœnitere (inquis) *ſæpiùs peccare permittit.* Quid ais? Ergo qui ſæpiùs
remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit. Et medicus ille cùm curat, aſſiduè vulnerari docet.
d Nec ſemel p. v. h. *Vat.* Deus nec d peccare vult hominem ſemel, & tamen liberat à peccato. Nec utique quum liberat, pec-
catum docet; ſicut nec qui ab incendio liberat, incendium monſtrat, nec qui naufragum eripit ſcopu-
lis, in ſaxa compellit. Aliud eſt de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortaſſe paterer hoc
credi, ſi pœnitentia deliciæ putarentur; cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus impera-
tur, cui juges lacrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari, rurſus exu-
Joan. 5. ri? Volet peccare iterum, & iterum pœnitere? Cùm ſcriptum ſit: *Noli adjicere peccatum, ne quid*
* *Mihi videtur citare illa verba Eccl. 12.* Non ei bene qui aſſiduus eſt in peccatis. *tibi deterius contingat.* Et adhuc: * *aſſiduè peccanti non miſereor.*

57. Quòd ſi (ut ais) ad peccatum cogitur, cui pœnitentiæ medicina monſtratur; quid tandem
ille facturus eſt, cui pœnitentia ipſa præcluditur? cui deſperato remedio, totum vulnus aperitur? cui
prorſus ex integro vitæ aditus denegatur?

Rom. 6. 58. In baptiſmo (inquies) ſemel morimur, ſicut ait Apoſtolus: *An neſcitis quoniam quicum-*
que baptizati eſtis in Chriſto Jeſu, in morte ejus baptizati eſtis? Conſepulti ergo eſtis ei per baptiſmum in
mortem: ut ſicut Chriſtus reſurrexit ex mortuis, ſic & vos in novitate vitæ ambuletis. Quid mirum!
docebat Apoſtolus quòd eſſemus novi, ut nemo peccaret; ſequebatur tamen ut qui peccaverat, pœni-
teret. Hic integer, ille curatus viveret. Innoceos coronam, pœnitens veniam ſubiret. Ille præmium,
Rom. 5. iſte medicinam acciperet. Denique idem Apoſtolus dicit: *Nam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chri-*
ſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis juſtificati nunc in ſanguine ejus, ſalvi erimus per eum ab ira. Ab
ira utique, quæ peccantibus debebatur. Quòd ſi Gentilem populum ooo paſſus eſt mori; multò ma-
e τὸ *Pretio*, de- gis redemptum non patietur extingi. Nec abjiciet quos magno redemit e pretio: nec f enim levis
eſt. *Vat.* illi eſt jactura famulorum. Non morietur quidem ampliùs qui reſurgit, ut ſcriptum eſt. Sed ipſe eſt
f τὸ *Enim*, ab- advocatus apud Patrem, ſed ipſe interpellat pro peccatis ooſtris, haud deſpicabilis miſerorum patro-
eſt. *Vat.* nos, parumve idoneus deprecator. Reſpoode frater, an famulos Dei diabolus poſſit opprimere, an
non poſſit Chriſtus abſolvere?

59. Petri pœnitentiam dicis ante Domini Paſſionem fuiſſe. Hoc tibi oemo propoſuit. Et tamen
Joan. 13. Petrus jam baptizatus erat. Huic enim dixerat Dominus: *Qui lotus eſt ſemel, non neceſſe habet iterum*
lavari. Accepit tamē poſtea remedium Chriſti, ſed antè pœnituit, & antè ſanctus eſt habitus, quàm ad h
h Ad hoc rem. *Vat.* remedium perveniret. Nec pœnitentia ejus in memoriam ſcriberetur, i niſi profuiſſet aliquid pœni-
i Ni. *Vat.* *Matth. 26.* tenti. *Flevit* (inqoit) *amariſſimè.* Noo vis facere fidelem quod Petrus fecit? non vis prodeſſe no-
bis quod Petro profuit? Age: Thomas meus nonne poſt Domini reſurrectionem de reſurrectioοe du-
k Perfoſſæ. *Vat.* bitavit? Nonne perfidiæ reus ootatur à Domino, quum illi clavorum ootæ, quum k præfoſſæ manus,
Joan. 20. quum lateris vulnus oſtenditur, qoum ſic ad eum ait Dominus: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis?* Quid er-
go?

ſit? erubuit pœnitere? nonne humiliatus eſt? Nonne Deum & Dominum ſuum illicò confitetur? [l]
Numquid non illum exomologeſis iſta commendat?

60. Jam quàm argutè caput illud abſolvis, quod ego potui; datam Epiſcopis poteſtatem, ut quæ
ligaſſent in terra, ligata eſſent & in cœlis [m]! Dicis, hoc non ad Fideles, ſed ad Catechumenos
pertinere; ut baptizandis adhuc ſcilicet populis, ſolvi licere crimina vel teneri. Duorum denique
Euangeliſtarum capitula conjungis, ut unum eſſe videantur: & adjicis, quòd Matthæus minùs integrè [n]
proſecutus ſit, complêſſe Joannem: ut quia apud Matthæum dixerat Dominus: *Ite & docete omnes gen-
tes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; apud Joannem impleverit, dices:
Si cujus dimiſeritis peccata, [o] *dimittentur illi: cujus* [p] *retinueritis, & tenebuntur*. Ut hoc dimitte-
re vel ligare, ad gentes quæ baptizandæ erant, pertinuiſſe videatur: quia prior Euangeliſta de gentibus
præloquutus ſit; de ſolvendo autem & ligando poſterior impleverit. Quid ais? Euangeliſtæ duo dimi-
diatos invicem ſenſus, & ſemiintegros retulerunt? Verba his invicem ratione defuerat; aut non in
omnibus totum Spiritus ſanctus implebat, propoſitos perferens ſenſus, & ad plenum dicta definiens?
Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſuperordinat. Dei tabulam tabula diverſa mutabit?
Quænam [q] in vobis hæc [r] vincendi cupido eſt, ut tale aliquid audeatis? Quid, quod apud Matthæum
ipſum ante Paſſionem ſuam dixerat Dominus: *Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata & in cæ-
lo: & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cœlo*? Apud Matthæum hoc prædixerat Domi-
nus, & nullam ibi gentium fecerat mentionem. Cur ergo illi capitulum Joannis adjungis, ubi ſuum
poſuit; & ita poſuit, ut à gentibus ſepararet? quod utique ſi ad gentes pertinere voluiſſet, potuit ipſe
conjungere quod ipſe ponebat.

61. Totum ergo quod quæris, apud Matthæum habes. Cur non univerſa legiſti qui Epiſcopum
doces? Primum præcepti iſtius caput repete. Ipſo referente Matthæo, paullò ſuperiùs ad Petrum lo-
quutus eſt Dominus; ad unum, [s] ideò ut unitatem fundaret ex uno; mox idipſum in commune præ-
ciplens, qualiter tamen ad Petrum incipit: *Et ego tibi dico* (inquit) *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam
petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* [t] *non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves
regni cælorum: & quæcumque ligaveris ſuper terram, ligata erunt & in cælis: & quæcumque ſolve-
ris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*. Dic frater, de ſolis gentibus hoc loquutus eſt? *Super hanc pe-
tram ædificabo* (inquit) *Eccleſiam meam*. Eccleſiam non baptizatas gentes vocat? homo necdum
renatus corpus eſt Chriſti? quid ſolvo gentibus? quod non eſt ligatum? Nam ſi non reputatum eſt,
nec ligatum, quid alligo, quod nullo jure conſtringo? Gentilis homo liber eſt legi. Vide nunc
è contrario, an in baptizatum utraque conveniant. Solvitur veniâ, quia peccato tenebatur; ligatur
anathemate, quia ſolutus fuerat Fide, & per gratiam liberatus. Quòd ſi [x] ad gentes hanc ſolvendi li-
centiam vel ligandi ſpectâſſe concedam; multò magis ad baptizatos pertinuiſſe convincam. Nam ſi is
ſolvi potuit vel ligari qui non habuit vinculum, quantò magis ille quem Fidei jura tenuerunt?

62. Ais poſuiſſe Matthæum: *Si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe eum ſolus cum ſolo*.
Ac ſtatim ſubjunxiſſe Dominum: *Quæcumque* [y] *ſolveris in terra, ſoluta erunt & in cælis*. Ut ad fra-
tris offenſam pertinere videatur. Age, non vides quod ſuprà dicit: *Si in te peccaverit frater tuus*?
Hic verò addit: *Amen dico vobis, quæcumque ſolveritis in terra, &c.* Illud uni juſſit, hoc pluribus
relaxavit: illud ipſe ſolvit, in quem admittitur, hoc verò Eccleſia: illud ſine Sacerdote, ſine fratri-
bus, hoc ab omnibus impetratur. *Quæcumque ſolveritis* inquit. Omnino nihil [a] excipit. *Quæcum-
que* inquit: vel magna, vel modica: attende [b] quod ad Petrum dicat inferiùs, id quod peccatur in
hominem, ſeptuagies & ſepties relaxandum: ut oſtendat, aliàs vel ſemel poſſe. Tamen qui in Petrum
peccat, Dominum lædit; ſicut ad Samuël ipſe ſignificat: *Non te nullius momenti fecerunt, ſed me*.
Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ, quod nobis ipſis toties imperatur.

63. Nunc ad erraticam ovem, [c] drachmam illam, & adoleſcentiorem filium revertamur: quæ ego
exempla cùm ſtrictim ſcripto priore tetigiſſem, tu plena repetiſti: edocens & oſtendens, drachmam, &
ovem, & filium minorem, ad publicanos & peccatores; hoc eſt, humilem populum; non ad Chriſtianæ
plebis imaginem, nec ad formam fidelium pertinere. Gratulor me doceri. Intellectum verò non
eſſe, [*] moleſtè fero. Nam quid aſſeram? Ea quæcumque lex dicat, his qui ſub lege ſunt, dicere.
Utique & hoc principaliter ad priores dictum eſſe conſentio, ſed in forma fidelium, ſed in imagine fu-
turorum, ſicut Apoſtolus dicit: *Hæc autem in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptio-
nem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*. Et iterum: *Quæ omnia illis umbra erant futurorum bono-
rum*. Certè ipſe annuis, ad publicanos & peccatores; hoc eſt, humilem populum, & ideo juniorem, illa
dictata. Dic ergo: an populus Chriſtianus ipſe eſt junior? an in radicem cohæſerit? an illa membra com-
pegerit? *Ædificatur* (ut ſcriptum eſt) *in fundamentis Apoſtolorum & Prophetarum, &* [e] *ipſo angu-
lari lapide Chriſto JESU. An Judæorum Deus tantùm? Nonne & gentium? Immo & gentium*. Siqui-
dem unus Deus, qui juſtificat impium ex Fide, [f] & per Fidem. [*] Certè ille humilis populus, quem
Deus drachmæ, filio minori, & oviculæ conſerebat, Eccleſia fuit: unde Apoſtoli, unde omnis turba
credentium, unde populus Chriſtianus. Huic [g] corpori noſtra etiam membra conjuncta ſunt, &
totæ credentium portiones: ut in bonam olivam ex oleaſtro gentium convenirent, ſicut Apoſtolus di-
cit: *Participes ejus pinguedinis effectæ*. Atque ita unum omnes eſſemus in Chriſto, Judæus & Græcus,
ſervus & liber. Si ergo cum illis hominibus [h] unum corpus ſumus; dicta ſunt & ad nos, quæ ve-
terum humiles audierunt: atque ita omni corpori nunciatum eſt, quicquid de corporis parte prædica-
tum eſt.

[l] *Numquid*. Deeſt. Vat.
[m] *Fortè*, poſui.
[n] Et quæ ſolviſſent in terra ſoluta eſſent & in cælis. Vat.
Matth. 28.
[o] Dimittentur illis. Vat.
[p] Tenueritis. Vat.
[q] Quæ. Vat.
[r] Hæc, deeſt. Vat.
Matth. 16.
[s] Ad unum ideo, ut. Vat.
Matth. 16.
[t] Inferorum non convaleſcent. Vat.
[x] Erad. Vat.
Matth. 18.
[y] Solveritis. Vat.
[a] Excepit. Vat.
[b] Quid. Vat.
I. Reg. 8.
[c] Et drach. Vat.
[*] *For.* Adeſſe.
Rom. 7.
2. *Cor.* 10.
Epheſ. 2.
[e] Ipſo ang. lapidi. Vat.
Rom. 5.
[f] Et acrobyſtiam per fid. Vat.
[*] *Deeſt pars ſenteutiolæ evaleſcentibus literis.*
[g] Huic ergo. Vat.
Rom. 12.
[h] Humilibus. Vat.

64. Dicam adhuc planiùs. Ille poſterior populus, ille pauper, ille mediocris, imago Eccleſiæ fuit, anima humilis & modeſta, anima liberata per Chriſtum. Hanc venit Dominus ſalvam facere, hanc apud inferos non reliquit, hæc eſt ovis illa quæ humeris reportatur; id eſt, niſu & vigore patientiæ. Hæc eſt drachma quæ quæritur, & vicinis inventa monſtratur. Vides formam ejus ſimilitudini pœnitentium convenire? Vides miſericordiam uſque ad hoc tempus extendi? Vides quæcumque Eccleſiæ naſcenti dicta ſunt, ad plenitudinem Eccleſiæ pertinere? Inde ibi Dominus adjecit: *Sic* [k] *majus erit gaudium in cælo ſuper unum peccatorem pœnitentiam agentem, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non fuit opus pœnitentiâ.* Nam ſi omnia illa ad [l] commovendos nos ſcripta ſunt; cui tandem populus ille peccator humilis comparabitur, niſi populo pœnitenti? Ac ſi figuris in ordinem recurrentibus, nonaginta novem [m] ſanæ, omnis Eccleſia eſt, una verò erratica, delinquentium portiuncula eſt: [n] ac drachma quæ periit, miſer ille peccator eſt. Rediens poſt mala ſua filius, redempto illi ſimilis æſtimator.

Luc. 15.
k Majus, abeſt, Vat.
l Commonendos, Vat.
m Sani, Vat.
n Ac, deeſt, Vat.

65. Jam rectè à me [o] ſitum vides, cùm de pœnitentium curatione tractarem, dixiſſe Dominum: *Non eſt opus ſanis* [p] *medico, ſed malè habentibus.* Rectè & illud: *Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quicquid de publicanis & peccatoribus dictum eſt, ad ægros omnes, & omnes miſeros pertinebit.

o Poſitum, Vat.
Marc. 2.
p Medicus, Vat.
Luc. 5.
Matth. 5.

66. *De ſolis* (ais) *ſcriptum eſſe martyribus: Beati lugentes.* Nemo ergo, præter illos, peccata ſua plangit? Non David clamat: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum?* Et iterum: *Quoniam cinerem ſicut panem* [q] *edebam, & potum meum cum fletu miſcebam?* Non Jacob dicit: *Anni vitæ meæ duriſſimi?* Non Apoſtolus ad Timotheum: *Deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum?* Nec tamen hoc de Martyre loquebatur. Quid nunc? Miſeri pœnitentes ſiccos habent oculos? Et qui peccâſſe ſe dolent, flere non nôrunt? Ipſi communicantes, ipſi fideles, lacrymas non habemus? Quempiam noſtrum, gaudente mundo gaudere delectat? Vos Novatiani, *jam ſatiati eſtis, divites facti eſtis, ſine nobis regnare cœpiſtis.* Non ergo [*] quiſque miſerabilis eſt: ita incipit eſſe miſerandus.

Pſ. 6. & 101.
q Edidi. Vat.
Gen. 47.
2. Tim. 2.
1. Cor. 4.
* Ut.

67. Poſt hæc proponis, & dicis, ſcriptum eſſe per Dominum: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus. Qui autem in Spiritum ſanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic,* [s] *nec in futuro.* Aut ego fallor, aut iſtud exemplum contra te valet. Nam ſi omne peccatum & blaſphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari: ergo omne peccatum, ergo ipſa quoque blaſphemia. Habes [t] additum ſecundùm Lucam: *Et qui in filium hominis peccaverit, remittetur ei.* Quid hoc ampliùs de miſericordia Dei, de clementia judicantis? An [u] non invidet oculus tuus quia bonus eſt pater-familias? non licet illi facere quod vult? quinimmo, *tu quis es qui judicas* [x] *ſervum? Domino ſuo* [y] *ſtat aut cadit. Potens eſt autem Deus ſtatuere illum. Sed qui in* [*] *Spiritu ſancto blaſphemaverit* (ait) *non remittetur ei.* Soles totas percurrere lectiones: cur hîc non legiſti quid ſit illud: *in ſpiritu?* Habes ſuprà ſcriptum, [z] cùm Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas [z] ſpeciali vigore compleret, dixiſſe Phariſæos: *Hic non expellit dæmonia niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Hoc eſt in Spiritum ſanctum deliquiſſe, in ea blaſphemâſſe quæ per Spiritum ſanctum gerebantur. In cæteris quippe peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate [a] ſuperamus. Hæc cæcitas eſt non videre quod videas, & ſancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini quâ diabolus ipſe ſuperatur, diaboli appellare virtutem. Hoc eſt ergo quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, frater Sympronianе, donantur.

Matth. 12.
s Neque in futurum. Vat.
t Additum, ſec. L. Vat.
Luc. 18.
u Aut invidet, Vat.
x Judices, Vat.
Rom. 15.
y Stet aut cadat, Vat.
* Lectio Eccleſiæ habet, Spiritum ſanctum.
y Quod cum. Vat.
z Spiritali, Vat.
Matt. 12.
a Superamur. Vat

68. Poſt hæc, de ſarmentis & vite proponis [b] ſic: Ait Dominus apud Joannem: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus* [c] *agricola eſt. Omne ſarmentum in me quod non affert fructum, tollet illud; & omne fructiferum purgabit illud.* Vides igitur in ſarmentis fructum requiri; id eſt, bona opera pœnitentiæ, ſicut Joannes ait: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Vides ſarmenta purgari, quæ ſunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores: qui actus [d] proprii pœnitentium ſunt. Vides etiam [e] agriculturam Domini, qui ipſa etiam ſarmenta non perdat, ſed purget & colligat [f] aliqua planè in [g] ignem, aliqua novellandis paſtinandiſque vineis [h].

b Proponis, Sic ait. Vat.
Joan. 15.
Matth. 3.
c Agricultor. Vat.
d Proprii è p. eſt. Vat.
e Agricultorem Dominum. Vat.
f Colligat, Aliqua &c. Vat.
g Igne. Vat.
h Vineis. Vat.

69. Eli ſacerdos (ais) loquitur, & dicit: *Si vir in virum peccaverit, orabunt pro eo: ſi autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Joannes itidem: *Si quis ſcit peccare fratrem ſuum peccatum non utique* [i] *ad mortem, poſtulabit pro eo, & dabit illi vitam Deus: eſt autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro illo dico ut depreceris.* Vides hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, & cœperint pœnitere antequam quiſquam pro illis roget. Longum eſt ut exempla replicemus. Attende univerſa peccata quibus Dominus comminatur; jam videbis eſſe præſentia. Quòd ſi non proderit juſto in tempore iniquitatis ſuæ præterita juſtitia; non oberit impio in tempore juſtitiæ ſuæ iniquitas derelicta; cùm ſcriptum ſit: *Relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas; & convertatur ad Deum, & miſericordiam conſequetur.* Quòd ſi Deus etiam peccata præterita punivit, de quo tranſactis & prætermiſſis pœnam ſuppliciumque conſtituit; age, non habet in ſua poteſtate mutare ſententiam? Non Raab, non Nabuchodonoſor regem, non Gabaonitas, non Ninivitas, non Segor à prædicto interitu liberavit? Non per ipſum Johel vates hæc intulit: *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, ſimulque in jejunio, & fletu, & planctu; quia miſericors eſt, patiens, & magnanimus, & multæ miſerationis, & pœnitens in malitiis.* Et quis ſcit ſi reverſus [*] pœnitebitur, & relinquet poſt ſe benedictionem? Quare ſicubi conſtitutam peccantibus pœnam probaveris, hoc tenebis, aut in [k] peccatis perſeverantibus conſtitutam, aut libertatem Deo relictam mutandæ, ſi pœniteas, ad meliora ſententiæ.

1. Reg. 2.
i Uſque. Vat.
1. Joan. 5.
Ezec. 18.
Iſai. 55.
Joſ. 6.
Dan. 3.
Joſ. 9.
Gen. 19.
Joel. 2.
* Mirè, paſſivâ voce dixit pœnitebitur.
k In, deeſt. Vat.

70. Ais

70. Ais adhuc ſcriptum: *Quòd ſi manus tua vel pes tuus ſcandalizaverit te, abjice eum abs te.* Quid ſit hoc Moyſes, Deuteronomio teſtificante, prædixit: *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi ſint enim oculi & manus noſtræ) *aut filia tua, aut uxor tua quæ eſt in ſinu tuo, aut æqualis animæ tuæ, dicens: Eamus & ſerviamus diis, quos non noveras.* Deinde adjecit inferiùs: *Deferes eum, & manus tua erit ſuper ipſum ad occidendum eum.* Vides ergo non de pœnitentibus dictum, ſed de his, qui non ſolùm ipſi in facinore perſeverant; verùm etiam [k] nos ſcandalizare non deſinunt? Hi quamlibet chari ſint, relinquendi: quamlibet utiles, deferendi ſunt.

Matth. 5. Deut. 13.
k In nos. Vat.

71. Proponis adhuc dixiſſe Apoſtolum Paullum: *Auferte malum ex vobis ipſis.* Malum utique perſeverans. Cæterùm pœnitentia malum non eſt, cùm David dicat: *Bonum eſt exomologeſin facere Deo.* Nec tamen mecum eſt ille [l] quem pœnitet, nec parte Sanctorum, nec pace conjungitur. Sed dicit Apoſtolus: *Si quis frater nominatur, & ſit aut fornicator, aut ſimulachris ſerviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax; cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Vides non ſine cauſſa [m] eſſe poſitum, *& ſit?* id eſt, [n] quem necdum pœniteat, qui necdum improbus eſſe deſierit. Et certè de avaris, & ebrioſis, & maledicis ſimul dictum eſt.

1. Cor. 5. Pſal. 91.
l Qui. Vat.
Epheſ. 5.
m Eſſe, deeſt. Vat.
n Qui. Vat.

72. Reſponde frater, an nullus ejuſmodi veſtra pace teneatur. Ergo inde eſt, & quòd per Iſaïam Deus clamat: *Simul iniqui & peccatores peribunt.* Non pœnitentes, non miſericordiæ opera procurantes, quibus apud eundem rurſus Iſaïam Deus dicit: *Etſi fuerint peccata veſtra ut phœnicium, ut nivem dealbabo: etſi ut* [o] *coccinum, ut lanam candidam* [p] *ea efficiam.*

Iſa. 1.
o Coccum. Vat.
p Ea, deeſt. Vat.

73. Attamen, [q] ut ais, Apoſtolus condemnavit errantem. Nam ad Corinthios primâ ita dicit: *Ipſe ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi eum qui tale facinus admiſit. In nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere ejuſmodi Satanæ, in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Nota, frater, primùm quòd non damnat eos cum quibus iſte communicat: ſolus ipſe qui tale facinus admiſerat, Satanæ traditur, ſolus excluditur, ſalva pace Sanctorum. [r] Vos omnes Eccleſias pro uno peccatore damnatis. Deinde vides, quòd hic ipſe peccator inceſtus, non morti traditur, ſed Satanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait: *Ad interitum carnis.* Non tamen animæ, non etiam [t] ſpiritûs; ſed ad ſolius carnis interitum, tentationes ſcilicet, carnis anguſtias, detrimenta membrorum, ſicut alibi de intemperantibus dicit: *Tribulationem autem carnis patientur ejuſmodi.* Vis hoc [u] ſcire? in ſecunda Corinthiorum hunc ipſum impium idem Paullus abſolvit, nam de ipſo ait: *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio ea quæ fit à pluribus,* [x] *ut è contrario magis donetis & conſolemini, ne fortè majori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut conſtituatis in eum charitatem.* Item infrà: *Si cui autem aliquid donâſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non poſſideatur à Satana.* Vides Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem? Vides mitiſſimam lenitatem, longè à veſtro ſupercilio ſeparatam? longè à Novatiani fronte diſſimilem? communi verò vitæ ac ſaluti omnium conſulentem?

q Tamen ais. Vat.
1. Cor. 5.
r Vos, deeſt. Vat.
2. Cor. 2.
t Et. Vat.
u Hoc, deeſt. Vat.
x Itaut. Vat.

74. At etiam in nos ſeverus cenſor inveneris [y]. Dicis, ex lege cœleſti unum ex mandatis ſolvere non licere, nec communicare lupis agnos; & quod omnis conſenſus in crimine ſit, [z] & ideo qui picem tetigerit, inquinetur, nec ſit ulla ſocietas lucis ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conventio Chriſti ad Belial. Ideoque David dicit: *Furem videbas, & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ain tandem, [b] quia nos Domini mandata reſcindimus. Nos unum apicem legis inflectimus? [c] Novatiani, [d] quia tota Eccleſiæ, tota concordiæ, an [e] potiùs jura violârunt, qui poſt tot pacis annos, tot fœdera ſanctitatis, novas tibi leges, nova inſtituta, [f] novos ritus pepererunt, arcanum juſtitiæ inexorabili fronte ſimulantes? Nos in Eccleſiam lupos recipimus, qui Hæreticorum ora vitamus? an potiùs Novatiani, qui cùm ipſi ſint rapaces lupi; paullò miſeriores oviculas reformidant? Nos conſentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos idolo & [g] Belial jungimur? aut illi qui Evariſtum, qui Nicoſtratum receperunt, cæteroſque ab Eccleſia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris & furibus convenimus; an illi qui Novatum vitæ ſuæ & capiti prætulerunt; poſt interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum, miſeri parentis & partûs uxoris parricidam, non modò non pœnitentem, verùm etiam gloriantem?

y Inveheris. Vat.
z Ideo, abſque &. Vat.
Pſal. 49.
b Quia, deeſt. Vat.
c Aut Nov. Vat.
d Qui. Vat.
e An potiùs, deeſt. Vat.
f Novos ritus, deeſt. Vat.
g Beliæ. Vat.

75. Verùm Paullus Apoſtolus dicit: *Manus citò nemini imponas.* Docet idem, vel tardè, vel poſt pœnitentiam non negandas. Sed perdita Hiericho [*] Ahar filius [h] Carini, propter furtum veſtis occiſus eſt. Age, vos totos fures interficite pecuniarum noſtrarum atque librorum: & in Novati oſſa ſævite. Jugum illud rurſus accipite, *quod neque nos, neque patres noſtri portare potuerunt.* Quid ceſſatis, Novatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente* depoſcere, animam poſtulare, Circunciſionis & Sabbathi redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. Nolite in Evangelio legere quòd pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti, quam nemo damnârat: quòd peccatricem, quæ lacrymis pedes ejus lavabat abſolverit: quòd Raab, apud ipſam Hiericho urbem Phœnicum liberavit [i]: quòd Thamarem à [k] ſententia Patriarchæ [l] abſolverit, quòd Sodomis quoque pereuntibus, Lothi filias non extinxerit: liberaturus & generos, ſi futurum excidium crediddiſſent.

1. Tim. 5.
* Achan filius Charmi.
h Carmi. Vat.
Joſ. 7. Act. 16. 6. Deuter. 19. Joan. 8. Joan. 12.
i Liberârit. Vat.
k A, deeſt. Vat.
l Patriarchis. Vat.

76. Age, non tenes dicere apud David Dominum: *Cum his qui oderunt* [m] *pacem, eram* [n] *pacificus?* Salomonis quoque ſententiam non tacere: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur?* Quid Apoſtolus? *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, conſiderantes voſmetipſos ne tentemini. Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et illud quod antè jam retuli: *Opto enim anathema eſſe in Chriſto pro fra-*

Pſal. 119.
m Oderant. Vat.
n Fui. Vat.
Prov. 8.
Gal. 6.
Rom. 9.
1. Cor. 9.

tribus meis cognatis ſecundùm carnem. Et iterum: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem*: Hoc eſt: cum vulneratis, gemitus: cum ægrotantibus, laborem: mortem cum moriente partiri, caſum fratrum cum ſtatu ſuo poſſe miſcere, aliquid de ſua ſanitate o decidere, & deficientibus adhibere medicinam.

o Decedere. *Vat.*

p Rigere cervicibus. *Vat.*
q De miſ. *Vat.*
r Præcludite. *Vat.*
Luc. 10.
s Miſerendis. *Vat.*

77. Quid vobis prodeſt ſuperba & aſpera fronte durari, altis p regere cervicibus, vultus torquere q à miſeris, auditus oculoſque præcludere? Nunquam (vos oro) cecidiſtis? Nulla in veſtris mentibus macula eſt? Nulla in oculis (oro) feſtuca? Quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe à peccatis? Credo, vos juſti, benevoli, temperantes, quibus membra omnia ſana ſunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus neceſſarius non eſt, nec medicina languorum. Intrate jam cœlum, paradiſi aditus romphæâ cædente penetrate, tot noſtrorum populis, Deum unicum confitentibus, dona veſtra pia cludite. Quæ ſi ſe longè aliter habent quàm implacabilis rigor rerum & immanitas veſtra mentitur, jam intelligitis, Novatiani, Deum poſſe miſereri, jam miſeris fratribus de præterito confitentibus, vel feram patere medicinam: jam vulneratum illum, à Levita & ſacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe curari: jam Eccleſiæ preces humilibus non negandas, jam manus ſacerdotum s miſerandis fratribus exhibendas.

u Frig. candentẽ. *Vat.*
x Puteum. *Vat.*
Geneſ. 7.
y V... *Vat.*

78. Nos autem intelligimus, ut exprobras, Eccleſiam Dei columbam non felle amaram, non unguium laceratione violentam, parvulis quoque plumis exiguiſque u. Scimus etiam ut x eum aquæ vivæ, fontemque ſignatum, nulla hæretici gurgitis labe ſordere, hortumque concluſum, plenum oleribus magnis pariter & parvulis, vilibus atque pretioſis. Octo quoque animas ex arca, ſed inter quas & Cham fuerit, & millia illa volucrum y atque ferarum, bina atque ſeptena, munda pariter & immunda: fontes verò ſiccos, & nebulas turbinibus excitatas, hæreticorum ſterilitatem, & inſanarum vocum impetus arbitramur.

z Jannem. *Vat.*
2. Tim. 3.
a Jannes. *Vat.*
b *Mente*, decit. *Vat.*

79. Nec promittimus libertatem, cùm ipſi ſervi ſimus pœnæ; ſed crimina noſtra confeſſi, reliquos etiam ut fateantur hortamur, credantque in eum qui juſtificat impium ex Fide, qui reflectit ſententiam adversùs malitiam irrogatam. Attendimus quoque à falſis Prophetis & lupis rapacibus, quum cavemus à vobis. Jamnem z verò & Mambrem ſic reſtitiſſe Moyſi, ſicut vos Catholicis, arbitramur. Inde ſic ponit Apoſtolus: *Quia ſicut Jamnes* a *& Mambres reſtiterunt Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati: homines mente* b *corrupti & à Deo reprobi, ſed ultrà non proficient*. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Quod in vos dictum eſſe, manifeſtum eſt; qui neque proficere ampliùs, neque inſipientiam veſtram celare potuiſtis.

Eccl. 34.
c Dilutus. Sic *Vat.*
* Credulitas. *Vat.*

80. *Qui baptizatur à mortuo nihil proficit*. Utique qui hæretico fonte c dilutus, ſic & qui peccatoris oleo ungitur, id eſt, qui ſpiritu ſatiatur immundo. Ergo & filii ſanguinum vos eritis. Non enim pacem fratrum, ſed ſanguinem concupiſcitis. Fides falſa eſt veſtra * crudelitas. Adultera mulier, hæretica congregatio eſt: Catholica enim ab initio de viri ſui thoro & thalamo non receſſit, nec alienos amatores aut extraneos concupivit. Vos exſulem formam novo colore pinxiſtis, vos thorum veſtrum à conjugio ſeparâſtis antiquo, vos à matris unicubæ corpore receſſiſtis, novo placendi genere, novis corruptelarum illecebris expoliti.

d Qua de lapſis, Moy. *Vat.*
Ezec. 14.

81. Nam quòd Cyprianum beatiſſimum mihi pro contrario teſte proponis, quia in Epiſtola d, quæ de Lapſis eſt, Moyſen, & Danielem, & Job orâſſe pro peccatoribus dicat, nec impetrâſſe, dicente Domino: *Etſi tres in medio eorum fuerint, Noë, Job, & Daniel, non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli ſalvi erunt*. Utinam, utinam Cypriano teſte nitaris, utinam tam ſalubribus ſententiis acquieſcas: Ille enim cùm lapſos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes, à Confeſſoribus ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem; docuit & oſtendit, quòd nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare poſſit invitum? quis pro ſuperbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cùm diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia. Nec contra ſe locutus eſt aliquid vir illius gravitatis & meriti, ſed fundendas à peccatoribus preces docuit, & exomologeſin diligendam.

Exod. 23.
f At. *Vat.*
g Et tamen. *Vat.*
Exod. 32.
Ezec. 14.
h Irà. *Vat.*
k Roganti. *Vat.*

82. Ipſa tamen Cypriani exempla te permovent, quibus & Moyſen & cæteros Sanctos non impetrâſſe commemorat, qui pro peccatoribus poſtulabant. Ain? Non vides Moyſen pro quibus non impetraverit? Reversùs ad populum, quid audit in caſtris? Voces ebriorum, & cantus idolothyti perſonabant. Adhuc perſeverabat in nequitia populus, adhuc in ipſo crimine permanebat, f ac pœnitere non noverat. Attamen g quis tibi noſtrûm dixit quòd Moyſes non impetraverit? Dixerat quidem illi Deus: *Si quis deliquit ante me, delebo eum de libro*. Dixerat tamen auctoritate judicis, & Domini poteſtate: ſed vide quam citò reflexerit ſententiam adversùs populi malitiam irrogatam. Auſculta. Propheta ſtatim ibidem: *Et precatus eſt* (inquit) *Moyſes in conſpectu Domini Dei ſui: Quare Domine iraſceris ita* h *in populum tuum?* & reliqua. Item infrà: *Et propitius factus eſt Dominus de malignitate quam dixerat, facere populo ſuo*. Vides lenitam eſſe iram Dei? Vides offenſam eſſe placatam? Et pro populo non k rogavit, nec quod fecerat pœnitenti.

l Defendant. *Vat.*
Gen. 7.
Job 42.
Gen. 19.
Act. 27.
m A, decſt. *Vat.*

83. Sed Noë (inquis) & Daniel, & Job, filios & filias liberare non potuerunt. Et hoc tale eſt. Si pro non rogantibus petant: ſi pro perſeveranti in crimine deprecentur: ſi non ſingulos, ſi non paucos, ſed millia multa l defendat. Cæterùm Noë, domum ſuam m à ruina publica liberavit: & Job recepit cuncta quæ perdidit: & Daniel inſtantem illum ſapientibus Babyloniæ gladium oratione decuſſit. Loth certè pro ſalute oppidi, Paullus pro vectoribus navis orat. Sic abſolvuntur à juſtis qui pœnitere noverunt.

n Ais. *Vat.*
Ezec. 14.

84. Poſtremò vel illud aſpicito quod ſcriptum n ait: *Ipſi ſoli ſalvi erunt*. Qui illi? Ipſi utique qui pro

pecca-

peccatoribus deprecantur, impunè pro talibus poſtulabunt. Et cur Eccleſiam damnas? cur pro pœnitentibus prohibes deprecari? ſi etiam pro his petere licet, pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentiùs Cyprianum meum. Lege totam de Lapſis Epiſtolam; Lege aliam, quam ad Antonianum dedit; ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur: jam ſcies quid de pœnitentium curatione pronunciet. Cyprianum loquor, veſtra oppugnantem, & Catholica jura retinentem. Tertullianus poſt hæreſin, (nam multa inde ſumpſiſtis) ipſum Epiſtolâ ſuâ, & eâ ipsâ quam Catholicus edidit, audies confitentem, poſſe Eccleſiam peccata dimittere.

85. Vides ergo Eccleſiam eſſe Reginam in veſte aurata & variegata; multorum utique corporum, multorumque populorum varietate compoſitam. Non eſt coloris unius iſta pictura: nec in uno habitu emicat tanta diverſitas. Pars illa indumenti tegit, iſta componit. Nonnulla pectori adhæret, aliqua ultimo ſinu trahitur, & inter veſtigia ipſa ſordeſcit. Quædam purpuræ Martyrum comparatur; aliqua ſerico virginali; nonnulla ſinu plicante ſubſuitur, aut acu inſerente reparatur. *Alius enim ſic, alius autem ſic*. & tamen una in omnibus Regina componitur.

86. Ergo eadem fœcunda vitis & locuples, plures habens ramos, multo palmitum crine p diſtentior. Nihilne ex Iſtis hyberno frigore laboravit? nihil aſperas grandines pertulit? nihil torridas incuſavit æſtates? Aſperior eſt hæc gemma palmitibus; iſta fortior, illa ſincerior: hæc ſe diffundit in fructus, hæc in ſolas exuberat frondes. Vitis tamen ubique formoſa.

p Diſtincta. Aſpice. Numquid ingentes ubique botri, numquid omnis uva diſtentior? Vat.

87. Mater hæc adoleſcentularum *quarum non eſt numerus*. Calculare denique, ſi potes, Catholicos greges, & duc in digitos noſtræ plebis examina. Nec illa modò quæ toto Orbe diffuſa ſunt, cunctis plena regionibus; ſed hæc, frater Semproniane, quæ tecum in proximis finibus & vicina urbe conſiſtunt. Contemplare quot noſtros unus aſpicias, quot meorum populis ſolus occurras. Nonne ut ſtillicidia fontibus magnis, nonne ut ab Oceano quædam gutta ſorberis? Dic, dic, an iſtæ adoleſcentulæ ex veſtra plebe generentur, an tu ſolus hoc parias. Noſtra eſt (inquam) iſta Regina, electa matri ſuæ atque perfecta. Nihil quippe electum, niſi meliùs & majus ex alio, nihil perfectum poteſt eſſe niſi plenum.

Cant. 1.

88. Jam & illud attendite, an hæc potiſſimùm ædificata ſit *in fundamentis Prophetarum & Apoſtolorum ex ipſo angulari lapide* JESU CHRISTO. Si ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi à fundamentis prioribus non receſſit, ſi non illa migravit, ſi non à reliquo corpore ſeparata, ſuos ſibi magiſtros & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid novi juris invenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit; planè tunc à Chriſto receſſiſſe videatur, tunc extra Prophetas & Apoſtolos conſtitiſſe.

Epheſ. 2.

89. Hæc igitur eſt domus magna, locuples omnium diverſitate vaſorum; in qua purum refulget aurum, in qua ductile lucet argentum? verùm, quæ r etiam lignea (ſicut ſcriptum eſt) & fictilia vaſa dignatur. Magna enim domus multos movet uſus, opera diverſa ſollicitat. Non ſolùm quærit argentum, nec aureo tantùm delectatur ornatu. Subinde plus decet magna contemptus, & inter nobiles ambitus exigua quoque jucunda ſunt. Nullus artifex opera ſua deſpicit, nec vilia ſibi putat eſſe quæ fecit. Et unde pro peccatoribus paſſum putas Chriſtum, niſi quòd perdere noluit quicquid Ipſe formavit? Unde illum putas, hodieque s interpellare promiſeris, niſi quòd modicum t, eumque & deſpectiſſimum non repellit? Neminem, ex his quos acceperit, perditurus; ligneo licèt ac fictili comparentur: atque ita in domo ſua omnia vaſa componit.

r Et. Vat.
2. Tim. 2.
s Hod. patrem int. Vat.
t Mod. quemque. Vat.

90. Tandem, frater Semproniane, non pigeat eſſe cum multis, tandem libeat reduvias Novatianorum, & perſegmina veſtra contemnere. Tandem Catholicos greges, & tam latè patentes Eccleſiæ populos intueri. Ubi unus, (inquies) ibi & ego; & ubi duo, ibi Eccleſia: ubi unus, tamen concors, ubi x duo, pacifici. Ubi unus, & Eccleſia: quantò magis ubi plures? *Meliores* (inquit) *duo quàm unus*: *& ſpartum triplex non rumpitur*. Audi David: *Pſallam nomini tuo in Eccleſia multa*. Et iterum: *In populo gravi laudabo te*. Et: *Deus Deorum loquutus eſt*: *& vocavit terram ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum*. Quid ſemen Abrahæ, ſecundùm ſtellarum modos & numeros arenarum, veſtra paupertate contentum: *Benedicentur in te* (inquit) *omnes tribus terræ*. Dic, y Novatianus has impleat? Non tam parum ſanguine ſuo redemit Deus, nec tam pauper eſt Chriſtus.

x Ubi pacifici duo. Vat.
Pſalm. 49.
Gen. 22.
y An Nov. Vat.

91. Cognoſce jam, frater, Eccleſiam Dei dilatantem tabernacula ſua, & aulæorum palos dextrâ ſiniſtrâque figentem: intellige, *ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum laudabile nomen Domini*. Vide, vide, quæſo, Novatianis in verba luctantibus Catholicas agi toto orbe divitias.

Pſ. 112.

92. Super omnibus, quibus à te ſum conſultus, inſtruxi. Nullum ex propoſitis caput ſententiamve prætererii. Ad ipſos apices & verba reſpondi. Si conſulentis animo requiſiſti, amanter oſtenſum eſt. Si laceſſentis, haud ſegniter diſputatum. Subjungam, quum vacuum erit, & aliam Epiſtolam, in qua z nos veſtra redarguam, ſed noſtra proponam: quam ſi benignè & ſine faſtidio legeris, fortaſsè non lædet. Interim in iſta peto ut ſingula quæque percenſeas. Omnia citò lecta prætereunt: ſi chariſmata meliora deſideras, & bonæ eruditionis a animam geris, non facilè tam vera contemnis. Dominus te in æternum cuſtodire & protegere dignetur, & Chriſtianum vivere faciat ad concordiam ſpiritualem. Amen.

z Non. Vat.
a Erutionis. Vat.

NOTÆ

NOTÆ IN HANC EPISTOLAM:

§. 50. QUIDAM *presbyter Novatus.*] De hoc Novatiani pſeudo-epiſcopatu, Cyprianus libro De onitate Eccleſiæ. *Hi* (Inquit) *ſunt, qui ſe ultrò apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt; qui, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi nomen ſibi aſſumunt*, &c.

§. 67. *Rite intellige lector verba Sancti Paciani, reliqua peccata dimitti bonis pœnitentibus; non autem blaſphemiam in Spiritum ſanctum: quia ordinariè, & ut plurimum, peccatum ejuſmodi non curatur per veram pœnitentiam, juſto judicio, deſerente Deo, ac in reprobum ſenſum trahente eos qui ita peccant. Vide Bellarminum lib.* 2. De pœnitentia. *cap.* 16.

§. 84. Lege totam de lapſis Epiſtolam.] *Exſtant plures D. Cypriani Epiſtolæ De Lapſis. videlicet* 10. *ad presbyteros & diaconos*: De iis qui temeraria feſtinatione præcipites Lapſis communicaverunt. 11. *ejuſdem prope argumenti* Ad Martyres & Confeſſores. 13. *Ad Clerum* De Lapſis catechumenis. ne vacui communione exeant. ANONYMUS.

P A R Æ N E S I S

E J U S D E M

S A N C T I P A C I A N I

S I V E

L I B E L L U S [a] E X H O R T A T O R I U S A D P Œ N I T E N T I A M.

a De pœnitentibus. Var.

93. ETSI aliquoties, tumultuosè licèt, de pœnitentium curatione non tacui; memor tamen Dominicæ ſolicitudinis, quæ propter unius oviculæ detrimentum, cervicibus etiam ſuis & humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam; conabor (ut potero) tantæ virtutis exemplum etiam ſtylo [b] concedere, ac Dominici laboris induſtriam, mediocritate quâ dignum eſt, ſervus imitabor.

Luc. 15.
b Condere. Var.

94. Unum illud vereor, dilectiſſimi: ne ſolitæ contrarietatis adverſis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quàm reprimam: meliuſque fuerit, Attici Solonis exemplo, tacere de magnis ſceleribus, quàm cavere: eouſque progreſſis noſtratum [c] moribus, ut admonitos ſe exiſtiment quum vetantur. Hoc enim, puto, proximè, Cervulus ille profecit, ut eò diligentior [e] fieret, quò impreſſiùs notabatur. Et tota illa reprehenſio dedecoris expreſſi ac ſæpè repetiti, non compreſſiſſe videatur, ſed erudiſſe luxuriam. Me miſerum! Quid ego facinoris admiſi? Puto neſcierant Cervulum facere, niſi illis reprehendendo monſtrâſſem.

c Noſtratium. Var.
e Diligentiùs. Var.

95. Verùm ſit illud Dei refugæ, aut extra Eccleſiam conſtituti, etiam exaſperati ſunt caſtigationis injuriâ: indignati ſcilicet mores ſuos ab aliquo poſſe reprehendi. Atque ut cœnum ſolet tum maximè fœtere cùm moveas, & incendium tum magis ardere ſi vertas; & rabies tum vehementiùs ſævire ſi provoces; ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerunt, non ſine ſuo quidem malo & vulnere repugnantes.

96. Vos tamen, dilectiſſimi, à Domino mementote poſitum: *Argue ſapientem, & amabit te;* [f] *atque ſtultum, & odio te habebit.* Et iterum: *Ego quos diligo, redarguo & caſtigo.* Atque ideo [g] blandam hujus mei operis ac ſolicitam diligentiam, & ſecundùm Domini voluntatem à meipſo fratre veſtro ac ſacerdote ſuſceptam, amorem potiùs credite quàm rigorem, ſequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando.

Prov. 9.
f Argue. Var.
Apoc. 3.
g Ad bla. Var.

97. Præterea nullus exiſtimet, hunc ipſum de pœnitentiæ inſtitutione ſermonem, ſolis tantummodo pœnitentibus ordinatum, ne propter hoc, quiſquis extra hunc gradum poſitus eſt, ea quæcumque dicentur, veluti in alios deſtinata faſtidiat: cùm in hanc quaſi fibulam, totius Eccleſiæ diſciplina * notetur, quando & Catechumenis, ne in hoc tranſeant; & fidelibus, ne in hoc redeant, providendum ſit. ipſis verò pœnitentibus, ut celeriter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum.

* Aliàs, coarctetur.

98. Sermonum tamen meorum hic ordo ſervabitur. Primòm ut de modo criminum ediſſeram: ne quis exiſtimet omnibus omnino peccatis ſummum diſcrimen impoſitum. Tum de his fidelibus dicam,

qui

qui remedium ſuum erubeſcentes, malè verecundi [h] ſint, & inquinato corpore ac polluta mente communicant. In conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum verò impudentiſſimi, profanis manibus & polluto ore contaminant Sanctis quoque & angelis altare metuendum. Tertiò de his erit ſermo, qui confeſſis bene apertiſque criminibus, remedia pœnitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ, aut neſciunt aut recuſant. Poſtremò illud apertiſſimum enitemur oſtendere, quæ pœna ſit, aut non agentibus pœnitentiam, aut etiam negligentibus; atque ideo in vulnere ſuo ac tumore morientibus: quæ [i] rurſùs ſit corona, quod præmium, conſcientiæ maculas recta & ordinaria confeſſione purgantibus.

h Sunt. Vat.
i Autem. Vat.

99. Primùm igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus, ſedulò requirentes quæ ſint peccata, quæ crimina: ne quis exiſtimet, propter innumera delicta quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere. Apud Moyſen & veteres, minimi quoque peccati, & quadratis [k] unius (ut ita dixerim) rei, in eodem infelicitatis æſtuario volutati ſunt. Et qui ſabbatha violaverant, & qui immunda contigerant, & qui eſcarum vetita præſumpſerant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veſte maculata in templum ſummi Regis intraverant, & qui altarium his obnoxii mano contrectaverant, aut veſte contigerant: ut in cœlum aſcendere citiùs fuerit, aut emori ſatiùs, quàm hæc univerſa ſervare.

k Quadrantis Vat.

100. His igitur nos omnibus, multiſque præterea carnalibus vitiis, ut citiùs ad deſtinata [l] quiſque perveniat, ſanguis Domini liberavit redemptos à ſervitute legis, & libertate Fidei emancipatos. Ideoque Apoſtolus Paullus, *Vos autem* (inquit) *in libertatem vocati eſtis*. Hæc illa libertas, quòd non omnibus aſtringimur, quibus veteres tenebantur: ſed donatâ (ut ita dixerim) ſylvâ delictorum, & remediorum indulgentiâ deſtinatâ, in pauca concluſi ſumus & neceſſaria: quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus, & cavere; ut meritiſſimò tartarum non recuſaret, qui tantæ donationi [l] ingratus, ne hæc quidem pauca ſervâſſet. Quæ ſint autem iſta videamus.

l Quiſque, abeſt. Vat.
Gal. 5.
l Donationis. Vat.

101. Poſt Domini Paſſionem Apoſtoli, tractatis omnibus atque diſcuſſis, Epiſtolam tradiderunt his qui ex Gentibus crediderant, perferendam. Cujus Epiſtolæ ſententia hæc fuit: *Apoſtoli & presbyteri fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, qui ſunt ex Gentibus, ſalutem. Quoniam audivimus quoſdam ex nobis exiiſſe, & conturbâſſe vos verbis*. Item infrà: *Viſum eſt enim ſancto Spiritui & nobis, nullum ampliùs imponi vobis pondus, præterquam hæc: Neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, à quibus obſervantes, bene agetis. Valete.* Hæc eſt Novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus in multis Spiritus ſanctus, hæc nobis, capitalis periculi conditione, legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: hæc verò tria crimina, ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt: non enim vitiare animam, ſed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate [n] redimetur, convicium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, aſperitas lenitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas; & quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit, aut conſervare ſanguinem ſuum qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum qui illud fornicando violavit? Iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia.

Act. 15.
n Redimitur. Vat.

102. Nunc audite Joannem, & confidite ſi poteſtis: *Si quis ſcit* (inquit) *fratrem ſuum peccare peccatum non uſque ad mortem; petat pro eo, & dabit illi vitam Dominus, ſi quis deliquit peccatum non ad mortem. Eſt autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro eo dico ut deprecetis*. Sed ſi placet, etiam ſeparatim audite de ſingulis. Moyſen pro blaſphematore populo deprecantem, ſic appellat Deus: *Si quis* (inquit) *deliquerit ante me*, [p] *delebo illum de libro meo*. Et de homicida Dominus hoc judicat: *Si quis* (inquit) *gladio occiderit, gladio morietur*. Et de fornicatore Apoſtolus dicit: *Ne violaveritis* (inquit) *templum Dei quod eſtis vos. Qui autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*.

1. Joan. 5.
Exod. 31.
p Deleam. Vat.
Exod. 21.
Matth. 26.

103. Scripta ſunt hæc * DD. FF. & perpetuis cæſa monumentis: ſcripta & inciſa, non dico ceris, & chartâ, & ære, vel calamo, ſed libro Dei vivi: *Cœlum & terra tranſibunt, iota unum* (inquit) *aut apex non poterunt tranſire, priuſquam omnia compleantur*. Quid ergo? moriendum eſt? Multi etiam animo in hæc peccata ceciderunt. Multi ſanguinis rei, multi idolis mancipati, multi adulteri. Adde etiam, non ſolas manus in homicidio plecti, ſed & omne conſilium quod alterius animam impegit in mortem: nec eos tantùm qui thura menſis adolevere profanis, [q] ſed omnem prorſus libidinem extra uxorium thorum & complexus licitos evagantem, reatu mortis aſtringi. Hæc quicumque poſt Fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Deſperavère tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Numquid non fuit in poteſtate ne fieret? Nullusne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Eccleſia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil Apoſtoli comminati ſunt? Nihil rogavit ſacerdos? Quid quæritis ſera ſolatia? Tunc decuit quum licebat. Dura iſta vox eſt: ſed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum conturbant. Facinoris viam monſtrat innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur. Ergo (inquiet aliquis) perituri ſumus? & ubi miſericors Deus, qui mortem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis noſtris? Et quid facies tu ſacerdos? Quibus emolumentis tot Eccleſiæ detrimenta penſabis? Accipite remedium ſi deſperare cœpiſtis; ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis. Qui nimium confidit, indignus eſt, *Super quem* (inquit Dominus) *reſpiciam, niſi ſupra humilem & quietum & trementem verba mea*.

* *Dilectiſſ. fratres ſignificari arbitror.*
Matth. 5.
q Sed omnem diſſipaverunt. Vat.
Hæc à ſanctiſſimo Patre tantùm comminatorè dictum indicat, quod paulò poſt ſubjungit: Accipite remedium, ſi deſperare cœpiſtis, &c.
Iſai. 3.
Iſai. 66.

104. Vos ergo primùm appello, fratres, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis. Vos, inquam, poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos; qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis con-

confiteri; qui cum mala conſcientia Dei ſancta contingitis, & altare Domini non timetis: qui ad manus ſacerdotis, qui in conſpectu angelorum ſub fiducia innocentiæ acceditis, qui divinæ patientiæ inſultatis, qui tacenti Deo, veluti neſcienti, pollutam animam & profanum corpus ingeritis. Audite quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit. Cùm populus Hebræorum, Hieroſolymis Arcam Domini reportaret, ſ & ex domo Aminadab Iſraëlitis; Ozas, qui non exploratâ conſcientiâ, latus Arcæ attigerat, occiſus eſt; & tamen ille non ut aliquid ex ea ſumeret; ſed ut declinantem ad lapſum vituli contineret, acceſſerat. Tanta inſuit cura divinæ reverentiæ, ut audaces manus, nec ob auxilium ſuſtineret. Clamat idem Dominus, & dicit: *Omnis mundus manducabit carnem, & anima quacumque contigerit de carne ſacrificii ſalutaris & immunditia* t *ſuper illa eſt*, u *pereat anima illa de populo*. Antiquane iſta ſunt, & modò non fiunt? Quid ergo? Deſiit Deus noſtra curare? an ultra conſpectum mundi receſſit, & neminem ſpectat è cœlo? An patientia illius, ignorantia eſt? Abſit, inquies. Videt ergo quæ facimus, ſed utique exſpectat & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Chriſto ſuo præſtat ut differat, ne citò pereant quos redemit. Bene tu peccator intellige. Spectaris à Domino: potes illum placare ſi velis. Sed antiquum ſit iſtud quod ad menſam Dei accedere non licuit immundis: evolvite Apoſtolos, & novella cognoſcite.

ſ *Et*, deeſt. Vat.
2. Reg.
Levit. 7. 22.
t Imm. ejus. Vat.
u Periet. Vat.

105. In prima Corinth. Paullus hæc intulit: *Quicumque* (inquit) *manducaverit, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Item infrà: *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans* x *corpus Domini*. *Proptérea* (inquit) *inter vos multi infirmi & agri, & dormiunt multi*. *Quòd ſi noſipſos judicaremus, non utique judicaremur: Quum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Intremuiſtis, an non? *Reus erit* (inquit) *corporis & ſanguinis Domini*. Humanæ animæ reus non poſſet abſolvi: Dominici corporis violator evadit? *Qui manducat* (inquit) *& bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit*. Evigila peccator: time in viſceribus tuis præſens judicium, ſi quid tale feciſti. *Propterea* (inquit) *inter vos multi infirmi & agri, & dormiunt multi*. Jam ſi quis futura non metuit, vel præſentem ægritudinem, præſentemque obitum reformidet. *Quum judicamur* (inquit) *à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Lætare peccator, ſi in hoc ſæculo aut morte interciperis, aut langore conſumeris, ne puniaris poſt ſæculum. Intellige quantum ſceleris admittat qui ad altare venit indignus: cui pro remedio computatur, quum aut morbis laborat, aut morte diſſolvitur.

Rom. 2.
Quem locum citat D. Petrus, 2. Petr. 3.
1. Cor. 11.
Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitramini, ſicut frater noſter Paullus ſcripſit, &c.
x Diſcernens. Vat.
1. Cor. 5.

106. Quòd ſi veſtra vobis vilis eſt anima, parcite populo, parcite ſacerdotibus. Clamat Apoſtolus: *Exiguum fermentum totam maſſam fermentat*. Quid facies tu, propter quem omnis maſſa corrumpitur? propter quem laboratura eſt tota fraternitas? Vives tot animarum reus? Excuſaberis cùm tibi communionem ſuam imputaverint innocentes? cùm te Eccleſia dixerit ſuæ cladis auctorem?

1. Tim. 5.

107. Ecce iterum Apoſtolus ad ſacerdotem: *Manus citò nulli imponas, neque communices peccatis alienis*. Quid facies tu, qui decipis ſacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, y deſinere vulneratam tegere z conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur; ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimus quoſdam, remota etiam & verecunda membrorum non erubeſcentes, in ferro & cauterio, & graviſſima illa pulveris mordacitate duràſſe. Et quantum eſt illud quod homines præſtiterunt! Peccator timebit? Peccator erubeſcet, perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manus Domino, vulnera malè tecta ſubducet? Et habet aliquid quod in illo erubeſcat, qui Dominum læſit? An ſic illi meliùs eſt perire, ne tu pudore timidus ſine pudore moriaris? non faciens pudori locum, plus de detrimento ejus acquiras, cui pro te meliùs eſt perire? Quòd ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur: b pariter dolet, & ad remedium collaborat. In uno & altero Eccleſia eſt; c in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideo qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur.

y Deſinite. Vat.
z Tegere. Vat.
b Immo par. Vat.
c *In*, abeſt. Vat.

108. Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt: ſimileſque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, mediciſque etiam aſſidentibus confitentur; ſed admoniti quæ imponenda ſunt, negligunt; & quæ bibenda, faſtidiunt. Quod tale eſt ac ſi dicat aliquis: ecce ego æger, ecce ego vulneratus ſum; ſed nolo curari ſtomachum. Hoc erat, ſed videte quid ſtultiùs.

109. Additur etiam morbus ad cauſſam, & vulnus adjungitur, & contraria quæque imponuntur, pernicioſa potantur. Quo maximè malo fraternitas hæc laborat, delictis veteribus nova inſuper adjungendo peccata. Ergò graviùs erupit in vitium, & pernicioſiſſima jam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc ſacerdos qui curare compellor? Serum eſt in ejuſmodi. Veruntamen ſi quis eſt veſtrûm qui ſecari & exuri ſuſtineat, adhuc poſſum. Ecce ſcalpellum Propheticum: *Convertimini* (inquit) *ad Dominum Deum veſtrum: ſimulque in* d *jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra*. Nolite hanc ſecturam timere, dulciſſimi. Suſtinuit illam David, jacuit in cinere ſordenti, ſacco inſuper horrente deformis. Ille quondam gemmis aſſuetus & purpuris, texit in jejunio animam ſuam, cui maria, cui ſylvæ, cui flumina ſerviebant, promiſſaſque divitias terra parturiens; madidus lacrymis conſumpſit oculos illos, quibus gloriam Dei viderat, & infelicem ſe miſerumque confeſſus eſt pater Mariæ; Judæi etiam dominator Imperii Rex ille Babylonius, exomologeſin deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo e juba, impexa cæſaries, & f barbarus horror exſuperat: & longè g incurvis unguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur, cùm fœnum in morem bovis ederet pallentium rumina-

Joel. 2.
d *In*, deeſt. Vat.
Maria ex ſtirpe Danielis.
e Jubas. Vat.
f Barbarum. Vat.
g Incurvis. Vat.

tot

tor herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in ſua quondam regna reſtituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipſâ illâ malæ tractationis calamitate felicem. Ecce ſectio, quam ſpopondi, qui potuerit tolerare, ſanabitur.

110. Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus an ferre poſſitis. *Judicavi* (inquit) *congregatis vobis & ſpiritu meo, in virtute Domini JESU CHRISTI, tradere ejuſmodi* [i] *hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in diem Domini*. Quid dicitis pœnitentes? Ubi eſt veſtræ carnis interitus? An quod in ipſa pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti? Ecce aliquem video, aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentum: nunc bene cultus, & locuples, & decorus eſt, quaſi imputet Deo quod illi ſervire non potuit, & morientem animam recreet voluptate membrorum. Bene quòd mediocres ſumus, cæterùm & illa faceremus quòd quoſdam & quaſdam non putet lautiores, marmoribus [k] regi, auro opprimi, ſerico fluere, cocco rubeſcere. Si quid ferruginei pulveris in ſupercillo fulgeret, aut ficti ruboris in genis rutilet, aut coacti ruboris in labia deſudet; iſta forſitan non habetis. Non deſunt tamen vobis hortulani maritive [l] ſeceſſus; & exquiſitius vinum, & lautiora convivia, & defæcatio ſenectutis. Sic agite, ſic credite, quando vivetis.

1. *Cor.* 5.
i Hominem abeſt. *Vat.*
k Tegi. *Vat.*
l Maritimive. *Vat.*

111. Non ſuſtineo jam, fratres. Daniel cum ſodalibus ſuis ſacco tectus & cinere, jejunio etiam exſanguis, hæc loquitur: *Peccavimus, facinus admiſimus, impiè geſſimus, tranſgreſſi ſumus præcepta & judicia tua*. De Azaria itidem Scriptura divina: *Stans* (inquit) *Azarias precatus eſt, & aperiens os ſuum exomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis*. David ipſe: *Lavabo* (inquit) *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Nos verò, quid tale, quid ſimile? Non dico illa quæ congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo ſimpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne hæc quidem quæ videri etiam à ſacerdote poſſunt, & Epiſcopo teſte laudari; ne hæc quidem quotidiana ſervamus; flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi: ſi quis ad balneum vocet, recuſare delicias; ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. quo mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare quàm pereas.

Dan. 6.
Dan. 2.
Pſ. 6.

112. Scio quoſdam ex fratribus & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia ſera meditari: & non talia, fortaſſe, peccârunt. Quid de fratribus loquar? Capræ [m] feræ, ut dicunt, remedia ſua noverunt: confixas quippe audio venenatis ſagittis, ſaltus peragrare Dictæos, quoad dictamni caule detonſo, ſalutarium virulento latice ſuccorum pulſa decutiant tela corporibus. Nos ignita diaboli ſpicula, nullo pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellimus. Excæcatos hirundo pullos novit * oculare de ſua Chelidonia: nos lumina mentis amiſſa nulla malæ tractationis radice curabimus? Ecce nec capreis, nec hirundini homo ſimilis, cæcitati ſuæ invidet & dolori.

m Capreæ. *Vat.*
Capræ dictamno plagis ſuis medentur.
Hirundo pullorū oculis medetur Chelidonia.
* *Oculare*, verbum novè poſitū.

113. Conſiderate nunc, fratres, [o] quid in fine promiſimus: quis fructus hæc opera, vel contrà, quis exitus conſequatur. Peccatoribus delicatis & pœnitentiam non agentibus ſpiritus Domini comminatur, & dicit: *Dilectum veritatis non receperunt ut ſalvi fierent: ac propterea mittet illis operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in injuſtitiam*. Item Apocalypſis de meretrice ſic loquitur: *In quantum clarificavit ſe, & delicias exercuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Et Apoſtolus Paullus: *An ignoras, quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te perducit? Tu autem ſecundùm duritiam tuam theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei*.

o Quod. *Vat.*
2. *Theſſ.* 2.
Apocal. 18.
Rom. 2.

114. Timete igitur, dilectiſſimi, juſta judicia, omittite errorem, damnate delicias; properat jam tempus extremum; tartarus & gehenna laxatos impiis ſinus pandunt. Poſt animarum tempeſtiva ſupplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna ſervatur. Nemo Titii jecur credat, & [q] vulturem Poëtarum. Ipſe ſibi materiam recreſcentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, ſi non creditis: aquarum impetus qui ignibus [r] furit, ſupplicio nutriente reparabitur. Si de cruciatu exomologeſis [s] retracti, gehennam recordemini, quam vobis exomologeſis extinguet. Vim ejus, & de præſentibus æſtimate; cujus fumariola quædam, maximos montes ſubterraneis ignibus decoquunt. Æſtuant indefeſſis flammarum globis [t] Æthna, & Liſaniculus, & Veſuvius Campanus: & quò nobis judicii perpetuitatem probent, diſſiliunt, devorantur, nec ullis tamen ſæculis finiuntur.

q Vulturum. *Vat.*
r Fuerit. *Vat.*
s Retractatis. Gehennam recordamini. *Vat.*
t Æthna Siculus. *Vat.*

115. Attendite in Euangelio divitem ſolius adhuc animæ ſuppliciis laborantem. Qualis tandem illa redituris pœna corporibus! quis in illa ſtridor dentium! quis fletus oculorum! Mementote, fratres, quia apud inferos exomologeſis non eſt, nec pœnitentia tunc tribui poterit, conſumpto tempore pœnitendi. Feſtinate dum in vita eſtis, dum cum adverſario iter facitis. Sæculares ecce ignes timemus, & carnificum ungulas expaveſcimus: comparate cum his æternas torquentium manus, apiceſque flammarum nulla ætate morientium.

Luc. 16.
Matth. 8. 13.
Luc. 13.

116. Per [u] Eccleſiæ fidem rogo vos, fratres: per ſolicitudinem meam, per communes omnium animas obteſtor & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat, opportuna quamprimum remedia ſalutis invadere, dejicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari. In quantum pœnæ veſtræ non [x] pepercitis, in tantum vobis Deus parcet. Eſt enim mitis & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſùs malitias irrogatam. Ecce promitto, polliceor, ſi ad patrem veſtrum vera ſatisfactione redea-

u Per ego vos Eccl. fid. fr. *Vat.*
Matth. 5.
x Peperceritis. *Vat.*

redeatis nihil ulteriùs errando, nihil priſtinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid & flebile: *Peccavimus in conſpectu tuo pater: jam non ſumus digni nomine filiorum*. Continuò de vobis & pecus illud recedet immundum, & ſiliquarum eſca deformis. Continuò revertentes, & ſtolâ * veſtiti, & annulus honorabit; & paternus iterum complexus accipiet. Ecce ipſe loquitur: *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur & vivat*. Et iterum: *Nonne* (ait) *qui ceciderit, reſurget; & qui averſatus fuerit, convertetur?* Et Apoſtolus dicit: *Potens eſt Deus ſtatuere illum*.

* Melius, *veſtiet*. Luc. 15. Ezec. 33. Apoc. 2. Luc. 15.

117. Apocalypſis etiam ſeptem Eccleſiis, niſi pœnitentiam egerint, comminatur. Nec utique non pœnitentibus comminaretur, niſi ignoſceret pœnitentibus. Etiam ipſe Deus dicit: *Memento ecce unde cecideris, & age pœnitentiam*. Et iterum: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris*. Nec quiſquam adeò peccatricis animæ vilitate deſperet, ut ſe jam non neceſſarium Deo credat. Neminem noſtrum perire vult Dominus: etiam modici & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini; ecce in Evangelio drachma requiritur, & vicinis inventa monſtratur. Ovicula ſuppoſitis reportanda cervicibus, non eſt oneroſa paſtori. Super unum peccatorem pœnitentiam agentem in cœlis angeli gaudent, & chorus cœleſtis exultat. Heus tu peccator, rogare ne deſinas! Vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Amen.

LECTORI.

118. *HUCUSQUE S. Pacianus in Parӕneſi; cui ſtatim decreveram adjungere libellum ipſius* De Baptiſmo. *Sed cum hic non ſolum exſtet cum aliis ipſius ſcriptis apud Bibliothecam Veterum PP. præſertim Aniſſonianam; ſed nec conferri potuerit cum Ms. Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ob anguſtiam temporis; nec denique ſpectet ad refutandam hæreſim Novatianam, quam hucuſque oſtendimus damnatam ſemper fuiſſe à Patribus Hiſpanis; viſum fuit illum hoc loci prætermittere, & ſtatim adjicere Notas quaſdam in prælactas Epiſtolas, atque in Parӕneſin, ſive Exhortationem ad pœnitentiam; quæ eſt illarum veluti appendix, aut antidotum veneni illius, quod fortaſſe oriri poſſet occaſione impugnandi acriùs hæreſin prædictam.*

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE

IN SCRIPTA

SANCTI PACIANI.

IN EPISTOLAM PRIMAM.

119. JAM monui initio, me ea S. Paciani ſcripta contra Novatianos intra hoc volumen recudere voluiſſe, ut uberiùs depellerem invidiam Novatianiſmi à quibuſdam conflatam multis Hiſpaniæ Epiſcopis ac præſertim Oſio & ſociis ejus in Concilio Eliberitano & Sardicenſi. ubi multi Canones ea auſteritate conditi ſunt, ut cenſuerint aliqui, etiam è Catholicis, Patres illos lapſis poſt baptiſmum omnē prorſus veniam aut januam ad reconciliationem præcluſiſſe. Sed enim licèt eam cenſuram multipliciter rejecerim ſuprà Diſp. II. à num. 26. & latiùs Tomo I. in *Commentariis ad Concilium Eliberitanum*; proderit eidem defenſioni confirmandæ auctoritas S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, omnium opinione doctiſſimi & piiſſimi; qui jam florebat longè & latè vivente adhuc Oſio.

120. Nimirum Oſius cum aliis quinque Epiſcopis Hiſpanis interfuit Concilio Oecumenico ac numeroſiſſimo Sardicenſi anno CCCXLVII. ac demum cētenarius obiit Sirmii an. CCCLVII. (ut ibidē oſtendimus) vel Cordubæ an. CCCLX. ut aliis placet. Tunc autem S. Pacianus jam erat celebris in Hiſpania: cùm, teſte S. Hieronymo in *Catalogo*; mortuus fuerit ſub Theodoſio Principe *in ultima ſenectute*. Theodoſius porrò imperavit ab anno CCCLXXIII. uſque ad CCCXCV. Itaque colligitur, quò tempore obiit Oſius, Pacianum maturæ jam ætatis fuiſſe, annorum nempe plus minùs ſexaginta, & magnæ exiſtimationis; veluti qui viginti annis poſtea, aut circiter, in extrema ſenecta periodum diuturnæ vitæ clauſerit, ſummùm circa annum CCCLXXX. Quin & Cardinalis Bellarminus in aureo libro *De ſcriptoribus*, Pacianum ipſum florentem ac ſcribentem collocat anno CCCLX. id eſt, triennio poſt mortem Oſii.

121. Certum autem videtur, Pacianum adeò obſervantem ac religioſum in doctrina Patrum ſequenda, ut ejus ſcripta indicant, nihil tradere auſum, tam adverſus Novatianos, quàm circa pœnitentiam de peccatis agendam, niſi juxta ſen-

ſum

ſum Eccleſiæ, ac regulas SS. Patrum, eorum præſertim qui ſuo ipſius ſæculo Canones Pœnitentiales tradiderant, primùm quidem in Concilio Emeritano intra Hiſpaniã, deinde in Arelatenſi I. apud Galliam, ac tandem in Oecumenico Sardicenſi. Itaque tam Paciani, quàm Oſii, & aliorum Epiſcoporum intra Eccleſiam Catholicam eo quarto ſæculo, idem circa pœnitentiam ſenſus, & planè orthodoxus fuit, quamvis non omninò æqualis quoad auſteritatem. Hæc enim aliis & aliis temporibus major vel minor fuiſſe invenitur pro varietate, neceſſitate, aut conditione rerum occurrentium.

122. Cùm autem non ſit mentis meæ, aut præſentis inſtituti, in ea S. Paciani ſcripta edere Commentarium, (quo certè digniſſima ſunt, ut peccatores quique meminerint unde exciderunt, & congruam de delictis pœnitentiam agere doceantur ac perſuadeantur) ſed breves tantùm Notas; illas excurrendo proferam, reſpondentes numeris marginis, præmiſſis unicuique paragrapho à principio ad finem ſcriptorum ipſius.

Ad §. 1. *Pacianus Sympromiano fratri*, &c.] Dolet hæreſes abſque numero ferè quolibet tempore ab ipſa ætate Apoſtolorum, & deinceps, ortas fuiſſe in Eccleſia: ac præcipuas earum refert, proprio cujuſque auctore nominato, atque in iis Novatianam: & Sympronianum ipſum, de Fide ac ſinceritate ſuſpectum, monet ab iis omnibus recedendum eſſe, ſiquis CATHOLICI nomine dignoſci aut cenſeri velit. Nimirum ab eo alieniſſimos eſſe omnes hæreticos, veluti *Marcioniſtas, Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros ejuſmodi.*

123. Ad §. 2. *Quid? Parva nobis*, &c.] Allegat generatim viros Apoſtolicos, ſacerdotes primos, ac nominatim Cyprianum Martyrem & Doctorem, ac cæteros annoſos Epiſcopos, Martyres, & Confeſſores. Unicuique enim eorum veluti teſſera fuit. CHRISTIANUS MIHI NOMEN EST, CATHOLICUS VERO COGNOMEN: id eſt, *Univerſalis*, ſive univerſa Fidei dogmata retinens. Idem quoque interpretatur, *univerſis mandatis Dei obediens*. Quod certè non faciunt quicumque propter hæreſin à communione Eccleſiæ Catholicæ dividuntur.

124. Ad §. 13. *De pœnitentia verò*, &c.] Hinc Sympronianum de Novatianiſmo ſuſpectum, ac ſubinde alios ſimiles aut deteriores in ea parte, propiùs admonere incipit, deſiderium ſuum oſtendens, ne quis poſt baptiſmum egeat pœnitentiâ, cùm melius ſit innocentiam ſervare. At poſito quòd hanc amiſerit crimine aliquo, hortatur ad reſipiſcendum: non ut ſub ſpe veniæ accipiendæ iterum delinquat; ſed potiùs ut horrore commiſſi ſceleris dignè pœniteat, confiteatur humiliter, & fructus veræ ac perpetuæ emendationis proferat. Hac enim vindicta placatur Deus, & juſtitia amiſſa recuperatur. Quod variis Scripturæ teſtimoniis & exemplis comprobat, adversùs Novatianorum duritiam, qua nolebant Lapſos, licèt dignè pœnitentes, unquam ab Eccleſia ſcelerum ſuorum veniam accipere: immo & negabant ipſi eam poteſtatem à Chriſto Domino conceſſam: ut poſtea apparebit.

125. Ad §. 19. *Scio frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoque libramine, poſt multos gemitus, effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.*] His graviſſimis verbis, & attẽta conſideratione digniſſimis, S. Pacianus ita reſpuit crudelitatem Novatianorum, ut ſimul præcaveat, aut frænet errorem contrarium ſacerdotum facilè ac temerè habenas laxantium, qui abſque *magno pondere, magnoque libramine*, peccatoribus non ritè diſpoſitis abſolutionem à peccatis largiri audent, & *judicaturo Chriſto præjudicare* non metuunt.

126. Sanè hanc doctrinam didicit Pacianus ex ſacris literis & perpetuo uſu Eccleſiæ, ac monitis SS. Patrum, præſertim Cypriani, quem impensè laudat. Is enim variis locis ita Novatianos refellit, ut tamen auſteritatem pœnitentiæ ad veniam ſcelerum obtinendam graviſſimis ac terribilibus verbis ſæpè commendet, præſertim toto ferè libro *De Lapſis*. Libellos Martyrum, jam jam ſubiturorum glorioſam pro Chriſto necem, indiſcriminatim oblatos pro Lapſis ad communionem recipiendis, ante editos veræ pœnitentiæ fructus, redarguit velut intempeſtivos, & nihil iis in eo ſtatu profuturos. Lege Epiſtolas ipſius X. XI. XII. XIV. XXIII. XXVII. & XXIX. juxta editionem Pamelii; ſive illas quæ iis reſpondent in recentiore alia Nicolai Rigaltii.

127. Nimirum Cyprianus citato libro *De Lapſis*, inter plura alia, docens non perfunctoriam, ſed ſeriam & integram converſionem peccatoris ad Deum eſſe debere, ait: *Convertamur ad Deum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur*. Et inſuper: *Iram & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus.* Ac pleniùs alio ejuſdem libri loco inſtruens ſacerdotes qualiter cum pœnitentibus agant, ita quorundam negligentiam aut facilitatem in abſolvendo redarguit: *Cùm ſcriptum ſit*: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant; *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem*. Quos diligo (*inquit Dominus*) redarguo & caſtigo. *Sic oportet & Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum incluſum virus dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem: gratias aget poſtmodùm cùm ſenſerit ſanitatem.*

128. Statim autem invehitur acriùs contra ſacerdotes nimium lenes & laxones erga Lapſos & ſcelerum reos, quibus indiſcretam & infructuoſam remiſſionem, ſive impunitatem indulgebant. *Emerſit* (inquit) *fratres dilectiſſimi, novum genus cladis: & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies; Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam, pænitentia de pectoribus excuſſa eſt: graviſſimi extremiq; delicti memoria ſublata eſt.. Operiuntur morientium vulnera; & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.*

129. Hæc ille glorioſus Doctor ac Martyr, gravi & attenta conſideratione digniſſima; non modò iis qui ſceleribus ſuis gratiam in baptiſmo receptam abjecerunt; verùm etiam ſacerdotibus ad quorum tribunal, & Doctoribus ad quorum conſilium recurrunt: ne fortè indulgentiùs cùm pœnitentibus agentes, & leviſſimam ſatisfactionem pro peccatis graviſſimis imponentes, *peccatorum alienorum participes efficiantur*, ut totidem verbis monet Concilium Tridentinum Seſſ. XIV.

130. Huc etiam ſpectat quod idem Cyprianus ſub finem citati libri *De Lapſis* adjungit, præ oculis habita à S. Paciano & aliis Patribus; quæ juxta majorem aut minorem numerum & gravitatem peccatorum intelligi debent: *Deus quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt, tantum judicis majeſtate metuendus eſt. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. POENITENTIA CRIMINE MINOR NON SIT. Putaſne tu Dominum poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti? cui patrimonium præponere maluiſti? cujus templum ſacrilega contagione fœdâſti? quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſiùs & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lamentationibus lacrymoſis occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum jam hic velle veſtitum: poſt diaboli cibum, malle jejunium: juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus animæ liberantur.* &c.

131. Sed multus ſim, & promiſſam brevitatem tranſgrediar, ſi plura ſimilia ex eodem Cypriano, Tertulliano, Ambroſio, Baſilio, Cæſario, Gregorio, aliiſque SS. Patribus, immo & ex S. Carolo Borromæo, noſtris temporibus adeò vicino, proferre velim, tam contra nimiam negligentiam peccantium in ſatisfaciendo majeſtati Dei offenſi, quàm adversùs oſcitantiam & temeritatem quamplurium ſacerdotum, doctorum, aut ſcriptorum, in iis admonendis, corrigendis, & hortandis ad agendum dignos pœnitentiæ fructus, ſive ſcelerum numero & gravitati reſpondentes, ut exponit ſpeciatim S. Gregorius Magnus Hom. 20. in Evangelia, ad verba illa: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Sed tamen moneo, neminem privata auctoritate poſſe renovare Canones illos veteres Pœnitentiæ jam diu obſoletos, quatenus ex ſolo jure Eccleſiaſtico ortum ducunt. Standum eſt regulis probatis ab Eccleſia Romana, præſertim in Tridentino Seſs. XIV. & legibus prudentiæ Chriſtianæ.

IN EPISTOLAM SECUNDAM.

132. AD §. 20. *In quæſtione prolixa*, &c.] Hinc patet, Sympronianū Novatianiſmo præoccupatum, ægrè tuliſſe admonitiones S. Paciani, & fraudulento animo ad ejus Epiſtolam primam reſcripſiſſe interrogando, inſtar Rabbinorum, præſumentium de doctrina ſua, & volentium Chriſtum Dominum capere in ſermone. Erat enim tumidus, audax, eruditulus, & jactator illius tenuis ac puerilis humaniorum literarum notitiæ, quâ grammaticaſtri quidam ſuperbire, & graviſſimis SS. Patrum ſcriptis inſultare ſolent. Idem imbutus paradoxo illo immani Stoïcorum, omnia peccata æqualia cenſuit, & Lapſos abſque ullo diſcrimine ſolius Dei judicio relinqui debere, nec dandam iis eſſe actionem pœnitentiæ, aut eâ peractâ abſolvendos ab Eccleſia, veluti cui nulla ad id eſſet poteſtas. Quem errorem S. Pacianus ſuprà, atque Epiſt. III. ſequenti, deſumptum arbitratur ex hæreſi κατὰ Phrygas: ſicuti & ex ſecta Montani plura alia impia dogmata à Novatianis deſumpta fuiſſe obſervat S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium libro 7. *Hiſtoriæ*, capit. 7. Theodoretus lib. 3. *Hæreticarum fabularum*. & Sanctus Auguſtinus Epiſt. 108.

133. Ad §. 22. ad finem: *Novatus, inquam, patre prodito, Eccleſiâ derelictâ, partu uxoris effuſo. Egone Apoſtaticus, an Novatianus, quem abſentem Epiſtola Epiſcopum finxit, quem, conſecrante nullo, linteata ſedes accepit?*] Memorat ſcelera Novati; à quo primùm ſecta illa ortum habuit, & ſubinde Novatiani, qui illam propagavit, & famoſiorem reddidit. Porrò Novatus fuit Epiſcopus in Africa, turpiſſimæ ac flagitioſiſſimæ vitæ, cujus avaritiam, crudelitatem, & parricidia deſcribit S. Cyprianus Epiſtolâ XLIX. quam præ oculis videtur habuiſſe S. Pacianus ubi hanc ſcribebat. Cùm autem Cyprianus ipſe decreviſſet Lapſos non eſſe crudeliter repellendos, ſed diuturniore ac ſevera ſatisfactione probandos; Feliciſſimus presbyter ſchiſma conflavit; cui adhæſit Novatus, conturbans Eccleſiam Africanam, & ſubinde Romam veniens; ubi invenit Novatianum presbyterum. Hic ambitione & invidia furens ob S. Cornelium ſibi prælatum in Pontificatu, excitavit ſchiſma, & primus inter omnes Antipapa extitit, linteo candido indutus, veluti in

ſignum

ſignum munditiei, quam affectabat ſecta Catharorum. Propterea videtur dicere Pacianus de illo: *Quem, conſecrante nullo, linteata ſedes accepit.* Novatianus itaque presbyter Romanus, adversùs Cornelium legitimum Papam, concedentem veniam Lapſis poſt pœnitentiam dignam, conſpiravit cum Novato, ejuſque ſectam ampliavit adeò, ut quaſi illius conditor habeatur apud Epiphaniũ, Nazianzenum, Auguſtinum, Ambroſium, Philaſtrium, Socratem, ſicuti & apud noſtrum Pacianum.

134. Ad §. 33. *Cypriani Epiſtolas mihi placere miraris? Quidni beati Martyris & Catholici ſacerdotis? Novatianum mihi ingeris?*] Uſque adeò inſaniebat Sympronianus amore Novatiani, ut hunc, licèt volentem intrare ad Pontificatum aliunde quàm per oſtium, & rebellem in Eccleſiam Catholicam, præferret ſanctiſſimo Epiſcopo & Martyri ac doctori Cypriano in ſcriptis ſuis; veluti noctuam aquilæ, aut teſtudinem equo. Verùm inſaniam Sympronianī refellit Pacianus, prolatis in medium Novatiani vitiis, quòd ſolùm imbutus ſæculari Philoſophiâ, ab Eccleſia Dei vivi degeneràſſet; radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquiſſet; Cornelio Pontificatum invidiſſet, Novati inſaniæ ſe accommodâſſet, ac tanquam Epiſcopum ſe geſſiſſet abſque conſecratione legitima.

135. Nec verò tantùm iis ſordibus inquinatus fuit Novatianus, qui alioqui ſe τῶν Καθαρῶν, id eſt, *Purorum* principem haberi volebat; ſed etiam aliis pluribus. Fuerat enim ordinatus presbyter contra Canonum inſtituta, quibus arcebantur ab ordinibus Eccleſiaſticis quotquot in lecto decumbentes ob ægritudinem, baptizati fuerant; qualiter eidem contigerat. Deinde, uti erat ſuperbia & ambitione plenus, dumtaxat baptiſmum à ſe collatum jactabat validum, illumque conterebat orthodoxis ipſis, ac ritè antea baptizatis, ſi quis fortè ad ſectam ipſius defeciſſet. Unde & januam aperuit novæ ſectæ Donatiſtarum, quæ tamdiu poſtea graſſata fuit, præſertim in Africa. Vide plura alia infrà num. 143.

136. Ad §. 34. *Porrò etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus, &c.*] Etiam in hoc inſaniebat Sympronianus, ut ad præferendum Cypriano Novatianum, diceret, hunc illi martyrio præcurriſſe, omnino abſque ulla veri ſpecie, aut fundamento in verbis ejuſdem Cypriani. Hic nunquam memorat aliquid pro Fide paſſum Novatianum, ſed potiùs eum redarguit veluti perſecutorem Sancti Cornelii (cui Pontificatum invidebat) non modò Martyris, ſed & ducis aliorum Martyrum, & jam coronati ſuperſtite ipſo Novatiano, cui animus non fuit ad ferendam pro Chriſto necem.

137. Sanè tam procul fuit S. Cyprianus à referendo Novato aut Novatiano inter Martyres, ſive inter eos qui aliquid pro vera Fide paſſi ſunt, ut potiùs utriuſque errores exagitaverit, quà verbis quà ſcriptis, Epiſtolis plurimis, etiam modò exſtantibus; & præterea libro *De unitate Eccleſiæ Catholicæ*, ad revocandum ab hæreſi Novati ac Novatiani omnes illos Confeſſores, quos ambo ii literis & exemplo pravo ſeduxerant, & à Cornelii Pontificis legitimi obedientia ſeparaverant.

138. Profuit autem plurimùm liber ille Cypriani, ejuſque literæ. Nam qui Novatianiſmo infecti erant Confeſſores, agnito errore in Eccleſiæ ſinum & unitatem redierunt, obedientiâ exhibitâ legitimo Vicario Chriſti Cornelio, ut ex mutuis ipſius & Cypriani Epiſtolis XLVI. XLVII. XLVIII. & XLIX. conſtat: ubi & illa reſipiſcentium formula legitur: *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum à Deo omnipotente & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur; nos impoſturam paſſi ſumus perfidiâ & loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur, quaſi quamdam excommunicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe; ſincera tamen mens noſtra in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum ſanctum; unum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere.*

IN TERTIAM EPISTOLAM.

139. AD §. 37. *Tractatus omnis Novatianorum, &c.*] Refert Sanctus Pacianus ſummam doctrinæ Novatianorum ſibi à Semproniano miſſam, & in eo ſitam, *ut mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit; immo quòd ipſa pereat recipiendo peccantes.* Aurea verò ſunt quæ ſtatim ſubdit S. Pacianus in exprobrationem, ſimul & impugnationem adeò inſani & impii dogmatis, præſertim ex teſtimoniis Scripturæ ſacræ, & exemplis in ea contentis.

140. Itaque Novatus, & ſecta ab illo denominata Novatianorum, non modò erravit in nimia auſteritate erga quoslibet poſt baptiſmum peccantes; ſed etiam in neganda poteſtate Eccleſiæ ad veniam ſive reconciliationem iis largiendam. Quo eodem ſenſu id impium dogma intellexit Paciani ſynchronos Epiphanius κατὰ Καθαρῶν, *contra Catharos* (ipſi ſunt Novatiani) Hæreſi XXXIX. (aliàs LIX. juxta partitionem Petavii) quibuſdam additis. Cùm enim præcedenti capite de Valeſiis egiſſet; mox de Novatianis ita tractare aggreditur: Καθεξῆς δὲ τούτων Καθαροί τινες λεγόμενοι ἐφύησαν, ἀπὸ Ναβάτου τινὸς, ὡς πολὺς ᾄδεται λόγος. οὗτος ὁ Ναβάτος ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ὑπῆρχεν, ἐν καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τοῦ πρὸ Μαξιμιανοῦ γενομένου πρώτου· τάχα οἶμαι Δεκίου τότε ὄντος, ἢ Αὐρηλιανοῦ. ἀπὸ δὲ τῆς παραπτώσεως τῶν ἐν τῷ διωγμῷ παραπεσόντων ἐπάρματι ἀρθεὶς, ἅμα τοῖς ἑπομένοις αὐτῷ μὴ θελήσας κοινωνῆσαι τοῖς μετανοοῦσιν ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ, εἰς αἵρεσιν ταύτην τέτραπται, λέγων μὴ εἶναι σωτηρίαν, ἀλλὰ μίαν μετάνοιαν. μετὰ δὲ τὸ λουτρὸν, μηκέτι δύνασθαι ἐλεηθῆναι τὸν παραπεπτωκότα. Id

eſt

eſt: *Proximi ab iſtis* (nempe Valeſiis) *Cathari* (ideſt, *puri*, & candidis veſtibus incedentes) *quidam exorti ſunt à Novato, ut fama percrebuit. Novatus porrò Romæ perſecutionis illius tempore fuit, quæ eam anteceſſit, quam Maximinus excitavit; quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit. Quamobrem propter eos, qui in illa perſecutione lapſi fuerant, cum arrogantia unà cum ſuis* (ecce jam Nuvatianos ejus gregales) *inflatus, eos in communionem nollet admittere qui poſt perſecutionem pœnitentiam ſuſceperant, ad eam ſe convertit hæreſim, ut nullam eſſe ſpem ſalutis aſſereret, atque unam duntaxat eſſe pœnitentiam. Qui autem poſt baptiſmum delinqueret, NULLAM ERGA EUM MISERICORDIAM ADHIBERI POSSE.*

141. Ecce qualiter manifeſto SS. Epiphanii & Paciani teſtimonio, Novatiani propterea Lapſis in peccatum mortale poſt baptiſmum actionem pœnitentiæ & remiſſionem negarent, quòd crederent, Eccleſiam nullatenus illam largiri poſſe. Id autem ab utroque eo S. Præſule rejicitur palam teſtimoniis Scripturæ, exemplisque manifeſtis. Unde durities inexorabilis Catharorum ſive Novatianorum erga Lapſos, non proceſſit ex zelo ſalutis animarum, & ſtudio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quemadmodum auſteritas Oſii, & aliorum Patrum in Conciliis Eliberitano, Arelatenſi I. & Sardicenſi Oecomenico, in quibus multi Canones ſtatuti fuerunt ſatis ſeveri. Hi enim Patres ita Lapſis negabant perpetuò communionem ob quædam graviſſima crimina, ut tamen faterentur poteſtatem Eccleſiæ à Chriſto conceſſam ad omnia dimittenda. Conceſſâ itaque Eccleſiæ poteſtate, ſolùm cenſebant uſum moderandum, & ſeveriùs diſpenſandum, ut terrore ejus pœnæ homines in officio continerentur.

142. Cæterùm Novatiani errabant capitaliter negando poteſtatem fuiſſe à Chriſto conceſſam ad remittendum peccata poſt baptiſmum commiſſa: indeque abducebantur ad actionem pœnitentiæ Lapſis negandam, & reconciliationem exhibendam. Non eos zelus ſalutis animarum impellebat, cùm illas abſque remedio relinquerent, veluti in deſperationis ſtatu. Non ducebantur impulſu charitatis, quæ patiens & benigna eſt, atque omnia ſuſtinet, omnia ſperat, ut inquit Apoſtolus. Superbia & tumor Phariſaïcus mentis, quâ ſe ſolos jactabant Catharos, ſive puros, in cauſſa erat, ut indignarentur & deſpicerent miſeros quoſque, ſi fortè, vel ob infirmitatem ſolam, poſt ſalutare lavacrum in aliquod peccatum mortale labi contigiſſet. Et certè intolerandum præterea eſt, quòd Novatus illorum Patriarcha, cujus crimina pudenda ſuprà ex ſanctis Patribus memoravimus, ac nominatim ex Paciano; tam delicatus & inexorabilis eſſet circa aliena peccata, qui propriis onuſtus, longè gravioribus, egebat majori indulgentia. Sed fortè Phariſaïco illo genio occæcatus, & trabem in oculo proprio non videns, in alieno feſtucam notabat, uti ſuperbiſſimi hypocritæ ſolent.

143. Nimirùm, huc maximè ſpectat quod S. Pacianus poſtea num. 50. de eodem Novato inquit: *Ex Africa, fraudatis in Carthaginenſi Eccleſia viduis, ſpoliatis pupillis, pecuniâ Eccleſiæ denegatâ, projecto extra domum patre, & eodem fame mortuo, nec ſepulto, uxoris gravidæ utero calce percuſſo, partuque ejus effuſo, Romam venit.* Hic itaque tantorum criminum reus, Catharorum, ſive Purorum anteſignanus fuit, veniam Lapſis negantium, quâ ii longè minùs digni erant. Vide ſuprà num. 134.

144. Quod autem Novatus *μίαν μετάνοιαν*, *unam pœnitentiam*, ſive unicam eſſe dicebat, non uſurpat eo ſenſu, quo in Canonibus ſacris, & apud veteres Patres ſæpè legitur, monetque Syricius Papa in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum poſtea exhibenda, pœnitentiam unicam eſſe debere poſt baptiſmum. Ipſi enim loquuntur de pœnitentia ſolenni Canonibus ſtatuta, quæ ſemel tantùm agebatur, licèt diuturno tempore, & poſt lavacrum regenerationis, pro certis criminibus atrocioribus, ac nonnunquam toto vitæ decurſu. Novatus autem & gregales, illam *unam pœnitentiam*, in ſolo baptiſmo ſitam arbitrabantur, & nullam poſtea admittebant, negato prorſus Pœnitentiæ ſacramento, & clavibus Eccleſiæ ad ſolvendum vel ligandum rejectis, contra manifeſtum Chriſti oraculum ac promiſſum.

145. Eam impietatem, ſimul & inſaniam, tam ſapienter & fortiter impugnat S. Pacianus hoc loco, ut Novatianis, adhùc ſuo ævo eandem Hæreſiarchæ ſui cramben recoquentibus, & in iis Semproniano, mutis eſſe licuerit. Digna certè lectu eſt elegans, erudita, ac nervoſa S. Præſulis invectiva; & cujus ſtylus ſatis oſtendit, quàm verſatus ille eſſet in lectione veterum ſcriptorum Eccleſiæ, præſertim Tertulliani ac Cypriani. Denique omnia hæc Paciani ſcripta digniſſima ſunt, ob inſignem pietatem, eruditionem, & eloquentiam, præclaro aliquo Commentatore & illuſtratore; non minùs quàm aliæ lucubrationes Patrum præcedentium, aut ſequentium, quibus enucleandis & exornandis tot præſtantes viri ſuum ſtudium & operam contulerunt.

146. Omnes verò Semproniani objectiones, cavillos, tricas, & effugia, proponit Pacianus decurſu totius Epiſtolæ, eaque præcludit ineluctabilibus argumentis ex Scriptura ſacra deſumptis, & ea methodo ac vi, ut nihil ipſi reponendum aut excipiendum relinquere videatur. Evolve illa omnia, quæſo, lector erudite, & fateberis nihil præſtantius hiſce Epiſtolis inveniri in ſcriptis veterum Eccleſiæ Patrum.

147. Ad §. 92. Conſignat clave aurea Sanctus Pacianus pulcherrimam Epiſtolam & diſputationem adversùs Novatianos, conteſtans Semproniano eorum defenſori, ſe omnibus prorſus ſibi propoſitis aut objectis reſpondiſſe, ne uno quidem verbo aut apice neglecto. Itaque inconcuſſam demonſtrat Eccleſiæ doctrinam teſtimoniis Scripturæ manifeſtis, traditione Apoſtolorum, & communi præcedentium Patrum aſſenſu firmatam, de Lapſis poſt baptiſmum reconciliandis, abſolvendis, & ad pacem Eccleſiæ recipiendis; non quidem dum in ſceleribus perſiſtunt, aut non pœnitent; ſed ubi dignis pœnitentiæ fructibus exhibitis,

bitis,

bitis, ſe idoneos ſive diſpoſitos exhibent ad veniã recipiendam. Quam in rem ſpecioſa præſertim ſunt verba illa ex §. 81. *Utinam Cypriano teſte niteris: utinam tam ſalubribus ſententiis acquieſcas. Hic enim cùm Lapſos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes à Confeſſoribus, ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem; docuit & oſtendit quòd nec Patriarchæ illi* (nimirum Muyſes, & alii, de quibus antea loquutus fuerat) *pro non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare poſſit invitum? quis pro ſuperbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cùm diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia.*

148. Quare S. Pacianus hac diſertiſſima Epiſtola nullatenus Lapſis miniſtrat occaſionem peccandi ſub ſpe veniæ (ut Novatiani effutiebant) ſed potiùs ſtantes poſt baptiſmum ſæpiſſimè hortatur, ut innocentiam in eo acceptam, ſive regenerationis gratiam retineant. Poſitu autem quòd illam ſcelere aliquo ſuperveniente amiſerint; hortatur illos ad dignam pœnitentiam agendam, & plenam cordis contriti atque humiliati converſionem ad Deum, quam ipſe non deſpicit, ſed benignè admittit, atque ejuſdem ſuaſu & inſtinctu Eccleſia mater recipit, ut veniam & gratiam aſſequantur.

149. Eidem doctrinæ S. Paciani conſonat per omnia S. Epiphanius citata Hæreſi LIX. κατὰ Καθαρῶν, aliàs XXXIX. omnino legendus: ubi & paullò poſt initium luculenter exponit celebrem illum ac difficilem locum Hebræorum 6. v. 8. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt*, &c. quo Novatiani abutebantur ad crudelitatem ſuam firmandam. Nam licèt ex Apoſtolo ibidem conſtet, renovationem illam, ſeu regenerationem in Chriſto per baptiſmum, ſemel amiſſam per crimen aliquod, iterum haberi non poſſe (non enim baptiſmum iterare fas eſt) attamen ex eodem loco verbis ſequentibus ſatis colligitur, iiſdem Lapſis eſſe remedium, ſi æmulentur chariſmata meliora, ſi ampleꝛctantur viciniora ſaluti, ſi opera digna pœnitentiæ faciant, quæ nunquam obliviſcitur Deus. Unde concludit Epiphanius ex verbis & ſenſu Paulli, Θεὸν ἀντιλήπτορα τ' ἁμαρτημάτων αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τ' ἁμαρτησάντων τελείαν μετανοίας, καὶ ἐπιστρέφοντας, ϗ μεταμελομένων. *Deum rectè ab iis factorum eſſe ſuſceptorem, qui delictorum ſuorum abſolutam pœnitentiam capeſſerent, ſeq; adeò converterent, animumq; mutarent.*

150. Subdit autem illicò Epiphanius (per omnia conſonans Paciano, cujus Epiſtolas iſtas fortaſſe legit, & ſaltem legere potuit, atque intelligere, utpote πολύγλωττος dictus) Δέχεται γὰρ ὁ ἅγιος λόγος, &c. *Quamobrem cùm divinus ſermo, tum ſancta Dei Eccleſia perpetuò pœnitentiam approbat; non quòd mollior ac dilutior ſit, aut pigriores illos faciat qui in illo ſtadio decurrunt: ſed ut Dei gratiam humanitatemq; non rejiciat, ac cujuſque cauſſa modum & rationem conſideret.* Quibus planè obſtruitur os Novatianis, miſericordiæ Dei interminæ limites deſignare auſis, & piiſſimæ matris Eccleſiæ benignitatem accuſantibus, velut nimiùm effuſam in eos, qui de malè actis poſt baptiſmum ſeriò ac dignè pœnitent.

IN PARÆNESIN,

SIVE

LIBELLUM EXHORTATORIUM AD POENITENTIAM.

151. AD §. 93. *Etſi aliquoties*, &c.] Quem timorem antea præmiſerat S. Pacianus, ne fortè quiſquam ex laude & fructu pœnitentiæ adverſus Novatianos occaſionem arriperet delinquendi, aut in minori pretio habendæ renovationis ſeu innocentiæ per baptiſmum receptæ; eundem repetit initio ferè hujus Parænеſeos. *Unum illud vereor* (inquit) *dilectiſſimi, ne ſolita contrarietatis adverſis inculcando quæ ſunt, admoneam magis peccata quàm reprimam.* Quam timendi occaſionem multis proſequitur.

152. Sed enim non ita mollem aut laxam pœnitentiam Lapſis præſcribit S. Præſul, ut ejus metu non deterrerentur homines à lapſu poſt baptiſmum. Auſteritas enim vitæ tunc præſcripta pœnitentibus juxta ſacros Canones, adeò formidanda erat, ut paſſim homines in officio continerent, ne gratiam in baptiſmo receptam vilipenderent, & tali ac tanto Chriſti Redemptoris beneficio ingrati exiſterent. Itaque rebus utrimque expenſis, hanc Exhortationem profert, tum catechumenis, ut ſe præparent ad vitam Chriſtianam agendam; tum baptizatis, ut retineant juſtitiam & ſanctitatem per regenerationem acceptam; tum poſtea Lapſis, ut dignos pœnitentiæ fructus exhibeant.

153. Ad §. 98. *Sermonum tamen meorum hic ordo ſervabitur*, &c.] Adverſus Stoicos, & ipſorum in ea parte ſequaces Novatianos, præmittit, non omnia peccata eſſe æqualia, nec omnibus eandem ſummam pœnam infligi. Hinc tranſit ad reprehendendum illos fideles, qui verecundia quadam impudenti renuunt ſe accuſare de criminibus commiſſis, *& inquinato ore, ac polluta mente communicant.* Hi meritò dicuntur ab ipſo: *in conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum verò impudentiſſimi; profanis manibus,*

& pol-

& polluto ore contaminantes Sanctis quoque & angelis altare metuendum. Deinde verò procedit adnotandum illos, qui peccata quidem aperiunt & confitentur; verùm remedia pœnitentiæ, actionesque præſcriptas in exomologeſi ritè adminiſtranda, aut neſciunt, aut exſequi nolunt. Denique proponit ſe oſtenſurum, quæ pœna maneat, quiſnam infeliciſſimus exitus immineat, nolentibus agere pœnitentiam, aut negligentibus: quænam pariter corona parata ſit *conſcientiæ maculas rectà & ordinaria confeſſione expurgantibus.*

154. Ut autem id exponat, diſtinguit inter peccata & crimina. Nam poſt legem Euangelicam, licèt omnes homines in peccata labantur, non propterea ſeveriſſimis illis pœnitentiæ Canonibus conſtringuntur. Certè non ita accidere modò obſervat Pacianus, uti olim ſub lege Moyſis, ac veterum, quando minimorum peccatorum rei, vel unius quadrantis, gravi onere premebantur. quod exemplis pluribus confirmat, & qualiter Chriſtus ab illo jugo nos liberaverit, ac, teſte Apoſtolo, tranſtulerit in libertatem filiorum Dei.

155. Itaque *donatâ ſylvâ delictorum, & remediorum indulgentiâ deſtinatâ, in pauca concluſi ſumus: quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus, & cavere: ut meritiſſimò tartarum non recuſaret, qui tanta donationi ingratus, ne hæc quidem pauca ſervâſſet.*] Ubi audis, *facillimum ſervatu credentibus* quod Chriſtus jubet, intellige, per gratiam Fidei, quæ *credentibus* data eſt, & per auxilia reliqua ipſius Chriſti ad obſervationem mandatorum neceſſaria, quibus facilis ac ſuavis illa redditur: cùm tamen homines ſub lege veteri duro jugo gravique onere multiplicium præceptorum & cæremoniarum premerentur.

156. Itaque prolato in medium teſtimonio illo celebri ex Actis Apoſtolorum cap. 15. ubi baptizati declarantur liberi à jugo illo veteri legis Moſaïcæ, colligit Pacianus, tribus capitibus comprehendi crimina illa maximè gravia, quæ, etiam in lege Euangelica, ſub interminatione mortis æternæ nobis prohibentur.

157. *Neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, à quibus obſervantes bene agetis.*] Hæc Apoſtolorum verba, immo Spiritus ſancti in Concilio Hieroſolymis habito, dicuntur à S. Paciano, *Novi Teſtamenti tota concluſio.* tamquam iis tria omnino capitalia prohibeantur, idolorum cultus, homicidium, & actio quælibet venerea extra matrimonium. *Quid verò faciet* (inquit) *contemptor Dei?* Eam notam *contemptoris Dei* inurit deſerentibus veram Fidem, ſive tranſeuntibus ad infidelium caſtra. *Quid aget ſanguinarius?* nimirum, homicida. *Quod remedium capiet fornicator?* Cujus nomine comprehenditur generatim mœchia, inceſtus, & quælibet turpitudinis vel incontinentiæ ſpecies. Vide quæ circa id præmiſimus Tomo I. libro 2. in Concilium Eliberitanum c. 8. Trium iſtorum gravitatem ſummam ponderat, & veniæ difficultatem, præ aliis minoribus delictis: quorum alia remedia minùs aſpera, & magis obvia, proponit ab illis verbis: *Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur,* &c.

158. Nota, S. Pacianum minimè inficiari alia peccata, præter illa tria, eſſe obnoxia æternæ damnationi: veluti furtum, maledicentiam, perjurium, &c. Solùm ait, hæc meliorum operum compenſatione curari: quoniam præter contritionem veram, ſive converſionem totius cordis ad Deum (quæ eſt remedium generale) per actus virtutum contrariarum quodammodo compenſari poſſunt. Unde nec iis peccatis indicitur graviſſima illa & ſolennis pœnitentia juxta ſacros Canones, cùm alio ſatisfactionis genere expiari poſſint. Expianda tamen ſunt juxta majorem aut minorem peccati deformitatem: idque non ſolùm leges juſtitiæ exigunt, & offenſa Deo irrogata, ſed etiam conſideratio illa S. Cypriani ſuprà num. 130. præmiſſa: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Pœnitentia crimine minor non ſit.* &c.

159. Cæterùm tria illa crimina graviora, idololatriæ, homicidii, & fornicationis, *ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt.* Nimirùm, ad eorum vindictam & ſatisfactionem potiſſimùm indicta eſt ſacris Canonibus adeò diuturna & horrenda pœnalium macerationum acerbitas: ut iis aſperioribus remediis, jejuniis, humi-cubationibus, cilciis, fletu, ac planctu continuo, placetur Deus graviſſimè offenſus, & æternæ damnationis pœna incurſa temporaneis afflictionibus evadatur.

160. Inter tria illa crimina graviora primo loco ponitur idololatria, quæ in Concilio Eliberitano cap. 1. dicitur *crimen principale.* Statuitur enim ibi: *Ut qui poſt Fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit quod eſt CRIMEN PRINCIPALE, nec in finem eum communionem accipere.* Eodem modo loquutus fuerat antea Tertullianus libro *De Idololatria,* initio dicens: *Principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſſa judicii idololatria.*

161. Similiter Cyprianus Epiſt. X. ad Clerum, & XI. Ad Martyres, & XII. Ad plebem. ac libro *De Lapſis,* id crimen vocat, modò *graviſſimum, & extremum,* modò *ingens, & immenſum.* qualiter etiam loquuntur presbyteri & diaconi Romæ conſiſtentes in Epiſtola quæ eſt inter Cyprianicas XXX. juxta editionem Pamelii, aliàs lib. 5. Epiſtola XIII. Etenim, ut idem ſcribit ad S. Stephanum Papam Epiſt. LXXII. aliàs lib. 2. Epiſt. I. *Quod majus poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quàm adversùs Chriſtum ſteteſſe, quàm Eccleſiam ejus, quam ille ſanguine ſuo paravit & condidit, diſſipâſſe? quàm Euangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra unanimem & concordem Dei populum, hoſtilis diſcordiæ furore pugnâſſe?* Unde Conſtantinus Magnus, teſte Conſtantio ipſius filio, libro 2. Codicis Theodoſiani *De Pagan.* lib. 4. & 6. ejuſdem tituli & Codicis, ſcelus id graviſſimum idololatriæ, pœnâ capitis & confiſcatione bonorum multandum ſanxit, non ſolùm in aggreſſoribus, ſed etiam in rectoribus provinciarum, ſi id crimen vindicare negligerent. Quam pœnam pariter poſtea infligendam decreverunt utriuſque ſucceſſores Gratianus, Valentinia-

nianus, ac Theodoſius, immo & impius alioqui Julianus ſimul cum Conſtantio, antequam apertè ad caſtra Ethnicorum tranſiret. Huc ſpectant Canones Eliberitani primi quatuor, & deinceps XL. XLI. XLVI. LIX.

162. Secundum crimen *ſanguinis*, ſive homicidii, in Concilio illo Apoſtolorum memoratum, & à S. Paciano expenſum inter tria præcipua, quàm exſecrandum & grave ſit, clamat terra ipſa ad Deum ultorem ab initio mundi ob Abelem occiſum: clamat natura communis parens, & innatum conſcientiæ lumen: clamant denique innumera Scripturæ teſtimonia, legeſque omnes Eccleſiaſticę & civiles in homicidas latę ſub pœna mortis: ut proinde quiſquis auſus fuerit tam immane ſcelus committere, patienter eam vindictam à judice ſubeat; aut ſi fortè quavis occaſione impunis evaſerit, ſtudeat acerbiſſimo pœnitentiæ genere, jejunio, fletu, & caſtigatione corporis aſſidua, in corde contrito & humiliato placare Deum graviſſimè offenſum, ne tandem experiatur juſtum & terribilem ultorem. Vide ſpeciatim inter Canones Eliberitanos V. VI. & LXIII.

163. Tertium denique crimen, *fornicationis* nomine ab Apoſtolis notatum, & omnia incontinentiæ peccata generatim comprehendens (ſicuti & *mœchiæ* vocabulum in Conciliis, ut alio loco obſervavimus) pariter inter tria illa numeratur, & in ſacris Canonibus diuturno ac graviſſimo expiationis genere afficitur, & eò diuturniore ac ſeveriore, quò exſecrabilius illud eſt juxta varias ſpecies ac circumſtantias. Lege in eiſdem Canonibus Eliberitanis ſpeciatim VII. cum aliis ſeptem ſequentibus, ac deinde XVIII. XXX. XXXI. XLVII. LXI. & LXIV. cum aliis ſeptem ſequentibus, ac tandem LXXVIII. ut mittam plurimos alios diverſorum Conciliorum Canones, quibus omne incontinentiæ genus variis ac graviſſimis pœnis afficitur, & juxta majorem aut minorem ſceleris gravitatem aut frequentiam diuturna ſatisfactionum acerbitate expiandum decernitur. qualiter monet generatim S. Pacianus ſuprà num. 19. & in hac ipſa Parænesi, præſertim infrà num. 116.

164. Certè eodem ferè tempore quo S. Pacianus hæc ſcribebat in Hiſpania, florebat in Gręcia S. Baſilius Magnus, in cujus Ep. Canonica III. ad Amphilochium Canone LIX. hæc leguntur: Ὁ πόρνος ἑπτὰ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγιασμάτων, β' προσκλαίων, καὶ β' ἀκροώμενος· β' ὑποπίπτων, καὶ ἐνὶ συνεστὼς μόνον· τῷ δὲ ὀγδόῳ δεχθήσεται εἰς τὴν κοινωνίαν. *Fornicator ſeptem annis non communicabit ſanctis: duobus deflens, & duobus audiens, & duobus ſubſtratus, & in uno ſolo conſiſtens: octavo autem ad communionem admittatur.* Lege S. Auguſtinum Serm. 162. aliàs Fragmento III. *De verbis Apoſtoli*. 1. Corinth. 6. ubi graviſſimè invehitur adverſùs peccatum fornicationis, etiam illius quæ *ſimplex* dici ſolet, tanquam in turpiſſimum ſcelus: & ſimiliter S. Cyprianum Epiſt. LII. aliàs libro IV. Epiſt. II. ubi invehitur adverſùs Novatianum quòd libellaticis negaret pacem, mœchis autem ſive fornicatoribus concederet; cùm tamen hi deterioris conditionis ſint. Paradoxon cenſeres, ſi à me traditum. Sed deſine mirari lectis ejuſdem Cypriani verbis non longè à fine. *Si ſo* (inquit de Novatiano) *cordis & renis ſcrutatorem conſtituit & judicem, per omnia æqualiter judicet, &c. —— fraudatores & mœchos à latere atque comitatu ſuo ſeparet: QUANDO MULTO ET GRAVIOR ET PEJOR SIT MOECHI QUAM LIBELLATICI CAUSSA: cùm hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit: hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe quòd non ſacrificaverit, errore deceptus ſit: ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingreſſus* (ecce, ubi tam adulterium quàm ſimplicem fornicationem comprehendit) *ad cloacam & cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus* (per baptiſmum ſcilicet) *& Dei templum* (alludit ad verba Apoſtoli 1. Corinth. 6.) *deteſtabili colluvione violaverit*. &c.

165. Videtur autem Cyprianus hęc ſcribens, ob oculos habuiſſe magiſtrum (ita appellabat Tertullianum) libro *De pudicitia*, ubi eandem quæſtionem movet, & minoris ſceleris reum cenſet libellaticum quàm fornicatorem, dum ait: *Quis magis negavit, qui Chriſtum vexatus, an qui delectatus amiſit? qui cùm amitteret, doluit; an qui cùm amitteret, luſit?*

166. Eant nunc, & dediſcant perancioſiſſimum errorem ſuum, quotcumque homines tam facilè, tam intrepidè, atque inverecundè, corpus ſuum in baptiſmo ſanctificatum, & Dei templum (juxta phraſin Apoſtoli) violare non metuunt; nec reputant ingens peccatum, quod Spiritus ſanctus, quod Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, inter tria capitalia ſcelera, ſive præcipua, Chriſtianis fugienda numerant: quæ, ut inquit Pacianus hoc loco, *quaſi baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt*. Et ſi fortè adhuc obſtinatè quiſquam velit, ipſum loqui de mœchia ſolùm preſsè uſurpata pro adulterio; deponat pervicaciam iſtam: cùm & in Concilio illo planè divino, ſermo ſit nominatim *de fornicatione*, & ipſe S. Præſul in hac Parænesi n. 103. eum locum exponens, teſtetur, *OMNEM PRORSUS LIBIDINEM EXTRA UXORIUM THORUM ET COMPLEXUS LICITOS EVAGANTEM, REATU MORTIS ADSTRINGI*. Quo eodem ſenſu inter præcepta Decalogi, ſextum illud: *NON MOECHABERIS*, communiter & generatim vetare dignoſcitur omne prorſus libidinis inconceſſæ genus, cujuſcumque demum ſpeciei ſit, & illa etiam quæ *contra naturam* dicuntur; atque juxta Tertullianum, in ea parte laudatum ab omnibus, *furiæ*, ac *monſtra* dicuntur, *& ab omni tecto Eccleſiæ ſummota*: quoniam in ea lapſi nullatenus intra tectum Eccleſiæ admittebantur.

167. Ad §. 103. *Hæc quicumque poſt Fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Deſperavère tantorum criminum rei*, &c.] Notandum maximè verba iſthæc cum minis ἀμέσως ſubjunctis, non proferri abſolutè, ſive ex proprio ſenſu à S. Paciano; ſed ſolùm referri & objici, veluti rationem dubitandi, aut tanquam argumentum, quo Novatiani contendebant, hominibus baptizatis, in ea tria ſcelera lapſis, nullum ſupereſſe remedium, nul-

nullam in Eccleſia poteſtatem ad ea remittenda, nec auctoritatem ad concedendam iis actionem pœnitentiæ.

168. Ad §. 103. *Accipite remedium ſi deſperare cœpiſtis, ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis. Qui nimiùm confidit, indignus eſt.*] Hinc Pacianus potiſſimam ſuæ Parænèſeos partem impendit in refutationem Novatianæ ſectæ, & argumenti præjacti, exhortans lapſos in triplex prædictum ſcelerum genus, ut seriò ac dignè pœnitentiam agant, ac ſubinde veniam obtineant. Ac primùm ubi deſperare incipiūt pondere immani peccatorum deterriti, monet ut agnoſcant miſerrimum ſtatum, in quem ſe ultrò conjecerunt, & timorem Dei concipiant. *Qui enim nimium confidit, indignus eſt veniâ.* Nimirum videtur ſeipſum ignorare, neque ullum horrorem concipere de peccatis commiſſis, nec attendere unde exciderit, nec timorem habere judiciorum divinorum, quiſquis nimiùm confidit. Videtur quaſi meretricia fronte non erubeſcere, nec vereri Deum iratum, & pro nihilo reputare ſcelera commiſſa, quiſquis præfidenter ſe gerit, & veluti ſecurus ſperat, antequam ex intimo cordis affectu plangat. In quod probandum allegat Pacianus teſtimonium illud Dei apud Iſaïam cap. 3. juxta verſionem antiquam, quâ ſuo ipſius tempore utebatur Eccleſia: *Supra quem reſpiciam, niſi ſupra humilem, & quietum, & trementem verba mea?*

169. Ad §. 104. *Vos ergo primùm appello, fratres, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis: vos, inquam, poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos: qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri: qui cum mala conſcientia Dei ſacra contingitis, & altare Domini non timetis: qui ad manus ſacerdotis, qui in conſpectu angelorum ſub fiducia innocentiæ acceditis: qui divinæ patientiæ inſultatis: qui tacenti Deo, velati neſcienti, pollutam animam, & profanum corpus ingeritis.*

170. Viſum reſumere integra ea verba Paciani, quoniam graviſſima ſunt, & temporibus noſtris maximè congruunt, quibus longè major eſt facilitas ac temeritas peccandi, & multò minor conſuetudo dignè pœnitendi, quàm illo quarto ſæculo, in quo admodùm vigebat ſeveritas Canonum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Nimirum, ut inquit doctiſſimus ac piiſſimus Cardinalis Bellarminus in Dominicam quartam Adventûs Concione IX. *Digna pœnitentiæ opera* (Actorum 20. v. 20. à Spiritu ſancto requiſita) *non ſolùm in moribus noſtris, ſed vix jam in libris reperiuntur.* Itaque nunc multò magis, quàm ævo illo, oportet eam doctrinam inculcare & expendere.

171. Semper equidem, & tempore S. Paciani, & modò, fuerunt gravium criminum rei inter Chriſtianos: verùm cum hoc diſcrimine, quòd primis illis ſæculis ii longè pauciores erant, & plerique ex iis juxta Canonum ſeveritatē pœnitebant; nonnulli autem id recuſabant, quos Pacianus hoc loco reprehendit, & admonet ut dignè pœniteant. At poſtremis hiſce ſæculis cùm multò plures trium illorum ſcelerum rei ſint (ut alia minora taceam) longè pauciores exiſtunt, qui dignos pœnitentiæ fructus edant, qui ſpiritu verè contrito & humiliato convertātur ex toto corde ad Deū, & cum debita diſpoſitione confiteantur, ac ſacratiſſimam Euchariſtiam recipiant. Inde modica plurium emendatio, aut nulla, & novi atque aſſidui ferè lapſus, ac ſubinde irrequietus confeſſionum & peccatorum circulus.

172. Sed enim verbis nuper exſcriptis Pacianus nominatim invehitur adversùs ſceleratos illos, qui, ut ſuprà præmiſerat, *remedium ſuum erubeſcentes, malè verecundi ſunt* (id eſt, ſacerdoti peccata confiteri non audent) *& inquinato corpore ac polluta mente communicant: in conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum verò impudentiſſimi,* &c. Quanta verò iſtorum ſeges ſit noſtris temporibus, non modò tot exempla libris vulgata, & verè tremenda, tacentium peccata in confeſſione, & propterea ſubeuntium æternas pœnas, oſtendunt: ſed etiam teſtatur experientia ſacerdotum excipientium crebrò confeſſiones, præſertim in miſſionibus, aut in oppidis exiguis. Contingit enim paſſim invenire pſeudo-pœnitentes utriuſque ſexus, etiam in devexa, aut extrema ætate, qui aut plurimis annis, aut toto ferè vitæ decurſu, tacuerint peccata aliquot graviora vel probroſa in confeſſionibus, etiam frequentibus, & cauteriatâ conſcientiâ acceperint ſacroſanctum Chriſti corpus, in majorem ſui ipſorum damnationem. Hi certè à Paciano jure dicuntur *in conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum verò impudentiſſimi.* Quos proinde hoc loco teſtimoniis & exemplis è Scriptura erutis reprehendit, & monet ad confitēdum.

173. Ad §. 108. *Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt: ſimileſq; ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisq; etiam aſſidentibus confitentur: SED ADMONITI QUÆ IMPONENDA SUNT, NEGLIGUNT; ET QUÆ BIBENDA, FASTIDIUNT. Quod tale eſt, ac ſi dicat aliquis: ECCE EGO ÆGER, ECCE EGO VULNERATUS SUM: SED NOLO CURARI.*

174. Reſumpſi integrè verba hæc Paciani, quoniam magni momenti erant ævo ipſius, ſed multò majoris noſtro ſæculo. Licèt enim, ut paullò antè monuimus cum ipſo, frequenter ſatis inveniantur qui fruſtra confiteantur, & ſceleratè communicent, ob peccata quædam turpiora in confeſſione omiſſa; at longè plures ſunt, qui propter defectum culpabilem diſpoſitionis debitæ confeſſiones irritas peccatorum faciant, impiè communicent, & novis ac frequentibus ſacrilegiis quotidie ſceleratiores fiant.

175. Imprimis enim plures negligenter admodùm conſcientiam ſuam examinant, etiamſi multi menſes, aut fortaſſe anni, ab ultima confeſſione fructuoſa & ſalutari tranſierint. Non enim imitaotur Ezechiam Regem ajentem Iſaïæ 48. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Non ſatis explorant ſinus & latebras conſcientiæ ſuæ. Solùm illa peccata graviora memorant, quæ ſtatim ferè in oculos incurrunt. Alia, etiam mortifera, cogitationum iniquarum, dele-

ctatio-

ctationum impurarum, odii proximorum, ambitionum, &c. quorum ignoratione aut negligentia culpabili laborant, nullatenus excutiunt, & multò minùs confiteri proponunt. Itaque ex gravi ipſorum ſocordia, aut valdè exigua cura inquirendi, ſive examinandi peccata, oritur, ut confeſſioni deſit neceſſaria diſpoſitio examinis, ac ſubinde doloris fructuoſi peccatorum, & propoſiti veri emendationis. Non enim cohærere poteſt fructuoſus de peccatis dolor, & verum atque efficax emendationis propoſitum, cum peccato gravi actuali, quod in ipſa confeſſione committitur ex defectu notabili diligentis examinis.

176. Alii verò, quamvis *bene ac ſapienter vulnera ſua pœnitentia nomine confitentes; nec quæ ſit pœnitentia, nec qua vulnerum medicina noverunt*. Nimirum aliqui eorum errant, putantes totum pœnitentiæ onus ſitum eſſe in examinanda diligenter conſcientia, & integrè confitendis peccatis ſacerdoti: quaſi ulteriùs non ſit neceſſum de iis omnibus ex animo dolere, & veram ac ſupernaturalem deteſtationem ex toto corde concipere, cum firmo propoſito ſatisfaciendi, & corrigendi vitam de cætero. Itaque prætermittentes diſpoſitionem hanc jure divino & naturali requiſitam ad veniam obtinendam, & ſacramentum Pœnitentiæ ritè recipiendum, nullum omnino ex confeſſione fructum reportant, ſed potiùs damnum, ac ſacrilegium incurrunt. Quare ii, licèt integrè confiteantur, non propterea verè pœnitent: quia juxta Pacianum, *nec quid ſit pœnitentia noverunt*.

177. In eadem ferè navi ſunt ii, qui licèt ſciant neceſſarium omnino eſſe, ultra confeſſionem integram, verum habere dolorem & deteſtationem de omnibus peccatis, cum propoſito firmo ſatisfaciendi & corrigendi vitam; adeò immerſi ſunt curis aut cupiditatibus ſæculi, vel adeò negligentes circa ſuam æternam ſalutem, ut non ſatis expendant miſerum ſuum ſtatum, nec quantum amiſerint, nec quas pœnas in æternum ſubeundas incurrerint, nec quàm graviter Deum offenderint, nec quàm ingrati exſtiterint, poſt tot ipſius beneficia, præſertim redemptionis, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes*, ut loquitur Apoſtolus Hebræorum 6. nec denique qualiter ipſum ex toto corde diligere, honorare, ac timere debeant. Ex defectu earum conſiderationum oritur, ut non ſtudeant orationibus, lacrymis, jejuniis, ac piis aliis operibus, impetrare à Deo ea gratiæ excitantis & adjuvantis auxilia, quibus reipſa atque omnino efficaciter convertantur, ac seriò proponant ſatisfacere majeſtati Dei offenſæ. Unde & ex ipſorum voluntaria negligentia ſequitur, ut rarò, aut nunquam, ii ſe præparent dignè ad accipiendam peccatorum veniam per abſolutionem ſacerdotis. *Quo maximè malo fraternitas hæc* (inquit Pacianus, & nos meliùs de ætate hac dicere poſſumus) *laborat, delictis veteribus nova hæc adjungendo peccata*. Si quando enim, his temporibus maximè, experimento deprehenditur, pleroſque homines gravium criminum reos, poſt confeſſiones ejuſmodi ad eadem peccata, præſertim Venerea, reverti, neque unquam integrè abſtinere uſque ad mortem, in qua non tam ipſi peccata deſerunt, quàm ab iis deſeruntur, ut utar phraſi SS. Patrum. Itaque tam procul ſunt ab emendatione criminum præcedentium, ut potiùs nova, ac propterea deteriora, ſrequenter uſque ad mortem adjiciant.

178. Hoc adeò frequenti experimento edoctus Cardinalis Bellarminus Tomo VI. editionis Colonienſis anni MDCXVII. ſcripſit Concione XXXII. *De Reſurrectione Domini*; non longè à fine, verba hæc: *At inquis, tametſi iſta non ſerve* (nimirum quæ paullò antè præmiſſa fuerant, pietatis & continentiæ opera) *tamen poſtea ad confeſſionem accedo, atque ita crucem meam fero. Verum eſt quidem: ad confeſſionem accedis. Sed qua contritione? quo dolore? quo deſiderio ſatisfaciendi? quo propoſito non peccandi? CERTE TALES CONFESSIONES HOC NOSTRO SÆCULO FIUNT, UT EGO VEHEMENTISSIME REFORMIDEM ILLAS AUDIRE. Nonne ſingulis annis promittis ſacerdoti, te diligentiam adhibiturum, ut non pecces? Nonne ſtatim promiſſionis oblviſceris? Nonne anno ſequenti cum iiſdem peccatis, & fortaſſe pluribus, & majoribus, ad eum accedis?*

179. Hæc ille pro Concione in Eccleſia publicè proferebat Lovanii circa an. MDLXXX. florenti ætate adhuc, quæ poſtea ſenex an. MDCXIV Joanni Dulmenio Theologiæ Profeſſori, ac ſubinde Simoni Ryckio Minoritæ edenda permiſit: ut hic teſtatur in Epiſtola nuncupatoria ad eundem Cardinalem, præfixa editioni prædictæ Colonienſi, factæ & vulgatæ ſeptennio ante ipſius mortem, quæ contigit Romæ anno MDCXXI. ætatis LXXIX. Hæc, inquam, docuerat Bellarminus eo tempore, quo probabiliſmus vix, aut ne vix quidem, ortus fuerat, nec patuerat lata illa via tot laxarum, intolerabilium, & pernicioſarum opinionum libertati faventium: quarũ XLV. damnavit Alexander VII. poſtea LXV. Innocentius XI. & tandem Alexander VIII. duas adhuc deteriores, de peccato Philoſophico; & dilectione Dei, tamquam neminem ſub reatu conſcientiæ aſtringente in decurſu vitæ moralis. Quid diceret Bellarminus ſi infelicia illa tempora nactus fuiſſet, in quibus eæ opiniones prævalebant, & in praxi à Confeſſariis ac pœnitentibus recipiebantur? Quomodo poſtea non dixiſſet urgentiori ratione quod longè ante illas dixerat: *Certè tales confeſſiones hoc noſtro ſæculo fiunt, ut ego vehementiſſimè reformidem illas audire?*

180. Audiendus idem Cardinalis Concione IX. in Dominicam IV. Adventûs, parte illius poſteriore ſub initium, per omnia cohærens verbis S. Paciani, in quibus explanandis verſamur. *Satis nobis eſſe cenſemus* (inquit) *ſi confuſo quodam modo peccata noſtra, tanquam hiſtoriam quandam ſacerdoti referamus. Sed non ita eſt: fallimur vehementer: à recta via aberramus. Et multi ſunt, qui eo quòd jam confeſſi ſunt, pedem unum ſe habere arbitrantur in cœlo: qui tamen, ſi rectè conſiderent, videbunt ſe pedem unum in terra, alterum in gehennam poſuiſſe. Nec enim confiteri, ſed bene confiteri, hominibus cœlum aperit.*

181. Proſequitur ſtatim: *Incipiamus à contritio-*

tritione. Veniunt nonnulli ad confeſſionem, adferunt unam ſarcinam peccatorum, quam duo equi ferre non poſſent: habebunt interdum decem, aut viginti, & quinquaginta peccata mortalia, præter ea, quorum non recordantur: non amplifico, extenuo potiùs. Multi ſunt qui nullum diem ſine novis peccatis mortalibus tranſegerunt; & tamen nullæ ſunt lacrymæ, nulli gemitus, nulla ſigna veri doloris: quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra; ſed uno genu duntaxat, & illo ſuper pulvinari interdum poſito, ita manent, quaſi furari abſolutionem, & ſtatim aufugere vellent: nec veſtium pompam deponunt, nec ullum ſignum doloris oſtendunt. Hæccine eſt contritio? Scindite corda veſtra (*inquit Joël cap.2.*) & non veſtimenta veſtra. *An ſcindit cor ſuum ille qui nunquam intrat in cor ſuum?*

182. *Scripturæ ſacræ, cùm de pænitentia loquuntur, ubique cinerem & cilicium commemorant; & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum eſſe docent. Doctores verò, mirum eſt profectò quid dicant, cùm de pænitentia verba faciunt. Siquidem eam baptiſmum laborioſum, baptiſmum lacrymarum, tabulam ſecundam poſt naufragium, vocant. Beatus Gregorius Nazianzenus, Oratione ſecunda* De Baptiſmo: Recipio (*inquit*) pænitentes, ſi lacrymis rigatos videro. *Audite laudatiſſimum Cyprianum in ſermone* De Lapſis. Quàm magna deliquimus (*inquit*) tam granditer defleamus, alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cujus templum ſacrilega contagione violâſti? Putaſne facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſiùs, & rogare: diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere; tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio volutari & ſordibus.

183. *Hæc B. Cyprianus verè pænitentibus præſcribit. At cur hodie, quæſo, tam raros hujus generis pænitentes videmus, niſi quia in ſolitudinem cordis intrare non novimus? Tanta enim eſt gravitas & turpitudo peccati, & uſque adeò deformem & horribilem efficit animam peccatoris, ut ſola ejus conſideratio, ſi diligens, ſi attenta ſit, claudere poſſit hominem in cubiculo, & hoc in eo efficere, ut nihil ei in poſterum libeat, quàm lacrymari.*

184. *Quid, ſi attenta & profunda cogitatione hæc apud te volvere incipias? Heu mihi! quid miſer egi, quum hoc flagitium perpetravi! Primùm patrem illum dulciſſimum, auctorem omnis boni, & mei amantiſſimum offendi, qui me undique beneficiis vallavit, cujus tot ſigna charitatis video, quot bona, vel in me, vel in aliis video. Quæ tanta eſt mea durities! Dominus meus virgis cæditur, ſpinis coronatur, clavis configitur, ut veteribus meis ſceleribus medeatur, & ego ſemper addo nova. Ille nudus in cruce, & ſanguine perfuſus, totus exhauſtus, ſalutem & converſionem meam ſitire ſe clamat; & ego ſemper pergo acetum ei & fel amariſſimum propinare? Deinde illius in me iram atque indignationem provocavi, cujus eſt tanta majeſtas, tanta poteſtas, ut omnes Principes, omnes Reges, omnes dæmones, omnes angeli cum eo comparati, vix pulveris granum unum meritò appellari poſſint. Nec enim tam facilè nos modicum pulverem flatu diſſipamus, quàm facilè poſſit Deus ſolo nutu, & unico momento, omnem mundi gloriam atque pompam penitùs delere.*

185. *Quis mihi præterea explicabit, de quanta gloria ruerim, & de quo libro vitæ nomen meum deletum ſit? Hæres eram regni cæleſtis, vitæ æternæ nunquam finiendæ. Ab hac tanta felicitate, ac ſorte tam præclara, & omnibus modis maxima, excidi miſer per peccatum. Et quid inde lucratus ſum? Jam propè ipſas ſum tenebras exteriores: nec magis procul abſum à gehenna, quàm abſint ab aquis qui navigant mare. Quàm citò frangitur tabula, tam citò ruunt illi præcipites in profundum. Quàm citò frangitur maceries iſta putrida corporis mei, quæ momentis ſingulis ruinam minatur, tam citò & ego ſine ullo remedio in gehennam deſcendam. Fortaſſe igitur cras, fortaſſe hac nocte, fortaſſe hodie in illis ſempiternis ardoribus habitare incipiam. Hæc, inquam, ſi attentè cogitare volueris, fieri non poterit, quin ex oculis tuis ſcaturiant fontes lacrymarum, nec laborabis ut ad genua ſacerdotis te abjicias, & manibus complicatis, oculis in terram defixis, totus confuſus & tremens, ſcelera tua confitearis; quin etiam impedient verba ſingultus, & ſuſpiria cum oratione miſcebis.*

186. *Intravit pænitens David in cor ſuum, ideo lavabat per ſingulas noctes lectum ſuum, & lacrymis ſtratum ſuum rigabat. Intravit pænitens Petrus in cor ſuum, & exiens foras, flevit amarè. Intravit pænitens Publicanus in cor ſuum, & iccircò non audebat oculos ſuos ad cælum levare, & pectus cum dolore & lacrymis feriebat. Intravit pænitens illa peccatrix in cor ſuum, & tantam de interiore turpitudine confuſionē accepit, ut omnem confuſionem exteriorem nihil eſſe putaret. Intravit pænitens Theodoſius Imperator potentiſſimus in cor ſuum, iccircò ſceptri, & purpuræ, & omnis pompæ Imperialis oblitus, poſtea quàm multos menſes facinus ſuum defleverat, ad Eccleſiam veniens, coram omni populo reprehenſionem atrociſſimam primùm patienter tulit; deinde non ſtans, nec genibus flexis, ſed planè proſtratus, lacrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus quibus poterat modis, Domino ſatisfaciebat. Hi ſunt igitur fructus ſolitudinis, hæc non alibi quàm in receſſu cordis oriuntur. Ingrediamur, ingrediamur cor noſtrum, & viam Domini in ſolitudine dirigamus.*

187. Hucuſque doctiſſimus ille Cardinalis: qui tanquam plurimum verſatus in ſacris literis & ſcriptis Patrum, nihil aliud tradendum cenſuit, præſertim circa pœnitentiam, quàm quod in iis legerat, & nominatim in Paciano noſtro: cujus hæc ſcripta aurea quò magis lego, eò magis exoſculor & admiror: nec invenio in ullo alio ex Patribus Eccleſiæ ſolidiorem eruditionem, ſpiritum præſtantiorem, aut eloquentiam magis ad movendum & perſuadendum accommodatam. Sanè qui ſcripſit hæc, putandus eſt plura alia æquè pretioſa ſcripſiſſe, quæ temporum injuriâ perierint, aut

rixen-

rixentur adhuc cum blattis & tineis. Si quando detecta fuerint, moneo poſteros, ut ea publici joris faciant ſimul cum hiſce opuſculis, & juſto aliquo Commentario illuſtranda aut exornãda curent, in honorem tanti Præſulis, & communem Eccleſiæ utilitatem. Equidem S. Hieronymus laudat præterea aliud opus S. Paciani inſcriptum Λέρος: alii dicunt Κέρος. Apud librum Hieronymi *De ſcriptoribus* Græcè verſum à Sophronio, Κέρος: & judicio Eraſmi eſt nomen proprium illius, contra quem ſcripſit Pacianus. Eruditiſſimus D. Nicolaus Antonius ſuſpicatur legendum Κέρνος, quo nomine appellabatur vas quoddam fictile in loculos diſtinctum, & variis fructibus plenum: qualiter & inter ſcripta veterum aliquod denominatum fuit Πίναξ, Στρῶμα, Ἀμαλθείας κέρας, ſive Amaltheæ cornu. Quicquid verò ſit de varia ejus nominis interpretatione, id certum ac maximè dolendum eſt, eum librum interiiſſe, cum ingenti Reipublicæ literariæ jactura.

188. Ad §. 109. *Quid ergo nunc faciam ſacerdos, qui curare compellor?*] Propoſita jam difficultate medendi iis, qui integrè confitentur, nec tamen opera congrua pœnitentiæ exſequi volunt; inquirit Pacianus, quid ſibi, quid aliis ſacerdotibus deliberandum ſit, dum eos curare ex officio compelluntur. Reſpondet autem, eam curationem ſperari poſſe, ſi peccatores ſe ſinant ſecari & exuri ſcalpello illo prophetico Joëlis 2. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum: ſimulq; in jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* Hæc ſi faciant, non dubitat Pacianus, etiam poſt baptiſmum lapſis, veniam & pacem ſpondere, quam Novatiani ex tumore mentis & ſupercilio Phariſaïco negabant.

189. *Nolite hanc ſectiram timere, dulciſſimi.*] Vide quo ſpiritu lenitatis & dulcedinis, ſanctus & innoxius Præſul, peccatores quoslibet, etiam in graviſſima crimina lapſos, & auſteriora opera detrectantes, ad pœnitendum invitet, quos Novatiani potiùs in deſperationis profundum impellere videbantur. Invitat ſuaviter ad proferendum dignos pœnitentiæ fructus, exemplo magnorum Regum, præſertim Davidis & Nabuchodonoſſoris: quorum ingentes gemitus, lacrymas, pallorem, jejunia, dejectionem, humiliationemq́ue admirandam, elegantiſſimè deſcribit, & qualiter per eos labores, afflictiones, auſteritatemq́ue vitæ, veniam à Deo piiſſimo impetraverint. Iis exemplis præmiſſis, erigit peccatores quosq́ue ſimiliter pœnitentes in ſpem certam ſalutis, & concludit: *Ecce ſectio quam ſpopondi: qui potuerit tolerare, ſanabitur.* Itaque quotquot confitentes palam ſcelera ſua, & aperientes medico ſpirituali vulnera, non aſſequuntur ſalutem, ideò eâ carent, quia ſecari & curari nolunt.

190. Ad §. 110. *Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus an ferre poſſitis, &c.*] Exemplis prajactis Regum pœnitentium addit aliud inceſtuoſi illius Corinthii, quem in vindictam & curationem ejus magni ſceleris Apoſtolus tradidit ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini: ut habetur 1. Cor. 5. Porrò is erat baptizatus abſdubio, & computatus inter Chriſtianos Corinthios, ac graviſſimè lapſus in fornicationem inceſtuoſam cum noverca, qualis nec inter Gentiles permittebatur. Et tamen Apoſtolus illum per interitum carnis, ſive mortificationem, & perpeſſionem dolorum atque afflictionum condignam, ſalvandum cenſuit. Refellitur itaque eo illuſtri exemplo crudelitas Novati, nemini baptizato & graviter lapſo tribuentis pœnitentiæ locum, aut ſpem veniæ, atque in id ſuadendum abutentis teſtimonio ejuſdem Apoſtoli Hebræor. 6. qui tam peſpicuè hoc alio loco 1. Corinth. 5. mentem ſuam exponit Novatiano errori contrariam.

191. Ad §. 110. *Quid dicitis pœnitentes? Ubi eſt veſtra carnis interitus?*] Propoſitis jam iis exemplis pœnitentiæ aſperrimæ, ſimul & veniæ, in Regibus potentiſſimis, & inceſtuoſo illo Corinthio ſatanæ tradito in carnis interitum, Pacianus graviſſimè invehitur adversùs Chriſtianos in ſcelera lapſos, qui nolunt, aut non audent interimere carnem ſuam gladio aut cruce mortificationis, ut ſalvi fiant. Præcipuè verò carpit eos, qui *in ipſa pœnitentia*, nimirum, quando accedunt ad confitendum, aut quando exſequuntur opera pœnitentiæ à ſacerdote præſcripta, *lautiores ſemper incedunt, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti*. Itaque quo tempore maximè deberent, imitatione quadam illorum Regum acerbiſſimè pœnitentium, & Corinthii inceſtuoſi, lacrymoſo vultu incedere, jejuniis affligi, dolore frangi, cilicio veſtiri, cinere operiri & ſacco, carnemq́ue interimere, ſeu crucifigere cum ſuis vitiis ac concupiſcentiis, ut alibi monet idem Apoſtolus; tunc irreverentiùs ſe gerunt. Nihil de faſtu, pompa, aut ornatu veſtium deponunt: nihil de conviviis ac deliciis corporis.

192. Niſi S. Pacianus hæc nobis teſtaretur accidiſſe ſuo ævo, longè meliori quàm noſtro, & in quo primitivæ Eccleſiæ fervor maxima ex parte permanebat; vix aliquis crederet. Oportet autem omnino id credere: verùm duntaxat de paucis quibuſdam, aut non ita multis apud Barcinonem ampliſſimam urbem, ubi hæc ſcribebat. Mirum enim non eſt, inter tot millia civium nobilium & opulentorum, fuiſſe aliquos, qui crimina admiſſa confitentes, nollent dignè pœnitere, aut carnem interimere cruciatibus, jejuniis, vigiliis, aliiſq́ue macerationibus; ſed potiùs luxui, deliciis, ornatui, ac pompæ indulgerent, ſicut antea. Cæterùm longè plures lapſorum confitentium aliter omnino ſe habuiſſe tunc, ac modeſtiori habitu, parciore cibo ac potu, aliiſq́ue auſteritatibus uſos fuiſſe, dubium non eſt, nec fervor Chriſtianorum ejus ætatis aliter judicare ſinit.

193. Verùm quid dicam de noſtro tempore, ubi in pleriſque ſaltem lapſis experimur, quod Pacianus tunc in paucis quibuſdam lamentabatur? Quâ pompâ, quàm amplo veſtitu, quanto ornatu, & quàm multipliciter exquiſito corporis cultu, multi nobiles viri ac fœminæ (quamvis nonnulli gravium ſcelerum ſibi conſcii, immo & fortè graviſſimorum) paſſim incedunt, etiam ubi ad confitendum peccata veniunt? adhuc diebus

bus ipſis Qiadrageſimæ, ſpeciatim ad pœnitendum inſtitutis, quin & in Hebdomada Majore, ubi Chriſtus Dominus propter nos tam dura, tam terribilia, tam intoleranda paſſus fuit? Quæ forma pœnitentium eſt iſthæc? Quis ex corde contritos, & paratos ad veram correctionem ac ſatisfactionem facilè credat, quos Ita pompoſos, deliciis plenos, conviviis deditos, ludis, choreis, aliiſque ſæculi delectationibus videt? Quid ſibi volunt cæſaries illæ, ſeu comæ adſcititiæ, à viris & fœminis (immo & à multis clericis) magno pretio emptæ, calamiſtratæ, retortis crinibus curvatæ, quas geſtant domi ac foris, etiam ubi ad confitendum accedunt, & ad recipiendum in altari tremendum ac venerabile Euchariſtiæ ſacramentum?

194. Ad §. 110. *Ecce aliquem video, aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentam: nunc bene cultus, & locuples, & decorus eſt*, &c.] Dolet Pacianus ſpeciatim hiſce verbis, quòd vel ipſi viles homines, viri & fœminæ, è medio vulgi, imitari velint divitum ac magnatum luxum, ubi ad pœnitentiam accedunt. Licèt enim aliàs ſordido habitu aut nullo cultu incedere ſoleant, & victu rudi vitam tolerent; ubi tamen Eccleſiam ingrediuntur ad exhomologeſin, ſive confeſſionem peccatorum faciendam, ornati, ſplendidi, ac decori, inſtar divitum, incedunt. Si iis facultates ſuppeterent, minimè dubitarent imitari quoſdam opulentiores, & *quaſdam lautiores*, atque inſtar earum *auro opprimi*, *ſerico fluere*, *cocco rubeſcere*, ferrugineo pulvere in ſupercilio fulgere, ficto nitore in gemmas rutilare, aut coacto rubore in labiis deſudare. Quæ in multis opulentiorum videre licet, etiam in vilioribus fœminis viderentur, ſi facultas eſſet. Sed *iſta forſitan non habetis*, ſubdit Pacianus, quaſi vilibus fœminis non deſit voluntas, ſed ſolùm poſſibilitas tanti luxus habendi. Quem defectum ſtatim ab iis utcumque ſuppleri aut compenſari aitquia non deſunt iis *hortulani maritimive receſſus, & exquiſitius vinum, & lautiora convivia, & defæcatio ſenectutis*. Id eſt, fucus, & pigmenta, & purpuriſſum, & ceruſſa, quibus macies, livor, & rugæ ſenectutis diſſimulentur.

195. Ad §. 111. *Non ſuſtineo jam, fratres*. &c.] Recenſitis jam luxibus quorundam pſeudo-pœnitentium ſui temporis, exardet Pacianus, & vehementer in eos invehitur, veluti impiè delicatos, & ſceleratè molles, exemplis variis, ac primùm Danielis & ſodalium; qui, innocentiſſimi licèt, ſacco tecti, cinere operti, & jejunio penè exſangues, clamabant ad Dominum: *Peccavimus, facinus admiſimus, tranſgreſſi ſumus præcepta & judicia tua*. Similiter eodem capite Danielis 6. de Azaria inquit Scriptura: *Azarias precatus eſt, & aperiens os ſuum exhomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis*. David quoque, homo ſecundùm cor Dei, Pſalmo 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*.

196. Hiſce exemplis præmiſſis, tonat & fulminat Pacianus adversùs lapſos in crimina, & recuſantes opera digna pœnitentiæ: *Nos verò quid tale, quid ſimile?* Quaſi diceret: Quæ impudentia, quis furor mentis eſt, poſt tot flagitia commiſſa, poſt graviſſimè offenſam Dei majeſtatem, nolle humiliari, nolle jejuniis, vigiliis, lacrymis, macerationibus corporis, atque intimo dolore animi, placare divinam iram: quando vel innocentes illi pueri, & David, etiam poſt dimiſſum ſibi peccatum, iis aſperrimis mediis uſi ſunt ad demerendum Deum? Qua fronte criminoſi utriuſque ſexus, vice ſacci & cilicii, jejunii ac fletus, cineris, & horroris, induuntur ſerico & coccino, conviviantur & rident, ac cæſariebus ſuis pretioſum pulverem ſuperimponunt? Quæ inſania eſt, ut qui imitari deberent Publicanum pectus tundentem, nec oculos in cœlum levare auſum, ac Magdalenam lacrymantem, Davidem & Nabuchum pœnitentes, ſicut imitati ſunt errantes; id præſtare nolint, duro corde ad fletum, & blando ad delicias? Quid, quòd rei damnationis ęternę, & immemores juſtorum Dei judiciorum, tam intolerabili faſtu incedant, nec ſequi velint exempla pœnitentium illorum, ſed luxus Sardanapali, aut licentiam Laïdos Ephyreæ? Neque enim aliter ille, aut iſta incedere potuit, ac modò pſeudo-pœnitentes multi, inimici crucis Chriſti, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum*, ut Apoſtolus loquitur.

197. *Non dico illa quæ congregamus*, &c.] Increpato jam luxu & faſtu eorum impœnitentium, reprehendit inſuper nova peccata ipſorum addita præcedentibus: dum vice macerationum & operum pœnalium, quæ ſponte ſubire & exercere deberent, contrahunt novas delictorum labes, aut proſequuntur antiquas, *cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo ſimpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo*.

198. *Ne hæc quidem, quæ videri etiam à ſacerdote poterant, & Epiſcopo teſte laudari*, &c.] Carpit inſuper lapſos illos, & detrectantes ſeriam ad Deum converſionem, emendationemque, quòd ne Illa quidem exteriora pœnitentiæ ſigna exhiberent, quæ à ſacerdotibus videri, & ab Epiſcopis probari poſſent, ac quotidie ab aliis pœnitentibus in facie Eccleſiæ ſervabantur. nimirum, ut idem Pacianus mox ſubjungit, *flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi: ſi quis ad balneum vocet, recuſare delicias: ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quid mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare quàm pereas*. Omnia hæc, & plura alia, erant exercitia verorum pœnitentium, etiam tempore Paciani, qualiter & ævo Tertulliani, cujus phraſin ſatis notam, tum hoc loco, tum præcedentibus, maximè imitatur, & energiam illam ſingularem ad perſuadendum. Ea verò à pſeudo-pœnitentibus Barcinonenſis urbis prætermiſſa dolet, ut proinde nec populo, nec ſacerdotibus, nec Epiſcopo, ullum exterius ſignum veræ converſionis proferrent.

199. Ad §. 112. *Scio quoſdam ex fratribus & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere, cineri in-*

incubare, iejunia ſera meditari: *ET NON TALIA FORTASSE PECCARUNT.*] Hoc exemplo ſatis obvio virorum & mulierum inſontis vitę, levia ſua peccata expiantium ſacco, cinere, & jejunio, ad ſeram uſque noctem, exprobrat Pacianus magnis peccatoribus duritiem ſuam, & nimiam lenitatem, immo potiùs veram crudelitatem erga ſeipſos; quòd lethaliter vulnerati, nullent ea remedia adhibere, quibus alii utriuſque ſexus utebantur adhuc ſani, & innoxii, ne ſalutem ſpiritalem amitterent. Et hoc ipſum multò magis ævo noſtro doleri debet, quòd plurimi peccatis onerati non exhibeamus pœnitentiæ opera, ſaltem in eo gradu quo legimus quotidie facta olim, & nunc fieri ſcimus ab innumeris ferè viris ac fœminis, ſpeciatim pietati deditis ab ineunte ætate, in quolibet ſtatu & conditione. Ipſi in die univerſalis judicii teſtes & accuſatores erunt impœnitentiæ noſtræ, ſi vel poſt crimina, agere & pati negligamus, quòd ii ſine ullo gravi lapſu præſtiterunt.

200. *Quid de fratribus loquar?* &c.] Subjungit exprobrationi præcedenti, ad majorem cumulum, exempla caprarum & hirundinum (quibus & antea Tertullianus uſus fuerat) ſibi medentium dictamno & chelidoniâ, ubi vulneratæ aut exoculatæ ſunt: ut vel earum imitatione diſcamus peccatores vulneribus altis, & ægritudinibus animæ, opportunum adhibere remedium pœnitentiæ.

201. Ad §. 113. *Conſiderate nunc fratres*, &c.] Inſuper ex Apoſtolo 2. Theſſalon. cap. 2. Rom. 2. & Apocal. 18. *peccatoribus delicatis, & pœnitentiam non agentibus*, minas adjungit, & illam pręcipuè, ut qui veritatem noluerunt recipere ad ſalutem, ſinantur labi in operationem erroris, & credant mendacio, quia non acquieverunt veritati, ſed ſibi in injuſtitia placuerunt. Hanc pœnam ſequitur alia mortis æternæ, & tormentorum juxta menſuram criminum, quibus *ſecundùm duritiam ſuam theſaurizârunt ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*.

202. Ad §. 114. & ſequentes uſque ad finem totius Parænesis, nihil addendum occurrit, nec addi poteſt divinæ eloquentiæ, & ponderi auctoritatis ac rationis quo Pacianus peccatores quoſque ad dignè pœnitendum hortatur, urget, terret, atque horrorem incutit. Evolve, lector, evolve quæſo, & profunda conſideratione tecum expende. Miſerum me, ac te, ſi ad tonitrua tanta & talia non expaveſcimus, ſi ad clangorem horrificum talis tubæ non expergiſcimur, ſi ad planctum, ad gemitus, ſuſpiria, contritionem cordis, & reliquos pœnitentiæ fructus dignos proferendos & continuandos non excitamur.

203. Verùm hiſce immorari non audeo, quoniam conſcientiâ meorum peccatorum terreor, & timeo alios reprehendere, cùm ipſe longè iis deterior ſim. Quæ protuli huc uſque adversùs pſeudo-pœnitentes, non meo nutu, non quaſi ex me ipſo dixi; ſed nomine Paciani ſanctiſſimi Præſulis, qui nullius ſceleris ſibi conſcius, potuit fidenter reprehendere, quod mihi maximo peccatori, ignorantiis, negligentiis, ac miſeriis pleno, vix repræſentare licet. Tu, Paciane, ſacerdotum gemma, divini honoris zelator, peritiſſime animarum curandarum medice, è cœlo cura ut ſcripta hæc tua, Dei timorem & amorem ſpirantia, lapſos quoſque ad veram pœnitentiam excitent, perſuadeant, atque invictè trahant. Ignoſce mihi, ſi animo peccatorum ſarcinâ onuſto, ſi non recto corde, ſi impuris manibus, ſi terrenis affectibus occupatus, ſacra hæc & cœleſtia tua documenta tangere, & aliis proponere auſus ſum. Sed licèt verba mea non ſint lectu digna, tua tamen hæc Parænesis, ſive Exhortatio ad Pœnitentiam, legi ac relegi, & ad unguem obſervari digniſſima eſt.

COROLLARIA QUÆDAM OPPORTUNA CIRCA DOCTRINAM VETERUM HISPANIÆ PATRUM

De Pœnitentia agenda.

204. COLLIGES I. ex dictis, alieniſſimum ſemper fuiſſe à mente Epiſcoporum Hiſpaniæ in Concilio Eliberitano, ac poſtea in Arelatenſi I. Galliæ, & tandem in Sardicenſi (quorum utrique aliquot illorum cum magno illo Oſio interfuerũt) ut hęreſin Novati & ſequacium inſtaurarent. Nam licèt in nonnullis Canonibus diſciplinam ſeveriorem afferendam curaverint, attentis circumſtantiis temporis ita exigentibus; nunquam ii dubitaverunt de poteſtate clavium à Chriſto conceſſa ad remittendum peccata quælibet poſt baptiſmum commiſſa: multò autem minùs illam negârunt inſtar Novati. Hic certè capitaliter lapſus fuit negando Eccleſiæ eam auctoritatem remittendi, ac ſubinde concedendi actionem pœnitentiæ lapſis. Hiſpani autem Patres, & S. Pacianus cum iis, oppoſitum planè docuerunt, quoad utramque partem: ut ex aliis Canonibus eorundem Conciliorum, & ex præjactis Epiſtolis, ac Parænesi, palam conſtat.

205. COLLIGES II. Patres Hiſpanos, & in iis S. Pacianum, ita rejeciſſe hæreſin Novatianorum, ut tamen caverent ab extremo contrario. Nimirum, quo tempore Novatus omnem ſpem veniæ lapſis præcludebat, etiamſi pœnitentiæ opera laborioſiſſima proferrent; eodem alii ex lapſis remiſſionem ac pacem, communionemque ſibi ipſis pollicebantur, immo & quaſi jure debitam extorquere volebant, poſt nullos, aut valdè exiguos pœnitentiæ fructus, ex vi literarum, ſeu libellorum, quibus Confeſſores Chriſti jamjam martyrium ſubituri, pro iis recipiendis precabantur. Hunc abuſum intolerabilem exſtirpare ſtatim ſtuduit S. Cyprianus, & Clerus Romanus Epiſtolis mutuis, ſtatuto medio inter utrumque extremum;

ut

ut lapſis quidem venia concederetur propter literas confeſſorum eorũdem: at non anteqoam competentes fructus pœnitentiæ feciſſent, qoibus idonei & vicini jam eſſent ad tantam gratiam conſequendam, judicio Epiſcoporum.

206. Tempore autem S. Paciani, & Concilii Sardicenſis, cùm jam ceſsâſſent perſecutiones Gentilium, non erat occaſio ut aliqui martyrium ſubirent, ac per conſequens, neque ut in carcere aut laniena poſiti, pro lapſis iotercederent, aut paſſiones ſuas in ſatisfactionem offerrent. Quapropter lapſis unicum remedium ſupererat, pœnitentiæ illius diuturnæ & acerbæ, quæ ſacris Canonibus pro qualitate & numero criminum ſtatuta erat, niſi fortè cum quibuſdam ex cauſſa juſta & rationabili aliqua ejus pars minuenda eſſet arbitrio Epiſcoporum: oti in Concilio Nicæno Canone XI. indultum fuit. Alioqui lapſi in aliquod illorum trium crimiuum, quæ *capitalia*, aut *principalia* dicebantur, omnia pœnalia opera iis præſcripta exhibebaut, & percurrebant diu quatuor illos aut quinque ſolennis pœnitentiæ gradus, anteqoam abſolutionem acciperent, & pacem Eccleſiæ ſive communionem aſſequerentur.

207. Quod ipſum poſt tempus S. Paciani obſervatum fuit multis ſæculis in Hiſpania: ut ſuis locis videbimus. Nonc ſatis ſit indicare Caoonem XXI. Concilii III. Tuletaoi à S. Leandro Archiep. Hiſpaleoſe celebrati anno DLXXXIX. cum aliis ſexaginta duobus Epiſcopis totius Hiſpaniæ: ubi Canone XXI. ſtatuitur, *UT POENITENTES SECUNDUM MODUM ANTIQUORUM CANONUM AGERE POENITENTIAM DEBEANT.* Aliis ſubinde temporibus Eccleſia mater piiſſima, ſe habere cœpit mitiùs & liberaliùs theſauro indolgentiarum uti, quibus lapſi alioqui verè contriti, & ferv idè pœnitentes, plorimùm juvari & ſublevari poſſunt: ſupplente theſaoro infinito meritorum Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum, quod nobis deeſt; curantibus tameo ſatisfacere per jejunia, orationes, eleemoſynas, aliaque pietatis & pœnitentiæ opera; quæ per ſe ſola, & ſine ſuffragio illo, rarò ſufficereot ad plenam expiatiooem ſatisfactionemque.

208. Hæc agentes, vitabimus utrumque illud erroneum extremum Novatianorum & impœnitentium: & ot inquit S. Epiphanius Hæreſi LIX. οὐκ ἐκκλινοῦμεν ἐντεῦθεν ἢ ἐντεῦθεν, ὁδῷ βασιλικῇ βαδιοῦμεν. ἔστι γὰρ ὁδὸς βασιλικὴ, ἥτις ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία. *Non declinabimus hac aut illac: viâ regiâ gradiemur. Eſt enim regia quædam via: nimirum Eccleſia Dei, ac veritatis iter. Unuſquiſque verò prædictorum errorum, regiâ viâ relictâ, ad dexteram ſiniſtramve deflectens, deinceps in immẽſam aberrationem ſeſe cõmittens abripitur, adeò, ut nullum deinceps modum habeat in qualibet erroris inſolentia.*

VITA S. DAMASI PAPÆ,

Sub quo celebratum fuit Concilium Cæſarauguſtanum.

Ex libro Pontificali, ſive Anaſtaſio Bibliothecario.

DAMASUS natione Hiſpanus, ex patre Antonio, ſedit annis XVIII. menſibus II. & diebus X. Et cum eodem ordinatur ſub contentione Urſicinus, & facto Concilio ſacerdotum, conſtituerunt Damaſum; quia fortior, & plurima multitudo erat cum eo, & ſic conſtitutus eſt Damaſus, Urſiciuom ejeceruot ab Urbe. Damaſus in Urbe manſit Apoſtolicus: fuit autem temporibus Juliani. Hic fecit Baſilicas duas: unam juxta theatrum, quæ S. Laurentii vocatur nomine; aliam viâ Ardeatinâ, ubi requieſcit io catacumbis: & dedicavit Platoniam, ubi corpora Apoſtolorum jacueroot, id eſt Petri & Paulli: quam & verſibus exornavit. Hic multa corpora Martyrum requiſivit, quorum etiam coocilia verſibus decoravit. Hic invidioſè de adulterio incriminatur, & facta Synodo purgatus eſt à XL. Epiſcopis, qui etiam damnaverunt Coocordium & Calliſtum diaconos accuſatores, & projecerunt de Eccleſia. Hic conſtituit in urbe Roma Baſilicam, quam ipſe conſtruxit, ubi quamplurima obtulit dooa. Hic conſtituit ut Pſalmos die noctuque canerent per omnes Eccleſias: qoi hoc præcepit presbyteris, & Epiſcopis, vel Mooaſteriis. Hic fecit ordioationes quinque per menſem Decembrem, Presbyteros XXXI. Diaconos XI. Epiſcopos per diverſa loca LXII. Qui etiam ſepultus eſt in via Ardeatina in Baſilica ſua, III. Idus Decembris, juxta matrem ſuam, & germanam. & ceſſavit Epiſcopatus dies XXXI.

CONCI-

CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM
XII. EPISCOPORUM.
Erâ CDXVIII. ideſt Chriſti CCCLXXX.
Sub Damaso Papa, contra Priſcillianiſtas.

T I T U L I.

I. *Fœminæ fideles à virorum alienorum cœtibus ſeparentur.*

II. *Ut diebus Dominicis nullus jejunet, nec diebus Quadrageſimæ ab Eccleſia ſe abſentet.*

III. *Ut qui Euchariſtiam in Eccleſia [a] accipiunt, & ibi eam non [b] ſumunt, [c] anathema ſint.*

IV. *Ut tribus hebdomadis, quæ ſunt ante Epiphaniam, ab Eccleſia nemo recedat.*

V. *Ut qui à ſuis Epiſcopis [d] privantur, ab aliis non recipiantur.*

VI. *Ut clericus, qui propter [e] licentiam monachus vult eſſe, excommunicetur.*

VII. *Ut Doctoris ſibi nomen [f] non imponat, cui conceſſum non eſt.*

VIII. *Ut ante quadraginta annos ſanctimoniales virgines non velentur.*

a Accipit. *Exc.* b Sumit. *Exc.* c Anathematizentur. *Exc. & C. A.* d Communione privantur. *Exc.* e Luxum. *Exc.* f Quis non. *Exc.*

Exemplum ſententiarum Epiſcoporum Concilii Cæſarauguſtani.

QUARTO Nonas Octobris Cæſarauguſtæ in ſecretario reſidentibus Epiſcopis, [g] Fitadio, Delphiuo, [h] Eutychio, Ampelio, Augentio, Lucio, [i] Ithacio, Splendonio, Valerio, Symposio, [k] Cartherio, Idatio, ab univerſis dictum eſt: [l] Recitentur ſententiæ. Lucius Epiſcopus legit.

g Siradio. *Exc.* h Raticejo. *Exc.* i Italio, Splendinio. *Exc.* k Catheno, & Itallo. *Exc.* l Recitetur ſententia. *C. A.*

I. *Ut fœminæ fideles à virorum alienorum cœtibus ſeparentur.*

Ut mulieres omnes Eccleſiæ Catholicæ, * & fideles à virorum alienorum lectione & cœtibus ſeparentur; [m] vel ad ipſas legentes [n] aliæ, ſtudio vel docendi vel diſcendi, conveniant. Quoniam hoc Apoſtolus jubet. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, anathema futuros, qui hanc Concilii ſententiam non obſervaverint.

* *Deeſt in Exc.* m Nec. *Exc.* n Alii. *Exc.* 1. *Corinth.* 14. *Et* 1. *Timoth.* 2.

II. *Ut diebus Dominicus nullus jejunet, nec diebus Quadrageſimæ ab Eccleſia ſe abſentet.*

Item legit: Ne quis jejunet die Dominica, [o] cauſâ temporis, aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis: [p] ut de Quadrageſimarum diebus, ab Eccleſiis non deſint, nec habitent latibula cubiculorum, ac montium, qui in * his ſuſpicionibus perſeverant; ſed exemplum & præceptum cuſtodiant ſacerdotum, & ad alienas villas agendorum conventuum cauſâ non conveniant. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Anathema ſit [q] qui hoc commiſerit.

o Cauſſâ timoris. *Grat.* p Nec Quadrageſimæ dieb. ab Eccl. fideles deſint, nec habitent in latibulis. *Exc. & Grat.* * *Deeſt ab Exc. & Grat.* q Hæc. *Exc. & Grat.*

III. *Ut qui Euchariſtiam in Eccleſia accipit, & ibi eam non [r] ſumit, anathematizetur.*

r Conſumit. *Exc.*

Item legit: Euchariſtiæ gratiam, ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non [s] ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

s Conſumpſiſſe. *Exc.*

IV. *Ut tribus hebdomadis, quæ ſunt ante Epiphaniam, ab Eccleſia nemo recedat.*

Item legit: [t] Viginti & [u] uno die, quo à XVI. Kal. Januarii uſque in diem Epiphaniæ, quæ eſt octavo Idus Januarii, continuis diebus, nulli liceat de Eccleſia ſe abſentare, nec latere in domibus, nec ſecedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere; ſed concurrere ad Eccleſiam. Quod qui non obſervaverit, [x] his decretis anathema ſit in perpetuum. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Anathema ſit.

t Viceſimo. *Exc.*
u Primo. *Exc.*
x De ſuſpectis anathe. *Exc.* De ſuſceptis. *C. 4.*
y Communione privantur. *Exc.*

V. *Ut qui à ſuis Epiſcopis* [y] *privantur, ab aliis non recipiantur.*

Item lectum eſt, ut hi qui per diſciplinam, aut ſententiam Epiſcopi, ab Eccleſia fuerint ſeparati, ab aliis Epiſcopis non ſint recipiendi. Quod ſi ſcientes Epiſcopi fecerint, * dictum eſt: Qui hoc commiſerit non [z] habeat communionem,

* Deſunt in. *Exc.*
z Habeant, *Exc.* & *C. 4.*
a Luxum, *Exc.*

VI. *Ut clericus, qui propter* [a] *licentiam monachus vult eſſe, excommunicetur.*

Item legit: [b] Si quis de clericis propter luxum, [c] vanitatemque præſumptam, de [d] officio ſponte diſceſſerit, ac velut [e] obſervatorem legis monachum videri voluerit eſſe, magis quàm clericum; ita de Eccleſia [f] repellendum, ut niſi rogando, atque [g] obſervando plurimis temporibus ſatiſfecerit, non recipiatur. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: ita fiat.

b Si quis clericus. *Exc.*
c Vanitatiſque præſumptū. *Exc*
d Officio ſuo. *Exc.* & *A. C.*
e Obſervatorem. l. m. ſe videri maluerit eſſe quàm cl. *Exc.*
f Repellendus erit *C. 4.*
g Obſecrando. *Mss. CC.*
h Quis non. *Exc.* *Ad Hebr.* 5. 4.

VII. *Ut Doctoris ſibi nomen* [h] *non imponat, cui conceſſum non eſt.*

Item lectum eſt: Ne quis doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt; ſecundum quod ſcriptum eſt. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

VIII. *Ut ante quadraginta annos ſanctimoniales virgines non velentur.*

Item lectum eſt, non velandas eſſe virgines, quæ ſe Deo [i] voverint, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam ſacerdos comprobaverit. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

i Voverunt.

Subſcribunt in hoc Concilio duodecim Epiſcopi, quorum nomina hoc ordine in exordio Concilii Ms. ponuntur.

1. Fitadius,
2. Delphinus.
3. Eutychianus,
4. Ampelius.
5. Augentius.
6. Lucius,
7. Ithacius.
8. Splendonius.
9. Valerius.
10. Sympoſius.
11. Catherius.
12. Idacius.

NOTÆ VARIORUM IN SUBSCRIPTIONES.

1. DUO Epiſcopi, nimirum Eutychianus & Valerius, alter Baſtitanus, alter Cæſarauguſtanus, ſubſcribunt etiam in Eliberitano: unde conſtat hoc Concilium fuiſſe actum circa tempora Eliberitani. Hic Valerius fuit ſecundus. Præterea Ithacius & Idacius ſeptimo & duodecimo loco ſubſcribunt. Unde error Trithemii corrigitur, exiſtimantis eundem eſſe: eſt enim Ithacius Epiſcopus, cujus in Priſcilliano meminit D. Hieronymus,

mus; cui librum ſub ſpecie Apologiæ edidit, in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata, & maleficiorum venena, & libidinum detexit. At Idacius Epiſcopus vixit cum Ithacio, anno Domini CCCXXXVIII. Severus Sulpicius lib. II. *Hiſtoriæ ſacræ*, Ithacium Soſſubenſem Epiſcopum facit: Idacium verò tantùm Epiſcopum nominat: ſtudium eorum in expugnandis hæreticis reprehendit: quia animo vincendi potiùs quàm oportuit, certârunt. Vixerunt Ithacius & Idacius Epiſcopi temporibus Damaſi Papæ, Gratiani Imperatoris, & Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi. De Ithacio ſic Sulpicius: *Certè Ithacium nihil penſi, nihil ſancti habuiſſe definio: fuit enim audax, loquax, impudens; præſumptuoſus.* Loaisa.

2. Fateor de Ithacio qui ſubſcribit ſeptimo loco inter duodecim Epiſcopos, Sulpicium ea verba ſcribere, quæ denotent illum nullius prætii hominem. Sed enim longè aliter loquitur S. Iſidorus de Idacio, qui ſubſcribit ultimo loco, libro *De viris illuſtribus*. Ait enim: *Idacius Hiſpaniarum Epiſcopus, cognomento & eloquio Clarus, ſcripſit quendam librum ſub Apologetici ſpecie, in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata, & maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra demonſtrat, oſtendens Marcum quendam Memphiticum, magiæ ſcientiſſimum, Nianis & Priſcilliani magiſtrum.* Quia idem Sulpicius aliter loquitur de Idacio lib. 2. *Hiſtoriæ*, ubi ſacerdotem Emeritæ vocat, ad quem Hyginus Epiſcopus Cordubenſis retulerit de erroribus Priſcilliani in Hiſpania graſſantibus. *Hyginus* (inquit) *Cordubenſis Epiſcopus è vicino agens, ad Idacium cognomento Clarum, Emeritæ civitatis ſacerdotem refert.* Nimirum illius graviſſimæ Eccleſiæ, quæ tot ſæculis Metropolitana fuit. Quis ergo credat, hunc ipſum fuiſſe eundem cum Ithacio illo, de quo Sulpicius ipſe ait nihil penſi, nihil ſancti habuiſſe, aut tot illis vitiis fuiſſe inquinatum? Card. de Aguirre.

3. *Valerio*] Interfuit huic Concilio Valerius Cæſarauguſtanus. Fuerunt autem duo Valerii Epiſcopi Cæſarauguſtani, quorum prior ſedit temporibus Daciani, qui ſub Maximino & Diocletiano Imperatore Hiſpanias rexit, quando & ejus diaconus S. Vincentius martyrii palmam adeptus eſt. Poſterior vixit temporibus Conſtantini, quando Synodus Eliberitana eſt celebrata: interfuitque in ea Oſius Epiſcopus Cordubenſis: ſicut in Nicæna, & aliis, magna cum nominis exiſtimatione. Id videtur ſentire Prudentius in Περὶ στεφ. hymn. 4. ubi agens de Cæſarauguſtanis martyribus, ſic ait de Vincentio & Valeriis:

Inde, Vincenti, tua palma nata eſt.
Clerus hinc tantum peperit triumphum,
Hinc ſacerdotum domus infulata
Valeriorum.

De ordine autẽ & tempore ſacerdotum Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ, exſtat Epiſtola Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, viri doctiſſimi, ad Hieronymum Blancam Aragonenſium rerum accuratum ſcriptorem. Loaisa.

4. Eam Antonii Auguſtini V. Cl. & celeberrimi Epiſtolam ad Hier. Blancam, exhibuimus Tomo I. Conciliorum Hiſpaniæ initio ferè pag. 7. & 8. Quod verò doctiſſimus Loaïſa hoc loco monet de tempore Concilii Eliberitani, ac de Eutychiano, tanquam de Epiſcopo Baſtitano, qui Synodo Eliberitanæ olim interfuiſſet, ac tandem de duobus Valeriis; ſpongiâ eget. Satis enim eodem Tomo, in Commentariis ad idem Concilium, præſertim lib. 1. cap. 2. & 3. ac ſuprà initio hujus Tomi II. Diſſert. I. demonſtratum eſt, celebratum illud fuiſſe initio quarti ſæculi, anno circiter CCC. vel CCCIII. nimirum viginti duobus ut minimum annis ante Nicænum: ac proinde octoginta plus minus annis priuſquam hoc Concilium Cæſarauguſtanum celebraretur. Quomodo igitur Eutychianus ille, & Valerius idem qui Eliberitano Concilio ſubſcripſit, intereſſe potuit huic Cæſarauguſtano, niſi Neſtoreos uterque annos excederet? Præterea ex ibidem traditis conſtat, Valerium illum Eliberitanæ Synodo ſubſcribentem, anno ſequenti martyrium ſubiiſſe, paullò poſt S. Vincentium, comitem ac diaconum ſuum, ſub perſecutione Daciani in Hiſpania, anno CCCIV. Ex quibus, & pluribus aliis, palam conſtat, non unicum Eutychianum, ſed duos fuiſſe, quorum prior, Epiſcopus Baſtitanus, adfuerit Concilio Eliberitano; alter poſterior (incertum cujus Eccleſiæ Præſul) intervenerit huic Cæſarauguſtano, octoginta circiter annis poſtea. Similiter exinde colligitur, non unicum Valerium, ſed duos Cæſarauguſtæ Epiſcopos fuiſſe; quorum alter priori, alter poſteriori Concilio adfuit. Quòd autem Valerius poſterior fuerit Martyr, ſicut & prior, colligere tentat Binius ex verſibus præjactis Prudentii: ſed immeritò. Nec apparet ſolidum aliquod fundamentum alterius Valerii Cæſarauguſtani Martyris, ſed illius prioris ſub Daciano. Quin & tempore poſterioris nulla legitur perſecutio in Hiſpania, nec multis pòſt annis, in qua hic alter Valerius martyrium pateretur. Card. de Aguirre.

NOTÆ VARIORUM IN CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM.

5. CONCILIUM.] *Hoc Concilium* (inquit Garſias) *fuit aliud ab eo, in quo primò damnata eſt hæreſis Priſcillianiſtarum.* Quod prolixè deſcribitur à Sulpicio lib. 2. *Hiſtoriæ*, prope finem. Cauſſam ſententiæ ſuæ nullam affert. Opinor eum ita ſenſiſſe, tum quòd ſuo judicio idem Valerius huic & Eliberitano Concilio ſubſcripſerit; tum etiam quòd hoc Erâ CDXVIII. ideſt, anno Domini CCCLXXX. illud verò Sulpicii longo tẽpore poſt hoc celebratum fuerit. Non contradicerem viri doctiſſimi ſententiæ ac judicio, niſi decreta hujus

Synodi eam hæreſim condemnarent, quam Snlpicius, auctore Priſcilliano, in Hiſpania propagatum ac condemnatum eſſe deſcribit. De tempore parum diſcrepamus. Nos certis de cauſſis, quas infrà referemus, anno CCCLXXXI. hanc Synodum habitam fuiſſe ſentimus. Garſias vix uno anno à nobis diſcrepat. Quod ait, eundem Valerium huic & Eliberitano Concilio interfuiſſe, non eſt probabile; cùm ſic ferè centum annis eum Cæſarauguſtæ Epiſcopum fuiſſe oporteret, ut conſtabit, ſi quæ in Notis Concilii Eliberitani ſuprà diximus, cum hiſce conferas. Itaque auctoritatem Baronii ſequutus, hunc eundem conventum eſſe puto, quem Severus deſcribit, ut ex Notis Canonis I. II. III. V. & infrà patebit.

6. *Cæſarangustanum.*] Cæſarauguſta in Tarraconenſi provincia urbs mediterranea imprimis nobilis, Arragonum civitas Metropolis, ſoli ubertate inter Hiſpaniæ urbes commendata. Binius.

Cæſarangustanum.] De Cæſarauguſta Tarraconenſis provinciæ urbe oobiliſſima, lege Ptolemæū lib. 2. cap. 6. Melam lib. 2. cap. 6. Plinium lib. 3. cap. 3. Strabonein lib. 3. & Antonini Itinerarium. De ea ſic Prudentius in Περιστ.

Tu decem Sanctos revehes & octo,
Cæſarauguſta ſtudioſa Chriſti,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honore.

Et infrà vocatur *procerum creatrix purpureorum*. Loaisa.

7. *Duodecim Epiſcoporum.*] Horum nomina vide infrà recenſita ex collatione alterius editionis, quæ apud Garſiam enormiter depravata eſſe dignoſcuntur. Delphinum Burdegalenſem Epiſcopum fuiſſe refert Sulpicius. Duorum Ithaciorum, prior Sulpicio nominabatur Ithacius Epiſcopus Soſſubenſis; poſterior Idacius. Quo ſucceſſu reſcriptis ab Imperatore extortis, Priſcillaniſtas urbibus omnibus expulerint, enarrat Sulpicins. Duos Valerios Cæſarauguſtanos cum Garſia agnoſcimus: quorum primum Eliberitano, ſecundum Cæſarauguſtano Concilio interfuiſſe ſuſtinemus, Oſio prior Valerius, non poſterior, coætaneus fuit.

8. *Sub Damaſo.*] Hoc apertè ſcribit Severus his verbis: *At tum* (intellige cùm per ſynodalem ſententiam condemnati eſſent) *Inſtantius, Salvianus, & Priſcillianus Romam profecti, ut apud Damaſum, Urbis ea tempeſtate Epiſcopum, objecta purgarent.* Et infrà: *Hi ubi Romam pervenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum, æquè ſibi Ambroſium adverſantem repererunt.* Cur ad ann. Damaſi XV. qui eſt Chriſti CCCLXXXI. Gratiani Imper. XV. hanc Synodum referamus, una cauſſa eſt, quòd eo tempore, quo habebatur Concilium Aquilejenſe, Hiſpania ob Priſcillianum hæreſiarcham maxima tempeſtate jactata, ne quidem per legatos Aquilejenſi Concilio, inſtar Gallicarum & Africanarum provinciarum, intereſſe potuerit. Altera eſt, quòd per Epiphanium Gnoſtici ad octoginta Epiſcopos denunciati, poſt CCCLXXIII. ann. Chriſti ex Ægypto expulſi; circa hæc tempora, teſte Severo, in Hiſpaniam venerint, ibique per Marcum quendam Priſcillianum, ſuo veneno infecerint. Graviſſimè igitur aberravit hactenus collector Conciliorum, qui hanc Synodum ad tempora Hormiſdæ Pontificis antè retulerat.

9. *Contra Priſcillianiſtas,*] Priſcillianiſtæ fuerunt hæretici à Priſcilliano denominati, quem, teſte Sulpicio lib. 2. familiâ nobilem, opibus prædivitem, ingenio acrem, multa lectione eruditum, Gnoſtici Ægypto expulſi, per Marcum quendam Gnoſticum, & fœminam Agapen, ſuo veneno infecerunt; eoque infecto, ferè totam Hiſpaniam pervertiſſent, niſi indicta Synodo ipſi cum ſuis perverſis dogmatibus condemnati, fideliumque communione interdicti fuiſſent. Hæreſes eaſdem cum Gnoſticis ac Manichæis docebant, quas prolixè S. Auguſt. *De hæreſibus* cap. 70. Leo Epiſt. XCIII. Hieron. *Adversùs Pelag.* ad Cteſiph. deſcribit. Quam ob cauſſam Maximus eum unà cum ſectatoribus pœnâ capitis damnaverit, quem Gratianus contra ſynodalem ſententiam Eccleſiæ reſtituerat, refert Sulpicius prædicto loco. Binius.

10. *Priſcillianus De Gallæcia* (Proſper Aquitanus ait in continuatione *Euſebiani*, à S. Hieronymo latinitate donati ac locupletati, *Chronici*) *ex Manichæorū & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.* Iccircò Manichæi pars audiit à Magno Hieronymo lib. *Contra Pelagianos*, ad Cteſiphontem; idemque Proſper ſub Manichæorum appellatione, hanc ſectam à Maximo tyranno, uti dicemus, repreſſam fuiſſe ait, in altero *Chronico*, quod Pithœus & Labbeus in *Biblioth. Ms.* edidêre. Leo item Magnus Papa id confirmat Epiſt. XCIII. De Gnoſticorum teſtis eſt Idacius in Chronico ad ſeptimum annum Theodoſii Senioris. Imbiberat is earum ſectarum errores intra Hiſpaniam; ob claritatem ſanguinis doctrinæque, præcipuus habitus, cui novi dogmatis ſuccollaretur invidia.

11. Marcus tamen Ægyptius in Hiſpanias veniens primus intulit, atque Agapen nobilem fœminam, Elpidiumque corrupit Rhetorem, *Ab his Priſcillianus eſt inſtitutus* (loquor jam Severi Sulpicii verbis lib. 2. *Sacræ Hiſt.* 60. qui rem totam luculentiſſima brevitate poſterorum commendavit memoriæ) *familiâ nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus; diſſerendi ac diſputandi promptiſſimus. Felix profectò* (addit) *ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium. Prorſus multa in eo animi & corporis bona cerneres. Vigilare multùm, famem ac ſitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus. Sed idem vaniſſimus, & plus juſto inflatior profanarum rerum ſcientiâ. Quin & magicas artes ab adoleſcentia eum exercuiſſe creditum eſt.*

12. Seducti ab eo plures ſunt, potiſſimique eorum duo Epiſcopi (quarum urbium ignoratur) Inſtantius & Salvianus. Inſurrexêre tamen adversùs nocentiſſimam peſtem Hyginus Cordubenſis, qui ſucceſſiſſe Oſio creditur, Idacius Emeritenſis, & Ithacius (uti apud eundem Severum legitur) Soſſubenſis, Epiſcopi. Quamvis enim utriuſque Eccleſiæ nomen Sulpicii codices corrupe-

ruperint, veſtigia tamen correctioris lectionis non obſcura retinuêre.

13. Quòd enim *Emeritæ ætatis ſacerdos* audit apud eum, uti proſtat, Idacius; quis non videt *Emeritæ civitatis* ſubrogari oportere? Atque is per me fuerit Idacius, cognomento *Clarus*, quem S. Iſidorus ex hac ipſa, de qua agimus, adversùs Priſcillianum contentione in *Eccleſiaſticis ſcriptoribus* laudat. Qui tamen ejus collegam, non Ithacium, ſed Urſacium (uti & ante eum Proſper) vocat; quæ forſan præferenda erit lectio: nam & Sedis hujus Sulpiciana appellatio, *Soſſubenſis* nempe, quæ nuſquam reperitur, *Oſſonobenſis* rectiore putatur calculo. Vide Sigonium in *Notis ad Sulpicium*, Marianam lib. 4. cap. 20. Loaïſam in *Notis ad Concilium Cæſarauguſtanum*. *Oſſonoba* urbis nomen eſt in Luſitania meridiali, quod præfefert Plinius, Antonini Itinerarium, & lapides ſcripti, Conciliorumque monumenta, quibus ejuſdem Præſules interfuêre; ſub Emeritenſi nempe Archiepiſcopo, qui iccircò uſus fuiſſe ſuffraganei operâ jure videtur ad publicandam Cæſarauguſtani Concilii condemnatoriam Priſcillianiſtarum, Hyginique ipſius, qui ad eos ferè deſciverat, ſententiam.

14. Sed ne hiſtoriæ apud Sulpicium palam omnium poſitæ nullo operæ pretio inſiſtamus; poſt principalia aliquot decreta hinc & inde impetrata, Idaciumque cum Ithacio, ſive Urſatio ſuo, prævalentibus Priſcilliani tum temporis jam Epiſcopi Abulenſis quomodocumque creati rebus, ex Hiſpania fugatum, ſub Maximo tandem tyranno, qui Occidentales has Imperii Romani adortus partes, in Galliis & Hiſpaniis dominabatur, judicii Burdigalæ, ac deinde, ut videtur, Treveris, adductis eò reis & accuſatoribus habiti, ſententiâ, Priſcillianus *gemino judicio* (Sulpicium tranſcribimus) *auditus, convictuſq; maleficii, nec diffitens obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiã turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumq; orare ſolitum, nocens pronunciatur, ac ſecuri percutitur*, anno quo Conſules fuêre Arcadius & Bauto, ſcilicet CCCLXXXVI. Cum magna tamen accuſatorum invidia, quibus ſanctiſſimus ejus ætatis Epiſcopus Martinus Turonenſis, infenſiſſimus aliàs hæreticis, continenter calidiſque officiis obſtitit, ne ultrà quàm ſacerdotii jubebat manſuetudo, reorum ultimum ſupplicium urgerent, & ne ſtudio vincendi pluſquam oportuit certantes, accuſatorum vices exſequerentur. Quos non dubitavit Latinus Pacatus Ethnicus in Panegyrico Sect. 29. coram Theodoſio piiſſimo Cæſare, indicata ſolùm re, *nominibus Antiſtites, reverà ſatellites, atque adeò carnifices*, ſævitiam eorum deteſtatus, compellare. Quæ maximè Ithacium afficiebat cenſura, moribus aliàs, non eo loco & partibus, quas obſtinatiſſimè ac ſtultiſſimè gerebat, dignis; &, ut ait Sulpicius, audaci, loquaci, impudenti, ſumptuoſo, gulæque ac ventri plurimùm indulgenti.

15. Cæſos & cum Priſcilliano aſſeclarum quoſdam, fugâ ſeu exſilio damnatos alios, idem refert. Nec tamen extinctum ejus ſanguine, quem accenderat per Gallias & Hiſpanias, ignem, à buſto veluti creviſſe; martyrumque loco habitos qui jure perierant, Priſcillianique nomen per ſummam ſuperſtitionem juramentis præſcribi cœptum poſteris in factiones diviſis; adeò ut ſanctiſſimus vir Hieronymus teferre id alicubi ſatiùs duxerit, quæ de Priſcilliano aliis placuiſſent. *Hic uſque hodie* (ait), *à nonnullis Gnoſtica, ideſt Baſilidis & Marcionis, de quibus Irenæus ſcripſit, hæreſeos accuſatur, defendentibus aliis non ita eum ſenſiſſe ut arguitur*. Id quod controverſiæ hujus temporis de Cornelii Janſenii rebus adumbrare cauſſam videtur. Idem tamen *& ſæculi gladio, & totius Orbis auctoritate* damnatum fuiſſe, alibi ſcriptum reliquit *adversùs Pelagianos ad Cteſiphontem*. Et Priſcillianiſtarum abominandos errores communis Patrum, Leonis Papæ Epiſt. ad Turibium, Hieronymi, Hilarii, Auguſtini *De hæreſibus* ad Quod-vult-deum §. 70. Oroſii in Commonit. *De errore Priſcillian.* inter Opera S. Auguſtini tomo 6. Proſperi, & qui ab his profecerunt, improbavit ſententia. *Viſum enim eſt* (ait Leo Magnus) *omnem curam honeſtatis auferri, omnium conjugiorum copulam ſolvi, ſimulq; divinum jus humanumq; ſubverti, ſi hujuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet*.

16. Adeò tamen ambiguum illud reorum damnatorum impotentiumque accuſatorum res involvens judicium, illius ætatis hominum conturbavit noxiorum quorundam mentes, ut vel ſanctitatis & martyrii dignum titulis Priſcillianum exiſtimaverint, ſcriptiſque ſuis donatum reliquerint. Equilinus Epiſcopus inter eos eſt, quem tranſcripſit Joannes Marieta noſter, & neſcio an alii, ſpongiæ digni incumbere. Hunc autem Abulæ datum, ſive à clericis Eccleſiæ ejus creatum fuiſſe temerè Epiſcopum, credamus oportet ajenti Hieronymo, minimè autem Sulpicio fidamus, nominum quicquid in hac Hiſtoria eſt, infeliciter exprimenti, Labinenſique, quod nuſquam fuit, oppido impoſitum Priſcillianum, niſi aliter is olim ſcripſerit, affirmanti. D. Nicolaus Antonius *lib.* 2. *De ſcriptoribus Hiſpanis quarti ſæculi apud nos exſtante*.

17. AD CANONEM I. *Ut mulieres*, &c.] S. Hieronymus in caput ſexageſimum quartum Iſaïæ obſervat, Gnoſticos *per Marcum Ægyptium Galliarum primùm circa Rhodanum* (Peſſurviar appellat S. Epiphanius Hæreſi XXXIV. Marcoſiorum) *deinde Hiſpaniarum nobiles fœminas decepiſſe, miſcentes famulis voluptatem, & imperitiæ ſuæ nomen ſcientiæ venditantes*. Quod ipſum Sulpicius teſtatur. Itaque fœminæ plures nobiles, & pietati deditæ, primùm in Gallia, deinde in Hiſpania, ſeductæ à veteratore illo, cœperunt diſſeminare plures errores, quibus reprimendis invigilârunt Patres hujus Concilii. Vetuerunt itaque imprimis, ut mulieres omnes Catholicæ intereſſent lectioni & cœtibus virorum alienorum: deinde ut admitterent alias fœminas ad ſe venditantes diſcendi cauſsâ. Quæ prohibitio ſub anathemate conſtituta fuit communi Epiſcoporum judicio, ut poſtrema Canonis verba declarant. Et meritò quidem, cùm Apoſtolus ibidem citatus (nimirum I. Corinth. 14.) omne magiſterium fœmi-

nis

nis prohibeat, inquiens: *Mulieres in Eccleſia taceant: non enim permittitur iis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Et 1. ad Timoth. ait: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni bona conſcientia. Docere autem mulieri non permitto: neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.*

18. Porrò ad eam Apoſtoli doctrinam indicandam, & prohibendum fœminis uſum docendi, impuliſſe videtur Patres hujus Concilii non modò experimentum recens mulierum in Gallia & Hiſpania ſeductarum à Marco illo Ægyptio, ſed etiam plura alia exempla antiquiora hæreticorum, qui errores ſuos miniſterio mulierculàrum diſſeminandos curârunt. Plura eorum exhibet idem Hieronymus ad Cteſiphontem ſcribens: *Simon Magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philomenen ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius ut Orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, ut infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit Zoroaſtris magi ſtudioſiſſimum, & ex mago Epiſcopum: cui juncta Galla, non gente, ſed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius, & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem.* Hæc Doctor maximus, quæ Canonem hunc mirè illuſtrant. Caro. de Aguirre.

19. Ad. Can. II. *Ne quis jejunet die Dominica, cauſsâ temporis*, &c.] Priſcillianiſtæ Manichæos & Gnoſticos ſectati, die Dominico in odium Dei Creatoris jejunabant, & abominanda peragentes, clandeſtinos conventus agebant, ut teſtatur S. Leo Epiſt. XCIII. Patres his occurrentes, hunc Canonem ſecundum ediderunt. Binius.

Cauſsâ temporis.] Gratian. *De conſecr.* diſt. 3. cap. *Ne quis habet*, legit: *cauſsâ timoris*, & ejus gloſſator: *Cauſsâ timoris, aliàs terroris.* Quam lectionem Gregorianus Codex retinuit. Verùm lectio hæc: *cauſsâ temporis*, non eſt omnino rejicienda: quia die Dominica jejunare Eccleſiaſticis ſanctionibus prohibitum fuit, ut conſtat ex Can. XVIII. Conc. Gangr. ſuprà. Et ex decretis Melchiadis Papæ, ut eſt in Pontificali Damaſi. Apud Burchardum lib. 19. imponitur pœnitentia ei, qui die Dominica jejunat propter abſtinentiam aut religionem. Loaisa.

20. Ad Canonem III. *Euchariſtiæ gratiam*, &c.] Idipſum ſtatuitur in Concilio Toletano I. Can. XIV. ubi dicitur: *Si quis autem acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Sed notandum id caveri in his Conciliis propter Priſcillianiſtas. Accedentes enim ad Eccleſias, ne detegerentur à Catholicis veluti transfugæ ad Manichæorum vel hæreticorum caſtra, accipiebant in manibus Euchariſtiam more aliorum tunc recepto, ſed non comedebant; fortaſſis religione aliqua tacti, quamvis inter tot ſcelera.

21. Alioqui tam eo ſæculo, quàm pluribus antè & poſtea, uſus fuit receptus in Eccleſia, ut vel ipſi laïci in manibus Euchariſtiam recipientes, illam ſecum deferrent in propriam domum, & in ea cuſtodirent. Et quidem id multis bene cedebat, ubi ritè ac decenter id exſequebantur: aliis verò malè & infeliciter, ſi indignè aut indecenter. Ceſſit optimè S. Gorgoniæ ſorori D. Gregorii Nazianzeni, quæ in gravi ægritudine effundens preces coram Euchariſtia intra domeſticum Oratorium ſervata, ſalutem obtinuit. Similiter Satyro S. Ambroſii fratri, qui illam ſecum deferens orario involutam, & ad collum alligatam, mirabiliter evaſit naufragium, & portum ſecurum attigit. Similia narrat S. Gregorius Magnus lib. 3. *Dialogorum*, cap. 36. de Maximiano & ſociis, qui in media maris procella, devotè ſumentes ſacram Euchariſtiam ſecum ex more geſtatam, divina ejus virtute portum appulerunt. Plura de ea conſuetudine decentiſſimè recepta in Ægypto, non ſolùm apud monachos, ſed etiam laïcos, memorat S. Baſilius in Epiſt. ad Cæſariam Patriciam, quæ eſt num. 289. ubi inter alia, inquit: Πάντες γὰρ οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μὴ ἔστιν ἱερεύς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες, ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελουμένων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. idest: *Nam & illi omnes qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt, ubi copia non ſuppetit ſacerdotis, cùm habeant domi communionem, de ſuis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum, unuſquiſque etiam de plebe, ut plurimum, habet domi ſuæ communionem.* Ex oppoſito aliis quibuſdam indecenter aſportantibus ſecum aut in domum Euchariſtiam, malè ceſſiſſe, & expertos fuiſſe ultionem divinam ſæpè, teſtatur S. Cyprianus tractatu *De Lapſis*.

22. Itaque tam in hoc Canone III. quàm in XIV. Concilii Toletani I. ſolùm prohibetur delatio Euchariſtiæ receptæ in propriam cujuſque domum, propter Priſcillianiſtas tunc graſſantes, qui eâ ad ſuperſtitiones & ſacrilegia abutebantur: non autem quia hoc tempore eſſent in Hiſpania plures Judæi ac Sarraceni, ut ſine fundamento ullo exponit Julius Cæſar Bulengerus, alioqui eruditiſſimus, Diatribe III. adversùs Caſaubonum §. *Aliquid.* pag. 190. Alioqui & extra Hiſpaniam id non erat prohibitum, ſed permiſſum, tam in Occidente quàm in Oriente, licèt vario ritu. In Græcia omnes nuda manu illam recipiebant ſub initium ſæculi quinti, juxta illud Chryſoſtomi lib. 3. *De ſacerdotio*: Ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος, τῶν ἁπάντων χερσὶ κατέχεται. *Qui cum Patre ſurſum ſedet, omnium manibus continetur.* Eant nunc, & dediſcant errorem ſuum quotquot ex heterodoxis effutiunt, in Euchariſtia non contineri Chriſtum ipſum, qui ad dexteram Patris ſedet, ſed figuram, aut repræſentationem ejus ſolam. Addebant communicantes ſignum crucis manibus conformatum, ut in iis Euchariſtia reciperetur.

non

non autem in vaſculo aliquo. Ita cautum fuit ſub initium ſæculi octavi in Synodo, quam Græci Πενθέκτην dicunt, nos Quini-ſextam: ubi communicaturis præcipitur σταυροειδῶς manu dexterâ lævam fulcire, nimirum ſub ſpecie crucis conformare manus, ubi corpus Chriſti accipiunt. In Gallia ſæculo ſexto non recipiebatur nudis manibus à fœminis, ſed ſupra linteolum mundum: ut patet ex Can. XXXVI. & XLII. Concilii Antiſiodorenſis celebrati anno DLXXVIII. Quod ipſum in Africa ſervabatur tempore S. Auguſtini, ut ipſe indicat Sermone 252. *De tempore*, ubi ait: *Mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Chriſti excipiant*. Card. de Aguirre.

23. Ad Can. IV. *Item legis: Viginti*, &c.] S. Leo prædicta Epiſt. XCIII. tradit, eoſdem Priſcillianiſtas tempore Natalis Domini conſueviſſe jejunare; ideo quòd non crederent Chriſtum verè humanam carnem aſſumpſiſſe: hac igitur occaſione Patres Concilii hunc Canonem ediſiſſe, non eſt dubitandum.

24. Ad Can. V. *Item lectum eſt, ut hi qui per*, &c.] Auctoritate Severi conſtat, in hac Synodo conſtitutum fuiſſe, ut Priſcillianiſtas hæreticos ſynodali judicio condemnatos, nemo ſub periculo anathematis in communionem ſuſciperet. Idem hoc Canone ſtatutum fuiſſe conſtat. Dubium igitur nullum eſt, hunc conventum eundem fuiſſe, quem Severus deſcribit.

25. Ad Canonem VI. *Si quis de clericis propter luxum*, &c.] Contra eam ſanctitatem, quam Priſcillianus, ejuſve ſectatores, teſte Sulpicio, in habitu affectabant, hic Canon conſtitutus fuit.

26. Ad Canonem VII. *Ne quis Doctoris*, &c.] Hunc Canonem contra fœminas Priſcillianiſtarum doctrinæ ſectatrices, munus docendi ſibi uſurpantes, decretum fuiſſe, nemo dubitare poteſt. Priſcillianus enim, teſte Sulpicio, laïcus erat, adeoque ad docendi munus nequaquam admittendus. Hunc cùm illi ad confirmandas vires ſuas Epiſcopum in Abulenſi oppido conſtituiſſent, optimo jure tales doctores hîc rejiciuntur. Binius.

27. *Doctoris nomen*, &c.] Doctores olim ab Epiſcopis inſtituebantur, atque inter ordines & dignitates Eccleſiæ, uti Archidiaconi, Pœnitentiarii, & ſimiles, recenſebantur, & in Canone Eccleſiæ inſcribebantur: à Tertulliano inter præcipuos Eccleſiæ miniſtros numerantur, De præſcriptionibus: *Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor*. Cujus antiquæ diſciplinæ hæc veſtigia reſtant, quòd ab Epiſcopo, aut certè ab eo qui ejus vicem gerit, benedictione confirmentur, vimque & poteſtatem legendi & docendi accipiant. Albaspinæus.

28. JURE cavetur hoc Canone: *Ne quis Doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundùm quod ſcriptum eſt.*] Nimirum præter illos, qui ob notam pietatem & peritiam ab Epiſcopis inſtituebantur Doctores, & proinde declarabantur apti ad inſtruendum cæteros circa difficilia quæque in rebus Fidei & morum. Hic mos antiquus & creber in Eccleſia fuit priſcis ſæculis, ut jure obſervat eruditiſſimus Albaſpinæus; qui & addit, nominatos ad docendum, in Canone Eccleſiæ conſcriptos fuiſſe. Quod intelligo de libro aliquo Epiſcopali auctoritate ſcripto, & in Eccleſia ſervato, ubi nomina Doctorum ritè inſtitutorum legebantur.

29. Ut autem idipſum exactiùs ſervandum decerneretur in hoc Concilio, videtur in cauſſa fuiſſe experimentum deſumptum ex Priſcilliano, qui ingenioſus & eruditulus, ac leviter tinctus notitiâ rerum ſacrarum, & planè laïcus, auſus fuit Doctoris officium aſſumere, & ſubinde ſpargere errores à Manichæis mutuatos in plebem ac mulierculas. Quod ipſum ferè hiſce annis Romæ experti fuimus in Michaële Molinos, infamis ſectæ Quietiſtarum longè ac latè diffuſæ (ſed jam nunc Dei beneficio extinctæ) præcipuo auctore: qui Doctoris titulo non ritè ſuſcepto, tam Epiſtolis ſcriptis, quàm libro edito, diſſeminavit plurimos errores, juſtè damnatos anno MDCLXXXVII. ab hac Apoſtolica Sede, & iis publicè abjuratis, perpetuo carceri mancipatus fuit.

30. Epiſcoporum loco ſæculis poſterioribus primæ chiliadis Chriſtianæ annorum, Univerſitates publicæ in Occidente inſtitutæ fuerunt, quarum muneris fuit & eſt, viros Catholicos, cordatos, & peritos in unaquaque diſciplina ſive facultate ad gradus Doctoris ſive Magiſtri promovere. Quod quantum utilitatis ac ſplendoris Reipublicæ Chriſtianæ ac literariæ uſque modò reportaverit in multitudine inſignium virorum penè innumerabili, omnes nôrunt, præſertim in illis graviſſimis ac primariis Univerſitatibus, ubi nunquam omnino titulus Doctoris aut Magiſtri conceditur, niſi præmiſſo plurium annorum ſtudio, ac nobili in unaquaque facultate progreſſu, & prævio ſtrictiſſimo ac valdè prolixo examine: quod præſertim in Sorbona Pariſienſi, & Schola Salmanticenſi, Complutenſi, ac Lovanienſi, vel præſtantiſſimis quibuſque candidatis ſeu petitoribus horrori eſt. Exhauriunt enim ferè ingenii ac memoriæ vires in iis exercitiis & probationibus aleâ plenis; & tandem nonniſi per ſuffragia ſecreta quamplurium examinatorum præmiſſo juramento admittuntur.

31. Ita ſanè aut circiter deberent ubique Doctores inſtitui. Sed dolendum maximè eſt, & exſecratione dignum, quòd in multis aliis Univerſitatibus ii tituli conferantur paſſim & abſque delectu, hominibus parum doctis, aut etiam imperitis, cum magno illarum dedecore, & gravi damno populorum: qui publica illa teſtificatione, aut membranâ tot chirographis ac ſigillo Academiæ munitâ, miſerrimè ſeducti, ſufficientem doctrinam in iis hominibus eſſe credunt pro qualitate gradûs. Ac proinde ſi illum acceperint in ſacra Theologia, iis dubia ſua de Fide aut moribus proponunt dirimenda, ipſorumque judicio, ſæpiùs erroneo, acquieſcunt. Si Doctores in Jure, aut Medicina deſignati inveniantur; lites ſuas dirigendas, aut corpora curanda committunt; non abſque ingenti periculo bonorum fortunæ aut vitæ. Quid ſi & ob eum titulum, ſive ejus occaſione aliqui eligantur in judices, rectores populorum, Prælatos, Epiſcopos, aut aliter habentes curam animarum?

Hæc

32. Hæc autem omnia damna ortum habent plerumque ex illa poblica approbatione Univerſitatis, quæ proinde ſe ream conſtituit tot malorum inde ſequentium. Unde ſaltem in iis facultatibus præcipuis Theologiæ, ſacrorum Canonum, Joris civilis, & Medicinæ, non poſſe conferri gradum Doctoris, ſeu Magiſtri, homioibus imperitis, ſive inſufficieotibus, abſque peccato mortali, communis ſententia ſcriptorum eſt, etiam eorum qoi Probabiliſtæ aodiunt, & latâ viâ incedunt. Ex quo & illud cooſequens videtur, ot promotores ejus homiois ad talem gradum non ſolùm ſint rei ac complices errorum ac malorum inde provenientium, ſed etiam obnoxii ad compenſandum illa ſive reſtituendum: quoniam prædicta mala ortum ducunt ex injuſta illorum actione in iis hominibus contra jus & ſas promovendis.

33. Fortaſſe autem non ita gravia mala ſequentur ſrequenter & in re, ex iniquis promotionibus ad gradum Doctoris in quibuſdam Uoiverſitatibus adeò abjectæ opinionis, & proſtitutæ famæ apud omnes ferè, ut titulus ſolùm deſerviat riſui aut contemptui. Poſſem multas nominare, & aliquas earum io urbibus & locis conſpicuis, quarum tam quæſtuoſus & vilis genius eſt, ut cuilibet ferè adventanti, & deponenti pecunias taxatas ad gradum obtinendum, quamvis imperito & idiotæ, poſt pauca neſcio quæ verba, aut lecta è libro vel ſchedula, is honor publicè & cum ingenti pompa concedatur.

34. Hinc copia Magiſtellorum in Theologia, & Doctorculorum in utroque Jure, ac Medicina, qui paſſim deſpectui habeotur, ubi eorum imperitia eſt manifeſta. De iis lepidè ſcribit Rutgerius Rutlaotius lib. 1. *De Cōmiſſariis Cameræ Imperialis.* cap. 14. *Plurimi hodie velut aſini doctorantur, qui ſnut buſali, vel honeſtiore vocabulo oves., & boves, & pecora campi, qui meritò LEGUM DOLORES dici poſſent, & earum proditores, & aſſaſini: qui etiam VENALITIARII poſſunt nuncupari. Vendunt enim leges, non quas habent, ſed quibus non ſunt digni, veluti rem alienam, furtiva & peſſima fide: eaſq; pretio nummario dehoneſtant. Quin potiùs pro adminiſtrandis officiis vendunt ſe ipſos, ad pretium participandum, modico ære ſeu ſalario contenti: per quod aliis doctis atque ſelectis viris præjudicium generatur. Hi etiam Doctores nomine, non re, SILENTIARII, legumq; SECRETARII vocabuntur: habent namque omnia jura IN SCRINIO PECTORIS, ſed in confeſſione, quam nefas ſit aliis revelare. JUDICES BALLISTARII, quia ſententias fulminant, ſicut ſagittas. Hoc uno nomine gloriari poſſunt: NECESSITAS non habet legem.* Quid lepidius? Ao fortè illud quod omnes Doctoraſtros comprehendit?

De ſacra Scriptura nulla vobis cura.
In ſcriptis Lombardi, eſtis bardi.
In doctrina Auguſtini peregrini.
In rebus moralibus ſimiles animalibus.
In Medicina hominum ruina.
In Decreto Gratiani tanquam ruſticani.
In Canonibus Patrum inſtar veſtrarum matrum.
In Inſtitutis comparo vos brutis.
In Novellis æquiparo vos aſellis.
In Codice ſcitis modicè.
In Digeſtis nihil poteſtis.
Et tamen appellamini DOCTORES:
O tempora! ò mores!

Sed certè tam iniquæ & probroſæ imperitorum hominum promotiones ad gradus & honores literarios, omni Juri adverſæ, & in hoc Canone prohibitæ, potiùs exſecratione & correctione, quàm riſu, dignæ ſunt. CARD. DE AGUIRRE.

35. Ad Can. VIII. *Niſi quadraginta annorum,* &c.] Concilium Carthag. III. Can. IV. *Item placuit, ut ante ann. XXV. ætatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.* Et in IV. cap. 11. de eorum ordinatione & veſtitu. Et in decretis Zoſimi Papæ cap. 26. *Virgines velari poſſunt ab Epiſcopo infra ann. XXV. ſi neceſſitas urget. Et quòd ei non obſit conſilium, quod eſt de iſto annorum numero conſtitutum.* Tridentino Concilio ætas emittendi profeſſionem eſt immotata ſeſſ. 25. LOAISA.

36. DENIQUE ut ea quæ ſpectant ad Priſcillianum, hac Synodo damnatum, habeas quaſi ſummatim, accipe ex Actis Concilii Burdigalenſis quinquennio poſtea celebrati, anno Chriſti CCCLXXXV. Syricii Papæ I. Maximi Imperatoris II. Arcadio Auguſto & Bautone Conſulibus. Damoati jam antea fuerant Priſcillianiſtæ à Synodo Cæſarauguſtana, tum deinde Gratiani Imperatoris reſcripto relegati. Sed cùm à Gratiano eodem reſcriptum alterum elicuiſſent, quo reſtitui Eccleſiis jubebantur; egit Ithacius, præcipuus illorum inſeſtator, cum Maximo, qui tum cæſo Gratiano Gallias obtinebat, ut de iis judicium inſtauraretur: qood factum eſt in hac Synodo Burdigalenſi. Ad quam cùm deducti fuiſſent inter cæteros Inſtaotius & Priſcillianus, Inſtantio Epiſcopatus abrogatus eſt; Priſcillianus verò, ut Synodi judicium evaderet, ad Priocipem provocavit: cujus poſtmodùm ſententiâ capitis damnatus eſt.

37. Quæ omnia fuſiùs narrat Sulpicius lib. 2. ſubjungens de eadem Synodo: *Quibus* (inquit) *permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hiſpaniarum literis, omnes omnino, quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdigalenſem jubet. Ita deducti Inſtantius & Priſcillianus, quorum Inſtantius prior juſſus cauſſam dicere, poſtquam ſe parum expurgabat, indignus eſſe Epiſcopatu pronunciatus eſt: Priſcillianus verò, ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit. Permiſſumq; id noſtrorum inconſtantiâ: quia aut ſententiam in refragantem ferre debuerant; aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare, non cauſſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita omnes, quos cauſſa involverat, ad Regem deducti.*

38. His adjunge teſtimonium Proſperi in Chronico ajentis: *Arcadio ac Bautone Conſulibus. Priſcillianus in Synodo Burdigalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum provocavit: auditusq; Treveris ab Euodio Præfecto Prætorio, à Maximo gladio addictus eſt, cum Euchrocia Elpidii Rhetoris conjuge, & Latroniano, aliiſq; erro-*

erroris conſortibus. Hic tandem fuit miſeri Priſcilliani infelix exitus, & ſequacium in Gallia 1 de qua re ampliùs in progreſſu.

39. Sed ut habeas, veluti ſub uno conſpectu, ea quæ ſpectant ad Concilia, Præſules, & antiquitates ſacras urbis Cæſarauguſtanæ; velim legas & identidem evolvas eruditiſſimam Epiſtolam magni illius Antonii Auguſtini Archipræſulis Tarraconenſis ea de re ad Hieronymum Blancam, Aragoniæ Chronographum, quam exhibuimus ſub initium Tomi I. & Dialogum ipſius de eodem argumento ibi editum. Nunc adjungo fragmentum decerptum ex eodem Hieronymo Blanca ſatis opportunum, quod forſan placebit legere. Card. de Aguirre.

FRAGMENTUM MEMORABILE

Ex Cl. V. Hieronymo Blanca, initio ferè libri primi Rerum Aragonenſium, *ubi nominatim de Cæſarauguſta urbe, ejuſque ſacris antiquitatibus, inſignioribus Epiſcopis, ac Conciliis agit, maximè verò de hoc ipſo, quod hactenus exhibuimus.*

40. URBIUM autem de mediterraneis in Tarraconenſi clariſſimam fuiſſe Cæſarauguſtã, Pomponius Mela auctor eſt in eo, *De ſitu Orbis*, non magno quidem, ſed aureo libello; quem ſcripſit. At Divus Iſidorus ſic eam commendat, ut cùm à Cæſare Auguſto & ſitam & nominatam teſtetur; illam eſſe prædicet, & loci amœnitate & deliciis, totios Hiſpaniæ illuſtriorem, floreréque Martyrum ſanctorum ſepulturis.

41. Jam verò illud notum teſtatumque eſt ſatis, poſtquam in ea ſanctiſſimum templum, *de Pilari* vocatum, à beato Jacobo majori Servatoris noſtri Apoſtolo, conſtructum, primum in toto Orbe terrarum Beatiſſimæ Virgini Mariæ dicatum fuit; Chriſtianam religionem nunquam ab illius incolis deſertam fuiſſe, ſed retentam ſemper, ac pio cultu, pro Dei benignitate ſervatam. Nam poſt Beatum Athanaſium, ipſius Apoſtoli diſcipulum, quem primum Cæſarauguſtanenſem Epiſcopum memorant: beatum etiam Felicem circiter ann. Chr. CCXXV. in eadem urbe ſediſſe conſtat: atque eum Divus Cyprianus Fidei cultorem, ac defenſorem veritatis appellat. Felicis autem Divus Valerius I. ſucceſſor fuit: ipſius verò Valerii Divus Vincentius Martyr Archidiaconos. Quo tempore, ſi quidem circiter ann. Chr. CCC. majores illi noſtri celebrem illum martyrii triumphum in decima perſecutione Eccleſiæ reportârunt. Et ii quidem tot fuere, ut innumerabiles propterea dicti ſint; Divumque Lambertum, ac Divam Encratem, & ſocios ad ſimile factum eodem ipſo tempore ac loco pro Chriſti amore ſubeundum excitarent. Eorum autem omnium pretioſiſſimis exuviis urbem ipſam ornatam poſſidemus.

42. Poſtmodùm verò circiter annum Chriſti CCCLXXXV. ſub Damaſo Papa, Gratiano Imperatore, inſigne illud Nationale Concilium, in eadem habitum fuiſſe, ex Sulpicii Severi, qui ipſe penè tum fuit, ſcriptis colligitur, nonnullorum etiam Gallorum Epiſcoporum frequentiâ celebratum: quo Priſcilliani Galaïci, Elpidiique, ac Inſtantii, & Salviani error, ſanctorum Patrum ibidem convenientium ſuffragiis, damnatus fuit omnino. Ac ſi ad hæreſim illam exſtirpandam, quæ tunc ſerpere ac prodire cœperat, is locus commodior, qui tot eſſet Sanctorum ſpoliis refertus, cenſeretur.

43. Cumque poſtea Ariana hæreſis, peſtifera & deterrima, latè diſſeminata, per aliquot provincias manaviſſet, totamque ferè Hiſpaniam occupâſſet; ipſam tamen Cæſarauguſtam urbem non attigit: quòd noſtri ſemper, omnipotentis Dei ope ſtabiles; & firmi veræ Fidei cultores permanſiſſent. Cujus rei Childebertus & Chlotarius Francorum Reges ignari prorſus, cùm ingenti comparato exercitu ad Arianos omnes contetendos ipſam eſſent Hiſpaniam adorti; Cæſarauguſtam obſederunt circiter ann. Chr. DXXV. noſtros penitùs credentes eſſe ejuſdem hæreſis erroribus inquinatos.

44. Quæ verò in ipſa urbe tunc geſta fuerunt, Gregorius Turonenſis his verbis perſequitur: *Cæſarauguſtani* (inquit) *in tanta humilitate ad Deum converſi ſunt, ut induti ciliciis, abſtinentes à cibis & poculis, cum tunica Vincentii Martyris muros civitatis pſallendo circuirent. Mulieres quoque amictæ nigris palliis, diſſoluta cæſarie, ſuperpoſito cinere (ut eas putares virorum funeribus deſervire) plangendo ſequebantur. Et ita totam ſpem locus ille ad Domini miſericordiam retulit; ut diceretur ibidem Ninivitarum jejunium celebrari, nec æſtimaretur aliud poſſe fieri, niſi ut eorum precibus divina miſericordia flecteretur. Hi autem, qui obſidebant, neſcientes quid obſeſſi agerent, cùm viderent ſic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc apprehenſum unum de civitate ruſticum, ipſi interrogant, quid hoc eſſet quod agerent. Qui ait: Tunicam Beati Vincentii deportant, & cum ipſa, ut eis Dominus miſereatur, exorant. quod illi timentes, ſe ab ea civitate removerunt.*

45. Sed Adon Archiepiſcopus Viënenſis, Annoniuſque, & Gagninus, ac plures alii ſcriptores, ea re audita, Childebertum & Chlotarium Reges, commutâſſe animos produnt, protinuſque ab armis receſſiſſe, quòd noſtros eſſe veræ Fidei cultores intelligerent. Immo Epiſcopo urbis, primariiſque Senatoribus ad ſe accerſitis, doni ac muneris loco à noſtris ipſius Vincentii Martyris ſtolam petiviſſe, datamque, in patriam reverſos, Lutetiæ in Eccleſia ſub illius Sancti veneratione conſtructa collocâſſe. Ad hanc verò tantam beatiſſimi Martyris devotionem Reges fuiſſe inductos Germani Pariſienſis Epiſcopi, integerrimi & ſanctiſſimi viri ſuaſionibus, Annonius teſtatur.

46. At tunc in Cæſarauguſtanenſi Epiſcopatu Vincentium I. ſediſſe conjicio; quem anno Chriſti DXVI. Nov. menſe, Petro Conſule, in Tarraconenſi Concilio interfuiſſe conſtat, in eoque ſubſcriptum inveniri: vel fortaſſe Valerium alterum, à primo diverſum; quem circiter ann. Chr. DXXXII. Epiſcopum annotatum in quibuſdam monumentis comperio.

47. Atque huic poſtea, interpoſitis aliis, Divus Braulius ſucceſſit, Sancto Iſidoro ætate & amicitia conjunctus; qui circiter anno Chriſti DCXXV. Sanctarum Maſſarum Eccleſiam inſtauravit. Sic enim priſcis illis temporibus vocabatur ſacer ille locus, ad Orbæ fluvii ripas in ſuburbano, quo nunc colitur, conſtitutus; ipſa ſiquidem ſpelunca, in qua innumerabilium Martyrum Cæſarauguſtanorum, ac Divæ Encratis, ſociorum, & Lamberti reliquiæ repoſitæ ſervabantur.

48. Olim autem ibi monachos Divi Benedicti degiſſe, manifeſta omnibus & nota res eſt: fuiſſeque illius fani religionem tantam, ut ann. Chr. DCLI. Eugenium à Toleto patria ad hujuſmodi dictorum monachorum cœnobium, tamquam ad locum Religionis inſignem, cæteriſque aliis præcellentem, veniſſe conſtet: fuiſſeque ibidem aliquamdiu diverſatũ. Cumque in eodem eſſet ipſius Divi Benedicti deditus inſtituto, à Cindaſvintho Gutthorum Rege, Toletanoque clero in Toletanæ Eccleſiæ Antiſtitem evectum, Eugenii III. nomine, claris vitæ operibus illuſtrem fuiſſe.

49. Sed hac de re libet modò non alterius, quàm Divi Ildephonſi teſtimoniũ afferre. Sic igitur ille: *Eugenius alter poſt Eugenium Pontifex ſubrogatur. Hic cùm Eccleſiæ Regiæ clericus eſſet egregius, vitâ monachi delectatus eſt. Qui ſagaci fuga urbem Cæſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit: ibiq; ſtudia ſapientiæ, & propoſitum monachi inchoavit. Unde principali violentia reductus, atque in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis quàm viribus egit.*

50. Poſtea verò dictam Eccleſiam ad Canonicos Auguſtinianos deveniſſe proditur, longoque temporis intervallo Oſcenſi Eccleſiæ fuiſſe contributam. Sed noſtrorum patrum memoriâ à Catholicis Regibus valdè amplificata eſt, ac monachis Divi Hieronymi commiſſa & tradita: ſub quorum pia fidelique cuſtodia ipſorum Sanctorum reliquiæ ſumma cum veneratione inviſuntur. Sed hujuſmodi argumentum diligentiſſimè, ut cætera, Illuſtriſſimus Antonius Auguſtinus, Tarraconenſis Archiepiſcopus, in Epiſtola quam ad me miſit, pertractavit. Illius infrà exemplum in extrema horum Commentariorum parte ſubjicere decrevi; ut ad communis patriæ laudem tanti viri etiam teſtimonium accedat.

51. Ex his igitur omnibus, & aliis quamplurimis, apertè vetus illud de noſtra Cæſarauguſta urbe dictum fuiſſe verum, colligitur: eam nimirum matrem Martyrum, ac genitricem Sanctorum exſtitiſſe; cùm hoc in munere, ut civis noſtri Prudentii, clariſſimi Poëtæ, verbis utar, non à Pœnorum urbe, ac vix ab ipſa Roma ſuperetur. Et hoc quidem quod de Eugenio III. protulimus, vix ſexaginta annos ante Hiſpaniæ cladem evenit.

52. Hic autem tam longè repetitus ſermo eò ſpectat, ut à naſcentis Eccleſiæ initiis ad ea uſque tempora veræ & Catholicæ Fidei cultum fuiſſe ſemper à majoribus noſtris retentum, tantarum rerum in eadem urbe geſtarum tam continuata & perenni prolata ſerie oſtendamus: atque ut cùm veſtigia noſtra, quacumque per urbem incedimus, in tot Sanctorum ac Martyrum veſtigiis poſita viderimus; moveamur æquè, ac ſi eorum ſingula illa illuſtria facta & glorioſa, quæ ob amorem Chriſti geſſerunt, ante oculos propoſita cernerentur; illamque nobis afferant memoriam, quæ omnium præſtantiſſima eſt, nempe ut acriùs & attentiùs de illorum imitatione, ipſius urbis admoniti, quæ illis ac nobis communis eſt patria, cogitemus.

EPI-

EPISTOLA SYRICII PAPÆ

ANNO CHRISTI CCCLXXXV.

AD HIMERIUM TARRACONENSEM.

I. *De Arianis non rebaptizandis.*
II. *Ut præterquam in Paſcha & Pentecoſte, niſi in neceſſitate & periculo, baptiſmum non celebretur.*
III. *De apoſtatis ab Eccleſia ſeparandis.*
IV. *Quòd non liceat alterius ſponſam alteri in matrimonii jura accipere.*
V. *De his qui poſt pœnitentiam, vel militia cingulum, vel nova conjugia, vel illicitos appetierunt concubitus.*
VI. *De monachis & ſacris virginibus propoſitum non ſervantibus.*
VII. *De ſacerdotum vel levitarum incontinentia.*
VIII. *De admittendis ad clerum.*
IX. *De clericorum converſatione.*
X. *De his qui grandævi ad ſacram militiam convertuntur.*
XI. *De clericis qui ad ſecundas nuptias tranſeunt, ut deponantur.*
XII. *Quæ fœmina cum clericis debeant habitare.*
XIII. *De monachorum promotione ad clerum.*
XIV. *Quòd pœnitens non fiat clericus.* Vel ſic: *De clericis, ut pœnitentiam per impoſitionem manûs ſacerdotis non accipiant.*
XV. *De pœnitentibus, vel digamis, vel viduarum maritis: ut non permittantur ad ordinem clericatûs admitti.* Vel ſic: *Ut ſi per ignorantiam, vel pœnitens, vel digamus, vel viduæ maritus clerici facti fuerint, non promoveantur.*

Syricius Himerio Tarraconenſi Epiſcopo ſalutem.

DIRECTA ad deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Damaſum fraternitatis tuæ relatio, me jam in ſede ipſius conſtitutum (quia ſic Dominus ordinavit) invenit: quam cùm in conventu fratrum ſolicitiùs legeremus; tanta invenimus quæ reprehenſione & correctione ſunt digna, quanta optaremus laudanda cognoſcere. Et quia neceſſe erat, nos in ejus laboribus * curiſque ſuccedere, cui per Dei gratiam ſucceſſimus in honore; facto, ut oportebat, primitùs meæ provectionis indicio; ad ſingula (prout Dominus aſpirare dignatus eſt) conſultationi tuæ reſponſum competens non negamus: quia pro officii noſtri conſideratione non eſt nobis diſſimulare, non eſt tacere libertas, quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur: quinimmo hæc portat in nobis beatus Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur hæredes.

* Labores curiſque.

I.

2. Primâ itaque paginæ tuæ fronte ſignâſti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad Fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris, eoſdem denuò baptizare velle, quod non licet: cùm hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad provincias à venerandæ memoriæ prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis ſpiritus Epiſcopalis manûs impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit: à quo tramite vos quoque poſthac minimè convenit deviare, ſi non voltis à noſtro collegio ſynodali ſeparari ſententia. Epheſ. 4.

II.

3. Sequitur de diverſis baptizandorum temporibus, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confuſio, quæ à noſtris conſacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicujus, sed ſola temeritate præſumitur, ut paſſim ac liberè natalitiis Chriſti, ſeu Apparitionis, necnon & Apoſtolorum ſeu Martyrum feſtivitatibus innumeræ (ut aſſeris) plebes baptiſmi myſterium con-

De Conſecr. Diſt. 4. Non ratione auctor.

* Excepti. 1. Cor. 5. * Poterant.

conſequantur, cùm hoc ſibi privilegium, & apud nos, & apud omnes Eccleſias, Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus, ad Fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit ſacramenta, his dumtaxat * electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus atque jejuniis fuerint expiati, quatenus Apoſtolica illa impleatur præceptio, ut *expurgato fermento veteri, nova incipiat eſſe conſperſio*. Sicut ſacram ergo Paſchalem reverentiam in nullo dicimus eſſe minuendam; ita infantibus, qui necdum loqui * poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri; ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſæculo, & regnum perdat & vitam. Quicumque etiam diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia conſequantur. Hactenus erratum in hac parte ſufficiat: nunc præfatam regulam omnes teneant ſacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit Eccleſiam, ſoliditate divelli.

Matth. 6.

III.

4. Adjectum eſt etiam, quoſdam Chriſtianos ad apoſtaſiam (quòd dici nefas eſt) tranſeuntes, & idolorum cultu ac ſacrificiorum contaminatione profanatos: quos à Chriſti corpore & ſanguine, quo dudum redempti fuerant renaſcendo, jubemus abſcindi. Et ſi reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta converſi; his quamdiu vivunt, agenda pœnitentia eſt, & in ultimo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda: quia (docente Domino) *nolumus mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*.

Ezech. 18.

IV.

27. q. 2. De Conjugali violatione.

5. De conjugali autem violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat, omnibus modis inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.

V.

33. q. 2. De his vero.

6. De his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui actâ pœnitentiâ, tamquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivère concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam, generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id * diximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ * myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quas * tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) * viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus * ſublevari. Quam formam, & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.

* Duximus. * Sacris celebritatibus. * Quibus. * Viatici. * Subveniri.

VI.

7. Præterea monachorum quoſdam, atque monacharum, abjecto propoſito ſanctitatis, in tantam proteſtaris demerſos eſſe laſciviam, ut priùs clanculò, velut ſub Monaſteriorum prætextu, illicita ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint: poſtea verò in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procreârint: quod & publicæ leges & Eccleſiaſtica jura condemnant. Has ergo impudicas deteſtabileſque perſonas à Monaſteriorum cœtu, Eccleſiarumque conventibus eliminandas eſſe mandamus: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu, per communionis gratiam, poſſit indulgentia ſubvenire.

VII.

8. Veniamus nunc ad ſacratiſſimos ordines clericorum, quos in venerandæ religionis injuriam, ita per veſtras provincias calcatos atque confuſos, charitate tua inſinuante, reperimus, ut Jeremiæ nobis dicendum ſit voce: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & flebo populum * hunc die ac nocte?* Si ergo beatus Propheta ad lugenda populi peccata non ſibi ait lacrymas poſſe ſufficere; quanto nos poſſumus dolore percelli, quum eorum, qui in noſtro ſunt corpore, compellimur facinora deplorare? Præcipuè quibus ſecundùm beatum Paullum, *inſtantia quotidiana, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum indeſinenter incumbit. Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

* Meum. 2. Cor. 11.

82. Diſt. Plurimos ſacerd.

9. Plurimos enim ſacerdotes Chriſti atque levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quàm etiam de turpi coïtu, ſobolem didicimus procreâſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in Veteri Teſtamento ſacerdotibus ac miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt ſectator libidinum, præceptorque vitiorum: ſi æſtimat, quòd in lege Moyſis paſſim ſacris ordinibus à Domino laxata ſunt fræna luxoriæ; cur eos, quibus committebantur ſancta ſanctorum, præmonet, dicens: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter*. Cur etiam procul à ſuis domibus, anno vicis ſuæ, in templo habitare juſſi ſunt ſacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus poſſent carnale exercere commercium, ut conſcientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, expleto deſervitionis ſuæ tempore, uxorius uſus ſolius ſucceſſionis causâ fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Levi, quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti.

Levit. 20. *Luca 1.*

Unde

10. Unde & Dominus Jeſus, cùm nos ſuo illuſtrâſſet adventu, in Evangelio proteſtatur, *quia venerit implere, non ſolvere*. Et ideo Eccleſiam, cujus *ſponſus eſt ſpecioſus formâ*, caſtitatis voluit ſplendore radiare, ut in die judicii, cùm rurſus advenerit, ſine macula & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire. Quarum ſanctionum ſacerdotes omnes atque levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut à die ordinationis noſtræ, ſobrietati ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in his quæ quotidie offerimus, ſacrificiis placeamus. *Qui autem in carne ſunt* (dicente electionis vaſe) *Deo placere non poſſunt. Vos autem jam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis*. Et ubi poterit, niſi in corporibus (ſicut legimus) ſanctis, Dei ſpiritus habitare?

Matth. 5. *Cantic. 4.* *1. Cor. 3.* *Ibid. 6.* *2. Cor. 6.* *Sap. 1.*

11. Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos eſſe ſe deflent; his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti ſunt, quamdiu vixerint, officio perſeverent, ſi tamen poſt hæc continentes ſe ſtuduerint exhibere. Hi verò qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, ut ſibi afferant veteri hoc lege conceſſum; noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum; ſi quilibet Epiſcopus, preſbyter atque diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus; jam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt excidantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.

Levit. 21.

VIII.

12. Didicimus etiam, licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numeroſa conjugia, ad præfatas dignitates, prout cuique libuerit, aſpirare. Quod non tantùm illis, qui hæc immoderata ambitione pervertunt, quantum Metropolitanis ſpecialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis auſibus * connivent, Dei noſtri, quantum in ſe eſt, præcepta contemnunt. Et ut taceamus quod altius ſuſpicamur; ubi illud eſt, quod Deus noſter, datâ per Moyſen lege, conſtituit dicens: *Sacerdotes mei ſemel nubant?* Et alio loco: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem*. Quod ſequutus Apoſtolus, ex perſecutore prædicator, *unius uxoris virum*, tam ſacerdotem quàm diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita à veſtrarum regionum deſpiciuntur Epiſcopis, quaſi in contrarium magis fuerint conſtituta. Et quia non eſt nobis de hujuſmodi uſurpationibus negligendum, ne nos indignantis Domini vox juſta corripiat, quia dicit: *Videbas furem & currebas cum eo, & ponebas tuam cum adulteris portionem*; quid ab univerſis poſthac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum, generali pronunciatione decernimus.

* Non obſtant. *Levit. 21.* *Ezech. 44.* *1. Timoth. 3.* *Pſalm. 49.*

IX.

13. Quicumque itaque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis à ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari. Qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad * triceſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, una tantùm, & ea quam virginem communi per ſacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, acolythus & ſubdiaconus eſſe debebit: poſt quæ ad diaconi gradum, ſi ſe ipſe primitus, continentia præeunte, dignum probârit, accedat. Ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtrârit, congruè presbyterium conſequatur. Exinde poſt decennium, Epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci, ſi tamen per hæc tempora integritas vitæ ac Fidei ejus fuerit approbata.

Diſt. 77. Quicumque itaque ſe. * *Al.* viceſimum. *ita Ms. Juſt.*

X.

14. Qui verò jam ætate grandævus, melioris propoſiti converſatione provocatus, ex laïco ad ſacram militiam pervenire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo, quo baptizatur, tempore, ſtatim lectorum aut exorciſtarum numero ſocietur; ſi tamen eum unam habuiſſe, vel habere, & hanc virginem accepiſſe conſtet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus & ſubdiaconus fiat; & ſic ad diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur. Exinde jam acceſſu temporum, * presbyterium vel Epiſcopatum, ſi eum cleri ac plebis evocârit electio, non immeritò * ſortietur.

* Presbyterio vel Epiſcopatui. * Societur.

XI.

15. Quiſquis ſanè clericus aut viduam, aut certè ſecundam conjugem duxerit, omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox nudetur, laïca ſibi tantùm communione conceſſa. Quam ita demum poterit poſſidere, ſi nihil poſtea, propter quod hanc perdat, admittat.

Diſt. 84. Quiſquis Cler.

XII.

16. Fœminas verò non alias eſſe patimur in domibus clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.

Diſt. 81. Fœminas.

XIII.

17. Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, & vitæ ac Fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officiis aggregari, & optamus & volumus; ita ut qui intra triceſimum ætatis annum ſunt digni, in minoribus per gradus ſingulos, creſcente tempore, promoveantur ordinibus: & ſic ad diaconatûs vel presbyterii inſignia maturæ ætatis conſecratione perveniant. Nec ſtatim * ſaltu ad Epiſcopatûs culmen aſcendant, niſi in his eadem quæ ſingulis dignitatibus ſuperiùs præfiximus, tempora fuerint cuſtodita.

Can. III. Nicæn. Syn. 16. q. Monachos quoque. * Per ſaltus.

XIV.

18. Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clerico-

Diſt. 50. Illud.

ricorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laïco liceat honorem clericatûs adipiſci: quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere qui dudum fuerint vaſa vitiorum.

XV.

Diſt. 50. Quicumque pœnit.

19. Et quia in his omnibus quæ in reprehenſionem veniunt, ſola excuſatio ignorationis obtenditur, cui nos interim ſolius pietatis intuitu, neceſſe eſt clementer ignoſcere; quicumque pœnitens, quicumque digamus, quicumque viduæ maritus, ad ſacram militiam indebitè & incompetenter irrepſit, hac ſibi conditione à nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in hoc quo invenietur ordine, perpetua ſtabilitate permaneat: ſcituri poſthac omnium provinciarum ſummi Antiſtites, quòd ſi ultrà ad ſacros ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum; & de ſuo, & de eorum ſtatu, quos contra Canones & interdicta noſtra provexerint, congruam ab Apoſtolica Sede promendam eſſe ſententiam.

20. Explicuimus, ut arbitror, frater chariſſime, univerſa quæ digeſta ſunt in querelam: & ad ſingulas cauſſas, de quibus per filium noſtrum Baſſianum Presbyterum, ad Romanam Eccleſiam, utpote ad caput tui corporis, retuliſti, ſufficientia, quantum opinor, reſponſa reddidimus. Nunc fraternitatis tuæ animum ad ſervandos Canones & tenenda decretalia conſtituta, magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium Coëpiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem: & non ſolùm * eorum, qui in tua ſunt diœceſi conſtituti; ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes ac Bæticos, Luſitanos, atque Gallicos *, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc quæ à nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub literarum tuarum proſecutione mittantur. Et quamquam ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli ſacerdotum Domini ignorare ſit liberum; utiliùs tamen atque pro antiquitate ſacerdotii tui, dilectioni tuæ eſſe admodùm poterit glorioſum, ſi ea quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, per unanimitatis tuæ ſolicitudinem in univerſorum fratrum noſtrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ à nobis non inconſultè, ſed providè, ſub nimia cautela & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obſtruatur. Data 3. Idus Februarii, Arcadio & Bautone viris clariſſimis Conſulibus.

* *Al.* ad eos.
* Gallicanos.
Fortè Gallicianos.

DISSERTATIO QUINTA.

IN EPISTOLAM SYRICII PP.

Cur hæc Syricii Epiſtola præ aliis Pontificum anteriorum, integra labiſque pura conſervetur, & qualiter exponenda ſit.

POSTQUAM emerſimus è profunda illa difficultatum abyſſo, quibus implicata & obnoxia eſt auctoritas Epiſtolarum Decretalium priſcis Pontificibus adſcriptarum, præſertim ad Hiſpanos; ingredimur tempora Syricii Papæ, à quo initium ducunt illæ, quæ ab omnibus germanæ habentur. Itaque de cætero vix aut raro occurrent laborioſæ illæ quæſtiones, ſive modi irretiti, quibus extricandis laboravimus ſuprà in Epiſtolam Melchiadis, & longè ampliùs Tomo I. in alias Pontificum antiquiorum.

EXCURSUS I.

Quando, & qua occaſione, & quantò majori ſolennitate, quàm alia PP. veterum, fuerit hac Epiſtola publicata, cum aliis Syricii, ad reformandam diſciplinã Eccleſiaſticã.

22. PORRO hæc, quam præ manibus habemus, ſcripta fuit à Syricio ſub initium Pontificatûs, Fl. Arcadio in Oriente, & Bautone in Occidente Conſulibus (uti ex ipſius fine conſtat) anno Chriſti, ſive Eræ communis CCCLXXXV. in quo poſt obitum S. Damaſi electus fuit Syricius.

23. Himerius Tarraconenſis Epiſcopus, miſſo Romam ſuo nomine Baſſiano presbytero, per literas conſuluerat Damaſum, juxta morem perpetuò in Eccleſia obſervatum, & nominatim in Hiſpania, proponendi dubia ac difficultates circa quæſtiones emergentes Fidei ac morum, Sedi Apoſtolicæ, ſive Pontifici Romano, ut ab eo dirimerentur: qua de re fusè egimus in Defenſione Cathe-

thedræ S. Petri Tract. I. Diſp. V. Contigit autem ut antequam reſponderetur Himerio, S. Damaſus diem obiret. Quapropter Syricius ejus ſucceſſor, id onus in ſe recepit. Fuit verò Syricius pietate, zelo, ac doctrina egregius, ut ſatis indicat hæc ipſius Epiſtola. Idque confirmat Epiſtola illa S. Ambroſii & aliorum Epiſcoporum ad ipſum, cui initium: *Recognovimus literis ſanctitatis tuæ boni paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi januam ſerves, & pia ſolicitudine ovile Chriſti cuſtodias, dignus quem oves Domini audiant & ſequantur*, &c. Unde & continuator libri *Pontificalis* Damaſo adſcripti, inquit de illo: *Conſtitutum fecit de omni Eccleſia, & contra omnes hæreſes, & diſperſit PER MUNDUM UNIVERSUM, AC PER OMNES PROVINCIAS, UT IN OMNI ARCHIVO ECCLESIÆ CONSERVARETUR.*

24. Hæc verba maximè obſervanda ſunt: quoniam non exiguam lucem afferunt ad inveniendam cauſſam, cur inter omnes Epiſtolas Decretales priſcis Pontificibus adſcriptas in communibus Collectionibus, tam editis quàm manu ſcriptis, ab initio ſæculi noni uſque modò, plerique eruditorum, etiam Catholici, nullam ferè germanam velint, ſed omnes aut pleraſque nothas, vel ſaltem mangonio aliquo interpolatas, exceptis Epiſtolis Syricii Papæ, quas authenticas eſſe fatentur. Quid igitur ſpeciatim habent iſtæ, ut præ aliis omnium Syricii prædeceſſorum exſtantibus in qualibet ferè Conciliorum Collectione habeantur germanæ?

25. Porrò nodus iſte ſolvitur ex verbis paullò antè notatis: quibus Continuator antiquus libri illius Pontificalis Damaſo adſcripti, teſtatur Syricium tanto ſtudio curâſſe, ut conſtitutum à ſe factum *de omni Eccleſia, & contra omnes hæreſes*, diſpergeretur *per univerſum mundum, ac per omnes provincias, ut in omni archivo Eccleſiæ cuſtodiretur*. Conſtitutum autem ipſum non eſt aliud quàm Epiſtolæ Syricii hodie exſtantes: quarum prima jam exſcripta ad Himerium, dirigitur ad omnes provincias & Eccleſias Hiſpaniæ, ac nominatim §. XV. *ad univerſos Carthaginenſes, ac Bæticos, Luſitanos, atque Gallicos* (ſive, ut in aliis Mss. legitur, *Gallicanos*: aut, quod verius credo, *Gallicianos*, in Gallicia, ultima Hiſpaniæ ad Occidentem provincia) nec ſolùm ad Tarraconenſes, ubi Himerius præerat. Immo in eadem Epiſtola prima Syricius doctrina generali videtur inſtruere totum clerum: ut proinde dici poſſit illam ſcripſiſſe, ſive loquutus fuiſſe *de omni Eccleſia*. Secunda illius Epiſtola eſt adversùs Jovinianum hæreticum, ejuſque ſocios ab Eccleſiæ unitate removendos. Tertia ad univerſos Orthodoxos, ut indignus nullus efficiatur Epiſcopus: ut ignotis non conferatur ſacerdotium: & tandem ut neophyti vel laïci non ordinentur ſacerdotes. Quarta ad Epiſcopos per Africam conſtitutos: quæ tota eſt de diſciplina Eccleſiaſtica, data Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta, octavo Idus Januarii, poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis: ac proinde anno CCCLXXXVI. Quinta denique ad Epiſcopos Illyricianos in cauſſa Bonoſi Epiſcopi, edita à Cl. V. Luca Holſtenio.

26. Hæ quinque Epiſtolæ, aut ſaltem quatuor priores illarum, in eo libro *Pontificali* intelliguntur nomine *Conſtituti* à Syricio editi *de omni Eccleſia, & contra omnes hæreſes, miſſi per mundum univerſum, ut in omni archivo Eccleſiæ conſervaretur*. Quid ergo mirum, quòd ab eo tempore in omnibus, aut pleriſque, aut multis ſaltem Eccleſiis, tam in Italia, quàm Gallia, Hiſpania, aliiſque regionibus Catholicis, exemplaria integra & pura illius conſervarentur? Quid, quòd in omnibus Collectionibus Canonum, Conciliorum, Epiſtolarumque Decretalium antiquis, præſertim Dionyſii Exigui, & S. Iſidori Hiſpalenſis, aliorumque ſæculis ſequentibus, Epiſtolæ ipſæ ſervarentur incorruptæ?

27. Epiſtolæ autem Pontificum Syricio antiquiorum, tam tribus primis ſæculis Eræ Chriſtianæ in mediis perſecutionibus, quàm poſtea ſæculo quarto ſub Pontificatibus Sylveſtri, Marci, Julii, Liberii, ac Damaſi, non fuerunt generali aliquo illorum edicto ubique publicatæ, aut tam ſolicitè cuſtoditæ. Unde pauca earum exemplaria inveniebantur, & nonnulla ex iis progreſſu temporis à ſciolis aut incurioſis vitiata, ac nonnunquam additionibus in margine notata, quas poſtea imperiti aliquot intra corpus Epiſtolarum collocârunt, uti credere par eſt, & ſæpè obſervavimus Tomo I. præſertim Diſſert. IV. Hanc igitur cauſſam veram puto, cur circa auctoritatem quinque Epiſtolarum Syricii nulla ſuſpicio eruditorum ſit, præſertim circa hanc ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem: ſecus verò circa alias antiquiorum Pontificum, quarum vix ullam germanam omnino volunt, exceptis iis quæ apud S. Athanaſium, Theodoretum, alioſque ſcriptores antiquos incorruptæ ſervantur.

28. Porrò magno in prætio habita ſemper fuit in Hiſpania hæc Epiſtola Syricii: ut conſtat ex S. Iſidoro in Additione in librum S. Hieronymi ac Gĕnadii *De viris illuſtribus* S. Catholicæ Eccleſiæ. Ibi enim hæc leguntur: *SYRICIUS clariſſimus Pontifex, & Romanæ Sedis Antiſtes, ſcripſit opuſculum directum ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, in quo, inter alias Eccleſiaſticas diſciplinas, conſtituit hæreticorum baptiſma nequaquam ab Eccleſia reſcindendum. Reperimus & aliam Epiſtolam ejus ad diverſos Epiſcopos miſſam, in qua condemnat Jovinianum hæreticum, atque Auxentium, cæteroſque eorum ſequaces. Præfuit Romæ annis quatuordecim, obiitque ſub Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus.* Veniamus modò ad exponendum nonnullas partes præjactæ Epiſtolæ, quæ videntur explanatione aliqua egere, relictis aliis quæ planæ & obviæ ſunt.

29. Imprimis obſervandum, diſciplinam Eccleſiaſticam, ſaltem à tempore Concilii Eliberitani, celebrati anno plus minus CCCIII. uſque ad mortem magni illius Oſii, qui humana poſuiſſe creditur anno CCCLVII. aut paullò pòſt, integram omnino & incorruptam permanſiſſe in Hiſpania. Id planè oſtendunt Canones illi Eliberitani, uſque adeò ſeveri, præſertim erga lapſos, ſive quorumlibet graviorum criminum reos, ut non ſolùm nobis in hac mundi ſenecta frigidis pe-

nè,

nè, aut nimium tepidis, horrorem incutiant, ſed etiam meiiori longè ævo mediæ ætatis, aliqui eorum terribiles apparuerint: ſicuti & nonnulli Canones Concilii Sardicenſis, cui præſedit idem Oſius anno CCCXLVII. Unde & ſub initium ſæculi decimi Auxilius defenſor ordinationum factarum à Formoſo Papa (cujus ſcripta ea de re exſtant Tomo XVII. Magnæ Biblioth. PP. Aniſſonianæ) adversùs quoſdam eorum invectus fuit, veluti Novatianiſmum ſapientes: ſed immeritò prorſus, ut ſuprà oſtendimus Diſſert. II. num. 56. & ſeqq.

30. Verùm uti res humanæ ſunt mutationi obnoxiæ, ſeveritas illa Eccleſiaſticæ diſciplinæ videtur poſt mortem Oſii laxata fuiſſe in Hiſpania; fortaſſis ob deſperationem obſervandi rigida illa decreta. Unde S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, circa annum CCCLXVII. ſub Pontificatu S. Damaſi, habuit opus ſcribendi ex una parte tres Epiſtolas contra Novatianos, quibus nimiam horum auſteritatem refellit; & ex altera Parænesin ad Pœnitentiam, quâ peccatores urget ad opera pœnalia, ſatisfactionemque proportionatam delictis. Laudatur autem S. Pacianus à D. Hieronymo in libro *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, ſicuti & Dexter illius filius, tanquam *in ſæculo clarus*, & ſcriptor, ut dicebatur, *Hiſtoriæ Omnimodæ*: diverſus certè ab alio Dextro viro clariſſimo, & decorato munere ampliſſimo Præfecti Prætorio, cui idem Hieronymus librum illum *De viris illuſtribus*, aliàs *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, dicavit. Quos duos Dextros plurimi cum Volaterrano in unum eundemque conflant, inſigni planè errore, ut jam ante nos multi ſcriptores eruditiſſimi obſervârunt. Sed redeundo ad Dextrum Paciani filium, utinam modò Hiſtoriæ ab eo ſcriptæ aliquod germanum exemplar haberemus, ad explodendum uberiùs fabulas & figmenta Pſeudo-Dextri à centum circiter annis obtruſi. Sic enim vel ipſis oculis pateret fictio (tot invictis argumentis jam rejecta) & ad ſenſum appareret, tantum diſtare hunc à vero Dextro, *quantum diſtant æra lupinis*.

31. Sed nec Parænesis S. Paciani ad Pœnitentiam videtur ſatis fuiſſe, ut intra Pontificatum ejuſdem S. Damaſi exſtirparentur abuſus introducti circa adminiſtrationem Baptiſmi, Matrimonii, Ordiniſque, & continentiam ſacrorum hominum. Quare Himerius Epiſcopus Tarraconenſis cenſuit iis de rebus conſulendum eundem Damaſum, quo mortuo ante datam reſponſionem, Syricius in Sede Apoſtolica ſucceſſor, lectis Himerii literis, & conſiderata relaxatione diſciplinæ in Hiſpania introductæ, reſpondere aggreditur non abſque dolore animi, ſatis indicato verbis illis ſub initium: *Quam* (Epiſtolam Himerii) *cùm in conventu fratrum legeremus ſolicitiùs, tanta invenimus quæ reprehenſione & correctione ſunt digna, quanta optaremus laudanda cognoſcere.*

EXCURSUS II.

Exponuntur præcipua Epiſtolæ capita multiplici obſervatione hiſtoriæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, præſertim circa reconciliationem & communionem olim lapſis datam aut negatam.

32. AD Cap. I. *Prima itaque*, &c.] Cùm plurimi ex iis, qui baptizati fuerant ab impiis Arianis, converterentur ad Catholicam Fidem, aliquot Epiſcopi Hiſpani volebant illos rebaptizare. Verùm errorem hunc rejicit Syricius, veluti contrarium Apoſtolo Epheſ. 4. & Canonibus ſacris: intellige, Nicæni Concilii Canoni XIX. ubi ſoli Paullianiſtæ rebaptizari jubentur, ob ſpecialem in iis rationem. Porrò ſatis indicat hoc loco Syricius, Arianam hæreſim in Hiſpania quotidie imminutam per crebras plurimorum converſiones ad Fidem Catholicam tempore Damaſi, & ipſius Himerii Tarraconenſis: ut proinde paullò poſtea S. Ambroſius ad Valentinianum Imperatorem ſcribens, Epiſt. XXXII. aliàs XXI. dicat de illa: *Quam Fidem parens tuæ clementiæ Theodoſius beatiſſimus Imperator, & ſequitur & probavit. Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ; & cum pia divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt.* Verùm quidem eſt, Arianiſmum longè poſtea, inclinante ſæculo ſexto, in Hiſpania à Gotthis, præſertim à Leovigildo Rege, ex orco ſuſcitatum fuiſſe, & paullò pòſt extinctum in III. Concilio Toletano ſub Reccaredo Rege illius filio, an. DLXXXIX. Cæterùm modò tempore Syricii Papæ, Himerii Tarraconenſis, & Ambroſii, diſſipatus fuit Arianiſmus in Hiſpania.

33. Ad Cap. III. Lapſis in Fide, ſive apoſtatis, à cultu Dei transfugis ad idololatrarum caſtra & profana ſacrificia, indicitur ſeparatio *à corpore Chriſti & ſanguine*. Hiſce vocibus exponitur ſacra communio Euchariſtiæ, veluti non exhibentis ſolam repræſentationem Chriſti, ut major pars heterodoxorum vult, ſed veritatem ac realitatem corporis & ſanguinis Chriſti. Quod ipſum antea cautum fuerat in aliis Conciliis, præſertim in Eliberitano Can. I. II. &c. niſi quod ibidem lapſis in idololatriam poſt baptiſmum interdicitur communione, etiam *in fine*, nimirum vitæ. Hoc autem loco Syricius, ſolùm indefinitè jubet eos *à corpore & ſanguine Chriſti, quo dudum redempti fuerant renaſcendo, abſcindi*. Non autem declarat, eam abſciſſionem etiam in fine vitæ ſervandam.

34. Subdit ſtatim Syricius de eiſdem lapſis in idololatriam: *Si reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta converſi, his, quamdiu vivunt, agenda pœnitentia eſt, & in ultimo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda: quia* (*docente Domino* Ezechielis 18.) *nolumus mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*. Hoc loco manifeſtum eſt, nomine *reconciliationis* intelligi abſolutionem à peccatis, quæ nemini lapſorum in ea graviſſima ſcelera & publica, dabatur ante impletum

tem-

tempus pœnitentiæ juxta Cannoes ſacros ſtatutæ; nec uſque ad finem vitæ, ſi pœnitentia perpetua imponebatur, ut in præſenti.

35. Cujus conſuetudinis exſtant veſtigia in ſancto Inquiſitionis tribunali. Dum enim aliquis detinetur in carcere propter hæreſim, ſive crimen utcumque contrarium Fidei, nullatenus reconciliatur, ſive abſolvitur à peccatis; immo nec permittitur ſacramentaliter confiteri, donec ſententia proferatur. Ubi autem eidem pœnitenti intimatur pœna legibus conſtituta, datur in ipſo actu abſolutio à cenſuris, etiamſi reus tradatur brachio ſæculari ultimo ſupplicio afficiendus. Poſt autem ſacramentaliter omnia ſua peccata confitetur ſacerdoti idonen, & reconciliatur Deo per veram illorum remiſſionem, qui paullò antea reconciliatus fuerat ſoli Eccleſiæ per abſolutionem à cenſuris. Itaque ſicut modò in tribunali S. Inquiſitionis apoſtatæ à Fide convicti, confeſſi, & propterea traditi brachio ſæculari ad capitalem ſententiam ſubeundam, non abſolvuntur ſive reconciliantur à peccatis uſque ad finem vitæ; ita etiam prædicti apoſtatæ idololatriæ ſcelere contaminati, & olim obſtricti ad pœnitentiam publicam & perpetuam, nunquam uſque ad finem vitæ obtinebant reconciliationem ſive abſolutionem ab iis, juxta decretum hoc Syricii illam indulgentis.

36. Quæ ipſa ferè indulgentia cum lapſis jam morituris habita eſt ſaltem poſt medium tertii ſæculi, præſertim à S. Dionyſio Alexandrino, qui, teſte Euſebio lib. 6. cap. 36. puerum quendam inſtante obitu miſit ad presbyterum, *ἐπειλὴν ἀφῆσθαι, τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύοντες, τύχοιεν. Mandato edito, ut qui ex hac vita diſcederent* (lapſi & pœnitentes) *ſi id poſtularent, ac proinde antea ſupplicitet rogâſſent, abſolverentur*.

37. Cæterùm præmiſſa ſemel reconciliatione in fine vitæ, non dubito ſacram communionem iis lapſis datam fuiſſe juxta hoc Syricii decretum: quoniam illa ſequitur reconciliationem à peccatis, tam ex natura rei, quàm ex uſu Eccleſiæ, ſaltem poſt medium tertii ſæculi. Nam antea iis lapſis, qui reconciliationem ſub finem vitæ poſtulabant, conceſſam fuiſſe pœnitentiam, & negatam communionem, teſtatur S. Innocentius I. Papa in celebri illa Epiſt. III. ad Exuperium, & colligitur ſatis eſt Epiſtola Cleri Romani, quæ eſt XXXVI. apud S. Cyprianum. Ideòque cenſeo Syricium hoc capite mitigâſſe rigorem ſuprà memoratum ex Can. I. & II. Concilii Eliberitani, aliorumque ſimilium, conceſſâ quibuslibet pœnitentibus communione in fine vitæ, prout ſancitum antea fuerat in Concilio Nicæno Can. XIII. ubi, inter alia eòdem ſpectantia, concluditur: *Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. In ſumma autem, de quolibet excedente. & Euchariſtiæ participationem petente, cum examinatione Epiſcopus oblationem impertiat*. Sive, ut interpretatur Dionyſius Exiguus: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi gratiam* (juxta alia Mss. *Euchariſtiam*) *tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*. Sive denique, juxta interpretationem S. Iſidori Hiſpalenſis in ſua Collectione, Can. XII. *De omnibus tamen iis, qui à corpore recedunt, in tradendo iis communionem, probatio & cura ſit Epiſcopi*.

38. Unde quindecim circiter annis poſt ſcriptam hanc Epiſtolam, in Concilio Toletano I. Can. XIX. ſtatutum fuit, *ut Epiſcopi vel diaconi filia, ſi devota fuerit* (nimirum, voto continentiæ adſtricta) *& peccaverit, & maritum duxerit*, &c. *Si vivente marito ſucceſſerit, & pœnituerit, nullo modo, niſi vita deficiens, accipiat communionem*. Et poſtea in Concilio Valentino Can. III. de illis, *qui poſt unum & ſanctum lavacrum, ſe vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerint*; decernitur, *ut, JUXTA SYNODUM NICÆNAM, iis ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur, ACTURI VERO POENITENTIAM USQUE IN DIEM MORTIS, non ſine ſpe tamen remiſſionis*. Unde & nec ſine ſpe communiones, ut ſuprà diximus.

39. Ad Cap. V. fine: *Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe volumus*.] Quæ verba calumniatur Calvinus lib. 4. Inſtitutionum cap. 12. & cap. 24. quaſi in iis Syricius turpi errore matrimonium legitimum *pollutionem* appellaverit. Sed fallit & fallitur, ut aſſolet: quoniam Syricius iis verbis, non de matrimonio ritè celebrato loquitur, quod à Deo inſtitutum & innoxium ſciebat; ſed de prohibita & illicita conjunctione eorum, qui poſt ſolennem pœnitentiam peractam, redeunt ad eandem conjunctionem, propter quam publicè pœnituerant. Manifeſtum autem eſt, neminem unquam egiſſe pœnitentiam juxta ſacros Cannones propter matrimonium ritè celebratum.

40. Notandum verò eſt, qualiter Pontifex inibi de iis, qui actâ ſemel pœnitentiâ Canonicâ redierunt ad vomitum, ſive ad ſcelera & turpitudines antiquas, dicat: *Quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur*, &c. Supponit, aut confirmat hoc loco Syricius quod à primis Eccleſiæ ſæculis conſtitutum fuit, & in more poſitum, ut pro atrocioribus criminibus pœnitentia quidem publica imponeretur, ſed ſemel tantùm. Quò reſpexit, inter alios veteres, Tertullianus, adhuc Catholicus, ſive nondum lapſus in errores Montani, dum libro *De Pœnitentia*, dixit: *Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus ſatisfaciat: ſed jam ſemel, quia jam ſecundò; ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra*. Origenes quoque Homil. XV. in caput 25. Levitici, ubi ait: *In levioribus criminibus ſemel tantùm, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus*, &c. Sed de hoc alio loco opportuniùs. Lege interea Ambroſium lib. ſecundo *De Pœnitentia*, capite 10. & Auguſtinum Epiſt. LIV. ad Macedonium.

CONCILIUM TOLETANUM I.
XIX. EPISCOPORUM.
ANNO CHRISTI CD.

TITULI.

I. *De presbyteris & diaconibus, ſi poſt ordinationem filios genuerint.*
II. *Ut* [a] *penitentes, ſi neceſſitas cogat,* [b] *Lectores aut Oſtiarii fiant.*
III. *De his qui viduas acceperint, ne diacones efficiantur.*
IV. *Ut ſubdiaconus, ſi defuncta uxore aliam duxerit, Oſtiarius fiat.*
V. *Ut cujuslibet ordinis clericus, ſi ad Eccleſiam non venerit, deponatur,*
VI. *Ut religioſa puella virorum familiaritatem* [c] *non habeat.*
VII. *Ut clericus, cujus uxor peccaverit, præter necem, poteſtatem habeat diſtringendi eam, & cum ea cibum non ſumat.*
VIII. *De eo qui poſt baptiſmum militaverit, ut ad* [d] *diaconum non promoveatur.*
IX. *Ut nulla profeſſa vel vidua, abſente ſacerdote, in domo ſua ſacerdotale officium, vel lucernali impleat.*
X. *Ut nullus obligatum cuiquam, abſque conſenſu domini vel patroni, clericum faciat.*
XI. *Ut ſi quis potentium quemlibet* [e] *ſpoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.*
XII. *Ut nullus clericus* [f] *de Epiſcopo ſuo recedat, & ad alium ſe transferat.*
XIII. *De his qui in* * *Eccleſiam intrant, & non communicant, ut excommunicentur.*
XIV. *De eo qui acceperit Euchariſtiam, & non* [g] *ſumpſerit, ut ſacrilegus repellatur.*
XV. *De his qui excommunicantur à ſacerdotibus, ut nullus ad eos accedat.*
XVI. [h] *Devota ſi adulteraverit, decem annos peniteat: ſi maritum duxerit, non permittendam ad penitentiam, niſi maritus deceſſerit.*
XVII. *De eo qui uxorem habet, ſi concubinam habuerit, ut non communicet.*
XVIII. [i] *Si ſacerdotis vidua, vel levita, maritum acceperit; in finem tantùm communionem accipiat.*
XIX. *Si ſacerdotis vel diaconi filia religioſa peccaverit; in fine tantùm* [k] *communionem accipiat.*
XX. *Ut præter Epiſcopum, nullus chriſma conficiat.*
XXI. *De regulis Fidei Catholicæ contra Priſcillianos.*

[a] *Penitens.* Exc.
[b] *Lector, aut Oſtiarius fiat.* Exc. & C. A.
[c] *In domo non hab.* Exc.
[d] *Diaconatum.* Exc. *Diaconum.* C. A.
[e] *Exſpoliaverit.* C. A. & Exc.
[f] *Ab.* Exc.
* Deeſt in Exc.
[g] *Conſumpſerit.* Exc.
[h] *Ut devota, ſi adultera fuerit.* Exc.
[i] *Si vidua Epiſcopi, presbyteri, vel diaconi maritetur.* Reliqua deſunt Exc.
[k] *Communicet.* Exc. & C. A.

CONCILIUM.

Conſtitutio Concilii Epiſcoporum Toleti habiti Arcadii & Honorii temporibus, Erâ CDXXXVIII. * *ſub die ſeptimo Idus Septembris, Stilicone Conſule.*

1. CONVENIENTIBUS Epiſcopis in Eccleſia Toleto, id eſt [a] Patruinus, Marcellus, Aphrodyſius, Licianus, Jucundus, Severus, Leonas, Hilarius, Olympius, Ortizius, Aſturius, Lampidius, Serenus, Florus, Leporius, Statius, Aurelianus, Lampadius, Exoperantius de Gallicia, * Lucenſis conventus, Municipii Celenis; * omnes decem & novem iſti ſunt, qui & aliis geſtis adversùs Priſcilliani ſectatores, & hæreſim quam adſtruxerit, libellarem [b] direxêre ſententiam. Conſidentibus presbyteris, adſtantibus diaconibus, & cæteris qui intererant Concilio, [c] congregatis;

2. Patruinus Epiſcopus dixit: Quoniam ſinguli cœpimus in Eccleſiis noſtris facere diverſa, &

* *In Decreto Ivonis part. 8. cap. 69. ubi citatur hoc ordin.* C. A. XXXV.

a Patrono, Marcello, Alciano, Aprodyſio, Jocundo, Olympio, Severo, Atterio, Hilario, Lampadio, Juſtochio, Exoperantio, Sereno, Floro, Leporio, Aureliano, Lampadio, Leona, Gallio, Lucentio.

Hic conventus municipius Cele-

inde tanta ſcandala ſunt, quæ uſque ad ſchiſma perveniunt; ſi placet, communi Concilio decernamus quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis clericis ſit ſequendum. Mihi autem placet conſtituta primitus Concilii Nicæni perpetuò eſſe ſervanda, nec ab iis eſſe recedendum. [d] Epiſcopi dixerunt[e]: Hoc[a] omnibus placuit: ita ut ſi qui cognitis geſtis Concilii Nicæni, aliud quàm ſtatutum eſt, facere præſumpſerit, & non in eo perſeverandum putaverit; [f] tunc excommunicatus habeatur, niſi per correptionem fratrum emendaverit errorem.

nis actus eſt. Iſti ſunt &c. *Exc.*
* *Locus in provincia Galliciæ ex Ptolemæo, Plinio, & aliis.*
* *De Galliciæ Lucenſis urbis conventu & municipii Celenis omnes decem & novem iſti ſunt. Exc. ad marginem.*
b Dedere. *Exc.*
d Univerſi Epiſcopi. *Exc.*
c Cōgregato. *Exc.*
e Nobis placet.
f Hic. *Exc.*

I. *De presbyteris & diaconibus, ſi poſt ordinationem Filios genuerint.*

3. Placuit, ut diacones, ſi vel integri, vel caſti ſint, & continentis vitæ; etiam ſi uxores habeant, in miniſterio conſtituantur: ita tamen, ut ſi qui etiam ante interdictum, quod [h] per Luſitanos Epiſcopos conſtitutum eſt, incontinenter cum uxoribus ſuis * vixerunt, presbyterii honore non cumulentur. Si quis verò ex presbyteris, ante interdictum filios ſuſceperit; [i] de presbyterio ad Epiſcopatum non [k] permittatur.

In decreto Ivon. lib. 3.
h Per priores ante nos Epiſcop. &c.
* Deeſt in *Exc.* & vixerint, in iiſdē legitur.
i De presbytero ad Epiſcopum. *in Mss.*
k Admittatur. *Exc.*

II. *Ut pœnitentes, ſi neceſſitas cogat, Lectores, aut Oſtiarii fiant.*

4. Item placuit, [a] ut de pœnitente non admittatur ad clerum; niſi tantùm, ſi neceſſitas aut uſus exegerit, [b] inter Oſtiarios deputetur, vel inter Lectores: ita ut Euangelia, & Apoſtolum [c] non legat. Si qui antè ordinati ſunt diacones, inter ſubdiaconos habeantur: ita ut [d] manum non imponant, [e] aut ſacra non contingant. [f] *Pœnitente* verò dicimus de eo, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, ſub [g] cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.

Diſtin. 50. Placuit, & *in Decr. Ivon. lib. 6. cap. 138. & Burchard. lib. 2. cap. 37.*
a Ut pœnitentes non admittantur. *Exc. & Grat.*
b Et tunc inter Oſtiarios deputentur. *Exc. & Grat.*
c Legant. *Exc.*
d Manus. *Exc.*
e Nec ſac. contingant.
f Eum verò pœnitentē dicimus, qui. *Exc. & Grat.*
g Concilio. *Exc.*

III. *De his qui viduas acceperint, [h] ut diacones non efficiantur.*

5. Item conſtituit ſancta Synodus, ut Lector fidelis, ſi viduam alterius uxorem acceperit, ampliùs nihil ſit, ſed ſemper Lector habeatur, aut fortè ſubdiaconus.

h Ne diaconi efficiantur. *Exc.*

IV. *Ut ſubdiaconus, ſi defuncta uxore aliam duxerit, Oſtiarius fiat.*

6. Subdiaconus autem, defuncta uxore [l] ſi aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Oſtiarios, vel inter Lectores: ita ut Euangelium, & [m] Apoſtolum non legat; propterea, ne qui Eccleſiæ ſervierit, publicis officiis ſervire videatur. Qui verò tertiam, quod nec dicendum * aut audiendum eſt, acceperit; abſtentus biennio, poſtea inter laïcos reconciliatus per pœnitentiam, communicet.

l Si uxorē aliam. *Exc.*
m Epiſtolam. *Exc.*
* *Deſunt in Exc.*

V. *Ut cujuſlibet ordinis clericus, ſi ad Eccleſiam non venerit, deponatur.*

7. Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus clericus, ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, [n] aut caſtello, aut vico, aut villa, & ad Eccleſiam ad officium quotidianum non [o] acceſſerit; clericus non habeatur, [p] ſi caſtigatus per ſatisfactionem, veniam ab Epiſcopo [q] noluerit promereri.

Burch. lib. 2. c. 152. Decret. Ivon. part. 6. cap. 243.
n Aut Caſtella, aut vici ſunt, aut villæ, ſi ad Eccl. aut ad. *Exc.*
o Venerit. *Exc.*
p Si caſt. non emendaverit. *Bur. Ivo.*
q Noluit. *Exc.*

VI. *Ut religioſa puella virorum familiaritatem non [a] habeat.*

8. Item neque puella Dei aut familiaritatem habeat cum confeſſore, aut cum quolibet laïco, * ſibi ſanguinis alieni: aut convivium ſola adeat, niſi ubi ſit ſeniorum frequentia, aut honeſtorum, aut viduarum honeſtarumque; ubi honeſtè confeſſor quilibet, cum plurimorum [b] teſtimonio, convivio interſ-

a In domo non. *Exc.*
* *Deeſt in Exc.*
b Teſt. teſtium con. *Exc.*

tereſſe poterit. Cum Lectoribus autem in ipſorum domibus non admittendas penitùs, nec videndas; niſi fortè conſanguinea ſoror ſit, vel uterina.

VII. *Ut clericus, cujus uxor peccaverit, præter necem, poteſtatem habeat diſtringendi eam, & cum ea cibum non ſumat.*

33. q. 2. Placuit. ut ſi quorumcumque. Decr. Ivon. p. 8. cap. 283.
c Quæcumque. Ivo.
d Salutifera. Ivo.
e Fas cogentes. Exc.
f Cibos. Exc.
g Diaconatum. Exc.

9. Placuit ut c ſi quorumcumque clericorum uxores peccaverint (ne fortè licentiam peccandi plus habeant) accipiant mariti earum hanc poteſtatem, præter necem, cuſtodiendi, ac ligandi in domo ſua; ad jejunia d ſalutaria, non mortifera, e cogentes: ita ut invicem ſibi clerici pauperes auxilium ferant, ſi ſervitia fortè non habeant. Cum uxoribus autem ipſis quæ peccaverint, nec f cibum ſumant; niſi fortè ad timorem Dei, actâ pœnitentiâ, revertantur.

VIII. *De eo qui poſt baptiſmum militaverit, ut ad g diaconium non promoveatur.*

Diſt. 51. Si quis poſt baptiſ.
h Cing. ad necandos fide es, etiam ſi gravia non. Excerpſ. & Grat.

10. Si quis poſt baptiſmum militaverit, & chlamydem ſumpſerit aut h cingulum; etiamſi graviora non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuit, diaconii non accipiat dignitatem.

IX. *Ut nulla profeſſa, vel vidua, abſente ſacerdote, in domo ſua ſacerdotale officium, vel lucernale impleat.*

i Legatur. Exc.

11. Nulla profeſſa, vel vidua, abſente Epiſcopo, vel presbytero, in domo ſua antiphonas cum confeſſore vel ſervo ſuo faciat: lucernarium verò, niſi in Eccleſia, non legatur; aut ſi i legitur in villa; præſente Epiſcopo, vel presbytero, vel diacono, legatur.

X. *Ut nullus obligatum cuiquam, abſque cenſenſu domini vel patroni, clericum faciat.*

Diſt. 53. cap. Si quis obligatus eſt. Et habetur inter Canones à Martino Bracar. Epiſcopo collectos. cap. 46.
a Si quidem obl. ſint. Exc.
b Per æquationē, C. A.
c De genere. Exc.
d Patroni. Exc.

12. Clericos, a ſi qui obligati ſunt, vel b pro æquatione, vel c genere alicujus domus, non ordinandos; niſi probatæ vitæ fuerint, & d patronorum conſenſus acceſſerit.

XI. *Ut ſi quis potentium quemlibet exſpoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.*

24. q. 3. Si quis de potent.
e Pauperem. Exc. & Grat.
f Et mand. eum ad ſe venire Epiſcopus, ut audiatur, & 15. Exc. & Grat.
g Habeatur ipſe donec obediat, & reddat aliena. Exc. & Grat.

13. Si quis de potentibus clericum, aut quamlibet e pauperiorem, aut religioſum exſpoliaverit; f & mandaverit ad ipſum Epiſcopus, ut eum audiat; & ſi contempſerit, invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ Epiſcopos; & quoſcumque adire potuerint; ut excommunicatus g habeatur, donec audiatur, ut reddat aliena.

XII. *Ut nullus clericus h de Epiſcopo ſuo recedat, & ad alium ſe transferat.*

h Ab. Exc.
i Nulli cle. ſit. Exc.
k Ab. Exc.
l Cum eis qui. Exc.
m Voluerint. Exc.
n Damnatione. Exc.

14. Item, ut i liberum; ulli clerico non ſit, diſcedere k de Epiſcopo ſuo, & alteri Epiſcopo communicare; niſi fortè ei, quem Epiſcopus alius libenter habeat de hæreticorum ſchiſmate diſcedentem, & ad Fidem Catholicam revertentem. Si qui autem de Catholicis diſceſſerint, & in communione eorum, vel palam, vel occultè, l qui vel excommunicati ſunt, vel per ſententiam jam notati, fuerint inventi; habeant illorum, ad quos ire m voluerunt, etiam in n damnationem conſortium.

XIII. *De his qui in Eccleſiam intrant, & non communicant, ut excommunicentur.*

De conſ. d. 2. Hi qui intrant.
o Quod, Exc. & Grat.
p Non ſemper. Exc.
q Abſtineant. apud Grat. in utroque loco: quamquam priore loco abſtineant, magis probat gloſſa apud Gratianum.

15. De his qui intrant in Eccleſiam, & deprehenduntur nunquam communicare; admoneantur, o ut ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant; ſi communicant, p non ſuper q abſtineantur: ſi non fecerint, abſtineantur.

XIV. De

XIV. *De eo qui acceperit Euchariſtiam, & non ſumpſerit, ut ſacrilegus repellatur.*

16. Si quis autem acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit; velut ſacrilegus propellatur.

XV. *De his qui excommunicantur à ſacerdotibus, ut nullus ad eos accedat.*

17. Si quis laïcus abſtinetur; ad hunc, vel ad domum ejus, clericorum vel religioſorum nullus accedat. Similiter & clericus ſi abſtinetur, à clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehenſus; etiam ipſe abſtineatur: Sed hoc pertineat ad eos clericos, qui ejus [a] ſint Epiſcopi, & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo qui abſtinetur, ſive [b] laïco, ſive clerico.

XVI. *Devota ſi* [c] *adulteraverit; decem annos pœniteat: ſi maritum duxerit; non permittendam ad pœnitentiam, niſi maritus deceſſerit.*

18. Devotam peccantem non recipiendam [d] in Eccleſiam, niſi peccare deſierit; & deſinens egerit [e] aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priùs autem quàm in Eccleſia [f] admittatur ad orationem, ad [g] nullum convivium Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam hæc quæ eam [h] recepit, habeatur abſtenta. Corruptorum etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc vivente ipſo; viro caſtè vivere [k] cœperit, aut poſtquam ipſe deceſſerit.

XVII. *De eo qui uxorem habet, ſi concubinam habuerit,* [l] *non communicetur.*

19. Si quis habens uxorem [m] fidelem, [n] ſi concubinam habeat, non communicet. Cæterùm [o] qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tantùm ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus: aliàs * verò vivens abjiciatur, donec deſinat, & per pœnitentiam revertatur.

XVIII. *Si ſacerdotis vidua, vel levitæ, maritum acceperit; in fine tantùm communicet.*

20. Si qua vidua Epiſcopi, ſive presbyteri, aut diaconi, maritum acceperit; nullus clericus, nulla religioſa cum ea convivium ſumat; nunquam communicet; morienti tantùm ei ſacramentum ſubveniat.

XIX. *Si ſacerdotis vel diaconi filia religioſa peccaverit; in fine tantùm communicet.*

21. Epiſcopi, ſive presbyteri, ſive diaconi filia, ſi * Deo devota fuerit, & peccaverit, & maritum duxerit; ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. Pater verò cauſſas in Concilio ſe noverit præſtaturum: mulier [a] verò non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem vivente eo ſeceſſerit, & pœnituerit, [b] vel petierit communionem, in ultimo vitæ deficiens, accipiat communionem.

Margin notes:

11. q. 3. Si quis laicus abſt. Adducitur ex Concilio Toletano Canon. II. vocaturq; ibi Concilium primum Toletanum. Decret. Ivon. p. 13. cap. 30.

a Sunt. Exc.
b Laico quolibet. Grat.
c Adultera fuerit. Exc.
d In Eccleſia conſemus. Grat.
e Veram. in Exc.
f Recipiatur. Exc.
g Nullius. Exc. Grat.
h Receperit. Exc.
i Marito. Exc.
k Cœpit. Exc.
l Ut non communicet. Exc.
m Ft. Exc.
n Fidelis. Ivo & Panormia.
o Is, qui.
* In Exc. deeſt.
* Deeſt in Exc.
a Autem. Exc.
b Nullo modo, niſi vita deficiens ac. Exc. aliàs: vel petierit com. in ultimo accipiat.

XX. *Ut præter Epiſcopum nullus chriſma conficiat, * neque diaconus chriſmare præſumat, ſed nec presbyter, niſi abſente Epiſcopo.*

* Deſunt ab Exc.

22. Quamvis penè ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis, presbyteri dicuntur chriſma conficere; placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopũ chriſma facere, & per diœceſin deſtinare: ita ut de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ diaconi deſtinentur aut ſubdiaconi; [c] ut confectum chriſma ab Epiſcopo deſtinatum, ad diem Paſchæ [d] poſſit occurrere. Epiſcopo ſanè certum eſt omni tempore licere chriſma conficere: ſine conſcientia autem Epiſcopi, [e] nihil penitùs faciendum. Statutum verò eſt, diaconum non chriſmare, ſed presbyterum abſente Epiſcopo; præſente verò, [f] ſi ab ipſo fuerit præceptum. Hujuſmodi conſtitutionem meminerit ſemper archidiaconus, vel præſentibus, vel abſentibus Epiſcopis ſuggerendam; ut eam Epiſcopi cuſtodiant, & presbyteri non relinquant.

c Qui. Exc. Aliàs, ut confeſtim.
d Poſſint ad tempus deferre. Exc.
e Nihil p. presbyteri agere præſumant. St. Exc.
f Non niſi ab. Exc.

Subſcriptiones.

1. Patruinus, [a] Epiſcopus ſubſcripſi.
2. Aphrodyſius Epiſcopus ſubſcripſi.
3. Severus Epiſcopus ſubſcripſi.
4. Hilarius Epiſcopus ſubſcripſi.
5. Ortizius [b] Epiſcopus ſubſcripſi.
6. Aſterius [c] Epiſcopus ſubſcripſi.
7. Serenus Epiſcopus ſubſcripſi.
8. Leporius Epiſcopus ſubſcripſi.
9. Aurelianus Epiſcopus ſubſcripſi.
10. Lampadius [d] Epiſcopus ſubſcripſi.
11. Marcellus Epiſcopus ſubſcripſi.
12. Licianus [e] Epiſcopus ſubſcripſi.
13. Leonas Epiſcopus ſubſcripſi.
14. Olympius Epiſcopus ſubſcripſi.
15. Jocundus Epiſcopus ſubſcripſi.
16. Lampadius Epiſcopus ſupſcripſi.
17. Florus Epiſcopus ſubſcripſi.
18. Statius [f] Epiſcopus ſubſcripſi.
19. Exuperantius Epiſcopus ſubſcripſi.

a Patronus. Exc.
b Ortigius. Exc.
c Suprà Aſturius.
d Lampidius ſive Lampius.
e Alcianus. Exc.
f Eutochius ſive Eutatius.

Explicit Conſtitutio Concilii Toletani.

23. POST Acta & ſubſcriptiones hujus Concilii, in editione Illuſtriſſimi Loaïſæ ſtatim exhibetur Regula Fidei Catholicæ contra omnes hæreſes, & præſertim Priſcillianiſtarum, quam ibidem dicuntur Præſules Hiſpani miſiſſe ad Balconiũ Epiſcopum Gallæciæ *CUM PRÆCEPTO PAPÆ URBIS ROMÆ LEONIS*. Verùm cùm Concilium Toletanum hactenus exſcriptum dicatur Primum, & habitum anno Chriſti CD. Conſulatu primo Stiliconis, & S. Leo nonniſi tranſactis poſtea quadraginta annis electus fuerit Pontifex, immo nec Concilium celebrari juſſerit in Gallæcia ad prædictas hæreſes exſtirpandas uſque ad an. CDXLVII. quo illud Celenis habitum fuit; extra rem ponitur ea Regula hoc loco, tamquam miſſa ad Balconium ab hiſce Patribus Toletanis.

24. Verùm ne perturbemus ordinem præteritarum editionum, exhibebimus hoc loci Regulam ipſam, præmiſſa ea obſervatione, ne quis confundat tempora hujus Concilii, & S. Leonis Papæ. Deinde proferemus (ſicuti & D. Loaïſa fecit) exemplaria Profeſſionum Fidei edita in Concilio Toletano: mox Sententiam definitivam circa eos qui de hæreſi Priſcillianiſtarum ſuſpecti aut convicti fuerant: tum poſtea FRAGMENTA ſub titulo Conciliorum Toletanorum ſparſa apud Ivonem, Burchardum, & Gratianum: quorum multa videntur ſpectare ad alia Concilia Toletana, quæ forſan celebrata fuerunt alio tempore, quamvis nondum detecta fuerint integra Acta cujuſpiam illorum. Poſt Fragmenta verò ſuccedent Notæ variorum in hoc Concilium I. Toletanum, atque in reliqua monumenta huc ſpectantia, cum Epiſtola Innocentii, tam primò edita à D. Loaïſa, quàm poſtea ex Mss. aucta, & obſervationibus illuſtrata à Jacobo Sirmondo. CARD. DE AGUIRRE.

REGULA FIDEI CATHOLICÆ.

25. INCIPIT Regula Fidei Catholicæ contra omnes hæreſes, & quàm maximè contra [g] Priſcillianos, quam Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, & Bætici fecerunt, [h] & cum præcepto Papæ urbis Romæ Leonis, ad Balconium Epiſcopum Galliciæ tranſmiſerunt. Ipſi etiam & ſupraſcripta viginti Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano.

26. Credimus in unum [a] Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, viſibilium & inviſibilium factorem; per quem creata ſunt omnia in cœlo & in terra: * hunc unum Deum, & hanc unam eſſe divinæ ſubſtantiæ Trinitatem: Patrem autem non eſſe ipſum Filium, ſed habere Filium, qui Pater non ſit: Filium non eſſe Patrem, ſed Filium Dei de Patris eſſe natura: Spiritum quoque Paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius; ſed à Patre Filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus; ſed à Patre Filioque procedens. Pater eſt, cujus vox hæc eſt audita de cœlis: *Hic eſt Filius* [c] *meus, in quo mihi * bene complacui, ipſum audite.* Filius eſt qui ait: *Ego à Patre exivi, & à Deo veni in hunc mundum.* Paracletus Spiritus eſt, de quo Filius ait: *Niſi abiero ego ad Patrem, Paracletus non veniet * ad vos.* Hanc Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantiâ unitam, virtute, & poteſtate, & majeſtate indiviſibilem, indifferentem; præter hanc nullam credimus divinam eſſe naturam, vel angeli, vel ſpiritûs, vel virtutis alicujus, quæ Deus eſſe credatur. Hunc [d] igitur Filium Dei, Deum natum à Patre ante omne omnino principium, ſanctificâſſe uterum Mariæ Virginis, atque ex ea verum hominem, ſine virili generatum ſemine ſuſcepiſſe; duabus dumtaxat naturis, ideſt Deitatis & carnis, in unam convenientibus omnino perſonam, ideſt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: nec imaginarium corpus aut phantaſmatis alicujus in eo fuiſſe, ſed ſolidum atque verum: hunc & eſurîſſe, & ſitîſſe, & doluiſſe, & fleviſſe, & omnes corporis injurias pertuliſſe; poſtremò à Judæis crucifixum & ſepultum [e] tertia die reſurrexiſſe; converſatum poſtmodùm cum diſcipulis ſuis, & quadrageſima poſt Reſurrectionem die ad cœlum aſcendiſſe. Hunc Filium hominis, etiam Dei Filium dici; * Filium autem Dei, Dominum Filium hominis appellamus. Reſurrectionem verò futuram humanæ credimus carnis, animam autem hominis non [f] divinam eſſe ſubſtantiam, aut Dei partem, ſed creaturam dicimus [g] divina voluntate creatam.

I. Si quis autem dixerit, aut crediderit, à Deo omnipotenti mundum hunc factum non fuiſſe, atque ejus omnia inſtrumenta; anathema ſit.

II. Si quis dixerit atque crediderit, Deum patrem eundem eſſe Filium, atque Paracletum; anathema ſit.

III. Si quis dixerit, vel crediderit, Dei Filium eundem eſſe Patrem, vel Paracletum; anathema ſit.

IV. Si quis dixerit, vel crediderit, Paracletum, vel Patrem eſſe, vel Filium; anathema ſit.

V. Si quis dixerit, vel crediderit, carnem tantùm ſine anima à Filio Dei fuiſſe ſuſceptam; anathema ſit.

VI. Si quis dixerit, vel crediderit, Chriſtum innaſcibilem eſſe; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem Chriſti [a] convertibilem eſſe vel paſſibilem; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum eſſe priſcæ legis, alterum Euangeliorum; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit, vel crediderit, ab altero Deo mundum factum fuiſſe, & non ab eo, de quo ſcriptum eſt: *In principio fecit Deus cælum & terram*; anathema ſit.

X. Si quis dixerit, vel crediderit, corpora humana non reſurgere poſt mortem; anathema ſit.

XI. Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei eſſe ſubſtantiam; anathema ſit.

XII. Si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas, præter quas Eccleſia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel eſſe venerandas; anathema ſit.

XIII. Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatis & carnis unam eſſe in Chriſto naturam; anathema ſit.

XIV. Si quis dixerit, vel crediderit, eſſe aliquid, quod ſe extra divinam Trinitatem poſſit extendere; anathema ſit.

XV. Si quis Aſtrologiæ vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum; anathema ſit.

XVI. Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quæ ſecundùm legem divinam [b] licita habentur, exſecrabilia eſſe; anathema ſit.

XVII Si quis dixerit, vel crediderit, carnes avium, [c] vel pecorum, quæ ad eſcam datæ ſunt, non tantùm pro caſtigatione [d] corporis abſtinendas, ſed exſecrandas eſſe; anathema ſit.

XVIII. Si

---

g Priſcillianiſtas quas. *Exc.*
h Ex. p. Papæ L. & ad Balconium. *Exc.*
Balconius fuit Præſul Bracarenſis Eccleſiæ. Ex Conc. I. Bracar. in princ.
a Verum D. *Exc.*
De hac Regula habes in primo Bracar. Concil. in principio.
* *Deeſt in Exc.*
Matt. 3.
c Meus dilectus. *Exc.*
Marc. 1. Luc. 3.
* *Deeſt in C. A.*
d Ergo. *Exc.*
e Et tert. *Exc.*
* *Deeſt in Exc. & legitur:* & Filium Dei, & hominis Filium app.
f Divinæ eſſe ſubſtantiæ, aut Dei Patris. *Exc.*
g Dei. *Exc.*
a Naſcibilem eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, &c. *Exc.*
Gen. 1.
b Licet habere. *Exc.*
c Seu. *Exc.*
d Hominum. *Alias*, corporum.

XVIII. Si quis in his erroribus Priſcilliani ſectam ſequitur, vel profitetur, aut aliud in *a* ſalutari baptiſmo, contra ſedem Sancti Petri faciat; anathema ſit.

a Salubri. *Exc.*

OBSERVATIO IN HANC FIDEI REGULAM.

28. QUAMVIS à tempore Concilii Nicæni cautum fuiſſet ne qua Fidei formula inſtitueretur præter ibidem præſcriptam; certum eſt poſtea in tot illis controverſiis Arianorum adversùs Catholicos, plures formulas introductas fuiſſe ab illis, ac valdè diverſas, quarum meminimus ſuprà Diſſert. II. à num. 73. præſertim ex S. Hilario & Socrate, qui illas exſcribunt. Immo & Concilium II. Oecumenicum, id eſt, Conſtantinopolitanum I. ad expugnandos Pneumatomachos, qui ſolidam Spiritus ſancti Deitatem negabant, addendum quippiam cenſuit Symbolo Nicæno. Nimirum, ad illa ejus verba: *Et in Spiritum ſanctum*; adjecit: *& vivificantem, qui à Patre procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur*. Ad refellendam namque hæreſin recèns exortam, viſum fuit ſanctiſſimis illis Patribus adjicere ea verba, quibus luculentiùs tradebatur id ipſum; quod jam antea Patres Nicæni minùs apertè docuerant, quoniam eorum tempore non fuerat mota circa Spiritum ſanctum controverſia.

29. Dum verò id Concilium CP. in Oriente celebrabatur, aut paullò antè, Priſcillianus in Occidente excitavit hæreſim ſuam, quæ omnia ferè fundamenta Chriſtianę Fidei convellebat, & ex orco revocabat inſanos Manichæorum, Gnoſticorū. & aliorum quorundam errores. Quapropter PP. Toletani cenſuerunt opportunum formulā iſtam proponere, in qua Symbolum Fidei, tam Nicænum, quàm CP. comprehenditur, & præterea plura alia adjiciuntur, ex diametro contraria totidem deliriis Priſcilliani: ut hujus ſequaces, aut ſuſpecti de ea hæreſi, illam publicè ac diſtinctè exſecrarentur.

30. Mirabile autem eſt quòd in eadem formula dicatur palam de Paracleto, ſive Spiritu ſancto, A PATRE FILIOQUE PROCEDENS. Quæ veritas non fuerat explicata, nec definita euſque ab Eccleſia, in Symbolis Apoſtolico, Nicæno, aut Conſtantinopolitano: immo nec poſtea plurimis ſæculis definita legitur in ullo alio Oecumenico Concilio uſque ad Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno Chriſti MCCXV. ut fusè oſtendi Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. XCI. & XCII. Nimirùm altè inſedit Patribus Hiſpanis, Tarraconenſibus, Carthaginenſibus (ſub quorum provincia tunc computabatur Toletum) Luſitanis, & Bæticis, ea veritas, tamquam ſatis contenta in multis Novi Teſtamenti locis, & palam tradita à SS. Patribus euſque, tam Græcis quàm Latinis, ut eo loco comprobavimus. Quapropter eandem veritatem poſtea alii Patres Hiſpani profeſſi ſunt in Concilio Toletano III. anno DLXXXIX. & in IV. anno DCXXXIII. & in VIII. anno DCLIII. ac tandem XI. anno DCLXXV. multò antequam Græci controverſiam ea de re excitarent.

31. Verùm cùm inter eos errores Priſcillianiſtarum nomine editos, ſeptimus, & decimus tertius videantur continere hæreſim præcipuam Eutychetis, longè poſtea ortam, & damnatam anno CDLI. in Synodo Oecumenica Chalcedonenſi ſub eodem S. Leone Papa; erit fortè qui exiſtimet, Regulam hanc à Patribus Toletanis anno CD. non fuiſſe integrè prolatam prout jacet; ſed poſtea additam juſſu ejuſdem S. Leonis, qui Epiſcopis Hiſpanis injunxit, ut formulam ipſam mitterent ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ, publicandam in Concilio Celenenſi *CONTRA OMNES HÆRESES, ET QUAM MAXIME CONTRA PRISCILLIANOS*, ut initio illius dicitur. Omnium autem hæreſeωn nomine generico nihil vetat comprehendi Eutychianam, jam ortam & damnatam tempore S. Leonis.

32. Verùm hæc conjectura debilis eſt. Nam, ut conſtabit ſtatim ex ipſis exemplaribus Profeſſionum, eæ duæ hæreſes VII. & XIII. abjurantur in Concilio hoc Toletano I. palam & diſertis verbis; altera à Dictinio, altera à Symphoſio, Epiſcopis; veluti hauſtæ ex doctrina Priſcilliani. Itaque non eſt ratio prudens dubitandi, totam Regulam Fidei Catholicæ ſuprà exhibitam, fuiſſe prolatam in hoc Concilio; & XLVII. annis poſtea à S. Leone præceptum fuiſſe, ut ea denuò in Hiſpania, præſertim in Gallæcia, publicaretur ſolenniùs per Balconium, Metropolitanum in iis partibus. CARD. DE AGUIRRE.

INCIPIUNT EXEMPLARIA PROFESSIONUM.

In Concilio Toletano contra Sectam Priſcilliani.

ERA CDXXXVIII. AN. CHR. CD.

33. POST habitum jam Concilium Kal. Septembribus; tertio Nonas Septembris, poſt diverſas cognitiones tunc habitas, ſub die octavo Idoum Septembrium excepta ſunt de plenariis geſtis profeſſiones domini Symphoſii, & domini Dictinii, ſanctæ memoriæ Epiſcoporum, & domini ſanctæ memoriæ Comaſii, tunc presbyteri: quas inter reliquos habuerunt in Concilio Toletano, de damnatione Priſcilliani, vel ſectæ ejus, in hunc modum.

34. Poſt aliquanta, & inter aliquanta eodem tempore acta, Dictinius Epiſcopus dixit: Audite me, optimi ſacerdotes, corrigite omnia: quia vobis correctio data eſt. Scriptum eſt enim: *Vobis datæ ſunt claves regni cælorum*. Sed peto à vobis, ut claves nobis regni, non portæ aperiantur inferni. Hæc ſi dignamini, omnia ante oculos pono. Hoc enim in me reprehendo, quòd dixerim, unam Dei & hominis eſſe naturam. Item dixit: Ego non ſolùm correctionem veſtram rogo, ſed & omnem præſumptionem meam de ſcriptis meis arguo, atque condemno. Item dixit: Sic ſenſi, teſtis eſt Deus. Si erravi, corrigite. Item dixit: Et paullò antè dixi, & nunc iterum repeto: In priori comprehenſione mea, & in principiis converſionis meæ, quæcumque conſcripſi, omnia me toto corde reſpuere. Item dixit: Excepto nomine Dei, omnia anathematizo. Item dixit: Omnia quæ inveniuntur contra Fidem, cum ipſo auctore condemno.

35. Symphoſius Epiſcopus dixit: Juxta id quod paullò antè lectum eſt in membrana neſcio qua, in qoa dicebatur Filius innaſcibilis: hanc ego doctrinam, quæ aut duo principia dicit, aut Filium innaſcibilem, cum ipſo auctore damno qui ſcripſit. Item dixit: Ego ſectam, quæ recitata eſt, damno cum auctore. Item dixit: Date mihi chartulam, ipſis verbis condemno. Et cùm accepiſſet chartulam, de ſcripto recitavit: Omnes libros hæreticos, & maximè Priſcilliani doctrinam, juxta quod hodie lectum eſt, ubi innaſcibilem Filium ſcripſiſſe dicitur, cum ipſo auctore damno.

36. Comaſius presbyter dixit: Nemo dubitet, me cum domino meo Epiſcopo ſentire, & omnia damnare quæ damnavit, & nihil ejus præferre ſapientiæ, niſi ſolum Deum. Atque ideo nolo me dubitetis allud eſſe facturum, aliterve ſenſurum, quàm quod profeſſus eſt: ac proinde quomodo dixit Epiſcopus meus, quem ſequor; quicquid ille damnavit, & ego damno. Erâ, quâ ſuprà, ſub diem tertium Iduum Septembrium, profeſſiones ſanctæ memoriæ Epiſcoporum domini Symphoſii, & domini Dictinii, & ſanctæ memoriæ Comaſii tunc presbyteri. Comaſius presbyter dixit: Non timeo frequenter dicere quod ſemel dixiſſem, ut gaudeam. Sequor auctoritatem Epiſcopi mei Symphoſii; ſequor ſapientiam ſenis. Sentio quòd dixi. Si jubetis, ex chartula relegam. Omnes id ſequantur, qui voluerint veſtro hærere conſortio. Et Comaſius presbyter ex chartula legit: Cùm Catholicam & Nicænam Fidem ſequamur omnes, & ſcriptura recitata ſit, quam Donatus presbyter, ut legitur, ingeſſit, ubi Priſcillianos innaſcibilem eſſe Filium dixit; conſtat hoc contra Nicænam Fidem eſſe dictum: atque ideo Priſcillianum hujus dicti auctorem, cum ipſius dicti perverſitate, & quos malè condidit libros, cum ipſo auctore condemno. Symphoſius Epiſcopus dixit: Si quos malè condidit libros, cum ipſo auctore condemno. Dictinius Epiſcopus dixit: Sequor ſententiam domini mei, & patris mei, & genitoris, & Doctoris mei Symphoſii. Quæcumque loquutus eſt, loquor. Nam ſcriptum legimus: *Si quis vobis aliter evangelizaverit, præter quàm quod evangelizatum eſt vobis, anathema ſit*. Et idcircò omnia quæ Priſcillianus, aut malè docuit, aut malè ſcripſit, cum ipſo auctore condemno.

Hucuſque Profeſſiones Fidei, in quibus Dictinius ac Symphoſius Epiſcopi, ac Comaſius presbyter, publicè retractant intra Synodum I. Toletanam præcipuos errores, quos hauſerant ex ſcriptis Priſcilliani, & ipſum exſecrantur palam, utpote manifeſtum Hæreſiarcham. Nunc exhibeamus ſententiam à PP. prolatam, licèt multis erratorum nævis vitiata legatur, tam in Mss. quàm in prælo excuſis.

Exemplar Definitivæ Sententiæ translatæ de Geſtis.

37. DIE qua ſuprà Epiſcopi dixerunt: Legatur ſcriptura ſententiæ. Et legit: Et ſi diu deliberantibus verum, poſt Cæſarauguſtanum Concilium, in quo ſententia in certos quoſque dicta fuerat; ſolâ tamen una die, præſente Symphoſio, qui poſtmodum declinando ſententiam, præſens audire contempſerat, arduum nobis eſſet audire jam dictos: literis tamen ſanctæ memoriæ Ambroſii, quas poſt illud Concilium ad nos miſerat; ot ſi condemnâſſent, quæ

perperam egeraot, & implêſſent conditiooes, quas præſcriptas literæ continebant, reveit.rentur ad pacem (adde quæ ſanctæ memoriæ Syricius Papa ſuaſiſſet) magnam nos conſtat præſtitiſſe patientiam: & ſi priùs indictum in Toletana urbe Concilium declinârant, ad quod illos evocaveramus, & audiſſemus, cur non implêſſent conditiones, quas ſibi ipſi, Sancto Ambroſio præſente & audiente poſuiſſent; patuit reſpondiſſe Symphoſiom, ſe à recitatione eorum quæ dicebant Martyres, receſſiſſe: ac dehinc deceptom tentumque per plurimus, ſecus aliqua geſſiſſe reperimus, nollis libris apocryphis, aut novis ſcientiis, quas Priſcilliaous compoſuerat, involutum. Dictinium Epiſtolis aliquantis penè lapſum, quas omnes ſua profeſſione coodemnans, correctionem petens, veoiam poſtularet. Quem conſtat, ut Symphoſius fecit, quæcumque contra Fidem Catholicam Priſcillianus ſcripſerat, cum ipſo auctore damnâſſe.

38. Cæterùm extortum ſibi de multitudioe plebis probaret Symphoſium, ut ordinaret Dictinium Epiſcopum, qoem Sanctos Ambroſius decreviſſet, bonæ pacis locum tenere presbyterii, non accipere honoris aogmentum. Confitentur etiam illud, quod alios per diverſas Eccleſias ordinâſſent, quibus deerant ſacerdotes; habeotes hanc fiduciam, quòd cum illis propemodum totius Galliciæ ſentiret plebium multitudo. Ex quibus ordinatus eſt Paternus Bracarenſis Eccleſiæ Epiſcopus. In hanc vocem confeſſionis primus erupit, & ſectam Priſcilliani ſe ſciſſe, ſed factum Epiſcopum liberatom ſe ab ea, lectione librorum Sancti Ambroſii eſſe, juraret.

39. Item Iſonius nuper baptizatum ſe à Symphoſio, & Epiſcopum factum, hoc ſe tenere quod in præſenti Concilio Symphoſius profeſſus eſt, reſpondit.

40. Vegetinus verò olim ante Cæſaraoguſtanum Concilium Epiſcopus factos, ſimiliter libros Priſcilliani cum auctore damnaverat; ut de cæteris acta teſtantur. De quibus qoi cooſuluntor Epiſcopi, judicabunt.

41. Herenas clericos ſuos ſequi maluerat; qui ſpontè, oec interrogati, Priſcillianom Catholicum, ſanctumque martyrem clamâſſent, atque ipſe uſque ad finem, Catholicum huoc eſſe dixiſſet, perſecutiooem ab Epiſcopis paſſum. Quo dicto omnes Sanctos, jam plurimos quieſceotes, aliquos in hac luce duraotes, ſuo judicio deduxerit in reatum.

42. Hunc cum his omnibus, tam ſuis clericis, quàm diverſis Epiſcopis, hoc eſt, Donato, Acurio, Æmilio, qui ab eorum profeſſiooe recentes, maluiſſent ſequi conſortium perditorum; decernimus à ſacerdotio ſubmovendum, quem conſtaret etiam de reliquis verbis ſuis convictum per tres Epiſcopos, moltos qooque presbyteros, ſive diaconos, cum perjurio eſſe mentitum.

43. Vegetinum autem, in quem nulla ſpecialiter dicta fuerat antè ſeotentia; data profeſſione, quam Synodus accepit, ſtatuimus communioni noſtræ eſſe reddendum.

44. Paternom, licèt pro Catholica Fidei veritate, & publicatæ hæreſis errore, libenter amplexi; Eccleſiam, in qua Epiſcopus fuerat conſtitutus, tenere permiſſimus; recepturi etiam in noſtram communionem, quom Sedes Apoſtolica reſcripſerit.

45. Reliqui, qui ex proviocia Gallicia ad Concilium convenerant, & in Symphoſii ſemper communione duraverant, acceptâ formâ à Concilio miſsâ, ſi ſubſcripſerint, etiam ipſi in cœleſtis pacis contemplatione conſiſtant; exſpectantes pari exemplo, quid Papa qui ounc eſt, qoid ſanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliqoique Eccleſiarum reſcribant ſacerdotes. Si autem ſubſcriptionem formæ, quam miſimus, non dederint; Eccleſias, quas detinent, non retineant, neqoe his commuoicent qui reverſi de Synodo, datis profeſſionibus ad ſuas Eccleſias reverterunt.

46. Sanè Vegetinum ſolùm cum Paterno commonicare decrevimus. Symphoſios autem ſenex religioſus, qui quod egerit ſuprà ſcribimus, in Eccleſia ſua conſiſtat, circumſpectior circa eos, qoos ei reddemus, futurus; inde exſpectabit communionem, onde priùs ſpem futuræ pacis acceperat. Quod obſervandum etiam Dictinio & Anterio eſſe decrevimus.

47. Conſtituimus autem, priuſquam illis per Papam, vel per Sanctum Simplicianum communio reddatur, non Epiſcopos, non presbyteros, non diacooos ab illis ordinandos: ut ſciamus ſi vel nunc ſciant, ſub conditione remiſſi, tandem, Synodicæ ſententiæ præſtare reverentiam.

48. Memineriot autem fratres, & Coëpiſcopi noſtri, enixè excubandum, ne quis communione depulſus, collectiones faciat per mulierum domos, & apocrypha, quæ damnata ſunt, legant; ne communicantes his, pari ſocietate teneantur. Quoniam quicumque has ſuſceperint, certum eſt, eos etiam graviori ſententia retioendos eſſe.

49. Fratri autem ooſtro Ortigio Eccleſias, de quibus pulſus fuerat, prononciavimus eſſe reddendas.

NOTÆ IN HANC SENTENTIAM DEFINITIVAM.

50. EODEM anno Eræ Chriſtianæ CD. intra Conciliũ Toletanum I. die octavo Iduum Septembris, excerptæ ac lectæ fuerunt Profeſſiones Fidei prolatæ à Symphoſio & Dictinio Epiſcopis, ac Comaſio presbytero, qoibus exſecrabantur & anathematizabant errores Priſcilliani, in quos antea inciderant: ut nuper vidimus in earum exemplari.

51. Le-

51. Lectis iis, & conſideratis, Patres Toletaoi protulerunt Sententiam Definitivam ouper exſcriptam: in qoa plura σφάλματα apparent, librariorum negligentiâ, & injuriâ tot ſæculorum. In ea verò ferenda memorant imprimis Conciliũ Cæſaraoguſtaoum antea celebratum (nimirum anno Chriſti CCCLXXX. aut circiter, ut ſuo loco vidimus) in quo adversùs plures Priſcilliani ſectatores ſententia lata fuerat, aſſiſteote ibi unica die Symphoſio, jam tunc ſuſpecto, aut notato de eiſdem erroribus: qui noluit illam acceptare, ſed refractarium ſe præbuit. Alii verò pariter denunciati, aut in eodem luto hærentes, noluerunt intervenire ad canſſam dicendam.

52. Videntur aotem omnes ii refractarii perſtitiſſe ab eo anno in Priſcilliani erroribus: ut propterea reliqui Epiſcopi Hiſpaniæ, tamquam veri Catholici, exquiſierint à S. Ambroſio (qui velut ſol inter ſidera reſplendebat ioter Præſules Eccleſiæ, uſque ad annum CCCXCVII. quo in cœlum migravit) quid facturi eſſeot cum iis. Ut verò conſtat ex initio hujus Seotentiæ, S. Doctor cenſuit, ſi abjurarent errores, & damnarent qoæ perperam egerant, atque exſequerentur certas quaſdam conditiones in Epiſtola ipſius præſcriptas, poſſe eos io pacem ſive communionem recipi. Verùm ii ooluerunt qoamdiu vixit Ambroſius ſatisfacere, not vera converſionis ſigna edere, ne quidem poſt acceptam Epiſtolam Syricii Papæ anno primo ſui Pontificatus, Chriſti verò CCCXCV. ſcriptam ad Himerium Epiſcopum Tarracooenſem, in qua tam ii, quàm alii Epiſcopi, propter exceſſus in Hiſpania commiſſos reprehendebantur.

53. Ob eam, ooo modò procraſtinationem, ſed longiſſimam dilationem & pervicaciam in abjurandis erroribus Priſcilliani, recuſabant Patres Toletani illos admittere ad communiouem, vel ad ſuas ſedes; & ægrè ferebant id concedere, etiam poſtquam in hoc Concilio palam atqne humiliter exſecrati fuerúnt in ſois Fidei Profeſſiooibus hæreſes prædictas cum ſoo anctore, jam multò antea ultimum ſupplicium paſſo apud Treverim, auctoritate Maximi aſſerti Imperatoris. Neque eoim damnatio Priſcilliani in Cõciliis Cęſarauguſtano, aot Burdigalenſi, nec odium S. Damaſi Papæ, aut S. Ambroſii, aut S. Martini Turonenſis, nec tot aliorum inſigoium Præſulum Hiſpaniæ & Galliæ contra ejus perverſa dogmata & turpitudines, nec tandem capitale ipſius ſupplicium, & aliorom ſequacium, ſatis fuit, ot reliqui gregales damnarent memoriam & ſcripta Priſcilliani. Quia & multi eò inſaoiæ proceſſerunt, ut illos tanquam Sanctos, & veros Chriſti martyres venerarentur.

54. Vicit tamen clementia & æqoitas Patres Toletanos, ut poſt humilem accuſatiooem, & plenam abjurationem, Symphoſium, licèt lapſum & relapſom antea, homaniùs haberent. Dictinius quoqne, qui penè ſeductus fuerat aliquot Epiſtolis Priſcilliani, & jam omnino illius dogmata damnaverat, benignè habitus fuit. Memoratur autem in hac Sentenția, quòd cùm Dictinius ab eodem Symphoſio indebitè ordioatus fuiſſet Epiſcopus; conſilium S. Ambroſii fuerit, nt intra gradum presbyterii permaneret, ſine nllo honoris augmento.

55. Præterea, ex confeſſione eorundem reorum conſtitit, quòd ii ob neceſſitatem & inſtantiam diverſarum plebium carentiom numero competenti ſacerdotum, ordinâſſeot in Gallicia (nunc Gallæciam dicimus) plures Epiſcopos, atqoe in iis Paternum pro Eccleſia Bracarenſi. Qui & ibidem primus publicè faſſus fuit, & juramento confirmavit, ſe quidem Priſcilliani ſectæ adhæſiſſe: verùm poſtea, ab ioitio ſui Pontificatus, lectione librorum S. Ambroſii inſtructum, longè ab illa deviâſſe.

56. Reliqua in eadem Sententia, à verbis illis: *Item Iſonius*, &c. minùs involuta ſunt, aut ſatis perſpicoa, ut proinde vix ulla expoſitione egeant. Vide tamen infrà poſt Notas variorum io hoc Conciliom, nonnulla à diverſis obſervata io Regolam Fidei, & exemplaria Profeſſionum. Quòd autem ſæpè nominatur ac laodatur conſilium S. Ambroſii jam vitâ functi, & S. Simpliciani adhuc viventis eo anno CD. tamqoam utriuſque judicio ſtetur, aut ſtandum ſit; ſatis denotat quòd ambo in iis cauſſis ſe geſſerint tanquam delegati Apoſtolicæ Sedis: cùm alioqni Epiſcopi Mediolanenſes nollam auctoritatem haberent in Eccleſias vel Epiſcopos Hiſpaniæ, oiſi ſummam exhortationis & doctrinæ; qualem olim habuerat S. Cyprianus in famoſa illa cauſſa Baſilidis ac Martialis Præſulum Hiſpanorum, de qua fusè egimus Tomo I. Diſſert. XIV.

57. Sed quamvis PP. Toletani hoc loci multum deferant SS. Ambroſii ac Simpliciani judicio; multò tamen magis Sedi Apoſtolicæ, cujus reſcriptum exſpectandom ajunt ad dandam Paterno Epiſcopo communionem. Similiter & ad illam tribuendam aliis ibidem nominatis, ajunt exſpectari debere quid reſcribat *PAPA QUI NUNC EST*; nimirum Aoaſtaſius, qui eo anoo CD. Eccleſiæ Romanæ præerat]. Unde obiter confirmatur qnod alibi ſæpè ac latiùs docuimus, cauſſas majores, præſertim circa judicia Epiſcoporum, qui de crimine aliquo accuſantur, non fuiſſe olim terminatas in Conciliis Proviocialibus, immo oec Nationalibus (quale videtur fuiſſe iſtud Toletanom I.) inconſulta Sede Apoſtolica, aut ſaltem legatis ejus ſpeciatim in id deputatis, quales fuiſſe SS. Ambroſium & Simplicianum in hac Epiſcoporum Priſcillianiſtarom Hiſpaniæ cauſſa, dubiom non eſt. CARDIN. DE AGUIRRE.

FRAGMENTA

Sub titulo Conciliorum Toletanorum, ſine ordine aut tempore, vel corruptè vel falsò citata; cùm in his quæ hactenus apparuerunt, Conciliis, non inveniantur.

EX CONCILIO QUARTO TOLETANO. *Cap.* 8.

27. q. 1. De Viduis Burch. lib. 8. c. 48. Ivo p. 7. c. 66.

1. DE viduis & puellis, quæ habitum religionis in domibus propriis, tam à parentibus quàm per ſe mutaverunt, ſi poſtea, contra inſtituta Patrum, vel præcepta Canonum, conjugia crediderint copulanda; tamdiu utræque habeantur à communione ſuſpenſæ, quouſque quod illicitè perpetraverunt, emendarent: quòd ſi emendare neglexerint, à communione & omnium Chriſtianorum convivio perpetuò ſint ſequeſtratæ.

EX CONCILIO TOLETANO.

a Delata. 10. q. 1. Relata. Burch. l. 1. c. 229. Ivo p. 5. c. 341. In lib. Ms. privilegiorum Eccleſiæ Toletanæ citatur hoc cap. Tanquàm quarti Concilii Toletani. Verùm Burch. & Ivo citant ex Conc. Triburienſi, tempore Arnulphi Regis.

2. a Relata eſt coram ſancta Synodo querimonia plebium, quòd ſint quidam Epiſcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum ſuas per annum parœcias circumire: qui tamen exigunt, ut manſiones, quibus in profectione uti debuerant, b aliquo pretio redimant qui parare debebant. Quæ duplex infamia, negligentiæ & avaritiæ, ſancta Synodo magno fuit horrori. Statuerunt itaque, ne quis ultrà exerceat illud cupiditatis ingenium, & ut ſolicitiores ſint Epiſcopi de ſuis gregibus viſitandis.

EX CONCILIO TOLETANO.

b Alio. 12. q. 2. Sancimus. In Collectione Canonū incerti auctoris, quæ eſt in Bibliotheca Vaticana, attribuitur Sylveſtro P. c Confirmamus. d Apoſtolicorum.

3. Sancimus omnibus Epiſcopis coram laïcorum inſtare; ut ſi quos in Fide Chriſti invenerint, nimio affectu diligant. Et inſuper c informamus, ut ſi aliqua ab ipſis accipiant dona, ſtatim in quatuor dividant partes; ita ut prima pars ſecundùm d Apoſtolorum præcepta, titulorum, nec non cœmeteriorum reſtaurationibus diligenter attribuatur; ſecunda clericis, tertia cunctis pauperibus, quarta verò advenis.

EX CONCILIO TOLETANO.

16. q. 1. Plures baptiſm. Burc. lib. 3. c. 22. Ivo p. 3. c. 27. qui illud ex Conc. Aquiſgranen. citat. a Moguntino.

4. Plures baptiſmales Eccleſiæ in una terminatione eſſe non poſſunt, ſed una tantùm cum cappellis ſuis. Et ſi contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrarumque decernant: & ſi non convenerint, lis Dei judicio decernatur.

EX CONCILIO a TOLETANO.

16. q. 7. Congreg. Burch. lib. 8. c. 86. Ivo p. 7. c. 104.

5. Congregatio debet ſibi eligere Abbatem poſt Abbatis ſui mortem, vel eo vivente, ſi ipſe deceſſerit, vel peccaverit. Epiſcopus enim non debet Abbatem violenter retinere in loco ſuo. Ipſe autem non poteſt ordinare de ſuis propinquis, vel amicis, ſine voluntate fratrum.

EX CONCILIO b TOLETANO.

b Fortè Trullano: ex Conc. Romanō Trulleiano. Vide Decret. Gratiani correctione. 27. q. 2. Statutum. Burch. lib. 9. c. 36. Ivo p. 8. c. 175.

6. Statutum eſt à ſacro conventu, ut ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ multetur, & ſine ſpe conjugii maneat. Et ſi ipſa eidem crimini conſentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quòd ſi poſt hæc conjungere ſe præſumpſerint, uterque uſque ad ſatisfactionem anathematizetur.

EX CONCILIO TOLETANO.

7. Officium verò archidiaconi eſt, Euangelium, quando voluerit, legere, vel alicui de diaconis præcipere. Et quando Epiſcopus Miſſam canit, ad juſſionem illius induant ſe levitæ veſtimentis ſacris, qualiter cum Pontifice ad Miſſam procedant. Omnem querimoniam, ſeu cauſſam, vel juſtitiam presbyterorum, vel diaconorum, vel ſubdiaconorum, ipſe debeat deliberare, ordinare, & facere. Ideo verò ſtrenuus, providè cautus, vicem ſui Epiſcopi agens, Epiſcopii totius curam habeat, & omne Eccleſiaſticum officium providendo, Lectiones, aut Reſponſoria in matrice Eccleſia dare debet, & auſcultare: [c] in tantum, ut nullus Euangelium, aut Epiſtolam, Reſponſoria, vel quamlibet in Eccleſia Lectionem legat, vel cantet, [d] donec auſcultetur ab ipſo. Acolythos quoque ipſe ordinet, quis eorum candelabra, quis thuribulum deferre, quiſve minorum in Eccleſia aliqua officia agere debeat.

Decretal. lib. 1. c. 2. Bernardus Præpoſitus Papienſis in Collectione Decretal. lib. 1. tit. 15. c. 3.

c *Aliàs*, & interim

d *In Bern. Præp. Papien. legitur:* Donec ante ipsū legat, vel cantet, & auſcultetur.

EX CONCILIO TOLETANO.

8. Ut archipresbyter ſciat ſe ſubeſſe archidiacono, [a] & ejus præceptis ſicut ſui Epiſcopi, obedire, & quòd ſpecialiter pertinet ad ejus miniſterium, ſuper omnes presbyteros in ordine presbyterali poſitos, curam agere animarum, & aſſiduè in Eccleſia ſtare. [b] Et in Epiſcopi ſui abſentia, ad vicem ejus, Miſſarum ſolennia celebret, & Collectam dicat, aut cui ipſe injunxerit.

Decr. l. 1. tit. 24. c. 1.

a *Bern. Præpoſ. Papien.* & ejus precept. omnibus, ſicut Epiſcopi ſui obedire debet.

b *Bern. d. Præpoſ. Pap.* & quando Epiſcopi ſui abſentia eſſe contigerit.

EX CONCILIO TOLETANO.

9. Ut ſciat ſe Sacriſta ſubjectum archidiacono, & ad ejus curam pertinere cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri Eccleſiaſtici, nec non quæ ad luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo,

Decret. lib. 1. tit. 26. c. 1. Ivo p. 6. c. 20. Bern. Præp. Pap. lib. 2. tit. 18. cap. unico.

EX CONCILIO TOLETANO.

10. Cuſtos ſolicitus eſſe debet de omni ornamento Eccleſiæ, & luminariis, ſive incenſo: nec non & panem & vinum omni tempore præparatum ad Miſſam habere debet, & per ſingulas horas Canonicas ſignum, ex conſenſu archidiaconi ſonare; ut oblationes omnes, ſeu eleemoſynas, ſeu decimas (cum ejuſdem tamen conſenſu, abſente Epiſcopo) inter fratres dividat. In his tribus Eccleſiæ columnis (ut ſanxit ſancta Synodus) conſiſtere debet alma mater Eccleſia; ut ad hoc opus tales ordinentur, quales meliores & ſanctiores eſſe viderint; ut nulla negligentia in ſancta Dei Eccleſia videatur. Hi tres, archidiaconus, archipresbyter, cuſtos, ſimul juncti, uno animo providè peragant & perfectè, & non ſit invidia neque zelus inter illos.

Decr. lib. 1. tit. 27. c. 2. Bern. Præp. Pap. lib. 1. tit. 19. c. 2.

EX CONCILIO TOLETANO.

11. De rebus verò illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus Eccleſiaſticos promoveri debeant, ſtatutum eſt, ut in poteſtate dominorum conſiſtat, quicquid ante libertatem habuerunt; utrum illis concedere, an ſibi retinere voluerint.

Burch. lib. 2. c. 23. Ivo Decret. p. 6. c. 38. Lib. 1. Capitul. cap. 28.

EX CONCILIO TOLETANO.

12. Debent autem ſupraſcriptæ ingenuitatis chartæ, non ſolùm nomen illius qui has fieri rogat, ſed etiam nomina ſacerdotum & nobilium laïcorum, qui ibi fuerint, in ordine digeſta, cum ſignis propria manu impreſſis continere. Nam ſine horum adſtipulatione, pagina auctoritate teſtium nudata, pro nihilo deputatur. Oportet etiam ut locum, diem, annum, & Principem, & indictiones in fine, vel in margine annotatas habeat; in hunc modum: Actum in illa civitate, in domo Sancti Petri, Kalendis illis, anno Dominicæ Incarnationis, illo Rege; & præſidente in Cathedra ſupradictæ civitatis Epiſcopo illo, indictione illa, in Dei nomine feliciter, Amen. Ait enim Romana auctoritas: Quæcumque leges ſine die & Conſule fuerint prolatæ, non valeant.

Burch. l. 2. cap. 72. Ivo p. 6. cap. 128.

EX EODEM CONCILIO.

13. Inſtruendi ſunt præterea laïci, ut ſciant; quod nullatenus alio loco manumittere proprios poſ-

Burch. lib. 2. c. 28. Ivo p. 6. cap. 129.

ſunt

Bern. Præp. Pap. lib. 1. tit. 10. c. 1.

ſunt ſervos, quos Dominicis caſtris aggregari decreverunt, niſi in ſacroſancta Eccleſia, ordine ſuprà notato. Quomodo enim clerici extra Eccleſiam libertatem conſequi poſſunt, qui à lege mundana extranei ſunt? Et quibus interdicitur, ne ad ſæculare judicium procedant, quomodo ſæculari judicio à jugo ſervitutis abſolvuntur? Sed fortaſſe dicit aliquis: Clericus fieri non permittitur, niſi ante ſuſceptum clericatûs officium, ingenuitatis dignitate potiatur. Revera verum dicit; & ideo quod infirmari vel vituperari poteſt, præcaveri debet.

EX EODEM.

Burch. lib. 2. c. 29. Ivo p. 6. c. 130.

14. Non ſolùm autem qui ad clericatûs ordinem promovendi ſunt, in Eccleſia manumittendi ſunt, verùm etiam hi quos quiſque pro remedio animæ ſuæ emancipari vult: quia ſic ſcriptum quippe eſt in pacto Francorum.

EX EODEM CONCILIO.

Charta ingenuitatis Burch. lib. 1. c. 32. Ivo p. 6. c. 131

15. Qui debitum ſibi nexum, atque competens relaxat ſervitium, præmium in futuro apud Dominum ſibi provenire non dubitet. Quapropter ego in Dei nomine ill. pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, in Eccleſia S. Petri, vel illius Sancti, ſub præſentia Epiſcopi, vel ſacerdotum ibi conſiſtentium, ac nobilium laïcorum, ante cornu altaris iſtius Eccleſiæ, abſolvo ſervum meum ill. per hanc chartam abſolutionis & ingenuitatis, ab omni vinculo ſervitutis, ita ut ab hac die, & deinceps ingenuus ſit, & ingenuus permaneat; tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus, vel procreatus. Eam pergat partem, quam màluerit, vel quam ei auctoritas Canonica permittit, & ſicut alii ingenui, vitam ducat ingenuam. Nulli autem hæredum meorum ac prohæredum, nec cuicumque perſonæ alii quicquam debeat ſervitutis, vel libertatis obſequium, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubjecta ſunt, vel pro cujus amore ipſum devotus ad ejus ſervitium obtuli. Peculiare verò ſuum, quod ei Dominus dederit, vel deinceps, Deo auxiliante, laborare potuerit; conceſſum in perpetuum habeat; ut inde faciat, quicquid illi placuerit, ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones. Si quis verò (quod futurum eſſe non credo) ſive ego ipſe, aut aliquis de hæredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona, contra hanc ingenuitatis chartam venire tentaverit, aut eam quolibet modo infringere voluerit; imprimis iram Dei incurrat, & à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ extraneus efficiatur, & inſuper cui litem intulit, ſexaginta ſolidos perſolvat, & quod repetit evindicare non valeat, ſed præſens ingenuitas meâ, vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, aut adſtipulatione ſubnixa, omni tempore maneat inconvulſa.

EX EODEM. CAP. LXXXII.

16. De ſervorum ordinatione, qui paſſim ad gradus Eccleſiaſticos indiſcretè promoventur, placuit omnibus cum ſacris Canonibus concordare debere; & ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcoporum deinceps eos ad ſacros ordines promovere præſumat; niſi priùs à dominis propriis libertatem conſequuti fuerint. Et ſi quilibet ſervus dominum ſuum fugiens, aut latitans, aut adhibitis teſtibus munere conductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude, ad gradus Eccleſiaſticos pervenerit; decretum eſt ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat. Si verò avus aut pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipſe filius ibidem educatus, & ad gradus Eccleſiaſticos promotus fuerit, & utrùm ſervus ſit, ignotum ſit; & poſtea veniens dominus illius, legibus eum acquiſierit; ſancitum eſt, ut ſi dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu ſuo permaneat: ſi verò eum catenâ ſervitutis à caſtris Dominicis abſtrahere voluerit; gradum amittat: quia juxta ſacros Canones, vilis perſona manens, ſacerdotii dignitate fungi non poteſt.

EX EODEM CONCILIO. CAP. XXXIII.

Burch. lib. 2. c. 32. Ivo par. 6. c. 133.

17. De Eccleſiarum verò ſervis communi ſententia eſt decretum, ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti, noſtram auctoritatem ſequantur; ſuffraganei autem illorum exemplar illius penes ſe habeant; & quandocumque de familia Eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus & omni clero, ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur; & tunc demum ad gradus Eccleſiaſticos promoveatur.

EX EODEM CONCILIO CAP. VI.

Burch. lib. 2. c. 179. in Canonibus Apoſtolorum Can. 29.

18. Si quis presbyter ab Epiſcopo ſuo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus ſuſpenſus; & ipſe per contemptum & ſuperbiam, aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerit, &

poſtea

poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus, in certa præſumptione perduraverit; hic omnimodis excommunicetur, & ab Eccleſia expellatur; & quicumque cum eo communicaverit, ſimiliter ſe ſciat eſſe excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel fœminis excommunicatis obſervandum eſt. Quòd ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus emendare potuerit minimè, Regis judicio exſilio damnetur. *Cōc. Bernenſe c.9.*

EX CONCILIO TOLETANO.

19. Cæterùm presbyter, ſi poſt ordinatiónem aliquid acquiſierit, illud obſervandum eſt, quod in Canonibus de conſecratis nihil habentibus conſtitutum eſt. *Burch. l.3. c.12. Ivo p.3. cap.97.*

EX CONCILIO TOLETANO.

20. De his quæ ad parochitanas Eccleſias offeruntur, in terris, vineis, mancipiis, peculiis, antiquorum Canonum inſtituta ſerventur; ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter Epiſcopis deferatur, duæ clericis, decimæ autem ſecundùm quoſdam ſingulis annis, tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos ſequentes Romanos, ſingulis annis quartam partem, aut in quarto totam Epiſcopi recipiant. *Burch. lib.3. c.136.*

EX CONCILIO TOLETANO.

21. Fugitivos etiam ſervos Eccleſiaſticos, domos ſuas aut familias deſerentes, qui etiam ſi revocati fuerint, teneri non poſſunt; ſimili ratione ab Epiſcopo, ſi voluerit, aut ſi ita illi meruerint, diſtrahantur. *Burch. lib.3. c.185. Ivo p.3. c.24. Conc. Agath. c.46.*

EX CONCILIO TOLETANO CAP. V.

22. Ut clerici, qui ſe fingunt habitu & nomine monachos eſſe, & non ſunt, omnimodis corrigantur, atque emendentur; ut vel veri monachi ſint, vel veri canonici. *Burch. lib. 8. c. 7. Ivo p.7. c. 31. l.3. cap.77.*

EX CONCILIO TOLETANO.

23. Si aliquis incognitus Monaſterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præſtetur. Et ſi intra tres annos, aut ſervus, aut libertus, vel colonus quæratur à domino ſuo; reddatur ei cum omnibus quæ attulit; fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requiſitus non fuerit, poſtea quæri non poteſt; niſi ſit tam longè, quòd inveniri non poſſit; ſed tantùm ea quæ in Monaſterium adduxit, dominus ſervi recipiat. *Burch. lib.8. c.22. Ivo p.7. c.41.*

EX CONCILIO TOLETANO.

24. Quicumque in Quadrageſimæ diebus eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejuſdem diei ſancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipſius anni curriculo, ab omni eſu carnium abſtineat: quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. *Burch. lib.19. c.76.*

EX CONCILIO TOLETANO.

25. De viris ordinatis, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſtè ab aliquo argui poſſunt; ſi ſalubriter compuncti, pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo ſive presbytero occultè faciunt; bonum mihi videtur, ut ſecundùm id quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo ſive presbytero, pœnitentiam agant; non trepidè nec tardè, ſed ferventer & ſolicitè; ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos & gradum ſe retenturos confidant. *Burch. l.19. c.152. Ivo p.15. cap.160.*

EX EODEM. CAP. XVII.

26. De his etiam, ſuper quibus interrogâſti, hoc eſt de illa fœmina, quæ menſtruum ſuum ſanguinem immiſcuit cibo, vel potui, & dedit viro ſuo, ut comederet; & de illa, quæ ſemen viri ſui in potu bibit, *Burch. l.19. c.152. Ivo part.15. c.163.*

bibit; & de ea quæ teſtam hominis combuſſit igni, & viro ſuo dedit pro infirmitate vitanda, quali pœnitentia ſint plectendæ: ut nobis videtur, tali ſententia ſunt feriendæ, ſicut magi & arioli: quia magicam artem exercuiſſe noſcuntur. Nam de his qui magicam artem exercuiſſe noſcuntur, & qui auguria attendunt, & divinationes obſervant, Theodori Archiepiſcopi gentis Anglorum conſtitutiones habemus, in quibus ſcriptum eſt: Qui immolat dæmoniis in minimis, uno anno pœniteat; qui verò in magnis, decem annis pœniteat.

EX CONCILIO TOLETANO.

Burch. l.19.c.117. Ivo part.15. c 66.

27. Ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti & ſententia condemnantur.

EX CONCILIO TOLETANO.

Rem. Prot. P.p. lib.1.tit.9. cap.1.

28. Cuſtos Eccleſiæ, cui ea quæ Eccleſiæ competunt cuſtodienda committuntur, oportet ut ſit archidiaconi juſſioni in cunctis obediat. In Canonicis horis ſigna tintinnabulorum pulſanda, ipſo archidiacono jubente, ab eo pulſentur: pallia verò, vel linteamina, altaria, ſeu cuncta utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat: lampades, & lanternas, in accendendo ſeu in extinguendo pervigil exiſtat; ut ne ſupra modum lucendo oleum depereat, aut minus lucendo obſcurior ſit Eccleſia; ſed omnia cum diſcretione agantur, quæ noſcitur mater omnium virtutum. Si verò is, cui Eccleſia cuſtodienda traditur, minus idoneus ad hoc peragendum exſtiterit; ab archidiacono coërceatur, ut ſe emendet. Si autem indomitus permanſerit, archidiaconus Epiſcopo nunciando provideat, ut indecente ejecto, aptus domui Dei conſtituatur miniſter; ut omnia in laudem & nomen Domini fiant: qualiter poſſit Deus in Eccleſia placari ab obſervientibus ſibi.

IN CONCILIUM I. TOLETANUM NOTÆ VARIORUM.

IN TITULUM, PRÆFATIONEM, ET SUBSCRIPTIONES.

1. TOLETANUM.] Toletanæ urbis Hiſpaniæ Metropolis meminere Ptolemæus lib. 1. cap. 6. Plinius lib.3. cap.3. Antoninus in *Itinerario*. Concil. undecimum Toletan. Can. XI. vocat hoc primum: *Relatus eſt* (inquit) *Canon Concilii primi Toletani, in quo præceptum eſt*, &c. Can. XIV. Loaisa.

Hæc urbs multis nominibus, divitiis, religione, præclara eſt. Concilia, Fidem & bonos mores concernentia, in ea plurima habita fuerunt. Hujus Archiepiſcopus primatûs titulo inſignitur. Vide plurima in Theatro Braunii. Binius.

2. *Primum.*] Inter ea quæ nunc exſtant, primum ſub Anaſtaſio Pontifice celebratum fuit anno Domini CD. Anaſtaſii Pontificatûs tertio, Arcadii & Honorii ſeptimo. Cùm enim ſuprà in Actis Toletani Concilii, Sancti Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi adhuc viventis expreſſa mentio habeatur; poſt annum Domini CD. non potuit hæc Synodus celebrata fuiſſe, Nam anno CDI. Venerium Simpliciani ſucceſſorem eidem Mediolanenſi Eccleſiæ ſuffectum fuiſſe conſtat ex legatione illa Afrorum, quæ Vincentio & Fravitta Conſulibus contigit prædicto anno Domini CDI. de qua agemus paullò poſt infrà in Notis Concilii Africani II. Toletana Synodus ſecunda habita eſt circa tempora Joannis ſecundi: poſteriores poſterioribus temporibus. Unde Ambroſius Morales, qui ex antiquo ſcripto Codice edidit Acta Synodi Toletanæ, vir cum primis doctus, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus rerum Hiſpanicarum optimè meritus, & poſt eum Garſias Loaïſa, opinantur hanc, quam ſub Anaſtaſio celebratam eſſe confitentur, eandem eſſe cum ea Toletana, ad quam Innocentius ſcripſit Epiſtolam XXIII. infrà exſtantem: idque ſenſerunt ideo, quòd putârint eodem anno primi Conſulatus Stiliconis Toletanum Concilium celebratum, defunctoque Anaſtaſio Innocentium ſubrogatum fuiſſe. Sed cùm verius ſit, Anaſtaſium, ut ſuprà diximus in Notis ad ejus vitam, biennio poſt Conſulatum primum Stiliconis, obitumque Simpliciani Mediolanenſis, uſque ad annum ſalutis CDII. ſupervixiſſe; dubium non eſt illam Synodum, ad quam Innocentius Anaſtaſii ſucceſſor Epiſtolam Decretalem dedit, non ſub Anaſtaſio, ſed Innocentio habitam, adeoque ab hac Toletana diverſam fuiſſe: niſi dicas, quod inſolitum eſt, hoc Provinciale Concilium in annum ſequentem propagatum eſſe. Hæc ſententia magis confirmatur, quòd Innocentius exordio Epiſtolæ ſuæ fateatur, ſe frequenter nimiumque de ſchiſmate Hiſpaniæ componendo ſolicitum fuiſſe, atque adeò non initio, ſed poſt aliquot annos Sedis ſuæ hanc Epiſtolam ſcripſiſſe: quod ſi ita eſt, hàs duas Toletanas diverſas Synodos eſſe concedere oportet. Licèt in utraque de perperam factis ordinationibus actum foret, non tamen inde bene inferretur, eaſdem Synodos fuiſſe.

Nam

Nam & longè ante Primnm Toletanum Concilium de eiſdem tractatum eſt à Syricin Papa in literis ab eo datis ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum. Diu enim multumque corrupta ordinationum diſciplina Hiſpaniarum Eccleſias exagitavit, adeò ut hujus Concilii tempore ulcus in ſchiſma eruperit: ut conſtat ex præfatione Patruini ſuprà in initio. CARD. BARONIUS ad ann. CDV. num. 43. & 44. atque ex ipſo BINIUS.

3. Conſentio equidem D. Cardin. Baronio, & aliis, in eo qnòd Concilium hoc I. Toletanum fuerit celebratum anno CD. Chriſti, ſive Eræ communis, ſub Anaſtaſio Papa, Stilicone primùm Conſule, & vivente adhuc S. Simpliciano, ut ex Sententia Definitiva circa Dictinium conſtat. Præterea fateri neceſſe eſt, Epiſtolam Innocentii non fuiſſe ſcriptam ad hoc Concilium dum erat actu Toleti congregatum prædicto anno: ſiquidem tunc ille nondum erat electus Pontifex, ſed biennio pòſt aſſumptus fuit: ut patet ex Faſtis Conſularibus Marcellini & aliorum. Non tamen propterea concedo ſcriptam fuiſſe ad aliud Concilium Toletanum poſterius. Nullum enim aliud toto Innocentii Pontificatu fuiſſe invenitur præter hoc Primnm, quod uti tale citatur à Patribus Concilii Toletani XI. Can. XI. Et illnd ipſum quidem, jam ante annum CD. indictum fnerat ab eiſdem Patribus Tnletanis: ſiquidem ajunt de Epiſcopis illis accuſatis in Sententia contra illos: *Magnam nos conſtat præſtitiſſe patientiam, ETSI PRIUS INDICTUM IN TOLETANA URBE CONCILIUM DECLINAVERINT*. Idque vivente adhuc S. Ambroſio (ut ibidem additur) qui ſanè obiit anno CCCXCVII. Itaque Patres ipſi triennio antequam iſtud Concilium I. Toletanum celebrarent, jam illud indixerant.

4. Verùm cùm cauſſa potiſſima ad illud celebrandum ſita eſſet in accuſationibus quorundam Epiſcoporum, qui non poterant abſolvi aut damnari, niſi auditi; Patres indicta Synodo apud Toletnm celebranda, convocàrunt illos ad cauſſam inibi dicendam; præſertim circa dngmata Priſcilliani jam antè damnata, & ordinationes iniquas, quarum poſtulabantur: nt ſatis conſtat ex Sententia poſtea data, & indicat in ipſa Præfatione Concilii Patruinus; non quidem Epiſcopus Toletanus, ſed Emeritenſis, ut ſuo loco palam fiet.

5. Quamvis verò Synodus apud Toletum celebranda, indicta fuiſſet ſaltem triennin antea (utpote vivente adhuc S. Ambroſio) oportuit eam differre. Conſtat enim Epiſcopos Hiſpaniæ ſtuduiſſe interea, ut ea ritè congregaretur; nec tamen impetrare potuiſſe, ut Epiſcopi accuſati illuc accederent, ut ſatis indicant verba nuper exſcripta. Poſtea verò tandem Synodus hæc I. Toleti coacta eſt anno ipſo CD. Cùm autem ex Actis illius, & Sententia Definitiva, ortæ fuiſſent graviſſimæ contentiones, eæque perſiſterent adhuc tempore Innocentii Papæ, & ad ipſum delatæ fuiſſent; ſcripſit idem ad Patres ipſos, qui antea celebraverant Synodum I. Toletanam, ad componendum & dirimendum eaſdem lites. Scripſit autem fortaſſe an. CDV. ſui Pontificatûs IV. Stilicone ſecundùm Conſule. Totum hoc pleniùs apparebit ex ipſa Epiſtola, etiam juxta exemplar à D. Loaïſa editum, quod valdè mutilum exſtat; multò autem clariùs & pleoiùs juxta aliud inventum à Jacobo Sirmondo. Utrumqne id exhibebimus poſtea.

6. Itaque Innocentius eam Epiſtolam non ſcripſit ad Epiſcopos Hiſpaniæ, dum actu congregati erant in hoc Concilio Tnletano I. anno CD. cùm tunc nnndum fuiſſet electus Pontifex. Quare ſupereſt ut eam ſcripſerit ad eoſdem, longè poſtquam illud Toleti celebraverant, ut lites inde ortas, & quaſdam alias noviter occurrentes dirimeret: quod ſuo loco palam videbimus, inſpectis attentiùs prædictæ Innocentianæ Epiſtulæ exemplaribus. Hoc ſic ſtatuto, evaneſcunt fictiones pſeudo-Dextri intrudentis quatuor Concilia Toletana huc tempnre ab an. CCCXCVI. nſque ad CDV. Similiter ſolvuntur difficultates Ambroſii Morales lib. 11. cap. 5. Vaſæi ad annum CDXVI. Garibaji lib. 7. cap. 57. Marianæ lib. 5. cap. 1. ac D. Cardinalis Baronii, & aliorum, arbitrantium Epiſtolam ipſam fuiſſe ab Innocentio ſcriptam ad aliud Concilium Tnleti congregatum poſtea an. CDV. Non enim iis temporibus fuit niſi unicum & primum Concilinm Toletannm; nec alterius prioris ſub Syricio aut Anaſtaſio PP. vel poſterioris ſub Innocentio, certa veſtigia exſtant in tnta antiquitate Chriſtiana. Conjecturæ autem in oppoſitum leves omnino apparent; & ſatis, ut credo, à nobis diſſipatæ ſunt; pleniùs autem ab Excellentiſſimo Marchione de Moodexar Diſſert. IV. Eccleſiaſt. poſt Sirmondum Tomn I. in Concilia Galliæ, in Notis ad prædictam Epiſtolam. CARDINALIS DE AGUIRRE.

7. *Novemdecim Epiſcoporum.*] Hinc colligo Nationale fuiſſe Concilium, cùm eo tempore Sedes Toletana tot ſuffraganeos uon haberet Epiſcopos. Similiter de Eliberitano ſtatuo, cùm eodem Epiſcoporum numero fuerit celebratum. Et in Regula Fidei, in calce hnjus Concilii poſita, adversùs Priſcillianiſtas, dicitur: *Ipſi etiam & ſuprascripta viginti Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano.* Qui ſunt *ipſi*, niſi Præſules Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, Bætici, ut ſuprà dicitur? Adde etiam quòd in ſubſcriptionibus Marcellus ſubſcribit, qui fuit Hiſpalenſis Epiſcopus. Unde his argumentis liquet fuiſſe Nationale. LOAISA.

8. *Stilicone Conſule.*] Intellige Conſolatum Stiliconis primum, qui cum Anaſtaſii Pontificis Romani tertin Pontificatûs, Arcadii & Honorii ſexto Imperii, atque cum anno Chriſti nati CD. Erâ Hiſpanicâ CDXXXVIII. coïncidit. BINIUS.

9. *Patruinus.*] Hunc D. Loaïſa & alii ajunt fuiſſe Epiſcopum Toletanom. Alii eundem volunt cum Paterno Epiſcopo Bracarenſi. Utrique falluntur: cùm palam conſtet (ut infrà oſtendemus) Patruinum hunc fuiſſe Epiſcopom Emeritenſem. Paternus autem Bracarenſis non celebravit hoc Concilinm, ſed potiùs in eo judicatus fuit, tanquam reus. Denique Aſturius, qui ſexto loco ſubſcribit, fuit Epiſcopus Toletanus, teſte S. Ildephonſo, & aliis. CARD. DE AGUIRRE.

10. *Olympius.*] Hic eſt ille Epiſcopns famâ cele-

celebris, ioter ſcriptores hujos tomporis clariſſimus, de quo hæc Gennadios *De viris illuſtribus* cap. 24. *Olympius natione Hiſpanus, Epiſcopus, ſcripſit librum Fidei adverſus eos, qui naturam & non arbitrium in culpam vocant*: (ita Manichæi dicentes, carnem à malo tenebrarum Principe eſſe productam) *oſtendens non creatione, ſed obedientiâ inſertum naturæ malum*. Ejuſdem ſcripta S. Auguſtinus *Contra Jul.* lib. 1. cap. 3. & 7. citat, magno hoc præcooio: *Olympius Hiſpanus Epiſcopus, vir magnæ in Eccleſia & in Chriſto gloriæ, in quodam ſermone Eccleſiaſtico*: *Si Fides, inquit*, &c. Et paullò poſt: *Sanctus Olympius dicit*. Baronius anno CDLXV. num. 58. Binius.

11. Olympium hoc loco ſobſcribentem, aliqui fabulatores in pſeudo-chronicis volunt fuiſſe primò Epiſcopum in Thracia, & poſtea Toleti, atque eundem ad quem Nazianzenus ſcribit Epiſtolas XL. XLI. LXXVI. LXXVII. Verùm hæc omnia fictionibus ſcatent: ut palam demonſtrat V. Cl. D. Nicolaus Aotonius. Certè Olympium, non Græcum, ſed Hiſpanum, inter viros ſanctos & doctos laudat S. Auguſtin. lib. 2. *Contra Julian.* cap. 10. Alius aotem Olympius fuiſſe videtur qui interfuit Conciliis Gangrenſi & Sardicenſi cum Oſio: ut conſtat ex Canonibus, ſeu capitibus ipſius XIV. & XXI. præſertim illis verbis: *Oſius Epiſcopus dixit, ſuggerente fratre & Epiſcopo Olympio*, &c. Card. de Aguirre.

12. *Celenis*.] Locus in provincia Gallæciæ. Ptolemæus. Plinius, & alii. Loaisa.

13. *Quoniam ſinguli*.] Hinc patet quod ſuprà dixi, corruptelam diſciplinæ Eccleſiaſticæ in ſacris ordinibus conferendis, diu multumque Hiſpaniarum Eccleſias exagitâſſe; adeò, ut tempore hujus Concilii ulcus io ſchiſma eruperit. Ex quibus etiam poteſt intelligi, longè poſt primum Concilium Toletanum, aliud eſſe celebratum ſub Innocentio, cùm jam longè lateque tunc obortum ſchiſma diffoſum, magis magiſque Hiſpaniarum Eccleſias infeſtaret. Card. Baronius.

14. *Conſtituta primitùs Concilii Nicæni perpetuò eſſe ſervanda, neque ab iis eſſe recedendum.*] D. Ambroſius in Epiſtola triceſima ſecunda ad Valentinianum Juniorem ſcribens: *Sequor* (inquit) *tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare.* Idem Baſilius Epiſt. 78. & Leo Pontifex ſanctiſſimus & doctiſſimus in Epiſtola 78. ad Leonem Imperatorem: *Non ſunt* (inquit) *omnino inter Catholicos computandi, qui diffinitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel ſanctæ Chalcedonenſis Concilii regulas non ſequuntur.* Quod illi ſancti Patres de Nicæna Synodo, & [...] Univerſalibus & Oecumenicis Conciliis dixe[runt], idem nobis dicere licet & credere de ſancto & venerabili Concilio Tridentino, in quo Spiri[tus] ſanctus, ſicuti in Nicæno, lucem & veri[tatem] Patribus ad revincendas hæreſes contulit. Loaisa.

15. *Quod per Luſitanos Epiſcopos conſtitutum eſt.*] Hoc loco videtur indicari aliquod præcedens Concilium in Luſitania paullò antè celebratum ea de re, & pariter contra Priſcillianiſtas: cu[m] Hyginii Cordobenſis, & Ithatii Emeritenſis, [Epi]ſcoporum, juxta Sulpicium lib. 2. & Idacium, [ut] creditur, Epiſcopum Lamecenſem in Chro[nico] ad annum ſeptimum Theodoſii, ajentem: *Priſcillianus declinans in hæreſim Gnoſticorum, a[li]quot Conciliis judicatus, Italiam petiit & Romam.* Inter ea verò Concilia valdè credibile eſt [...] illud Luſitanorum Epiſcoporum. Cardinalis de Aguirre.

AD CANONEM II.

16. VEL inter lectores: *ita tamen ut Evangelia & Apoſtolum nō legat.*] Liquidò ex his conſtat, Lectores non Evangelium tantùm, ſed & Lectiones pronunciâſſe.

17. *Ita ut manum non imponant.*] Quod aliàs attulimus & docuimus, impoſitis ab Epiſcopo manibus, ut ad ſacros ordines presbyteri promoverentur, omnes Eccleſiaſticos, ſaltem presbyteros, hanc manuum impoſitionem eſſe proſequutos, ſic ut manus imponerent ſecundùm Epiſcopum illi, cujus capiti primùm Epiſcopus intendiſſet; in aliis rebus hoc Canone cernimus uſurpatum fuiſſe. Neque ſolùm cùm ordinibus ſacris initiarentur (cujus rei perficiendæ conſuetudo ad nos uſque translata eſt) ſed etiam cùm abſolverentur, aut cùm reconciliarentur, aut denique cùm pœnitentia, nî fallor, imponeretur, aut baptizarentur. Nam quæ tandem res eſſe poteſt, aut tempus aliud, quo ſubdiaconi ad alium finem manus imponerent, aut alterius rei perficiendæ cauſſà pro poteſtate ſua, ac non potiùs delegato aut tranſmiſſo aliàs imperio eas imponerent: neque verò difficilè fuerit fortaſſis, reperiſſe aliquos diaconos & ſubdiaconos, qui impoſitione manuum, gravi morbo correptos, immo & Energumenos levâſſent & curâſſent; ſed & aliquos item clericos, immo lectores & acoluthos, qui eandem [ſibi] poteſtatem vindicarent: quæ poteſtas non clericorum tantùm; ſed & Chriſtianorum laïcorum primis illis temporibus diceretur. Verùm hoc loc[o] de impoſitione manuum, quæ in Eccleſia publicè fieret, quæque ex ſubdiaconi miniſterio dependeret, agitur. Jā verò nec illud admitti, nec exſtare poteſt, potuiſſe diacones & ſubdiacones in Eccleſia, [...] poſt Epiſcopū, manuum uti impoſitione. At Rasp.

18. *Pœnitentem verò dicimus*.] Hinc patet, Pœnitentes olim appellari ſolitos, ſaltem in Hiſpania tempore hujus Concilii, ac pœnis iis mulctatis, non omnes illos qui delicto quolibet minùs gravi, ſive peccato mortali ſe inquinârunt, ſaltem ſecretò. Quare ad incurrendas pœnas hoc loco impoſitas, declarat Syoodus, Pœnitentis appellatione intelligi illum, *qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Plerique alii Canones, ſive Capita, vix explanatione aliqua egent. Card. de Aguirre.

AD

AD CANONEM IX.

19. L*UCERNARIUM verò.*] Lucernarium antiquis dicebatur pars prima veſpertini officii, quæ nunc Veſperæ dicuntur. Id conſtat ex Iſidoro in Regula monachorum, cap. 6. *In veſpertinis* (inquit) *officiis, primò lucernarium, deinde pſalmi duo, reſponſorius unus, & laudes, hymnus, atque oratio dicenda eſt.* Hæc Iſidorus. Continebat verò veſpertinum officium quatuor pſalmos, ut ex Regula D. Benedicti liquet, cap. 17. *Veſpertina autem Synaxis* (inquit) *quatuor pſalmis cum antiphonis terminetur.* Quia verò duo priores in lucernarum accenſione, & gratiarum actione veſpertini luminis legebantur, inde illa prima pars veſpertini officii *lucernarium* appellabatur. Poſt veſpertinum autem officium, Completorium Iſidorus ibidem ponit, & lib. 1. *De Eccleſiaſticis officiis.* Ex his itaque patet, lucernarium ad noſtras Veſperas pertinere, ut etiam probatur ex Concilio Emeritenſi cap. 2. his verbis: *Veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, priùs dicitur veſpertinum, quàm ſonum in diebus feſtis.* *Lucernarium* itaque dicitur à *lucernis* accenſis. Nam veſpertinum officium eo tempore antiquitùs fieri conſuevit, ut eſſet diurni officii finis, & diei; ut teſtatur idem Iſidorus libro *De Eccleſiaſticis officiis*, capite De veſpertinis: *Veſpertinum divini Officii diurna & alterna lucis occaſus eſt.* Et infrà: *Veſpertinum enim nominatur à ſydere quod veſper vocatur, & decedente ſole exoritur.* Et libro Etymologiar. capite ultimo: *Veſpertinum officium eſt in noctis initio, vocatum à ſtella* veſpere, *quæ ſurgit oriente nocte.* Divus etiam Hieronymus in explicatione Pſalmi 119. *Horâ tertiâ oramus, horâ ſextâ oramus, nonâ lucernarium facimus.* ubi nonam pro ultima poſuit. Idem Auguſtinus in Regula ſecunda. Divus autem Benedictus in Regul. cap. 41. totum Eccleſiaſticum officium luce diei concludendum præſcripſit. *Veſpera* (inquit) *ſic agatur, ut lumine lucernæ reficientes non indigeant, ſed luce adhuc diei omnia conſumentur.* Baſilius lucernarium fieri lib. De Spiritu ſancto cap. 29. in exortu Luciferi docet: *Viſum* (ait) *eſt patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haud quaquam ſilentio arripere, ſed mox ut apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus: populus tamen antiquam profert vocem: neque quiquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Hactenus Baſilius. Ex quibus ſanctorum Patrum teſtimoniis efficitur quod quærebamus, nempe lucernarium ad noſtras Veſperas pertinere, atque ita dictum à lucernarum accenſione. Quare verò prohibeatur lucernarium in villa legi, niſi præſente Epiſcopo, presbytero, vel diacono, colligi licet ex Iſidoro in Regul. cap. 6. *Poſt veſpertinum, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus divinæ lectionis quæſtionibus diſputare, conferendo piè ac ſalubriter, tanquam meditando, diſputandoq́; immorari; quouſque Completorii tempus poſſit occurrere.* Eundem morem in Cypro & Cæſarea Cappadociæ obſervatum tradit Nicephorus lib. 12. cap. 34. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. *Cùm ſimiliter* (inquit) *in Cypro & Cæſarea Cappadocum, in ſabbato, & in Dominico die, veſperi, poſt lucernarum accenſionem, Epiſcopi & presbyteri ſacras Scripturas populo exponant.* Cùm igitur poſt lucernarium ſtatim Scripturæ interpretatio ſubjungi ſolita ſit, & id munus Epiſcopo imprimis, atque presbytero, vel iis deficientibus, diacono, incumbat; meritò à Patribus cautum eſt, non niſi aliquo eorum præſente lucernarium fieri oportere. LOAISA.

AD CANONEM XIV.

20. S*I quis autem.*] Idipſum quod hoc capite ſtatuitur, jam antea decretum fuerat in Concilio Cæſarauguſtano ſuprà exhibito Canone III. in quem plura obſervavimus num. 20. 21. & 22. pariter huc ſpectantia: ut quiſquis ingreditur Eccleſiam, communicet, non autem ſecum Euchariſtiam deferat. Vide ibi. CARD. DE AGUIRRE.

21. Antiquitus Eccleſiæ mos fuit, dari fidelibus Euchariſtiam in manus. Nicephorus lib. 12. cap. 41. miraculum de muliere, quæ accepta communione, panem ſupponit, tradit. Eſt etiam apud Euſebium lib. 7. cap. 33. & 34. *Eccleſiaſt. Hiſt.* & in Concilio Autiſiodorenſi, cap. 36. & apud Balſamonem ſuper Canones Sextæ Synodi cap. 36. Idem Dionyſius Alexandrinus Epiſtolâ 5. ad Xyſtum Papam, quæ exſtat apud Nicephorum lib. 6. cap. 19. Idem Cyprianus in Serm. *De Lapſis.* Quomodo verò in manu accipiebant, explicat Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. *Siniſtram* (inquit) *veluti ſedem quandam ſubjiciens dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipiebat corpus Chriſti.* Poſtea verò, propter fraudes impiorum hominum cautum eſt, ut in os mittatur. Id conſtat ex Concilio Rothomagenſi cap. 2. Et hoc tempore, non antè, qui accedebat ad communionem manus in formam crucis figurabat: ex Synodo Sexta in Trullo, cap. 102. Idem Damaſcenus lib. 4. *Orthodoxæ Fidei*, cap. 14. LOAISA.

AD CANONEM XVII.

22. PRO *uxore concubinam habet, à communione non repellatur.*] Per *concubinam* hoc loco intellige uxorem ſine dote & externa ſolennitate, interventu conſenſus mutui perpetuò convivendi, ductam. Hoc modo Geneſ. 25. Agar & Cethura dicuntur concubinæ Abrahæ, quæ tamen veræ uxores fuerunt, ut patet Geneſ. 16. de Agar, & Geneſ. 25. de Cethura. Juſtinian. Novel. 18. cap. 5. quaſdam concubinas comparat uxoribus, quæ ſine dotalium tabularum ſolennitate ductæ fuerant. Ad quod genus concubinarum referendum eſt quod ſcribit Beatus Auguſtinus *De bono conjugali*, & refertur Canone *Solet.* 32. q. 2. in quibus hæc tria erant neceſſaria. Primum, ut uterque eſſet ſolutus. Secundum, ut daretur mutua fides, quòd alteri non jungerentur, neque à procreatione prolis abhorrerent. Tertium, ut uſque ad mortem in ea vitæ conjunctione manere proponerent. Hunc contractum, nuptias, & connubium dici poſſe, Sanctus Auguſtinus concedit: hoc connubio alicui junctam, uxorem appellare non audet, quia non intervenerunt dotalia inſtrumenta, de Jure civili & canonico requiſita ad hoc ut ſit legitima uxor. Can. *Aliter.* 30. q. 5. Item prædictâ Novellâ 18. Hujuſmodi igitur mulieres cùm non eſſent uxores, vocabantur concubinæ: ob prædicta tria, ac præcipuè quod in effectu maritali permanere ſtatuerent, permittebatur ipſis communicare, habebanturque tamquam uxores minùs ſolenniter ductæ. Hoc eſt quod Gratianus ad finem Canonis *Omnibus*, diſt. 34. ait: *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & conjugali affectu aſciſcitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam verò lex nominat.* Vide Bellarm. lib. 3. *De Concil.* cap. 8. ad 11. objectionem. Baron. ann. CCCV. num. 59. Item Notas Canon. IV. diſtinctione 34. juſſu Gregorii XII. Decreto Gratiani editas. Binius.

23. Hunc Canonem longè aliter ſummo vir ingenio & eruditione Ferdinandus Mendoza interpretatur lib. 2. Commentar. in Concil. Eliberitanum ad Can. II. de concubinis illicitè omnino conjunctis cum viris, reipſa ſolutis, per ſimplicem fornicationem. Nam licèt viverent in ſtatu damnationis, ea macula erat tam communis tunc, ut ad vitandum ſcandala, & plura graviſſima mala, viſum fuerit PP. Toletanis non negare ius communionem. Pro qua opinione ſua allegat S. Auguſtinum Sermone 2. Domin. 22. poſt Pentecoſten, & Salvianum lib. 7. *De providentia*: ac plura alia profert in ejuſdem placiti confirmationem.

24. Sed enim ſi id admittatur, nomine *communionis* hoc loci, non Euchariſticam, ſed Eccleſiaſticam & civilem intelligendam cenſeo, uti in hiſce Hiſpaniæ Conciliis, aliiſque pluribus, ſæpè accipiebatur *communionis* vetitæ aut permiſſæ vocabulum. Neque ampliùs videntur extorquere illa Auguſtini & Salviani loca. Cæterùm de communione Euchariſtica id intelligi omnino vetat religio & pietas Toletanorum Patrum, quos credibile non eſt permiſiſſe concubinariis impiis adminiſtrari ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium, iis prohibitum jure divino ac naturali, præſertim verbis illis: *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas projicere ante porcos.*

25. Si autem quiſpiam contendat hoc loci *communionem* Euchariſticam intelligi debere; *concubinæ* appellatione cenſenda erit vera & unica uxor ſine Juris ſolennitatibus ſuſcepta: uti communiter interpretes hunc locum explanant. Card. de Aguiare.

AD CANONEM XX.

26. STATUTUM *eſt diaconum non chriſmare, ſed presbyterum, abſente Epiſcopo: præſente verò, non niſi ab ipſo fuerit præceptum.*] Hæc verba Canonis intelligenda ſunt, non de ſacramentali unctione chriſmatis in fronte, ſed de unctione cæremoniali, quæ in ſolenni baptiſmo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc cæremonialem unctionem, olim presbyteris interdictam, nonniſi cum licentia Epiſcopi ab iiſdem uſurpatam fuiſſe, expreſſis verbis, quæ ſuprà in Notis ad vitam Sylveſtri recenſuimus, teſtatur Hugo Victorinus lib. 2. *De Sacramentis*, p. 7. cap. 3. Idem S. Leo Epiſtolâ LXXXVI. aliàs LXXXVIII. Innocentius I. Epiſtolâ I. cap. 3. hunc Canonem ampliare videtur, ut liceat presbyteris, tam præſente quàm abſente Epiſcopo, hanc unctionem cæremonialem uſurpare. Verba illius hæc ſunt: *Sive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo, baptizent.* Quamquam quod dicit: *præſente Epiſcopo*, rectè etiam de ejus licentia intelligi poſſit. Vide Suarez tom. III. *De ſacramento Confirmationis*, diſput. 34. ſect. 2. Binius.

NOTÆ IN REGULAM FIDEI CATHOLICÆ.

27. INCIPIT *Regula*.] Quid de Regula Fidei hoc loco poſita ſentiam, à multis viris doctis dubitatum, in medium proferam. Serpente in Hiſpania hæreſi Priſcilliani, à Marco Ægyptio intra Hiſpanias illatâ, Leo Papa ſanctiſſimus, qui à Petro non quadrageſimus, ſed quadrageſimus quintus, ut Annales Romani tradunt, extitit; Turibium notarium cum Epiſtola ad Synodũ Gallęcię miſit, in qua beatus Pontifex dogmatis impietate cõmotus, multa adversùs impiam ſectam ſanctè & doctè decrevit: quam Concilium ſuſcipiens, Priſcilliani figmenta ex auctoritate beatiſſimi Leonis damnavit. Eodem tempore idem Pontifex alterum Concilium in Hiſpania, ferè Nationale, ex Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Bæticis Epiſcopis indixit, in quo hæc Regula Fidei adversùs Priſcillianum eſt edita, tranſmiſſaque Balconio Metropolitano Gallæciæ, qui tùnc etiam Concilium, Turibio inſtante, agebat. Quam Regulam, ut orthodoxam, & à Romano Pontifice approbatam, Concilium Gallæciæ ſuſcepit, quod & Celenſe appellatur: fortè quia uſitatum eſt C. pro G. poni, ut Gaſpar, Caſpar; Gajus, Cajus; Galba, Calba: Sic Celenſe pro Galenſe. Hæc verò duo Concilia à noſtris celebrata ad hujus hæreſis exſtirpationem, non exſtant. Tantùm Regula Fidei ſervata eſt: in multis aliis Conciliis, cùm ageretur de hac hæreſi revincenda, iterum acclamata & propoſita; ut in hoc primo Toletano, & primo Bracarenſi. Epiſtola Leonis ſcripta eſt ad Turibium notarium: vel fortè fuit inſtructio data Turibio, ut in Hiſpania hæreſim Priſcilliani jugularet. Ex ipſius auctoritate poſtea creatus Epiſcopus Aſturicenſis, libros edidit Leoni dicatos adversùs Priſcillianum, ut ex Epiſtola Montani ad Turibium Epiſcopum Palentinum, patet. Neque hæc Synodus ſecunda Toletana eſt appellanda, cùm illa prima Nationalis Synodus potiùs Tarraconenſis, quàm Toletana fuerit. Verùm pullulante iterum hæreſi Priſcilliana, in hac prima Synodo Toletana, Erâ CDXXXVIII. iterum eâdem Regula Fidei, veluti gladio probatiſſimo confoditur, reprimitur, & exſtirpatur, ſicut in Bracarenſi primo, Erâ DLXVIII. Hæc de Regula Fidei adversùs Priſcillianum à Patribus Hiſpaniæ ex auctoritate Romani Pontificis Leonis edita. LOAISA.

28. Præterea, quæ D. Loaïſa hoc loco habet circa Regulam Fidei (quæ ſtatim poſt Acta hujus Concilii I. Toletani habetur in frequentibus editionibus, & ſuprà à nobis exſcripta fuit) vide nonnulla, quæ ſtatim poſt illam monuimus. Porrò in hac primùm Synodo Toletana propoſitam fuiſſe, ut Priſcilliani ſequaces reſipiſcerent, ſatis videbimur eo loci comprobâſſe: licèt longè poſtea ſolenniùs confirmata & vulgata fuerit per omnes Hiſpaniæ provincias, tempore ac juſſu S. Leonis. Si quis verò cum D. Cardinali Baronio velit Regulam illam non fuiſſe propoſitam in hoc Concilio Toletano I. ſed longè poſtea, tempore S. Leonis, in duobus Conciliis Hiſpaniæ celebratis eodem anno CDXLVII. (ut ſtatim loquentem ipſum Card. Baronium audiemus) nihil abſurdi erit in eo concedendo, ſicuti neque in negando. CARD. DE AGUIRRE.

29. Baronius anno CDXLVII. num. 15. & ſequentibus, juſſu S. Leonis duo Concilia habita fuiſſe exiſtimat. Unum Toleti, in quo Carthaginenſis, Luſitaniæ, & Bæticæ Epiſcopi convenerunt, qui de rebus in Synodo geſtis (teſte Lucretio) ad Balconium ejus provinciæ Primatem, Bracarenſem Epiſcopum, literas dederunt, quęque conſtituerant, iiſdem communicârunt. Alterum in Gallæcia ſub Balconio in municipio Celenenſi apud Lucenſem urbem, cui unà cum Balconio, Gallæciæ provinciæ Epiſcopi interfuerunt; idque ideo, quòd Gallæci Suèvorum Regi Rechilæ tunc regnanti, reliquæ autem Hiſpaniarum provinciæ Theoderico, ejuſque filio Thoriſmundo, Gotthorum Regibus, parerent. Quia tamen una conveniendi cauſſa & auctoritas exſtitit, in unam eandemque ſententiam convenerunt duo hæc Concilia, uno eodemque tempore celebrata, in unum poſtea conflata fuerunt. Regula autem Fidei utrobique approbata, cum Toletano Primo Collectoris errore conjuncta fuit. Hæc Baronius prædicto anno CDXLVII. Bellarm. lib. 2. *De Concil.* cap. 8. ad 11. idem de hac Regula huic Concilio ſubreptitiè ſuperaddita ſentit ac ſcribit. BINIUS.

30. Quis fuerit Priſcillianus accipe: Hiſpanus, familiâ nobilis, dives, acer, facundus, multa lectione eruditus, pravo ſtudio corrupit optimum ingenium: ex laïco & hæreſi infecto Abulæ Epiſcopus clam factus, ex omnium hæreticorum ſentina hæreſim hauſit, præſertim Gnoſticorum: contra quem Leo Papa in Epiſtola ad Aſturicenſem Epiſcopum, & Auguſtinus lib. *De hæreſibus*, ad Quod-vult-Deum ſcripſit. Cæſarauguſtana etiam Synodus adversùs eum eſt habita: demum gladio ſæculari interiit. Severus Sulpicius lib. 2. *Sacræ hiſtoriæ*, in fine. LOAISA.

31. *Ipſi etiam & ſuprascripta viginti Canonum capitula.*] Hæc verba ab aliquo vel perperam addita, vel non ſuo loco repoſita ſunt; quia Canones viginti non alterius Concilii quàm hujus eſſe noſcuntur. Epiſcopi etiam ſubſcripti, non alii, quàm huic interfuiſſe leguntur. Regulam autem Fidei hoc loco Canonis XXI. ſuperadditam, à prædictis duobus Hiſpaniæ Conciliis, Leonis tempore celebratis, editam fuiſſe, ſuprà diximus. Ita ex Baronio ad ann. CDXLVII. num. 17. BINIUS.

NOTÆ

NOTÆ IN EXEMPLARIA PROFESSIONUM.

32. INCIPIUNT *Exemplaria profeſſionum in Concilio.*] Hæc Acta Synodi Toletanæ ex antiquo ſcripto codice, qui aſſervatur in Regia Bibliotheca S. Laurentii, Ambroſius Morales, vir cum primis doctus, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus rerum Hiſpanicarum optimè meritus, edidit. Ita ad ann. CDV. num. 43. & 54. CARD. BARONIUS.

33. *Symphoſius Epiſcopus.*] Pater Dictinii, qui unà cùm Catholicis Epiſcopis adversùs Priſcillianiſtas hæreticos tempore Concilii Cæſarauguſtani convenit, ut ea quæ exſtant ejuſdem Synodi fragmenta declarant.

34. *Dictinius Epiſcopus dixit.*] Dictinius, qui hîc palinodiam recantavit, fuit Epiſcopus Aſturicenſis: claruit egregia ſanctitate, cujus memoria anniverſario natali die in Hiſpania colitur.

35. *Per ſanctum Simplicianum communio redditur.*] In cauſſa Joviniani & Priſcillianiſtarum, aliorumque hæreticorum, Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopi Ambroſius & Simplicianus, mandato Pontificis, Pontificia vice & legatione fungebantur. Unde accidit, quòd Hiſpaniarum Epiſcopi hîc profiteantur, ſe Lapſis pœnitentibus ad Eccleſias ſuas revocatis non communicaturos, niſi id Romanus Pontifex, vel Sanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reſcriberent. In eadem Priſcillianiſtarum cauſſa eandem loquendi formulam uſurpatam habes in Concilio Taurinenſi Can. V. Quiſquis igitur hinc arguit, parem fuiſſe poteſtatem Mediolanenſis Epiſcopi, atque Romani Pontificis, graviter errat. Baron. ann. CDV. num. 55. & ſequentibus, atque ex ipſo BINIUS.

36. *Patruinus Epiſcopus ſubſcripſi.*] An is fuerit Epiſcopus Toletanus, an verò Aſturius, qui ſexto loco ſubſcribit, docti immeritò dubitârunt, ut conſtat ex Joanne Vaſæo in Chronico. Sanctus Ildephonſus in Catalogo virorum illuſtrium de Aſturio ſic inquit: *Aſturius poſt Audentium in Toletana urbe ſedis Metropolis provinciæ Carthaginis Pontifex ſucceſſor, vir egregius,* &c. Unde de alio Aſturio, qui Audentio ſucceſſit, loquitur Ildephonſus, de quo ſic inquit: *Et in Toleto Sacerdos nonus, & in Compluto agnoſcitur primus.* Patruinus verò in hoc ordine ſecundus fuit, qui anno Domini CCCXCIII. Eccleſiæ Toletanæ præerat: Aſturius verò circa annum Domini CDLV. LOAISA.

37. *Patruinus*] Epiſcopus fuit Emeritenſis, cui ſucceſſit Gregorius. Vide Epiſtolam XXIII. Innocentii I. Papæ ad Epiſcopos Synodi Toletanæ, num. ſeu cap. quinto. LABBE.

38. Quo tempore D. Loaïſa edidit hoc Concilium & Notas in illud, nondum apparuerat Epiſtola Innocentii I. Papæ, niſi mutila aut manca, prout ab ipſo edita fuit. Poſtquam verò Jacobus Sirmondus illam plenam, & longè correctiorem, ex antiquis Mss. edidit (ut poſtea videbimus) omnes viri docti certò exiſtimârunt, Patruinum hunc non fuiſſe Præſulem Toletanum, ſed Emeritenſem. Quare mirum non eſt quòd in hac parte lapſus fuerit D. Loaïſa. Sed & falſi ſunt apertiſſimè qui Patruinum confundunt cum Paterno Epiſcopo Bracarenſi. Hic enim non interfuit Concilio cum aliis Patribus ad celebrandum illud. Quin potiùs in Sententia Definitiva ejuſdem, habitus fuit reus, & à communione aliorum ſuſpenſus, donec R. Pontifex illam indulgeret. Unde errant planè quotquot Higueræ id fingenti aliquam fidem præſtant.

39. Porrò, tam ex Concilio Cæſarauguſtano anni CCCLXXX. ſuperiùs edito, & hoc ipſo Toletano I. quàm ex præjactis exemplaribus Profeſſionum, & Sententia Definitiva, colliges palam, quot ſequaces, immo & defenſores, habuerit Priſcillianus, non modò poſtquam damnatus fuit cum ſuis erroribus in Cōcilio illo Cæſarauguſtano, & poſtea in Burdigalenſi; ſed etiam cùm jam apud Treverim ultrici carnificis manu, ſuorum ſcelerum pœnas dediſſet. Sanctus etiam Hieronymus aliquantò poſtea, in libro *De ſcriptoribus Eccleſ.* loquens de eodem Priſcilliano, inquit: *Hic USQUE HODIE à nonnullis Gnoſticæ, Baſilidis, & Marcionis hæreſeos accuſatur, defendentibus aliis non ita eum ſenſiſſe ut arguitur.* Ut autem eorum meliùs judicarent, non exponit S. Doctor, licèt præmiſiſſet: *Edidit multa opuſcula, de quibus ad nos aliqua pervenerunt.* Utinam cenſuram ſuam protuliſſet ea in re, quæ non parum momenti afferret ad terminandas moleſtiſſimas noſtri temporis quæſtiones circa facta & ſenſum quorundam auctorum in libris prohibitis. Quamvis & in hoc ſit latum diſcrimen inter eos auctores qui perpetuò vixerunt ac mortui ſunt intra communionem Eccleſiæ Catholicæ, & illos qui palam ab ea defeciſſe inveniuntur, & hæreſes manifeſtè tradidiſſe: qualis exiſtimatus, & ſæpius judicatus fuerat Priſcillianus, etiam ab ipſis Epiſcopis Symphoſio, & Dictinio, ac Comaſio presbytero, intra hoc Concilium, qui antea illius ſcripta probaverant.

40. Unde Idatius in Chronico ait: *In civitate Toleto Synodus Epiſcoporum contrahitur, in qua Symphoſius, & Dictinius, & alii cum iis Gallæciæ provinciæ Epiſcopi, Priſcilliani ſectatores, hæreſim ejus blaſphemiſſimam cum adſertore eodem, profeſſionis ſuæ ſubſcriptione condemnant.* Idem judicium tulit poſtea Montanus Præſul Toletanus in Epiſtola *Ad fratres territorii Palentini*, exſtante poſt Acta Concilii Toletani II. cùm adhuc reſtarent ſequaces aliqui ejuſdem Priſcilliani. Ait

enim

enim: *Perditiſſimam Priſcillianiſtarum ſectam, tam actis, quàm nomine, à vobis præcipuè novimus honorari*, &c. *Unde, quæſo, ut perfidiam cum auctore damnantes, Regulam Fidei teneatis*, &c. Quibus Montani verbis non obſcurè rejiciuntur ii, qui, teſte Hieronymo nuper allegato, ajebant, *non ita eum ſenſiſſe, ſicut arguitur*. Ubi enim non modò damnantur ſcripta & errores, ſed etiam illorum auctor; manifeſtè rejicitur ipſius ſenſus. Alioqui cenſura poſſet cadere in ſola dogmata aut ſcripta, ſi conſtaret palam auctorem fuiſſe Catholicum, & citra pertinaciam in errorem lapſum.

41. Idipſum longè poſtea, anno DLXIII. confirmatum fuit in Concilio Bracarenſi I. ubi memorantur varia hæreſeon portenta, veluti ab eodem Priſcilliano tradita. Sed & S. Ildephonſus Toletanus, qui inclinante ſæculo ſeptimo floruit, in libro *De viris illuſtribus*, ubi laudat Montanum prædeceſſorem ſuum in eadem Sede, ait: *Amatores quoque Priſcillianæ ſectæ, licèt non operarentur eadem; quia tamen ejus memoriam amore retinerent, abdicat & exprobrat, commemorans quòd in libris beatiſſimi Taribii Epiſcopi ad Leonem Papam miſſis, eadem Priſcillianorum hæreſis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata*. Alias obſervationes noſtras in Regulam Fidei eandem, ac Sententiam Definitivam, vide ſuprà, ſtatim poſt exſcriptiunem utriuſque. CARD. DE AGUIRRE.

EPISTOLA
INNOCENTII I.

Ad Synodum in civitate Toletana conſtitutam.

Juxta editionem D. LOAISÆ, abſdubio mutilam.

42. INNOCENTIUS univerſis Epiſcopis in Toletana Synodo conſtitutis, dulciſſimis fratribus, in Domino ſalutem. Sæpè me, & nimiùm cùm teneret cura ſollicitum, ſuper diſſenſionis ſchiſmate Eccleſiarum, quod malum per Hiſpanias latiùs indies ſeparationis gradu incedere, fama proloquitur; neceſſarium tempus emerſit, quo non poſſit emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina provideri. Nam de ordinationibus, quas pravæ conſuetudinis vitio, Hiſpanienſes Epiſcopos celebrare cognoſcimus, fuerat aliquid ſecundùm majorum traditionem ſtatuendum; niſi perpenderemus, ne perturbationes quamplurimas Eccleſiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta ſunt, non in dubium vocemus, ſed Dei potiùs dimittamus judicio.

43. Quantos enim ex eis, qui poſt acceptam baptiſmi gratiam, in forenſi exercitatione verſati ſunt, & obtinendi pertinaciam ſuſceperunt, accitos ad ſacerdotium eſſe comperimus! è quorum numero Ruffinus & Gregorius perhibentur. Quantos ex militia, qui quum poteſtatibus obedierunt, ſevera neceſſariò præcepta ſunt exſequuti! Quantos ex curialibus, qui dum parent poteſtatibus, quæ ſibi ſunt imperata fecerunt! Quantos, qui voluptates & editiones populo celebrârunt, ad honorem ſummi ſacerdotii perveniſſe; quorum omnium neminem, ne ad ſocietatem quidem ordinis clericorum oportuerat perveniſſe! Quæ ſi ſingula diſcutienda mandemus, non modicos motus aut ſcandala Hiſpanienſibus provinciis, quibus mederi cupimus, de ſtudio emendationis inducemus. Iccircò remittenda potiùs hæc putamus. Sed ne deinceps ſimilia committantur, dilectionis veſtræ maturitas providere debebit, ut tantæ uſurpationi ſaltem nunc finis neceſſarius imponatur: eo videlicet conſtituto, ut quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus ſuis deponantur.

44. Poſt hæc ſi quis adverſùs formas Canonum, vel ad Eccleſiaſticum ordinem, vel ad ipſum ſacerdotium venire tentaverit; unà cum ordinatoribus ſuis, ipſo, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur. Et quamvis dilectioni veſtræ, fratres chariſſimi, regulæ Nicænæ ſint cognitæ, ſecundùm quas ordines eſſe faciendos per ſententiam decernitis; tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus eſt proviſa, inſerendam putavi; ut ſecundùm eam ordinationes in poſterum celebrandas eſſe ſciamus; ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primùm quæ ſunt prohibita digerantur.

Videtur indicare prologum Concilii Toletani præcedentis.

45. Ne quiſpiam, qui poſt baptiſmum militaverit, ad ordinem clericatûs debeat admitti, neque qui cauſſas poſt acceptum baptiſmum egerint, aut qui poſt acceptam Dei gratiam adminiſtraverint, neque de curialibus aliquem, ad Eccleſiaſticum ordinem venire poſſe, qui poſt baptiſmum vel coronati fuerint, vel ſacerdotium (quod dicitur) ſuſtinuerint, & editiones publicas celebraverint. Nam & hoc de curialibus eſt cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando à ſuis curiis, quod frequenter videmus accidere, poſcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus cuſtodiri.

Nicænæ Synodi, cap. 11. vel 12. in Epiſt. Innocentii ad Victricium Rothomagenſem. cap. 11. ac præterea Can. 8. præcedent. Concilii Toletani.

46. Quales verò eligendi ſunt in ordine clericorum, evidens forma declarat: ideſt, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & Lectorum officio ſociati; vel, ſi majores ſunt, cùm fuerint Dei gratiam conſequuti,

Suprà in Decret. Siricii ad Himerium Tarraconenſem cap. 9.

Levit. 21. ſequuti, ſtatim ſe Eccleſiaſticis ordinibus mancipaverint. Et ſi uxores habuerint; quærendum, ſi uxorem virginem habuerint: quia ſcriptum eſt in Veteri Teſtamento: *Uxorem virginem accipiat ſacerdos*. Et alibi: *Sacerdotes mei ſemel nubant*. Neque qui duas uxores habuerit: quia Paullus Apoſtolus ait: 1. Timoth. 3. *Unius uxoris virum*.

47. Nec illud debere admitti, quòd aliquanti pro defenſione pravi erroris opponunt & aſſerunt, quòd ante baptiſmum omnia dimittuntur; non intelligentes hujuſmodi, quòd ſola in baptiſmo peccata dimittuntur, non uxorum numerus aboletur. Nam ſi à Deo, ut ſcriptum eſt, præparatur viro uxor, & quod Deus junxit, homo non ſeparet; & ipſi auctores generis humani in origine à Deo benedicuntur; quomodo inter peccata iſta creduntur poſſe dimitti? Quòd ſi ſecundùm illos qui ita credunt, verum eſt; ergo omnis juſtitia, quæ à catechumenis ante baptiſmum fuerit operata, per baptiſmum auſertur. Nullus ergo contra Apoſtolum tale aliquid ſentiat nec admittat, ſed fideliter intelligat, unius uxoris virum, ſive ante baptiſma eſſe nominatum, ſive poſt baptiſmum. Si enim uxor ante baptiſmum accepta, non ducitur in numerum, nec filii ex eadem ſuſcepti inter filios poterunt nominari. Quod quàm abſurdum ſit atque alienum, prudentia veſtra meliùs æſtimabit. Unde neminem liceat interpretari aliter divinas Scripturas, niſi quod recta ratio permittit; ne dum quidam remedia ſibi iniqua ad excuſationem præparant, ex eo rupiſſe legem, & regulas evertiſſe judicentur: ſed ea tenenda ſunt, quæ divinarum Scripturarum ſeries continet, & à ſacerdotibus utili ratione ſunt conſtituta. Bene valeatis fratres chariſſimi.

OBSERVATIO CARDIN. DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

48. CLARISS. V. D. Garſias de Loaïſa hoc loci exhibet Epiſtolam præjactam Innocentii I. Papæ, veluti ſcriptam ad Synodum hanc in civitate Toletana conſtitutam: nam tempora, inquit, Concilii & Pontificis conveniunt. At enim omnia alia dicere oportet, ſtatuto ſemel ex communi ſententia Concilium hoc fuiſſe celebratum anno ipſo ſæculari CD. Stilicone Conſule. Nam tunc erat Pontifex Anaſtaſius, nec eo anno, nec *duobus* ſequenti electus fuit Pontifex Innocentius uſque ad CDII. Arcadii & Honorii Imperatorum VIII. eorundemque Conſulum V. ut conſtat, præter plura alia, ex Marcellino Comite in Chronico, ubi ait: *Indictione XV. Arcadio V. & Honorio V. Coſſ. Romanæ Eccleſiæ XXXVIII. Innocentius creatus Antiſtes, vixit annos XV.*

49. Quare alterutrum duorum dicere oportet: aut Innocentium non ſcripſiſſe Epiſtolam hanc ad iſtud Concilium actu congregatum, ſed ſolùm ad Epiſcopos ipſos, qui illud jam antea celebraverant, ut componeret diſcordias inde ortas, & reformaret plura in Hiſpania introducta adversùs ſacros Canones & diſciplinam Eccleſiaſticam (quod patet ex contextu ejuſdem Epiſtolæ) aut illam fuiſſe ſcriptam ad aliud Concilium Toleti celebratum poſtea ſub Pontificatu ejuſdem Innocentii, & fortaſſe anno Chriſti CDV. eodem Stilicone ſecundùm Conſule.

50. Si fides quæquam habenda eſſet Chronico nomine Dextri vulgato à centum circiter annis, in quo plura Concilia Toletana dicuntur celebrata paullò ante & poſt iſtud, quod omnes appellant Primum, facilè omnia cohærerent fortaſſe. Verùm cùm illud ſit planè fictum, & ex meris cogitationibus rerum poſſibilium, aut etiam fabulis contextum, ut ſæpè monuimus, præſertim ſuprà Diſſert. III. ſatiùs videtur fateri, Concilium præjactum anno ſæculari CD. ſive, quod in idem recidit, Erâ CDXXXVIII. Stilicone Conſule (ut habent veteres Mss.) celebratum fuiſſe. Cùm verò plures diſcordiæ inde fuiſſent excitatæ, & multa egerent correctione in Hiſpania, Innocentium Pontificem poſtea ſcripſiſſe Epiſtolam hanc ad Præſules ipſos, qui id concilium Toleti antea celebraverant. Quòd verò hoc ipſum Concilium Toleti jam antea indictum fuiſſet adversùs Epiſcopos quoſdam de Priſcillianiſmo ſuſpectos, vivente adhuc S. Ambroſio, ac proinde ante annum CCCXCVIII. conſtare videtur ex Definitiva Sententia à PP. Toletanis data, & ſuperiùs edita.

51. Sanè Epiſtola ipſa Innocentii, prout à D. Loaïſa exſcripta fuit, & modò à nobis recuſa eſt, valdè mutila exiſtit. Uberiorem autem longè invenit eruditiſſimus Sirmondus, & Notas in illam adjecit, prout ſtatim exhibemus. CARD. DE AGUIRRE.

EPISTOLA

EADEM INNOCENTII I. PAPÆ

AD EPISCOPOS SYNODI TOLETANÆ, LONGE PLENIOR, EX RESTITUTIONE JACOBI SIRMONDI.

De diſſenſione, corruptaque diſciplina Eccleſiarum Hiſpaniæ.

I. *Quòd Epiſcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæreſi converſos perperam diſſideant.*
II. *De Epiſcopis à Ruffino & Minicio in alienis Eccleſiis contra Canones ordinatis.*
III. *Ut Joannis Epiſcopi cauſſa examinetur, aliorumque qui communionis conſortium refugiebant.*
IV. *De vitioſis multorum ordinationibus, ita diſſimulari quæ hactenus uſurpata ſunt, ut in poſterum prohibeantur.*
V. *Ut Gregorii Emeritenſis Epiſcopi querela diſcutiatur.*
VI. *Quoſnam ad clericatûs ordinem admittere liceat: qualeſque eligendi ſint. Et quòd bigamum faciat etiam illa quæ ante baptiſmum uxor fuit.*

*Innocentius univerſis Epiſcopis in * Toloſana Synodo conſtitutis, dilectiſſimis fratribus, in Domino ſalutem.*

* *Toletana melius.*

52. SÆPE me & nimia cùm teneret cura ſolicitum ſuper diſſenſione & ſchiſmate Eccleſiarum, quod per Hiſpanias latiùs in dies ſerpere, & citatiore gradu incedere fama proloquitur; neceſſarium tempus emerſit, quo non poſſet emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina provideri. Nam fratres noſtri, coëpiſcopus * Hilarius, & Elpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim quâ laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad Sedem Apoſtolicam commeârunt, & in ipſo ſinu Fidei violatam intra provinciam pacem, diſciplinæ rationem eſſe confuſam, & multa contra Canones Patrum, contempto ordine, reguliſque neglectis, in uſurpatione Eccleſiarum fuiſſe commiſſa, nec concordiam, in qua Fidei noſtræ ſtabilitas tota conſiſtit, poſſe retineri, cum dolore & gemitu proſequuti ſunt. Quæ in conſeſſu presbyterii actorum confectione retinentur, & poſſunt vobis lectione monſtrari.

* *Subſcripſit Concil. Toletano.*

I.

53. Jam primum, quod ad ipſam Fidem attinet, quod Bætici vel Carthaginenſes Epiſcopi, propter Galliciorum communionem à pace omnium diſſederunt, orta diſſenſio eſt: quæ non ſolùm non minuitur, verùm etiam per dies ſingulos ſtudio contentionis augetur, cùm obtinendi propoſito unuſquiſque quod voluit, æternum orbem malè, & circulum quendam de tali animoſitate fecerunt; cùm utique bono cuique in rebus talibus vinci melius ſit quàm malo more pravum propoſitum quod ſemel placuit obtinere. Nam quæ alia cauſſa & ſuperioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit à concordia illorum, qui Arianorum hæreſim prudenti converſione damnaverant? Eodem ſtudio poſt Priſcilliani deteſtabilem ſectam, omnium meritò deteſtatione damnatam, receptos in Catholicam Fidem eos qui conſilio ſaniore converſi ſunt, ægerrimè aliquos tuliſſe cognovimus. Quibus factum utile, & ipſam Eccleſiarum pacem diſplicuiſſe detegitur. Nam cùm unitatis propoſito atque concordiæ, ipſi quoque Symphoſius atque Dictinius damnantes pravam hæreſim ſint recepti, ut perſonis talibus amputatis extingueretur penitùs innata diſſenſio, inventi ſunt quibus rectè facta ipſa correctio diſpliceret. Et nunc Eccleſiæ diſſident, quæ non modica à ſe animoſitate diſſimulant. Quòd ſi ſaniore conſilio à ſacerdotibus fuiſſet cuſtodita correctio; & ſtatus Catholicæ Fidei integer permaneret, & nullum ſcandalum concordiam rebus omnibus utilem corrupiſſet. Quæro enim, quare doluerint Symphoſium atque Dictinium, alioſque qui deteſtabilem hæreſim damnaverunt, receptos in Fidem Catholicam tunc fuiſſe? Numquid * nam aliquid de honoribus amiſerint quos habebant? Quòd ſi quos hoc pungit aut ſtimulat, legant Petrum Apoſtolum poſt lacrymas hoc fuiſſe quod fuerat. Conſiderent Thomam poſt dubitationem illam nihil de prioribus meritis amiſiſſe. Denique David Prophetam egregium poſt manifeſtam confeſſionem ſuam prophetiæ ſuæ meritis non fuiſſe pri-

* Nam quod non

vatum. Quòd ſi emendatio converſionis, & errores ipſos amputat, & retinet dignitates; quæ malū ratio eſt, viam recti, & iter quod dirigat ad ſalutem, propoſito * pertinaciæ nolle retinere? Quare incumbendum eſt dilectioni veſtræ, & bonis ſacerdotibus adnitendum, quatenus præeunte doctrina in unitatē Catholicæ Fidei omnes qui diſperſi ſunt congregentur, & eſſe inexpugnabile unum corpus incipiat, quod ſi ſeparetur in partes, ad omnes patebit lacerationis injurias, & ex ſeſe peſtem patietur internam, quandò ſecum compago ipſa confligit. Sed hæc generaliter de unitatis reformatione omnes, tamquam ſingulis ſcripta ſint, accipiant ſacerdotes. Dehinc in partes animum ſuper omnibus dilectio veſtra, quæ proponentur, intendat.

* Pertinaci.

II.

54. Non enim latere potuit, quòd Ruffinus atque Minicius Epiſcopi in alienis Eccleſiis, * contra Nicænos Canones, Epiſcopos uſurpaverunt ordinare. Hæc ne quis ſibì audeat vendicare, ſaltem nunc nobis eſt ſalubriter providendum: ne improba uſurpatione diſſimulatio in deterius convaleſcat; & fiat de conſuetudine regula, quæ non veniat ab ipſa quæ literis mandata eſt, diſciplina. Qua in re Hilarii fratris & conſacerdotis noſtri querela primitus audiatur, qui aſſeruit Ruffinum contra Eccleſiarum pacem omni oppugnatione fuiſſe verſatum, & dudum in Concilio Toletano erroris ſui veniam poſtulâſſe, & nunc cùm Metropolitano Epiſcopo ordinandi ſacerdotis Pontificium deberetur, contra populi voluntatem & diſciplinæ rationem, Epiſcopum loci abditis ordinâſſe, Eccleſias ſcandalis miſcuiſſe. Dehinc Tarraçonenſium Epiſcoporum eſt cauſſa tractanda, qui pari modo Minicium in Gerundenſi Eccleſia Epiſcopum ordinâſſe conqueſti ſunt; & juxta * Nicænos Canones ferenda eſt de tali uſurpatione ſententia. Illorum etiam Epiſcoporum, qui à Ruffino vel à Minicio contra regulas ordinati ſunt, habeatur plena diſcuſſio; ut quia perperam facti ſunt, intelligant id quod vitioſo initio adepti ſunt, ſe diutiùs obtinere non poſſe.

* Nic. Can. IV.

* Nic. Can. VI.

III.

55. De Joanne quoque Epiſcopo, cujus in Synodo Toletana ſuper receptis Symphoſio atque Dictinio per legatos conſenſus acceſſit, & cui probabilis viſa illa correctio, examinentur quæ poſtea ſunt ſecuta; & prorſus ſuper omnibus, quorum in dubium venit de ceſſatione communio, plena inquiſitio veſtigetur: ut ſecundùm decretum Synodi Toletanæ, vel communionis conſortio propter abolendam ſuſpicionem ſchiſmatis miſceantur; vel ſi qui fuerint deprehenſi, qui abnuant concordiam & conſtituta placitorum, à communione Catholicæ Fidei per dilectionis veſtræ ſententias abdicentur: ut jam non internum malum, quod tacitum non deſinit ſerpere, ſed ſchiſmaticorum manifeſta profeſſio contagioque vitetur.

IV.

56. Nam de ordinationibus, quas pravæ conſuetudinis vitio Hiſpanienſes Epiſcopos celebrare cognoſcimus, fuerat aliquid ſecundùm majorum traditionem ſtatuendum, niſi perpenderemus ne perturbationes quamplurimis Eccleſiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quòquo modo facta ſunt, in dubium non vocemus, ſed Dei potiùs judicio dimittamus *. Quantos enim ex his, qui poſt acceptam baptiſmi gratiam in forenſi exercitatione verſati ſunt, & obtinendi pertinaciam ſuſceperunt, adſcitos ad ſacerdotium eſſe comperimus, è quorum numero Ruffinus & Gregorius perhibentur! Quantos ex aliqua militia, qui cùm poteſtatibus obedirent, ſevera neceſſariò præcepta ſunt exſequuti! Quantos ex curialibus, qui dum parent poteſtatibus, quæ ſibi ſunt imperata fecerunt! Quantos qui voluptates & editiones populo celebrârunt, ad honorem ſummi ſacerdotii perveniſſe! quorum omnium neminem ne ad ſocietatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire. Quæ ſi ſingula diſcutienda mandemus, non modicos motus aut ſcandala Hiſpanienſibus provinciis, quibus mederi cupimus, de ſtudio emendationis inducemus. Iccircò remittenda potiùs hæc putamus. Sed ne deinceps ſimilia committantur, dilectionis veſtræ maturitas providere debebit, ut tantæ uſurpationi ſaltem nunc finis neceſſarius imponatur. Eo videlicet conſtituto, ut ſi qui poſt hæc adversùs formas Canonum, vel ad Eccleſiaſticum ordinem, vel ad ipſum ſacerdotium venire tentaverint, unà cum creatoribus ſuis ipſo, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur.

* Aliquantos D. l. 1.

V.

57. Gregorii etiam Emeritenſis Epiſcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis eſt ordinatus, querela, ſi qua eſt, audiatur: & ſi contra meritum ſuum paſſus eſt injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur: ne poſthac in quemquam bonorum ſpiritus factionis inſurgat.

VI.

58. Et quamvis dilectioni veſtræ, fratres chariſſimi, regulæ Nicænæ ſint cognitæ, ſecundùm quas ordinationes faciendas eſſe per ſententiam decernitis; tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus eſt proviſa, inſerendam putavi, ut ſecundùm hanc ordinationes in poſterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primùm quæ ſunt prohibita digeruntur *. Ne quiſpiam qui poſt baptiſmum militaverit, ad ordinem debeat clericatûs admitti: neque qui cauſſas poſt acceptum baptiſmum egerint; aut qui poſt acceptam Dei gratiam adminiſtraverint: neque de curialibus aliquem venire ad Eccleſiaſticum ordinem poſſe, qui poſt baptiſmum vel coronati fuerint, vel ſacerdotium, quod dicitur, ſuſtinuerint, & editiones publicas celebraverint. Nam & hoc de curialibus eſt cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando à ſuis * curiis, quod frequenter videmus ac-

* *Maximus ſer. 25. citat veluti Canonem Taurinenſem.*

* *Ambr. ad Theod. de Synagoga incenſa.*

accidere, repoſcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus cuſtodiri. Quales verò eligendi ſint in ordine clericorum, evidens forma declarat. Id eſt, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & electorum officio ſociati: vel ſi majores ſint, cùm fuerint Dei gratiam conſequuti, ſtatim ſe Eccleſiaſticis ordinibus mancipaverint. Et ſi uxores habuerint, quærendum, ſi uxorem virginem acceperint: quia ſcriptum eſt in Veteri Teſtamento: *Uxorem virginem accipiat ſacerdos*. Et alibi: *Sacerdotes mei ſemel nubant*. Levit. 21. Neque qui duas uxores habuerit: quia Paullus Apoſtolus ait: *Unius uxoris virum*. 1. Tim. 3. tit. 1. Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defenſione pravi erroris opponunt, & aſſerunt, quòd ante baptiſmum uxor accepta non debeat imputari, quia in baptiſmo omnia dimittuntur. Non intelligentes hujuſmodi, quòd ſola in baptiſmo peccata dimittuntur, nec uxorum numerus aboletur. Nam ſi à *Deo* (ut ſcriptum eſt) *præparatur viro uxor, & quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; & Prov. 19. Matth. 19. ipſi auctores generis humani in origine à Domino benedicuntur; quomodo inter peccata iſta creduntur poſſe dimitti? Quòd ſi ſecundùm illos qui ita credunt verum eſt, ergo omnis juſtitia, quæ à catechumenis ante baptiſmum fuerit operata, per baptiſmum auferetur. Nullus ergo contra Apoſtolum tale aliquid ſentiat, nec admittat: ſed fideliter intelligat, unius uxoris virum, ſive ante baptiſmum, ſive poſt baptiſmum, eſſe nominatum. Si enim uxor ante baptiſmum accepta non ducitur in numerum; nec filii ex eadem ſuſcepti inter filios poterunt numerari. Quod quàm abſurdum ſit atque alienum, prudentia veſtra meliùs æſtimabit. Unde nemini liceat interpretari aliter divinas Scripturas, niſi quod recta ratio permittit: ne dum remedia ſibi iniqua ad excuſationem præparant, & corrupiſſe legem, & regulas evertiſſe judicentur. Sed ea tenenda ſunt, quæ & divinarum Scripturarum ſeries continet, & à ſacerdotibus utili ratione ſunt inſtituta. *Et alia manu*: Bene valete, fratres chariſſimi.

NOTÆ VARIORUM.

59. *AD Epiſcopos Synodi Toloſanæ.*] Etſi ambigui eſſe tituli Epiſtolam monuimus, dubium tamen non videtur, quin ſcripta ſit ad Epiſcopos Hiſpaniæ, poſt Synodum quidem Toletanam, ſed de rebus in ea geſtis, vel poſtea conſecutis. Idque ut mihi perſuadeam ducor argumento non levi, quod cap. 6. exponetur. Quare antiquam inſcriptionem Epiſtolæ reſtituendam cenſeo, ut *in Toletana Synodo* legatur.

60. *Propter Gallicierum communionem.*] In Synodo Toletana Symphoſius & Dictinius cum aliis, ut Idatius in Chronico refert, è Gallæcia Epiſcopis, damnata Priſcilliani hæreſi, recepti fuerant in communionem, retentis honoribus, quos habebant. Quod non probantes Bætici & Carthaginenſes, à cæteris Epiſcopis, qui eos receperant, deſciverunt. Dari ergo vult operam Pontifex, ut qui deſciverunt ad communem pacem revocentur.

61. *Illius Luciferi.*] Calaritani apud Sardos Epiſcopi, qui ſchiſmatis in Eccleſia auctor fuit, cùm Epiſcopos in Synodo Ariminenſi lapſos, quamvis reſipiſcentes, recipi nollet, ab iiſque ſe qui eos receperant ſegregaret. Sulpicius Severus: *Lucifer in tantum eos qui Arimini fuerant condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfactione vel pœnitentia recepiſſent.*

62. *Numquid nam aliquid.*] Lege: *Nam quid non aliquid*, ex codice Bonæ-vallis.

63. *Ruffinus atque Minicius.*] Synodus Nicæna Can. IV. Epiſcopum ab Epiſcopis provinciæ cum Metropolitani auctoritate fieri jubet. Contra hunc Canonem commiſerant Ruffinus & Minicius; quorum uterque ſine conſcientia Metropolitani, alter etiam in aliena provincia, Epiſcopos ordinârant. Quare & in uſurpatores animadverti oportere ait, & ab his temerè ordinatos honore carere, quem adepti ſunt juxta, Canonem VI. Synodi ejuſdem, quo cautum eſt, eum qui præter ſententiam Metropolitani factus fuerit Epiſcopus, Epiſcopum eſſe non debere.

64. *De Joanne Epiſcopo.*] Joannes hic Synodo Toletanæ, redeuntes ab hæreſi recipienti, per Vicarios conſenſerat: poſtea ſubduxiſſe ſe, & contra ſententiam ſuam veniſſe ferebatur. In hunc ergo atque in alios, qui à communionis conſortio ceſſâſſe videbantur, pleniùs inquiri, deprehenſoſque, ſi ad concordiam redire abnuant, excommunicari jubet.

65. *De ordinationibus.*] De iis qui prava conſuetudine in Hiſpania ex diverſis generibus hominum, quos Canones à cleri gradibus excludunt, creati hactenus fuerant Epiſcopi, ſic indulget, ut pœnâ vitiosè deinceps ordinatis ordinantibuſque propoſitâ, in poſterum abſtineri præcipiat.

66. *In locum Patruini.*] Diſcrepant inter ſe rerum Hiſpanicarum ſcriptores, cujus Sedis Epiſcopus fuerit Patruinus, qui Concilio primo Toletano præfuit. Alii enim Toletanum Antiſtitem fuiſſe conjiciunt, alii Bracarenſem, alii neutram illorum ſententiam ſatis firmam ducunt. Ex hoc loco apparet (quod in mentem illis non venerat) Emeritenſem Epiſcopum fuiſſe, cui jam defuncto Gregorius hoc tempore ſucceſſerat. SIRMONDUS.

67. Ex verbis iis Innocentii Papæ refelluntur planè duæ opiniones contrariæ diverſorum. Prior eſt, contendentium pro Primatu Eccleſiæ Bracarenſis in tota Hiſpania, eo quòd aſſerant huic Concilio I. Toletano præſediſſe Paternum Epiſcopum Bracarenſem. At enim conſtat non Paternum, ſed Patruinum fuiſſe, aliàs Patronum, qui præfuit tunc, juxta omnia exemplaria,

tum Mss. tum edita, donec merces Higuerianæ prodierunt, in quibus obtruditur Paternus, inter alias fabulas artifici illarum familiares. Sed & quomodo, non dico præſidere, verùm nec ſuffragium ſive vocem habere potuit Paternus in ea Synodo, in qua diſceptabatur de illius ordinatione in Epiſcopum Bracarenſem, an admittenda eſſet? ubi tandem in Sententia Definitiva ejuſdem Concilii totum id negotium fuit remiſſum ad Pontificem Romanum, & S. Simplicianum Mediolanenſem, ejus Vicarium circa has controverſias? Itaque aëreo fundamento, & palam à veritate alieno, innituntur, quotquot ex fictione illa Higueriana Primatum afferere tentant Bracarenſi Eccleſiæ eo tempore in Hiſpania.

68. Poſterior opinio D. Loaïſæ & aliorum plurium ex Hiſpanis contendentibus pro Primatu Eccleſiæ Toletanæ in hoc Concilio, pariter ferè corruit ex iis Innocentii verbis juxta exemplar à Sirmondo editum, quod illorum tempore nondum detectum fuerat. Conſtat enim manifeſtè ex iis, Patruinum hunc primo loco loquentem in ea Synodo, & ante omnes alios ſubſcribentem, non fuiſſe Epiſcopum Toletanum, ſed Emeritenſem. Is porrò jam obierat, & in ipſius locum ſucceſſerat Gregorius, quando Innocentius hanc Epiſtolam ſcripſit, ut ipſe teſtatur. Quin & Aſturium, ſexto loco ſubſcribentem in eo Concilio, fuiſſe tunc Epiſcopum Toletanum, longè poſtea à S. Ildephonſo laudatum, communis ferè, ac meo judicio veriſſima, ſententia eſt.

69. Itaque ex inani fundamento utraque opinio procedit. Et quomodo, quæſo, Bracarenſes Epiſcopi tunc Primatum haberent in omnes Hiſpaniæ Præſules, ſi vix unquam in Nationalibus Hiſpaniæ Conciliis ſubſcripſerunt primo loco, ut conſtabit evolventi ſingula hoc volumine contenta? Quin nec Toletanos quidem habuiſſe fixam Primatûs prærogativam in omnes Hiſpaniæ Præſules, niſi ſummum mediante circiter, aut etiam inclinante ſeptimo ſæculo, conſentiunt poſt Archiepiſcopum Rodericum, & Lucam Tudenſem, graviores quique ſcriptores, tam Hiſpani quàm exteri. Idque, præter plura alia argumenta ἀναντίῤῥητα, evincitur ex ipſis Conciliis Nationalibus Hiſpaniæ, ubi uſque ad id tempus Epiſcopi Toletani non ſubſcribunt primo loco, ſed ſolùm juxta antiquitatem ſuæ ordinationis, ſive conſecrationis in Metropolitanos provinciæ Carthaginenſis (intra quam antea Toletum computabatur) ſimul cum aliis Metropolitanis Eccleſiarum Hiſpalenſis, Tarraconenſis, Emeritanæ, & Bracarenſis; quibus poſtea fuit addita Narbonenſis. Itaque alternârunt ii, & varium locum habuerunt in Conciliis Nationalibus, juxta tempus ordinationis ſuæ, ut patet ex ſingulorum ſubſcriptionibus. Tandem in Concilio Toletano XII. celebrato anno DCLXXX. Can. VI. videtur inchoatus, aut ſaltem ſtabilitus Toletanæ Eccleſiæ Primatus in reliquas Hiſpaniæ ac Galliæ Narbonenſis, ut ſuo loco pleniùs oſtendemus cum Mariana, Morino, & aliis. Tribuere autem illum antea Eccleſiæ Toletanæ, aut Bracarenſi, aliquo tempore, præſertim hujus Concilii I. Toletani, ab omni veritate alienum videtur. Itaque tam in hoc, quàm in Eliberitano, & Cæſarauguſtano, omnes Epiſcopi juxta antiquitatem ſuæ ordinationis dumtaxat ſubſcribunt, CARD. DE AGUIRRE,

70. *Per ſententiam decernitis*.] Manifeſtum eſt alludi ad decretum Synodi Toletanæ, quod in ejus Actis primo loco poſitum eſt his verbis: *Patruinus Epiſcopus dixit: Si placet, communi conſilio decernamus, quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis clericis ſit obſervandum. Mihi autem placet conſtituta primitus Concilii Nicæni perpetuò eſſe ſervanda, nec ab iis eſſe recedendum. Epiſcopi dixerunt: Hoc omnibus placet*. Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, Innocentium hoc loco alloqui Epiſcopos, qui Toletano Concilio adhæſerant, ac proinde Synodo Toletanæ inſcribi Epiſtolam debere, ut dictum eſt. SIRMONDUS.

DISSER-

DISSERTATIO SEXTA.

De Præſulibus Toletanis, qui huic & aliis Conciliis interfuerunt, quinam ex iis, & quo loco ſubſcriberent.

Ubi obiter de dignitate Metropolitica Eccleſiæ Toletanæ, & Primatu ſupra alias Hiſpaniæ.

PRO certiore chrono-taxi Præſulum Toletanorum, qui huic Concilio & aliis præcedentibus ac ſequentibus interfuerunt, conſule ſis Catalogum eorundem à nobis editum Tomo I. pag. 22. & ſeqq. qui tamen aliqua correctione eget: ut ex dicendis apparebit. Hoc loci examinandum eſt, quinam ex illis, & quo loco atque ordine, huic Concilio & ſequentibus intervenerint: ac breviter expedienda ſunt, quæ fuſiſſimè ab aliis tractari ſolent circa ejuſdem Eccleſiæ Toletanæ dignitatem Metropoliticam, & Primatum in alias Hiſpaniæ.

EXCURSUS I.

De duobus Catalogis antiquis Toletanorum Præſulum. Quiſnam ex iis huic Concilio intervenerit, & quis ejus Præſes fuerit.

1. JAM antea monuit Ambroſius Morales, vir doctiſſimus, ac valdè pius, & diligentiſſimus rerum Hiſpaniæ veſtigator (ſi quis alius unquam fuit) in Codice celebri Conciliorum Regii Monaſterii mei S. Æmiliani, ſcripto circa annum Chriſti CMXXX. & exſtante nunc apud inſignem Bibliothecam S. Laurentii in Scoriali, collocari novem primos Epiſcopos Toletanos hoc ordine: *Pelagium, Patronum, Turibium, Quintum, Vincentium, Paulatum, Natalem, Audentium, & Aſturium*. Nullus ante illos Præſul Toletanus nominatur ibidem, quamvis jam diu certum apud omnes habeatur antiqua traditione, præceſſiſſe alios, præſertim S. Eugenium, ac præterea Melantium, qui ineunte ſæculo quarto ſubſcripſit Concilio Eliberitano, ut ſuo loco vidimus. Sed ne iſtorum quidem duorum in iis mentio eſt: fortaſſe quia tantùm numerârunt Præſules Toletanos à tempore quo Conſtantinus pacem Eccleſiæ dedit.

2. Eſt & alius Catalogus Præſulum Toletanorum in ſacrario ejus magnæ Eccleſiæ, ſcriptus anno Domini MCCLIII. Alphonſi Regis cognomento *Sapientis* primo, ſub Archipræſule electo Sereniſs. Infante Joanne, germano ejus fratre, in quo idem ordo illorum ſervatur, & deſinit in alio Joanne antiquiore, cujus obitus ponitur Erâ CMLXIV. id eſt, anno Chriſti nongenteſimo viceſimo ſexto. Porrò in neutro ex iis Catalogis collocantur Præſules Toletani à principio; ſed dumtaxat ab eo tempore, quo Romanorum poteſtas in Hiſpania ceſſavit, irruentibus in eam Suevis, Alanis, Wandalis, & Gotthis: quod accidit ſub initium quinti ſæculi: ut patet ex Chronico Idatii, & aliis ſcriptoribus ejuſdem ferè temporis.

3. Præter eos duos Catalogos, habemus librum longè antiquiorem ſcriptum à S. Ildephonſo Archipræſule, inclinante ſæculo ſeptimo: in quo non texit ex inſtituto Catalogum eorum Præſulum, ſed dumtaxat virorum illuſtrium prætermiſſorum, ſive non memoratorum à S. Iſidoro, poſt Hieronymum ac Gennadium. Hæc videtur germana ratio, cur Ildephonſus prætermiſerit ex Præſulibus Toletanis alios antiquiores intra quartum ſæculum: quòd nimirum intra illud nullos inveniſſet claros ſanctitate aut doctrinâ, uſque ad Aſturium, ſucceſſorem Audentii. Itaque non cenſuit, Pelagium, Patronum, Turibium, Quintum, Vincentium, Paulatum, aut Natalem, ad eum virorum illuſtrium Catalogum, ſive Additionem, pertinere.

4. En verba S. Ildephonſi: *Aſturius, poſt Audentium in Toletana urbe Sedis Metropolis provinciæ Carthaginenſis Pontifex, vir egregius, adſignans opera virtutum plus exemplo vivendi, quàm calamo ſcribentis. Hic & ſacerdotio beatus, & miraculo dignus; quia quibus jungeretur in cælo, eorum terrene reperire meruit membra in ſepulcro. Nam cùm Sedis ſuæ ſacerdotio fungeretur, divina dicitur revelatione commonitus, Complutenſi ſepultos municipio, quod ab urbe ejus fermè ſexageſimo milliario ſitum eſt, Dei Martyres perſcrutari. Qui concitatus adcurrens, quos & tellus aggeris, & oblivio temporis preſſerat, in lucem & gloriam terrenæ cognitionis provehendos invenit. Quibus repertis, redire in ſedem renuens, ſervitute ſimul & aſſiduitate Sanctorum innexus, diem clauſit extremum. Cujus tamen ſedem, donec vixit, nemo adiit: inde, ut antiquitas fert,*

in

in Toleto Sacerdos nonus, & in Compluto agnoſcitur primus.

5. Eâdem ratione ſe geſſerat ante Ildephonſum S. Iſidorus, in Additione virorum illuſtrium, quam edidit ineunte eodem ſæculo ſeptimo. Non enim quemquam memoravit ex iis novem Toletanis Præſulibus, numeratis continuatâ ſerie in utroque eo veteri Catalogo Toletano, ne Aſturium quidem, quòd potiùs pietate excellenti, & detectione mirabili corporum SS. Juſti & Paſtoris præfulſiſſet, quàm doctrinâ & ſcriptis: quod ad ſcopum illius libri ſpectabat. Solus S. Ildephonſus Additioni ſuæ Aſturium ipſum inſerendum cenſuit verbis nuper exſcriptis.

6. Porrò idem Aſturius Præſul Toletanus, laudatus à S. Ildephonſo, videtur eſſe qui inter alios ſubſcribit in hoc Concilio Toletano ſexto loco, juxta antiquitatem ſuæ conſecrationis, uti eo tempore ſolebat fieri, & antea in Concilio Eliberitano ac Cæſaraugustano factum eſt. Nam quod alii ajunt, hunc ipſum Aſturium quidem fuiſſe præſentem Concilio Toletano prædicto, ſed tunc Epiſcopum alterius Eccleſiæ, è qua poſtea ad Toletanam fuerit translatus, caret omni fundamento. Non enim ſæculis illis quarto, quinto, aut ſexto, invenitur translatio facta in Hiſpania (immo forſan nec in tota Eccleſia Occidentali) alicujus Epiſcopi de una Eccleſia non deſtructa in aliam, uſque ad ſæculum ſeptimum, quo inclinante nonnullæ in Conciliis Toletanis X. XII. & XVI. factæ fuerunt, accidente uno aut alio eventu memorabili & raro.

7. Talis à nonnullis cenſetur fuiſſe ſub initium ſæculi ſeptimi, translatio Liciniani Epiſcopi ab Eccleſia Carthaginenſi (quoniam deſtructa omnino fuerat à barbaris irruentibus in Hiſpaniam) ad Valentinam, ut colligunt, licèt non rectè, ex S. Iſidoro. Nimirum in iis occaſionibus, aut ſimilibus, id indultum cenſebatur, juxta Epiſtolam illam Anteri Papæ ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ & Toletanæ inſcriptam: de qua plura præmiſimus Tomo I. Diſſert. X. Nimirum tunc urgebat omnino neceſſitas transferendi Epiſcopum de una Eccleſia ac diœceſi penitùs diruta, in aliam vacantem. Hæc autem ratio aut occaſio nullatenus fuit in Aſturio, qui longè ante irruptionem illam barbarorum erat Præſul Toletanæ Eccleſiæ, anno ipſo CD. & nunquam Epiſcopus fuerat alibi, nec fuit poſtea. Quapropter certum haberi debet, Aſturium in hoc Concilio Toletano I. ſubſcribentem ſexto loco, fuiſſe tunc Præſulem Toletanum. & is planè eſt, qui tam in veteribus Catalogis ſuprà indicatis, quàm apud Ildephonſum, numeratur nonus, incipiendo à Pelagio.

8. Hinc obiter confirmantur quæ ſuprà num. 68. & 69. tradidimus de Patruino, qui eidem Concilio ſubſcribit primo loco. Non enim erat Præſul Toletanus, ſed Emeritenſis, cui paulò pòſt ſucceſſit in ea Sede Gregorius: uti ex Epiſtola Innocentii I. ſuperiùs exſcripta, ad Patres ejuſdem Synodi Toletanæ, reſtitutâ à Jacobo Sirmondo, manifeſtè oſtenſum fuit. Certè ſi eam integram nacti fuiſſent doctiſſimi viri Ambroſius Morales, & Garſias Loaïſa, nullatenus Patruinum ipſum cenſuiſſent Præſulem Toletanum, aut titulo ejus dignitatis præſediſſe tunc aliis Epiſcopis ejuſdem Concilii, etiam Sedes ſuas trahentibus extra provinciam Carthaginenſem, ad quam tunc ſpectabat Toletana Eccleſia; ut ſatis manifeſtè declarat S. Ildephonſus verbis citatis. Ea namque prærogativa ſuper alios Metropolitas, & Epiſcopos aliarum provinciarum, longè poſtea cœpit, ab eo tempore, quo Reges Gotthi, aſſentientibus reliquis Metropolitis & Epiſcopis Hiſpaniæ, voluerunt ut Toletano Præſuli Regiæ urbis, & Sedis præcipuæ eorundem Regum, is honor tribueretur. Quod infra palam confirmabimus ex Actis ſequentium Conciliorum Nationalium Hiſpaniæ, ubi Archipræſules Toletani ſubſcribunt cum aliis Metropolitanis, nunc primo loco, nunc ſecundo, aut tertio, aut quarto, aut quinto, juxta majorem aut minorem conſecrationis antiquitatem; donec tandem ſæculo ſeptimo inclinante omnino prælati fuerunt cæteris Metropolitanis, etiam conſecratione antiquioribus. Itaque Patruinus, anno CD. in hoc Concilio ſubſcribens primo loco, nec fuit Præſul Toletanus; nec ſi eſſet, ſubſcriberet eo ſolo titulo ante alios Epiſcopos diverſarum provinciarum. Aſturius verò ab Ildephonſo laudatus poſt alios octo Præſules, *in Toleto ſacerdos nonus*, regebat tunc eam Eccleſiam, & juxta tempus ſuæ ordinationis ſubſcripſit ſexto loco.

EXCURSUS II.

An tempore hujus Concilii, & deinceps ſæculo quinto ac ſexto, dignitas Metropolitica eſſet apud Toletum, an potiùs apud Carthaginem Spartariam. Ubi de hujus Præſulibus Hectoro & Liciniano, ac de Aſturio & Montano, Antiſtibus Toletanis.

9. DATO autem, ac nullatenus conceſſo, quòd Patruinus in hoc Concilio ſubſcribens eſſet Præſul Toletanus; non ideo ſediſſet aut ſubſcripſiſſet ante omnes alios Epiſcopos, adhuc ſuæ provinciæ, niſi iis ordinatione antiquior eſſet. Multorum enim ſententia eſt, haud levibus fundamentis innixa, tempore hujus Concilii I. Eccleſiam Toletanam nondum fuiſſe Metropolitanam, ſed pluribus annis poſtea. Nimirum auctor antiquiſſimi illius Chronici, quo uſus fuit S. Iſidorus, & alii ſequentes, poſtquam enarravit everſionem urbis Carthaginis Hiſpaniæ à barbaris factam ineunte ſæculo quinto, inquit, *olim in eo loco fuiſſe urbis dignitatem: ſed poſtquam à Wandalis deſtructa fuit, Gotthorum tempore dignitatem translatam fuiſſe ad Eccleſiam Toletanam: quin & provinciam Toletanam adhuc appellari provinciam Carthaginenſem.*

10. Hæc verba ab antiquiſſimo illo ſcriptore tradita, quamvis lecta fuiſſent à S. Iſidoro, non exſtant in ipſo, ſicut neque apud Archiepiſcopum Rodericum Toletanum, vel Lucam Tudenſem, quicquid aliter ſentiat, vel cenſere videatur, Joan-

Joannes Vaſæus. Ipſe verò eo antiquo teſtimonio ductus, putat ab eo tempore everſionis urbis Carthaginenſis cœpiſſe Eccleſiam Toletanam habere jus Metropoliticum in reliquas diœceſes provinciæ Carthaginenſis, quo antea carebat. Immo & Illuſtriſs. Marca, *De Primatu Lugdun.* num. 124. inquit: *Tantum civitas Toletana aberat olim à Primatu, ut ſub Principum Romanorum Imperio nondũ aſſequuta eſſet Metropoleos dignitatem.* Imperium autem Romanorum perdurabat tempore hujus Concilii. Subſcribunt alii eidem placito, & in id comprobandum allegant S. Ildephonſum, qui in libro, ſive Additione Illuſtrium Virorum, nominans aliquos Præſules Toletanos, appellat illos Pontifices *Sedis Metropolis provinciæ Carthaginenſis*. Eodem fundamento ferè ducti aliqui, volunt Eccleſiam Toletanam ſubjacuiſſe Carthaginenſi tanquam Metropolitanæ, donec ob devaſtationem barbarorum, hujus dignitas ad illam translata eſt paullò poſt initium ejuſdem quinti ſæculi, ſive potiùs ob exaltationem urbis Toletanæ in Sedem Regiam Gotthorum, ac ſubinde ejuſdem Eccleſiæ in Metropolim totius provinciæ Carthaginenſis, tempore Leovigildi, inclinante ſæculo ſexto, ut alii volunt.

11. Ex adverſo, juxta Ambroſium Morales libro undecimo Chronici Generalis Hiſpaniæ, cap. 19. nunquam omnino Eccleſia urbis Carthaginenſis fuit Metropolitana, nec habuit jus aliquod ſupra Toletanam, etiam antequam devaſtaretur à barbaris. Non enim in Concilio Eliberitano, aut Cæſarauguſtano, aut Toletano iſto I. (quæ tria præceſſere irruptionem illam barbarorum) vel in alio teſtimonio eorum temporum, apparet ſignum aut veſtigium aliquod dignitatis Metropoliticæ in Eccleſia Carthaginenſi, vel primæ Sedis intra eam provinciam; ſed ſolùm ſimplicis Epiſcopatûs; & multò minùs præſtantia ſupra Eccleſiam Toletanam. Hæc ferè ille.

12. Certè in nullo eorum Conciliorum invenitur ſubſcripſiſſe primis quinque ſæculis, aut ab antiquis ſcriptoribus memoratus fuiſſe quiſquam Epiſcopus denominatus Carthaginenſis. Solùm apud S. Iſidorum libro *De viris illuſtr.* hæc leguntur; *Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, in Scripturis doctus, cujus quidem nonnullas Epiſtolas legimus; de Sacramento denique Baptiſmatis unam, & ad Eutropium Abbatem, poſtea Valentiæ Epiſcopum, plurimas. Reliqua verò induſtriæ & laboris ejus ad noſtram notitiam minimè pervenerunt. Claruit temporibus Mauricii Auguſti. Occubuit Conſtantinopoli, veneno, ut ferunt, extinctus ab æmulis. Sed, ut ſcriptum eſt, juſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.*

13. Hæc Iſidorus de Liciniano Epiſcopo Carthaginis Spartariæ ſub finem ſexti ſæculi aut initium ſeptimi. De ipſa autem Eccleſia & urbe ſcribit libro XV. Originum: *Afri ſub Annibale maritima Hiſpaniæ occupantes, Carthaginem Spartariam conſtruxerunt: quæ à Romanis capta, & colonia facta, nomen etiam provinciæ dedit. NUNC AUTEM A GOTTHIS SUBVERSA, ATQUE IN DESOLATIONEM REDACTA EST.* Hinc patet quòd Licinianus ab Iſidoro laudatus, dumtaxat fuerit Carthaginis Epiſcopus titularis, uti ſolent eſſe alii Præſules diœceſum deſolatarum; & veluti liber ab onere reſidendi in ſua diœceſi penitùs deſolata, perrexerit Conſtantinopolim ad poſcendum Imperatorum auxilium, præſertim Mauricii, cujus tempore floruiſſe dicitur ab Iſidoro.

14. Sed ante Licinianum hunc invenio alium Epiſcopum Carthaginenſem ſubſcribentem Concilio Tarraconenſi celebrato anno ſexto Theuderici (aliàs Theodorici) Regis, Conſulatu Petri. Erâ DLIV. id eſt, anno Chriſti DXVI. ubi tertio loco ſubſcribit *Hector Epiſcopus Carthaginenſis Metropolis*. Subſcripſerat autem ibidem loco ſecundo *Paullus in Chriſti nomine Epiſcopus Impuritanæ civitatis*: ſive, ut in alio Ms. legitur, *in Tiraſſonenſi civitate*. Quomodo autem is Epiſcopus ſubſcribit ante Hectorem Metropolitanum Carthaginenſem? Fortaſſe quia hic ſolùm erat titularis, ſicut paullò antè dictum fuit de Liciniano ejus ſucceſſore: ac proinde videtur ex arbitrio, aut temperamento quodam ſtatutum fuiſſe, ut Metropolitanus Carthaginis tunc deſolatæ ſederet & ſubſcriberet poſt Epiſcopum antiquiorem in eo Concilio.

15. Nota autem, adhuc longè poſt everſam à barbaris urbem Carthaginenſem, hujus Epiſcopos titulum ejus honoris conſervâſſe, & quidem titulum Metropoliticæ dignitatis: ut patet, præſertim in prædicto Hectore. Hic nimirum, anno Chriſti DXVI. ſe Metropolitanum Carthaginis appellabat: Licinianus verò poſtea, eodem ſæculo exeunte, Epiſcopus Carthaginis Spartariæ dicebatur. Forſan verò ii Epiſcopi rarò aut nunquam intervenerunt Conciliis, quoniam circa dignitatem & locum contendebant cum aliis Præſulibus, præſertim Toletanis, in quos tandem Metropoliticum jus translatum eſt.

16. Sed quid dicemus de Aſturio, qui ſubſcribit ſexto loco in hoc Concilio Toletano I.? Quomodo non ſedit ac ſubſcripſit primo loco, ſi tunc erat Præſul Toletanus, ut nos ſuprà diximus? Si hic erat ille ipſe Aſturius, qui ab Ildephonſo verbis allegatis num. 4. dicitur, *in Toletana urbe Sedis Metropolis provinciæ Carthaginenſis Pontifex*; quæ ratio eſſe potuit, ut poſt quinque alios Epiſcopos ſubſcriberet in hoc Concilio Toletano, & non potiùs ante omnes tanquam Metropolitanus?

17. Agnoſco difficultatem, ſed ejus generis, ut pariter illi ſatisfacere teneantur, quotquot recentiores volunt Eccleſiam Toletanam à principio, ſive à primis ſæculis Eræ Chriſtianæ, & nominatim tempore S. Anteri Papæ, circa annum CCXXXVII. fuiſſe Metropolitanam intra provinciam ſive Conventum Carthaginenſem, & cæteris ejus diœceſibus præſediſſe. Dato enim hoc, aut conceſſo, reſpondeant neceſſe eſt, aut rationem reddant, quomodo, aut cur Melantius Epiſcopus Toletanus in Concilio Eliberitano ſubſcripſerit, non primo loco, ſed ſeptimo, juxta diverſos Codices Mss. eruditiſſimi Mendozæ, & exemplar tam ab ipſo quàm à nobis editum Tomo I. pag. 270. aut potiùs tertio decimo loco, jux-

ta Mss. quibus uſus fuit D. Loaïſa? Quæ item ratio eſſe potuit, ut juxta omnia exemplaria Mss. primus omnium ibi ſederit ac ſubſcripſerit Felix Epiſcopus Accitanus, cujus Eccleſia nunquam fuit Metropolitana?

18. Certè omnes dicere debemus (quicquid ſit de diviſione provinciarum Hiſpaniæ in varias Metropoles, & quando ea facta ſit, & à quonam tempore Eccleſia Toletana eam præcellentiam habuerit ſuprà alias diœceſes provinciæ Carthaginenſis, aut etiam Primatum in omnes Metropolitanas Hiſpaniæ ac Galliæ Narbonenſis: quod examinare non eſt hujus loci) tempore hujus Concilii Toletani I. celebrati anno CD. permiſiſſe morem antiquum Hiſpaniæ, ut omnes Epiſcopi ſederent & ſubſcriberent in Conciliis juxta antiquitatem ſuæ ordinationis. Quapropter in Concilio Nationali Eliberitano videmus Felicem Epiſcopum Eccleſiæ Accitanæ, nunquam exaltatæ in Metropolim, immo & ſemper computatæ inter inferiores Hiſpaniæ, antiſtâſſe Sabino Hiſpalenſi, Melantio Toletano, Valerio Cæſaraguſtano, Liberio Emeritano, Oſio Cordubenſi, &c. Epiſcopis certè præſtantiorum Eccleſiarum & urbium.

19. In Cæſarauguſt. quoq; an. CCCLXXX. contra Priſcillianiſtas ſuperiùs edito, pariter Nationali, ſola videtur ratio habita fuiſſe antiquitatis ordinationum inter duodecim Epiſcopos ibidem ſubſcribentes. Ac certè Valerium Cæſarauguſtanum ibidem loco nono poſitum, & Idacium Emeritenſem duodecimo, conſtat fuiſſe Præſules nobiliorum Eccleſiarum & urbium, quàm alios potiori loco ſubſcribentes. Quid mirum ergo ſi idipſum viginti poſt annis contigerit in hoc Toletano Concilio? Neque ulla apparet ratio, cur tam brevi eo temporis interſtitio ea conſuetudo mutata fuerit in Hiſpania, nec Syricius Papa in Epiſtola ſatis longa, quam interea ſcripſit Himerio Præſuli Tarraconenſi, ac ſubinde reliquis Hiſpaniæ Epiſcopis, quicquam in ea parte monuit, aut mutavit.

20. Maneat itaque firmum, quod ſæpè jam diximus, Patruinum primo loco ſubſcribentem in hoc Concilio, non fuiſſe Epiſcopum Toletanum, ſed Emeritanum, cui ratione ordinationis antiquioris competebat primus inter omnes eos Epiſcopos locus. Nimium autem à vero aberrant, quotquot Higueriano figmento deluſi, pro *Patruino* legunt *Paternum*, qui tunc erat Epiſcopus Eccleſiæ Bracarenſis, ut huic afferant Primatum ſupra alias Hiſpaniæ in hoc Concilio: ſimiliter & qui legunt *Patronum*, ut eundem honorem tribuant Eccleſiæ Toletanæ, quæ iis quiſquiliis non eget. Habuit hæc quidem aliquando Præſulem nomine *Patronum*, ut patet ex Catalogis priſcis ſuprà allegatis: ſed longè ante tempora hujus Concilii: ſiquidem inter *Patronum* illum, & Aſturium ſubſcribentem huic Synodo, mediâ runt ſex Præſules Toletani, Turibius, Quintus, Vincentius, Paulatus, Natalis, & Audentius, quem S. Ildephonſus ait fuiſſe prædeceſſorem Aſturii Pontificis Toletani. Hic igitur eſt qui ſexto loco ſubſcribit, & de quo loquitur S. Ildephonſus.

21. Unde Joannes Vaſæus, Archipræſul Marca, Marchio Mondexarenſis, & alii multi, cenſent nullum exſtare certum & exploratum antiquitatis teſtimonium pro dignitate Matropolitica Eccleſiæ Toletanæ tempore hujus Concilii: nec habendam ullam rationem illius Arabis, nomine Raſis, qui quatuor retrò ſæculis ſcripſit, diviſionem provinciarum Hiſpaniæ (ac ſubinde Metropoleon) factam fuiſſe à Conſtantino Magno. Unde enim Arabs ille potuit id habere, ut jure arguit Baronius ad annū DCLXXX. Porrò dum S. Ildephonſus verbis allegatis num. 78. Toletanā urbem appellat *Sedem Metropolim provinciæ Carthaginenſis*, loquitur de Toletana urbe & Eccleſia, non qualis erat tempore Aſturii, ſive hujus Concilii; ſed qualis fuit poſtea tempore ſequenti.

22. Nimirum, ab anno CD. quo hoc Concilium Toletanum I. celebratum fuit, uſque ad Toletanum II. habitum ſub Montano Epiſcopo anno quinto Amalarici Regis, Chriſti verò DXXVII. non invenitur teſtimonium aliquod prorſus certum & exploratum de dignitate Metropolitica Eccleſiæ Toletanæ intra provinciam Carthaginenſem, nec S. Ildephonſus illam adſtruit. Quin potiùs antiqua jura Eccleſiæ Carthaginenſis, & Prælatorum ipſius, quamvis purè titularium, uti Hectoris & Liciniani, uſque ad finem ſæculi ſexti aut circiter, videntur impedimento fuiſſe Eccleſiæ Toletanæ ut toto eo tempore dignitatem Metropoliticam integrè obtineret, vel poſſideret pacificè.

23. Verùm quidem eſt, illā cœpiſſe exiſtere Metropolitanam *honoris*, ut ajunt, ſive denominationis, à tempore Montani Præſulis, & ejuſdem Concilii Toletani II. Nam in eo ipſe primus omnium ſubſcribit ante alios novem Epiſcopos: qui & cap. quinto ajunt: *Juxta priorum Canonum decreta, Concilium apud fratrem noſtrum Montanum Epiſcopum, ſi Dominus voluerit, futurum pronunciamus: ita ut frater & coepiſcopus noſter Montanus, qui in Metropoli eſt, ad comprovinciales noſtros, Domini ſacerdotes, literas de congreganda Synodo, adveniente tempore debeat deſtinare.* Indicere autem Concilium Provinciale habendum certa aliqua die, & convocare illuc Epiſcopos, eſt propria functio Metropolitani. Unde in Concilio Tarraconenſi anni DXVI. cap. VI. ſtatutum fuerat: *Siquis Epiſcopus commonitus à Metropolitano, ad Synodum, nulla gravi intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit, ſicut ſtatuta Patrum ſanxerunt; uſque ad futuram Concilium cunctorum Epiſcoporum charitatis communione privetur.* Itaque tempore Concilii Toletani II. Montanus Toletanus Præſul videtur inſignitus fuiſſe honore Metropolitanis annexo, quamvis adhuc Epiſcopi Carthaginenſes contenderent ſibi ſolis eam prærogativam deberi intra ſuam provinciam, cui ab antiquiſſimo tempore præſederant.

24. Idipſum ſatis indicare videtur S. Ildephonſus libro citato *De viris illuſtr.* cap. 3. dicens: *Montanus poſt Celſum PRIMÆ SEDIS PROVINCIÆ CARTHAGINIS TOLETANÆ URBIS CATHEDRAM TENUIT.* Quibus verbis

bis ſignificatur ſatis dignitas Montani Metropolitica in Toletana Eccleſia, ſi conſideretur ſimul præſidentia ipſius in Concilio Provinciali Toletano II. nuper indicato; ſimul & verba Ildephonſi ſequentia de ipſo: *Scripſit Epiſtolas duas Eccleſiaſtica utilitatis diſciplinâ conſertas: è quibus unam Palentiæ habitantibus, in qua præsbyteros chriſma conficere, Epiſcopoſque alienæ diœceſis, alterius territorii Eccleſias conſecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate*, &c. Epiſtolas porrò ipſas infrà ſuo loco dabimus. Quomodo autem poſſet Montanus ex Eccleſia Toletana aliquid præcipere aut vetare agendum in Palentina adeò longè diſſita, niſi tunc jus Metropolitani ſupra hanc haberet? Habuit igitur illud, quamvis fortè non omnino plenum, contendentibus adhuc Epiſcopis Carthaginis, licèt deſolatæ, jus ipſum Metropoliticum retinere intra provinciam Carthaginenſem, quod olim habuerant.

25. Quod autem D. Marchio Mondexarenſis Differt. IV. §. LXV. ait, ejuſmodi honorem tempore Montani acceſſiſſe Eccleſiæ Toletanæ, eò quòd Leovigildus ſedem ſuam Regiam Toleti elegiſſet; non ſatis congruit tempori. Nam teſte S. Ildephonſo, Montanus *glorioſus habitus fuit temporibus Amalarici Regis: annis novem Pontificatûs tenuit dignitatem*. Amalaricus autem, juxta chrono-taxin S. Iſidori & Wulſæ à nobis editam Tomo I. pag. 15. & 16. regnavit quinque annis, ab anno Chriſti DXXVI. uſque ad DXXXI. quo tempore interjecto Montanus Epiſcopus Concilium II. Toletanum celebravit, & Epiſtolas illas ſcripſit. Tunc autem non cœperat regnare Leovigildus, ſed multis annis poſtea: nimirum anno Chriſti DLXVIII. triginta ſex annis poſt obitum Amalarici, & ferè totidem poſt mortem Montani. Non igitur iſte Metropoliticam dignitatem exercere aut adminiſtrare cœpit, eo quòd Leovigildus Rex habitare Toleti cœpiſſet, & conſtituere ibidem ſedem Regiam; ſed multò antea.

26. Scilicet, ex quo Carthaginenſis civitas irruptione barbarorum deſtructa fuit ineunte ſæculo quinto, non potuit integrè aut plenè in ea conſiſtere dignitas Metropolitica, ſive cathedra primæ Sedis, licèt illius Præſules conarentur perſiſtere in antiquo honore, ſeſque Metropolitanos nominare: ut vidimus in Hectore & Liciniano. Porrò devaſtatio provinciæ Carthaginenſis videtur accidiſſe anno Chriſti CDXI. juxta Chronicon Idatii Epiſcopi Hiſpani tunc viventis: qui ad Olympiada CCXCVII. anno Arcadii & Honorii XVII. ideſt Chriſti CDXI. narrat irruptionem barbararum nationum in Hiſpaniam, & inter alia inquit: *ALANI LUSITANIAM ET CARTHAGINENSEM PROVINCIAM SORTIUNTUR*. Quod ipſum ferè conſtat ex Chronico Proſperi, & ex S. Auguſtino Epiſt. CLXXX. aliàs CCXXVIII. editionis San-Germanenſis, ad Honoratum Epiſcopum. Itaque ab eo tempore Metropolitica dignitas apud Carthaginem dirutam cadere cœpit, & paullatim transferri in Eccleſiam Toletanam: ut ſuprà num. 72. audivimus ex antiquiſſimo illo Chronico, quo Sancti Præſules Iſidorus & Ildephonſus uſi ſunt.

27. Similiter eam controverſiam Præſulum utriuſque Eccleſiæ circa dignitatem Metropoliticam, credo cauſſam fuiſſe, ut nulli Epiſcopi (titulares) Carthaginenſes, legantur interveniſſe alicui Concilio Hiſpaniæ intra ſæculum quintum & ſextum; niſi Tarraconenſi anno DXVI. ubi ſubſcripſit *Hector Epiſcopus Carthaginenſis Metropolis*, & non adfuit Præſul Toletanus, qui poſſet movere controverſiam præcedentiæ. Concilia autem Toletana II. & III. habita intra ſæculum ſextum, nullius Præſulis Carthaginenſis ſubſcriptionem habent: nam licèt tempore ſecundi viveret Hector, & Licinianus tempore tertii; neuter eorum videtur auſus fuiſſe excitare controverſiam adversùs Præſules Toletanos, jam tum longa poſſeſſione munitos in dignitate Metropolitica ejuſdē provinciæ Carthaginenſis. Similiter nec invenio quemquam Epiſcopum Carthaginis, adhuc titularem, ſubſcribentem decurſu ſexti ſæculi Conciliis, Gerundenſi, Barcinonenſi, Ilerdenſi, Valentino, Bracarenſi I. Lucenſi, aut Bracarenſi II. Fortaſſis Epiſcopi alii, præſertim ordinatione antiquiores, nolebant loco cedere Carthaginenſibus, veluti Sede deſtitutis: ideoque hi intra eas Synodos admiſſi non ſunt.

EXCURSUS III.

Dignitas Metropoleos conſervata indiſcriminatim in Eccleſia Toletana, aliiſque Hiſpaniæ ac Galliæ Narbonenſis, à tempore Concilii Toletani III. uſque ad XII. Porrò in hoc conceſſum fuiſſe Toletanis Præſulibus Primatum aliquem ſpecialem præ aliis Metropolitanis Hiſpaniæ, ac tandem ſeſſionem & ſubſcriptionem ante omnes alios, etiam ordinatione antiquiores.

28. ITAQUE Metropolitica dignitas in totam provinciam Carthaginenſem videtur inchoata fuiſſe apud Eccleſiam Toletanam paullò poſt annum Chriſti quadringenteſimum undecimum, quo illa ab Alanis partim everſa, partim occupata fuit. Ab eo enim tempore, licèt Epiſcopi Carthaginis, urbis primariæ ejus provinciæ, utcumque exſules aut profugi, retinerent titulum Metropolitanorum, nec vellent illum deponere; Toletani tamen Epiſcopi prævaluerunt, & paullatim tam rem quàm titulum iis abrogârunt, atque in ſe tranſtulerunt, ſcientibus abſdubio & conniventibus reliquis Epiſcopis ejuſdem provinciæ, & Metropolitanis aliarum Hiſpaniæ.

29. Unde non ſolùm in Concil. Toletano II. anni DXXVII. Montanus ejus Eccleſiæ Præſul ſe geſſit veluti Metropolitanus; ſed etiam poſtea in Concilio III. Toletano anni DLXXXIX. Euphemius Toletanus inter Metropolitanos præcipuum locum habuit. Nimirum ibidem primus omnium ſubſcribit poſt Reccaredum Regem, *Maſſona in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus, provinciæ Luſitaniæ*. Deinde ſecundo loco, *Euphemius in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanus Epiſcopus, provinciæ Carpetaniæ*. Tertius illo-

rum, *Leander in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis Metropolitanus provinciæ Baticæ*. Quartus, *Migetius in Chriſti nomine Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus Galliæ provinciæ*. Quintus denique, *Pantardus in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Bracarenſis Metropolitanus Galliciæ provinciæ*.

30. Vides hoc loco Euphemium Præſulem Toletanum anno DLXXXIX. tanquam Metropolitanum ſubſcribentem ſecundo loco inter alios quatuor Eccleſiarum Emeritenſis, Hiſpalenſis, Narbonenſis, & Bracarenſis, cum ſola diſcretione ſedendi & ſubſcribendi. Licèt enim omnes ac ſinguli Metropolitani ſederent ac ſubſcriberent ante quoslibet Epiſcopos, etiam antiquiores ordine ſeu conſecratione; inter ſe tamen ſolius antiquitatis rationem habuerunt in eo Concilio, omnium celeberrimo, quotquot in Hiſpaniis habita ſunt, ob converſionem Reccaredi Regis cum Gotthis ſibi ſubjectis, ab Ariana hæreſi ad Catholicam Fidem.

31. Idem ordo præcedentiæ ſervatus fuit poſtea in aliis Conciliis Nationalibus Hiſpaniæ, ubi varii Metropolitani conveniebant. Non enim attendebatur major vel minor antiquitas, aut prærogativa aliqua unius Eccleſiæ Metropolitanæ comparatæ cum alia; ſed dumtaxat antiquitas temporis, quo primò quiſque inſtitutus fuerat Metropolitanus Præſul cujuſpiam Eccleſiæ. Et ita obſervatum fuit in alia Synodo Toletana, ejuſque Decreto ſub Gundemaro Hiſpaniæ Rege, cui ſubſcribunt juxta antiquitatem ſuarum ordinationum quatuor Metropolitani, S. Iſidorus Hiſpalenſis, Innocentius Emeritenſis, Euſebius Tarraconenſis, & Sergius Narbonenſis.

32. Similiter in Tolet. IV. an. DCXXXIII. ſubſcribunt juxta antiquitatem ſuarum ordinationum Metropolitani ſex: nimirum, Iſidorus Hiſpalenſis, Selva Narbonenſis, Stephanus Emeritenſis, Julianus Bracarenſis, Juſtus Toletanus, & Audax Tarraconenſis.

33. In Toletano VI. Univerſali (ita inſcribitur) XLVIII. Epiſcoporum, an. DCXXXVIII. ſubſcribunt eodem ordine ſervato quatuor Metropolitani, Selva Narbonenſis, Julianus Bracarenſis, Eugenius Toletanus, & Honoratus Hiſpalenſis.

34. In Toletano VII. pariter Nationali, anni DCXLVI. leguntur ſubſcripti eodem ordine quatuor Metropolitani, Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Toletanus, & Protaſius Tarraconenſis. In VIII. an. DCLIII. ſubſcribunt tres ii priores Metropolitani, & loco quarti Potamius Bracarenſis. Corrigendum verò eſt abſdubio erratum immane temporis exſtans apud Loaïſam pag. 447. ver. 25. ubi legitur: *Erâ DCLXIV. Octavum poſt viginti ſeptem annos, Erâ DCXCI.* Legendum verò eſt: *Erâ DCLXXXIV. Octavum poſt ſeptem annos, Erâ DCXCI.* Denique in Toletano X. ad annum Chriſti DCLVI. ſubſcribunt ſolo ordine antiquitatis ſervato tres Metropolitani, *Eugenius REGIÆ URBIS, Fugitivus Spalenſis, & Fructuoſus Bracarenſis*, nimirum ſuffectus ibi in locum Potamii depoſiti.

35. Conſultò allegavi omnia prædicta Concilia, ut conſtet palam, quinam Præſules Hiſpani ab ineunte, aut etiam inclinante ſexto ſæculo, & deinceps, uſque ad annum DCLVI. ſederint ac ſubſcripſerint in Conciliis Nationalibus tanquam Metropolitani, & quo ordine inter ſe: ut hinc præoccupentur & rejiciantur prolixiſſimæ variorum quæſtiones circa Primatum Hiſpaniæ preſsè ſumptum: quem aliqui iis temporibus contendunt fuiſſe penes Eccleſiam Bracarenſem: nonnulli, & in iis doctiſſimus Joannes Morinus, tribuunt Hiſpalenſi: alii Tarraconenſi: ac plerique Toletanæ. Mirum quantum unaquæque earum partium excogitaverit & ſcripſerit, ac majori longè conatu & ardore, quàm fundamento aut fructu.

36. Vel enim loquuntur de Primatu generatim dicto, & uſurpato pro Sede Metropolitana, quæ & prima Sedes provinciæ appellari ſolet in his Conciliis; vel diſceptatio eſt de Primatu preſsè accepto, cum præcedentia, honore, ac prærogativis ſupra alios Metropolitanos cujuſpiam nationis aut regni, etiam ordinatione antiquiores; qualiter plerumque accipitur Primatus apud ſcriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vel Hierarchiæ, ac nominatim Cardinalem Baronium, Franciſcum Hallierium, Dionyſium Petavium, Ludovicum Cellotium, Petrum Marca, Ludovicum Thomaſinum, &c. Priori ſenſu dubium non eſt, Epiſcopos Eccleſiarum Toletanæ, Hiſpalenſis, Tarraconenſis, Bracarenſis, Emeritanæ, & Narbonenſis, ſaltem ab inclinante ſexto ſæculo uſque ad medium circiter ſeptimi, Primates fuiſſe, id eſt, Metropolitanos, ſive Epiſcopos primæ Sedis aut cathedræ, intra unamquamque provinciam.

37. Poſteriori autem ſenſu eſt paradoxon immane quòd aliqua earum ſex Eccleſiarum ſibi Primatum adſcribat eo tempore ſupra alias pariter Metropolitanas Hiſpaniæ: cùm evidens ſit, Archipræſules earum in ſedendo ac ſubſcribendo Nationalibus Conciliis citatis uſque ad annum DXLVI. ſolùm attendiſſe antiquitatem ordinationum: & eos ipſos qui initio ſubſcribebant in uno Concilio poſt alios Metropolitanos antiquiores quarundam Eccleſiarum, poſtea, his defunctis, ſediſſe ac ſubſcripſiſſe ante alios noviores Eccleſiarum earundem: ut in eiſdem Actis accuratiùs inſpectis apparebit. Non itaque Præſules Toletani, vel Hiſpalenſes, aut alii ex Metropolitanis Hiſpaniæ, habuerunt unquam præeminentiam illam propriam, & peculiarem Primatum, ſaltem uſque ad annum Chriſti DCLVI. quo celebratum fuit Concilium Toletanum X. Nationale. Nimirum, tam in eo, quàm in aliis præcedentibus, nulla Eccleſia ex Metropolitanis Hiſpaniæ, nulluſque Præſul Metropolitanus præferebatur alteri; ſed omnes ii ſedebant ac ſubſcribebant juxta antiquitatem majorem aut minorem ſuæ ordinationis.

38. Hic ordo Metropolitanorum Hiſpaniæ, abſque ullo inter eos diſcrimine, perduràſſe invenitur uſque ad Concilium Toletanum XII. Nationale, celebratum Erâ DCCXIX. id eſt, anno Chriſti DCLXXXI. in quo Præſulibus Toletanis, ob honorem ejus urbis Regiæ, cupiente id Ervigio

Rege,

Rege, & aſſentientibus Metropolitanis qui aderant, etiam antiquioribus, ac reliquis Epiſcopis, conceſſa fuit Præſulibus Toletanis quædam ſpecialis prærogativa, nulli alteri Metropolitanorum data. Nimirum, ibidem cap. 6. hæc habentur: *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores: ita tamen, ut quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus infra trium menſium ſpatium proprii Metropolitani præſentiam viſurus accedat: qualiter ejus auctoritate vel diſciplinâ inſtructus, condignè ſuſceptæ Sedis gubernacula teneat.*

39. Hæc inibi contemplatione Regum Hiſpaniæ in honorem Metropolitani Regiæ urbis ſtatuta fuerunt. Exinde primùm Toletani Præſules inter omnes Hiſpaniæ Metropolitanos extulêre caput, & peculiari titulo Primates eſſe, aut etiam dici, cœperunt, & iis omnibus loco ac ſubſcriptione præcedere. Unde in eodem Concilio hunc ordinem ſervant ſubſcriptiones: *Ego Julianus, indignus urbis Regiæ Toletanæ ſedis Epiſcopus, hæc ſynodica inſtituta à nobis edita ſubſcripſi*. Statim verò ſequuntur tres alii Metropolitani, Julianus Spalenſis, Liuba Bracarenſis, & Stephanus Emeritenſis.

40. Poſt Acta ejuſdem Concilii profertur lex quædam Ervigii Regis in ejus confirmationem, ac nominatim *de conceſſa Toletano Pontifici Generalis Synodi poteſtate, ut Epiſcopus alterius provinciæ cum conniventia Principum in urbe Regia ordinetur*. Deinde omnia ibidem ſtatuta, poſtea confirmata fuerunt in Concilio XIII. Toletano Nationali, celebrato ann. DCLXXXIII. cui ſubſcribit primò omnium Julianus Toletanus, deinde Liuba Bracarenſis, Stephanus Emeritenſis, & Floreſindus Spalenſis.

41. Succeſſit anno DCLXXXIV. Concilium Toletanum XIV. idque Provinciale dumtaxat: in quo licèt Præſules Toletani jam ſublimati eſſent, non modò dignitate Metropolitanorum jamdiu poſſeſſa, ſed etiam Primatu inter alios omnes Hiſpaniæ; adhuc tamen provincia ipſa dicitur *Carthaginis*, ut antea.

42. Deinde in Concilio XV. Toletano Nationali, LXI. Epiſcoporum, ſub Egicane Rege, anno DCLXXXVIII. ſubſcribit primus idem Julianus Toletanus, ac poſtea Sniefredus Narbonenſis, Floreſindus Hiſpalenſis, Fauſtinus Bracarenſis, & Maximus Emeritenſis.

43. Denique in Concilio XVI. Toletano Nationali, Epiſcoporum LX. anno DCXCIII. ſubſcribit primo loco (quod maximè obſervandum eſt) Felix Pręſul Toletanus, recentiſſimè electus in ea ipſa Synodo, ante alios Metropolitanos antiquiores ordinatione; videlicet, ante Fauſtinum Hiſpalenſem, Maximum Emeritenſem, Veram Tarraconenſem, & Felicem Bracarenſem. Scilicet in eo Concilio depoſitus fuit cap. IX. Siſbertus Præſul Toletanus ob crimen læſæ majeſtatis, ſeu necem intentatam Egicani Regi Hiſpaniæ; atque in ejus locum ſuffectus eſt Felix, & translatus ex Hiſpalenſi Eccleſia, cui præerat. Is verò ſtatim ſedit ante omnes alios Metropolitanos, quamvis ordinatione antiquiores, in ſignum Primatûs & excellentiæ, duodecim annis antea ſtatutæ in Concilio XII. Toletano, ut paullò antè vidimus.

44. Objiciet quiſpiam, Felicem fuiſſe tunc translatum ab Eccleſia Hiſpalenſi ad Toletanam, ac proinde non ſatis conſtare quòd eſſet ordinatione recentior aliis Metropolitanis. Potuit itaque ſubſcribere ante illos in Concil. Tolet. XVI. ratione antiquitatis majoris, & non titulo Primatûs Eccleſiæ Toletanæ in reliquas Metropolitanas Hiſpaniæ.

45. Verùm hæc evaſio præcluditur facilè: quia licèt Felix jam antea eſſet Præſul Hiſpalenſis, adhuc tamen ſecundùm ordinationem erat recentior Fauſtino & Maximo Metropolitanis, quibus tamen præpoſitus fuit ſtatim ac Præſul Toletanus nominatus eſt. Quod igitur Felix utrique præponatur in Concilio XVI. Toletano, non aliunde oritur, quàm ex Primatu Toletani Præſulis jam tunc ſtabilito ſupra alios Metropolitanos, etiam ordinatione antiquiores. Aſſumptum, ex quo cætera pendent, demonſtratur ex Concilio Toletano XV. pariter Nationali, quinque annis antea celebrato, in quo præfuit *Julianus urbis Regiæ* (Toleti) *Metropolitanus*, ac deinde ſubſcripſerunt ordine ſuo Suniefredus Narbonenſis, Floreſindus Hiſpalenſis, Fauſtinus Bracarenſis, & Maximus Emeritenſis. Nec ulla ibi Felicis cujuſpiam Metropolitani ſubſcriptio aut memoria eſt. Omnes ergo ii quinque Metropolitani ordinati fuerunt priuſquam Felix in Metropolitanum eligeretur. Hoc enim contigit aliquantò pòſt, mortuo jam Floreſindo Hiſpalenſi, cui ſucceſſit idem Felix in ea Sede. Patet itaque Fauſtinum Bracarenſem, & Maximum Emeritenſem, antiquiores Metropolitanos fuiſſe Felice illo Toletano, qui in Concilio XVI. translatus ex Sede Hiſpalenſi ad Toletanam ob depoſitionem Sisberti, præfuit eidem Synodo, ac ſubſcripſit ante eoſdem Fauſtinum & Maximum. Ejus autem prælationis nulla alia idonea ratio afferri poteſt, quàm ex dignitate ſpeciali Primatûs collata Præſulibus Toleti urbis Regiæ, de conſenſu omnium Hiſpaniæ Epiſcoporum, & ſuggeſtione Gotthorum Hiſpaniæ Regum, ut ſuprà vidimus.

EXCURSUS IV.

Primatus Eccleſiæ Toletanæ, tam in totam provinciam Carthaginenſem, quàm in alias Hiſpaniæ Metropoles, quibus gradibus & quomodo ſtabilitus fuerit; præſertim ab anno DCLXXII. & unctione Regia Gotthorum in ſuis coronationibus, uſque ad irruptionem Sarracenorum in Hiſpaniam, & deinceps à tempore Urbani II. Papæ. Quædam in Catalogo Toletanorum PP. notata.

46. COLLIGE ex dictis, dignitatem Metropoliticam non eſſe adeò antiquam in Eccleſia Toletana, ac quidam volunt. Non enim ullum ejus ſolidum fundamentum in tota antiquitate exſtat intra priora quatuor ſæcula: cùm adhuc poſt diviſionem provinciarum Hiſpaniæ factam, ſive à Conſtantino Magno, ſive à quovis alio Auguſto, civitas Toletana, juxta omnes, ſpectaret ad provinciam Carthaginenſem, cujus caput toto eo tempore fuit Carthago ipſa, *cunctarum in eo tractu urbium potentiſſima*, ut inquit de illa loquens Strabo lib. 3. De Toleto autem ſolùm habemus ex Plinio lib. 3. cap. 3. & Livio Decade 4. lib. 5. *parvam urbem* fuiſſe, quamvis *loco munitam*. Et licèt fortè initio quinti ſæculi, quo habitum fuit Concilium hoc, eſſet civitas aliquantò major, aut celebris; minùs tamen quàm Carthago Spartaria, adhuc integra, potens, & nondum ullam direptionem paſſa. Dignitatem autem Metropoliticam Eccleſiarum fuiſſe olim frequenter, aut etiam ſemper, conſtitutam in illis urbibus, quæ primæ ac celeberrimæ erant cujuslibet provinciæ, notiſſimum eſt, & jam à nobis oſtenſum Tomo I. Diſſert. X. Non itaque dignitas Metropolitica initio quinti ſæculi, aut antea, in Eccleſia Toletana, ſed in Carthaginenſi conſtituta fuit. Lege Chriſtianum Lupum in Canonem IV. Concilii Nicæni.

47. Unde ſi anno CD. quo fuit celebratum hoc Concilium, excitaretur controverſia inter Eccleſias Carthaginenſem & Toletanam, utra ex iis Primatum totius provinciæ obtineret, ac proinde jus prælationis; dirimenda eſſet lis ſimili reſponſo, ac quædam alia inter Eccleſias Arelatenſem & Viennenſem Galliæ, terminata in Concilio Taurinenſi Canone II. hiſce verbis: *Ut qui ex eis probaverit ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius provinciæ honorem Primatûs obtineat*. Cùm igitur certum ſit, tam tempore hujus Concilii, quàm antea, ab initio Eræ Chriſtianæ, atque ævo Livii, Strabonis, & Plinii, urbem Carthaginem fuiſſe Metropolim totius ejus provinciæ, quæ ab ea *Carthaginenſis* dicta fuit; non autem urbem Toletum, quæ minùs celebris habebatur; controverſia inter utramque de Primatu, ſive Archipræſulatu ejus provinciæ, potiùs in honorem Carthaginenſis urbis, quàm Toletanæ, dirimenda fuiſſet.

48. At enim vix, aut ne vix quidem, ulla inter veteres illos & ſanctiſſimos Præſules controverſia fuiſſe invenitur, quis præcedere deberet in Conciliis aut alibi quopiam titulo Principatûs aut eminentiæ. Fixum enim erat ipſorum animis quod poſtea Gregorius Nazianzenus Orat. XVIII. dixit coram magna urbe CP. cujus Epiſcopus erat: ὡς ὄφελόν γε μηδὲ ἦν προεδρία, μηδέ τις τόπου προτίμησις, καὶ τυραννικὴ προνομία, ἵν᾽ ἐξ ἀρετῆς ἐγνωριζόμεθα. *Utinam autem ne ullius quidem Sedis Principatus eſſet, nec ulla loci prælatio, nec tyrannica prærogativa, ut ex ſola virtute cognoſceremur.* Quare nec in hoc Concilio Toletano I. nec in aliis eo antiquioribus legitur fuiſſe diſſidium Epiſcoporum circa præeminentiam aliquam. quin potiùs in Eliberitano videmus Melantium Toletanum, Sabinum Hiſpalenſem, & Liberium Emeritanum (quorum Eccleſiæ ſemper nobiliſſimæ fuerunt) loco ceſſiſſe, ac ſediſſe poſt Felicem Epiſcopum Eccleſiæ Accitanæ, longè inferioris.

49. Nimirum à primis ſæculis Eræ Chriſtianæ receptum fuerat quod longè poſtea, decreto Sancti Gregorii Magni ſtatutum fuit lib. 7. indict. 2. Epiſt. CXII. ad Syagrum Epiſcopum Auguſtod. hiſce verbis: *Epiſcopos ſecundùm ordinationis tempus, ſive ad conſidendum in Concilio, ſive ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua attendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogativam ordinum vindicare.*

50. Et hæc eſt ratio genuina cur neque in hoc Concilio Aſturius, nec in Eliberitano Melantius, ambo Præſules Toletani, ſubſcripſerint ante alios Epiſcopos antiquiores ordinatione, ſed ſolùm juxta ſuæ ordinationis tempus; multò autem minùs præceſſerint alios quoslibet diverſarum provinciarum, velut Primates totius Hiſpaniæ à primis Eccleſiæ ſæculis, ut nonnulli adulatores inſulsè obtruſerunt, aut finxerunt calamo venali, ut magnam illam Eccleſiam nullis elogiis fictitiis egentem demererentur. Quamdiu enim permanſit Carthago Spartaria, totius ejus provinciæ caput, *civitas Toletana* (ut jure inquit Archiepiſcopus Marca diſſerens de Primatu Lugdunenſi n. 124.) *tantum aberat olim à Primatu* (totius Hiſpaniæ) *ut ſub Principum Romanorum imperio* (quod quatuor primis Eccleſiæ ſæculis integris permanſit) *nondum aſſecuta eſſet Metropoleos dignitatem*.

51. Hanc itaque paullatim exercere cœpit poſt annum CDXI. quo Carthago barbaricis irruptionibus vaſtata fuit. Nam licèt adhuc illius Præſules nollent exuere dignitatem Metropoliticam ſuæ provinciæ, retinerentque titulum; Toletani tamen Epiſcopi, ferè in medio ejuſdem provinciæ poſiti, & in urbe ſatis forti ac conſpicua, nullumque ab hoſtibus detrimentum paſſâ, prævaluerunt, ac tandem ii ſoli Metropolitani provinciæ Carthaginenſis evaſerunt, & paſſim denominati ſunt, præſertim poſt decretum Gundemari Hiſpaniæ Regis editum an. Chriſti DCX. & infrà ſuo loco proferendum integrè, in quo aſſidentibus S. Iſidoro Hiſpalenſi, & aliis viginti quinque Epiſcopis, dicitur: *Honorem Primatûs, juxta antiquam ſynodalis Concilii auctoritatem, per omnes Carthaginenſis provinciæ Eccleſias, Toletanæ Eccleſiæ Sedis Epiſcopum habere oſtendimus: eumque inter ſuos Coepiſcopos, tam honoris præcellere dignitate, quàm nominis.*

52. Nec tamen inde colligas, dignitatem Pri-

Primatûs in totam Hiſpaniam fuiſſe datam tunc Præſulibus Toletanis. Solùm enim data aut confirmata lis in citato Decreto fuit dignitas, ſive HONOR PRIMATUS, *per omnes Carthaginenſis provinciæ Eccleſias*, nimirum, honor proprius Metropolitani Præſulis intra totam eam provinciam, quemadmodum alii Metropolitani ibidem ſubſcribentes Primatum ſuum habebant intra provincias Bæticam, Luſitanam, Tarraconenſem, & Narbonenſem. Unde ſtatim poſt verba citata ſubditur eorum explanatio, *juxta quod de Metropolitanis per ſingulas provincias antiqua Canonum traditio ſanxit, & auctoritas vetus permiſit*. Ratio autem ejus Decreti redditur maximè notanda: *Neque eamdem Carthaginenſem provinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine, contra Patrum decreta, permittimus dividendam, per quod oriatur varietas ſchiſmatum, quibus ſubvertatur Fides, & unitas ſcindatur*.

53. Hæc poſtrema verba apertiſſimè confirmant quod ſuprà aſſeruimus de diſſidio gravi ac diuturno poſt Carthaginem everſam à barbaris anno circit. CDXI. inter Præſules Carthaginenſes & Toletanos, circa dignitatem Metropoliticam in eam Carthaginenſem provinciam. Præſules enim Carthaginenſis urbis volebant perſiſtere in ea dignitate & jure antiquo, illudque retinere curârunt ſæculis quinto ac ſexto, præſertim Hector & Licinianus, de quibus ſuprà. Aliunde verò Præſules Toletani, ac ſpeciatim Montanus, id jus Metropoliticum in totam provinciam, ſibi deberi allegabant ab eo tempore quo Carthago Spartaria fuit everſa. Hinc orta ſunt graviſſima diſſidia inter Præſules utriuſque Eccleſiæ, & ſchiſmata intra eandem provinciam: quibus exſtirpandis cautum fuit hoc Decreto, ut unica cenſenda eſſet provincia Carthaginenſis; non duplex aut diviſa in plures: ſimiliterque ut Præſul Toletanus ſolus eſſet Metropolitanus totius ejus provinciæ, antiquato prorſus alio Metropolitano Carthaginenſis urbis titulari Præſule. Eo autem Decreto publicato ac recepto in tota Hiſpania, ſolus Præſul Toletanus de cætero fuit Metropolitanus Carthaginenſis illius provinciæ.

54. Unde poſt prædictum ann. DCX. abſque diſſidio aut contradictione ulla Præſules Toletani ſederunt ac ſubſcripſerunt ſimul cum aliis Metropolitanis, ſervato ſolùm cum iis gradu antiquitatis ſive ordinationis, ante omnes alios Hiſpaniæ Epiſcopos ſimplices. Hi enim ita inter ſe antiquitatem ordinationis attendebant in ſedendo ac ſubſcribendo, ut tamen loco & gradu cederent quibuslibet Metropolitanis, etiam minùs antiquis. Ita enim cautum fuit in Conc. Bracarenſi I. Can. XXIV. dum dicitur: *Item placuit, ut conſervato Metropolitani Epiſcopi Primatu, cæteri Epiſcoporum ſecundùm ſuæ ordinationis tempus, alius alii ſedendi deferat locum*. Et S. Iſidorus in *Ordine celebrandi Concilium* (edito à nobis Tomo I. pag. 227. & ſeqq.) inquit: *Horâ diei primâ ante ſolis ortum rejiciantur omnes ab Eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtabunt, & convenientes omnes Epiſcopi pariter introëunt, ac ſecundùm ordinationis ſuæ tempus reſidebunt*. Qui mos etiam in Eccleſia hac Romana, omnium aliarum magiſtra, perpetuus fuit: ut in Cappella Pontificia, aliiſque publicis cleri Romani ſynaxibus, Archiepiſcopi omnes, ordine antiquitatis inter ſe ſervato, præcedant omnes alios Epiſcopos, etiam antiquiores: hi verò antiquitatem ordinationis ſervent inter ſe.

55. Hæc ita ſe habuerunt in Hiſpania poſt prædictum annum DCX. quo editum fuit Gundemari Decretum, & ſtabilita eſt dignitas Metropolitica totius Carthaginenſis provinciæ in ſolo Præſule Toletanæ Eccleſiæ. Quod autem apud Lucam Tudenſem & alios dicitur de translatione Primatûs ab Eccleſia Hiſpalenſi in Toletanam, ob ſcelera Theodiſci Præſulis Hiſpalenſis, & ſucceſſoris S. Iſidori, videtur prorſus fabuloſum: ut oſtendi Tomo I. Diſſert. IV. Excurſu VII. Vera itaque origo Primatûs ſupremi Eccleſiæ Toletanæ in totam Hiſpaniam, deſumitur ex continua habitatione Gotthorum Regum, & ſolenni coronatione, quâ ab ejus Præſulibus inungebantur. Nam, teſte S. Iſidoro, Reccaredus Hiſpaniæ Rex, qui Concilio Toletano interfuit an. DLXXXIX, & in eo abjuravit hæreſin Arianam coram omnibus Toletanis civibus; in eadem pariter urbe coronationem Regiam accepit. At ea multò ſolenniùs videtur data fuiſſe longè poſtea Wambæ, ſive Wambani Regi Hiſpaniæ anno DCLXXII. de quo ſcribit S. Julianus Toletanus in Chronico: *Ne citra locum ſacræ ſedis Toletani Regni ſacram ſuſciperet unctionem*, (nimirum, quâ tunc coronabantur Reges Hiſpaniæ) *diſtulit celebrationem uſque ad nonam decimam diem: ne videretur ambitione uſurpâſſe, vel furatus eſſe regni gloriam; ſed potiùs ſignum ſancti culminis* (ſcilicet unctionem Regiam) *à Deo accepiſſe*.

56. Porrò Wamba diſtabat *centum & viginti milliariis*, teſte eodem Juliano, ab urbe Regia Toleto, quando electus fuit. Noluit autem coronari ubi nuncium exaltationis ſuæ accepit; ſed ad ipſam Metropolin totius Regni ſe contulit, ut Regiam ibi unctionem acciperet. *Poſtquam autem* (inquit Julianus) *Toletanam urbem ingreditur, & ventum eſt quò ſacræ unctionis acciperet ſignum; Regio jam cultu conſpicuus, jurandi fidem populis reddidit, & mores bonos prædeceſſorum Regum atque leges firmavit. DEINDE OLEUM BENEDICTIONIS PER SACRI PRIMATIS ET PONTIFICIS QUIRICII MANUS VERTICI EJUS REFUNDITUR*, &c. Ac deinde: *Curvatis genibus, oleum benedictionis PER SACRI PRIMATIS MANUS vertici ejus refunditur*.

57. Vides qualiter anno DCLXXII, quo coronatus fuit Wamba Rex, Eccleſia & urbs Toletana ad ſummum jam honorem aſcendiſſent, non modò Metropoleos totius Carthaginenſis provinciæ, (quod jam pridem habebant) ſed etiam Eccleſiæ & urbis Regiæ, à cujus *Primate & Pontifice* Reges in ipſa coronatione ſacram unctionem acciperent. Vides eam prærogativam jam tum ita propriam fuiſſe Præſulum Toletanorum, & illius magnæ Eccleſiæ, ut ſi quando aliquis inde diſtans eligeretur in Regem, non alibi coronaretur,

tur, ſed intra Eccleſiam Toletanæ urbis, & per *ſacri ejus Primatis & Pontificis manus*. Nihil autem horum conceſſum legitur cuipiam alteri ex Metropolitanis aliarum provinciarum Hiſpaniæ. Toletanus itaque Præſul ſaltem ab eo anno DCLXXII. inter alios omnes Hiſpaniæ Metropolitanos Primatum ſpecialem, ſeu peculiarem excellentiam habuit.

58. Et ea quidem ipſa paullò poſtea longè major fuit, nimirum, anno DCLXXXI. in Concilio XII. Toletano ſub Ervigio Rege: ubi cap. VI. totius illius Concilii Nationalis decreto, & Regio aſſenſo, conceſſum fuit, *ut, ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores*. Hoc privilegio adeò ſingulari (quod *placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ*, ut ibidem dicitur, & Regibus ipſis, conferre Præſulibus Eccleſiæ Toletanæ) aſcenderunt ii ad ſupremam quandam excellentiam, & Primatum peculiarem ac preſſiùs dictum, ultra illum communem, quem jam antea habebant cum Metropolitanis aliis, Hiſpalenſi, Tarraconenſi, Emeritano, Bracarenſi, & Narbonenſi. Itaque tam in eo Concilio XII. Toletano, quàm in aliis omnibus, quotcumque intra Hiſpaniam celebrata fuerunt Nationalia uſque modò, pluſquam mille annorum ſpatio, ubicumque intervenêre Præſules Toletani cum aliis Metropolitanis, ſemper primum locum habuerunt, veluti Primates totius Hiſpaniæ, etiamſi contingeret alios Metropolitanos intervenire ordinatione antiquiores: ut ſuprà vidimus num. 38. & 39.

59. Quòd ſi à tempore everſionis Hiſpaniæ uſque in diem hanc non videmus plures Præſules Toletanos ſubſcribentes ante alios Metropolitas, ideo eſt, quia in tot iſtis ſæculis vix invenitur Concilium aliquod Hiſpaniæ totius Nationale, inſtar illorum veterum. Solùm fuere Concilia Provincialia aut Diœceſana: in quibus nunquam concurrunt plures Metropolitani. Si autem concurriſſent, veluti in Conciliis Toletanis XII. XIII. XV. XVI. & XVII. dubium non eſt quin Toletanus Præſul tanquam Primas totius Regni præcederet omnes alios in ſedendo, ſubſcribendo, & ordinando, etiamſi ipſi eſſent ordinatione antiquiores. quemadmodum in Concilio illo Toletano XVII. obſervatum fuiſſe demonſtravimus ſuprà.

60. Mitto privilegia plurima Romanorum Pontificum à tempore Urbani II. & deinceps, quibus confirmatur Primatus Toletanorum Præſulum in totam Hiſpaniam, ab eo tempore quo Eccleſia illa celeberrima, ac Deiparæ Virginis deſcenſu & alloquio ad S. Ildephonſum decorata, erepta fuit Sarracenis, & in Chriſtianorum poteſtatem veluti poſtliminio rediit, circa annum Chriſti MLXXXV. Bernardo enim Abbati Benedictino S. Facundi, & jam tum Præſuli Toletano, qui invicto animo Eccleſiam illam Chriſtianis reſtituit cum ingenti periculo capitis ſui; id privilegium contulit prædictus Urbanus II. pariter Benedictinus. Sed jam quatuor ſæculis antea Archipræſules Toletani eâ prærogativâ fruebantur, nimirum ab anno Chriſti DCLXXXI. quo Concilium Toletanum XII. celebratum fuit, & uberiùs adhuc à tempore Concilii Toletani XVII. initi anno DCXCIV. Verùm quoniam fortaſſis ea Concilia non impetrârunt aſſenſum Sedis Apoſtolicæ ad ſublimandos Præſules Toletanos in Primates totius Hiſpaniæ, & præterea urbs atque Eccleſia Toletana quatuor ferè jam ſæculis ſub Sarracenorum jugo gemebat, ſine ulla Primatûs functione; Bernardus Præſul meritò Urbanum II. adeundum cenſuit, & ab eo impetravit ſibi ac ſucceſſoribus eum honorem aut primò conferri, aut (quod verius cenſeo) reſtitui, & in poſterum confirmari.

61. Idem Urbani II. privilegium plurimis aliorum ſeqq. Romanorum Pontificum confirmatum fuit, tam apertè, ut mirum ſit graviſſimum virum Garſiam Loaïſam ad ſtabiliendum Primatum Eccleſiæ Toletanæ, tam certum & exploratum, divertiſſe ad alia fundamenta minoris notæ, & præſertim ad narrationem illam controverſiarum & diſceptationum Roderici Archiepiſcopi Toletani cum Præſule Compoſtellano intra Concilium Oecumenicum Lateranenſe ſub Innocentio III. in qua plura ſunt ἀνύστατα & ἄτοπα, atque imprimis quòd Archiepiſcopus Rodericus, vir certè gravis & doctus ſuo ævo, irrideret traditionem adventûs & prædicationis S. Jacobi in Hiſpania, eamque locaret inter aniles fabulas. Potuit certè Illuſtriſs. Loaïſa abſtinere ab ea narratione infida cujuſpiam ſcioli, & contradictionibus plenâ: quæ poſtea anſam dedit D. Cardinali Baronio, ut quam antea tradiderat ſententiam de prædicatione S. Jacobi in Hiſpania, poſterioribus curis retractaret. Quo eodem fundamento ductus Alexander Natalis, nuper cum paucis aliis eandem cramben recoxit. Et quamvis nos præcedenti Tomo Diſſert. IX. ex inſtituto adversùs eos recentiores oſtenderimus veritatem prædicationis dictæ adeò ſolidis fundamentis, ut nullus videatur eſſe jam locus dubitandi prudenter de illa; meliùs ſanè fuiſſet ut D. Loaïſa quâ pollebat maturitate judicii ſpreviſſet narrationem illam, contemptu dignam, & inutilem, ac minimè neceſſariam ad firmandum Primatū Eccleſiæ Toletanæ in cæteras Metropolitanas Hiſpaniæ ab anno DCLXXII. uſque in hodiernum diem, pluſquam mille annorum decurſo, ſolidiſſimis fundamentis ſtabilitum, qualia à nobis partim exhibita, partim indicata ſunt.

62. Qui plura alia volet, adeat ſcriptores Hiſpanos, de eodem Primatu fuſiùs tractantes, præſertim Illuſtriſs. Caſtejonem, duplici juſto volumine ea de re, & Excellentiſſimum Marchionem Mondexarenſem Diſſert. IV. Eccleſiaſtica, cum aliis quos ipſi allegant. Nobis ſatis ſit ea libâſſe, quæ conſtant auctoritate veterum certâ omnino & exploratâ, atque hujus Operis inſtituto opportuna; relictis plurimis aliis ex lutulenta Pſeudochronicorum Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ, Juliani, & Hauberti Hiſpalenſis nomine inſcriptorum lacuna deſumptis; quæ eruditiſſimis

qui-

quibuſque hominibus, Hiſpanis & exteris, modò excitant riſum, modò bilem & indignationem juſtam. Non eget Eccleſia Toletana, per ſe ſplendidiſſima, mentitis fulgoribus, aut elogiis fabuloſis, qualia à centum circiter annis obtruſa fuerunt vænali quorundam ſtylo, & libidine adulandi, in iis Pſeudo-chronicis.

63. Hactenus digreſſi fuimus occaſione Concilii Toletani I. in quo primus omnium ſedit ac ſubſcripſit Patruinus; non Præſul Toletanus, ut plerique Recentiorum voluêre, exiſtimantes eam prærogativam fuiſſe annexam Toletanæ Sedi; ſed Emeritenſis, qui ſecundùm ordinationem erat omnibus aliis Epiſcopis antiquior. Itaque Patruinus ab albo ſeu Catalogo vero Toletanorùm Præſulum excludi debet: & de facto non invenitur in aliquo ex Catalogis antiquis ſuprà memoratis.

64. Audentium verò, quem Ildephonſus memorat veluti Aſturii deceſſorem in Sede Toletana, non dubito fuiſſe illum ipſum; de quo Gennadius in Catalogo virorum illuſtrium, cap. 14. ſcribit: *Audentius Epiſcopus Hiſpanus ſcripſit adverſus Manichæos, & Sabellianos, & Arianos; maximeq; intentione ſpeciali contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci vocantur, librum, quem prætitulavit:* DE FIDE ADVERSUS OMNES HÆRETICOS: *in quo oſtendit antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuiſſe, nec quòd initium Deitatis tunc à Deo Patre acceperit, quum à Maria matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus eſt.* Hoc ipſum cenſet ſubacto vir judicio Ambroſius Morales, cujus ſententiam nuſquam, niſi coactus invicto aliquo argumento, uti paullò antè feci, deſerere audebo. Sanè quicquid ferè reliqui Hiſpanicarum rerum ſcriptores poſtea tradidere ſolidum & fide dignum, ex ipſo, ac magno illo Hieronymo Zurita, & accuratiſſimo Stephano Garibay, muṭuati ſunt, quamvis plerumque eorum nomina taceant. Tribuenda hæc laus præclariſſimis iis tribus viris, qui præcellenti judicio, lectione plurima, & evolutione diuturna Mss. veterum, omnes ferè res antiquas, ac laude dignas Hiſpaniæ ſumma ingenuitate & integritate aureis ſuis ſcriptis conſignârunt.

65. Quòd autem dominus Loaïſa in Catalogo Præſulum Toletanorum recenſet Olympium, Natali & Audentio interjectum, neſcio unde eruere potuerit: ſiquidem nulla ejus mentio eſt in Catalogis veteribus illorum ſuprà laudatis, nec in Ildephonſo, aut Iſidoro. Solùm habemus ex Gennadio in Catalogo, & ex S. Auguſtino, Olympium Epiſcopum Hiſpanum ſanctitate & doctrinâ clariſſimum exſtitiſſe. Id autem poſt librum *De Scriptoribus* ab Hieronymo editum ſub finem quarti ſæculi, videtur accidiſſe; ſi quidem S. Doctor illius non meminit. Nec præterea is Olympius eſt ille, qui cum Oſio intervenit Concilio Sardicenſi anno CCCXLVII. Ille enim planè Græcus fuit, non autem Hiſpanus. Non enim ibidem interfuerunt plures Hiſpani Epiſcopi, quàm Oſius, Anianus, Florentius, Damianus, Caſtus, & Prætextatus: ut ſuprà Diſſert. II. num. 2. oſtenſum fuit. Supereſt itaque ut Olympius Hiſpanus Epiſcopus, à Gennadio & Auguſtino laudatus, fuerit ſynchronos utriuſque intra quintum ſæculum. Quòd autem fuerit Toletanus Præſul, affirmari nequit: cùm Catalogi veteres citati videantur contradicere, & nemo antiquorum id ſcripſiſſe inveniatur: Antiquorum inquam: nam Pſeudo-chronicorum recenter obtruſorum Dextri, & Juliani, &c. in quibus ſimilia finguntur de Olympio & aliis, nulla ratio habenda eſt.

IDATII EPISCOPI HISPANI CHRONICON,

AB ANNO CHRISTI CCCLXXIII. ET DEINCEPS, USQUE AD CDLXII. VEL CDXC.

Poſt varias editiones, Romanam, Pampilonenſem Epiſcopi Sandovalii, Scaligerianam, Jacobi Sirmondi, & aliorum, nunc recuſum, ad ampliorem lucem Chronologiæ Conciliorum, & aliorum monumentorum veterum. quæ in hoc Opere evulgantur.

PRÆFATIO JACOBI SIRMONDI S. J.

DE CHRONICO ET FASTIS IDATII.

1\. *IDATII Chronicon, cujus excerpta tantùm quædam ab Henrico Caniſio primùm, deinde à Joſepho Scaligero edita fuerant; integrum nunc demum indidem prodit, unde nuper Romæ vulgari cœptum eſt: ex antiquo videlicet codice noſtro, quem qui Romanam editionem curavit, quia Pariſiis eſſe audiverat, Pariſienſem appellavit: nos Metenſem potiùs dicturi eramus, quòd Metis olim exſcriptum arbitremur; inde certè ad nos ex Monaſterio non ignobili nec obſcuro pervenit. Quanti autem meritò eſſe debeat hic libellus, tute, lector, ſtatim agnoſces. Intelliges enim, non ſolùm ab hoc fonte hauſta ea eſſe, quæ de Gothorum Suevorumque gentium rebus in Hiſpania Galliaq; per ea tempora geſtis, apud Iſidorum, & alios ſcriptores, non aliis fermè quàm Chronici hujus verbis contexta leguntur; ſed alia præterea, tum ad ſacram, tum ad civilem hiſtoriam plurima hic doceri, quæ ut cæteris omnibus intacta qui exſtant, ipſi nos etiam, niſi ab Idatio prodita eſſent, ignorare cogeremur. Facilè ergo judicabis, publici uſûs fuiſſe, ut non diutiùs hoc beneficio careremus. Nec verò minor, ut ſpero, erit gratia Faſtorum Conſularium, quos Chronico adjecimus, Idatianoſq; jam alibi nominavimus; non tam quòd in eodem codice Idatii Chronico ſubjiciebantur, quàm quòd rerum & verborum in utroque opere affinitas & cognatio, epocharumque & temporum par obſervatio, totius denique ſcriptionis color idem ac genius, eundem utrinſque auctorem fuiſſe ſatis oſtendant, tametſi auctoris nomen nullum præferat inſcriptio, quæ his verbis ibi concepta eſt: DECLARATIO CONSULUM, EX QUO PRIMUM ORDINATI SUNT. Etſi porrò in exemplari noſtro procedebant hi Faſti ad ſecundum uſque Anthemii Conſulatum, hoc eſt ad ea tempora, in quibus Idatii Chronicon deſinit, atque à primis orſi Conſulibus, omnia exinde ad eum uſque annum paria Conſulum percenſebant; nobis tamen, dum aliud conſilium dies proferat, ſatiùs in præſens viſum eſt, eam duntaxat partem edi, quæ & ab antiquariis minùs fuerat depravata, & memorabilium rerum varietate atque fructu tibi acceptior jucundiorq; fore videbatur. Fruere itaque, lector, & vale.*

OBSERVATIO CARD. DE AGUIRRE.

2\. IDATIUM hunc auctorem Chronici & Faſtorum Conſularium, in hoc noſtro Opere locum habere oportuit, ad epocham dignoſcendam Conciliorum, Patrum, ac Regum Hiſpaniæ, quorum tempore ille vixit uſque ad ultimam ſenectutem. Illum Sigebertus Gemblacenſis appellat *Epiſcopum Lemicæ Hiſpaniarum urbis*. Paſchaſius Queſnelius in Notis ad Epiſt. XCIII. S. Leonis, mavult fuiſſe Epiſcopum Lucenſem, ab eodem Pontifice deputatum ſimul cum Ceponio

ponio, pariter Epiſcopo, ad convocandum omnes Gallæciæ Præſules, ut coacta Synodo hæreſes Priſcilliani ſolenniter condemnarent. Cenſeo autem reipſa cohærere, aut perinde eſſe ſententiam utriuſque ejus ſcriptoris: quoniam circa hæc tempora, ac de cætero, iidem omnino fuerunt Epiſcopi Lucenſes & Lemicenſes, ſolâ nominis differentiâ. Nimirum Lucenſes denominati ſunt à *Luco* (vulgò *Lugo*) urbe præcipua totius ejus diœceſeos: Lemicenſes autem, ducta appellatione ab ea provincia, quæ *Lemica* tunc, poſteà corrupto vocabulo *Limia* dicta eſt, & cujus oppidum præcipuum appellatur *Monforte de Lemos*, ubi dominantur inter Magnates primi ordinis Hiſpaniæ Excellentiſſimi Comites *De Lemos*. Itaque nulla difficultas videtur obſtare, ut hic idem Idatius fuerit indiviſim Epiſcopus Lemicæ & Luci.

3. Multò magis ambigi poſſet, an iſte Idatius auctor Chronici ſit ille ipſe, qui ſuprà in Concilio Cæſarauguſtano anni CCCLXXX, ultimo loco inter Epiſcopos omnes ſubſcripſit. Fuit enim ille, teſte Iſidoro lib. *De Viris Illuſtr. cognomento & eloquio clarus*; qualem fuiſſe hujus Chronici auctorem, nemo inficiabitur. Præterea tempus videtur idem illius Synodi, & hujus Chronici.

4. At enim crediderim hunc Idatium ab illo diverſum fuiſſe. Imprimis ille à Sulpicio Severo, ſcriptore ejus temporis, lib. 2. Hiſt. *Emeritæ civitatis ſacerdos*, id eſt, Epiſcopus, dicitur. Hic autem Lucenſis, ſeu Lemicæ, inde plurimum diſtantis, Epiſcopus fuit. Ille anno CCCLXXX. quo ſubſcripſit Synodo Cæſarauguſtanæ, cenſendus eſt fuiſſe inclinantis, aut ſaltem perfectæ ætatis, juxta diſciplinam Eccleſiaſticam ejus temporis. Hic autem LXVII. annis poſtea, nimirum Chriſti CDXLVII. tempore Leonis Papæ, erat Epiſcopus: immo & vixit tandem (teſte Iſidoro) tempore Leonis Auguſti, (qui imperavit ab anno Chriſti CDLVII. uſque ad CDLXXIV.) Non eſt autem veroſimile, unum eundemque Idatium permanſiſſe Epiſcopum ſpatio ut minimum ſeptuaginta ſeptem annorum, à tempore Concilii Cæſarauguſtani uſque ad initium Imperii Leonis, aut eo ampliùs. Denique Idatius ipſe in Prologo ſui Chronici mox exſcribendo, ſatis indicat, ſe fuiſſe electum Epiſcopum in Gallæcia anno tertio Valentiniani imperantis, nimirum Chriſti CDXXVII. id eſt, quadraginta ſeptem annis poſtquam Idatius ille Emeritenſis Concilio Cæſarauguſtano ſubſcripſerat. Fuerunt itaque duo Idatii, ambo Epiſcopi, & ſcriptores, alio atque alio tempore, & poſterior ex iis fuit Epiſcopus Lemicenſis, atque auctor hujus Chronici.

VETERUM DE IDATIO TESTIMONIA.

Leo Magnus ſub finem Epiſtolæ XCI. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem.

5. *SI autem aliquid, quod abſit, obſtiterit, quominus poſſit celebrari Generale Concilium; Gallaciæ ſaltem in unum conveniant Sacerdotes: quibus congregatis, fratres noſtri HYDATIUS & Ceponius imminebunt, conjunctâ cum eis inſtantiâ tuâ, quo citiùs vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur.* Neque enim dubium, quin hic noſter ſit Hydatius, Epiſcopus Gallæciæ, qui unà cum Turibio, ut Chronici pagina 24. declarat, adversùs hæreticos laborabat. Hydatium autem, Ὑδάτιον, origine Græca dictum fuiſſe veriſimile eſt: cùm ita quoque ſcribatur in eodem exemplari noſtro, & apud Sigebertum, & alios. Sirmondus

S. Iſidorus lib. *De viris illuſtribus* cap. 9.

6. *Idatius provinciæ Gallæciæ Epiſcopus, ſequutus Chronicam Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, ſeu Hieronymi presbyteri, quæ uſque hodie in Valentis Auguſti Imperium edita declaratur, dehinc ab anno primo Theodoſii Auguſti, uſque in annum Imperii Leonis VIII. ſubjunctam ſequitur hiſtoriam: in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hiſpaniam. Deceſſit ſub Leone Principe, ultima jam penè ſenectute, ſicut etiam Præfationis ſuæ demonſtrat initio.*

Sigebertus *De viris illuſtribus* cap. 18.

7. *Idatius Lemicæ Hiſpaniarum urbis Epiſcopus, Chronicam initiatam à primo Theodoſii Imperatoris Conſulatu compoſuit.* In vulgari Chronico Sigeberti Idatius Chronicon ſuum perduxiſſe dicitur ad Chriſti uſque annum CDXC. Zenonis Auguſti XVII. quod falſum eſt, cùm viginti antè minimùm annis ſub Leone Auguſto ſcribendi vivendique finem fecerit, ut ſuperiora declarant. Sirmondus.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

PRÆFATIO.

Idatius ſervus Domini noſtri Jesu Christi *univerſis fidelibus in Domino noſtro* Jesu Christo, *& ſervientibus ei in veritate, ſalutem.*

8. PROBATISSIMORUM in omnibus virorum ſtudia, quos præcipuè in Fide Catholica; & converſatione perfecta teſtes veritatis divini cultus docet adſertio, ut ornantur decore dictorum, ita & commendantur honore meritorum, ut miram in omni opere ſuo obtineant firmitatem. Verùm Idatius provinciæ Gallæciæ natus in Lemica civitate, mage divino munere, quàm proprio merito, ſummi Præſul creatus officii, ut extremus plagæ, ita extremus & vitæ, perexiguum informatus ſtudio ſæculari, multò minus docilis ſanctæ lectionis volumine ſalutari; ſanctorum & eruditiſſimorum Patrum in præcedenti Opere ſuo, pro capacitate proprii ſenſus aut verbi, oſtenſum ab his ſequutus exemplar. Quorum primus Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus, qui Eccleſiaſticas ſui numeri libris ſcripſit hiſtorias, ab initio Nini regnantis Aſſyriis, & ſancti Abrahæ Patriarchæ Hebræis, & reliquorum contemporales his annos Regum, in viceſimum Conſtantini Auguſti, quo imperabat annum, Græci ſermonis Chronographiæ concludit hiſtoria.

9. Poſt hunc ſucceſſor ſyngrapheus perfectus univerſis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem *Euſebius* cognomento, de Græco in Latinum ſcripturæ hujus interpres, à viceſimo anno ſupradicti Imperatoris in quartum decimum Valentis Auguſti annum ſubditam texit hiſtoriam. Eſto ut in ſanctis quibus deguit Hieroſolymorum locis, à memorato Valentis anno in tempus quo in præſenti vita duravit, fortè quamplurima de his quæ ſunt inſecuta ſubjecerit; quia haud unquam, dum valuit, à diverſo ſtyli opere ceſſavit. (Quem quodam tempore propriæ peregrinationis in ſupradictis regionibus adhuc infantulus vidiſſe me certus ſum.) Qui poſt aliquot annos beato ut erat manſit in corpore. Si tunc proprio operi quod ſubdidit, aliqua ſubjunxerit, apud eos, ad quos ſcriptorum ejus omne Opus vel ſumma pervenit, certa & plena cognitio eſt. Sed quoniam in cujuſdam ſtudii ſui ſcriptura dixiſſe eum conſtat, debacchantibus jam in Romano ſolo barbaris, omnia haberi permiſta atque confuſa; opinamur ex hujus indicio ſermonis, in hoc per ſe annorum volumine ſubdito de ſucceſſione temporum ab Ipſo nihil adjectum.

10. Tamen quia ad noſtri temporis curſum, ut ſuperior lectio docet, deſcriptio defluxit annorum; cùm membrana hujus hiſtoriæ curam contigiſſet expertis, mentem monuit imperiti, ut de cognitis, etſi in omnibus impari greſſu, vel veſtiglis ſe ſubſterneret præceſſorum. Quæ fideli ſuſcipiens cordis intuitu, partim ex ſtudio ſcriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione quam jam lacrymabile propriæ vitæ tempus oſtendit, quæ ſubſequuntur adjecimus. Quorum continentiam geſtorum & temporum, qui legis ita diſcernes. Ab anno primo Theodoſii Auguſti in annum tertium Valentiniani Auguſti, Placidiæ Reginæ filii, ex ſupradicto à nobis conſcripta ſunt ſtudio, vel ex ſcriptorum ſtylo, vel ex relationibus indicantum. Exin immeritò adlectus ad Epiſcopatûs officium, non ignarus omnium miſerabilis temporis ærumnarum, & concluſi in anguſtias Imperii Romani, metas ſubdidimus ruituras, & quod eſt luctuoſius, intra extremam univerſi orbis Gallæciam deformem Eccleſiaſtici ordinis ſtatum, creationibus indiſcretis honeſtæ libertatis interitum, & univerſæ propemodum in divina diſciplina religionis occaſum, ex furentium dominantem permiſta iniquarum perturbatione nationum. Hæc jam quidem inſerta; ſed poſteris in temporibus, quibus offenderint, reliquimus conſummanda.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

Romanorum XXXIX. Theodoſius per Gratianum in conſortium regni adſumptus, cum ipſo & Valentiniano Juniore regnat annis XVII.

1. THEODOSIUS natione Hiſpanus, de provincia Gallæcia, civitate Cauca, à Gratiano Auguſtus appellatur. *Theodoſium hunc Caucæ in Gallæcia natum tenet etiam Zoſimus lib. 4.*

Inter Romanos & Gotthos multa certamina conſeruntur.

2. Theodoſius Conſtantinopolim ingreditur in primo Conſulatu ſuo, quem cum Gratiano agebat Auguſto.

Alexandriæ XXI. habetur Epiſcopus Theophilos, vir eruditiſſimos, inſignis, qui à primo Conſulatu Theodoſii Auguſti Laterculom per centum anoos digeſtum de Paſchæ obſervatione cooſcripſit. *Olymp.CCXC.*

3. Athanaricus Rex Gotthorum apud Conſtantioopolim decimo qoioto die ex quo à Theodoſio fuerat ſoſceptus, interiit.

4. Gotthi iofida Romanis pace ſe tradunt.

Ambroſius in Italia Mediolani Epiſcopus, Martinus in Galliis Turonis Epiſcopus, & vitæ meritis, & patratis miraculis virtutum habentur inſignes.

5. Theodoſius Arcadium filium ſuum Auguſtum appellans, regni facit ſibi eſſe conſortem.

6. Honorius naſcitur filius Theodoſii.

Legati Perſarom ad Theodoſiom Conſtantinopolim veniunt. *Olymp.CCXCI.*

7. Greotingorum gens à Theodoſio ſuperatur.

Priſcillianus declinans in hæreſin Gnoſticorum, per Epiſcopos, quos ſibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ Epiſcopus ordinatur, qui aliquot Epiſcoporum Conciliis auditus, Italiam petiit, & Romam. Ubi ne ad conſpectum quidem ſanctorum Epiſcopor. Damaſi & Ambroſii receptus, cum his cum quibus iverat, reddit ad Gallias. Inibi ſimiliter à S. Martino Epiſc. & ab aliis Epiſcopis hæreticus judicatus, appellat ad Cęſarē: quia in Galliis his diebus poteſtatem tyranous Maximus obtinebat Imperii.

8. Arcadii qoinquennalia celebrantur.

Romanæ Eccleſiæ XXXVI. habetur Epiſcopus Syricius.

9. Priſcillianus propter prædictam hæreſin ab Epiſcopatu depulſus, & cum ipſo Latronianus * laïcus, aliquantiſque ſectatores ejus apud Trevirim ſub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallæciam Priſcillianiſtarum hæreſis invaſit.

** Hunc Latronianum inter Chriſti martyres numerat Petrus de Natalibus in Catalog. SS. lib. 11. c. 59. Quod totum caput delendum videtur, ut factũ eſt ab Inquiſitione Hiſp. in Expurg. moderna.*

10. Maximos tyrannos occiditur per Theodoſium tertio lapide ab Aquileja, qointo Kalendas Auguſtas: & eodem tempore, vel ipſo anno in Galliis per Arbogaſtem Comitem filius Maximi nomioe Victor extioctus eſt.

Cynegius Theodoſii Præfectus habetur illuſtris, qui factis inſignibus præditus, & uſque ad Ægyptum penetrans, gentium ſimulacra ſobvertit.

11. Theodoſius cum Honorio filio ſuo Romam ingreſſus eſt. *Olymp.CCXCII.*

12.

13.

14. Valentinianus Junior apud Viennam ſcelere Comitis Arbogaſti occiditur, & Eugenius tyrannus efficitur.

15. *Olymp.CCXCIII.*

16. Eugenius à Theodoſio Auguſto ſuperatus occiditur.

17. Theodoſios invaletudine hydropis apud Mediolanom defunctus eſt an. regni ſui XVII. Et iſte aonus, qui Theodoſii XVII. ipſe Arcadii & Honorii in initio regni eorũ primus eſt: quod ideo indicatur, ne Olympiaden V. anoorum turbet adjectio, io hoc loco tantùm propter regnantum inſerta principum.

1. Romaoorum XL. Arcadius & Honorius Theodoſii filii defuncto patre regnaot annis XXX.

2.

3. [Romanæ Eccleſiæ XXXVII. habetur Epiſcopus Anaſtaſius.] *Olymp.CCXCIV.*

4.

5. In provincia Carthagioenſi in civitate Toleto Synodus Epiſcoporum contrahitur, in qua, quod geſtis continetur, Symphoſius, & Dictinios, & alii cum his Gallæciæ provinciæ Epiſcopi, Priſcilliani

ſectatores hæreſim ejus blaſphemiſſimam, cum adſertore eodem, profeſſionis ſuæ ſubſcriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam obſervanda de Eccleſiæ diſciplina, communicante in eodem Concilio Ortigio Epiſcopo, qui Cælenis fuerat ordinatus; ſed agentibus Priſcillianiſtis, pro fide Catholica pulſus factionibus exſulabat.

6.

Olymp. CCXCV. 7.

8. Solis facta defectio tertio idus Novembris feriâ ſecundâ.

Romanæ Eccleſiæ XXXVIII. habetur Epiſcopus Innocentius.

9. Theodoſius Arcadii filius naſcitur.

10. Conſtantinopoli Joannes Epiſcopus prædicatur inſignis, qui ob Fidem Catholicam Eudoxiam Arcadii uxorem infeſtiſſimam patitur Arianam.

Olymp. CCXCVI. 11.

12. Hieroſolymis Joannes, Cæſareâ Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandriâ Theophilus, qui ſuprà, Epiſcopi habentur inſignes.

Hieronymus presbyterio prȩditus, in Bethleem Judȩ vicinia cõſiſtens, prȩcipuus habetur in cunctis.

13. Poſt ſuprascriptos ſanè Arianos, qui Hieroſolymis ante Joannem Epiſcopum fuerint, Idatius, qui hæc ſcribit, ſcire non potuit. Hunc verò ſanctum cum ſanctis Eulogio, Theophilo, & Hieronymo vidit, & infantulus, & pupillus.

14.

Olymp. CCXCVII. 15. Alani, & Wandali, & Suevi Hiſpanias ingreſſi Erâ CDXLVII. alii quarto Kal. alii tertio Id. Octobris memorant die, tertiâ feriâ, Honorio VIII. & Theodoſio Arcadii filio III. Conſulibus.

Alaricus Rex Gotthorum Romam ingreſſus, cùm intra & extra urbem cædes agerentur, omnibus indultum eſt, qui ad Sanctorum limina confugerunt.

Placidia Theodoſii filia, Honorii Imperatoris ſoror, à Gotthis in urbe capta.

Alaricus moritur, cui Athaulphus ſuccedit in regno.

* Barbari, qui in Hiſpanias ingreſſi fuerant, cæde deprædantur hoſtili. Peſtilentia ſuas partes non ſegniùs operatur.

** Exſtat hac de cauſſa concilium ſub Pancratiano hoc eodem anno Bracare celebratum, quod infrà ſuo loco exhibemus cum Notis.*

16. Debacchantibus per Hiſpanias barbaris, & ſæviente nihilominus peſtilentiæ malo, opes & conditam in urbibus ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exhaurit: fames dira graſſatur, adeò ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ. Matres quoque necatis, vel coctis per ſe natorum ſuorum ſint paſtæ corporibus. Beſtiæ occiſorum gladio, fame, peſtilentia, cadaveribus adſuetȩ, quoſque hominum fortiores interimunt, eorumque carnibus paſtȩ, paſſim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis, ferri, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, ubique in toto Orbe ſævientibus, prædictæ à Domino per Prophetas ſuos adnunciationes implentur.

17. Subverſis memorata plagarum graſſatione Hiſpaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miſerante converſi, ſorte ad habitandum ſibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Wandali occupant, & Suevi ſitam in extremitate Oceani maris Occidua: Alani Luſitaniam & Carthaginenſem provincias, & Wandali cognomine Silingi Bæticam ſortiuntur. Hiſpani per civitates & caſtella reſidui à plagis barbarorum per provincias dominantium, ſe ſubjiciunt ſervituti.

Conſtantinus poſt triennium invaſæ tyrannidis ab Honorii duce Conſtantio intra Gallias occiditur.

18. Jovinus & Sebaſtianus fratres intra Galliam, & in Africa Heraclianus, pari tyrannidis inſaniuntur inſaniâ.

Olymp. CCXCIIX. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus habetur inſignis, inter cujus ſtudia magnifica, Donatiſtas ab eo, Dei adjutorio ſuperatos, probata fides demonſtrat auctorum.

19. Jovinus & Sebaſtianus oppreſſi ab Honorii ducibus Narbonâ interfecti ſunt.

Gotthi Narbonam ingreſſi vindemiæ tempore.

Heraclianus movens exercitum de Africa adversùs Honorium, Utriculo in Italia in conflictu ſuperatus, effugit in Africam, cæſis in loco ſupradicto L. millibus armatorum. Ipſe pòſt Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur.

20. Athaulphus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait, filiam Regis Auſtri ſociandam Regi Aquilonis, nullo tamen ejus ex ea ſemine ſubſiſtente.

21. Hieroſolymis Joanne, de quo ſuprà, Epiſcopo prȩſidente, ſanctus & primus poſt Chriſtum Dominum martyr Stephanus revelatur. Hieronymus qui ſuprà præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritiſſimus Hebræorum, in lege Domini (quod ſcriptum eſt) diurna, nocturnaque meditatione continuus, ſtudia operis ſui reliquit innumera. Ad ultimum Pelagianorum ſectam cum ejuſdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adversùs hos & alios hæreticos exſtant ejus probatiſſima monimenta.

Olymp. CCXCIX. 22. Athaulphus à Patricio Conſtantio pulſatus, ut relictâ Narbonâ Hiſpanias peteret, per quemdam Gotthum apud Barcinonam * inter familiares fabulas jugulatur. Cui ſuccedens Wallia in regno, cum Patricio Conſtantio pace mox facta, Alanis & Wandalis Silingis, in Luſitania & Bætica ſedentibus adverſatur.

** Barcinona erat in MS. nos verò ex Plinio, Auſonio, ipſiuſque Athaulphi inſcriptione ſepulchri, quæ adhuc Barcinone exſtat, Barcinonem ubique ſubſtituimus.*

Alexandrinæ Eccleſiæ poſt Theophilum, quis præſederit, ignoravi hæc ſcribens.

Conſtantius Placidiam accepit uxorem. Fredibalum Regem gentis Wandalorum ſine ullo certamine ingenioſè captum, ad Imperatorem Honorium deſtinat.

23. Wallia Rex Gotthorũ Romani nominis cauſâ intra Hiſpanias cædes magnas efficit barbarorũ.

24. Solis facta defectio die decimo quarto Kalend. Auguſti, qui fuit quinta feria.

Romanæ Eccleſiæ XXXIX. præſidet Epiſcopus Zoſimus.

Durante Epiſcopo quo ſuprà, graviſſimo terræmotu ſancta in Hieroſolymis loca quaſſantur.

Wandali Silingi in Bætica per Walliam Regem omnes extincti.

Alani, qui Wandalis & Suëvis potentabantur, adeò cæſi ſunt à Gotthis, ut extincto Atace Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant, abolito regni nomine, de Gunderici Regis Wandalorum, qui in Gallæcia reſederat, ſe patrocinio ſubjugarent.

Gotthi intermiſſo certamine, quod agebant, per Conſtantium ad Gallias revocati, ſedes in Aquitanica à Toloſa uſque ad Oceanum acceperunt.

Walliâ eorum Rege defuncto Theodores ſuccedit in regno.

25. Inter Gundericum Wandalorum, & Hermericum Suëvorum Reges certamine orto, Suëvi in Nervaſis montibus obſidentur à Wandalis.

Valentinianus Conſtantii & Placidiæ filius naſcitur.

In Gallicana regione in civitate Biterris multa ſigna effecta terrifica, Paullini Epiſtola ejuſdem civitatis Epiſcopi enarrat ubique directa.

26. Wandali Suëvorum obſidione dimiſſa, inſtante Aſterio Hiſpaniarum Comite, & ſub Vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu ſuo occiſis, relictâ Gallæciâ ad Bæticam tranſierunt.

[Romanæ Eccleſiæ XL. præſidet Epiſcopus Bonifacius.]

Honorius apud Ravennam Conſtantium conſortem ſibi facit in regno.

27. Conſtantius Imperator Ravennæ moritur in ſuo tertio Conſulatu. *Olymp. CCC.*

28. Caſtinus magiſter militum cum magna manu, & auxiliis Gotthorum, bellum in Bætica Wandalis infert. quos cùm ad inopiam vi obſidionis arctaret; adeò ut ſe tradere jam pararent; inconſultè publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam * victus effugit.

** Tarracona erat in MS. Sed nos ex Ptolemæo, Plinio, Strabone, Antonino, Pomponio Mela, aliiſque Tarraconam maluimus ſubſtituere.*

Bonifacius palatium deſerens Africam invadit.

29.

30. Honorius actis tricennalibus ſuis Ravennæ obiit.

Paullinus nobiliſſimus, & eloquentiſſimus, dudum converſione ad Deum nobilior factus vir Apoſtolicus, Nolâ Campaniæ Epiſcopus habetur inſignis, cui Theraſia de conjuge facta ſoror, teſtimonio vitæ beatæ æquatur & merito. Exſtant operis ipſius egregia ſtudia prædicanda. *Olymp. CCCI.*

Romanorum XLI. Theodoſius Arcadii filius ante aliquot annos regnans in partibus Orientis, defuncto patre, poſt obitum Honorii patrui Monarchiam tenet Imperii, cùm eſſet annorum viginti ſex.

Joannes arripit tyrannidem.

1. Theodoſius Valentinianum, amitæ ſuæ Placidiæ filium, Conſtantinopoli Cæſarem facit, & contra Joannem mittit. ſub quo à ducibus qui cum eo per Theodoſium miſſi fuerant, apud Ravennam primo anno invaſæ tyrannidis occiditur; & Felix Patricius ordinatur ex magiſtro militum.

Valentinianus, qui erat Cæſar, Romæ Auguſtus appellatur.

Wandali Balearicas inſulas deprædantur: deinde Carthagine Spartaria, & Hiſpali everſa, & Hiſpaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.

2. Romanæ Eccleſiæ XLI. præſidet Epiſcopus Cœleſtinus.

3.

4. Gundericus Rex Wandalorum capta Hiſpali, cùm impiè elatus, manus in Eccleſiam civitatis ipſius extendiſſet; mox Dei judicio dæmone correptus, interiit. Cui Gaiſericus frater ſuccedit in regno. Qui (ut aliquorum relatio habet) effectus Apoſtata, de Fide Catholica in Arianam dictus eſt tranſiiſſe perfidiam. *Olymp. CCCII.*

5. Gaiſericus Rex de Bæticæ provinciæ litore cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, menſe Majo ad Mauritaniam & Africam relictis tranſiit Hiſpaniis. Qui priuſquam pertranſiret admonitus Hermigarium Suëvum vicinas in tranſitu ſuo provincias deprædari; recurſu cum aliquantis ſuis facto, prædantem in Luſitania conſequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum ſanctæ martyris Eulaliæ injuria ſpreverat, multis per Gaiſericum cæſis ex his, quos ſecum habebat, arrepto (ut putavit) euro velocius fugæ ſubſidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quò cœperat Gaiſericus enavigavit.

6. Suëvi ſub Hermerico Rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem, quæ caſtella tutiora retinebat, acta ſuorum partim cæde, partim captivitate, pacem (quam ruperant) familiarum, quæ tenebantur, rehibitione inſtaurant.

Per Aëtium Comitem non procul de Arelate quædam Gotthorum manus extinguitur, Athaulpho optimate eorum capto. Juthungi per eum ſimiliter debellantur, & Nori.

Felix, qui dicebatur Patricius, Ravennæ tumultu occiditur militari.

7. Aëtius dux utriuſque militiæ Noros edomat rebellantes. Rurſus Suëvi initam cum Gallæcis pacem libata ſibi occaſione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius Epiſcopus ad Aëtium ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, ſuſcipit legationem. Vetto, qui de Gotthis doloſè ad Gallæciam venerat, ſine aliquo effectu redit ad Gotthos.

8. Superatis per Aëtium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes legatus mittitur ad Suëvos, ſupradicto ſecum Idatio redeunte.

Seba-

Olymp. CCCIII. Bonifacius iu æmulationem Aëtii de Africa per Placidiam evocatus, iu Italiam ad palatium redit. qui depulſo Aëtio iu locum ejus ſuccedens, paucis poſt menſibus finito adverſus Aëtium conflictu, de vulnere quo fuerat percuſſus, interiit. Cui Sebaſtianus gener ſubſtitutus per Aëtium de palatio ſuperatus expellitur.

9. Regreſſo Cenſorio ad palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis, quos prædabatur aſſiduè, ſub interventu Epiſcopali datis ſibi reformat obſidibus.

Symphoſius Epiſcopus per eum ad comitatum legatus miſſus, rebus in caſſum fruſtratur arreptis.

In conventu Lucenſi, contra voluntatem Agreſtii Lucenſis Epiſcopi, Paſtor & Syagrius Epiſcopi ordinantur.

Aëtius dux utriuſque militiæ Patricius appellatur.

10. Sebaſtianus exul & profugus effectus, navigat ad palatium Orientis.

Neſtoris hujus Epiſc. meminere Theodoretus lib. 4. De fabulis hæreticorum, & Proſper in Chron. Romanæ Eccleſiæ XLII. habetur Epiſcopus Xyſtus.

11. Hieroſolymis Juvenalem Epiſcopum præſidere, Germani presbyteri Arabicæ regionis eximie ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, adjicientibus, Conſtantinopolim eum cum aliis, & Paleſtinæ provinciæ, & Orientis Epiſcopis evocatum ſub preſentia Theodoſii Auguſti, contracto Epiſcoporum interfuiſſe Concilio ad deſtruendam Hebionitarum hæreſin, quam Neſtorius ejuſdem urbis Epiſcopus pravo ſtultiſſimæ ſectæ reſuſcitabat ingenio.

Quo verò tempore ſancti Joannes, Hieronymus, & alii, quos ſuprà diximus, obierint, vel quis Joanni ante Juvenalem ſucceſſerit, ſicut & feciſſe cognitum eſt in brevi ſeniorem quemdam, referentum ſermo non edidit.

12. Narbona obſideri cœpta per Gotthos.

Olymp. CCCIV. Burgundiones, qui rebellaverant, à Romanis duce Aëtio debellantur.

Uno eodemque tempore Alexandriæ Cyrillum Epiſcopum præſidere, & Conſtantinopoli Neſtorium hæreticum Hebionæum, Cyrilli ipſius ad eundem Epiſtola, & hæreſin deſtruentis, & regulam Fidei exponentis, oſtendit. Hæc cum aliis habentur allata.

13. Narbona obſidione liberatur Aëtio duce, & magiſtro militum: Burgundionum cæſa viginti millia.

Rurſus Cenſorius & Freſimundus legati mittuntur ad Suëvos.

14. Gotthorum cæſa octo millia ſub Aëtio duce.

Suëvi cum parte plebis Gallæciæ, cui adverſabantur, pacis jura confirmant.

Hermericus Rex morbo oppreſſus Rechilam filium ſuum ſubſtituit in regnum, qui Andevotum cum ſua, quam habebat, manu, ad Singilionem Bæticæ fluvium aperto Marte proſtravit, magnis ejus auri & argenti opibus occupatis.

15. Carthagine fraude decepta decimo quarto Kalend. Novemb. omnem Africam Rex Gaiſericus invadit.

Bello Gotthico ſub Theodore Rege apud Toloſam, Litorius Romanus dux inconſultiùs cum auxiliari manu irruens, cæſis his ipſe vulneratus capitur, & poſt dies paucos occiditur.

Inter Romanos & Gotthos pax efficitur.

Gaiſericus elatus impiè Epiſcopum, & clerum Carthaginis depellit ex ea, & juxta prophetiam Danielis, demutatis miniſteriis ſanctorum, Eccleſias Catholicas tradit Arianis.

Rechila Rex Suëvorum Emeritam ingreditur.

16. Gaiſericus Siciliam deprædatus, Panormum diu obſedit: qui damnati à Catholicis Epiſcopis Maximini, apud Siciliam Arianorum ducis, adverſum Catholicos præcipitatur inſtinctu, ut eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arianam, nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in Catholica Fide conſummavere martyrium.

Cenſorius Comes, qui legatus miſſus fuerat ad Suëvos, reſidens Mirtyli, obſeſſus à Rechila in pace ſe tradit.

Olymp. CCCV. 17. Rex Suëvorum diuturno per annos ſeptem morbo afflictus moritur Hermericus.

Rex Rechila Hiſpali obtenta, Bæticam, & Carthaginenſem provincias in ſuam redigit poteſtatem.

* [Romanæ Eccleſiæ XLIII. præſidet Epiſcopus Leo.]

** Rectè hoc loco ponitur Leonis Pontificatus: non autem inf. ad annum Valentin. XXIII.* Sabino Epiſcopo de Hiſpali factione depulſo, in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude, non jure.

Aſturius dux utriuſque militiæ ad Hiſpanias miſſus, Tarraconenſium cædit multitudinem Bacaudarum.

18. Cometæ ſidus apparere incipit menſe Decembri, quod per menſes aliquot viſum, ſubſequentis in peſtilentia plagæ, quæ ferè in toto Orbe diffuſa eſt, præmiſit oſtentum.

Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ depulſo Neſtorio præſidet Epiſcopus Flavianus.

Vide ejus carmina elegantiſſima Tom. 27. Biblioth. 19. Aſturio, magiſtro utriuſque militiæ, gener ipſius ſucceſſor, ipſi mittitur Merobaudis natu nobilis, & eloquentiæ merito, vel maximè in poëmatis ſtudio, veteribus comparandus, teſtimonio etiam provehitur ſtatuarum. Brevi tempore poteſtatis ſuæ Aracellitanorum frangit inſolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam ſacra præceptione revocatur.

20. Sebaſtianus illic quò confugerat deprehenſus ſibi adverſa moliri, è Conſtantinopoli fugit admonitus, & ad Theodorem Regem Gotthorum veniens, conquæſitam ſibi qua potuit, Barcinonam hoſtis ingreditur.

In

21. In Aſturicenſi urbe Gallæciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi geſtis Epiſcopalibus deteguntur; quæ ab Idatio, & Turibio Epiſcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum directa ſunt. *Olymp.* CCCVI.

Wandali navibus Turonio in litore Gallæciæ repentè advecti, familias capiunt plurimorum.

Sebaſtianus de Barcinona fugatus, migrat ad Wandalos.

Per Epiſcopum Romæ tunc præſidentem geſta de Manichæis per provincias diriguntur.

22. Vitus magiſter utriuſque militiæ factus, ad Hiſpanias miſſus, non exiguæ manus fultus auxilio cùm Carthaginienſes vexaret, & Beticos, ſuccedentibus cum Rege ſuo illic Suëvis, ſuperatis etiam in congreſſione, qui ei ad deprædandum in adjutorium venerant, Gotthis, territus miſerabili timore diffugit. Suëvi exin illas provincias magna deprædatione ſubvertunt.

23. Romanæ Eccleſiæ XLIII. * præſidet Epiſcopus Leo. Hujus ſcripta per Epiſcopi Turibii diaconem Pervincum contra Priſcillianiſtas ad Hiſpanienſes Epiſcopos deferuntur. Inter quæ ad Epiſcopum Turibium de obſervatione Catholicæ Fidei, & de hæreſum blaſphemiis, diſputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis ſubdolo probatur arbitrio.

Solis facta defectio die nono Kalend. Januarias, qui fuit tertia feria.

Solis facta defectio die nono Kalend. Januarias, qui fuit tertia feria.

24. Rechila Rex Suëvorum Emeritæ gentilis moritur menſe Auguſto, cui mox filius ſuus Catholicus Rechiarius ſuccedit in regnum, nonnullis quidem ſibi de gente ſua æmulis, ſed latenter: obtento tamen regno, ſine mora ulteriores regiones invadit ad prædam.

Paſcentium quemdam urbis Romæ, qui de Aſturica diffugerat, Manichæum, Antoninus Epiſcopus Emeritæ comprehendit, auditumque de provincia Luſitania facit expelli.

Per Ajulphum Hiſpali Cenſorius jugulatur.

** XLII. Extat in Mſ. Verùm quia Hieronymum ſecutus Idatius, Syricium XXXVI. appellavit, & poſt Syricium Anaſtaſius, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, & Xyſtus Pont. ſederint, ideo XLIII ordine Leo numerandus venit, quod etiam in nominando ſequenti Papa obſervatum eſt.*

25. Rechiarius accepta in conjugium Theodoris Regis filia, auſpicatus initium regni Vaſconias deprædatur menſe Februario. *Olymp.* CCCVII.

Baſilius ob teſtimonium egregii auſus ſui congregatis Bacaudis in Eccleſia Tyriaſſone, fœderatos occidit. Ubi & Leo ejuſdẽ Eccleſiæ Epiſcopus, ab eiſdẽ, qui cum Baſilio aderant, in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius menſe Julio ad Theodorem ſocerum profectus, Cæſarauguſtanam regionem cum Baſilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdenſi urbe, facta eſt non parva captivitas.

26. Aſtutius vir illuſtris ad honorem provehitur Conſulatus.

Sebaſtianus exſul factus, ad pernicioſam ſibi (ſicut pòſt exitus docuit) Gaiſerici confugit poteſtatem; parvo pòſt tempore, quàm venerat, per eum jubetur occidi.

De Galliis Epiſtolæ deferuntur Flaviani Epiſcopi ad Leonẽ Epiſcopum miſſæ, cum ſcriptis Cyrilli Epiſcopi Alexandrini ad Neſtoriũ Conſtantinopolitanũ de Eutychete Hebionita heretico, & Leonis Epiſcopi ad eundem reſponſa, quæ cum aliorum Epiſcoporum, & geſtis, & ſcriptis, per Eccleſias diriguntur.

27. Theodoſius Imperator moritur Conſtantinopoli anno ætatis ſuæ quadrageſimo octavo.

Poſt quem XLIII. ſtatim apud Conſtantinopolim Marcianus à militibus, & ab exercitu, inſtante etiam ſorore Theodoſii Pulcheria Regina, efficitur Imperator. Qua ſibi in conjugium aſſumpta, regnat in partibus Orientis.

28. Valentiniani Imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.

In Gallæcia terræmotus aſſidui, ſigna in cœlo plurima oſtenduntur. Nam pridie nonas Aprilis, tertia feria, poſt Solis Occaſum ab Aquilonis plaga cœlum rubens ſicut ignis aut ſanguis, efficitur, intermiſtis per igneum ruborem lineis clarioribus, in ſpeciem aſtarum rutilantium deformatis: à die clauſo uſque in horam noctis ferè tertiam ſigni durat oſtenſio, quæ mox ingenti exitu perdocetur.

Gens Hunnorum pace rupta deprædatur provincias Galliarum, plurimæ civitates effractæ, in campis Catalaunicis, haud longè de civitate, quam effregerant, Mettis, Aëtio duci, & Regi Theodori, quibus erat in pace ſocietas, aperto Marte confligens, divino cæſa ſuperatur auxilio, bellum nox intempeſta diremit. Rex illic Theodores proſtratus occubuit: CCC. ferme millia hominum in eo certamine cecidiſſe memorantur. *Olymp.* CCCIIX.

Multa anno ſigna procedunt. Quinto Kal. Octobris à parte Orientis Luna fuſcatur. In diebus ſequentis Paſchæ viſa quædam in cœlo regionibus Galliarum, Epiſtola de his Eufronii Auguſtodunenſis Epiſcopi ad Agrippinum Comitem facta, evidenter oſtendit. Stella cometes à decimo quarto Kal. Julii apparere incipit, quæ III. Kal. diluculo ab Oriente viſa, poſt Occaſum Solis ab occidua parte mox cernitur. Kal. Auguſti à parte Occidentis apparet.

Occiſo Theodore Thoriſmo filius ejus ſuccedit in regno.

Hunni cum Rege ſuo Attila relictis Galliis poſt certamen Italiam petunt.

29. Secundo regni anno principis Marciani Hunni, qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam, plagis cœleſtibus feriuntur; miſſis etiam per Marcianum principem Aëtio duce, cæduntur auxiliis; pariterque in ſedibus ſuis & cœleſtibus plagis, & per Marciani ſubiguntur exercitum; & ita ſubacti pace facta cum Romanis, proprias univerſi repetunt ſedes, ad quas Rex eorum Attila mox reverſus interiit.

Ad Suëvos Mauſuetus Comes Hiſpaniarum, & Fronto, ſimiliter Comes, legati pro pace mittuntur, & obtinent conditiones injunctas.

Thoriſmo Rex Gotthorum ſpirans hoſtilia à Theodorico & Frederico fratribus jugulatur, cui Theodoricus ſuccedit in regno.

30. Tertio regni anno principis Marciani Regina moritur Pulcheria menſe Julio.

Per

Per Fredericum Theodorici Regis fratrem Bacandæ Tarraconenſes cæduntur ex auctoritate Romana.

In Gallæcia terræmotus, & in Sole ſignum in ortu, qnaſi altero ſecum concertante monſtratur.

Aëtius dux, & Patricius frandnlenter ſingularis accitus, intra palatium manu ipſius Valentiniani Imperatoris occiditur. Et cum ipſo per Spatharium ejus aliqui ſingulariter intromiſſi jugulantur honorati.

His geſtis legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Suëvos venit Juſtinianus.

31. Quarto regni anno principia Marciani per duos barbaros Aëtii familiares Valentinianns Romæ Imperator occiditur in campo exercitu circumſtante anno ætatis ſnæ XXXVI. & regni XXXI. Poſt quem mox Maximus ex cõſulibus XLIII. Romæ Auguſtus appellatur. Qui cùm Imperator factus relictã Valentiniani ſibi duxiſſet nxorem, & filio ſno ex priore conjuge Palladio, quem Cæſarem fecerat, Valentiniani filiam in conjuginm tradidiſſet, magnornm motuum, quos verebatur, perturbatione diſtortus, & qui in occiſorum per Valentinianum, & in ipſius interitum Valentiniani ambitu regni conſilia ſcelesta patrata contulerat, cum Imperium deſerere vellet, & Romam vix quatuor ſui regni menſibus expletis, in ipſa urbe tumultu populi, & ſeditione occiditur militari.

Ipſo anno in Galliis Avitus Gallus civis ab exercitu Gallicano, & ab honoratis primùm Toloſæ, & dehinc apud Arelatum Auguſtus appellatur, Romam pergit, & ſuſcipitur.

Uſque ad Valentinianum Theodoſii generatio tenuit principatum.

1. Romanorum XLIII. Marcianus quarto jam regni ſui anno obtinet Monarchiam.

Per Avitum, qui à Romanis & evocatus & ſuſceptus fuerat Imperator, legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur Imperii.

Gaiſericus ſolicitatus à relicta Valentiniaui (ut malnm fama diſpergit) priuſquam Avitus Auguſtus fieret, Romam ingreditur, direptiſque opibus Romanorum Carthaginem redit, relictam Valentiniani, & filias duas, & Aëtii filium Gaudentium nomine ſecum ducens.

Suëvi Carthaginenſes regiones, quas Romanis reddiderant, deprædantur.

Marcianus & Avitus concordes principatu Romani utuntur Imperii.

Per Auguſtum Avitum Fronto Comes legatus mittitur ad Suëvos, ſimiliter & à Rege Gotthorum Theodorico: quia fidus Romano eſſet Imperio, legati ad eos mittuntur, ut tam ſecum, quàm cum Romano Imperio, quia uno eſſent pacis fœdere copulati, jurati fœderis promiſſa ſervarent. Remiſſis legatis utriuſque partis, atque omni juris ratione violata, Suëvi Tarraconenſem provinciam, quæ Romano Imperio deſerviebat, invadunt.

De Erulorum gente ſeptem navibus in Lucenſi litore aliquanti advecti, viri fermè CD. expediti, ſuperventu multitudinis congregatæ duobus tantùm ex ſuo nnmero effugantur occiſis, qui ad ſedes proprias redeuntes, Cantabriarum & Varduliarum loca maritima crudeliſſimè deprædati ſunt.

Olymp. CCCIX. Legati Gotthorum rurſum veninnt ad Snëvos. poſt qnorum adventum Rex Suëvorum Rechiarius cum magna ſuorum multitudine regiones provinciæ Tarraconenſis invadit, acta illic deprædatione & grandi ad Gallæciam captivitate deducta.

Mox Hiſpanias Rex Gotthorum Theodoricus cum ingenti exercitu ſno, & cum voluntate, & ordinatione Aviti Imperatoris ingreditur. Cni cum multitudine Suëvorum Rex Rechiarius occurrens, duodecimo de Aſturicenſi urbe milliario ad fluvium nominè Urbicum, tertio nonas Octobris die, ſextâ feriâ, inito mox certamine ſuperatur. Cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe ad extremas ſedes Gallæciæ plagatus vix evadit, & profugns.

Theodorico Rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto Kalendas Novembris, die Dominico, etſi incruenta, fit tamen ſatis mœſta & lacrymabilis ejuſdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum, ſanctorum baſilicæ effractæ, altaria ſublata, atque confracta, virgines Dei exin quidem abductæ, ſed integritate ſervata, clerus uſque ad nuditatem pudoris exutus, promiſcui ſexus cum parvulis de locis refugii ſanctis populus omnis abſtractus, jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus ſacer impletus. Scripta ſuper Hieruſalem ex parte cœleſtis iræ revocavit exempla.

Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus, Regi Theodorico captivus adducitur, quo in cuſtodiam redacto, cæteris, qui de priore certamine ſuperfuerant, tradentibus ſe Suëvis, aliquantis ni hilominus interfectis, regnum deſtructum & finitum eſt Suëvorum.

Hiſdem diebns Rechimeris Comitis circumventione magna multitudo Wandalorum, quæ ſede Carthagine cum LX. navibus ad Gallias, vel ad Italiam moverat, Regi Theodorico nunciatur occiſa per Avitum.

Heſychius Tribunus legatus ad Theodoricum cum ſacris muneribus miſſus, ad Gallæciam venit, nuncians ei quòd ſuprà, in Corſica cæſam multitudinem Wandalorum, & Avitum de Italia ad Gallias Arelate ſucceſſiſſe. Orientalium naves Hiſpalim venientes per Marciani exercitum cæſas nunciat.

Occiſo Rechiario menſe Decembri, Rex Theodoricus de Gallæcia ad Luſitaniam ſuccedit.

In conventus parte Bracarenſis latrocinantum deprædatio perpetratur.

Ajulphus deſerens Gotthos in Gallæcia reſidet.

Suëvi qui remanſerant in extrema parte Gallæciæ, Maſſiliæ filium nomine Maldram ſibi Regem conſtituunt.

Theodoricus Emeritam deprædari volens, beatæ Eulaliæ martyris terretur oſtentis.

3. Avi-

3. Avitus tertio aono poſtquam à Gallis & à Gotthis factus fuerat Imperator, caret Imperio, Gotthorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vita.

In Orientis partibus ſeptimo anno Imperii ſui moritur.

Romanorum XLIV. Majorianus in Italia, & Conſtantinopoli Leo Auguſti appellantur.

1. Theodoricus adverſis ſibi nuociis territus, mox poſt dies Paſchæ, quod fuit quinto Kal. Aprilis, de Emerita egreditur, & Gallias repetens, partem ex ea, quam habebat, multitudine variæ nationis, cum ducibus ſuis ad campos Gallæciæ dirigit: qui dolis & perjuriis inſtructi, ſicut eis fuerat imperatum, Aſturicam, quam jam prædones ipſius ſub ſpecie Romanæ ordinationis intraverant, mentientes ad Suēvos, qui remanſerant, juſſam ſibi expeditionem ingrediuntur pace fucata ſolita arte perfidiæ. Nec mora, promiſcui generis reperta illic cæditur multitudo. Sanctæ effringuntur Eccleſiæ, altaribus direptis, & demolitis: ſacer omnis ornatus & uſus aufertur. Duo illic Epiſcopi inventi cum omni clero abducuotur in captivitatem: invalidior promiſcui ſexus agitur miſeranda captivitas; reſiduis, & vacuis civitatis domibus datis incendio, camporum loca vaſtantur. Palentina civitas ſimili, quo Aſturica, per Gotthos perit exitio. Unum Coviacenſe caſtrum triceſimo de Aſturica milliario à Gotthis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei, hoſtibus & obſiſtit, & prævalet: quamplurimis ex eorum manu interfectis, reliqui revertuntur ad Gallias.

Ajulphus dum regnum Suēvorum ſpirat, Portucalli moritur menſe Junio.

Suēvi in partes diviſi pacem ambiunt Gallæciarum, è quibus pars Frontanem, pars Maldram Regem appellat. Solito more perfidiæ Luſitaniam deprædatur pars Suēvorum Maldram ſequens. acta illic Romanorum cæde, prædiſque contractis, civitas Ulyſippona ſub ſpecie pacis intratur.

Frantanes moritur per Paſcha, & Pentecoſtem. Jubente Maldra Suēvi in ſolitam perfidiam verſi regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto idus Junias, die quarta feria, ab hora quarta io horam ſextam, ad ſpeciem Lunæ quintæ vel ſextæ, Sol de lumine orbis ſui minoratus apparuit.

2. Gotthicus exercitus duce ſuo Cyrila à Theodorico Rege ad Hiſpanias miſſus, menſe Julio ſuc- *Olymp.* CCLX.
cedit ad Bæticam. Legati Gotthorum & Wandalorum pariter ad Suēvos veniunt, & revertuntur.

3. Theodoricus cum duce ſuo Sunierico exercitus ſui aliquantam ad Bæticam dirigit manum. Cyrila revocatur ad Gallias. Suēvi nihilominus Luſitaniæ partes cum Maldra, alii cum Remiſmundo Gallæciam deprædantur.

Eruli maritima conventus Lucenſis loca nonnulla crudeliſſimè invadunt ad Bæticam pertendentes.

Maldras fratrem ſuum germanum interficit. Portucalle caſtrum idem hoſtis invadit.

Inter Suēvos & Gallæcos interfectis aliquantis honeſtis natu, malum hoſtile miſcetur.

Legati à Nepotiano magiſtro militiæ, & à Sunierico Comite miſſi veniunt ad Gallæcos, nunciantes Majorianum Auguſtum & Theodoricum Regem firmiſſima inter ſe pacis jura ſanxiſſe, Gotthis in quodam certamine ſuperatis.

4. Maldras in fine menſis Februarii jugulatus merito periit interitu.

Per Suēvos Loco habitaotes, io diebus Paſchæ, Romani aliquanti cum rectore ſuo honeſto oatu repentino ſecuri de reverentia dierum occiduntur in curſu.

Menſe Majo Majorianus Hiſpanias iogreditur Imperatur: quo Carthaginenſem provinciam pertendente, aliquantas naves, quas ſibi ad tranſitum adversùm Wandalos præparabat, de litore Carthaginenſi commoniti Wandali per proditores abripiunt. Majorianus ita à ſua ordinatione fruſtratus ad Italiam revertitur.

Pars Gotthici exercitus à Sunierico & Nepotiano Comitibus ad Gallæciam directa, Suēvos apud Lucum deprædantur, quæ Dictinio, Spinione, & Aſcanio delatoribus, ſpargentibuſque ad terrorem propriæ venena perfidiæ indicata recurrit ad ſuos. ac mox iiſdem delatoribus, quibus ſuprà, Frumarius cum manu Suēvorum, quam habebat impulſus, capto Idatio Epiſcopo ſeptimo Kal. Auguſti io Aquæ-flavienſi Eccleſia, eundem conventum grandi evertit excidio.

Remiſmundus vicina pariter Auregenſium loca, & Lucenſis conventus maritima populatur.

Inter Frumarium, & Remiſmuodum oritur de regni poteſtate diſſenſio.

Gallæcorum & Suēvorum pacis quædam umbra conſeritur.

A Theodorico legati ad Suēvos veniunt & recurruot.

Suniericus Scalabim, cui adverſatur, obtinet civitatem.

Idatius, qui ſuprà, tribus menſibus captivitatis impletis, menſe Novembri, miſerantis Dei gratiâ, contra votum & ordinationem ſupradictorum delatorum redit ad Flavias.

De Rege Theodorico legati gentis perfidæ revertuntur.

Gaiſericus Rex à Majoriano Imperatore per legatos poſtulat pacem.

5. 1. Mojorianum de Galliis Romam redeuntem, & Romano Imperio vel nomini res neceſſarias ordinantem, Rechimer livore percitus, & invidorum conſilio fultus, fraude interficit circumventum. *De hujus Majoriani ſepulchro vide Ennodium Ticinen. Epiſc. Epigrammate 135.*

Romanorum XLV. Severus à Senatu Romæ Auguſtus appellatur anoo Imperii Leonis quinto.

6. 2. Suniericus redit ad Gallias. Nepotianus Theodorico ordioante Arboriſi accipit ſucceſſorem.

In provincia Gallæcia prodigiorum videntur ſigna diverſa Aēra D.VI. Nonas Martias pullorum cantu ab Occaſu Solis Luna in ſanguinem plena convertitur. Idem dies ſexta feria fuit.

Antiochia Major *** Iſauriæ inobediens monitis ſalutaribus, terra dehiſcente demergitur, tantùm

ipſius civitatis aliquantis, qui eum obaudientes timori Domini ſunt ſecuti, de interitu liberatis, turrium etiam ſolis cacuminibus exſtantibus ſuper terram.

Gaiſericus Valentiniani relictam Conſtantinopolim remittit. Filiæ ipſius, una Gentoni Gaiſerici filio, alia Olybrio ſenatori urbis Romæ jure matrimonii copulantur.

Olymp. CCCXI. Agrippinus Gallus Comes, & civis Ægidio Comiti viro inſigni inimicus, ut Gotthorum mereretur auxilia Narbonam tradidit Theodorico.

Adversùs Ægidium Comitem utriuſque militiæ, virum (ut fama commendat) Deo bonis operibus complacentem, in Armoricana provincia Fretiricus frater Theodorici Regis inſurgens, cum his cum quibus fuerat ſuperatus occiditur.

Cum Palegorio viro nobili Gallæciæ, qui ad ſupradictum fuerat Regem, Cyrila legatus ad Gallæciam veniens, euntes ad eundem Regem legatos obviat Remiſmundi. Qui regreſſi in celeri, revertentem Cyrilam in Lucenſi urbe ſuſcipiunt. Poſt cujus mox egreſſum de Gallæcia, Suëvi promiſſionum ſuarum ut ſemper fallaces & perfidi, diverſa loca infelicis Gallæciæ ſolito deprædantur.

Per Theodoricum ad Suëvos Remiſmundus & Cyrila cum aliquantis Gotthis, qui priùs venerant, remittuntur. Cyrila in Gallæcia remanente, Remiſmundo mox recurrente ad Regem.

Inter Gallæcos & Suëvos indiſciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ Eccleſiæ XLIV. præſidet Epiſcopus Hilarus.

7. 3. Nepotianus recedit è corpore Frumario mortuo.

Remiſmundus omnibus Suëvis in ſuam ditionem regali jure revocatis, pacem reformat elapſam.

Menſe Majo ſupradicti viri Ægidii legati per Oceanum ad Wandalos tranſeunt, qui eodem curſu Septembri menſe revertuntur ad ſuos.

Decimo tertio Kal. Auguſti, die ſecunda feria, in ſpecie Lunæ quintæ Sol de lumine ſuo ab hora tertia in horam ſextam cernitur minoratus.

Legatos Remiſmundus mittit ad Theodoricum; qui ſimiliter ſuos ad Remiſmundum remittit cum armorum adjectione vel munerum, directa & conjuge, quam haberet.

Wandali per Marcellinum in Sicilia cæſi effugantur ex ea.

Ægidius moritur, alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus. Quo deſiſtente mox Gotthi regiones invadunt, quas Romano nomine tuebatur.

Suëvi Conimbricam doloſè ingreſſi, familiam nobilem Cantabri ſpoliant, & captivam abducunt matrem cum filiis.

Legati eodem anno duabus vicibus à Rege Suëvorum mittuntur ad Regem Theodoricum, ad quem & Arborius proficiſcitur evocatus.

8. 4. Reverſi legati Suëvorum obiiſſe nunciant Severum Imperii ſui anno quarto. qui ſuprà remittuntur ad Conimbricam.

Ajax natione Galata, effectus apoſtata, & ſenior Arianus, inter Suëvos Regis ſui auxilio hoſtis Catholicæ Fidei & divinæ Trinitatis emergit. de Gallicana Gotthorum habitatione hoc peſtiferum inimici hominis virus advectum.

Suëvi adversùm Aunonenſem ſæviunt plebem. Qua de cauſſa legati à Theodorico ad Remiſmundum mittuntur in caſſum, ſpretique ab eo mox redeunt.

De Conſtantinopoli à Leone Auguſto Anthemius frater Procopii cum Marcellino, aliiſque Comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copioſi ad Italiam, Deo ordinante, directus aſcendit.

Romanorum XLVI. Anthemius octavo milliario de Roma Auguſtus appellatur, anno Leonis Imperii octavo, menſe Auguſto.

9. 1. Expeditio ad Africam adversùs Wandalos ordinata, metabolarum commutatione & navigationis inopportunitate revocatur.

Per Theodoricum Salla legatus mittitur ad Remiſmundum Regem Suëvorum, qui reverſus ad Gallias, eum à fratre ſuo Eurico reperit interfectum.

Euricus pari ſcelere quo frater, ſuccedit in regnum: qui honore provectus, & crimine, legatos, ad Regem dirigit Suëvorum. Quibus ſine mora à Remiſmundo remiſſis, ejuſdem Regis legati ad Imperatorem, alii ad Wandalos, alii diriguntur ad Gotthos.

De Aunonenſi plebe, cui Suëvorum adverſabatur hoſtilitas, Opilio cum viris ſecum de Rege profectis, & cum aliquantis, qui cum ipſo miſſi fuerant, revertitur.

Gotthi, qui ad Wandalos miſſi fuerant, ſupradictæ expeditionis rumore perterriti revertuntur in celeri: pariter & Suëvi, qui poſt legatos, more ſolito, per diverſa loca in prædam diſperſi fuerant, revocantur: ſed paucis pòſt menſibus ipſe Rex Suëvorum ad Luſitaniam tranſit.

2. Conimbrica in pace decepta diripitur: domus deſtruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribuſque captis atque diſperſis, & regio deſolatur, & civitas.

Legati de Gotthico reverſi, portenta in Galliis viſa aliquanta, in conſpectu . . . . . ſimilem

Olymp. CCCXII. ipſi de continuò paruiſſe Solem alium viſum . . . . Solis Occaſum. Congregatis etiam quodam die conſilii ſui Gotthis, tela quæ habebant in manibus, à parte ferri, vel aciei, alia viridi, alia roſeo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri ſpeciem aliquandiu non habuiſſe mutata. Medio Toloſæ civitatis hiſdem diebus è terra ſanguinem erupiſſe, totoque diei fluxiſſe curriculo.

3. Legatorum Suëvorum reditum aliquanta Gotthorum manus inſequens Emeritam petit.

Ulyſſi-

Ulyſſippona à Suevis occupatur, cive ſuo, qui illic præerat, tradente Luſidio. Hac re cognita, Gotthi, qui venerant, invadunt, & Suevos deprædantur, pariter & Romanos ipſis in Luſitaniæ regionibus ſervientes.

Legati qui ad Imperatorem miſſi fuerant redeunt, nunciantes ſub præſentia ſui magnum valdè exercitum cum tribus ducibus lectis adverſùm Wandalos à Leone Imperatore deſcendiſſe, directo Marcellino pariter cum manu magna eidem per Imperatorem Anthemium ſociata. Rechimerum generum Anthemeii Imperatoris, & Patricium factum; Aſparem degradatum ad privatam vitam; Filium ejus occiſum; adverſùm Romanum Imperium, ſicut detectique ſunt, Wandalis conſulentes.

Hilaro defuncto ſex ſacerdotii ſui annis expletis, XLV. Romanæ Eccleſiæ Simplicius Epiſcopus ordinatur.

Aunonenſes pacem cum Rege faciunt Suevorum, qui de Luſitaniæ, & conventus Aſturicenſis quædam loca prædantes invadunt.

Gotthi circa eundem conventum pari hoſtilitate deſæviunt, partes etiam Luſitaniæ deprædantur.

Luſidios per Remiſmuodom cum ſuis hominibus ad Imperatorem in legatione dirigitur.

Durisſimus extra ſolitum hoc eodem tempore annus hiberni, veris, æſtatis, autumni, in aëris, & omnium fructuum permutatione diffunditur.

Signa etiam aliquanta & prodigia in locis Gallæciæ pervidentur in flumine Minio, de municipio Lais milliario fermè quinto, capiuntur piſces quatuor novi viſu & ſpecie (ſicut retulere qui cœperant Chriſtiani, & religioſi) Hebræis & Græcis literis, Latinis autem ærarum numeris inſigniti, ita CCCLXV. anni circulum continentes pari menſium intervallo. Haud procul de ſupradicto municipio in ſpeciem lenticulæ viridiſſimorum, ut herba, quædam forma granorum plena amaritudine defluxit è cœlo, & multa alia oſtenta, quæ memorare prolixum eſt.

EJUSDEM
IDATII EPISCOPI,
FASTORUM CONSULARIUM
PARS, AB EXORDIO AURELIANI AUGUSTI AD OBITUM HONORII.

ANTIOCHIANO & Orfito.
His Conſ. levatus Aurelianus Imperator.
Aureliano & Baſſo.
His Conſ. muri urbis cæpti fieri.
Quieto & Voldumiano.
Tacito & Placidiano.
Aureliano II. & Capitolino.
Aureliano III. & Marcellino.
His Conſ. occiſus eſt Aurelianus Imper. Cænofrurie, & Levatus eſt Tacitus Romæ.
Tacito II. & Æmiliano.
Probo & Paullino.
His Conſ. occiſus eſt Tacitus Tyanâ.
Probo II. & Lupo.
Probo III. & Paterno.
Meſſala & Grato.
Probo IV. & Tiberiano.
Probo V. & Victorino.
Caro II. & Carino.
His Conſ. occiſus eſt Probus Sirmio.
Carino II. & Numeriano.
His Conſ. magna fames fuit.
Diocletiano II. & Ariſtobulo.
His Conſ. occiſus eſt Carinus Margo, [& levatus eſt Diocletianus Imperator] qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat.
Maximo II. & Aquilino.
His Conſſ. levatus eſt Maximianus Imperator ſenior die Kal. April.
Diocletiano III. & Maximiano.
Maximiano II. & Januario.
Baſſo & Quintiano.
Diocletiano IV. & Maximiano III.
Tiberiano & Dione.
His Conſ. tenebræ fuerunt inter diem, & eo anno levati ſunt Conſtantius & Maximianus Cæſares die Kal. Mart.
Annibaliano & Aſclepiodoto.
Diocletiano V. & Maximiano IV.
Conſtantio & Maximiano.
His Conſ. caſtra facta in Sarmatia contra Acince & Bononia.
Tuſco & Annulino.
His Conſ. Carporum gens univerſa in Romania ſe tradidit.
Diocletiano VI. & Conſtantio II.
Maximiano V. & Maximiano II.
His Conſ. victi Perſæ.
Fauſto II. & Gallo.
Diocletiano VII. & Maximiano VI.
His Conſ. victi Marcomanni.
Conſtantio III. & Maximiano III.
Titiano II. & Nepotiano.
Conſtantio IV. & Maximiano IV.

His Conſ. vilitatem intulerunt Imperatores eſſe.

Diocletiano VIII. & Maximiano VII.

His Conſ. perſecutio Chriſtianorum.

Diocletiano IX. & Maximiano VIII.

His Conſ. depoſuerunt purpuram privati effecti Diocletianus & Maximianus, & veſtierunt Severum & Maximinum. Nam Conſtantius & Maximianus, qui Cæſares fuerunt, eâdem hora Auguſti nuncupati ſunt die Kal. April.

Conſtantio V. & Maximiano V.

Conſtantio VI. & Maximiano VI.

His Conſulibus diem functus Conſtantius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus VIII. Kal. Aug.

Novies & Conſtantino.

His Conſ. quod eſt poſt ſextum Conſulatum, occiſus Severus Romæ.

Item Decies & Maximiano VII.

His Conſ. quod eſt Maxentio & Romulo, levatus Licinius Carnunto III. Id. Nov.

Poſt Conſulatum decimum & ſeptimum.

His Conſ. quod eſt Maxentio II. & Romulo II.

Anno II. poſt Conſulatum decimum & ſeptimũ.

His Conſ. quod eſt Maxentio III. ſolo, diem functus Maximianus Senior.

Maximiano VIII. Conſule.

His Conſ. quod eſt Ruffino & Voluſiano, diem functus Maximianus Junior.

Conſtantino II. & Licinio II.

His Conſ. quod eſt Maxentio IV. ſolo, victus & occiſus Maxentius Romæ ad pontem Mulvium.

Conſtantino III. & Licinio III.

Voluſiano II. & Anniano.

His Conſ. bellum Cibalenſe fuit die VIII. Idus Octob.

Conſtantino IV. & Licinio IV.

Sabino & Ruffino.

His Conſ. diem functus Diocletianus Salonâ die III. Non. Decemb.

Gallicano & Baſſo.

His Conſ. levati tres Cæſares, Criſpus, Licinius, & Conſtantinus die Kal. Mart.

Licinio V. & Criſpo Cæſare.

His Conſ. tenebræ fuerunt inter diem horâ nonâ.

Conſtantioo V. & Licinio Cæſare.

Conſtantino VI. & Conſtantino Cæſare.

Criſpo II. & Conſtantino II.

Probiano & Juliano.

Severo & Ruffino.

Criſpo III. & Conſtantino III.

His Conſ. bellum Hadrianopolitanum die V. Nonas Julias, & bellum Chalcedonenſe XIV. Kal. Octob. & levatus eſt Conſtantius Cæſar VI. Idus Novemb.

Paullino & Juliano.

His Conſ. occiſus Licinius.

Conſtantino VII. & Conſtantio Cæſare.

His Conſ. occiſus eſt Criſpus, & edidit vicennalia Conſtantinus Auguſtus Romæ.

Conſtantino & Maximo.

Januario & Juſto.

Conſtantino VIII. & Conſtantino IV.

Gallicano & Symmacho.

His Conſ. dedicata eſt Conſtantinopolis die V. Idus Majas.

Baſſo & Ablabio.

Pacatiano & Hilariano.

His Conſ. victi Gotthi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die XII. Kal. Maji.

Dalmatio & Xenophilo.

His Conſ. levatus eſt Conſtans die VIII. Kal. Januarias.

Optato & Paullino.

His Conſ. Sarmatæ ſervi univerſa gens dominos ſuos in Romaniam expulerunt.

Conſtantio & Albino.

His Conſ. tricennalia edidit Conſtantinus Aug. die VIII. Kal. Aug. & levatus eſt Dalmatius Cæſar XIV. Kal. Octob.

Nepotiano & Facundo.

Feliciano & Titiano.

His Conſ. Conſtantinus Aug. ad cœleſtia regna ablatus eſt XI. Kal. Junias: & ipſo anno nuncupati ſunt tres Auguſti, Conſtantinus, & Conſtantius, & Conſtans V. Idus Septemb.

Urſo & Polemio.

Conſtantio II. & Conſtante.

Acindyno & Proculo.

His Conſ. occiſus eſt Conſtantinus Junior.

Marcellino & Probino.

His Conſ. pugna facta eſt cum gente Francorum à Conſtante Aug. in Galliis: & ipſo anno terræmotus fuit ad Orientem per totum annum, præter Antiochiam.

Conſtantio III. & Conſtante II.

His Conſ. victi Franci à Conſtante Aug. ſeu pacati: tractus Hermogenes.

Placido & Romulo.

Leontio & Saluſtio.

Amantio & Albino.

Conſtantio IV. & Conſtante III.

Ruffino & Euſebio.

Philippo & Salia.

His Conſ. bellum Perſicum fuit nocturnum.

Limenio & Catullino.

Sergio & Nigriniano.

His Conſ. Conſtans occiſus eſt in Galliis à Magnentio: & levatus eſt Magnentius die XV. Kal. Februar. Et Vetranio apud Sirmium Kal. Maji eo anno, & Nepotianus Romæ III. Non. Junias: & pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.

Poſt Conſſ. Sergii & Nigriniani.

His Conſ. bellum Magnentii fuit Murſâ die IV. Kal. Octobr. & eo anno depoſitus Vetranio VIII. Kal. Januar. & levatus eſt Conſtantius Cæſar Id. Mart. & apparuit in Oriente ſignum Salvatoris die III. Kal. Febr. Lunâ XXIIX.

Conſtantio V. & Conſtantio Cæſ.

Conſtantio VI. & Conſtantio II.

His Conſ. Magnentius ſe interfecit in Galliis apud Lugdunum die III. Idus Aug. & Decentius frater Magnentii laqueo ſe ſuſpendit XV. Kal. Septemb.

Conſtantio VII. & Conſtantio III.

His Conſ. occiſus eſt Conſtantius Cæſar in Inſula Flanona.

Arbe-

Arbetione & Loriano.

His Conſs. levatus eſt Julianus Cæſar die VIII. Idus Novemb.

Conſtantio VIII. & Juliano Cæſare.

His Conſs. introïerunt Conſtantinopolim reliquiæ Apoſtoli Timothei die Kal. Jun.

Conſtantio IX. & Juliano Cæſ. II.

His Conſs. introïerunt Conſtantinopolim reliquiæ SS. Apoſtolorum Andreæ & Lucæ die V. Non. Mart. & introïvit Conſtantius Aug. Romam IV. Kal. Majas, & edidit XXXV.

Daciano & Cæreale.

His Conſs. introïerunt Conſtantinopolim legati Perſarum die VII. Kal. Mart. Ipſo anno terræmotus factus, ita ut civitas Nicomedienſium funditùs verſaretur die IX. Kal. Septemb. aliæ verò CL. civitates partibus vexatæ ſunt.

Euſebio & Hypatio.

His Conſs. natus eſt Gratianus filius Auguſti Valentiniani die XIV. Kal. Majas, & ipſo anno primùm proceſſit Cõſtantinopolim Præfectus urbis, nomine Honoratus, die III. Idus Decemb.

Conſtantio X. & Juliano III.

His Conſs. dedicatum eſt Conſtantinopoli Dominicum die XV. Kal. Martias.

Tauro & Florentio.

His Conſs. diem functus Conſtantius Aug. Mopſucrinas in finibus Ciliciæ Phœniciæ provinciæ III. Non. Novẽb. & introïvit Julianus Aug. Conſtantinopolim die III. Idus Decemb.

Mamertino & Nevitta.

Juliano Aug. IV. & Saluſtio.

His Conſs. occiſus eſt Julianus Aug. in bello Perſico die VI. Kal. Julias, & quia apoſtata à Deo factus eſt Chriſtianorum etiam perſecutor, occiſus eſt, & levatus eſt Chriſtianiſſimus Jovianus Aug. V. Kal. Julias.

Joviano Aug. & Varroniano.

His Conſs. receſſit Jovianus Auguſt. Dadaſtanâ die XI. Kal. Mart. & levatus eſt Valentinianus Auguſtus apud Nicæam die V. Kal. Mart. Ipſo anno levatus eſt Valens Aug. Conſtantinopoli in milliario VII. In tribunali à fratre ſuo Valentiniano die IV. Kal. April.

Valentiniano & Valente Augg.

His Conſs. mare ultra terminos ſuos egreſſum eſt die XII. Kal. Aug. & ipſo anno latro nocturnus hoſtiſque publicus intra urbem Conſtantinopolim apparuit die IV. Kal. Octob.

Gratiano nob. & Dagalaïſo.

His Conſs. natus eſt Valentinianus Junior filius Auguſti Valentiniani die XV. Kal. Febr. & ipſo anno idem hoſtis publicus & prædo intra Phrygiam ſalutaris, & in Nacolienſium campis ab Auguſto Valente oppreſſus, atque exſtinctus eſt die VI. Kal. Junias. Ipſo anno Auguſtus Valentinianus gentem Alamannicã pervicit.

Lupicino & Jovino.

His Conſs. in civitate Conſtantinopoli Deus grandinem pluit in modũ petrarum die IV. Nonas Julias. Et ipſo anno levatus eſt Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in tribunali à patre ſuo Auguſto Valentiniano die IX. Kal. Septẽb.

Valentiniano II. & Valente II.

His Conſs. terræmotus factus, ita ut civitas Nicænorum terra funditùs proſterneretur die V. Idus Octob.

Valentiniano nob. & Victore.

His Conſs. opus magnificum ciſternæ Conſtantinopolitanæ completum eſt à Domitio Modeſto V. C. Iterum Præfecto urbis: quod in prima inchoaverat Præfectura. Agon poſt an. XVII. reſtitutus eſt ab Aug. Valente.

Valentiniano III. & Valente III.

His Conſs. magna fames fuit in partibus Phrygiæ: & dedicata eſt ſancta Eccleſia, ubi beati Apoſtoli poſiti ſunt, V. Idus Aprilis.

Gratiano Aug. II. & Probo.

Modeſto & Arintheo.

Valentiniano IV. & Valente IV.

Gratiano III. & Equitio.

Poſt Conſs. Gratiani III. & Equitii.

His Conſs. thermæ Caroſianæ dedicatæ ſunt agente Præfecto V. C. Vindalonio Magno. Et ipſo anno diem functus Valentinianus Senior XV. Kal. Decemb. in Caſtello Virgitione: & levatus eſt Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die X. Kal. Decembr. in civitate Acinco.

Valente Aug. V. & Valentiniano Jun. Aug.

His Conſs. victi & expulſi ſunt Gotthi à gente Hunnorum, & ſuſcepti ſunt in Romania pro miſericordia, juſſione Aug. Valentis. Et ipſo anno introïvit corpus Auguſti Valentiniani Conſtantinopolim V. Kal. Jan.

Gratiano IV. & Merobaude.

His Conſs. gens Gotthorum, qui pro miſericordia ſuſcepti ſunt, rebellaverunt adversùs Romanos, ad quos expugnandos ſunt miſſi Comites cum militibus, & pugnaverunt cum Gotthis.

Valente VI. & Valentiniano II.

His Conſs. ingreſſus eſt Valens Aug. ab Oriente Conſtantinopolim die III. Kal. Junias. Et ipſo anno profectus eſt Valens Aug. ex urbe ad Foſſatum die III. Idus Junias, & pugna magna fuit cum Romanis & Gotthis milliario XII ab Hadrianopoli die V. Id Aug. Ex ea die Valens Aug. nuſquam apparuit. Et toto anno per diœceſim Thraciarum, & Scythiæ, & Mœſiæ, Gotthi habitaverunt ſimul, & eas prædaverant: deinde uſque ad portas urbis Conſtantinopolitanæ venerunt.

Auſonio & Olybrio.

His Conſs. levatus eſt Theodoſius Aug. ab Auguſto Gratiano die XIV. Kal. Febr. In civitate Sirmio. Ipſo anno multa bella Romani cum Gotthis commiſerunt. Deinde victoria nunciatæ ſunt adverſus Gotthos, Alanos, atque Hunnos, die XV. Kal. Decemb.

Gratiano Auguſto V. & Theodoſio Aug.

His Conſs. victoria nunciatæ ſunt amborum Auguſtorum. Et ipſo anno ingreſſus eſt Theodoſius Aug. Conſtantinopolim die XUX. Kal. Decemb.

Syagrio & Eucherio.

His Conſs. ingreſſus eſt Athanaricus Rex Gotthorum Conſtantinopolim die III. Idus Januar.

Eodem

Eodem menſe diem functus idem Athanaricus VIII. Kal. Februar.

Antonio & Syagrio.

His Conſ. Theodoſius Aug. corpus Auguſti Valentiniani in ſarcophago depoſuit die IX. Kal. Mart. Ipſo an. univerſa gens Gotthorum cum Rege ſuo in Romaniam ſe tradiderunt die V. Non. Octob.

Merobaude II. & Saturnino.

His Conſ. levatus eſt Arcadius Aug. Conſtantinopoli in milliario VII. in tribunali à Theodoſio Aug. patre ſuo die XVII. Kal. Febr. Et ipſo anno ingreſſum eſt Conſtantinopolim corpus Conſtantiæ filiæ Auguſti Conſtantini die II. Idus Septemb.

Ricomere & Clearcho.

His Conſ. introïerunt Conſtantinopolim legati Perſarum. Ipſo anno natus eſt Honorius nob. in purpuris die V. Idus Septemb.

Arcadio Aug. & Bautone.

Honorio nob. & Euodio.

His Conſ. victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Greothingorum à noſtris Theodoſio & Arcadio, deinde cum victoria & triumpho ingreſſi ſunt Conſtantinopolim die IV. Idus Octob.

Valentiniano III. & Eutropio.

His Conſ. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo editionibus ludiſque celebravit XVII. Kal. Feb.

Theodoſio Aug. II. & Cynegio.

Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in Conſulatu ſuo Conſtantinopoli. Hic univerſas provincias longi temporis tabe deceptas in ſtatum priſtinum revocavit, & uſque ad Ægyptum penetravit, & ſimulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum eſt corpus ejus ad Apoſtolos die XIV. Kal. April. Et poſt annum tranſtulit cum matrona ejus Achantia ad Hiſpanias pedeſtre. Et ipſo anno occiditur hoſtis publicus Maximus tyrannus à Theodoſio Aug. in milliario III. de Aquileia V. Kal. Aug. Sed & filius ejus Victor occiditur poſt paucos dies in Galliis à Comite Theodoſii.

Timaſio & Promoto.

His Conſ. introivit Theodoſius Aug. in urbē Romam cum Honorio filio ſuo die Iduum Juniarum, & dedit congiarium Romanis.

Valentiniano IV. & Neuterio.

Tatiano & Symmacho.

Arcadio Aug. II. & Ruffino.

Valentianus Junior apud Viennam eſt interfectus, & levavit ſe Eugenius tyrannus. Poſtmodum Theodoſius Aug. occidit Eugenium.

Theodoſio Aug. III. & Abundantio.

Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II.

Olybrio & Probino.

His Conſ. receſſit apud Mediolanum Theodoſius Aug.

Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III.

Attico & Cæſario.

Honorio Aug. IV. & Eutychiano.

His Conſ. Gildo occiſus.

Manilio & Theodoro.

His Conſ. templa gentilium demolita ſunt, Gaudentio & Joviniano Comitibus.

Stilicone V. C. Conſule.

Vincentio & Fravito.

Arcadio V. & Honorio V.

His Conſ. Solis facta defectio III. Id. Nov.

Theodoſio & Rumorido.

Honorio IV. & Ariſtæneto.

His Conſ. bellum civile fuit ex III. Kal. Septemb.

Stilicone II. & Anthemio.

His Conſ. inter Catholicos & Donatiſtas unitas facta.

Arcadio VI. & Probo.

Honorio VII. & Theodoſio Aug. II.

Baſſo & Philippo.

Honorio VIII. & Theodoſio III.

His Conſ. barbari Hiſpanias ingreſſi.

Honorio IX. & Varari, quod fuit Tertullo.

Theodoſio Aug. IV.

His Conſ. Conſtantini tyranni in conto caput adlatum eſt XIV. Kal. Octob.

Honorio IX. & Theodoſio V.

P. C. Honor. IX. & Theod. V. Lucio Coſ.

His Conſ. occiſi ſunt Jovinus, Sebaſtianus, Saluſtius, & Heraclianus abolitus eſt.

Conſtantio V. C.

Honorio X. & Theodoſio VI.

His Conſ. S. Stephanus primus martyr revelatus ſancto presbytero Luciano die VI. feria, quæ fuit tunc III. Non. Decemb. in Hieroſolymis S. Joanne Epiſcopo præſidente: & extant ex his geſtis Epiſtolæ ſupradicti presbyteri, & S. Aviti presbyteri Bracarenſis, qui tunc in Hieroſolymis degebant.

Theodoſio VII. & Palladio.

Honorio XI. & Conſtantio II.

Honorio XII. & Theodoſio VIII.

Monaxio & Plenta.

His Conſ. S. Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus qui ſuprà. Epiſtolam dirigit per Eccleſias Orbis terrarum, quæ habetur, de ſignis, terroribuſque divinitus perpetratis.

Theodoſio IX. & Conſtantio III.

Agricola & Euſtatio.

Honorio XIII. & Theodoſio X.

Mariniano & Aſclepiodoto.

His Conſulibus Honorius Aug. deceſſit Ravennæ.

HISTORIA

SIVE

CHRONICON GOTTHORUM,

WANDALORUM, SUEVORUM, ET WISIGOTTHORUM.

AUCTORE

S. ISIDORO

ARCHIEPISCOPO HISPALENSI.

CARDINALIS DE AGUIRRE LECTORI S.

Vix poteſt Chronologia Conciliorum, & aliorum veterum monumentorum Hiſpaniæ, quæ in hoc Opere prodeunt, innoteſcere, niſi præ oculis ſit index hiſtoricus Regum ipſius, aſſignatâ unicuique propriâ epochâ. Hæc autem exhibetur à S. Iſidoro Hiſpalenſi in brevi Hiſtoria ſua, ab Era Cæſaris CCXIV. (id eſt, anno Chriſti CLXXVI.) uſque ad Eram DCLXVI. id eſt annum Chriſti DCXXVIII. quo Siſebutus Rex Hiſpaniæ jam obierat, vivente adhuc Iſidoro. Cæterùm Gotthi Reges, aliique hoc libello comprehenſi, non irruerunt in Hiſpaniam Erâ CCXIV. immo nec multo pòſt tempore; ſed ſolùm ineunte jam ſæculo quinto, circa Eram CDXLIX. Chriſti CDXI. Theodoſii Junioris I. quo celebratum ponitur Concilium Bracarenſe ſub Pancratiano, à nobis eo anno exhibitum. Cui numerandi rationi reſpondet Chronicon Idatii. Vide Chronologiam eorundem Regum Gotthorum breviorem initio I. Tomi editam à pag. 15. ex eodem Iſidoro, & Wulſa Epiſcopo, quæ incipit ab Athanarico.

GOTTHORUM antiquiſſimum eſſe regnum certum eſt, quod ex regno Scytharum eſt exortum. Iſti enim ſunt, quos Alexander vitandos pronunciavit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Per multa quippe ſæcula & regno & Regibus uſi ſunt: ſed quia in Chronicis adnotati non ſunt, ideo ignorantur. Ex illo autem in hiſtoriis inditi ſunt, ex quo adversùm ſe Romani eorum virtutem experti ſunt: quorum oportet tempora & Reges per ordinem curſim exponere, & aliqua eorum geſta de hiſtoriis libenter retexere.

ERA CCXIV. anno * * Valeriani & Gallieni Impp. Gotthi deſcenſis Alpibus, quibus inhabitabant, Græciam, Macedoniam, Pontum, & Aſiam, atque Illyricum vaſtaverunt: ex quibus Illyricum & Macedoniam XV. ferme annis tenuerunt. Deinde à Claudio Imperatore ſuperati, ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Aug. pro eo quòd tam fortiſſimam gentem à finibus Reipubl. removiſſet, inſigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio autem auream ei ſtatuam collocaverunt.

ERA CCLXIX. anno XXVI. Conſtantini Imperatoris, Gotthi regionem Sarmatarum aggreſſi, copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus. Adversùs quos idem Conſtantinus aciem inſtruxit, ingentique certamine vix ſuperatos, ultra Danubium expulit: de diverſis gentibus virtutum gloriâ clarus, ſed de Gotthorum victoria ampliùs glorioſus: quem Romani, acclamante Senatu, publica laude proſequuti ſunt, quòd tantam gentem vicerit, quòd pacem Reipublicæ reformaverit.

ERA CCCVIII. anno Valentis V. Gotthorum gentis adminiſtrationem Athanaricus accepit, regnans annos XIII. qui perſecutionem adversùs Fidem communem voluit exercere contra eos, qui in locis ſuis Chriſtiani habebantur, ex quibus plerique, quia idolis immolare non acquieverunt, martyrio coronati ſunt: reliqui autem coacti ſunt de regno ſuo exire, & in Romanam tranſire regionem.

ERA CDXV. anno * * Valentis Imperat. Gotthi adversùm ſe in Athanarico & Fridigerno diviſi ſunt, alternis ſe cædibus populantes: ſed Fridigernum Athanaricus Valentis Imp. auxilio ſuperans, hujus rei gratiâ cum omni gente Gotthorum in Arianam hæreſim devolutus eſt. Tunc Galſilas eorum

Epiſco-

Epiſcopus Gotthicas literas adinvenit, & Scripturas ſacras in eandem linguam convertit.

ERA CDXVI. anno XIV. Valentis Imperatoris, Gotthi, qui primùm Chriſtianos à terra ſua expulerant, poſtmodum ipſi ab Hunnis expulſi ſunt, tranſitoque Danubio fluvio, Valentis Imp. poteſtati ſe, non depoſitis armis, dederunt, acceptâ ab eo ad habitandum Thraciâ. Sed ubi viderunt ſe opprimi à Romanis contra conſuetudinem propriæ libertatis, reſumptis armis, rebellando, Thraciam ferro incendiiſque depopulantur, deletoque Romanorum exercitu, ipſum Valentem jaculo vulneratum in quandam villam fugientem incendunt; ut meritò, juxta cujuſdam ſententiam, ipſe ab eis temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat.

ERA CDXIX. anno Imperii Theodoſii Hiſpani tertio, Athanaricus cum Theodoſio jus amicitiæ diſponens, mox Conſtantinopolim pergit: ibique XV. die, ex quo fuerat à Theodoſio favorabiliter ſuſceptus, interiit. Gotthi autem proprio Rege defuncto, aſpicientes benignitatem Theodoſii Imperatoris, inito fœdere, Romano ſe Imperio tradiderunt.

ERA CDXLVI. anno XIV. Arcadii & Honorii Impp. poſt Athanaricum duo Reges Gotthis Imperaverunt, qui pacis fœdere rupto, ad deprædandam Romaniam ſe dederunt. Quorum unus Radagaïſus Scytha atque paganus, cum CC. ferè millibus Italiam belli feritate aggreditur, promittens ſanguinem Chriſtianorum diis ſuis litare ſi vinceret. Cujus exercitus à Romanis in montuoſis locis concluſus, fame eſt potiùs quàm ferro conſumptus: ipſe poſtremùm Rex captus eſt & interfectus.

ERA CDXLVII. anno ** Honorii & Arcadii Imperatorum, alter ille Alaricus, Chriſtianus quidem, ſed hæreticus, pro conſorte regni amiſſo in vindictam ſanguinis ſuorum profectus in Italiam, Urbem irruit, & obſeſſam capit: ſicque Roma irruptione atque impetu magnæ cladis everſa eſt. Tantùm autem Gotthi clementes ibi exſtiterunt, ut votum antea darent, ut ſi ingrederentur Urbem, quicumque Romanorum in locis Chriſtiani invenirentur, in eos agere belli jure non liceret; ſed ibi & feriendi refrænaretur immanitas, & captivandi cupiditas coërceretur: ſicque poſt hoc votum aggredientes Urbem, quoſcumque in locis ſacris Chriſti, vel Martyrum, vel Baſilicis confugientes invenerunt, in vaſtatione Urbis non miſerunt, nec cruentus ſæviit in eos gladius, commiſerantibus hoſtibus. Sed & qui extra loca Martyrum erant, & nomen Chriſti vel Sanctorum nominabant, & ipſis ſimili miſericordia hoſtilis furor pepercit. Sic evaſerunt multa millia Romanorum, quibus Gotthi propter Chriſtum miſericorditer pepercerunt. Unde & hucuſque Romani, qui in regno Gotthorum conſiſtunt, adeò amplectuntur, ut meliùs ſit illis cum Gotthis pauperes vivere, quàm inter Romanos potentes eſſe, & grave jugum tributi portare. Gotthi autem poſt tertium diem, quo Romam ingreſſi ſunt, nullo hoſte cogente ſponte diſcedunt.

ERA CDXLIX. anno primo Theodoſii minoris, Alarico mox poſt captam Urbem defuncto, Athaulphus Gotthus Italiæ regno præficitur annis ſeptem. Iſte quinto regni anno de Italia ſuccedit ad Gallias, ibique Placidiam filiam Theodoſii principis, Arcadii & Honorii Imperatorum ſororem, quæ à Gotthis Romæ capta fuerat, uxorem ſibi aſſumpſit, nullo ex ea ſemine ſubſiſtente. Qui dum à Conſtantio Romano Patricio admoneretur, ut relictis Galliis Hiſpanias peteret, per quendam Gotthum apud Barcilonem inter familiares fabulas jugulatur.

ERA CDLIV. anno VII. Theodoſii minoris, poſt Athaulphum Gotthis Sigericus princeps electus eſt, qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus, mox à ſuis eſt interfectus.

ERA & anno quo ſuprà, Wallia ſuccedens tribus annis regnavit, belli cauſâ princeps à Gotthis effectus, ſed ad pacem divinâ providentiâ ordinatus. Mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit; Placidiam ſororem ejus honorificè reddidit: Romani quoque nominis cauſâ intra Hiſpanias cædes magnas barbaris intulit: Wandalos Silingos in Bætica omnes bello extinxit: Alanos, qui Wandalis & Suëvis potentabantur, adeò *** ut extincto Utaco Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant, oblito regni nomine, Gunderici Regis Wandalorum, qui in Gallia reſederant, ſe patrocinio ſubjugarent. Iſti ſunt Wandali, qui poſtea Suëvorum obſidione relicta, ad Bæticam tranſierunt, captaque Hiſpali, in Africam migraverunt. Wallia autem confecto bello Hiſpaniæ; dum inſtructa navali acie in Africam tranſire diſponeret, in fretum Gaditani maris vi tempeſtatis interceptus, in Hiſpaniam redire coactus eſt. Qui deinde per Conſtantium Romanum Patricium ad Gallias revocatur, datâ ab eo Gotthis ob meritum victoriæ ad habitandum ſecundâ Aquitaniâ uſque ad Oceanum, cum quibuſdam civitatibus confinium provinciarum.

ERA CDLXVII. **** Theodoſii minoris, Theudoridus poſt Walliam regnat annis XXIII. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recuſat, exercitum movet, Arelatem nobiliſſimum oppidum Galliæ obſidet: à cujus obſidione, imminente virtute Aëtii Romanæ militiæ ducis, remotus abſcedit. Extincto autem à Valentiniano Imperatore Aëtio, dum Theudoridus Narbone eſſet inſertus, rurſus Theudo à Litorio duce Romanæ militiæ Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primùm res proſperas adversùs Gotthos geſſiſſet, denuò reſponſis dæmonum deceptus, in bello à Gotthis amiſſo exercitu miſerabiliter ſuperatur; & qui antea hoſtium millibus cæſis feliciter vicerat, dum fallacia dæmonum oracula quærit, ignobiliter victus interiit: Theudoridus autem ſumpto contra Hunnos prælio in campis Catalaunicis, ſuperatus occubuit. Gotthi autem dimicante Turiſmodo, Theudoridi Regis filio, adeò exſtitere victores, ut Attila Rex Hunnorum prælio victus, metu inſequentis exercitus nuſquam comparuiſſe dicatur.

ERA CCCXC. anno Marciani Imp. I. Turiſmodus filius Theudoridi regnavit anno I. qui poſtquam de Hunnis triumphavit, dum multas ageret inſolentias, à Theudorico & Frigdorico eſt fratribus interfectus.

ERA CDXCI. anno II. Marciani Imp. I. Theudoricus poſt fraternam necem in regnum ſuccedens, imperavit annis XIII. qui pro eo, quòd Imperatori Avito ſumendi imperialis faſtigii cum Gallis auxilium præbuiſſet, Aquitanias cum ingenti exercitu, & cum ingenti licentia ejuſdem Aviti Imperatoris ingreditur. Cui cum magna copia Rex Suēvorum Rechiarius occurrens, duodecimo Aſturicenſia urbis milliario, apud fluvium qui Urbicus appellatur, inito mox certamine ſuperatus eſt, cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe poſtremùm Rex telo ſauciatus fugit. Theudurico autem cum exercitu ad civitatem Bracarenſem pertendente, die Dominico, etſi incruenta, tamen ſatis lamentabilis ejuſdem direptio civitatis, & Romanorum magna captivitas fuit: Rechiarius verò ad locum Portuculæ profectus, Regi Theudorico captus adducitur. Quo perempto, cæteris, qui de priori certamine ſuperfuerant, ſeſe tradentibus, aliquantis nihilominus interfectis, regnum Suēvorum penè deſtructum eſt & finitum. Reliqui Suēvi, qui remanſerant in extrema Gallicia, Maſſilæ filium nomine Maſdram ſibi regem conſtituunt, regnumque reparatur Suēvorum. Theudoricus autem de Gallicia ad Luſitaniam victor ſuccedens, dum Emeritenſem urbem deprædari molitetur, beatiſſimæ Eulaliæ martyris terretur oſtentis. Mox adverſis ſibi nunciis territus, de Emerita egreſſus, Gallias repetit, & partem exercitûs, cum ſuis ducibus, iterum ad campos Galliciæ dirigit; qui cæſa Aſturicenſi regione rurſum revertuntur ad Gallias. Nec mora, Gotthicus exercitus duce Ceurila à Theudorico ad Hiſpanias miſſus, ſuccedit ad Bæticam. Poſt quem ſequenti anno Sigericus cùm alia parte exercitûs dirigitur, & Ceurilas revocatur ad Gallias. Pars autem Gotthici exercitus à Sunierico & Nepotiano ducibus ad Galliciam directa, Suēvos apud Luſitaniam deprædatur. In Gallias autem Agrippinus Comes & concivis, Ægidio Comiti Romano æmulus, ut Gotthorū mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. Pòſt aliquot legati Suēvorū ab Ariſmodo Rege, Maſdræ filio, Rege Suēvorum, miſſi ad Theudoricum venerunt, pacem amicitiamque poſcentes. Similiter Theudoricus Ariſmodo remittit, cum armorum adjectione, munera, directa etiam & conjugi quam haberet. Sallanem quoque legatum denuò Theudoricus mittit ad Ariſmodum; qui reverſus ad Gallias, Theudoricum ab Eurico fratre ſuo reperit interfectum.

ERA DIV. anno Imperii Leonis octavo, Euricus, pari ſcelere quo frater, ſuccedit in regnum annis XVIII. in quo honore provectus & crimine, ſtatim bello deſævit, parteiſque Luſitaniæ deprædatur. Qui priùs captâ Pamphilonâ, Cæſarauguſtam invadit, totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit, Terraconenſis etiam nobilitatem, quæ ei repugnaverat, exercitûs irruptione peremit. In Gallias autem regreſſus, Arelatum & Maſſiliam urbes capit, ſuoque regno utramque ſubjecit. Iſte quodam die congregatis in colloquio Gotthis, tela quæ habebant omnes in manibus, à parte ferri, alia viridi, alia roſeo, alia croceo colore mutata, naturalem ferri ſpeciem aliquandiu non habuiſſe comperit. Sub hoc Rege Gotthi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt; nam antea tantùm moribus & conſuetudine tenebantur. Obiit Arelato Euricus morte propria functus.

ERA DXXII. anno XI. Zenonis Imperatoris, Eurico mortuo, Alaricus filius ejus apud Toloſenſem urbem princeps Gotthorum efficitur, eoſque rexit annis XXIII. Qui cùm à pueritia vitam in otio & convivio peregiſſet; tandem provocatus à Francis, in regione Pictavenſis urbis prælio inito, extinguitur. Eoque interfecto, regnum Toloſanum occupantibus Francis deſtruitur.

ERA DXLV. anno XVII. Anaſtaſii Imp. Geſelicus ſuperioris Regis ex concubina filius, Narbonæ princeps efficitur, & regnavit annis quatuor; ſicut genere viliſſimus, ita infelicitate & ignaviâ ſummus. Denique dum eadem civitas à Gundebaldo Burgundionum Rege direpta fuiſſet; iſte cum multis vi, dedecore, & cum magna ſuorum clade apud Barcinonam ſe contulit. Ibi moratus, quouſque regni faſcibus à Theudorico fugæ ignominiâ privaretur. Inde profectus ad Africam, Wandalorum ſuffragium poſcit, quo in regnum poſſet reſtitui. Qui dum non impetrâſſet auxilium, mox de Africa rediens, ob metum Theudorici Regis Aquitaniam petiit. Ibi anno uno deliteſcens, Hiſpaniam reverſus, ab Ebbave Theudorici Regis duce, duodecimo à Barcinona urbe milliario commiſſo prœlio ſuperatus in fugam vertitur, captuſque trans fluvium Druentium Galliarum, occiditur.

ERA DXLV. anno XXVI. Anaſtaſii Imperatoris, Theudoricus Junior dum jampridem à Thracia & Pannonia veniens, fugato Arnulpho Rege Oſtro-gotthorum, regnâſſet in Italia annis XVIII. rurſus expulſo Rege Wiſi-gotthorum Geſelico, regnavit in Hiſpania annis XV. Sicque priùs Italo regno potitus, poſtea Hiſpaniam rexit, quam ſuperſtes ejuſdem Amalarico nepoti reliquit. Per hunc dignitas urbis Romæ non parva eſt reſtituta: muros enim ejus iſte redintegravit, ob quam cauſſam à Senatu inauratam ſtatuam meruit.

ERA DLXIV. XIV. anno Juſtiniani Imperatoris, defuncto Thendorico, Amalaricus nepos ejus quinque annis regnavit. Qui cùm ab Hildeberto Francorum Rege Narbonæ prœlio ſuperatus fuiſſet; Barcinonam fugiens venit, omniumque contra ſe odio excitato, apud Narbonam in foro ab exercitu jugulatus interiit.

ERA DLXIX. Juſtiniani Imp. tempore, poſt Amalaricum Theudis in Hiſpania creatur in regnum per annos XVI. menſes quinque. Qui dum eſſet hæreticus, pacem tamen conceſſit Eccleſiæ Dei, ut licentiam Catholicis Epiſcopis daret in unum apud Toletanam urbem convenire, & quæcumque ad Eccleſiæ diſciplinam neceſſaria exiſterent, dicere, licenterque diſponere. Iſte Francorum Reges quinque Cæſarauguſtam obſidentes, omnemque ferè Tarraconenſem provinciam bello depopulantes, miſſo duce Theudiſclo fortiter debellavit, atque à regno ſuo non pace, ſed armis exire coëgit. Vulneratur autem à quodam in palatio, qui jamdiu dementis ſpeciem, ut Regem deciperet, ſimulaverat.

Finxit enim arte inſaniam, & quaſi furore repletus, perfodit principem: quo vulnere proſtratus occubavit, & vi gladii indignantem animam exhalavit. Fertur autem inter effuſionem ſanguinis conjuràſſe homines ſuos, ne quis interficeret percuſſorem ſuum, dicens, recepiſſe ſe dignam vicillitudinem, quòd & ipſe privatim ducem ſuum ſolicitatum occiderat.

ERA DLXXXVI. Anno XXII. Juſtiniani Imperatoris, interempto Theudi, Theudiſclus Gotthis præficitur. Regnavit anno uno, menſibus VII. Hic pari conjuratorum manu inter epulas cœnæ, gladio confoſſus extinguitur.

ERA DLXXXVII. Anno XXIII. Juſtiniani Imperatoris, extincto Theudiſclo, Agila Rex creatur, regnans annis quinque. Cujus tertio anno Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripuit. Gotthi autẽ Agilam apud Emeritã fide ſacramenti oblita interimunt, & Athanagildo ſe tradunt.

ERA DXCII. Anno XXVIII. Juſtiniani Imperatoris, Agilâ perempto, Athanagildus regnum quod invaſerat tenuit annis XVI. Iſte cùm jamdudum ſumpta tyrannide Agilam regno privare quæreret; militum ſibi auxilia ab Imp. Juſtiniano popoſcerat, quos poſtea ſubmovere à finibus regni molitus, non potuit, adversùs quos huc uſque confligitur. Nam frequentibus antea præliis cæſi, nunc verò multis caſibus fracti ac diminuti ſunt. Deceſſit autem Athanagildus Toleto propria morte, vacante regno menſibus quinque.

ERA DCVIII. Anno ſecundo Juſtini minoris, poſt Athanagildum Liuva Narbonæ regno præficitur, regnavitque annis tribus; qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatum, Leuvigildum fratrem ſuum ſocium regni conſtituit, Hiſpaniæque adminiſtrationi præfecit. Ipſe autem Galliæ regno contentus eſt. Sicque regnum duos capit, cùm nulla poteſtas patiens conſortis ſit. Huic autem in ordine temporum unus tantùm annus reputatur, reliqui Leuvigildo adnumerantur.

ERA DCVIII. Anno ſecundo Juſtini minoris, Leuvigildus adepto Hiſpaniæ & Galliæ regno, otium periculoſum ratus, regnum bello ampliare ſtatuerat. Subegit Aregenſes, cœpit Sabariam, Croſpida ab eo devicta eſt. Ceſſerant etiam armis illius omnes rebelles Hiſpaniæ urbes, fudit quoque diverſo prœlio militem, & quædam caſtra ab eis occupata dimicando recepit. Erminigildum deinde Imperiis ſuis tyrannizantem obſeſſum exſuperavit. Poſtremò bellum Suevis intulit, regnumque eorum injuriâ gentis ſuæ mira celeritate tranſmiſit, Hiſpaniâ penè totâ potitus. Nam antea gens Gotthorum anguſtis finibus arctabatur. Sed obſuſcavit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique iniquæ perfidiæ furore repletus, in Catholicos perſecutione commota, plurimos Epiſcoporum exſilio relegavit, & Eccleſiarum reditus & privilegia tulit. Multos quoque terroribus ſuis in Arianam hæreſim & peſtilentiam impulit: pleroſque ſine perſecutione illectos auro rebuſque decepit. Auſus quinetiam, inter cætera hæreſis ſuæ contagia, rebaptizare Catholicos; & non ſolùm ex plebe, ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, ſicut Vincentium Cæſarauguſtanum de Epiſcopo apoſtatam factum, & tanquam à cœlo in inferna projectum. Exſtitit autem & quibuſdam ſuorum pernicioſus. Nam vi cupiditatis & livoris quoſque potentes ut vidit, aut capite damnavit, aut opibus ablatis proſcripſit. Ærarium quoque ac fiſcum primus iſte auxit: primuſque inter ſuos regali veſte opertus, ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus communis, ut genti, ita & Regibus erat. Condidit autem civitatem in Celtiberia, quam ex nomine filii ſui Recopolin nominavit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconditè conſtituta videbantur, correxit; plurimas leges prætermiſſas adjiciens, pleraſque ſuperfluas auferens. Obiit propria morte Toleto anno regni ſui XVIII.

ERA DCXXV. Leuvigildo defuncto, filius ejus Recaredus regno eſt coronatus, cultu præditus religionis, & patriis moribus longè diſſimilis. Namque ille inreligioſus & bello promptiſſimus, hic fide pius & pace præclarus: ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic glorioſus eandem gentem Fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis Catholicam Fidem adeptus, totius Gotthicæ gentis populos, inoliti erroris labe deterſa, ad cultum rectæ Fidei revocavit. Synodum etiam ad condemnationem Arianæ hæreſis congregavit, cui Concilio idem glorioſiſſimus princeps interfuit, ſuâque id præſentiâ & ſubſcriptione firmavit. In belli quoque gloria ſatis clarus ac præcipuus exſtitit. Francis enim cum ſexaginta ferè millibus armatorum copiis Gallias irruentibus, miſſo Claudio duce adversùs eos, glorioſo triumphavit eventu. Nulla unquam in Hiſpaniis Gotthorum vel major vel ſimilis exſtitit. Proſtrati ſunt enim & capti multa millia, reſidua pars exercitûs in fugam verſa, Gotthis poſt tergum inſequentibus uſque regni ſui finibus cæſa eſt. Sæpè etiam & lacertos contra Romanas inſolentias, & irruptiones Waſconum movit, ubi non magis bella tractâſſe, quàm potiùs gentem, quaſi in palæſtra eludii, pro uſu utilitatis videtur exercuiſſe. Provincias autem pater prœlio conquiſivit, iſte pace conſervavit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit. Multi quoque adversùs eum tyrannidem aſſumere cupientes detecti ſunt, ſuæque machinationis conſilium implere non potuerunt. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantamque in vulgus gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit; ut in omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum ſui amoris attraheret: adeò liberalis, ut opes privatorum, Eccleſiarum prædia direpta à patre, & fiſco adſociata, juri proprio reſtitueret. Adeò quoque clemens fuit, ut populi tributa ſæpè indulgentiæ largitione donaret. Multos etiam ditavit rebus, plurimos ſublimavit honoribus, opes ſuas in miſeris, theſauros ſuos in egenis recondens, Sciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, ut eo ſalubriter uteretur: bonis initiis bonum finem adeptus. Fidem enim rectæ gloriæ, quam primùm percepit, noviſſimè publica confeſſione pœnitentiæ cumulavit. Quinto decimo anno Toleto morte propria deceſſit.

ERA DCXL. Anno poſt Recaredum principem, filius ejus Liuva regni ſuſcepit ſceptra annis duo-

duobus: ignobili quidem matre progenitus, ſed virtutum indole inſignitus: quem iu primo flore adoleſcentiæ Vittericus ſumpta tyrannide innocuum regno dejecit, præciſaque ejus dexterâ occidit, anno ætatis XX. regni verò ſecundo.

ERA DCXLII. Extincto Liuva, Vittericus regnum, quod vivente illo invaſerat, ſibi vendicat annis VII. vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque adversùs Romanum militem bella ſæpè molitus, nil ſatis gloriæ geſſit, præter quòd milites quoſdam Sagontiâ per duces obtinuit. Hic in vita plurima illicita fecit. In morte autem, qui gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. Iuter epulas enim prandii conjuratione ſuorum eſt interfectus. Corpus verò ejus viliter eſt exportatum atque ſepultum.

ERA DCXLVIII. Gundemarus poſt Vittericum princeps efficitur annis duobus. Hic Waſcones una expeditione vaſtavit. Aliâ militem Romanum obſedit. Toleto propria morte deceſſit.

ERA DCLI. Siſebutus poſt Gundemarum regali faſtigio evocatur, regnans annos VIII. menſes ſex. Qui in initio regni ſui Judæos ad Fidem Chriſtianam permovens, æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundùm ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos provocare Fidei ratione oportuit. Sed (ſicut ſcriptum eſt) *ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annuncietur.* Fuit autem linguâ nitidus, literarum ſtudiis ex parte imbutus. In bellicis quoque cauſſis favorem habuit prœliorum. Aſtures enim rebellantes, miſſo exercitu, per ducem ſuum Richilanem in ditionem ſuam reduxit. Roccones, arduis montibus undique circumſeptos, ſimiliter per duces devicit. De Romanis quoque præſens feliciter triumphavit, & quaſdam urbes pugnando ſubegit: adeò clemens poſt victoriam, ut penè omnes ab exercitu ſuo hoſtili præda in ſervitutem redactos, pretio dato abſolveret, ejuſque theſaurus redemptio captivorum exiſteret. Hunc alii morbo, alii veneno aſſerunt interfectum. Hi ſunt anni Gotthorum Regum, ab exordio Athanarici Regis uſque ad iſtum Siſebutum. Anni CCLI. ERA DCLVI.

EXPLICIT HISTORIA GOTTHORUM.

INCIPIT HISTORIA WANDALORUM.

WANDALI cum Alanis & Suēvis pariter Hiſpanias ingrediuntur. Hi pace inter ſe inita, ſorte ad inhabitandum ſibi provinciarum dividunt regiones. Galliciam Wandali & Suēvi occupant. Alani Luſitaniam & Carthaginenſem provincias. Wandali autem, cognomine *Silingi*, Bæticam ſortiuntur. Hiſpani autem per civitates & caſtella reſidua barbaris dominantibus ſe ſubjugant. In Hiſpanias Gundericus primus Rex Wandalorum ſucceſſit, regnans in Galliciæ partibus annis XVI. Qui dum rupto fœdere pacis, Suēvos in Nervoſis montibus obſideret, relictâ tandem Galliciâ, cum omnibus Wandalis ad Bæticam tranſivit; captaque Hiſpali, cùm inreverenter in Eccleſias ipſius civitatis manus extendiſſet; mox Dei judicio dæmone correptus interiit. Cui Geïſericus frater ſuus, ex Catholico apoſtata factus, ſuccedit in regnum, annorum ſexaginta; qui de Bæticæ provinciæ litore ad Mauritaniam venit, & Africâ relictâ in Hiſpaniam transfretavit. Cui Valentinianus Occidentis Imperator non valens obſiſtere, pacem mittit; & partem Africæ, quam Wandali poſſederant, tanquam pacifico tradidit, conditionibus ab eo ſacramenti acceptis, ne quid ampliùs invaderet. Ille autem ſacramenti religione violata Carthaginem pervadit, Siciliam deprædatur, Panormum obſidet, Arianam peſtilentiam per totam Africam intromittit, Sacerdotes Eccleſiæ expellit, martyres plurimos efficit. Adversùs quem Theodoſius minor Orientis Imperator bellum præparavit, quod ad effectum non venit. Hunnis enim Thraciam Illyricumque vaſtantibus, exercitus Wandalorum à Sicilia revocatur, & ad defendendos Thraces & Illyrianos tranſmittitur. Geïſericus autem non contentus ſolis Africæ vaſtationibus, navibus advectus Romam ingreditur, direptiſque opibus Romanorum, per quatuordecim dies, relicto Valentiniano, filias ejus, multaque millia captivorum ſecum tulit, moxque Carthaginem rediit, & per legatos poſtulata pace à Valentiniano, filias ejus ei Conſtantinopolim mittit: ſicque poſt multarum provinciarum clades, & Chriſtianorum ſpolia, atque neces, moritur regni ſui anno ſexageſimo. Hunericus autem filius ejus regnavit annis ſeptem, menſibus quinque, habens in conjugio Imperatoris Valentiniani filiam, quam pater ejus Româ captivam cum matre abduxerat: qui & ipſe Ariano ſuſcitato furore, Catholicas per totam Africam atrocior patre perſequitur Eccleſias, tollit ſacerdotes, & cuncti ordinis clericos in exſilium mittit: monachos quoque atque laïcos quatuor circiter millia exſiliis durioribus relegavit, martyres fecit, Confeſſoribus linguas abſcidit, qui linguis abſciſſis perfectè uſque ad finem ſuum locuti ſunt. Tunc Lætus Leptenſis civitatis Epiſcopus glorioſo martyrio coronatur. Venericus autem inter innumerabiles ſuarum impietatum ſtrages, quas in Catholicos exercuerat, octavo regni ſui anno, ut Arius pater ejus, interioribus cunctis effuſis, miſerabiliter vitam amiſit. Cui ſuccedens Guntabundus, regnavit XII. annis: qui ſtatim pacem Eccleſiæ donavit, & Catholicos protinus ab exſilio revocavit. Quo defuncto, Traſemundus regnavit annis XXVII. menſibus quatuor. Iſte Arianâ infamiâ plenus Catholicos inſectatur, Eccleſias claudit, in Sardiniam exſilio ex omni Africana Eccleſia CXX. Epiſcopos mittit. Apud Carthaginem moritur. Poſt quem regnavit Hildiris, ex filia Valentiniani Imp. genitus à Geïſerico captivata, quæ Hunerico filio ſuo fue-

rat juncta. Regnavitque Hildiris annis ſeptem & tribus menſibus. Iſte ſacramento à prædeceſſore ſuo Traſemundo foerat obſtrictus, ne Catholicis io regno ſuo Eccleſias aperiret, aut privilegia reſtitueret. Priuſquam regnaret, ne religionem ſactamenti violaret, præcepit ſacerdotes Catholicos ab exſilio reduci, & Eccleſias aperiri. Quem Gilimer aſſumpta tyraonide regno privavit, & cum filiis carceris cuſtodiâ mancipavit. Poſt hæc Gilimer tyrannus regoavit annis tribus, menſibos octo: qui multos nobilium Africæ provinciæ crudeliter extinxit, moltorumque ſubſtantias tulit. Adversùs quem Juſtinianus Imp. incitatione Læti Epiſcopi, qui ab Hunerico Wandalorum Rege martyr fuerat factus, exercitum in Africa, Beliſario magiſtro militum duce, mittit: quem Beliſarius cum omni gente Wandalorum prœlio fugavit. Africam cœpit CXVII. Wandalorum ingreſſionis anno. In ipſo autem Beliſarii occurſu, priuſquam congreſſio fieret, Gilimer tyrannus Hildirim Regem cum qoibuſdam generis ejus affinibus occidit. Beliſarius Gilimerum tyraonnm capit, & eum cum divitiis ſois ex rapinis provinciarum Africæ conqoiſitis, Conſtantinopolim Juſtiniano Imperatori duxit. Sicque regnum deſtructom eſt & finitum Wandalorum. Fiunt ſimul à primo aono Gunderici Regis, quo in Hiſpaniam ingreſſus eſt, uſque ad Gilimeri caſum, & Wandalorum interitum, anni CXXIII. & menſes ſeptem.

Explicit historia Wandalorom.

INCIPIT HISTORIA SUEVORUM.

SUEVI duce Hermerico Rege cum Alanis & Wandalis ſimul Hiſpanias ingreſſi ſunt ERA CDXLVII. Hi Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem tranſeuntibus Africam, Galliciam ſoli Suēvi ſortiti ſunt; quibus præfuit Emericus annis XIV. Gallici autem in parte provinciæ regno ſuo utebantur: qoos Emericus aſſidua vaſtatione deprædans, tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutiſſimè per annos ſeptem oppreſſus interiit. Poſt quem Riccila filius ejus ſucceſſit, & regnavit annis octo. Hic jubente patre ab eo miſſus, Undebotum Romanæ militiæ docem cum ſuis omnibus copiis ad Singilium Bæticæ fluvium inito bello proſtravit, magnis ejus auri argentique copiis occupatis. Poſt obitum autem patris ſuſcepto regno, Hiſpania ab eo obtenta cum Bætica, Carthaginenſes provincias in ſuam redegit poteſtatem. Quo defuncto, Rechiarius ſuccedit in regnom annis novem. Hic acceptâ in conjugio Theudoridi Regis Gotthorum filiâ, in initio regni ſui **** deprædatur. Mox ad Theudoridum ſocerum ſuom profectus, Cæſaraugustanam regionem cum auxilio Gotthorum rediens deprædatur, irruptaque per dolum Ilerdenſi urbe, egit ibi magnam captivitatem. Ad ultimum dum Theudoridus Rex Hiſpaniam ingrederetur, inito prœlio adversùs eum, primò fugatus, deinde captus occiditur. Occiſo Rechiario Suēvi bifariè diviſi, pars Fratam, pars Maſdram ſibi Regem conſtituunt. Maſdras autem cum manu Suēvorum ſtatim Luſitaniam deprædatur, acta illuc Romanorom cæde, prædiſque cootractis. Civitas etiam Olyſippona ſub ſpecie pacis intratur. Nec mora, Frata mortuo, Suēvi qui cum eo fuerant, ad Maſdram revertuntur: regionem Gallicia adhærentem flumini Durio deprædantur: Maſdras autem peracto tertio anno regni ſui jugulatur. Quo extincto, inter Frumarium & Remiſmundum Maſdræ filium oritur de regoi poteſtate diſſentio. Sed Frumarius cum manu quam habebat, Flavienſem civitatem grandi evertit excidio. Remiſmundus aotem vicina ſibi pariter Arigenſium loca, & Lucenſis coovent us maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remiſmundos omnes Suēvos in ſuam ditionem revocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos fœderis mittit ad Theuderidum Regem Gotthorum: à quo etiam per legatos, & arma & conjugem, quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Luſitaniam tranſiit, Cimbricam pace deceptam diripit. Olyſippona quoque ab eo occupatur: cives verò qui illic præerant, cuſtodiendos tradidit Luſidio. Hujus tempore Alax natione Galata, effectus apoſtata & Arianus, inter Suēvos, Regis ſui aoxilio, Fidei Catholicæ hoſtis emerſit: cujus ſeductione Suēvi à Fide Catholica recedentes, in Arianom dogma declinaot. Poſt multos deinde Reges regnum Suēvorum ſuſcepit Theudemirus, qui Fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore deſtructo, Suēvos uoitati Fidei reddidit. Hujus temporibus Martious monaſterii Dumienſis Epiſcopus Fide & ſcientia claruit. Cojus ſtudio & pax Eccleſiæ reddita eſt, & molta monaſteria condita. Poſt Theudemirum, Miro Suēvorum princeps efficitur, & regnavit annis XIII. Hic bellum ſecuodo regni ſui anno contra Roccones intulit: deinde in auxilium Liuvigildi Gotthorum Regis adversùs rebellem filium ad expugnandam Hiſpalim pergit, ibique vitæ terminum clauſit. Cui Eboricus filios in regnum ſuccedit: quem adoleſcentem Audicas aſſumpta tyraonide regno privat, & monachum factum in monaſterio damnat, pro quo non dilata eſt ſententia. Mox enim Liuvigildus Gotthorum Rex Suēvis bellum infereos, opteoto eodem regno Audicam dejecit: atque detonſo eo, poſt regni hoorem, presbyterii officio conſecravit. Sic enim oportuit, ut quod Regi ſuo fecerat, rurſus idem ab alio congrua meriti viciſſitudine pateretur. Regnum autem Suēvorum deletum in Gotthos transfertur, qood manſit annis CXXVI.

Explicit historia Suevorum.

CHRO-

CHRONICA REGUM WISIGOTTHORUM,

Partim ex Iſidoro, partim ex Wulſa.

ERA quadringenteſima in Gotthis primus Rex Athanaricus efficitur. Poſt hunc Alaricus. Quo in Italia mortuo, Ataulphus eligitur. Iſto regnante, Gotthi relictâ Italiâ, Gallias, ac poſtea Hiſpanias, occupant. Anni verò Regum hac ſumma notantur.

Athanaricus regnavit annos XIII.

Alaricus regnavit annos XXVIII. in Italia.

Ataulphus regnavit annos VI.

Sigericus regnavit annos VII. alibi ſemis tantùm D.

Wallia regnavit annos III.

Theuderedus regnavit annos XXXIII.

Thuriſmodus regnavit annos III. alibi I.

Theudoricus regnavit ann. VII. alibi XIII.

Enricus regnavit annos XV. aliàs XVII.

Alaricus regnavit annos XXIII.

Geſelicus regnavit annos III. & in latebra annum I, alibi XV.

Theudoricus de Italia regnat in Hiſpania tutelam agens Amalarico nepoti ſuo per Conſules annos XLI. aliàs XV.

Amalaricus regnavit annos V.

Theudis regnavit annos XVI. menſes VI. aliàs XVII. m. 5.

Theudiſclus regnavit annum I. menſes VI. dies XIII.

Agila regnavit annos V. menſes VI. dies XIII.

Athanagildus regnavit ann. XV. menſes VI. aliàs XIV.

Vacat regnum menſes V. & alibi XIII.

Liuva regnavit annum I.

Liuvigildus regnavit annos XVIII.

Recaredus regnavit annos XV. menſes VI. dies X.

Item Linva regnavit annum I. aliàs II. menſes VI.

Wittericus regnavit annos VI. menſes X.

Gundemarus regnavit annum I. menſes X. dies XIV.

Siſebutus regnavit annos VIII. menſes XI. dies XVI. aliàs menſes VI.

Item Recaredus regnavit annos III. aliàs paucos dies.

Svinthila regnavit annos X.

Siſenandus regnavit annos IV. menſes XI. dies XVI.

Chintila regnavit annos III. menſes IX. dies IX.

Tulga regnavit annos II. menſes IV.

Chindaſvindus ſolus regnavit annos VI. menſes VIII, dies XI.

Item cum filio ſuo Receſvindo Rege regnavit annos IV. menſes VIII. dies XII. Obiit pridie Kal. Octobris, Erâ DCXCI.

Receſvindus ſolus regnavit annos XXIII. menſes VII. dies XI.

Obiit Kal. Sept. D. IV. feriâ, horâ III. Erâ DCCX. anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCLXXII. anni Cycli decemnovalis VIII. lunâ III. Idem cum patre ſuo regnavit annos IV. menſes VIII. dies XI.

Suſcepit autem domnus Wamba regni gubernacula eodem die quo ille obiit, in ſupradictis Kalend. Septembribus, dilata unctionis ſolennitate uſque in diem XIV. Kal. Octobris, lunâ XXI. Erâ quâ ſuprà. Idem quoque glorioſus Wamba Rex regnavit annos VIII. menſ. I. dies XIV. Accepit quoque pœnitentiam prædictus princeps die Dominico exeunte, horâ noctis primâ, quod fuit pridie Idus Octobris, lunâ XV. Erâ DCCXIIX.

Suſcepit autem ſuccedente die, ſecundâ feriâ, glorioſus domnus noſter Erviglus regni ſceptra, quod fuit Id. Octobris, lunâ XVI. Erâ DCCXIIX. dilatâ unctionis ſolennitate uſque in ſupervenientem diem Dominicum, quod fuit XIV. Kalendas Novembris, lunâ XXII. Erâ quâ ſuprà.

CONCILIUM BRACARENSE,

Præſide Pancratio, ſive Pancratiano, primæ ſedis Bracarenſis Epiſcopo,

ANNO CIRCITER CHRISTI CDXI.

Ex capitulo II. libri VI. *Monarchiæ Luſitanæ* F. Bernardi de Brito, Monachi Ordinis Sancti Bernardi, & Chronologi generalis: nunc Collectioni Conciliorum Hiſpaniæ additum.

CAPUT PRIMUM.

CONVENIENTIBUS Epiſcopis, Elipandus Colimb. Pamerius Egitaneus, Ariſbertus Portugalenſis, Deus-dedit Lucenſis, Gelaſius Emeritenſis, Pontamius Eminienſis, Tiburtius Lamacenſis, Agathius Irienſis, Petrus Numantinus, in fano ſanctæ Mariæ Bracarenſis, dominus Pancratianus Epiſcopus primæ ſedis dixit:

Notum vobis eſt, fratres & ſocii mei, quomodo barbaræ gentes devaſtant univerſam Hiſpaniam, templa evertunt, ſervos Chriſti occidunt in ore gladii, & memorias Sanctorum, oſſa, ſepulchra, cœmeteria profanant, vires Imperii confringunt, modò commoventes omnia ſicut ſtipulam ante faciem venti. Præter Celtiberiam & Carpetaniam jam reliqua omnia verſus Pyrenæos ſub ſua jacent poteſtate. Et quia malum hoc jam jam eſt ſupra capita noſtra; volui vos advocare, ut unuſquiſque ſua provideat, & omnes ſimul communem Eccleſiæ calamitatem. Provideamus, ſocii, remedium animarum, ne multitudo laborum & afflictionum compellat eos abire in conſilium impiorum, ſtare in via peccatorum, & ſedere in cathedra peſtilentiæ, aut apoſtatare à vera Fide: & ad hoc exempla conſtantiæ noſtræ ponamus ob oculos ſubditorum, patientes pro Chriſto aliquid ex multis tormentis, quæ ipſe pertulit pro nobis.

Quia verò nonnulli Alanorum, Suevorum, Wandalorumque ſunt idololatræ, alii verò Arianam hæreſim profitentur; viſum mihi eſt, vobis approbantibus, ad majorem Fidei firmitudinem, contra ſimiles errores ſententiam proferre. Quid vobis videtur?

Omnes reſponderunt: Juſtum, pium, ſanctum, expedienſque negotium.

CAPUT SECUNDUM.

P*ancratianus*: Credo in Deum, unum, verum, æternum, ingenitum, à nullo procedentem, qui condidit cœlum, terram, & quæ in eis ſunt, viſibilia & inviſibilia.

Omnes Epiſcopi: Similiter & nos credimus.

Pancr. Credo in unum Verbum genitum ab ipſo Patre ante tempora, Deum ex Deo vero, ex eadem ſubſtantia Patris, ſine quo factum eſt nihil, & per quem omnia creata ſunt.

Omnes Epiſcopi: Similiter & nos credimus.

Pancr. Credo in Spiritum ſanctum, procedentem à Patre & Verbo, unicum in deitate cum ipſis, qui per ora Prophetarum locutus eſt, ſupra Apoſtolos ſedit, Mariam Chriſti matrem replevit.

Omnes Epiſcopi: Similiter & nos credimus.

Pancr. Credo quòd in hac Trinitate non ſit majus aut minus, prius aut poſterius; ſed in tribus diſtinctis perſonis ſit una æqualitas, una deitas, una divinitas.

Omnes Epiſcopi: Similiter & nos credimus.

Pancr. Damno, excommunico, reprobo, anathematizo, omnes contrarium ſentientes, tenentes, & prædicantes.

Omnes Epiſcopi: Similiter & nos damnamus.

Pancr. Credo quòd Dei gentium ſint dæmonia, os habent & non loquentur, oculos & non videbunt, aures & non audient, neque ſit ſpiritus in ore ipſorum.

Omnes: Similiter & nos credimus.

Pancr.

Pancr. Credo quòd Deus noſter trinus in perſonis, unus in eſſentia, fecit ex nihilo omnia, & Adamum patrem noſtrum creavit ex terra, Evam de ejus latere, deſtruxit mundum per aquas, dedit Moyſi legem, & noviſſimis temporibus viſitavit nos per Filium ſuum, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.

Omnes: Similiter & nos credimus.

Pancr. Damno, reprobo, exſecro, & anathematizo, omnes contrarium tenentes, ſentientes, & prædicantes.

Omnes: Similiter & nos damnamus.

CAPUT TERTIUM.

P*Ancr.* Nunc autem, ſi placet vobis omnibus, ſtatuatur quid agendum ſit de reliquiis Sanctorum, præcipuè de patre noſtro & Apoſtolo hujus regionis Petro * Ratiſtenſi, quem ad ſalvandas animas * Jacobus Domini conſanguineus dimiſit.

* *De Rates.*

* *Hanc periochen quidam cenſent additamentum.*

Surrexit Elipandus Colimbrienſis, & ait: Non poterimus omnes uno modo id facere: ſed, ſi vobis placuerit, unuſquiſque pro temporis opportunitate id faciat. Barbari ſunt intra nos: & Ulixbonam premunt, Emeritam habent, Aſturicam ſimiliter, propediem eventuri ſupra nos: proficiſcatur unuſquiſque in locum ſuum, & confortet fideles, corporaque Sanctorum honeſtè abſcondat, & de locis & ſpeluncis, ubi poſita fuerint, relatorium vobis mittat, ne per curſum temporis in oblivionem veniant.

Omnes: Juſtum, bonum, & congruens conſilium nobis videtur pro temporis neceſſitate.

Pancr. Similiter mihi, ſicut & vobis, videtur: abite in pace omnes: ſolus remaneat frater noſter Pontamius propter deſtructionem Eccleſiæ * ſuæ Emeritenſis, quam barbari vexant.

* Eminienſis, *ut docent ſubſcriptiones, & male vertit Brium de Me*rida.

Pontamius dixit: Abeam & ego ut confortem oves meas, & ſimul cum eis pro Chriſti nomine patiar labores & anxietates. Non enim ſuſcepi munus Epiſcopi in proſperitate, ſed in labore.

Pancr. Optimum verbum, juſtum conſilium, profectum approbo. Deus te conſervet.

Omnes Epiſcopi: Servet te Deus in bono conſilio, quod nos ſimiliter approbamus.

Omnes ſimul: Abeamus in pace Jeſu Chriſti.

Pancratianus in Dei nomine Epiſcopus * Bracarenſis. *(* Braga.)*
Geláſius in Dei nomine Epiſcopus * Emeritenſis. *(* Merida.)*
Elipandus in Dei nomine Epiſcopus * Colimbrienſis. *(* Coimbra.)*
Pamerius Epiſcopus * Egitavenſis. *(* Idanha.)*
Ariſbertus Epiſcopus * Portuenſis. *(* Porto.)*
Deus-dedit Epiſcopus * Lucenſis. *(* Lugo.)*
Pontamius Epiſcopus * Eminienſis. *(* Agueda.)*
Tiburtius Epiſcopus * Lamacenſis. *(* Lamego.)*
Agathius Epiſcopus * Irienſis. *(* Iria.)*
Petrus in Dei nomine Epiſcopus * Numantinus. *(* Camora, ò Freixo de Numao.)*

Explicit Conc. I. Bracarenſe.

* * Eorundem Epiſcoporum occurrit mentio in ſequenti *Epiſtola Ariſberti ad Samerium Archidiaconum Bracarenſem.*

Doleo ſuper te, frater mi, doleo ſuper Epiſcopum & caput noſtrum Pancratianum: doleo ſuper exultationem veſtram: videat Deus miſeriam noſtram oculis miſericordiæ ſuæ. Colimbria capta eſt, ſervos Dei occidit inimicus in ore gladii, Elipandus ducitur captivus, Olyſippo libertatem ſuam auro redemit, Egitaniam obſident. Omnia plena ſunt laboribus, ſingultibus, & anxietatibus: ſed quia tu vidiſti quomodo actum eſt in Gallæcia à Suëvis, inde collige qualiter Alani agant in Luſitania. Mitto ad te decreta de Fide, quæ petis: deduxi enim illa mecum ſcripta mea. Ego quotidie ſpero ſuper me ſimilem plagam: ſed de omnibus ad te ſcribam, ſi ſcivero de loco ubi latitas. Reſpiciat nos Deus.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HOC CONCILIUM BRACARENSE.

IN nulla Collectione veteri Ms. aut edita Conciliorum invenitur iſtud Cõcilium Bracarenſe, ſed dumtaxat in noviſſima Pariſienſi anni MDCLXXII. quę prodiit ſtudio & labore Philippi Labbei, Tomo II. col. 1508. Accepit verò illud ex cap. ſecundo libri ſexti *Monarchiæ Luſitanæ* R. P. Fr. Bernardi de Brito Ciſtercienſis, qui è veteri Ms. ſe id accepiſſe teſtatur. Illud ipſum cum laude allegant quotquot ferè ab ejus tempore de hac re tractârunt: veluti Excellentiſſimus Comeſtabilis Caſtellæ Joannes Fernandez de Velaſco, Diſcurſu I. *De prædicatione S. JACOBI in Hiſpania*, pag. 16. D. Rodericus de Acuña in Catalogo Epiſcoporum Bracarenſium, ubi de Pancratiano loquitur, Henricus Spondanus in Addit. ad Epitomen Baronii anno DLXIII. Franciſcus Vibar in Dex-

Dextrum anno CDXIII. Barboſa *De officio & poteſtate Epiſcopi*, parte 1. titulo 3. cap. 8. Caracciolus Controv. prima pag. 97. Quin nec laudatus Labbeus, eruditiſſimus licèt, ac valdè circunſpectus in probandis monumentis ſimilibus recèns detectis, videtur ejus auctoritatem ſeu γνησιότητα in dubium vocare, niſi quòd ad marginem obſervat, quibuſdam videri aſſuta verba illa: *De patre noſtro, & Apoſtolo regionis hujus, Petro Ratiſtenſi, quem ad ſalvandas animas Jacobus Domini conſanguineus dimiſit.*

2. Certè cùm id Ms. prodierit hoc ſæculo, paullò poſtquam apparuerunt Pſeudo-chronica illa & Adverſaria &c. Dextri, Maximi, Braulionis, Helecæ, Luitprandi, & Juliani Perez nomine edita, tot quiſquiliis ac fabulis plena, & planè digna ut repellantur inſtar librorum equeſtrium Amadiſii, Orlandi, & aliorum ſimilium; timeri jure poteſt, ne pariter aliquis obtruderit Concilium iſtud, cujus nulla unquam mentio facta eſt in tot exactiſſimis Veterum Collectionibus, vel in ſcriptore aliquo antiquo Luſitano, Hiſpano, aut extero; uſque ad hæc noviſſima tempora.

3. Aliunde autem ſatis veroſimile apparet, illud reipſa celebratum fuiſſe circa hæc tempora, quibus adſcribitur ab iis auctoribus. Etenim Idatius Epiſcopus Hiſpanus in Chronico ad Olympiaden CCXCVII. ſive annum Eræ Hiſpanicæ CDXLVII. (cui reſpondet annus Chriſti CDIX.) teſtatur, innumeros barbaros, Alanos, Wandalos, & Suēvos, in Hiſpaniam, & nominatim in Luſitaniam ac Gallæciam ingreſſos, omnia vi, ferro, & igne devaſtâſſe: quod in actis hujus Concilii memoratur. Verba Idatii, oculati abſdubio teſtis eorum quæ tunc in Hiſpania accidebant, exhibeo: *Alani, & Wandali, & Suēvi Hiſpanias ingreſſi Erâ CDXLVII. alii quarto Kalendas, alii tertio Idus Octobris memorant die, tertiâ feriâ, Honorio VIII. & Theodoſio Arcadii filio III. Coſſ.* Porrò is, ut ajebam, eſt annus Chriſti CDIX. in quo congruunt invicem dies quarto Kalendas Octobris, & feria tertia. Præterea in Faſtis Conſularibus ad eundem annum inquit: *Honorio VIII. & Theodoſio III. His Conſſ. barbari Hiſpanias ingreſſi.*

4. Deinde in eodem Chronico, & intra eandem Olympiadē, anno Arcadii & Honorii XVI. (cui reſpondet annus Chriſti CDX. *Honorio IX. & Varari, quod fuit Tertullo, Coſſ.*) ſubdit: *Debacchantibus per Hiſpaniam barbaris, & ſæviente nihilominus peſtilentiæ malo, opes, & conditam in urbibus ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exhaurit. Fames dira graſſatur, adeò ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ: matres quoque necatis vel coctis per ſe natorum ſuorum ſint paſtæ corporibus. Beſtiæ occiſorum gladio, fame, peſtilentiâ, cadaveribus aſſuetæ, quoſque hominum fortiores interimunt, eorumque carnibus paſtæ, paſſim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis, ferri, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, ubique in toto Orbe ſævientibus, prædictæ à Domino per Prophetas ſuos adnunciationes implentur.*

5. Denique anno immediatè ſequenti intra eandem Olympiadem (id eſt, anno ipſo Chriſti CDXI. quo ponitur celebratum hoc Concilium) ſubdit Idatius: *Subverſis memorata plagarum graſſatione Hiſpaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miſerante, converſi, ſorte ad habitandum ſibi provinciarum dividunt regiones. GALLÆCIAM WANDALI OCCUPANT ET SUEVI, ſitam in extremitate Oceani maris occidua: ALANI LUSITANIAM, ET CARTHAGINENSEM PROVINCIAS: ET WANDALI COGNOMINE SILINGI BÆTICAM SORTIUNTUR. Hiſpani per civitates & caſtella reſidui à plagis, barbarorum per provincias dominantium ſe ſubjiciunt ſervituti.* Hactenus ibi.

6. Hæc omnia ſatis aptè reſpondent præfationi hujus Concilii, in qua Pancratianus Epiſcopus Bracarenſis PRIMÆ SEDIS (id eſt, Metropolitanus illarum partium, juxta ſæpiùs obſervata ex ſtylo & forma loquendi in Conciliis Hiſpaniæ) deſcribit miſerabilem Luſitaniæ & Gallæciæ ſtatum in illa irruptione barbarorum. Ex poſtremis verò Idatii verbis colligitur, intra eundem annum, ſaltem inclinantem, aut exeuntem, barbaros illos mitiùs aliquantò ſe habuiſſe, Deo miſerante, & Præſulum eorum, atque aliorum Chriſtianorum preces, ſub initium ejuſdem anni emiſſas, exaudiente.

7. Quòd autem Epiſcopi Hiſpaniæ in hoc Concilio numerati, & plures aliarum ipſius provinciarum, in ea irruptione barbarorum paſſi fuerint; non modò colligitur ex præfatione Pancratiani nomine edita, & teſtimonio Idatii; verùm etiam ex illuſtri loco Sancti Auguſtini Epiſtolâ CLXXX. (aliàs CCXXVIII. in editione noviſſima Monachorum Congregationis Gallicanæ S. Mauri) ad Honoratum Epiſcopum, qui ipſum conſuluit, An eo tempore liceret Epiſcopo ſibi fugâ conſulere. Reſpondit autem S. Doctor: *Ita quidem ſancti Epiſcopi de Hiſpania profugerunt, priùs plebibus partim fugâ lapſis, partim peremptis, partim obſidione conſumptis, partim captivitate diſperſis. Sed multò plures, illic manentibus; propter quos manerent* (ita omnino legendum, non autem *propter manentes*, ut alii codices habent) *ſub eorum periculorum denſitate manſerunt. Et ſi aliqui deſeruerunt plebes ſuas, hoc eſt quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divina, ſed humano vel errore decepti, vel timore ſunt victi.*

8. Notandum verò eſt, eam Auguſtini Epiſtolam non fuiſſe ſcriptam circa hunc ann. CDXI. ſed longè poſtea, anno circiter CDXXIX. ut habetur in Notis laudatæ editionis, & colligitur ex Poſſidio in Vita ejuſdem Auguſtini cap. 30. ubi eam graviſſimam Epiſtolam inſeruit, veluti ſcriptam ad Honoratum Thiavenſis Eccleſiæ coëpiſcopum, qui ingruentibus Wandalis, & omnia vaſtantibus, conſuluit Auguſtinum, An liceret Epiſcopis & clericis fugere, & ſe recipere in tutiorem locum, quemadmodum ferebatur ſe geſſiſſe aliquos Hiſpaniæ Epiſcopos paucis annis antea. Huic interrogationi ſeu conſultationi reſpondet prudentiſſimè S. Doctor, & enarrat qualiter ſe geſſiſſent Hiſpaniæ Epiſcopi in ea perſecu-

ſecutione, quæ non multò antea præceſſerat, nimirum duodeviginti circiter annis.

9. Dum aotem ait S. Auguſtinus, In ea perſecutione Hiſpaniis illata profugiſſe quidem aliquot Epiſcopos, perſtitiſſe autem *multò plures, illic manentibus propter quos manerent* (id eſt, perſiſtentibus adhuc ipſorom plebibus, quibus proficere poſſent exemplo & exhortatione) ſatis indicatur pleroſque illorum invicto animo ſe geſſiſſe. Qualiter in Actis hujus Concilii decernitur permanſurus *Pontamius, propter deſtructionem ſuæ Eccleſiæ Eminienſis, quam barbari vexant*. Cæteris autem Patribus ideo fugere permittitur, quoniam fortaſſe diœceſes ipſorum prorſus deſolatæ erant jam à barbaris, nulla plebe in iis remanente: ac proinde ſatiùs erat cum illa ſecedere in alium locum, & ipſi proficere, quàm permanere intra ſuarum Eccleſiarum ruinas abſque ullo fructu.

10. Propter teſtimonia ſcripta, & cohærentiam temporis, atque eventuum dictorum, credibilis valdè apparet hujus Concilii auctoritas, & *ygnoluus*, præſertim cùm Bernardus Brito, & poſt ipſum aliì, teſtentur inventum fuiſſe in codice Ms. veteri & carioſo bibliothecæ Cœnobii Eburobriani Ordinis Ciſtercienſis. Eo autem ſtatuto ſemel, nulla apparet difficultas gravis ut reſpuatur. Fieri enim facilè potuit, ut ex iis Epiſcopis qui illud celebrârunt, aliqui manentes vel aliò fugientes, Acta ipſa in loco tuto reconderent, aot ſecum deſerrent, & ex iis poſtea exemplar aliquod Ms. ſervatum uſque ad hæc tempora fuerit. Ac certè in eo non apparent abſurditates, paradoxa, anachroniſmi, & monſtra illa, quæ tertio quoque verbo ferè occurrunt in Pſeudo-chronicis illis ab exeunte ſæculo præcedenti detectis. Admittatur itaque per me licet Concilium iſtud, quamvis longè inferiori auctoritatis gradu, quàm relIqua apud omnes explorata, & à priſcis illis temporibus continua ſæculorum ſerie recepta.

11. Videamus modò ſi quid in eo dignum ſpongià aut obſervatione eſt. Imprimis Pancratianos, qui ponitur Præſes hujus Concilii, & quaſi ingenium ac lingua cæterorum Præſulum, videtur ſucceſſiſſe in Bracarenſi Sede Paterno illi, qui accuſatus ob indebitam ſui ordinationem in Concilio Toletano I. anno CD. cauſſam dixit, & ſuſpenſus à communione cum aliis fuit, donec Sedes Apoſtolica, & S. Simplicianus Mediolanenſis, ejus Vicarius circa diſſidia Eccleſiaſtica Hiſpaniæ, reſcriberent quid tandem ea in re agendum eſſet: ut conſtat ex Sententia Definitiva ejuſdem Concilii in ſuperioribus exhibita. Quòd verò dicitur *primæ Sedis Bracarenſis Epiſcopus*; ſolùm denotat, Epiſcopos ejus Eccleſiæ jam tunc habuiſſe præcellentiam ſupra cæteros omnes Epiſcopos ejuſdem provinciæ: eoque ſenſu dicebantur Metropolitani, aut Primatum habentes: non quidem ſupra alios omnes Metropolitanos totius Hiſpaniæ (hæc enim dignitas nonnullis poſtea ſæculis initium habuit) ſed ſupra ſolos Epiſcopos intra ſuam provinciam aut Metropolim. Sed de his alibi opportuniùs.

12. Pancratianus autem non videtur in ea Sede vixiſſe diu. Nã quatuor annis poſtea, nimirum Chriſti CDXV. Avitus presbyter Epiſtolam Græcam Luciani *De inventione corporis Protomartyris S. Stephani*, à ſe Latinè verſam, dicavit Balconio jam tum Præſuli Bracarenſi. Is autem diu vixit: quoniam triginta duobus annis poſtea, id eſt, Chriſti CDXLVII. S. Leo Papa ipſi injunxit, ut Synodum in Gallæcia cogeret, ibidemque publicaret Regulam Fidei adversùs Priſcillianiſtas, & omnes alios hæreticos. Quod ille ſtrenuè egit, quamvis Concilii in eum finem congregati Acta perierint.

13. *Credo in Deum, unum, verum, &c.*] Profeſſionem hanc Catholicæ Fidei emittunt, contra Arianos, quorum plures fuiſſe inter barbaros diverſarum nationum irruentes, præmiſerat immediatè antea Pancratianus.

14. *Credo in Spiritum ſanctum, procedentem à Patre & Verbo.*] Nihil mirum, eam veritatem agnoſcerent & teſtarentur: quoniam undecim annis antea idipſum fecerant Patres Concilii Toletani I. ut ſuo loco dictum eſt.

15. Denique in tota ea Profeſſione exprimitur formula Nicænæ Fidei, oberiùs in Symbolo Conſtantinopolitano explicatæ, non ſolùm contra Arianos, & Semi-arianos, ſed etiam adversùs Apollinariſtas, Macedonianos, & reliquos Pneumatomachos.

16. *Credo quòd in hac Trinitate non ſit majus aut minus.*] Videbuntur forſan hæc verba omoino mutuata ex Symbolo Athanaſii; quaſi jam tunc vulgato & recepto, cùm is S. Doctor diem obiiſſet XL. ferè annis antea, nimirum Chriſti CCCLXXII. Quòd autem multi recentiores Criticl, & in iis Gerardus: Joannes Voſſius, Paſchaſius Queſoel Diſſert. XIV. in Leonem PP. ac Joannes Cabaſſutius in *Notitia Eccleſiaſt.* Diſſert. XIX. volunt id Symbolum Athanaſio longè poſterius fuiſſe, multis pro opinione ſua argumentis in medium prolatis; ſaltem evincit, aliquot verba ipſi poſtea addita fuiſſe ab Eccleſia, ſive à Vigilio Tapſenſi, ob hæreſes progreſſu temporis ortas, præſertim Neſtorianam, & Eutychianam. Cæterùm iis demptis, totum Symbolum, prout modò exſtat, ab Athanaſio editum fuiſſe creditur Græcè (licèt autographa ipſius formula non exſtet, ſed quædam aliæ poſteriores) & Latinè interpretatum à S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi ac Martyre, ſynchrono ejuſdem Athaoaſii: uti ex tabulario Eccleſiæ Vercellenſis aſſeruit Guillelmus Baldeſanus in *Hiſtoria Pedemontana* Ms. apud eruditiſſimum ac piiſſimum Cardinalem Bonam Divinæ Pſalmodiæ cap. 16. §. 18. Unde poſt eorundem Athanaſii & Euſebii tempus videtur id Symbolum longè poſtea paullatim introductum, ac tandem in tota Eccleſia receptum ſub nomine S. Athanaſii. Vide Baroninm ad annum CCCXL.

17. Certè Hincmarus Rhemenſis Archiep. qui jam florebat circa medium ſæculi noni, inter alia ſtatuit, ut unuſquiſque *Sermonem Athanaſii de Fide, cujus initium eſt:* Quicumque vult ſalvus eſſe, *memoriæ commendet, & ſenſum illius intelligat*. Paullò antea intra idem ſæculum Ahiton Epiſcopus Baſileenſis, ſub Imperio Ludovici Pii, in ſuo Capitulari cap. 4. ſtatuerat, *ut Fides S. Athanaſii à ſacerdotibus diſcatur, & ex corde die Do-*

minico ad horam Primam recitetur. Quin & ſæculo ſeptimo inclinante invenitur editus Canon Auguſtodnoenſi Concilio tributus circa annnm DCLXX. in quo dicitur: *Si quis presbyter, vel diaconus, vel clericus, Symbolum, quod inſpirante ſancto Spiritu Apoſtoli tradiderunt, ET FIDEM S. ATHANASII PRÆSULIS, irreprehenſibiliter non recenſuerit; ab Epiſcopis condemnetur*. In nullo autem Hiſpaniæ Concilio, ſaltem primis ſeptem Eccleſiæ ſæculis, invenio mentionem factam Symboli Athanaſiani, quamvis in hoc Bracarenſi exſtent verba iſtæc, *quòd in hac Trinitate non ſit majus aut minus*, &c. quæ videntur ex eodem Symbolo deſumpta. Lege doctiſſimum Pagium in *Critica Annalium Baronii* Sæculo IV. §. VI. ubi plura de hac re pro opinione Queſnelii tribuentis id Symbolum Vigilio Tapſenſi, qui exeunte ſæculo quinto, aut ſexto ineunte, floruiſſe ac plura ſcripſiſſe creditur.

18. Fortaſſis verò aliqui delicatiores, etiam ex Catholicis, qui initium ejus Symboli ad poſteriora tempora referunt, incuſabunt νοθείας, aut interpolationis ſaltem, Concilium hoc Bracarenſe ex eo capite: tum præterea propter verba illa initio capitis tertii à Pancratiano prolata: *De patre noſtro, & Apoſtolo hujus regionis Petro Ratiſtenſi* (aliàs de Rates) *quem ad ſalvandas animas Jacobus Domini conſanguineus dimiſit*. Quæ eruditis quibuſdam, apud Philippum Labbeum in margine, viſa fuerunt aſſuta in gratiam ejus traditionis, quæ apud Luſitanos viget. Verùm id penitiùs examinandum relinquo aliis, præſertim ſcriptoribus ejuſdem florentiſſimæ nationis, quibus tamen conſulo, ut accuratiſſimè inſpiciant & obſervent Codicem, vel Codices illos antiquiſſimos à Bernardo Brito citatos, ipſorumque characterem, cuinam ſæculo reſpondeat, juxta regulas à doctiſſimo Mabillone præſcriptas in aureo Opere *De re diplomatica*. Tum deinde curioſiùs inquirant in verba illa de S. Petro Ratiſtenſi, an mangonio aliquo adulterata ſint. Etenim à fine circiter præcedentis ſæculi, quo Pſendo-chronica illa fabulis plena prodierunt Toleti, & alia poſtea ejuſdem farinæ variis locis, timere jure poſſumus, veluti ſubleſtæ aut nullius fidei, quicquid venditatur tanquam noviter detectum ex veteribus Mss. niſi id palam conſtet, aut nitatur irrefragabilibus argumentis, vel teſtimoniis fidedignis.

19. Neque propterea dubitare volo, aut controverſiam excitare circa ea, quæ in Luſitaniæ Eccleſiis, ac ſpeciatim in Bracarenſi, traduntur de S. Petro Rateſio, veluti primo Præſule Bracarenſi, & S. Jacobi Apoſtoli diſcipulo, ac Martyre: cujus feſtum ipſi celebrant die viceſima ſexta Aprilis. De quo lege Ambroſium Morales lib. nono cap. 8. & Bollandianos ad eandem diem: ut plures alios miſſos faciam. Id tamen moneo, Epiſtolam illam nomine Hugonis Epiſcopi Portucalenſis ad Mauritinm Archiepiſcopum Bracarenſem, editam apud Bivarinm in elogiis præmiſſis Dextro pag. 12. ubi de eiſdem Jacobo Apoſtolo, & Petro Epiſcopo Bracarenſi agitur, ac de aliis quibuſdam ejus generis, videri palam ſubdititiam & affectatione plenam, inſtar aliarum mercium Higuerianarum.

OBSERVATIO CARDINALIS DE AGUIRRE IN EPISTOLAS SEQUENTES.

1. SERVATO ordine temporis inter monumenta Hiſpaniæ ad hoc Opus ſpectantia aliquo modo, occurrit primùm *Epiſtola ſervorum Dei Vitalis & Conſtantii* (aliàs *Tonantii*) *Spanorum*, ad Capreolum Epiſcopum Carthaginenſem, in qua illum conſulunt de una Chriſti veri Dei & hominis perſona. Quinam fuerint Vincentius & Conſtantius prædicti, non facilè haberi poteſt, cùm nulla alibi memoria eorum antiqua exſtare videatur. Id affirmare poſſumus, circa tempus hujus ſcriptionis pervagatam fuiſſe longè ac latè notitiam erroris Neſtorii, fingentis in Chriſto duplicem perſonam, atque inter duas naturas Chriſti, divinam & humanam, negare auſi unionem hypoſtaticam & ſubſtantialem, admiſsâ ſolùm morali aut affectivâ. Itaque opinione Neſtorii in Chriſto aſſerebantur duæ perſonæ, ſicut & duæ naturæ, ac re ipſa myſterium Incarnationis evertebatur.

2. Hujus capitalis hæreſeos fama cùm ad Hiſpaniam perveniſſet, Vitalis & Conſtantius perculſi novitate ejus doctrinæ, & contrariâ, ac planè Catholicâ imbuti, conſulendum ea de re cenſuerunt Capreolum Epiſcopnm Carthaginenſem, tunc pietatis & literarum gloriâ clarum: ut ab eo diſcerent qualiter in controverſia adeò difficili, & tunc ingenti utriuſque partis contentione excitata, ſentiendum ac loquendnm eſſet. Præſertim opus fuit ea conſultatione, cùm aliqui in Hiſpania viderentur propendere io opinionem Neſtorii, ut patet ex contextu earundem Epiſtolarum.

3. Quamvis autem in illis nulla exſtet notatio tēporis; videntur ſcriptę anno circiter CDXXXI. paullò ante Concilinm Epheſinum, quod eo ipſo anno coactum fuit, damnato ibidē errore Neſtorii. Neqne enim putare debemns, datas fuiſſe poſt eam hæreſim, palam ab Eccleſia fulguritam, & in Hiſpania proſcriptā: cùm patefacto jam, & ubique vulgato ipſius judicio in ea Synodo Oecumenica, auctoritate Cœleſtini Papæ confirmatâ, onllus ſupereſſet locns Catholicis Hiſpaniæ homioibus dubitandi, aut conſultandi Capreolum ea de re.

4. Certè Capreolus ipſe anno prædicto CDXXXI. cum aliis Epiſcopis Africanis parabat legationem ſolennem ad Synodum Generalem celebrandam Epheſi; ſed impedita ea fuit

graſ-

graſſatione Wandalorum in eam Africæ partem irruentium. Quare ſatis habuit mittere nomine Eccleſiæ ſuæ Carthaginenſis diaconum nomine Baſſulam, ſeu Beſſulam, cum literis excuſationis, quæ in ipſis Actis Epheſinis à Peltano editis to. 2. cap. 19. habentur, & à Liberato memorantur in Breviario cap. 5. Lege illas apud Baronium to. V. ad annum CDXXXI. digniſſimas ſanè obſervatu, & in qoibus traduntur veræ ac firmæ regulæ ad internoſcendum, ſive diſcernendum Catholicos ab hæreticis, qualis erat Neſtorius, contra quem coacta fuit illa Synodus, & prolata anathematis ſententia, ac per totum Orbem evulgata.

5. Sed & literis hiſce, paullò antea à Vitali & Conſtantio ſcriptis, reſpondit Capreolus doctiſſimâ Epiſtolâ inferiùs ſubjicienda, ex fidelibus Mss. à Petro Pithœo eruta, & ad Cardinalem Baronium miſſa, quamvis mutila apud ipſos magnâ ſui parte: quam aliunde ſupplendam curavimus. in qua utrumque eorum edocet, qualiter ſentiendum & loquendum ſit circa Incarnationis myſterium. Credibile autem eſt, eam Epiſtolam fuiſſe ſtatim vulgatam per totam Hiſpaniam: ut ſi qui fortè erant afflati veneno Neſtorianiſmi; ſanarent ab ea lue, etiam ante evulgatum in ea Concilium Epheſinum. At multò poſtea, & longè illuſtriùs, Reccaredus Hiſpaniæ Rex cum tota natione Gotthorum eorum, qui Arii inſanias ſectati fuerant, aut Macedonii, vel Neſtorii, aut Eutychetis, in quatuor primis Conciliis Generalibus damnatas; rejecit palam illas & anathematizavit cum ipſarum auctoribus in Concilio Nationali Toletano III. celebrato anno DLXXXIX. ut patet ex ejus initiu in ipſa Reccaredi Profeſſione. Veniamus itaque ad prædictas Epiſtolas exhibendas.

EPISTOLA

SERVORUM DEI

VITALIS ET CONSTANTII SPANORUM,

AD

S. CAPREOLUM EPISCOPUM

ECCLESIÆ CATHOLICÆ CARTHAGINIS.

ANNO CHRISTI CIRCITER CDXXXI.

Domino & venerabili & beatiſſimo in Chriſto, famulo Dei, domino noſtro, Capreolo, Vitalis & Conſtantius peccatores.

6. QUÆ prima vota ſunt humilitatis noſtræ, plurimum ſalutamus ſanctam perfectamque ac venerabilem Beatitudinem tuam, & ſanum atque incolumem ſemper Deo propitio audire deſideramus: quia etſi in longinquo poſiti ſumus à ſancto Apoſtolatu veſtro, mari terminante; ſed in præſentia veſtri ſumus ſemper in orationibus Sanctitatis veſtræ, domioe Pater. Illud ſanè multum deſiderii noſtri fuit, ſcribere ſanctæ honorificentiæ tuæ per dulciſſimum fratrem noſtrum Numinianum. Reperit enim parvitas noſtra præcellentem famam, & doctrinam tuæ Sanctitatis, per quam & ſcribimus Beatitudini tuæ, ut ait Pſalmographus: *In omnem terram* *Pſalm. 18. 5.* *exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

7. Illud etiam conſulimus honorificentiam tuam, ut de bono theſauro cordis tui noſtris viſceribus irrigari jubeas, quæ Fides Catholica recta teneat. Quia ſunt hîc quidam, qui dicunt non debere dici Deum natum. Nam & hæc eſt Fides eorum, hominem purum natum fuiſſe de Maria Virgine, & poſt hæc Deum habitâſſe in eo. Quorum nos humiles pueri tui reſiſtimus affirmationi, non ita debere dici; ſed confitemur, ut ait Euangeliſta, annunciante angelo Gabriele, Maria dicente: *Spiritus ſanctus veniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* *Luc. 1. 35.*

8. Confitemur itaque Deum fuiſſe in utero Mariæ Virginis, aſſumpſiſſe aliquam partem, fabricâſſe Deum ſibi hominem, natum fuiſſe Deum verum, & hominem verum, quem aſſumpſit pro ſalute generis humani, ut ait Apoſtolus: *Quum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret.* Et iterum: *Hoc autem ſentite in vobis, quod* *Gal. 4. 4.* *Philipp. 2. 5.*

& in Chriſto Jeſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Et iterum: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Quia mediator, nec jam Deus tantùm purè, ſine homine quem adſumpſit, dici poteſt, nec homo ſine Deo: quia duplex in una perſona mediatoris ſignificatio Deus & homo: Dum Deus de Deo Deus, & ſecundùm carnem idem ipſe filius hominis. Ideo verus Deus & homo verus eſt hic mediator, ſicut & forma Dei & forma hominis.

1. Timoth. 2. 5.

9. Nam & in principio inchoationis ad Romanos, ſic dicit S. Apoſtolus: *Quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem; qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Verùm etiam & Iſaïas auctor Prophetarum ſic dicit: *Ecce Virgo in utero concipiet & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel.* quod eſt interpretatum: *Nobiſcum Deus.*

Rom. 1. 2.

Iſ. 7. 14.

10. Sed & hominem purum dicunt pependiſſe in cruce comprehenſum. ajunt, receſſit Deus ab eo. Quibus parvitas noſtra ſic dicit: Nunquam Deus receſſit ab homine adſumpto, niſi quando dixit de cruce: *Heli, Heli lamma ſabactani: Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Ideoque provoluti genibus exoramus humiles ſervi tui ſanctum Apoſtolatum veſtrum, ut informetis parvitatem noſtram in his quod rectum habet Fides Catholica, & detis veniam inſipientiæ vel imperitiæ noſtræ, ſi quid per ignorantiam incedimus: potens eſt Dominus Chriſtus ſanctis orationibus veſtris nobis veniam dare, ne deveniamus in profundum malorum. Ora pro nobis, domine ſancte, venerabilis & beatiſſime Papa. SUBSCRIPTIO. Incolumem venerabilitatem tuam nobis Dominus noſter Jeſus longiorem conſervet, domine ſancte ac venerabilis Papa.

CAPREOLI EPISCOPI CARTHAGINENSIS

RESCRIPTUM.

Datum, ut apparet, paullò poſt celebratam Synodum Epheſinam, anno CDXXXI. exeunte, aut inchoante CDXXXII.

Illud mutilum eruit Pithœus ex Ms. edidítque Cardinalis Baronius. Nos integrum damus ex Sirmondo.

Dilectiſſimis & religioſiſſimis filiis Vitali & Conſtantio, Capreolus Epiſcopus.

11. SUMPTIS atque perlectis literis veſtris, quas per Numinianum religioſum virum, filii dilectiſſimi, tranſmiſiſtis; ſaluti & ſtudio veſtro, quo fundatæ ac vetuſtæ Catholicæ Fidei regulam inviolabili pietate tenetis ac defenditis; plurimum gratulatus. Adverti Neſtorianam hereſin, novam infandamque perniciem, ſicut quibusdā locis jam cœperat pullulare, apud vos quoque velle zizaniæ ſuæ ſemina in peritorum corda jacere. Verùm credo atque confido, perfectum agricolam Dominum noſtrum, omnium creatorem, in omni loco dominationis ſuæ habere, ac ſemper habuiſſe, dignos Euangelicæ frugis operarios; qui, licèt ante tempus demeſſionis immunda ſemina extirpari non debeant; continuis tamē orationibus ac prædicationibus ſemper invigilent. ita ut & illa, ſi fieri dum tempus eſt potuerit, convertantur & commutentur in triticum: aut certè non uſquequaque inimicus humani generis tenera frumentorum genera naſcentia per adulterinam intermiſtionem valeat ſuffocare.

12. Jam enim, quod etiam ad veſtram notitiam perveniſſe non dubito, intra Orientis partes, ubi primùm peſtis iſta ſurrexit, congregata glorioſa Synodo Sacerdotum (cui etiam legatio noſtra non defuit) in veſtibulo cum ſuo auctore atque adſertore compreſſa, & radio Apoſtolicæ lucis extincta eſt. Neç mirari debet charitas veſtra, ſi etiam poſt damnationem ſuam inter morientes ſpiritus fœtidus adhuc flatus adſpiret. Eſt enim ſemper pertinax hæreticorum audacia, & in ſua malè pernicie, urgente peccatorum pondere, perſeverat. Quod ſi nondum forſitan cognoviſtis, facili lectione poteritis cognoſcere.

13. Quamvis igitur Chriſtianis & devotis mentibus ipſa Univerſalis Eccleſiæ auctoritas plenè ſufficiat; nec veſtra, quantum miſſus à vobis ſermo perdocuit, in hac cauſſa minor videatur adſertio; ne tamen ego quoque petitioni atque interrogationi ſanctæ neceſſarium videar negare reſponſum, unam,

veram.

veramque doctrinam hanc eſſe confitemur, quam Evangelica tenet ac tradit antiquitas. Id eſt, Dei filium Deum verum, & hominem verum, unius prorſus atque inſeparabilis eſſe perſonæ: nec ſicut in aliis Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, cæteriſque ſanctis & præclariſſimis viris habitavit, aut habitat Deus, ita in Chriſtum Jesum divinam illam plenitudinem, velut extrinſecùs credimus adveniſſe: ſed proprio quodam atque ineffabili modo, Filium Dei etiam Filium hominis factum; ut qui ingenitâ Patris ſubſtantiâ unigenitus permanebat ac permanet, mirabiliter ſuſcepto homine, fieret primogenitus in multis fratribus; & qui erat in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Verbum caro fieret, & habitaret in nobis.

14. Ex quo igitur myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis in Deo, cœpit per Angelum in utero Virginis operari, atque in ea ſanctus Spiritus ſupervenit, & illi virtus Altiſſimi obumbravit, Deus in homine naſci dignatus eſt, qui ſemper erat, ut homo naſceretur, qualis antè non fuerat. Qui enim ſine matre in cœlis æternè genitus; ipſe in terris ſine patre in utero Virginis homo de Spiritu ſancto creatus eſt. Et ideo in Chriſto Jeſu ſeparari vel ſubdividi Dei hominiſque nullo modo credimus poſſe perſonam: ne non jam in divinitate Trinitas, ſed quaternitas numeretur.

15. Beatus Apoſtolus Paullus dum ad exuendum veterem hominem, & induendum novum, fideles exhortaretur: *Primus* (inquit) *homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis: qualis terrenus,* 1. Cor. 15. 47. *tales & terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes: quomodo portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cœlo eſt.* Rogo, dicant, quomodo eſt homo iſte de cœlo, ſi non eſt Deus conceptus in utero? aut quæ diſcretio eſt carnis & ſanguinis in homine Adam, & in homine Chriſto; ſi non homo iſte plenus eſt Deo? quid enim ſibi vult ſecundus homo de cœlo? Numquid caro tranſmiſſa deſcendit, ac non, ſicut ſcriptum eſt, Spiritus ſanctus in Virginem ſupervenit? ſed quia Verbum caro factum eſt, ideo cœleſtis homo appellatus eſt. Nec propterea carnem veram non habuit, quia de cœlo deſcendit: quia carnem Deus accepit.

16. Meritò de ſe ipſo idem Dominus dixit: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit,* Joan. 3. 13. *filius hominis, qui eſt in cœlo.* Certè adhuc loquebatur in terra, nec ad Patrem, poſt victoriam Paſſionis & gloriam Reſurrectionis aſcenderat. Et tamen filium hominis jam in cœlo eſſe dicebat. Hoc utique omni veritate teſtificans: quia & propter hominem Deus converſabatur in terra, & propter Deum homo habitabat in cœlo. Unde etiam Apoſtolus: *Qui deſcendit* (inquit) *ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* Item alibi, cùm de carnis ſuæ cibo & potu ſanguinis Salvator ipſe Epheſ. 4. 10. myſticè loqueretur, ſciens quòd offenſi ex hoc ejus Diſcipuli murmurarent dicentes: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* ſic ait: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem* Joan. 6. 62. Ibid. 62. *ubi erat prius?* Ecce & hîc advertis quemadmodum propter unitatem Dei hominiſque perſonæ, Filium hominis ubi erat priùs perhibet aſcenſurum, quem in utero Virginis conſtat eſſe formatum, ut ex eo humanæ nativitatis ſumpſiſſet principium.

17. Nemo itaque ſacrilego ſpiritu audeat ſeparare, quod videt in cœlo & in terra unitate inſeparabili permanere. Sicut enim ab omnipotentia deitati homo Chriſtus Jesus eſſe non poteſt alienus; ita & ab his quæ in hominem vel circa hominem geſta ſunt, ſeparari non poteſt Deus. Natus ergo eſt homo qui nondum fuerat, quia Verbum caro factum eſt, & inhabitavit in nobis. Simili modo paſſus eſt impaſſibilis per paſſibilem quem ſuſcepit, & immortalis mortuus eſt. Et qui nunquam moritur reſurrexit. Neque enim vel in Paſſione defuit illi homini Deus; alioquin non eſt Dominus gloriæ crucifixus.

18. An dicimus Deum in ſuſcepto homine etiam apud inferos non fuiſſe? Aut verò metuendum eſt, ne divinitas ibi quaſi pœnaliter fuerit, quam nulla qualitas adficit, nulla dimenſio circumſcribit. Cujus magnitudinem nemo capit, præſentiam nemo fugit, ſecretum nemo invenit, ſplendorem nullus attingit. Times includi immenſum? teneri omnipotentem? abſcondi ubicumque diffuſum? Reſolvere, ſicut ſcriptum eſt, inferorum parturitiones, in quibus voluit, & qualiter voluit rerum Dominus, ſubjici hujuſmodi conditioni non potuit.

19. Audi eum ante tot annorum millia, dum Beato Job mirabilium ſuorum opera per nubem Job 38. 15. velut improperanti ſimilis prædicaret, hoc quoque inter innumeras ſui potentias cumulantem: *Numquid tu abſtuliſti impiis lucem, aut brachium ſuperborum comminuiſti? aut veniſti ad fines maris? aut in veſtigiis abyſſi ambulâſti? aut tibi* (inquit) *aperientur metu portæ mortis, aut janitores inferni videntes te timuerunt? aut cognoviſti latitudinem ſub cœlo?* Si Patris hæc vox eſt, nihil ergo eſt omnipotenti difficile, quoniam ubique eſt, nuſquam non eſt. Quando ei etiam Propheta ex perſona cujuſdam dicit: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu ibi es; ſi de-* Pſal. 138. 7. *ſcendero in infernum, ades.* Hoc omnino teſtificans & demonſtrans, Deum, cujus majeſtate plena ſunt omnia, quodam incomprehenſibili utique & inexplicabili modo etiam inferis intereſſe.

20. Si autem, quod magis probabile eſt in his quæ de eo tanto antè in Prophetia prædicta ſunt, & impleta Filii Dei vox eſt, quoniam per ipſum facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil: ipſe in homine eſt, viſitare inferorum dignatus obtruſa, & præpoſitos mortis præſentiâ invictæ majeſtatis exterruit, & propter liberandos quos voluit, inferorum portas reſerari præcepit. De ipſo ſiquidem Joannes Apoſtolus in Apocalypſi ſic loquitur: *Poſuit manum dexteram ſuper me, dicens: noli timere. Ego ſum* Apoc. 1. 17. *primus & noviſſimus, & vivens qui fueram mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo clavem mortis & inferorum.* Propter Deitatem quippe primus, quoniam principium eſt, quod & loquitur nobis: propter humanitatem verò noviſſimus, quia ſuſcipere crucem non dedignatus eſt, & mor-

tem

tem pro nobis. Et ideo cui in divinitate nuda ſunt omnia creaturarum, etiam in homine ſuſcepto habet
claves mortis & inferorum. Tantum igitur abeſt, Deum Dei filium incommutabilem atque incom-
prehenſibilem, ab inferis potuiſſe concludi; ut nec ipſam adſumptionis animam credamus, aut exitia-
biliter ſuſceptam, aut tenaciter derelictam.

21. Sed nec carnem ejus credimus contagione alicujus corruptionis infectam. Ipſius namque vox
Pſal. 15. 10. *Act. 2. 27.* eſt in Pſalmo, ſicut Petrus interpretatur Apoſtolus: *Non derelinques animam meam apud inferos, neq; ſan-
ctum tuum videre corruptionem.* Ipſe propter culpam noſtram factus eſt velut homo ſine adjutorio; propter
innocentiam verò ac potentiam ſuam inventus eſt inter mortuos liber. Tunc enim verè quæ non rapue-
Pſal. 68. 5. rat, ſicut ſcriptum eſt, exſolvebat. Non itaque mirum, ſi Deum locus aliquis recipit, nec tamen capit;
præſentiam ſentit, majeſtatem non impedit; expaveſcit omnipotentiam, ſubſtantiam non includit.
Siquidem illa ſumma & perfecta beatitudo, & inextinguibilis lucis, nec obſcurari tenebris, nec variari
locis, nec paſſionibus affici, nec conditionibus minui, nec temporibus valeat commutari. Deus ergo
filium proprium hominem, nec in inferis deſeruit, nec apud inferos dereliquit.

22. Cujus autem virtute ac majeſtate antiqua Sanctorum corpora viſa ſunt reſurrexiſſe, ſi Deus in-
feros minimè viſitavit? Quis ille eſt, qui petras ſcindi, terram commoveri, ſolem obſcurari, diem fu-
gere, velum templi in duas dividi partes effecit? Numquid homo tantùm? nonne etiam Deus? Ergo
ei nec in cruce, nec in morte, nec in ſepulchro, nec in inferis defuit. Nec aliter, aut de alio ſolet in-
Pſal. 23. 7. telligi quod in Pſalmo dictum eſt: *Auferte portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, &
Ibid. 8. introibit Rex gloriæ.* Unde expaveſcentibus atque interrogantibus: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* reſpondetur:
Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quo prœlio, niſi in quo mortem morte calcavit,
peccatum innocens occiſus extinxit, & trophæum victoriæ de diabolo & angelis ejus reportavit?

Pſal. 21. 1. 23. At enim ipſe in cruce dixit: *Deus Deus meus quare me dereliquiſti?* Sed iſta ſuſcepti hominis
vox eſt. Attende unde aſſumpta eſt, & illic vide quid ſequitur. *Longè* (inquit) *à ſalute mea verba deli-
Ibid. ctorum.* Similis eſt hæc vox etiam illi, qua dicitur: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Nonne
paullò antè ipſe diſcipulis dixerat: *In hoc contriſtati eſtis, quoniam dixi, eo ad Patrem meum, & jam
Matth. 26. 38. *Joan. 16. 6.* *Joan. 14. 28.* non videbitis me: & ſi diligeretis me, gauderetis; quia eo ad Patrem: quia Pater major me eſt.* In quo
ergo jubet gaudere diſcipulos ſuos? Qualiter creditur contriſtari magiſter, niſi in homine veri hominis
paſſiones & fluctuationes oſtenderet? Qui enim propter nos redimendos, inſtituendos, confirmandoſ-
que venerat, omnia in ſe infirmitatis noſtræ genera ſuſtinebat. Non enim habemus ſacerdotem, qui
non poſſit compati infirmitatibus noſtris. Etenim, ſicut Apoſtolus ait, expertus eſt omnia ſecundùm
ſimilitudinem, ſine peccato.

Hebr. 4. 15. 24. Similis huic eſt etiam illa vox: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Verùm non quod
Matth. 26. 39. ego volo, ſed quod tu vis.* Nonne in hoc venerat, ut pro nobis hunc calicem biberet, & venenum à ſer-
pente propinatum tali antidoto ſalutis expelleret? Nonne poteſtatem habebat ponendi animam ſuam,
& poteſtatem habebat iterum ſumendi eam? Nonne ipſe dixerat: *Nemo tollit eam à me; ſed ego à me
Joan. 10. 18. ipſo pono eam?* Et tamen nunc velut dubitans loquitur, & recuſans, ut ei illic divina poteſtas appareat,
& hic ſe conditio humana cognoſcat.

Coloſſ. 1. 26. 25. Nonne hoc Myſterium ante tempora æterna in Deo fuiſſe abſconditum clamat Apoſtolus? Num
verò velut repentinum aliquid Chriſtus expavit, quod certo tempore faciendum in æternitate cum Patre
diſpoſuit? Hæc ergo & talia quum dicuntur aut fiunt, ſicut ſæpè dictum eſt, veram hominis infirmitatem
fragilitatemque demonſtrant, nec ideo præſentiam divinæ majeſtatis evacuant. Hìc homo, quiſquis es,
qui putas Deum Chriſtum ab homine Chriſto Paſſionis tempore ſeparatum; non recordaris eum paſſu-
Matth. 10. 19. rum diſcipulis ſuam præſentiam fideliter pollicentem, qui dicit: *Cùm vos tradiderint, nolite cogitare quo-
modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui lo-
quimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis?* Itane? ille qui ſervis facientibus Domini vo-
luntatem ſuam divinam præſentiam promiſit, donavit, exhibuit; in quo nullo exiſtente peccato, pro
noſtra ſalute mortem ſubiit innoxiam, ut Patris faceret voluntatem, divinum auxilium ſibi, carnis tem-
pore, denegavit? Et Deus hominem, quem ob hæc ſuſtinenda, nulla compulſus neceſſitate ſuſcepit,
in hac perfunctione deſtituit? Loquitur inter tormenta Martyrum præſens, nec eos aliquid meditari
permittit; & ſe ipſum in crucis patibulo dereliquit?

26. Ipſe eſt enim, quod ſæpè ac ſemper eſt repetendum; nec diſtingui poteſt Dei hominiſque
perſona, quamvis ſit in eo diverſa ſubſtantia. Abſit aliud credere, abſit aliter de omnipotente ſentire.
Nec naſci æternus, nec creſcere perfectus, nec impaſſibilis pati, nec immortalis mori, ſine ulla ſui mu-
** Huncſane habetur in Ms. Tiberi, & apud Baronium. Reliqua ſuppleamus.* tatione vel corruptione, ſicut jam dictum eſt, formidavit. Sed quia hæc pati non poſſet ſola divinitas;*
hominem, per quem tanti muneris myſterio perfungeretur, accepit. Nam & in cœlum receptus, illuc
eum levavit, unde nunquam ipſe diſceſſit. Audiamus Apoſtolum prædicantem Chriſtum crucifixum:
Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Ipſis verò vocatis Judæis & Græçis eundem
1. Corinth. 1. 23. ipſum Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

27. Advertite, filii dilectiſſimi, & quod jam nôſtis agnoſcite; ipſum Chriſtum, qui propter humi-
litatem ſuſcepti hominis Judęis dicitur fuiſſe ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia; ipſum eſſe Dei virtu-
tem & Dei ſapientiam. Numquid vel hìc ſeparata aut diſcreta eſt ab Apoſtolo divinitatis humanitatiſque
perſona? aut erubuit eandem dicere Dei ſapientiam, quam factam dixerat Gentium ſtultitiam? aut eun-
dem adſerere Dei virtutem, quem ſcandalum dixerat Judæorum? Quid ergo nos erubeſcimus confiteri
Deum propter hominem, atque in homine natum & paſſum; cùm non negemus, donante Deo, factum
eun-

eundem ipſum hominem Deum? Quod utique per divinam gratiam, non per humanam ſubſtantiam, accepiſſe cognoſcitur.

28. Adhuc paullò infrà ſubſequitur: *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto JESU, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia & juſtitia, & ſanctificatio & redemptio: & quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Certè Chriſtus Jesus hominis tantùm nomen eſt, ait hæreticus. Sed Paullus qui ſciebat & dixerat non eſſe in homine gloriandum; Chriſtum Jesum non tantùm hominem, ſed Deum quoque cognoverat; quem ſapientiam, & juſtitiam, & ſanctificationem, & redemptionem à Deo nobis factum eſſe credebat, & in eo credentes gloriari docebat: quoniam Chriſtus Jesus & Deus & homo eſt. Et ad hæc conſequenter, non elatione verbi aut ſapientiæ myſterium Dei annuncians, addit, & dicit: *Nihil me judicavi ſcire in vobis, niſi JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum.* Ibid. 30. 1. Cor. 2. 2.

29. Ac ne Judæorum iniquus populus, parvum ſe adſerat admiſiſſe peccatum, ſi ſe intelligat nudum tantùm hominem perſecutum; myſterium in Dei ſapientia dicit abſconditum, nulli principum hujus ſæculi revelatum teſtificans. *Quod ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ecce & hîc Christum Jesum, quem Dominum gloriæ confitetur, ipſum prædicare non metuit ſæculi principibus crucifixum. Ibid.

30. Omnem hujus lectionis continentiã conſideretis exhortor, & videbitis quanto molimine atque conatu S. Apoſtolus hominum mentes à terrenæ tantùm intelligentiæ utilitate ad divina in hoc myſterio & cœleſtia conſideranda ſuſtollat. Breviter enim cuncta tranſeo, quæ ipſi pleniùs & latiùs poteritis advertere. Nam & ad Corinthios ſecundâ quodam loco ſic loquitur: *Sive* (inquit) *mente exceſſimus Deo, ſive temperantes ſumus vobis; charitas enim compellit nos judicantes hoc, quoniam unus pro omnibus mortuus eſt.* Et paullò pòſt: *Omnia* (inquit) *ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Chriſtum, & dedit nobis myſterium reconciliationis, quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Quæro, quemadmodum? Non aliter quàm naſcendo, patiendo, moriendo, reſurgendo, atque in cœlum aſcendendo. 2. Cor. 5. 13. Ibid. 15.

31. Quæro etiam, quod ſit myſterium reconciliationis noſtræ? Num aliud, quàm ſacrificium, quod per ſuum ſanguinem ſummus Sacerdos obtulit Chriſtus? Videamus ergo utrumnam ſolus homo perfecerit: quoniam, ſicut illi putant, Deus ab eo in Paſſione diſceſſit. Sed huic opinioni Paullus Apoſtolus evidentiſſimè contradicit. *Deus* (inqnit) *erat in Chriſto.* Erat in Chriſto, non diſceſſerat à Chriſto. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Quemadmodum reconcilians? non reputans illis delicta eorum. An fortè hoc ſtultis placet, ut per hominem tantùm fiat remiſſio peccatorum? Quod cùm etiam Judæi reſpuerent, dicendo: *Blaſphemat: quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Ipſe Dominus Dei hominiſque filius, volens manifeſtare incredulis non eſſe ſolùm hominem quem videbant, ſed Deum etiam, in quem credere contemnebant, & poteſtatem divinam homini quoque propter unitatem perſonæ ejus ac præſentiæ contributam, evidenter oſtendere; *Ut ſciatis* (ait) *quoniam poteſtatem habet filius hominis ſuper terram dimittere peccata;* tunc dixit Paralytico: *ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ibid. Marc. 27. Matth. 96.

32. Ita Deus & homo, unus & verus animarum corporumque Salvator, & exteriorem hominem morbo carnali, & interiorem peccati onere levavit. Deus ergo erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi; nuſquam & nunquam deſerens hominem, quem propria dignatione, nulla prorſus neceſſitate ſuſcepit. Ad Hebræos quoque idem Apoſtolus in ipſius Epiſtolæ primæ fronte, teſtatur: *Poſtremò* (inquit) *in his diebus loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula. Qui, cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, gerens quoque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationē peccatorum à ſe facta, ſedit in dextera majeſtatis in excelſis.* Ipſe ergo filius Dei & filius hominis unus eſt atque idem, qui propter æternitatem cum Patre fecit ſæcula, propter incommutabilem lucem ſplendor eſt gloriæ, propter æqualitatem figura eſt ſubſtantiæ, propter majeſtatem gerit omnia verbo virtutis. Ipſe etiam propter ſuſcepti hominis paſſionem, peccatorum noſtrorum purgationem fecit, & propter remunerationem habet in Patris dextera ſeſſionem. Heb. 1. 2.

33. Quomodo autem fecit purgationem peccatorum, niſi delens chirographum, quod adversùm nos fuerat diabolo accuſante conſcriptum? quomodo delevit, niſi cruci affigens, & ſanguine innocente diluens? Quod ergo olim Deus loquutus eſt Patribus in Prophetis, & poſtremò eſt teſtificatus in Filio, hoc credamus, hoc teneamus, hoc omnibus viribus defendamus. Accedit ad cauſſam, quòd tunc Principatus & Poteſtates expoliavit fiducialiter, triumphans eos in ſemetipſo. Quod opus non eſt omnino ſolius hominis, ſed divinæ in homine majeſtatis. Neque enim homo fortis & potens, ſed Dominus potens in bello.

34. Item illic poſt multa, quibus Apoſtolus myſterium Novi Teſtamenti, à Veteris figura diſcrevit, ſic ait: *Refragans legi Moyſi, ſine miſeratione moritur in duobus aut tribus teſtibus; quantò magis videtur deteriore pœna dignus, qui Filium Dei conculcavit, & qui ſanguinem Novi Teſtamenti immundum æſtimavit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ Dei contumeliam fecit? Novimus enim eum qui dixit: Mihi vindictam ego retribuam, dicit Dominus.* Quæro, qualiter poſſit Deus Dei filius conculcari. Videtis etiam hîc quemadmodum nec dubitet, nec metuat, nec erubeſcat aſſerere Dei filium conculcatum. Sed quoniam ſi quis ſanguinem, in quo ſanctificatus eſt, immundum exiſtimat, utique filium Dei conculcat; ideo non diſcrevit hominis paſſionem à Dei majeſtate, cujus reum vult eſſe illum, qui pro nihilo exiſtimaverit pro ſe ſanguinem fuſum. Non enim filius Dei conculcatur, niſi in eo quòd mortis, quam in homine ſuſtinuit, beneficium ſpernitur. Hebr. 10. 28.

35. Ipſe quoque Salvator ac Dominus fidem remuneraturus interrogat. videte quid dixerit: *Quem* Matth. 16. 13.

me (inquit) *dicunt homines eſſe filium hominis?* Atque cùm diverſas aliorum opiniones illi ſuggererent; *Vos autem* (inquit) *quem me dicitis eſſe? me utique filium hominis?* Ad hæc Petrus, ab eodem inſpiratus, & in hac confeſſione ad rectam Fidem formâ ſui univerſis gentibus profuturus, adverte quanta & quàm plena integritate reſponderit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Tu, tu, ò ille, qui te Filium hominis dicis, tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Numqoid non etiam hîc, ſive interrogatione Domini, ſeu in reſponſione Apoſtoli, utriuſque ſubſtantiæ una monſtratur oſtenditurque perſona; dum & ille ſe hominis Filium, quod in aperto videbatur, edicit, & Petrus eum Chriſtum Dei Filium, quod in occulto gerebatur, donata ſibi confeſſione monſtravit? Unde laudatus à Domino, & beatus eſt dictus; qnoniam noo ei caro & ſaoguis revelaverit, ſed Pater qui in cœlis eſt. Quod ergo credere debeamus, Deus Pater per Deum Filium revelet, non caro & ſanguis inſinuet.

Ibid. 16.

36. Poſt Reſurrectionem quoque cùm Dominum Maria minimè agnoviſſet, & ille proprio nomine appellando, viam illi recognitionis aperiret; ac ſe tangere volentem, ne faceret prohiberet, quid ei nunciandum diſcipulis delegare dignatus fuerit, audiamos. *Vade* (inquit) *ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum, ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Age nunc, eligat hæreticus utrum putat, & cujus vocem malit hanc eſſe, ipſe diſcernat. Utrâque parte acuto ſpiritali gladio ferietur. *Aſcendo* (inquit) *ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum: ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Si hominis vox eſt, ergo Filius Dei eſt homo ille: ad Patrem meum, dixit, aſcendo. Si Dei vox eſt, ergo homo eſt Deos ille: ad Deum meum enim dixit aſcendo. Nec enim ait: aſcendo ad Patrem meum, & Deum hominis mei: aot aſceodo ad Deum meum, & ad Patrem Dei mei. Qui igitur perſonam divinitatis humanitatiſque diſcernit, utroque intellectu convincitur. Aut homo dixit, & idem ipſe eſt Dei Filius: aut Deus dixit, & idem ipſe eſt etiam homo ſuſceptus. Qui enim dicit, aſcendo ad Patrem meum, & ad Deom meum, repetendo *meum* & *meum*; unam probat, polliceturque perſonam, quamvis diſtinguat otramque ſubſtantiam. Quod enim ait: *Aſcendo ad Patrem meum*; pertinere quidem videtur ad unigenitum Filiom. Quod autem ait: *ad Deum meum*; pertinere videtur ad hominem factum. Sed in Chriſto Jesu nec homo creatus poteſt dici, nec Filius, nec unigenitus Deus negari homo poterit natus. Atque ideo nec Dei tantùm, nec hominis tantùm vox iſta eſſe convincitur, quam Deos & homo, unus atque unicus ipſe filius ad ſuos diſcipulos perferendam, inſeparabili omnino, atque indiviſibili mandavit affectu.

Joan. 20. 17.

37. Deniqne, ut noveritis, & pleniùs advertatis, ita eſſe quod dicitur; ad diſſolvenda omnium hæreticorum machinamenta, & univerſas calumnias refellendas, ubi opus fuit naturam Creatoris à creatura diſcernere; videte qualiter pro nobis pietas divina vigilavit. *Vade* (inquit) *ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum: ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Ecce hîc evidenter ipſius Domini, id eſt, Dei & hominis, à famulorum ſuorum perſona diſtingnitur, & à natura vocatio ſeparatur. Quamvis enim id quod mandatur, jam amicis mandetur & fratribus; oſtenditur tamen quid Domino debeatur, quid ſervis cæteris tribuatur. Potuit namqoe dicere: Aſcendo ad Patrem noſtrum, & ad Deum noſtrum: quia multùm diſtat inter dominationem & conditionem, inter generationem & adoptiooem, inter ſubſtantiam & gratiam. Ideoque hîc non permiſtè, nec paſſim dicitur: Aſcendo ad Patrem noſtrum, & ad Deum noſtrum; ſed ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: ad Deum meum, & ad Deum veſtrum. Aliter enim illi Deus Pater eſt, aliter nobis. Illum ſiquidem natura coæquat, miſericordia humiliat: nos verò natura proſternit, miſericordia erigit. Hoc enim egit iſta divina homanitas, & humana divinitas, tali ac tanto miraculo, ut hujuſmodi gratiam indigna mortaliom meruiſſet infirmitas.

Joan. 20. 17.

38. Et quis poterit, vel cui ſufficiat paginarum ſaoctarum omnia uoo in tempore documenta congerere, quibus ſincera hæc & mera veritas perdocetur? Sed & modus ſermonis, qui jam dudum exceſſit, aliquando tenendus eſt: oec mihi diutiùs laborandom cum eis, quos, inſtruente Domino, eruditos agnovi. Inſtate itaque, ſicut Apoſtolus præcepit, opportunè atqne inopportunè; & doctrioâ ſanâ univerſos errantes arguite, revocate, inſtruite, roborate; non mea, quæ nolla, aut parva ſunt, habentes io hac Fidei regula documenta; ſed Scripturarum divinarum, ac magnorum & doctiſſimorum virorum, qui hæc ante nos & firmiſſimè tenuerunt, & multiplicibus libris eloquentiſſimè docuerunt.

2. Tim. 4. 2.

NOTÆ

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

Indicatur quanto cum plauſu recepta fuerit doctrina hujus Epiſtolæ, & Concilii Epheſini in Hiſpania contra impium Neſtorium.

39. DOCTISSIMUS Card. Baronius edens Epiſtolam hanc ex Ms. Cl. V. Petri Pithœi, illam plurimùm laudavit, veluti ab inſigni Patre Eccleſiæ, & præſtantiſſimo Theologo ſcriptam. Quid ſi integram nactus ſuiſſet, qualem nos proferimus ex editione Jacobi Sirmondi? Sanè illa lectu digniſſima eſt, ob inſignem ſacrarum literarum eruditionem, ſubtilitatem ingenii, majeſtatem ſtyli, & miram eloquentiam ad convincendum erroris Neſtorium, & convellendum fundamenta, quibus innitebatur. Lege & obſerva. Vix, credo, aut ne vix quidem, invenies aliquid majus aut ſublimius in aliquo ex ſanctis Patribus, qui in eam hæreſim ſcripſerunt, ne in Cyrillo quidem, præcipuo Neſtorii debellatore, aut in Joanne Caſſiano, qui eodem ferè tempore in illum libros *De Incarnatione* eloquenter ſcripſit.

40. Et utrumque eorum cum aliis Patribus generatim fortè indicare videtur Capreolus ipſe poſtremis Epiſtolæ verbis. Nam licèt illam opinione mea ſcripſerit anno CDXXXI. circa tempus Synodi Epheſinæ; jam aliquantò antea Cyrillus impugnaverat Neſtoriũ, immò & Theodoretum ejus defenſorem, & fortaſſe Caſſianus. Nimirum, hic libros illos *De Incarnatione* ſcripſit quidem hortatu S. Leonis Papæ, ſed longè ante ipſius Pontificatum, cùm adhuc in minoribus ageret, ac fortè dum in Galliis verſaretur, ubi Caſſianus habitabat, circa annum CDXXVIII. Nimirum, tempore ipſo Concilii Epheſini S. Leo erat Archidiaconus Eccleſiæ Romanæ, & magnæ auctoritatis apud Cœleſtinũ Papam, ſicuti & poſtea apud Xyſtum III. ut conſtat ex Chronico Proſperi, & ex ipſo Caſſiano, ibidem. Si id autem ſemel ponatur; credibile eſt, Caſſianum cum aliis laudari à Capreolo in calce ejuſdem Epiſtolæ. Pariter laudat S. Vincentius Lerinenſis illam aliam ab eo ſcriptam ad Synodum Epheſinam, quæ apud Baronium legitur, ſuprà num. 4. indicatam, & noviter recuſam à V. Cl. Stephano Baluzio in Collectione Nova Conciliorum, col. 477.

41. Verùm hanc poſteriorem ſolam, quâ Capreolus Vitali & Conſtantio reſcripſit, videntur Hiſpani penes ſe habuiſſe, ac vulgâſſe per Eccleſias totius regni; præſertim poſtquam Synodus Epheſina fuit celebrata: nam medulla iſtius in hac Epiſtola continetur, adeò dilucidè & eruditè, ut ex ea omnes poſſent ſenſum ac definitiones Eccleſiæ Univerſalis contra Neſtorium intelligere Latinis verbis, longè breviùs ac faciliùs, quàm ex Actis Græcis valdè diffuſis, & ex ſcriptis S. Cyrilli Alexandrini, pariter Græcis, quorum exemplaria longè laborioſiùs in Hiſpaniam deferri, & difficiliùs à pleriſque intelligi poterant.

42. Unde in Concilio Toletano III. centum quinquaginta circiter annis poſt Epheſinum celebrato, nimirum Chriſti DLXXXIX. in ipſa Fidei Profeſſione facta à Recaredo Hiſpaniarum Rege coram LXIII. Epiſcopis, damnatur nominatim Neſtorius cum ſua hæreſi. Et deinde in Tractatu Concilii Chalcedonenſis, ibidem ſubjuncto, Patres ipſi Toletani invehuntur *adversùs eos, qui Diſpenſationis* (nimirum, *Incarnationis*) *myſterium tentant corrumpere, & purum hominem eſſe, qui ex ſancta Virgine MARIA natus eſt, impudenter divulgant*. Quorum præcipuus erat tunc Neſtorius: propterea nolens Virginem Dei matrem nominari. Statim verò addunt de Synodo eadem: *Beatiſſimi quondam Cyrilli Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotis ſynodicas Epiſtolas, tam ad Neſtorium, quàm ad cæteros per Orientem, congruas & ſibi conſentientes ſuſcepit, ad confutationem quidem Neſtorianæ amentiæ, interpretationem verò eorum, qui religioſo zelo ſalutaris Symboli cupiunt intellectum.*

43. Præterea in Fidei Confeſſione, quam emittunt intra idem Concilium III. Toletanum Epiſcopi, presbyteri, & præcipui Gotthorum, undecimo loco ſuſcipitur Synodus Epheſina contra Neſtorium celebrata, cum tribus aliis Oecumenicis, & inferiùs adhuc viceſimo ſecundo loco. Præterea in Concilio IV. Toletano, cui præfuit S. Iſidorus anno Chriſti DCXXXIII. Actione XIII. latè ac doctiſſimè confirmatur doctrina in Synodo Epheſina duobus antea ſæculis tradita contra impium Neſtorium, allegatis & expenſis in eum ſcopum plurimis Scripturæ ac SS. Patrum teſtimoniis, atque in iis Hilarii, Nazianzeni, Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, Cyrilli, Leonis, ac Fulgentii. Tota verò illa Actio, ſatis diffuſa, videtur ſcripta ab eodem S. Iſidoro: ſicuti & Profeſſiones Fidei exſtantes in Concilio III. Toletano tribuuntur S. Leandro ipſius fratri, ac deceſſori in Sede Hiſpalenſi.

44. Hinc colliges, quantum ſtudii, zeli, ac laboris contulerint Patres Hiſpani ad evulgandam, confirmandam, & recipiendam doctrinam Concilii Epheſini, & aliorum trium Generalium ex quatuor primis, præſertim in Conciliis Toletanis III. & IV. nuper citatis.

CONCILIUM HISPANICUM GENERALE,

Suaſu Leonis Pontificis in cauſſa Priſcillianiſtarum indictum,

ANNO DOMINI CDXLVII.

Præter regulam Fidei, quæ ſuprà in fine Concilii Toletani primi excuſa eſt, nihil exſtat. Incipit prædicta Regula Fidei ſic:

CREDIMUS in unum Deum patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum, viſibilium & inviſibilium factorem, per quem creata ſunt omnia in cœlo & in terra, &c. *Vide ſuprà loco allegato.*

NOTÆ VARIORUM.

45. CONCILIUM HISPANICUM.] cùm ingruentibus barbaris, Wandalis primùm, Gotthis, atque Soëvis, florentiſſima illa Hiſpaniarum Eccleſia, ſanctiſſimorum Antiſtitum ſolitâ culturâ careret; pulchra immutata facie, reddita eſt velut ager incultus, vepribus undique repletus ac ſpinis, in quibus feræ ſua latibula quærebant. Accidit, quòd dum S. Turibius Aſturicenſis Epiſcopus, vehementi Catholicæ veritatis ardore ſuccenſus, hac de cauſſa Hiſpaniæ Eccleſias luſtraret, ejuſdem beſtiarum luſtra inveniens, ad eas pellendas, earumque latebras deſtruendas, Apoſtolicæ Sedis, à qua Hiſpaniæ ſincerum Euangelium acceperant, ſubſidium imploraverit, atque per diaconum ſuum, Romam ad hoc opus ablegatum, Leonem Pontificem de his omnibus certiorem reddiderit.

46. Quæ dum S. Leo exactè examinâſſet, redditis literis, poſt alia eum admonuit, ut in Hiſpania Generale Concilium celebraretur. *Habeatur ergò* (inquit Epiſtolâ XCIII. ad Turibium) *inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus ſit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes: ut ſecundùm ea, quæ ad tria conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine, an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui hujus hæreſeos* (Priſcillianiſtarum ſcilicet) *contagio polluantur; à communione ſine dubio ſeparandi, ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum pravitates damnare noluerint.* Et poſt nonnulla: *Dedimus itaque literas ad fratres & Coëpiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallæcos, eiſque Synodi Generalis Concilium indiximus,* &c.

47. His literis in Hiſpaniam perlatis, ad celebrandum Generale Concilium Epiſcopi diverſarum provinciarum convenerunt: Priſcillianam hæreſim condemnârunt, atque contra eam, Regulam quandam Fidei, de qua ſuprà in principio diximus, cum aliquot capitulis ediderunt. Hæc ſummatim in Actis Concilii Bracarenſis I. in Præfatione, Lucretius eſt præloquotus, his verbis: *Credo autem veſtræ beatitudinis fraternitatem nôſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſimæ Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſſimus Papa urbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ſeptimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor exſtitit, per Turibium Notarium Sedis ſuæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſcillianæ hæreſeos ſectam ſcripta ſua direxit: cujus etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Bætici, facto inter ſe Concilio, Regulam Fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus capitulis deſcribentes, ad Balconium, tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem, direxerunt.* Hæc de rebus in Synodo geſtis. Sed cùm hæc ad Balconium Bracarenſem Epiſcopum, totius Galliciæ Primatem & Metropolitanum, ſcripta fuiſſe dicat Lucretius; præterea etiam Gallicii hoc tempore ſub Rechila Suëvorum Rege fuerint, reliquæ autem Hiſpaniarum provinciæ Theodorico, ejuſque filio Toriſmundo, & Gotthorum Regibus paruerint; probabile admodùm eſſe apparet quod ſuprà in Notis Concilii Toletani I. verbo *Regula* diximus, duo habita fuiſſe Concilia, quæ poſtea cum Toletano I. conjuncta fuerunt: unum Toleti, cui Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani, & Bætici Epiſcopi interfuerunt, & de rebus in Synodo geſtis ad Balconium Galliciæ Primatem literas dederunt: alterum collectum eſt in Gallicia ſub Balconio in municipio Celenẽſi apud Lucenſem urbem. Quarum

rum cùm una conveniendi cauſſa & auctoritas fuerit, inque unam & eandem ſententiam convenerint; in unum conflata, & Toletano primo, Collectoris errore, conjuncta fuerunt. Vide quæ diximus in Notis Concilii Toletani I. verbo *Regula Fidei*, & in Notis Concilii Conſtant. I. verbo *Symbolum*, & quæ infrà dicemus in Notis Concilii Bracarenſis I. verbo *Turibium*. Binius.

48. Jure monuit Ambroſius Morales libro undecimo *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, capite viceſimo quinto, Acta Concilii Toletani primi, cum Profeſſione Fidei, Sententia Definitiva, &c. eſſe ita implicata & involuta, ut in iis plures contradictiones & anachroniſmi appareant; præſertim dum plura ſpectantia ad Concilium Hiſpanicum indictum à S. Leone Papa anno CDXLVII. miſcentur aut confunduntur cum actis in Concilio Toletano I. anni CD. Ex ea permiſtione rerum plures aliæ difficultates ortæ ſunt circa Symphoſium & Dictinium, hujuſque Epiſcopatum Aſturicenſem, quem aliqui affirmant, alii negant; quidam uno tempore, alii alio accidiſſe volunt. Quin & ſatis ambiguam cenſent aliqui Profeſſionem Fidei editam utriuſque nomine. Cæterùm quicquid ſit de obſcuritate verborum, & barbarie ſtyli, aut incuria exſcriptorum; certum eſt, à Symphoſio & Dictinio retractatos & abjuratos fuiſſe Priſcilliani errores, quorum notati fuerant, ſimul cum aliis pluribus intra & extra Hiſpaniam, initio quinti ſæculi.

49. Sed adhuc poſt damnatã hæreſim Priſcilliani in Conciliis Cæſaraugustano an. CCCLXXX. & Toletano CD. ac Burdigalenſi Galliæ, utrique interjecto, ſupererant reliquiæ multæ ſequacium ipſius in Hiſpania. Quas ut exſtirparet S. Leo Papa, cognomento Magnus, literas ad Epiſcopos illius dedit, præcipiens ut cogeretur Synodus ex præcipuis Hiſpaniæ provinciis ad tantum malum exſtirpandum. Illas verò miſit per Turibium, quem Lucretius Epiſcopus ſæculo ſequenti in Concilio Bracarenſi, verbis à Binio exſcriptis, appellat *Notarium S. Sedis*. Tam verò doctiſſimus Cardin. Baronius, quàm ipſe Binius, exiſtimant, hunc Turibium Notarium, fuiſſe eundem Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, ad quem S. Leo ſcripſit celebrem illam Epiſtolam XCIII. aliàs XV. adversùs Priſcillianiſtarum errores.

50. Sed enim, judicio aliorum, ac præſertim rerum Hiſpanicarum ſolertiſſimi indicatoris Ambroſii Moralis, duo Turibii fuerunt: alter Notarius S. Sedis Romà miſſus in Hiſpaniam, tanquam domeſticus, & è latere S. Leonis; alter Epiſcopus Eccleſiæ Aſturicenſis, quæ tunc ſubjacebat Metropolitano Bracarenſi. Quod ipſum fusè comprobare aggreditur Paſchaſius Queſnelius Tomo II. Operum S. Leonis, in Notis ad Epiſt. XV. Ubi & monet, tres literas, ſive Epiſtolas, ab ipſo S. Leone datas fuiſſe, non uno eodemque tempore, ſed ſucceſſivè. Prima & præcipua fuit ad Turibium Epiſcopum, tradita Pervinco ipſius diacono (ita nominatur apud Idatii Chronicon). perferenda in Hiſpaniam: quâ illum hortatur, ut *Epiſcopale Concilium* celebretur opportuno loco ex vicinarum provinciarum Sacerdotibus. Aliam præterea Epiſtolam dedit ad Epiſcopos provinciarum, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitanæ, ac Gallicianæ, quâ indicebat Concilium Generale ab iis celebrandum. Hujus Epiſtolæ certiorem reddidit Leo eundem Turibium, ut hortaretur reliquos Epiſcopos ad id exſequendum, ſaltem in partibus Gallæciæ (ſic illam de cætero nominabimus, recepto à multis ſæculis nomine apud Latinos, quæ antea ab iiſdem *Gallicia* dicebatur) ſi fortè difficultas eſſet congregandi Concilium totius nationis Hiſpanicæ.

51. Nimirum eo tempore, & ab anno circiter CDXI. quo, juxta Chronicon Idatii, barbaræ gentes, Alani, Wandali, Gotthi, ac Suëvi, in Hiſpaniam crudeliter irruerunt, dominium ipſius diviſum fuit in varios Dynaſtas, ſeu Tyrannos. Gallæciam occupabat Rechila Suëvorum Princeps: Alani provinciæ Carthaginenſi dominabantur: Gotthi in alias potiores Hiſpaniæ partes. Ideoque difficultas erat non modica in confluxu Epiſcoporũ omnium ad unum idemque Generale Concilium: quam ſanè prævidens S. Leo in literis ad Turibium, adjecit: *Si autem aliquid (quod abſit) obſtiterit quominus poſſit celebrari Generale Concilium; Galliciæ ſaltem in unum conveniant Sacerdotes: quibus congregandis fratres noſtri Idatius & Ceponius imminebunt, conjunctâ cum eis inſtantiâ tuâ.* Quinam autem fuerint ii duo adjutores Turibio dati, ſuo loco dicemus. Card. de Aguirre.

52. Dubium non eſt, quin plures menſes poſt receptam Leonis Epiſtolam à Turibio interceſſerint, antequam ad ſingulos Hiſpaniarum Epiſcopos literæ Leonis tranſmitterentur, ut de hoc negotio deliberarent inter ſe illarum Eccleſiarum Primates, ut Principum voluntatem explorarent, licentiamque ad Concilii plenarii congregationem conarentur obtinere: quod quum fruſtra demum tentari à ſe perſpexerunt, renitentibus Principibus; tum de Galliciæ Synodo habenda initum eſt ab illius provinciæ Epiſcopis conſilium. Hoc reſcivit S. Leo, vel ſcribente iterum Turibio, vel redeunte nuncio, quem ad quatuor illarum provinciarum Antiſtites cum literis delegârat: eſſeque è re Eccleſiæ exiſtimavit, ut ad Synodum, quæ parabatur, vel jam etiam coacta erat, ſcriberet: & hæc ſunt ſcripta, quæ per Turibium Notarium Romanæ Sedis ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam directa eſſe à Leone, commemoravit Lucretius in Bracarenſi Concilio.

53. Porrò dum pararetur Concilium Galliciæ, vel eo jam ſoluto; aliarum quoque provinciarum Epiſcopi conventum inter ſe fecerunt, eodem Lucretio teſte, ſecuti hac in re conſilium Leonis: in quo Regulam Fidei cum aliquibus capitulis deſcribentes, ad Balconium, tunc Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem, direxerunt. Eam, inquam, Regulam Fidei, quæ malè Concilio Toletano I. ad ann. Chriſti CD. attexitur, cùm revera ſit hujus Hiſpanici quatuor provinciarum Concilii, ut vel ex titulo Regulæ, ſubjunctorumque capitulorum arguitur, qui eadem habet, quæ Lucretius in ſua interlocutione: ſed imprimis ex Bracar. I. Con-

Concilio, quod utrumqoe Hiſpanicæ illi Synodo, Leonis tempore & præcepto congregatæ, aſſerit. De hac Fidei Regula plura in Diſſert. XIV.

54. Ex dictis patet non ſimul miſſam eſſe Epiſtolam hanc ad Turibium noſtrum, & alteram, quam ad Synodum Galliciæ ſcriptam teſtatur Lucretius. hæc enim nondum erat congregata, nec tam citò coactam fuiſſe videor mihi hoc ratiocinio certò evincere.

55. Eodem ferè tempore habitas eſſe duas illas Synodos, unam Galliciæ, alteram quatuor provinciarum, & Baronius fatetur, & Lucretii interlocutio manifeſtè declarat. Quum autem poſtrema hæc coacta eſt, tunc Balconius Bracarenſis erat Epiſcopus: non videtur autem idem hujus civitatis Eccleſiam rexiſſe, cùm ſcribebat Sanctus Leo ad Turibium, alioſque Hiſpanos Epiſcopos: ſed probabile eſt admodùm, vel Idatium, vel Ceponium in hac ſede fuiſſe collocatum. Primùm enim hoc videtur probari ex Epiſtola, quam Turibius ſcripſit ad otrumque illum Epiſcopum, cùm primùm Priſcillianæ ſectæ impium dogma graſſari animadvertit. Cur enim ad illos Epiſcopos, cæteris prætermiſſis, querelas ſuas direxiſſet, niſi quia Metropolitica auctoritate ſupra cæteros eminebánt; atque ideo eoſdem hujus nefandæ hæreſis compeſcendæ cura ac ſolicitudo ſpectabat? Eoſdem Metropolitanos fuiſſe provinciæ Galliciæ ſatis indicat Sanctus Leo, cùm penes eos curam congregandorum Epiſcoporum intra illam provinciam reſidere aſſerit: *Quibus congregandis fratres noſtri Idatius & Ceponius imminebunt*. Eundem Idatium legimos Geſta Epiſcopalia habuiſſe in urbe Aſturicenſi cum hujus civitatis Epiſcopo adversùs latentes Manichæos, quos ſuo judicio damnârunt, dirigentes ejuſmodi Geſta ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum: hoc enim teſtatur Idatius ipſe in ſuo Chronico ad Olymp. CCCVI. tale porrò judicium habere in aliena Eccleſia nequaquam potuit, niſi jure Metropolitico potitus eſſet in Galliciæ provincia.

56. Si porrò conjecturis liceat in re obſcuriſſima indulgere; facilè crediderim jus Metropoliticum jam per illa tempora fuiſſe penes duos Epiſcopos in provincia Galliciæ, cujus aſſertionis iſtæ ſunt rationes.

57. Prima: Cùm Turibios de Priſcillianiſtarom redivivis erroribus eos monere vellet, quorum officium & poteſtas erat errores hujuſmodi in provincia Galliciæ extinguere; non unicum, ſed duos Epiſcopos, Idatium & Ceponium, conjunctim adiit, velut dignitate & auctoritate pares, ut teſtis eſt Epiſtola ad eos ſcripta.

58. Secunda: Eoſdem cogendæ Galliciæ Synodo præſidere debere ſignificat Sanctus Leo: quod jus procul dubio Metropoliticam arguit dignitatem. Niſi enim uterque eâ præfulſiſſet, fuiſſetque liberum Sancto Leoni Præſidem hujus Concilii ex arbitrio conſtituere, non aliom quàm Turibiom hoc munere ornâſſet, cujus ſolicitudinem induſtriamque perſpectam habebat.

59. Tertia: Hoc etiam perſuadet provinciæ hujus immenſa amplitudo: quæ Lucenſem Synodum anni DLXIX. coëgit, ut ex præcepto Principis in duas eam provincias Eccleſiaſticas ſcinderet, attributis Eccleſiæ Lucenſi Metropolicicis juribus: quæ non tam nova inſtitutio mihi videtur, quàm priſtinæ inſtauratio: quæ tumultuum bellicorum occaſione, antiquitate poſthabita, immutata erat, ut in unum Epiſcopum omnia Metropolitica jura tunc confluxerint.

60. Quarta: Confirmatur ex eorum ſententia, qui in hac cauſſa Lucenſe ponunt Concilium in Celenis municipio Lucenſis diœceſis eodem tempore collectum. Hoc enim ſi verû eſt, jus Metropoliticum Lucenſi Epiſcopo ineſſe penè neceſſe fuit, qui dum Bracarenſis in eadem provincia Metropolitanus Synodum habet Bracaræ, alteram in eadem provincia, propria auctoritate coëgerit. Vide quæ in Præfatione Toletani I. Concilii anni CD. referuntur de hoc Concilio Celenenſi, ſeu Lucenſi, quæ malè illic inſerta, ad Leonis tempora rejicienda eſſe videntur: tametſi ad propoſitum noſtrum nihil intereſt, an hujus, an ſuperiori ætate Lucenſis illa Synodus coacta fuerit.

61. Quinta: In Præfatione Concilii Bracarenſis I. quod prius fuit illo Lucenſi, in quo primùm diviſa dicitur provincia Galliciæ in duos Metropolitanos, aliquod mihi videor veſtigium deprehendere diviſionis jam antea factæ: Bracarenſis quippe Eccleſia dicitur *Bracarenſis provinciæ Metropolitana*: cùm dicere debuiſſet provinciæ Galliciæ, ſi unica fuiſſet Eccleſiaſtica provincia. Deinde huic Concilio octo tantummodo Epiſcopi affuerunt, cùm quindecim ad minus eſſent Gallicianæ provinciæ Epiſcopi: ut ſuſpicari liceat eos tantùm conveniſſe, qui Bracarenſi ſuberant, non eos qui Lucenſi. Quod verò primùm in Lucenſi Synodo facta diviſio legitur; facilè ita interpretor, ut tum primùm ſynodali ſtatuto ac regio præcepto denuò inſtauratum ſit quod jam ab antiquo in uſu fuerat, & per aliquod forſan tempus interruptum, ambitione Bracarenſium Metropolitanorum. Demum in illo Concilio contentioni, quæ inter utrumque Metropolitanum fuerat, finis eſt impoſitus decreto peremptorio, quod Lucenſi Metropoliticam dignitatem aſſeruit.

62. Sexta: Idatius in Chronico, Olympiade CCCIII. circa annum CDXXX. hæc narrat accidiſſe: *In conventu* (inquit) *Lucenſi, contra voluntatem Agreſtii Lucenſis Epiſcopi, Paſtor & Syagrius Epiſcopi ordinantur*. Vides in his verbis plura Metropoliticæ dignitatis argumenta pro Lucenſi Epiſcopo. Cur enim apud Lucum conveniunt Epiſcopi, niſi quia Metropolis erat? Cur in illa urbe ordinationes Epiſcoporum factæ, niſi quia Metropolitani ſedes erat? Solenne enim antiquitus fuit, ut Epiſcopus, vel in propria, cui præficiebatur, Eccleſia, vel in Metropolitana civitate ordinaretur. Cur denique ordinatos illos Epiſcopos fuiſſe notat contra voluntatem Lucenſis Epiſcopi, niſi quia hic erat manifeſtus Canonum contemptus, qui toties vetant, ne Epiſcopus citra Metropolitani Epiſcopi voluntatem & conſcientiam conſecretur?

63. Quæ ſuperiùs dixi, jam paucis colligo. Ac primùm duos fuiſſe in Galliciæ provincia Metro-

tro-

tropolitanos. II. Unum eorum Bracarenſem Epiſcopum fuiſſe, extra omne dubium eſſe. III. Alterutrum è nominatis Epiſcopis, Ceponium dico & Idatium, Bracarenſem Metropolitanum fuiſſe. IV. Videri Ceponium hoc anno CDXLVII. Bracarenſem Eccleſiam rexiſſe, potiùs quàm Idatium. Oportet enim eum, qui tunc Bracarenſibus præerat, deceſſiſſe ante Synodum Gallicíæ: cùm hujus tempore Balconius Bracarenſem Eccleſiam regeret: at Idatius tunc adhuc in vivis erat, ſi fides libello De XII. Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui Iſidoro & Ildephonſo ſubjici ſolet: *Deceſſit enim* (inquit ille) *ſub Leone Principe, ultima jam penè ſenectute, ſicut etiam præfationis ſuæ demonſtrat initio*. Quod etiam patet ex ipſo Chronico, quod ultra Leonis Papæ tempora ab eo extenditur. V. Igitur Lucenſis Metropolitanus fuiſſe videtur Idatius: quamvis Sigebertus eum Lemicæ Epiſcopum faciat. Sed videtur confundere duos Idatios, quorum unus tempore Leonis, & Chronici auctor fuit, alter Priſcilliani olim accuſator, qui re vera Lemicæ Epiſcopus fuit.

64. Errandi præterea Sigeberto occaſio fuit, quòd recentior Idatius in Præfatione ſui Chronici natum ſe in Lemica civitate affirmat: qui ſi ejuſdem civitatis Epiſcopus fuiſſet, hoc non omiſiſſet eo loco commemorare, ubi & Lemicæ, & ſuæ in ea nativitatis mentionem faciebat. Meliùs dixeris videri eum Metropolitanam ſuam dignitatem indicare, cùm ibidem ſe *ſummi Præſulem officii creatum* dicit: ſummum eſt enim inter Epiſcopos provinciæ Metropolitani officium. Et in fine ejuſdem Præfationis, ita gemebundus deformem luget Eccleſiaſtici ordinis ſtatum in provincia Galliciæ, ac ſi ad eum præcipuè pertinuiſſet, velut provinciæ caput, *creationibus indiſcretis* (quas notat) *& univerſa propemodum in divina diſciplina religionis occaſu* ex officio occurrere ac ſubvenire.

65. Denique vix locum dubitandi relinquit Idatius, quum Olympiade CCCX. Gallicianæ provinciæ populationem deſcribit, Suevóſque apud Lucum direptos narrat. Statim enim hæc ſubjicit: *Capto Idatio Epiſcopo ſeptimo Kalendas Auguſti in Aqua-Flavienſi Eccleſia, eundem conventum grandi evertit excidio*. Manifeſtum eſt non de alio eum quàm de ſe ipſo ſermonem habere, nec de alio conventu, quàm de Lucenſi, de cujus vaſtatione narrationem inſerat; nec aliam ejus Epiſcopalem Sedem, quàm Lucum indicari: Aqua-Flavienſis enim Eccleſia, quam commemorat, Epiſcopalis Sedes non erat, ſed particularis aliqua Lucenſis parochiæ Eccleſia. PASCHASIUS QUESNELLIUS.

66. Nullam contradictionem invenio in eo quòd Idatius iſte ſimul cum Ceponio deputatus à S. Leone Papa ad Concilium Hiſpanicum contra Priſcillianiſtas celebrandum, fuerit Lemicenſis Epiſcopus (uti eum appellat Sigebertus Gemblacenſis) & Epiſcopus Lucenſis ſimul. Nimirum, civitas Lucenſis (*Lugo*) olim & hodie, ac ſemper, fuit & eſt intra provinciam ſive territorium Lemicenſe, vulgò *Tierra de Lemos*. Oppidum præcipuum illius territorii, ſeu provinciæ, hodie retinet appellationem antiquam, *Monforte de Lemos*, & intra Lucenſis Epiſcopatûs terminos ſitum eſt. Quapropter cohæret optimè quòd idem Idatius à S. Leone comes Ceponio datus, fuerit Epiſcopus Lucenſis, & Lemicenſis; Lucenſis quidem, denominatione ſumpta à Lugo, præcipua totius diœceſeos urbe; & Lemicenſis à provincia ejus nominis, quæ tunc Lemica dicebatur.

67. Inſuper, quòd præter Bracarenſem Eccleſiam Metropolitanam, qualis erat tempore Balconii à Leone Papa laudati, Eccleſia Lucenſis fuerit evecta in Metropolin, conſtat ex antiquis & indubitatis monumentis: ſed præcipuè ex Concilio Lucenſi celebrato anno Chriſti DLXIX. ubi ſtatutum fuit, ut in Gallæcia aſſent de cætero duæ Eccleſiæ Metropolitanæ: una Bracarenſis, alia Lucenſis. Certè licèt à principio ſub Metropoli Bracarenſi ſuffraganea eſſet Eccleſia Lucenſis, perinde ac Irienſis, Dumienſis, Portucalenſis, Britonienſis, Tudenſis, Aſturicenſis, & Aurienſis; poſtea tamen, ſive ob nimiam amplitudinem unius Metropoleos, ſive ob diverſitatem Principum Luſitaniæ & Gallæciæ imperantium, ſive ob aliàs præterea rationes, Eccleſia Lucenſis in Metropolitanam exaltata fuit.

68. Videbitur fortè id initium habuiſſe ab hoc tempore, quo S. Leo commiſit Idatio & Ceponio Epiſcopis, ut congregarent Epiſcopos Gallæciæ in unum ad celebrandum Concilium. Inde enim videtur colligi, ambobus commiſſum fuiſſe id graviſſimum negotium, tanquam præcellentibus inter omnes Gallæciæ Epiſcopos, ac proinde tanquam Metropolitanos. Ita opinatur Queſnellius. Sed verius credo, Idatium & Ceponium in hoc negotio ſe geſſiſſe potiùs tanquam vicarios, ſeu delegatos, aut commiſſarios Sedis Apoſtolicæ, quàm ut Metropolitanos. Nimirum eo tempore ſolus Balconius erat Metropolitanus in Gallæcia, nimirum Bracaranſis. Idatius verò, licèt eſſet Epiſcopus Lemicenſis, aut (quod idem cenſeo) Lucenſis; non ideo erat tunc Metropolitanus. Nondum enim ea Eccleſia fuerat exaltata in Metropolin eo tempore, ſed centum, ut minimum, annis poſtea. Itaque ſicuti Turibius ſimplex Epiſcopus Aſturicenſis præcipuas in eo Concilio partes habuit; ſic pariter Idatius & Ceponius, licèt eſſent ſimplices Epiſcopi.

69. Sed ſive jam tum Lucenſis Eccleſia cœpiſſet exaltari in Metropolim, ſive poſtea ſolùm; id certum eſt, Concilium habitum fuiſſe S. Leonis juſſu Celenis, oppido Gallæciæ, ubi illud collocant Plinius, Ptolemæus, & alii. Eruditiſſimus Zurita in Notis ad Itinerarium Antonini, cenſet Aquas-Celenas fuiſſe Aquas-calidas; id eſt, urbem Aurienſem, ubi illæ perſiſtunt celeberrimæ thermæ, quæ communi appellatione dicuntur *Burgos de Orenſe*. Juxta quæ Concilium id videtur celebratum in urbe Aurienſi. Dato autem quòd alibi, certè non extra Gallæciam. Nimirum, teſte Paullo Oroſio, hæreſis Priſcilliani, contra quam ea Synodus cogebatur, in Gallæcia pluſquam alibi graſſata fuit; ac proinde oportuit ut ibidem quoque ſolenniter damnaretur. Quare & in Concilio Bracarenſi I. habito anno Chriſti DLX. ubi

ite-

iternm damnatæ ſuerunt hæreſes Priſcilliani, fit mentio alterius Concilii juſſu S. Leonis coacti, in quo Regula Fidei ad Balconium Metropolitanum Bracarenſem tranſmiſſa, veluti præcipuum Gallæciæ Præſulem, lecta ſuerat. Id autem Concilium ibi citatum, non eſt aliud, quàm habitum Celenis. Nam licet fortaſſis eodem tempore ſuerit habitum alterum Concilinm Generale aut Nationale ab Epiſcopis provinciarum Carthaginenſis, Bæticæ, Tarraconenſis, & Luſitanæ, juſſu S. Leonis, contra eaſdem hæreſes, ut colligitur ex monumentis illius temporis; adhuc ſuit opus altero Concilio provinciæ Gallæciæ, ſub alio Rege poſitæ tunc, ut ſuprà vidimus, & ſubjectæ regimini ſpirituali Balconii Metropolitani Bracarenſis.

70. In eo autem conſentio facilè Paſchaſio Queſnelio, ut dum Idatius frequenter appellat conventum Bracarenſem, & conventum Lucenſem, ſignificetur diviſio ampliſſimæ regionis ſeu provinciæ Gallicianæ in duas partes præcipuas, quas ipſi Idatio placuit conventuum nomine ſinificare, quod potiùs denotat juriſdictionem civilem, quàm Eccleſiaſticam. Cæterùm non propterea tunc, nec centum annis poſtea, uſque ad tempora Concilii Bracarenſis I. & Lucenſis, videtur Gallæcia habuiſſe duas Eccleſias Metropolitanas, ſed unicam Bracarenſem. Lucenſis autem ſæculo ſexto inclinante Metropolitana eſſe cœpit anno DLXIX. in Concilio Lucenſi ſub Theodemiro Principe Suëvorum. Deinde inclinante ſæculo ſeptimo ſub Wambane Hiſpaniæ Rege in diviſione provinciarum hæc leguntur apud S. Ildephonſum in Continuatione Chronici Iſidoriani: *Legio civitas ſacerdotalis & Regia, ac Lucus, quam Wandali ædificaverunt in Aſturiis, teneant per ſuos terminos antiquos, ſicut eis diviſit Theodemirus Rex Suëvorum*: *ET NULLI UNQUAM SUBDANTUR ARCHIEPISCOPO VEL PRIMATI*.

71. Denique licèt nullum appareat dubium de Concilio alio eodem anno CDXLVII. celebrato ab Epiſcopis quatuor provinciarum in meridiali ſeu mediterranea Hiſpaniæ parte; nulla tamen ejus Acta exſtant, ſicut neque alterius Celenis habiti, exceptâ Formulâ Fidei adverſus Priſcillianiſtas. Hæc in utraque ea Synodo recepta ac publicata fuit: ſicuti & anno CD. in Concilio Toletano I. contra eoſdem errones lecta fuerat, ut ſuo loco diximus: niſi fortè ſicut injuriâ temporum, & oſcitantiâ exſcriptorum, plura Acta prædictorum Conciliorum vitiata, involuta, & permiſta fuerunt; ita etiam Formula illa per incuriam tributa fuerit Concilio Toletano I. quamvis ſolùm ſpectet ad duo prædicta Concilia longè poſtea celebrata tempore ac juſſu S. Leonis.

72. Quo verò loco celebratum fuerit Concilium Hiſpanicum quatuor provinciarum à S. Leone indictum contra Priſcillianiſtas, nequeo definire. Cl. V. Stephanus Baluzius Tomo I. Novæ Collectionis Conciliorum, ad annum CDXLVI. col. 949. dum Concilium iſtud vocat *Aſturicenſe*, videtur cenſere fuiſſe celebratum *Aſturica*, urbe ſatis conſpicua & Epiſcopali (vulgò *Aſtorga*) ubi ſedem habebat Turibius Præſul, ad quem ſcribit S. Leo. Probat id Baluzius: quoniam Idatius, ſcriptor ejuſdem temporis, & Epiſcopus, quique in iis Conciliis potiores partes habuit, indicare videtur, Concilium id Aſturicæ habitum fuiſſe. Nimirum in Chronico ait: *In Aſturicenſi urbe Gallaciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi* (iidem porrò erant Priſcillianiſtæ) *geſtis Epiſcopalibus deteguntur: quæ ab Idatio & Turibio Epiſcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum directa ſunt*. Nomine autem *GESTORUM EPISCOPALIUM* intelligi geſta ſynodalia ab Epiſcopis confecta in Synodis, conſtat ex S. Leone Papa variis locis. Geſta igitur ſynodalia ab Epiſcopis Idatio & Turibio Aſturicæ contra Priſcillianiſtas ſeu Manichæos habita ſunt. *Eorum autem Manichæorum unum Paſcentium quendam urbis Romæ, qui de Aſturica diffugerat, Antoninus Epiſcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Luſitania fecit expelli*.

73. Dum verò D. Baluzius prædictum Concilium refert ad annum CDXLVI. locum tribuit cum Idatio, ut cenſeri poſſit, eo quidem anno Aſturicæ celebratum fuiſſe ab aliquibus Epiſcopis, præſertim Idatio & Turibio, adversùs Priſcillianiſtas: quorum uterque, aut alter ſaltem, certiorem reddiderit ſtatim S. Leonem perfidiæ illius in Hiſpania graſſantis, & actis ſynodalibus detectæ: inde verò excitatus S. Pontifex anno *ejuſdem* ſequenti CDXLVII. ſcripſerit ad eundem Turibium Aſturicenſem Epiſtolam illam mox exhibendam, & indixerit Concilium *Generale* Hiſpaniæ celebrandum, ſaltem ab Epiſcopis quatuor provinciarum. Hoc autē an Emeritæ, an Toleti, vel ubinam celebratum ſuerit, non apparet. Certè Aſturicæ eo anno videtur nullatenus coactum fuiſſe: quoniam tunc Idatius & Turibius cum aliis Galliciæ Epiſcopis convenerunt Celenis ad Synodum celebrandam ex præſcripto S. Leonis, ut ſuprà vidimus. Padilla, & alii volunt illud ſuiſſe Toleti habitum. At certò non conſtat ubinam celebratum ſit. CARD. DE AGUIRRE.

S. LEO-

S. LEONIS PAPÆ COGNOMENTO MAGNI,

EPISTOLA XCIII. ALIAS XV.

AD TURIBIUM EPISCOPUM ASTURICENSEM.

ANNO CHRISTI CDXLVII.

CAPITA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

I. *Contra Priſcillianiſtas, qui ſanctam Trinitatem, non perſonis, ſed tantùm nominibus diſtinguunt.*
II. *Adversùs id, quòd Dei Filium poſteriorem credunt, quàm Patrem.*
III. *Adversùs id quòd dicunt, ideo unigenitum dici Chriſtum, quia ſolus de Virgine natus.*
IV. *De Natali Domini, quòd in eo Priſcillianiſtæ jejunia celebrent.*
V. *Adversùs id quod ajunt, animam hominis ex divina eſſe ſubſtantia.*
VI. *Contra id quod ajunt, diabolum ex ſe, vel ex chao eſſe, & propriam habere naturam.*
VII. *Contra illud, quòd nuptias & procreationes filiorum adſtruant eſſe peccatum.*
VIII. *Contra id, quòd corpora humana diaboli dicunt eſſe figmenta, & à dæmonibus in utero formari.*
IX. *Contra id, quòd filios repromiſſionis ex Spiritu ſancto dicunt eſſe conceptos.*
X. *Contra id, quòd animas in cæleſtibus peccare dicunt, & ſecundùm qualitatem peccati in hoc mundo accipere ſortem vel bonam vel malam.*
XI. *Contra id, quòd fatalibus ſtellis dicunt animas hominum obligatas.*
XII. *Contra id, quòd ſub aliis poteſtatibus partes animæ, ſub aliis corporis membra deſcribunt.*
XIII. *Contra id, quòd Scripturarum ſcientiam ſubvertunt,*
XIV. *Contra id, quòd duodecim ſigna, quæ Mathematici obſervant, per corpus omne diſtinguunt.*
XV. *De apocryphis eorumdem Priſcillianiſtarum.*
XVI *De libro Dictinii.*

Leo Epiſcopus Turibio Epiſcopo ſalutem.

74. QUAM laudabiliter pro Catholicæ Fidei veritate movearis, & quàm ſolicitè Dominico gregi devotionem officii paſtoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum [b] fraternitatis tuæ ſcripta demonſtrant: quibus notitiæ noſtræ inſinuare curâſti, qualis in regionibus veſtris de antiquæ peſtilentiæ reliquiis errorum morbus exarſerit. Nam & Epiſtolæ ſermo, & commonitorii ſeries, & libelli tui textus [c] eloquitur Priſcillianiſtarum [d] fœtidiſſimam apud vos recaluiſſe [e] ſentinam. Nihil eſt enim ſordium in quorumcumque ſenſibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit, quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem ſibi [f] fæculentiam commiſcuerunt: ut ſoli totum biberent, quicquid alii ex parte guſtâſſent.

[b] Pervincum eum nominat Idatius in Chronico.
[c] Al. demonſtrat.
[d] Al. fœdiſſimam.
[e] Al. Sententiam.
[f] Al. fæcem commiſcuerunt.

75. Denique, ſi univerſæ hæreſes, quæ ante Priſcilliani tempus exortæ ſunt, diligentiùs retractentur; nullus penè invenitur error de quo non traxerit impietas iſta contagium: quæ non contenta eorum recipere falſitates, qui ab Euangelio Chriſti ſub Chriſti nomine deviârunt, tenebris etiam paganitatis immerſit, ut per magicarum artium profana ſecreta, & Mathematicorum vana mendacia, religionis Fidem, morumque rationem in poteſtate dæmonum & in [g] affectu ſyderum collocarent. Quod ſi & credi liceat & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debebitur, omniaque non ſolùm humanarum legum, ſed etiam divinarum conſtitutionum decreta ſolventur: quia nec de bonis, nec de malis actibus ullum poterit eſſe judicium, ſi in utramque partem fatalis neceſſitas motum mentis impellit, & quicquid ab hominibus agitur, non eſt hominum, ſed aſtrorum.

[g] Al. effectu.

76. Ad hanc inſaniam pertinet prodigioſa illa totius humani corporis per duodecim cœli ſigna diſtin-

Gen. 1.

ſtinctio, nt diverſis partibus diverſæ præſideant poteſtates: & creatura, quam Deus ad imaginem ſuam fecit, in tanta ſit obligatione ſiderum, in quanta eſt connexione membrorum. Meritò Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egêre; ut impius furor ab univerſa Eccleſia pelleretur: qnando etiam mundi principes ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, ut auctorem ejus, ac plerosque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam ſolvi, ſimulque divinum jus humanumque ſubverti: ſi hnjuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet. Et profuit din iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati: quæ etſi ſacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones; ſeveris tamen Chriſtianorum principum conſtitutionibus adjuvatur: dum ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.

h Al. intercluſere.
i Al. Correpta.
k Al. Dilectio.
l Al. Sedecim.

77. Ex quo autem multas provincias hoſtilis occupavit irruptio, executionem legum tempeſtates h interdixêre bellorum; ex quo inter ſacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt eſſe conventus: invenit ob publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium ſubverſionem his malis eſt incitata, quibus debuit eſſe i correpta. Quæ verò illic aut quanta pars plebium à contagione peſtis hujus aliena eſt, ubi (ſicut k charitas tua indicat) lethali morbo etiam qnorundam Sacerdotum corda corrupta ſunt, & per qnos opprimenda falſitas, & defendenda veritas credebatur, per ipſos doctrinæ Priſcilliani Euangelium ſubditur Chriſti, ut ad profanos ſenſus pietate ſanctorum voluminum depravata, ſub nominibus Prophetarum & Apoſtolorum non hoc prædicetur, qnod Spiritus ſanctus docuit, ſed qnod diaboli miniſter inſeruit? Quia ergo dilectio tua fideli, quantùm potuit, diligentia, damnatas olim opiniones decem l & ſeptem capitulis comprehendit; nos quoque ſtrictim omnia retractamus, ne aliquid harum blaſphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.

I.

Aug. l. hæreſ. hær. 70. Conc. Bracar. 1. cap. 1.
a Al. procedit.
b Al. trin. unitatis. Ita Ms. Grim. cum exceſſi Mss. ecclesiarum unius mille & centum annorum ſeq. deitatis.

78. Primo itaque capitulo demonſtratur, quàm impiè ſentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unam atque eandem aſſerunt eſſe perſonam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur: nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque a proceſſit: ſed ſingularis unitas in tribus quidem vocabulis, ſed non tribus ſit accipienda perſonis. Quod blaſphemiæ genus de Sabellii opinione ſumpſerunt: cujus diſcipuli etiam Patri-paſſiani meritò nuncupantur: quia ſi ipſe eſt Filius qui & Pater; crux Filii Patris eſt paſſio; & quicquid in forma ſervi Filins Patri obediendo ſuſtinuit, totum in ſe Pater ipſe ſuſcepit. Quod Catholicæ Fidei ſine ambiguitate contrarium eſt: quæ Trinitatem b ſic homouſion confitetur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum ſine confuſione indiviſos, ſine tempore ſempiternos, ſine differentia credat æquales: quia unitatem in Trinitate non eâdem perſonâ, ſed eâdem implet eſſentiâ.

II.

Concil. Brac. 1. cap. 2.
c Al. ſui.

79. In ſecundo capitulo oſtenditur ineptum vanumque commentum, de proceſſionibus quarundam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas eſſentiâ c ſuâ ipſe præceſſerit; in quo Arianorum quoque ſuffragantur errori, dicentium, qnòd Pater prior Filio ſit, quia fuerit aliquando ſine Filio; & tunc Pater eſſe cœperit, quando Filium genuerit. Sed ſicut illos Catholica Eccleſia deteſtatur; ita & iſtos, qni putant unquam Deo id quod ejuſdem eſt eſſentiæ defuiſſe. Quem ſicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas eſt. Quàm enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.

III.

Brac. 1. cap. 5.
d Al. genitos.

80. Tertii verò capituli ſermo deſignat, quòd iidem impii aſſerant, ideo unigenitum dici Filium Dei, quia ſolus ſit natus ex Virgine. Quod utique non auderent dicere; niſi Pauli Samoſatani & Photini virus hauſiſſent: qui dixerunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum antequam naſceretur ex Virgine Maria, non fuiſſe. Si autem iſti aliud de ſuo ſenſu intelligi volunt, neque principium de matre dant Chriſto; aſſerant neceſſe eſt non unum eſſe Filium Dei, ſed alios quoque ex ſummo Patre d progenitos, quorum hic unus ſit natus ex fœmina, & ob hoc appelletur Unigenitus, quia hanc naſcendi conditionem alius filiorum Dei nemo ſuſceperit. Quaquà verſum igitur ſe contulerint, in magnæ tendunt impietatis abruptum, ſi Chriſtum Dominum vel ex matre volunt habere principium, vel Patris Dei unigenitum diffitentur: cùm & de matre is natus ſit, qui erat Deus Verbum, & de Patre nemo ſit genitus, præter Verbum.

IV.

Brac. 1. cap. 4. Joan. 1. 14. Vide hujus S. Leonis ſer. 2. in Natali Dom. cap. 5. ſer. 7. cap. 3. 4. 5. 6. Item in Epiphan. ſerm. 4. in fine cap. 4.
e Al. conſonantes.

81. Quarto autem capitulo continetur, quòd Natalem Chriſti, quem ſecundùm ſuſceptionem veri hominis Catholica Eccleſia veneratur, quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, non verè iſti honorent, ſed honorare ſe ſimulent: jejunantes eodem die, ſicut & die Dominico, qui eſt dies Reſurrectionis Chriſti. Quod ntique ideo facinnt, qnia Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per qnandam illuſionem oſtentata videri volnnt quæ vera non fuerint, ſequentes dogmata Cerdonis atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia e concordantes. Qui ſicut in noſtro examine detecti atque convicti ſunt, Dominicum diem, qnem nobis Salvatoris noſtri Reſurrectio conſecravit, exigunt in mœrore jejunii, Solis (nt proditum eſt) reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia ſint à noſtræ Fidei unitate diſcordes; & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatnr. Unde dignum eſt, ut inimici crucis Chriſti & Reſurrectionis, talem excipiant ſententiam, qualem elegerunt doctrinam.

Quin-

V.

82. Quinto capitulo refertur, quòd animam hominis divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec à natura Creatoris ſui, conditionis noſtræ diſtare naturam. Quam impietatem ex Philoſophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem, Catholica Fides damnat: ſciens nullam tam ſublimem, tamque præcipuam eſſe facturam, cui Deus ipſe natura ſit. Quod enim de ipſo eſt, idem eſt quod ipſe. Nec id aliud eſt, quàm Filius, & Spiritus ſanctus. Præter hanc autem ſummæ Trinitatis unam conſubſtantialem, & ſempiternam, atque incommutabilem deitatem, nihil omnium creaturarum eſt, quod non in exordio ſui ex nihilo creatum ſit. Non autem quicquid inter creaturas eminet, Deus eſt; nec ſi quid magnum eſt atque mirabile, hoc eſt quod ille, *qui facit mirabilia magna ſolus*. Nemo hominum veritas, nemo ſapientia, nemo juſtitia eſt: ſed multi participes ſunt veritatis, & ſapientiæ, atque juſtitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus eſt. De quo quicquid dignè utcumque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia eſſe illi quod eſt ſempiternum, ſemper eſt proprium. Unde in ſe manens innovat omnia, & nihil [e] accipit quod ipſe non [f] dedit. Nimiùm igitur ſuperbi, nimiùmque ſunt cæci, qui cùm dicant humanam animam divinæ eſſe ſubſtantiæ, non intelligunt, nihil ſe aliud dicere, quàm Deum eſſe mutabilem, & ipſum perpeti quicquid poteſt naturæ ejus inferri.

Brac. 1. cap. 5. Aug. De Hæreſ. hær. 70.
Pſal. 71. & 135.
e *Al.* accepit.
f *Al.* dederit.

VI.

83. Sexta adnotatio indicat eos dicere, quòd diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei ſit, ſed eum ex chao & tenebris emerſiſſe: quia ſcilicet nullum ſui habeat auctorem, ſed omnis mali ipſe ſit principium atque ſubſtantia: cùm Fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: quia Deus, qui univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum fecit. Unde & diabolus bonus eſſet, ſi in eo quod factus eſt, permaneret. Sed quia naturali excellentia malè uſus eſt, *& in veritate non ſtetit*, non in contrariam tranſiit ſubſtantiam, ſed à ſummo bono, cui debuit adhærere, deſcivit: ſicut ipſi qui talia aſſerunt, à veris in falſa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo ſpontè delinquunt, ac pro ſua voluntaria perverſitate damnantur. Quod utique in ipſis malum erit, & ipſum malum non erit ſubſtantia, ſed pœna ſubſtantiæ.

Aug. 16. Brac. 7. cap. 6.
Joan. 8.

VII.

84. Septimo loco ſequitur, quòd nuptias damnant, & procreationem naſcentium perhorreſcunt: in quo (ſicut penè in omnibus) cum Manichæorum profanitate concordant: ideò (ſicut ipſorum mores probant) conjugalem copulam deteſtantur, quia non eſt illic libertas turpitudinis, ubi pudor & matrimonii ſervatur, & [g] ſpes ſobolis.

Aug. Hæreſ. 70. Bracar. 1. cap. 11.
g *Al.* τὸ ſpes deeſt.

VIII.

85. Octavum ipſorum eſt, plaſmationem humanorum corporum diaboli dicere [h] eſſe figmentum, & ſemina conceptionum opera dæmonum in mulierum uteris figurari; propterea reſurrectionem carnis non eſſe credendam, quia concretio [i] corporis non ſit congruens animæ dignitati. Quæ falſitas ſine dubio opus diaboli eſt, & talia prodigia opinionum figmenta ſunt dæmonum, qui non in fœminarum ventribus formant homines, ſed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundiſſimum virus de Manichææ impietatis ſpecialiter fonte procedens, olim Fides Catholica deprehendit atque damnavit.

Brac. 1. cap. 12. Aug. hær. 70.
h *Al.* τὸ dicere ab eſt.
i *Al.* concreatio.

IX.

86. Nona autem annotatio manifeſtat, quòd filios promiſſionis, ex mulieribus quidem natos, ſed ex Spiritu ſancto dicunt eſſe conceptos, ne illa ſoboles quæ de carnis ſemine naſcitur, ad Dei conditionem pertinere videatur. Quod Catholicæ Fidei repugnans atque contrarium eſt, quæ omnem hominem in corporis animæque [k] ſubſtantiam à conditore univerſitatis formari, atque animari intra materna viſcera confitetur: manente quidem illo peccati mortalitatiſque contagio, quod in prolem à primo parente tranſcurrit; ſed regenerationis ſacramento ſubveniente, quo per Spiritum ſanctum promiſſionis Filii renaſcuntur, non in utero carnis, ſed in virtute baptiſmatis. Unde & David, qui utique erat promiſſionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me*. Et ad Hieremiam Dominus ait: *Priuſquam te formarem in utero novi te, & in vulva matris tuæ ſanctificavi te*.

k *Al.* ſubſiſtentia.
Pſal. 118. 73. Job. 10. 8.
Hierem. 1. 5.

X.

87. Decimo autem capitulo referuntur adſerere, animas, quæ humanis corporibus inſeruntur, fuiſſe [l] in corpore, & in cœleſti habitatione peccâſſe, atque ob hoc à ſublimibus ad inferiora delapſas, in diverſæ qualitatis principes incidiſſe, & per aërias ac ſidereas poteſtates, alias duriores, alias mitiores, corporibus eſſe [m] incluſas, ſorte diverſa, & conditione diſſimili, ut quicquid in hac vita variè & inæqualiter provenit, ex præcedentibus cauſſis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum ſibi erroribus texuerunt; ſed omnes eos Catholica Fides à corpore ſuæ unitatis abſcidit, conſtanter prædicans ac veraciter, quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, niſi ab opifice Deo, qui & ipſarum eſt Creator & corporum. Et quia per primi hominis prævaricationem tota humani generis propago vitiata ſit, neminem poſſe à conditione veteris hominis liberari, niſi per ſacramentum baptiſmatis Chriſti, in quo nulla eſt diſcretio renatorum, dicente Apoſtolo: *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina: omnes enim unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Quid ergo hîc agunt curſus ſiderum, quid figmenta fatorum, quid mundanarum rerum mobilis ſtatus, & inquieta diverſitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ hujus labo-

Aug. Hær. 70. Brac. 1. cap. 6.
l Sine corp. *alii*.
m *Al.* concluſas.
Galat. 3. 27.

labores, ſi fideles permanent, miſeri eſſe non poſſunt, Apoſtolicum illud in omni tentatione dicentes: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus ut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus in* [l] *eo, qui nos dilexit.* Et ideo Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis [m] corporalibus concupiſcit. Nec timet inani ſtrepitu fatorum gravari, quæ patientiâ tribulationum novit augeri.

Rom. 8. 35.
l Al. per eum.
m Al. temporalibus.

XI.

Aug. ſup. hær. 70. Brac. 1. cap. 9.

88. Undecima ipſorum blaſphemia eſt, qua fatalibus ſtellis & animas hominum, & corpora opinantur adſtringi, per quam amentiam, neceſſe eſt, ut omnibus paganorum erroribus implicati, & faventia ſibi (ut putant) ſidera colere, & adverſantia ſtudeant mitigare. Verùm iſta ſectantibus nullus in Eccleſia Catholica locus eſt: quoniam qui ſe talibus perſuaſionibus dedit, à Chriſti corpore totus abſceſſit.

XII.

Aug. & Brac. 1. ibid.

89. Duodecimum inter hæc illud eſt, quòd ſub aliis poteſtatibus partes animæ, ſub aliis corporis membra deſcribunt, & qualitates interiorum præſulum in Patriarcharum nominibus ſtatuunt, quibus è diverſo ſigna ſiderea, quorum virtuti corpora ſubjiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili ſe errore præpediunt, non audientes dicentem Apoſtolum: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Et iterum: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei.* Quid ergo opus eſt in cor admittere quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod Evangelii veritas non prædicavit, quod Apoſtolica doctrina non tradidit? Sed hæc [n] operta ſunt eorum mentibus, de quibus Apoſtolus dicit: *Erit enim tempus, quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Nihil itaque [o] nobiſcum commune habeant, qui talia audent vel docere vel credere, & quibuslibet modis nituntur adſtruere, quòd ſubſtantia carnis ab ſpe reſurrectionis aliena ſit, atque ita omne ſacramentum Incarnationis Chriſti reſolvunt: quia indignum fuit integrum hominem ſuſcipi, ſi indignum erat integrum liberari.

Coloſſ. 2. 8.
Coloſſ. 2. 18.
n Al. aperta.
2. Tim.
o Al. Vobiſcum.

XIII.

Aug. hær. 70. Brac. 1. cap. 17.

90. Tertiodecimo loco poſitum eſt eoſdem dicere, quòd omne corpus ſcripturarum canonicarum ſub Patriarcharum nominibus accipiendum ſit; quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, ſine qua ſcientia nullam animam poſſe aſſequi, ut in eam ſubſtantiam, de qua prodiit, reformetur. Sed hanc impiam vanitatem deſpectui habet Chriſtiana ſapientia, quæ novit veræ deitatis inviolabilem & inconvertibilem eſſe naturam: animam autem, ſive in corpore viventem, ſive à corpore ſeparatam, multis paſſionibus ſubjacere. Quæ utique ſi [p] divinæ eſſet eſſentiæ, nihil adverſi poſſet incidere. Et ideo ineffabiliter [q] aliud Creator eſt, aliud creatura. Ille enim ſemper idem eſt, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis eſt etiam non mutata; quia ut non mutetur, donatum poterit habere, non proprium.

p Al. ſi de divina eſſet eſſentia.
q Al. incomparabiliter.

XIV.

Brac. 1. cap. 8. & 1. Aug. hær. 70.

91. Sub quartodecimo verò capitulo, de ſtatu corporis ſentire dicuntur, quòd ſub poteſtate ſiderum atque ſignorum pro terrena qualitate teneatur; & ideo multa in ſanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiri, ut in ipſis Scripturis inter divinam terrenamque naturam, quædam ſibi repugnet adverſitas, & aliud ſit quod ſibi vindicent animæ præſules, aliud quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo diſſeruntur, ut & anima divinæ affirmetur eſſe ſubſtantiæ, & caro credatur malæ eſſe naturæ: quoniam & ipſum mundum cum elementis ſuis non opus Dei boni, ſed conditionem mali profitentur auctoris: atque ut hæc mendaciorum ſuorum ſacrilegia bonis titulis colorarent, omnia penè divina eloquia ſenſuum nefandorum immiſſione violârunt.

XV.

Aug. hær. 70. Brac. 1. cap. 17.

92. De qua re quintidecimi capituli ſermo conqueritur, & præſumptionem diabolicam meritò deteſtatur: quia & nos iſtud veracium teſtium relatione comperimus, & multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titularentur, invenimus. Quomodo enim decipere ſimplices poſſent, niſi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne uſquequaque ſentirentur inſuavia, quæ eſſent futura mortifera? Curandum ergo eſt, & ſacerdotali diligentia maximè providendum, ut falſati codices, & à ſincera veritate diſcordes, in nullo uſu lectionis habeantur. Apocryphæ autem ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm [r] interdicendæ; ſed etiam penitùs auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis; nunquam tamen vacua ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione ſeductos, laqueis cujuſcumque erroris involvant. Unde ſi quis Epiſcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub Canonicorum nomine eos codices in Eccleſia permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione [s] corrupti; hæreticum ſe noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, ſe ipſum errare demonſtrat.

r Al. intercidendæ.
s Al. vitiati.

XVI.

Aug. & Brac. 1. ibid.
t Al. Dictinii.

93. Poſtremo autem capitulo hoc prodidit juſta querimonia, quòd [t] Dictinii tractatus, quos ſecun-

ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, à multis cum veneratione legerentur: cùm ſi aliquid memoriæ [n] Dicticinii tribuendum putant, reparationem ejus magis debeant amare quàm lapſum. Non ergo [x] Dicticinium, ſed Priſcillianum legunt, & illud probant quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impunè præſumat, nec inter Catholicos cenſeatur quiſquis utitur [y] ſcripturis, non ab Eccleſia ſolummodo Catholica, ſed etiam à ſuo auctore damnatis. Non ſit perverſis liberum ſimulare quod fingunt, nec ſub velamine nominis Chriſtiani decretorum Imperialium ſtatuta declinent. Ideo enim ad Eccleſiam Catholicam cum tanta cordis diverſitate conveniunt, ut & quos poſſunt ſuos faciant, & legum ſeveritatem, dum ſe noſtros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priſcillianiſtæ, faciunt hoc Manichæi, quorum cum iſtis tam fœderata ſunt corda, ut ſolis nominibus diſcreti, ſacrilegiis autem ſuis inveniantur uniti: quia etſi Vetus Teſtamentum, quod iſti ſe ſuſcipere ſimulant, Manichæi refutant, ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio, cùm quod iſti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant. In exſecrabilibus autem myſteriis eorum, quæ quantò immundiora ſunt, tantò diligentiùs occultantur, unum prorſus nefas eſt, una eſt obſcœnitas, & ſimilis turpitudo. Quam etſi eloqui erubeſcimus, ſolicitiſſimis tamen inquiſitionibus indagatam, & Manichæorum qui comprehenſi [*] ſunt, confeſſionibus detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam: ne ullo modo poſſit dubium videri, quod in judicio noſtro, cui non ſolùm frequentiſſima præſentia Sacerdotum, ſed etiam illuſtrium virorum, dignitas, & pars quædam Senatus ac plebis interfuit, ipſorum qui omne facinus perpetrârant, ore reſeratum eſt; ſicut ea quæ ad dilectionem tuam nunc diximus, geſta demonſtrant.

n *Al.* Dictinii.
x *Al.* Dictinium.
y *Al.* ſcriptis.
* *Al.* fuerant, confeſſione d.

94. Quod autem de Manichæorum fœdiſſimo ſcelere, hoc etiam de Priſcillianiſtarum inceſtiſſima conſuetudine olim compertum, multumque vulgatum eſt. Qui enim per omnia ſunt impietate ſenſuum pares, non poſſunt in ſacris ſuis eſſe diſſimiles. Decurſis itaque omnibus, quæ libelli ſeries comprehendit, & à quibus commonitorii forma non diſcrepat; ſufficienter (ut opinor) oſtendimus, quid de his quæ ad nos fraternitas tua retulit, cenſeamus; & quàm non ſit ferendum, ſi tam profanis erroribus etiam quorundam Sacerdotum corda conſentiunt, vel (ut mitiùs dixerim) non reſiſtunt. Quâ conſcientiâ honorem ſibi debitum [z] vindicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Beſtiæ irruunt, & ovium ſepta non claudunt, fures inſidiantur, & excubias non prætendunt, morbi crebreſcunt, & remedia nulla proſpiciunt. Cùm autem etiam illud addunt, ut his, qui ſolicitiùs agunt, conſentire detrectent, & impietates, olim toto orbe damnatas, [a] ſubſcriptionibus ſuis ſe anathematizare diſſimulent: quid de ſe intelligi volunt, niſi quòd de numero fratrum non ſunt, ſed de parte hoſtium.

z *Al.* præſtitum.
a *Al.* Subſcriptionibus ſuis, *dele ex Ms. Thuan. & Grim.*

XVII.

95. In eo verò, quod extrema familiaris Epiſtolæ tuæ parte poſuiſti, miror cujuſquam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum ſit, an deſcendente ad inferna Chriſto, caro ejus requieverit in ſepulchro: quæ ſicut verè & mortua eſt & ſepulta, ita verè eſt die tertio reſuſcitata. Hoc enim & ipſe Dominus denunciaverat, dicens ad Judæos: *Solvite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud.* Ubi Euangeliſta ſubjungit: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Cujus rei veritatem etiam David Propheta prædixerat, loquens ſub perſona Domini Salvatoris, & dicens: *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quibus utique verbis manifeſtum eſt, quòd caro Domini & verè ſepulta requievit, & corruptionem non ſubiit: quia celeriter vivificata reditu animæ reſurrexit: quod non credere ſatis impium eſt, & ad Manichæi Priſcillianique doctrinam pertinere non dubium eſt: qui ſacrilego ſenſu ita ſe Chriſtum ſimulant confiteri, ut Incarnationis, & mortis, & reſurrectionis auferant veritatem.

Joan. 2. 19.
Ibid. 21.
Pſal. 15. 9.

96. Habeatur ergo inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus ſit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes: ut ſecundum ea, quæ ad tua conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine, an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui hujus hæreſeos contagio polluantur: à communione ſine dubio ſeparandi, ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum eſt, ut qui prædicandæ Fidei ſuſcepit officium, is contra Euangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra univerſalis Eccleſiæ Symbolum audeat diſputare. Quales illic erunt diſcipuli, ubi tales docebunt magiſtri? Quæ illic religio populi, quæ ſalus plebis, ubi contra humanam ſocietatem pudoris ſciſſi verecundia [b] tollitur, conjugiorum fœdera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem veri Dei cultum Trinitas deitatis negatur [c], perſonarum proprietas confunditur, anima hominis divina eſſentia prædicatur [d], & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur, Dei Filius per id quòd ex Virgine ortus, non per id quòd ex Patre natus eſt, Unigenitus prædicatur, idemque nec vera Dei proles, nec verus Filius [e] Virginis aſſeritur, ut per falſam Paſſionem mortemque non veram mendax etiam reſurrectio reſumptæ de ſepulchro carnis habeatur? Fruſtra autem utuntur Catholico nomine, qui iſtis impietatibus non reſiſtunt. Poſſunt hæc credere, qui poſſunt talia patienter audire.

b *Codd. Mss. ſeptem cum ed. Nicolini & Surii* pudoris ſanctitas tull. *Nos autem juxta Ms. Grim. excluſimus.*
c *Al.* damnatur, verus Dei cultus interdicitur. *Mss. tres, & ed. ad marg.*

97. Dedimus itaque literas ad fratres & Coëpiſcopos noſtros Terraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium Synodi Generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſolicitudinem pertinebit, ut noſtræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum Epiſcopos deferatur. Si autem aliquid (quod abſit) obſtiterit, quominùs poſſit celebrari Generale Concilium; Galliciæ ſaltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus [f] congregatis fratres noſtri Idatius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quo citiùs vel Provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur. Data XII. Kal. Auguſti, Alypio & Ardabure viris clariſſimis Conſulibus.

d *Al.* animabus humanis divina eſſentia datur. *Mss. quatuor.*
e *Al.* verus Virginis partus.
f *Al.* congregandis.

NOTÆ VARIORUM.

98. LEO *Epiſcopus Turibio Epiſcopo ſalutem.*] Laudat Leo impenſè zelum ac ſolertiam Turibii pro religione Catholica adverſus exſecrandas Priſcillianiſtarum hæreſes. Sed cujus Turibii? Certè non cujuslibet, ſed Epiſcopi; nec qualiſcumque Eccleſiæ, ſed Aſturicenſis. Hic, nimirum, inter alios ejuſdem nominis celebres in Hiſpania (de quibus mox) videtur ille ipſe, qui plurimum ac diu peregrinatus fuerat extra Hiſpaniam, præſertim in Oriente, & inde attulerat pretioſiſſimas reliquias, quarum multæ, ac præſertim inſignis pars ligni Crucis, uſque hodie ſervantur in Monaſterio nominis ejus celebri prope Aſtures, vulgò *Santo Toribio de Liebana*. Hic videtur pariter qui rediens ex Oriente per Urbem, notus admodùm & acceptus creditur fuiſſe S. Pontifici Leoni, quique poſtea regreſſus in Hiſpaniam, & electus Epiſcopus Aſturicenſis, eundem Pontificem certiorem reddidit hæreſum, quas ibidem ex orco ſuſcitatas notavit. Hic eſt cui Leo earundem exſtirpationem in hac Epiſtola commendat, indicto Generali Concilio omnium Epiſcoporum Hiſpaniæ; & ſi omnes ii congregari nequeant ſimul, proponit unum aliquod celebrandum in provincia Gallæciæ ſub Balconio Metropolitano Bracarenſi. Hic denique eſt, de quo ad diem decimam ſextam Aprilis ſacram memoriam agit, non modò Aſturicenſis Eccleſia, ſed etiam Burgenſis, Palentina, Segobienſis, & Seguntina, aliæque: ut teſtatur Ambroſius de Morales lib. 11. *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, cap. 26. Lege Bollandianos in *Actis Sanctorum*, 16. Aprilis, ubi plurima de illo Tomo II. pag. 421. & ſeqq.

99. Floruit hoc eodem tempore Turibius notarius Sedis Apoſtolicæ, per quem S. Leo miſit Epiſtolam hanc ad alterum Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, ut tradit Morales, impugnatus à D. Cardinale Baronio, ſed defenſus à Queſnelio. Nimirum, cùm ex Interlocutione Concilii I. Bracarenſis conſtet, S. Leonem Papam tres Epiſtolas ſcripſiſſe ad reprimendam Priſcillianiſtarum ſectam in Hiſpania, eaſque non ſimul ſcriptas fuiſſe conſtet, ſed ſucceſſivè; locus fuit ut literis Turibii Epiſcopi Aſturicenſis denunciantis eaſdem hæreſes per diaconum ſuum Pervincum, ut habet Idatius, reſponderet Leo, & per manus ipſius mitteret reſponſum, quo hortabatur ad Concilium Generale in Hiſpania celebrandum. Cùm verò difficultas ingens in eo congregando occurreret, opus fuit ut Leo iterum ſcriberet ad Epiſcopos Hiſpaniæ circa modum habendum ſeparatim, tum apud quatuor provincias, tum apud Metropolim Gallæciæ, miſsâ hac poſteriori Epiſtola per alterum Turibium Sedis Apoſtolicæ notarium, ac veluti ex ipſius latere.

100. Tertius poſtea Turibius fuit, memoratus à S. Ildephonſo libro *De viris illuſtribus*, ubi agit de Montano Præſule Toletano, qui ad illum profeſſione monachum ſcribit, ac laudat, quòd idola & gentium ſacrificia evertiſſet. Hic Turibius fuit octoginta circiter annis poſterior illo alio Epiſcopo Aſturicenſi, ad quem ſcribit Leo. Mitto alium quartum longè poſteriorem, tempore Alphonſi Regis Hiſpaniæ cognomento *Caſti*, de quo multi dubitant, & qui extra ſcopum noſtrum eſt. Mitto etiam quàm multa & varia legantur involuta de hiſce Turibiis, & qualiter unius vel alterius illorum acta cum geſtis alterius involvantur: uti obſervat laudatus Morales. Porrò Epiſtola Leonis præſens data ponitur 12. Kal. Aug. Alypio & Ardabure VV. CCl. Coſs. Pontificatûs Leonis anno VIII. hoc eſt Erâ, non CDXCV. ut malè habetur apud Bollandianos, ſed CDLXXXV. ideſt, anno Chriſti CDXLVII. in quo omnes videntur convenire. CARD. DE AGUIRRE.

101. *Epiſtola ſermo, & commonitorii ſeries, & libelli tui textus.*] Tria manifeſtè diſtinguit, Epiſtolam, commonitorium, & libellum. *Epiſtolam* familiarem appellat ipſe cap. 17. *Commonitorium*, quod nos vulgò *memoriale* dicimus, ſcriptum illud eſt ſexdecim capitulis comprehenſum, quod damnatas olim Priſcillianiſtarum opiniones continebat, cuique totidem capitibus reſpondet hac Epiſtola S. Leo. *Libellus* denique, aliud à priori ſcripti genus eſt. *Libros* vocat additio ad Iſidori librum *De viris illuſtribus* ſuperiùs laudata, *quibus eadem Priſcillianorum hæreſis deteſtata, convicta, atque decenter abdicata* fuiſſe ibidem dicitur. De eodem libello intelligenda videntur quæ habet Montanus Epiſcopus Toletanus in Epiſtola ad Palentinos Concil. Toletano II. annexa: *Hunc* (inquit) *Priſcillianum talem fuiſſe pleniùs diſcet, qui beatiſſimi ac religioſiſſimi viri Theoribii Epiſcopi ad ſanctum Papam urbis Romæ Leonem libros editos legit. In quibus hanc ſordidam hæreſim explanavit, aperuit, & occultam tenebris ſuis, perfidiæque nube velatam, in propatulo miſit. Ex ipſis etenim libris qualiter cavere, quid reſpondere contra ſacrilegos poſſit, pius lector inveniet.*

102. *Priſcillianiſtarum fœdiſſimam apud vos recaluiſſe ſentinam.*] Hæc ex Auguſtino libro *De hæreſibus* ad Quod-vult-Deum Hæreſi LXXIX. mutuatus eſſe videtur S. Leo. Hujus turpiſſimæ ſectæ cunabula & progreſſus qui ſcire volet, adeat Sulpicium Severum lib. 2. *Hiſtoriæ* in fine. Videat etiam Hieronymum in Daniel. cap. 40. & ad Cteſiphontem *Contra Pelagianos*. Idatii Chronic. Olymp. CCXCI. Concil. Toletan. I. & Bracar. I. De hac hæreſi nihil apud Epiphanium, qui ſe eam à Gnoſticorum, Manichæorum, aliorumque ſectis, quibus cum pleraque habebant Priſcillianiſtæ communia, non diſtinxit. Eſt & apud Auguſtin. To. VI. conſultatio Oroſii Hiſpani ad ipſum, & Auguſtini ad Oroſium reſponſio, ſeu liber adverſùs Priſcillianiſtas & Origeniſtas. Superiorem lectionem *fœtidiſſimam ſentinam* exhibent omnes excuſi Codices, & aliquot Mss. Pleriqueque tamen *ſen-*

ten-

ſententiam; Corbejenſes duo, Cantabrig. Thuan. I. Ita & Grimanic. ſed alio atramento correctum, etſi eâdem, ut puto, mano: priùs enim *ſentinam* legebatur. Pro *fœdiſſimam* quoqoe manu & atramento iiſdem repoſitum *fœtidiſſimam*, quod & Corbejen. I. habet & Thuan. I. QUESNELIUS.

103. *Meritò patres noſtri*, &c.] Laudat Leo Epiſcopos illos, qui hæreſes Priſcilliani recèns ortas, ac diſſeminari cœptas in Hiſpania & Gallia extingoere curârunt, & ab Eccleſia penitùs relegare. Primus, aut unus è præcipuis, videtur fuiſſe Hyginus Præſul Cordubenſis, de quo Sulpicius lib. 2. *Hiſtoriæ*. inquit: *Hyginus Cordubenſis Epiſcopus è vicino agens, ad Idatium cognomento Clarum, Emeritæ civitatis ſacerdotem, refert*. Similiter & Idatius hic (certè longè alius ab Idatio Lemiceuſi auctore Chronici & Faſtorum Conſularium) laudatur à S. Iſidoro libro *De viris illuſtribus*, ob eandem cauſſam, obi loquit: *Idatius Hiſpaniarum Epiſcopus, cognomento & eloquio Clarus, ſcripſit quendam librum ſub Apologetici ſpecie: in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata, & maleficiorum ejus artes, libidinumq; ejus probra demonſtrat; oſtendens, Marcum quendam Memphiticum, magiæ ſcientiſſimum, Niamis & Priſcilliani magiſtrum*.

104. Non tamen propterea laudat Leo Epiſcopos illos, qui indiſcreto zelo, aut nimio ardore abducti, caoſſam illam dogmatum Fidei, ſpectantem ad ſolum tribunal Eccleſiaſticum, detuleruot ad judices ſæculares, occaſionemq́ue dederuot ut longè graviùs, ac tandem pœnâ ſanguinis in Priſcillianum & ſeqoaces animadverterètur. Quamobrem inter alios, aut præ aliis, malè audivit Ithacius ille Epiſcopus, qui ſeptimo loco ſubſcribit in Concilio Cæſaraugoſtaoo contra eoſdem celebrato: ot proinde de illo dixerit Sulpicius. *Certè Ithacium nihil penſi, nihil ſancti habuiſſe definit. Fuit enim audax, loquax, impudens, præſumptuoſus*. Differt autem ille plorimum ab utroque Idatio prædicto: qoorum aotiquior in eodem Concilio ſubſcribit loco poſtremo, ideſt, duodecimo: recentior autem longè poſtea floruit, tempore Sancti Leonis, & ab ipſo memoratur in hac Epiſtola. CARDINALIS DE AGUIRRE.

105. *Ut Auctorem ejus cum pleriſque diſcipulis legum publicarum enſe proſternerent mundi Principes.*] *Quid loquar de Priſcilliano* (inquit Hieronymus ad Cteſiphontem adverſùs Pelagium ſcribens) *qui & ſæculi gladio, & totius Orbis auctoritate damnatus eſt?* Idem habes apud Sulpiciom Severum. Sed neqoe hic, neque ille, neque quiſquam alius ſanctorum Patrum, qui illo Priſcilliani ævo vixerunt, cruenta hujuſmodi conſilia ita approbârunt. Sanctus enim Martinus omoi ſtudio egit apud Maximum, ot ſanguine infelicium abſtineret, non deſioens increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret; novum & inauditum nefas afferens, ut cauſſam Eccleſiæ judex ſæculi judicaret: ſatis ſuperq́ue ſufficere, ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur. Severus ipſe, qui hæc refert lib. 2. *Hiſtor.* Priſcillianiſtas parum ſanis conſiliis, pertinacibus ſtudiis, peſſimo exemplo necatos, aot exſiliis multatos eſſe teſtatur, Ithaciumq́ue eam ob rem, & Coepiſcoporum communione, & Epiſcopatu fuiſſe privatom, oon eſt qui neſciat.

106. Quæ cauſſa fuit, ut Hierooymus in *Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum* Priſcilliani necem, factiooi Hylatii (fortè Hydatii) & Ithacii tribuat. Quo tamen loco, ut verum fatear, valdè ſuſpicor depravatum eſſe & interpolatum hunc Hieronymi librum; illudq́ue omne, quod de Priſcilliano habet, ab aliquo ejus aſſecla olim eſſe inſertum. Vix eoim conciliare poſſis quæ alibi habet, ſeu ad Cteſiphontem contra Pelagium ſcribens, ſeu Danielem commentans, cum his quæ in iſto Catalogo leguotur de Priſcilliano. Hîc enim Abilæ eum Epiſcopum vocat; cùm à paucis diſcipulis ſuis Epiſcopus ibidem conſtitutus, ouoquam pro Epiſcopo habitus ſit à Catholicis, nunquam Epiſcopus nominatus, ouoquam ut talis accuſatus vel damoatus reperiatur. Nullam præterea ei ootam affingit, nec hæreticum appellat: è contrà verò ejus accuſatores Epiſcopos, ne Epiſcopos quidem nominat, ſed potiùs ut homines factioſos iofamat. Deniqoe inſignem hæreſiarcham, ſeu potiùs omnium hæreſum antiquarum inſtauratorem, ſatis habet, ſi ſparſis rumoribus hæreſeos à nonnullis accuſatom eſſe judicet, à pluribus eundem ſimul defeoſum ita aſſerens, ut in quam partem ſeſe inclinet, lector meritò anceps remanere cogatur: *Hic* (inquit) *uſque hodie à nonnullis Gnoſticæ, ideſt Baſilidis & Marcionis, de quibus Irenæus ſcripſit, hæreſeos ac uſatur, defendentibus aliis, non ita eum ſenſiſſe ut arguitur*. Ita anno Theodoſii XIV. ideſt, Chriſti CCCXCII. ſcribit Hieronymus, vir nihil eorum quæ in Eccleſia gerebantur, ignarus, poſt Cæſarauguſtanam Synodum, poſt Burdigaleoſem, poſt *damnatum totius Orbis* (ot ait ipſe) *auctoritate* Priſcillianom, poſt Damaſi, cui ipſe aderat, repulſam talem, ut ne in conſpectu quidem Pontificis admiſſi ſiot Priſcillianus & ſocii ſe illi purgare cupientes. Quin & libro citato ad Cteſiphontem, Priſcilliaoum vocat *partem Manichæi*: aſſerit eum habere *partem Gnoſticæ hæreſeos de Baſilidis impietate venientem*. & ibidem ac alibi adversùs ejus turpitudinem ſtylum acriter exerit. QUESNELIUS.

107. *Profuit iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati*, &c.] Satis indicat Leo, quantum utilitatis attulerit diſtrictio brachii ſæcularis erga Priſcillianum & ſequaces ultore gladio: qooniam ſi viverent ii ſceleſtiſſimi homines, omnia divina & humana jura convellerent. Itaque licèt Eccleſiaſtica & Sacerdotalis lenitas fugiat omnioo cruentas ultiones; profuit ipſi ſeveritas Chriſtianorum Priocipum: qui cæde quibuſdam ioflictâ, aliis intentatâ aut indictâ, niſi reſipiſcerent, gladio ſæculari jugulârunt hæreſim illam jam exortam, & prohibuerunt ut reſurgeret poſtea, ſaltem eo impetu ac vi, quà per Hiſpaniam ac Galliam graſſari cœperat. Itaque vel ex ipſo imprudenti ac nimio zelo Ithacii, ac quorundam aliorum ex Catholicis, deferentium eam cauſſam ad tribunal ſæculare Maximi, veriùs tyranni quàm Imperatoris, occaſio data eſt utilitatis magnæ ac ſpiritualis boni Eccleſiæ Catholicæ, per exſtirpationem hæreticorum. CARDINALIS DE AGUIRRE.

110. Se-

108. *Sedecim capitulis.*] Ita Mſs. Codices Thuan. quatuor, Corb. duo Trecopith. Cantabrig. Herovallianus Iſidori Mercatoris: editiones Crabbi, Caniſii, Sichardi, Nicolini, Surii, &c. & rectè quidem: revera enim ſedecim tantùm capitula reperiuntur; vulgò tamen excuſa legunt *Decem & ſeptem capitulis*: quibus Griman. Ms. ſuffragatur.

109. Notatu porrò dignum eſt, ex ſedecim horum Leonis capitum, ſeu reſponſionum, non modò ſententiis, ſed & ipſis verbis, conflata ferè eſſe illa capitula, quæ à Concilio Bracarenſi I. condita ſunt ad clariorem Catholicæ veritatis expoſitionem. Relectis enim approbatiſque, tam Regulâ Fidei, quàm ſubjectis capitulis, quæ edita olim fuerant à Concilio Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitanæ, & Bæticæ provinciarum ex ſuggeſtione Leonis coacto; viſum eſt illis Bracarenſis Synodi Patribus, aliqua etiam proponere capitula, quæ ut magis ſimplicia evidentiaque à minùs eruditis intelligi facilè poſſent. Quod aptiùs à ſe præſtari non poſſe exiſtimârunt, quàm ſi Leonis reſponſa directa olim ad Turibium ob oculos ſibi ponerent, & in compendium miſſa, ſub anathematis pœna ſuſcipienda populis præciperent. Quod feliciter quidem impletum eſt, ut legenti liquidò apparebit. Nullum enim ferè verbum eſt, quòd à Leone non ſint mutuati: nulla Leonis capitula, quæ ſuis non comprehenderint. Priores enim quinque Concilii articuli, quinque prioribus Leonis capitibus ex ordine reſpondent; alii cum aliis, etſi nec ordine ſervato eodem, nec numero, omnino conveniunt. Unicum eſt Leonis capitulum, quod illi intactum reliquerunt; nonum videlicet, quo refellitur Priſcillianiſtarum ſententia dicentium, *Filios promiſſionis ex mulieribus quidem natos, ſed ex Spiritu ſancto eſſe conceptos.* Quam ideo prætermiſerunt, vel quia talia non ſentire Priſcillianiſtas ſuo tempore animadverterunt, vel quia ambigua illa propoſitio Catholico ſenſu defendi poterat, ſi de ſolo regenerationis ſacramento intelligeretur, quo fortè defendebatur ab illis hæreticis: nec enim omnia hæreticorum dicta hæretica ſunt. Quesnelius.

AD CAPUT I.

110. *Patri-paſſiani meritò nuncupantur.*] Ita diſcipulos Sabellii appellatos obſervat Leo, & longè antea Cyprianus Epiſt. LXXIII. ſicut & Marius Victorinus lib. 1. contra Arium. Quin & ante Sabellii tempus eâdem appellatione notari potuerunt, quicumque ex ſecta Cataphrygaſtarum, (qui Cata-Æſchinen dicebantur, teſte Tertulliano cap. ult. *De præſcriptionibus*) dixerunt, *Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem.* Et ſub finem inquit de Praxea: *Hic Deum Patrem omnipotentem JESUM-CHRISTUM eſſe dixit: hunc crucifixum paſſumque contendit, mortuum præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam, cum profana & ſacrilega temeritate contendit.* Denique adhuc antea, Valentinus antiquiſſimus hæreticus, contenderat, teſte Athanaſio, totam Trinitatem fuiſſe paſſam. Hos itaque errones negantes veram diſtinctionem perſonarum, & eandem reipſa perſonam Patris ac Filii aſſerentes, imitabantur Priſcillianiſtæ.

AD CAPUT IV.

111. *Quòd jejunent Natali Domini, & die Dominica.*] Hæc ipſa Priſcillianiſtarum ſuperſtitio jam ſuprà damnata fuerat in Concilio Cæſarauguſtano contra illos coacto, cap. II. Vide ibidem in Notis.

AD CAPUT V.

112. *Quòd animam hominis divinæ aſſerunt eſſe ſubſtantiæ.*] Jure monet Leo, hoc delirium ſumptum fuiſſe ex opinione quorundam Philoſophorum ita ſentientium, quos denſa manu allegavi Diſp. LXXV. & LXXIX. *De anima*, ubi invenies verba Mercurii Triſmegiſti, Laërtii, Ciceronis, Plutarchi, aliorumque; & Manichæorum ac Marcioniſtarum ajentium, Deum eſſe Univerſi animam, hujus verò partes, animas noſtrûm ſingulas. Quin & apud Philonem lib. *Quod deterius*, &c. dicitur, τὸν νοῦν ἀνθρώπινον εἶναι τῆς θείας καὶ εὐδαίμονος ψυχῆς ἀπόσπασμα, οὐ διαιρετόν. *mentem humanam eſſe divinæ & beatæ animæ particulam, ſed indiviſibilem.* Plures horum errorum & ſimilium, variis locis rejecimus. Nunc ſufficiat audire & conſiderare doctiſſimam iſtam S. Leonis Epiſtolam. Cardinalis de Aguirre.

AD CAPUT VI.

113. *Sed omnis mali ipſe ſit principium atque ſubſtantia.*] Ita omnes Codices, exceptis Thuaneo uno, qui habet: *Omnibus malis ipſe ſit*, &c. & Griman. in quo ſic legitur: *Sed omnibus ipſe ſit principium atque ſubſtantia*, &c. quam lectionem confirmare videtur S. Auguſtinus, qui libro *De hæreſibus*, ad Quod-vult-Deum cap. 70. inter Priſcillianiſtarum dogmata hoc recenſet: quòd *à maligno Principe iſtum mundum factum fuiſſe* (aſſerunt) *& opificium omnis carnis non Deo bono & vero, ſed malignis angelis tribuunt.* Judicet lector, & eligat.

114. *Sine corpore.*] Ita è Thuaneis Codicibus unicus cum Trecopithœano, quem ex illo tranſcriptum dixeris, ita in omnibus ei concinit: ita etiam Herovallianus Iſidori Mercat. Cod. Ms. Cæteri, tam exarati manu quàm excuſi, etiam Iſidorianæ Merlini Collectionis, habent: *In corpore.* Sed huic lectioni priorem, quam repoſuimus, anteponendam eſſe nemo eſt qui non intelligat, tam ex ſermonis contextu, quo animas corporibus poſtmodùm incluſas fuiſſe à dæmonibus aſſerit, quàm ex Auguſtini verbis *De hæreſibus* cap. 70. quæ auctori noſtro ob oculos fuiſſe, & ſenſus, & verborum ſimilitudo arguunt. *Hi* (inquit) *animas dicunt ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum per ſeptem cœlos, & per quoſdam gradatim deſcendere principatus, & in malignum Principem incurrere, à quo iſtum mundum factum volunt, atque ab hoc Principe per diverſa carnis corpora ſeminari.*

AD

AD CAPUT XVI.

115. *Dictinii tractatus.*] Dictinium fuiſſe ajunt Aſturicenſem Epiſcopum, in cujus decedentis locum Turibius ipſe, cujus Epiſtolam in manibus habemus, fuerit ſubrogatus. Hunc Patrem habuiſſe Symphoſium, ſeu Sympoſium, Epiſcopum, indicat Dictinii ipſius Profeſſio Fidei in Toletano I. emiſſa in hunc modum: *Sequor ſententiam Domini mei, & patris mei, & genitoris, & Doctoris mei Symphoſii*. Ab eodem porrò Priſcillianæ hæreſis venenum hauſit, à quo & vitam. De qua hæreſi inſamatus uterque fuit in Cæſarauguſtana Synodo anni CCCLXXXI. adverſus Priſcillianum congregata: cujus judicium declinâſſe dicitur Symphoſius in ſententia Toletanæ I. Synodo ſe ſubducens. Unde poſtmodom cùm pacem ſibi reddi cum aliis poſtularet, vix obtinuit ut audiretur, niſi interceſſiſſet literis ſuis S. Ambroſius, tam pro Symphoſio Epiſcopo & Dictinio presbytero, quàm pro cæteris de eodem errore accuſatis: qui Mediolanum ſe contuliſſe videntur, ut apud S. Ambroſium de reconciliatione ſua agerent, cùm eo præſente & audiente, ſibi ipſi certas pacis conditiones impoſuiſſe dicantur, inter quas hæc una erat: ut Dictinius *bonæ pacis locum teneret presbyterii, non acciperet honoris augmentum*. altera verò, ut quod perperam egerant, ipſi damnarent. Neutrum præſtiterunt. Nam & in ſua ſententia diù perſeveraverunt, & Dictinium Symphoſius Epiſcopum conſecravit. De quibus ut rationem redderent, evocati ab Hiſpaniarum Epiſcopis ad Concilium Tuletanum, eidem ſe præſentes ſiſtere renuerunt, ejuſque ſubterfugerunt judicium; donec ad ſaniorem mentem reverſi, alteri huic Toletano anni CD. ſe repræſentârunt, in quo & pravos omnes ſenſus abjecère, & ultrò damnavère Priſcillianum cum ſcriptis ejus. Cujus Concilii indulgentiâ in ſede uterque ſua conſiſtere permiſſus eſt; ſuſpenſa tamen communione, prius eis non impertienda, quàm in Romani & Mediolanenſis Pontificum communionem recepti eſſe per illorum literas probarentur; inde *exſpectantes communionem, unde prius ſpem futuræ pacis acceperant*. Interim tamen ab Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordinandorum facultate removentur. QUESNELIUS.

116. Veram autem fuiſſe tandem converſionem & retractationem Dictinii, ſatis indicat Sanctus Leo in hoc cap. XVI. & à priſcis ſæculis creditum eſt, præſertim in Eccleſia Aſturicenſi, ubi quotannis ejus memoria ſacra agitur menſe Septembri. In lectionibus divini Officii dicitur natione Græcus; & multæ illius virtutes commendantur. Exſtat in chartophylacio ejus Eccleſiæ Cathedralis ſcriptura vetus an. Chr. CMXXV. in qua Fortis Epiſcopus Aſturicenſis laudat maximè Dictinium multis antè ſæculis vitâ functum. Permanet quoque ibidem ingens marmor ſepulchrale Nonni Epiſcopi, in quo fit honorifica Dictinii mentio hiſce verbis apud Moralem lib. 11. cap. 5.

IN NOMINE D. N. JESU CHRISTI INTRO HOC TUMULUM REQUIESCIT FAMULUS DEI NONNUS EPISCOPUS. REQUIEVIT IN PACE SUB DIE . . . . SI QUIS EPISCOPUS R. PRÆCESSOR VEL ACTOR CUJUSQUE VASUM ISTUM IN QUO JACEMUS AUT CORPUSCOLUM NOSTRUM AB HINC TOLLERE AUT COMMOVERE VOLUERIT ANATHEMA SIT ET ANTE TRIBUNAL CHRISTI SANCTO DICTINIO EPISCOPO ET CONFESSORE SUO CUJUS NOS PARIETIBUS MANU SUA FACTIS VEL UMBRACULIS TEGIMUR JUDICIO CONTENDAT ET DATAN ET ABIRON QUOS TERRA VIVOS ABSORBUIT PARTEM RECIPIAT ET CUM JUDA TRADITORE SORTIATUR ET TENDAT AC TREMENDO JUDICII DIE NON EVADAT ET STRIDORE DENTIUM.

Hæc ibidem monumenta Dictinii, tanquam Epiſcopi verè ſancti, inveniuntur. CARD. DE AGUIRRE.

117. Ex dictis patet plures fuiſſe Toletanas Synodos, quàm huc uſque creditum ſit: unicam illam anni CD. ſtatuerat Cardinalis Baronius alios ſequutus: alteram in poſterioribus Annalium editionibus agnovit & probat ad annum Chr. CDV. num. 43. Tertiam modò aſſerimus utrâque illa ætate ſuperiorem, quæ videlicet inter Cæſarauguſtanam anni CCCLXXXI. & Toletanam anni CD. collocanda veniat. Arguuntur enim in hac ultima hæretici, *quòd priùs indictum in Toletana urbe Concilium declinârunt, ad quod* (inquiunt Patres) *illos evocaveramus, & audiſſemus, cur non implêſſent conditiones, quas ſibi ipſi, Sancto Ambroſio præſente & audiente poſuiſſent*. Nec eſt quòd indictum tantummodo Concilium cauſſetur quis, non coactum; cùm illud declinâſſe dici non potuerint, quod congregatum non fuiſſet. Sed & quartam addere poſſumus, quæ Leonis noſtri tempore celebrata ſit ex Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, atque Gallicianis Epiſcopis, quam ipſe cogendam eſſe monet in fine hujus Epiſtolæ, quam revera coactam teſtatur Concilium I. Bracarenſe, quod & Regulam Fidei ab eodem illo conditam narrat; cujus denique locum indigitat ejuſdem Regulæ Fidei illa Synodo malè aſſutæ titulus. De Dictinii ſcriptis ſeu tractatibus, quorum lectionem prohibet hoc capite S. Leo, habes Bracarenſis Concilii I. caput XVII. quod eoſdem ſub anathematis pœna à quoquam legi vetat.

118. Quod de Dictinio retulimus ex Concilii Toletani primi ſententia, nimirum ſuam illi ſedem ſervatam fuiſſe poſt ejuratam Priſcilliani ſectam, vix conciliari poſſe mihi videtur cum his quæ refert Idatius, hoc in negotio teſtis fide digniſſimus: *Dictinius Aſturicenſis Epiſcopus* (inquit ille) *cui ob Priſcilliani hæreſin, quam profitebatur, ejecto cum aliis ejuſdem ſectæ Epiſcopis, ſucceſſit Turibius*. Si enim ſede ſua ejectus eſt Dictinius, & ejus loco ſucceſſit ſtatim Turibius;

non

non video qua ratione Aſturicenſem ille cathedram recipere potuerit in Concilio Toletano anni CD. cùm Canonicis legibus vetitum eſſet, ne duo ſimul Epiſcopi unam Eccleſiam adminiſtrarent. His adde, quòd ſi ante annum CD. Turibius Aſturicenſium erat Epiſcopus, ut eſſe debuit, ſi vera ſunt ſimul & Acta Toletani Concilii, & Idatii narratio, annum ferè octogeſimum attigerat quum ſcripſit ad S. Leonem hanc Epiſtolam, & alteram ad Idatium & Ceponium. Eodem enim tempore ſcriptas eſſe clamat utriuſque hujus mentio, quam habet Leo noſter in ſua, & eadem querela, quas ad Hiſpanos Epiſcopos, & ad Romanum contra eandem hæreſim reviviſcentem detulit Turibius. Illas autem ſcripſit cùm jam noviſſimè ad ſuam Eccleſiam rediiſſet poſt diuturnam, moleſtamque peregrinationem, quam per Hiſpanias luſtrandarum Eccleſiarum gratiâ obierat, cujus duris moleſtiis, ut loquitur, lacrymabilibuſque neceſſitatum curis, tam provecta ætas omnino inepta erat: ut veriſimile non ſit eam à Turibio unquam ſuſcipiendam fuiſſe, ſi ad eam ſenectutem tunc temporis perveniſſet, quam eum affecutum fuiſſe neceſſariò evincitur, ſi ante illam Dictinii reſipiſcentiam Epiſcopatum geſſit.

119. His ex anguſtiis ut evadere poſſimus, vix ulla patet via. Certè non poteſt mihi non eſſe ſuſpecta illa de Dictinii reſtitutione narratio. Primò, quia cùm in illius propter hæreſim dejecti locum ſubrogatum eſſe Turibium afferat Idatius, nec de hujus ceſſione, vel illius reſtitutione quicquam habeat; non eſt quòd tantæ fidei auctori præponderare queat, qui eadem ætate intèr illius provinciæ Epiſcopos emicuit, & Turibii familiaris fuit: qui cum, ut ipſe narrat, latentes in Aſturicenſi urbe Manichæos geſtis Epiſcopalibus detexit, ad judicium traxit, damnatoſque per Hiſpanias publicavit. ubi Manichæorum nomine Priſcillianiſtas videtur intelligere, quod & faciunt Sancti Leo & Hieronymus. II. Etſi aliis Epiſcopis poſt lapſum pœnitentibus, quacumque de cauſſa indultum voluerunt Toletanæ Synodi Patres, erant graviſſima momenta, propter quæ ab illis ſecerni deberet Dictinius, & ab indulgentiæ gratia arceri. Non ſolùm enim hæreticorum dogmati adhæſerat, ſed & ſcriptis hoc libris propugnaverat, multoſque hac ratione induxerat in errorem, quæ quidem ſcripta tantam creavêre perniciem, ut illorum virus etiam poſt ipſius auctoris ejurationem necaret plurimos: ut ex Turibii ad Leonem querelis, Leoniſque ad Turibium reſcripto manifeſtum eſt: ſed & ex Concilii Bracarenſis I. cap. 17. poſt centum ferè annos condito, quo Dictinii ſcripta denuò proſcripta ſunt: adeò peſtis illa longè lateque ſerpebat. III. Hoc adverſus Dictinii reſtitutionem pugnat, quòd poſt hæreſim ſuſceptam ordinatus fuerat, quòd à parente, & ipſo in hæreſim prolapſo, quòd is tumultuante populo fuerat poſtulatus, & per vim ad ſedem Epiſcopalem evectus, quòd contra S. Ambroſii decretum, quo presbyterali honore contentum eum eſſe debere ſanciverat. Hæc enim omnia Actorum Toletanorum citata excerpta continent: quorum fidem qui in dubium vocare metuerit, his ſe difficultatum nexibus involvat neceſſe eſt; qui verò ſpuria cenſuerit vel adulterata, is & omnibus ſe iſtis expediet, & id quod veritati ſimillimum eſt, amplectetur. Fateor enim illorum excerptorum fidem videri mihi plurimùm vacillare: ex unico enim Codice Ms. non ita pridem publicò innotuerunt operâ Ambroſii Morales, nec uſquam illorum apparet veſtigium in aliis Mss. Codicibus, iiſque præſertim, quorum ope duplex Canonum Toletanorum jam olim prodiit editio.

120. Præterea confictas eſſe illas Profeſſiones ab aliquo Priſcillianarum partium ſtudioſo, non ſine ratione ſuſpicor. Primùm enim ſanctæ memoriæ Epiſcopos appellat Symphoſium & Dictinium: quod etſi aliàs tolerabile eſſet, in ea tamen Profeſſione, quâ hæreſim abdicant abſurdum videtur. Deinde errores Priſcilliani & aſſeclarum ejus vix attigit, de ſola Filii innaſcibilitate loquens, & de duobus principiis, & animæ cum Patre conſubſtantialitate; quas ſententias ita condemnant, ut fucum facere videantur, ſibique ſuas profeſſiones explicandi reſervare facultatem. Ex tertio enim S. Leonis capitulo patet, illos aliquo ſenſu naſcibilem Filium dixiſſe. Ex quinto, non illos contendiſſe diſertis verbis, *unam Dei & hominis eſſe naturam*. quod in ſe ſolummodo reprehendit Dictinius in illa Profeſſione; *ſed animam hominis divinæ eſſe ſubſtantiæ*: quæ diverſa eſſe apparet. Duo denique illos agnoviſſe principia non legimus. omnem enim carnis & corporum creationem tribuebant diabolo; animas autem fuiſſe aliquid divinum & increatum ſomniâſſe videntur. Ita igitur conditæ ſunt illæ Profeſſiones, ut totæ ad fraudem confictæ eſſe appareant. Quam ſuſpicionẽ augent cætera. Quum enim ſua ſcripta damnat Dictinius, id verbis magnopere obſcuris præſtat: *In priori* (inquit) *comprehenſione mea, & in principiis converſionis meæ quæcũque conſcripſi omnia me toto corde reſpuere*. Poſtea: *Omnia quæ inveniuntur contra Fidem*. Quibus non omnia, ſed quædam tantùm ſcripta rejicere videtur, & cum ea reſtrictione, ſi contra Fidem eſſe convincantur. Similiter & Symphoſius non omnes Priſcilliani libros reſpuit & damnat, ſed eos ſolummodo, *ubi innaſcibilem Filium ſcripſiſſe dicitur*. Ubi & illud *dicitur*, & ſola *innaſcibilis* mentio, hominis vel ſcriptoris ſubdolam mentem, meo quidem judicio, arguit: ſicut & illud quod in poſteriori Profeſſionis parte legitur: *Si quos malè condidit libros, cum ipſo auctore condemno*.

121. In Definitivæ Sententię excerpto aliqua ſunt etiam, quæ illius Fidem infirment. Ita enim utriuſque illius Epiſcopi culpam minuit, ut vix eos in errorem lapſos fuiſſe dixeris: *Symphoſium* (inquiunt Patres) *deceptum tentumq; per plurimos ſecùs aliqua geſſiſſe reperimus, nullis libris apocryphis, aut novis ſcientiis, quas Priſcillianus compoſuerat, involutum, Dictinium Epiſtolis aliquantis penè lapſum*. &c. Quæ omnia parum conveniunt cum his, quæ de Dictinio, ſociiſque, tam ab Idatio, quàm ab aliis referuntur: aut certè aliis ea conciliandа relinquimus.

122. Si tamen alteram adhuc tentare licet exeundi viam, & conjecturis agere permittitur;

non

non duos quidem fingemus Dictinios (qui conciliationis modus, ut omnino facilis eſt & expeditus, ita temeritate pleniſſimus) ſed duos Dictinii lapſus non abs re forſitan erit diſtinguere. Quo poſito dicendum eſſet, Dictinium à primo lapſu reſurgentem, ex iodulgentia Toletani Concilii I. ſedem ſuam recepiſſe. Eundem autem poſt aliquantos annos relapſum, meritò à ſacerdotali dignitate repulſum Turibio locum ceſſiſſe. Hanc viam neceſſe eſt eum inire, qui receptam Toletani Concilii epocham retinere voluerit, illius Actorum excerptam partem non rejicere, & utramque cum Idatio chronographo conciliare. Nec deeſt in illo excerpto, unde noſtram de gemino Dictinii lapſu conjecturam firmare poſſimus: id enim innuunt hæc ipſius verba Profeſſionis: *In priori comprehenſione mea, in principiis converſionis mea quacumque conſcripſi*. Inde etiam forſitan deſcendit, quòd in excerpto Sententiæ tantùm *penè lapſus* dicitur Dictinius: in excerpto Profeſſionis ſemet ipſe erroris accuſat, præſumptionem ſuam arguit, corrigi ſe poſtulat, precatur ſibi non inferorum, ſed cœli januam aperiri, ea quæ antè ſcripſerat, anathemate percellit, &c. Symphoſium & Dictinium aliquando, & quidem Innocentii Papæ temporibus, ſedibus ſuis eſſe reſtitutos, videor mihi ex ipſius Innocentii Papæ Epiſtola ad Synodum Toletanam elicere, cap. 3. ex quo liquet aliquos moleſtè tuliſſe receptionem utriuſque illius Epiſcopi; quam videlicet contra Canones eſſe contendebant. At ſi ſoli communioni Eccleſiaſticæ, & non etiam ſuis ſedibus reſtituti eſſent; probabile non eſt id Epiſcopo Joanni, & aliis fortaſſe, ita moleſtùm futurum; cùm nemini unquam ab hæreſi vel ſchiſmate revertenti negata communionis Eccleſiaſticæ gratia fuerit. Cæterùm hæc exemplaria Profeſſionis reſipiſcentium Epiſcoporum, & Definitivæ Concilii Sententiæ, vel ab homine imperito excerpta, vel etiam ab hæretico truncata & interpolata fuiſſe videntur, qui forſan ex diverſis diverſorum Conciliis malè conſutos pannos nobis exhibuerit: quibus tamen aliquid veri interſeruiſſe, quo magis fraudem faceret, non eſt admodùm credito difficile. Quicquid tandem ſit, conjecturas exponimus, rem integram doctiorum judicio relinquimus. QUESNELIUS.

123. Difficultatibus hoc loco excitatis à Queſnelio vix aliter occurri poſſe videtur, quàm prout ab ipſo ſolvuntur. Certè ſi Definitiva illa Sententia, & Profeſſiones Fidei extantes poſt Acta Concilij Toletani I. interpolatæ aut vitiatæ fuerunt, id accidit plurimis retrò ſæculis. Nam Ambroſius Morales, vir integerrimæ fidei, & valdè verſatos in evolvendis quibuslibet antiquiſſimis Hiſpaniæ monumentis, libro 11. cap. 4. teſtatur, Acta prædicta à ſe eruta fuiſſe ex libro ſcripto literis Gotthicis circa tempus Alphonſi VI. Regis, qui recuperavit Toletum, exſtante apud Regiam S. Laurentii Bibliothecam, & tranſlato inde ex antiquiſſimo Monaſterio S. Æmiliani. In hoc autem non eſt veroſimile iis ſæculis, aut pluribus antea, ubi ſimplicitas & bona fides prævalebat, Acta illa vitiata aut interpolata fuiſſe. Quare ſi talia eſſe fateamur, credendum id accidiſſe tempore ipſo S. Leonis, aut circiter, quo Dictinius, vel ſaltem illius ſcripta, adhuc ab ipſo damnata (uti Leo ſatis hoc loco conqueritur) defenſores aliquos in Hiſpania habebant, qui & facilè Acta illa in ejus gratiam mutare vel alterare potuerunt, eaque occaſione plura invicem pugnantia aut falſa miſcere, qualia in iis apparent. CARDINALIS DE AGUIRRE.

124. *Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos.*] Ita *Gallicos* habetur in Codicibus Mss. Griman. Corbejen. Victor. Cantabrig.. Thuan. idem habent editiones omnes, exceptis recentioribus duabus Collectionibus Conciliorum, & edit. Nicolini, quæ habent Gallæcos, ſive Gallicios, vel Gallicianos ad margin. Sed in hoc difficultas poſita non eſt: cùm tot Mss. excuſiſque Codicibus, qui ita exhibent, reluctari temeritatis ſit. Hoc autem quæritur, utrum de Galliarum Epiſcopis hæc vox intelligenda ſit, an verò de his, qui in Hiſpana Galliciæ provincia conſtituti erant. Priori ſententiæ favet, quòd Priſcillianus, ejuſque aſſeclæ per Gallicanas Aquitaniæ provincias ſuæ perfidiæ ſemina ſparſerant, ut narrat Severus Sulpicius lib. 2. & pravis prædicationibus ſuis Eluſanam maximè plebem perverterant. Facit etiam quòd Gallicani Antiſtites Cæſarauguſtano Concilio contra Priſcillianiſtas congregato circa annum CCCLXXXI. interfuerunt, quòd apud Burdigalam alia Synodus coacta eſt adversùs eoſdem hæreticos, cui dubium non eſt Hiſpanos pariter adfuiſſe. Conſtat etiam Sancti Leonis ætate magnum inter Gallicanas Hiſpanaſque Eccleſias commercium fuiſſe: cujus rei duæ Epiſtolæ Pontificis noſtri teſtes ſunt, una, quâ per Gallicanos Antiſtites certiores reddi vult Hiſpanos de rebus quæ tunc temporis agebantur in Oriente, & maximè de Synodi Chalcedonenſis proſpero exitu: altera, quam ad utrarumque provinciarum Epiſcopos conjunctim ſcripſit de Paſchate.

125. Priori Epiſtolæ ſuccinit Idatii Chronicon: *De Galliis* (inquit) *deferuntur Flaviani Epiſtola ad Leonem Epiſcopum miſſæ, cum ſcriptis Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium CP. de Eutychete Ebionita hæretico, & Leonis Epiſcopi ad eum reſponſa: quæ cum aliorum Epiſcoporum de geſtis & ſcriptis per Eccleſias dirigùntur*. Adde quòd cùm Hiſpaniarum Eccleſiæ in magna tunc ignorantia ac perturbatione verſarentur, plurimis earum Epiſcopis vel errore infectis, vel de Eccleſiæ doctrina non ſatis inſtructis, admodùm conveniens erat ut earum Synodis ex Gallicanorum Antiſtitum Fide ac doctrina robur accederet; in quibus videlicet Leo noverat *cæleſtem* (ut ipſe loquitur) *ex ſancti Spiritus eruditione vigere doctrinam*.

126. Alteri tamen ſententiæ libentiùs accedimus. I. Quia etſi olim Priſcilliana peſte laboràſſent Eccleſiæ Gallicanæ; tunc tamen temporis ab illa penitùs liberæ erant, ut ex ſilentio Synodorum manifeſtum eſt. Deinde nunquam memini me legere vocem *Gallicos* pro Gallicanis, vel regionibus vel hominibus, uſurpatam, ſaltem à Leone, auctoribuſque Eccleſiaſticis ſupparibus; ſemper enim vel Galliæ, vel Galliarum, vel Gallicanæ regiones appellantur. III. Cùm Generale Conci-

lium congregari vellet Sanctus Leo ex omnibus Hiſpaniarum provinciis; quis credat omiſſam eſſe Galliciæ provinciam, quæ ampliſſima & nobiliſſima omnium videtur fuiſſe; in qua Turibius, Idatius, & Ceponius Epiſcopi erant; quæ etiam maximè medica Synodi manu indigebat, cùm in illa potiſſimùm Priſcillianus morbus exarſiſſet; ex cujus denique Epiſcopis præſertim Concilium congregari cupiebat Sanctus Leo, etſi aliarum provinciarum Epiſcopi convenire non poſſent? Quis, inquam, exiſtimet ad Gallicios Epiſcopos non ſcripſiſſe Sanctum Leonem, quorum quidem loco Bæticos nominat Lucretius Toletanus in Bracarenſi I. Concilio, cujus verba ſuprà retulimus: ſed quia jam da Galliciæ Epiſcopis, qui in Synodum provinciæ ſuæ ſeorſum congregati erant, ſermonem habuarat, nec alteri quatuor provinciarum Concilio intereſſe permiſſi fuerant à ſuis Principibus. Hæc de re minimè obſcura dicera viſum eſt; quoniam nonnullos in eam ſententiam propendere videmus, ut de Gallicanis noſtris Antiſtitibus eam vocem interpretentur. Quesnelius.

127. Nullum prudens dubium eſſe poteſt, quòd Leo præcipiens Synodum Generalem cogi ex provinciis Hiſpaniæ; per *Gallicos*, *Gallicios*, aut *Gallicianos* Epiſcopos, intelligat eos dumtaxat, qui in Occidentali Hiſpaniarum tractu Sedes ſuas habebant: utpote quorum Metropolitanus erat Balconius Præſul Bracarenſis Eccleſiæ. Eorum enim provincia longè ac latè patens ab urbe Bracara, ſub Galliciæ, ſeu Gallæciæ nomine extendebatur per plurimas diœceſes, memoratas in Codice illo celebri ſcripto anno CMLXII. & exſtante apud Bibliothecam Regiam S. Laurentii. Eæ verò erant, ut ibidem dicitur, Portucale, Coimbra, Eguitania, Veſeo, Lameco, Betica, Dumio, Auriense, Tude, Luco, Iria, Britoua, Aſtorica. Deinde cùm certum ſit Leonem demandâſſe curam Synodi congregandæ Turibio Aſturicenſi, & Idatio Lemicenſi, habentibus diœceſes ſuas, non intra Galliam, ſed apud Gallæciam Hiſpanam, cujus Metropolis erat Bracara; nullum dubium eſſe poteſt, Leonem loqui in hac Epiſtola, non de provincia aliqua Galliæ, ſed de illa quæ ad Occidentalem plagam Hiſpaniæ, modò Gallicia, modò Gallæcia dicitur. Certè in Concilio Toletano IV. Canone XLI. Clerici, ſive Lectores *in Gallaciæ partibus* notantur, quòd comam nutrirent, quiquidem abuſus eo loco dicitur emanâſſe ab hæreticis in Hiſpania. Hos autem fuiſſe Priſcillianiſtas, ſatis veroſimile apparet. Deinda apud Venantium Fortunatum libro ſingulari Carminum ad Juſtinum Juniorem Auguſtum legitur verſus:

Axe ſub occiduo audivit GALLICIA factum.

Et libro quinto, Carmine ſive Poëmate ſecundo, quod eſt *Ad Martinum Epiſcopum Galliciæ*, accinit:

Martino ſervata novo Gallicia plaude:
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.

128. Denique dolendum eſt, non modò depravata fuiſſe Acta, ſive geſta ſynodalia Concilii Toletani I. circa Symphoſium, Dictinium, & alios Priſcillianiſmi notatos, aut convictos; ſed etiam periiſſe omnino quæcumque juſſu Sancti Leonis, vel à provinciis Tarraconenſi, Carthaginenſi, & Luſitana conjunctim, vel à Galliciana ſeparatim decreta fuerunt & tradita contra illos. Solùm enim adhuc ſervata fuiſſe videtur Profeſſio illa Fidei ſuperiùs exſcripta, & exemplar Definitivæ Sententiæ: in quibus tot errata, & tam multa ſuis divulſa locis, ac minimè inter ſe cohærentia, occurrunt. Card. de Aguirre.

E P I S T O L A
S. TURIBII ASTURICENSIS.
De non recipiendis in auctoritatem Fidei apocryphis ſcripturis, & de ſecta Priſcillianiſtarum.

Sanctis, ac beatiſſimis, & omni veneratione colendis Idatio & Ceponio Epiſcopis, Turibius.

I.

131. MOLESTA ſemper eſt, & injucunda peregrinatio, quam afficiunt [a] duri labores, & lacrymabiles neceſſitatum curæ. Habet tamen aliquid adjumenti [b], cùm adeundo incognita, vel ignorata diſcendo, quodam profectu mentis augemur; plerumque ea quæ apud nos optima videbantur; prava eſſe, atque deterrima, redditâ nobis meliorum ratione, noſcentes. Quod mihi uſu venit, qui diverſas provincias adeundo, in omnibus Eccleſiis, quæ in unitatis communione conſiſtunt, condemnatis omnibus errorum ſectis, reperi unum atque eundem Catholicæ Fidei ſenſum teneri, ex puriſſimo veritatis fonte venientem: qui in nulla divortia multifidis

rivulis

a *Al.* efficiunt.
b *Inſtrumenti.*

rivulis ſciſſus, camporum plana in cœnoſas voragines ſolvat, quæ rectum Fidei iter impediant. Eos verò, quos pravorum dogmatum virus infecerit, aut correctos piæ parentis gremio reformari compellit, aut pertinaciter contumaces, veluti abortivos partus, ac non legitimam ſobolem, ex conſortio ſanctæ hæreditatis expellit.

II.

132. Quapropter mihi poſt longas annorum metas ad patriam reverſo, ſatis durum videtur, quòd ex illis traditionibus, quas olim Catholica damnavit Eccleſia, quaſque jam dudum abolitas eſſe credebam, nihil penitùs imminutum eſſe reperio. Immo etiam pro uniuſcujuſque ſtudio & voluntate, prava dogmata velut quibuſdam hydrinis capitibus pullulare cognoſco: cùm alii veteri errori blaſphemiarum ſuarum augmenta contulerint; alii integrum eum uſque adhuc retentent; alii verò, quos ex parte aliqua ad reſpectum ſui contemplatio veritatis adduxit, ex illius ſenſibus retinendo nonnulla, reliquis vinculentur. quod quidem per mala temporis noſtri, Synodorum conventibus decretiſque ceſſantibus, liberiùs crevit: & impiiſſimè (quod eſt cunctis deterius) ad unum altare diverſis Fidei ſenſibus convenitur.

III.

133. Hæc ego ut loqui audeam, piæ potiùs erga patriam charitatis, quàm temerariæ præſumptionis eſſe confiteor. Nam aliàs plenus omnium peccatorum, & magnorum criminum reus, quo auſu hæc ad vos ſcriberem, memor Dominicæ vocis, quæ dicit: *In alieno oculo feſtucam vides, in suo trabem non reſpicis?* Deinde conſcius ejus ſententiæ, quæ admonuit dicens: *Peccatori dixit Deus: Quare prædicas juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Sed iterum illud aſpicio, quod infrà ſcriptum eſt: *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Neque enim illa ſola ſunt furta, quæ alienorum direptione committuntur; vel ſola illa adulteria, quæ violatis maritalis thori affectibus, perpetramus: ſed & ſubtractis quæ vera ſunt, furtum Catholicæ Fidei perverſi dogmatis facit aſſertio, & adverſus veritatem verbi Dei, malarum doctrinarum adulterio, zizaniæ ſemina jaciuntur. Loquarne ergo, an taceam, neſcio, quia utrumque formido. Sed ne fortè ſanctitas veſtra, quæ mala, quantæque blaſphemiæ apocryphis libris, quos hi noſtri vernaculi hæretici ad vicem ſanctorum Euangeliorum legunt, continentur, ignoret; maximi facinoris reum me eſſe credo, ſi taceam. Itaque hæc non adhortatio auctoritatis alicujus eſt, ſed potiùs ſuggeſtionis inſtructio.

IV.

134. Primum ergo eſt, ut illa patefaciam, quæ in plurimorum fide, vel magis perfidia, eſſe cognovi: quæ cum à multis publico penè magiſterio doceantur, ſi Catholicorum aliquis paullò conſtantiùs, deſtructionis cauſsâ aſſertioni reſiſtat; continuò inficias eunt, & perfidiam perfidiâ occulunt. Quod ne ulterà jam faciant, & apocryphis ſcripturis, quas Canonicis libris veluti ſecretas & arcanas præferunt, & quas maxima veneratione ſuſcipiunt: & ex his, quas legunt, traditionibus, dictiſque auctorum ſuorum, ea quæ in ipſis arguuntur, vera eſſe docentes: aliqua autem ex his, quæ in iſtorum doctrina ſunt, in illis, quos legere potui, apocryphis codicibus, non tenentur: quare, unde prolata ſint, neſcio; niſi fortè ubi ſcriptum eſt per cavillationes illas, per quas loqui Sanctos Apoſtolos mentiuntur, aliquid interiùs indicatur, quod diſputandum ſit potiùs quàm legendum; aut forſitan ſint libri alii, qui occultiùs ſecretiuſque ſerventur, ſolis, ut ipſi ajunt, perfectis patentes.

V.

135. Illud autem ſpecialiter in illis Actibus, qui *S. Thomæ* dicuntur, præ cæteris notandum, atque exſecrandum eſt, quòd dicit, eum non baptizare per aquam, ſicut habet Dominica prædicatio; ſed per oleum ſolùm: quod quidem iſti noſtri non recipiunt [d]. Sed Manichæi ſequuntur: quæ hæreſis eiſdem libris utitur, & eadem dogmata, & his deteriora ſectatur, ita exſecrabilis univerſis per omnes terras, ad primam profeſſionis ſuæ confeſſionem, nec diſcuſſa damnetur, oportet, per cujus auctores, vel per maximum Principem Manem, ac diſcipulos ejus, libros omnes apocryphos, vel compoſitos, vel infectos eſſe, manifeſtum eſt: ſpecialiter autem Actus illos, qui vocantur *S. Andreæ*; vel illos, qui appellantur *S. Joannis*, quos ſacrilego Leucius ore conſcripſit; vel illos, qui dicuntur *S. Thomæ*, & his ſimilia, ex quibus Manichæi, & Priſcillianiſtæ, vel quæcumque illis eſt ſecta germana, omnem hæreſim ſuam confirmare nituntur: & maximè ex blaſphemiſſimo illo libro, qui vocatur *Memoria Apoſtolorum*, in quo ad magnam perverſitatis ſuæ auctoritatem, doctrinam Domini mentiuntur: qui totam deſtruit legem Veteris Teſtamenti, & omnia quæ *S. Moyſi* de diverſis creaturæ factoriſque divinitus revelata ſunt; præter reliquas ejuſdem libri blaſphemias, quas referre pertæſum eſt.

Apocryphi Gnoſticorum libri.

d Fortè leg. *incipiunt.*

VI.

136. Ut autem mirabilia illa, atque virtutes, quæ in apocryphis ſcripta ſunt Sanctorum Apoſtolorum, vel eſſe, vel potuiſſe eſſe, non dubium eſt; ita diſputationes aſſertioneſque illas ſenſuum malignorum, ab hæreticis conſtat inſertas. Ex quibus ſcripturis diverſa teſtimonia blaſphemiis omnibus plena ſub titulis ſuis adſcripta digeſſi: quibus etiam, ut potui, pro ſenſus mei qualitate reſpondi.

VII.

137. Quod ideo neceſſe habui paullò latiùs veſtris auribus intimare; ut vel poſthac nemo quaſi inſcius rerum dicat, ſe ſimpliciter hujuſmodi libros vel habere vel legere. Veſtræ autem exiſtimationis atque cenſuræ meritò fuerit, univerſa perpendere; & ea quæ ſine ambiguitate veritati ac Fidei contra-

ria videritis, cum aliis fratribus veſtris, quoſcumque vobis zelus Catholicæ Religionis, vel pium ſtudium ſociaverit, illam excuſationem ſpirituali gaudio reſecare, & ignitâ divini Verbi virtute compeſcere.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

138. AMBROSIUS Morales, diligentiſſimus antiquitatum Hiſpaniæ veſtigator, & fidelis ſcriptor, primus omnium edidit Epiſtolam hanc Turibii ad Idatium & Ceponium, erutam ex codice antiquo Monaſterii S. Æmiliani Cucullati in diœceſi Calagurritana, ſcripto ſub Rege Hiſpaniarum Alphonſo VI. qui Toletum expugnavit anno Chriſti MLXXXV. Ex eodem verò Ambroſio Morales deſcribendam curârunt Franciſcus Bivarius in Dextrum, & Paſchaſius Queſnel in Leonem, ac ſiqui alii illam recuderunt.

139. Verùm eruditiſſimus Stephanus Baluzius in Præfatione ad Novam Collectionem ſuam Conciliorum, ac poſtea col. 949. plurimum dubitat de auctoritate illius: ait enim: *Si vera eſſet Epiſtola Turibii Epiſcopi Aſturicenſis ad Idatium & Ceponium, quæ edita eſt ab Ambroſio Morale; proclive eſſet exiſtimare gloriam præclari facinoris refundendam eſſe in eundem Turibium. Verùm gravis ſuſpicio eſt Epiſtolam Leonis ad eum ſcriptam, in cujus fine jubet Leo Galliciæ ſacerdotes in unum convenire, quibus congregandis Idatius & Ceponius imminerent cum Turibio; gravis inquam ſuſpicio eſt Epiſtolam illam immiſiſſe alicui impoſtori cogitationem confingendi eam, quæ à Turibio ſcripta eſſe dicitur ad Idatium & Ceponium. Itaque ab illa abſtineo.*

140. Non miror Baluzium, ſatis conſcium innumerabilium fabularum in Pſeudo-Chronicis Higuerianis exſtantium, rejeciſſe quæcumque in iis narrantur, dum aliunde non innitantur aut confirmentur certo aliquo & firmo teſtimonio. At enim Epiſtola hæc non eſt ejus generis, nec excogitata aut ficta à veteratoribus illis, qui tot commentis & abſurdis hiſtoriam Hiſpanicam deturpârunt: ſed inventa, & fideliter eruta ex codice Ms. ſexcentorum circiter annorum antiquitatis, quem Philippus II. Rex tempore Ambroſii Moralis ex antiquiſſima bibliotheca inſignis Monaſterii S. Æmiliani tranſtulit in aliam recentem S. Laurentii in Scoriali. Id contigit viginti circiter annis ante fictiones Dextri, Maximi, Juliani, &c. Vetuſtas membranarum, & character Gotthicus, aliaque id genus indicia, manifeſtabant antiquitatem ac fidelitatem Codicis: tanquam hic tempore Alphonſi VI. Hiſpaniæ Regis, inclinante ſæculo undecimo, aut duodecimo inchoante, deſcriptus fuiſſet ex alio Ms. longè antiquiore, ac fortaſſe ejuſdem quinti ſæculi, intra quod ii Patres floruère. Nimirum, Monaſterium ipſum S. Æmiliani (ubi ego in Ordinem S. Benedicti admiſſus fui, & ſolennem profeſſionem emiſi) jam ferè duodecim ſæcula antiquitatis enumerat, & modò retinet, ac ſemper habuit in archivo libros ac codices antiquiſſimos, præſertim literis Gotthicis, quorum multos à ſe viſos ac perlectos citant idem Moralius, Jepius, Sandovalius, & alii. Itaque non videtur eſſe ulla probabilis cauſſa dubitandi Epiſtolam hanc à Turibio Epiſcopo Aſturicenſi ſcriptam fuiſſe Idatio & Ceponio, ſociis ipſi datis à S. Leone Papa ad hæreſes Priſcillianiſtarum in Hiſpania exſtirpandas: ut ſuprà vidimus in ipſa Epiſtola illius cap. XVII. num. 99.

141. Quòd initio memorat Turibius longas ac diuturnas peregrinationes ſuas, confirmatur traditione antiquiſſima totius Hiſpaniæ: quæ à priſcis ſæculis certum habuit, S. Turibium longo tempore peregrinatum fuiſſe, præſertim in Oriente, ac nominatim apud Terram-ſanctam, indeque ſecum in Hiſpaniam aſportâſſe, præter reliquias alias, brachium illud vivificæ Crucis, quod in Monaſterio Liebanenſi ſub ejuſdem ſancti invocatione colitur, confluentibus eò peregrinis ex toto terrarum Orbe. Veritatē porrò & maximam antiquitatem ejus traditionis, comprobant ſcriptores omnes rerum S. Turibii, & nominatim Padilla Centuriâ VI. cap. 14. Sandovalius Epiſc. in Hiſtoria ejuſdem Monaſterii, Yepius Tomo I. Chronici Benedictini ad an. Chriſti DXXXVII. ac Bivarius in M. Maximum ad an. CDXLVIII. §. 21. Qui & referunt miracula ac ſigna innumera ejuſdem brachii S. Crucis: ad quod leviter applicatæ Cruces aliæ, diſtrahuntur per totum Orbem Chriſtianum, & pia omnium devotione ac fiducia in periculis coluntur. In Breviario veteri Eccleſiæ Aſturicenſis ad diē 16. Aprilis legitur, Turibiū Hieroſolymam profectum, ab Epiſcopo ejus Eccleſiæ conſtitutū fuiſſe quinque annis cuſtodem rerum ſacrarum ac reliquiarum, indeque monitu angeli in Hiſpaniam plures portâſſe, ne poſtea in rapinam Infidelium cederent. Præcipua autem illarum eſt brachium S. Crucis. Hæc inibi, præter plura alia. Itaque dubitari prudenter non poteſt de veritate peregrinationis S. Turibii, quam ipſe memorat initio hujus Epiſtolæ.

142. Præterea, quòd idem Turibius cum prædicto Idatio perſecutus fuerit Manichæos (proindeque & Priſcillianiſtas, ipſorum ſequaces) juxta contextum hujus Epiſtolæ, pariter & Leoninæ ſuperiùs exſcriptæ, patet ex ipſo Idatio in Chronico Olympiade CCCVI. ad annum XXI. Theodoſii & Valentiniani, ideſt Chriſti CDXLV. ubi ait: *In Aſturicenſi urbe Gallaciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi, geſtis Epiſcopalibus deteguntur: quæ ab Idatio & Turibio Epiſcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Epiſcopum Emeritenſem directa ſunt.* Unum verò ex iis dictum fuiſſe nomine Paſcentium, ſubdit idem Idatius ad an-

annum ſequentem CDXLVII. dicens: *Paſcentium quendam urbis Romæ, qui de Aſturica diffugerat, Manichæum, Antoninus Epiſcopus Emeritæ comprehendit, auditumque, etiam de provincia Luſitana fecit expelli.*

143. Hic idem Turibius eſt ille Epiſcopus Aſturicenſis, ad quem Leo Papa ſcripſit Epiſtolam illam contra Priſcillianiſtas. Idem quoque is, cujus officium ab antiquo tempore celebrare inveniuntur Eccleſiæ Aſturicenſis, Palentina, Burgenſis, Segobienſis, Seguntina, immo & Toletana, ad diem XVI. Aprilis: in cujus Actis Bollandiani orationem exſcribunt è Breviario Burgenſi anni MDII. recitari ſolitam. Tot autem Eccleſiarum cultui erga Turibium Epiſcopum ingens pondus accedit ex Martyrologio Romano, ubi ad eandem diem legitur: *Palentiæ S. Turibii Epiſcopi Aſturicenſis, qui ope S. Leonis Papæ hæreſim ex Hiſpania penitùs profligavit, clarusque miraculis in pace quievit.*

144. Eadem ferè leguntur apud Molanum in Auctario Uſuardi, Caniſium, & Galeſinium: Vitam autem ejuſdem Turibii fuſiùs tradiderunt Alphonſus de Villegas, Baſillus Sanctorius, Joannes Marieta, Ambroſius Morales, & alii ex Hiſpanis. Sed enim, ut idem Morales & alii notant, multi eorum uni eidemque Turibio adſcribunt facta, aut prodigia, quæ diverſorum ſunt, & alio atque alio ſæculo contigêre. Ac proinde in verbis illis Martyrologii, vox *Palentiæ*, irrepſiſſe videtur: quoniam Turibius Palentinus fuit longè alius ab hoc Aſturicenſi, & octoginta circiter annis poſterior. Nimirum Palentinus floruit tempore Montani Archipræſulis Toletani, qui ad ipſum literas dedit infrà exhibendas, an. circiter DXXX. Turibius Aſturicenſis pluſquam ſeptuaginta annis antea diem obierat ſub pontificatu S. Leonis, qui non proceſſit ultra annum CDLX.

145. Porrò S. Turibius in ejuſdem Epiſtolæ contextu monet, errores Manichæorum & Priſcillianiſtarum, aliaque prava dogmata in Hiſpania, originem duxiſſe ex defectu Conciliorum. Propterea enim ait: *Quod quidem per mala temporis noſtri, Synodorum conventibus decretiſque ceſſantibus; liberiùs crevit: & impiiſſimè (quod eſt cunctis deterius) ad unum altare diverſis Fidei ſenſibus convenitur.* Nec mirum ita loquatur Turibius. Ab anno enim ſæculari CD. quo celebratum fuit Concilium Toletanū I. contra eas hæreſes (aut juxta opinionem Card. Baronii & aliorum quorundam, ab anno CDV. Stilicone II. Conſule) uſque ad annum CDXLVII. aut circiter, quo Turibius ſcribit hanc Epiſtolam ad Idatium & Ceponium, nullum fuerat celebratum in Hiſpania Concilium, decurſu quadraginta ſeptem plus minùs annorum. Unde mirum non eſt quòd toto eo ſpatio interjecto mala illa hæreticorum germina denuò pullulâſſent aut revixiſſent.

146. Et ita paſſim accidit omni ferè ſæculo, ut quibus in regnis Nationalia & Provincialia Concilia diu prætermittuntur, perniciosa dogmata circa Fidem & mores diſſeminentur, & diſciplina Eccleſiaſtica paullatim corruat. Sanè in Hiſpania ab ineunte quarto ſæculo & deinceps uſque ad initium octavi (id eſt, quamdiu Hiſpania ſub Chriſtianorum Regum dominio fuit) frequentia Concilia celebrata fuerunt; quamvis non omnium Acta ad nos pervenerint. Et in Toletano IV. cui præfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis anno Chriſti DCXXXIII. Can. III. ſtatutum fuit: *Quinto decimo Kalendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia Synodus, propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur.* Et ita ferè iis duobus ſæculis obſervatum in Hiſpania fuit uſque ad irruptionem Sarracenorum. In Eccleſia autem primitiva major adhuc frequentia Synodorum ſtatuta fuerat Canone XXXVIII. Apoſtolorum, ubi legimus: *Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur: ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant: ſemel quidem quartâ ſeptimanâ Pentecoſtes, ſecundò verò duodecima die menſis Hyperberetæi.* Et in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ edito à Queſnelio capitulo II. pag. 36. in Brevi ſtatutorum Carthaginenſium §. V. ſtatuitur: *Ut propter cauſſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpè veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis Concilium convocetur: ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habent, ex Conciliis ſuis ternos legatos mittant*, &c.

147. Sed enim tanta Conciliorum frequentia noſtris temporibus in Hiſpania jam diu exolevit. Utinam vel illa habeatur, quæ communi lege ſtatuta fuit ab Eccleſia, præſertim in Concilio Tridentino ſeſſione viceſima quarta, decreto *De Reformatione*, cap. ſecundo, ubi ſtatuitur: Concilia Provincialia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis, renoventur. Atque inter alia: *Metropolitani per ſeipſos, vel illis legitimè impeditis, Coëpiſcopus antiquior, intra annum ad minus à fine præſentis Concilii, & deinde quolibet ſaltem triennio, poſt Octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri JESU-CHRISTI, ſeu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat Synodum in provincia ſua cogere: quò Epiſcopi omnes, & alii, qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, convenire omnino teneantur*, &c. *Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur*, &c.

148. Mirum autem eſt, & dolendum ſanè, poſt tam venerandum Synodi Tridentinæ decretum, & in materia adeò gravi, *pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus*, &c. è qua pendet vita aut mors æterna innumerabilium animarum, tam pauca Concilia Provincialia fuiſſe celebrata ab anno MDLXVI. ſpatio centum viginti ſeptem annorum, in Hiſpania ac Novo Orbe ejus dominio adjacente, uſque ad hunc MDCXCIII. Idem penè dixerim de Diœceſanis Conciliis, quæ cùm quotannis celebrari deberent, raró admodùm coguntur, & vix unquam debita methodo ſcribuntur, ut in lucem publicam edantur. Tot damnorum inde ſequentium rationem ſtrictiſſimam Deo reddent ſpeculatores, ſive Epiſcopi, quibus ex officio

ficio incumbit cura ſalutis animarum. Hortor ego indignus ſervus, ut id tam grande onus ob oculos habentes, frequentibus Conciliis, tam Provincialibus quàm Diœceſanis, conſcientiæ ſuæ conſulant, & ſubditorum ſaluti æternæ provideant.

149. Verùm accedendo jam ad libros apocryphos, quos Turibius hoc loco proſcribendos cenſet, occurrunt imprimis *Actus*, qui *S. THOMÆ* dicuntur. nimirum qui auctore quodam Manetis diſcipulo prodierunt, ſub nomine *Euangelii*, *Apocalypſis*, *& circuituum*, *S. Thomæ*. Omnes enim eæ ſcriptiones, adhuc antequam Turibius hanc Epiſtolam ſcriberet, damnatæ fuerunt à Patribus: veluti Athanaſio in *Synopſi*, Epiphanio in *Panario*, Hæreſi XLVII. Cyrillo *Catecheſi* VI. Innocentio Papa Epiſtolâ ad Exuperium Epiſc. Toloſanum, & Auguſtino libro *Contra Adimant. Manichæum*, cap. 17. & lib. XXII. *Contra Fauſtum* cap. 79. & lib. 1. *De Sermone Domini in monte* cap. 10. Poſt tempora quoque Turibii, ſub finem ejuſdem quinti ſæculi, S. Gelaſius I. Papa in Concilio Romano (& habetur in Can. *Sancta Romana* diſt. 15.) eoſdem *Actus S. Thomæ* nomine ſcriptos rejecit.

150. Non tamen propterea vel à Turibio, vel à Gelaſio, damnantur, aut inter apocrypha reputantur plura quæ de S. Thoma Apoſtolo ſparſim leguntur apud Eccleſiæ Patres, vel Hiſtoricos graves. Veluti quòd apud Parthos Euangelium prædicaverit, juxta Origenem lib. 3. in Geneſin, & Euſebium lib. 3. *Hiſtoriæ*, cap. 1. & apud Indos, teſte Nazianzeno Oratione ad Arianos, ac Gregorio Magno in Euangel. Homil. Quòd baptiſmate Æthiopas dealbaverit, juxta Chryſoſtomum Homil. in XII. Apoſtolos. Quòd denique generatim Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis, Brachmanis, atque Indis Euangelium annunciaverit, conſtat ex Sophronio apud Hieronymum *De Scriptoribus Eccl.* Dorotheo in *Synopſi*, Beda in *Collectaneis*, ac S. Iſidoro lib. *De vita & obitu* SS. cap. 76. Nihil horum improbatur à Turibio aut Gelaſio, ſicuti neque plura memoratu ac lectu digniſſima de monumentis adhuc exſtantibus S. Thomæ in India, apud nobilem & eruditum Epiſcopum Hieronymum Oſorium libro tertio *Rerum Indicarum*, alioſque Hiſtoricos recentes, è quibus pleraque deſumpſit Ribadeneyra in Floribus SS. ad diem 21. Decembris.

151. Numerat præterea Turibius inter libros apocryphos illos qui dicuntur *Actus S. Andreæ*. Hoc autem nomine non debent intelligi Acta Paſſionis S. Andreæ, à presbyteris Achaiæ, qui crucifixioni ejus interfuerunt, conſcripta: qualia exhibentur à Simeone Metaphraſte, Lipomanno Tomo I. Surio Tomo VI. & laudantur à Remigio Altiſiodorenſi in Pſalmum 21. & 40. Bernardo Sermone de S. Andrea, Lanfranco *Contra Berengarium*, Ivone Carnotenſi, & aliis. Ea quippe vera & germana habentur, quicquid in oppoſitum frendeant heterodoxi quidam, præſertim circa Euchariſtiæ myſterium ſequentes Berengarium errantem, non verò pœnitentem. Quin & pleraque narrata ab iis Achaiæ presbyteris conſonant Hieronymo Epiſt. 148. ad Marcellum, Paullino Nolano in Natal. 9. S. Felicis, Petro Chryſologo ſerm. 133. & Hippolyto Martyri in Libello illo Ms. *De vitis Apoſtolorum*, exſtante olim apud Cardinalem Syrletum, ac memorato à nobis Tomo I. Differtat. IX. num. 23. & ſeqq. Soli itaque ii *Actus S. Andreæ* rejiciuntur hoc loco à Turibio, ſicuti & multis annis poſtea à Gelaſio Papa, qui plura fabuloſa & abſurda continent à Manichæis intruſa, & à S. Auguſtino relata libro *De Fide contra Manichæos* cap. 38. Qualia etiam ſunt Acta Apoſtolorum ſcripta nomine ejuſdem Andreæ, & rejecta ab Innocentio Papa I. in Epiſtola ad Exuperium fine, Philaſtrio *De Hæreſibus* cap. 89. & Gelaſio Papa in allegato C. *Sancta Romana*, diſt. 15.

152. Inſuper apocryphis accenſet Turibius *Actus illos, qui appellantur S. Joannis*. Hi autem videntur fuiſſe qui ſub eo titulo ſcripti fuerunt Prochori nomine, & fabulis ſcatebant: ſicuti & alius liber hoc loci nominatus *Memoria Apoſtolorum*, ac pariter rejectus à Turibio. Hos itaque & ſimiles, ab hæreticis fictos, aut vitiatos, eliminari cupit, ne errores in iis contenti ſerpant in Hiſpania. Rei autem totius examen, deliberationem, ac remedium committit Turibius Idatio & Ceponio Epiſcopis: in quorum conſortio poſtea, hortatu S. Leonis Papæ, tum errores iis libris apocryphis contentos, tum alias Manichæorum & Priſcillianiſtarum hæreſes, indicto Concilio, & communi Præſulum aſſenſu damnavit, ac longè ab Hiſpania expulit.

EPISTO-

EPISTOLA
S. LEONIS MAGNI PAPÆ
XCV. Aliàs CIX.
AD EPISCOPOS GALLIARUM ET HISPANIARUM.
DE PASCHATE ANNI CDLV.

Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis Catholicis, per Gallias & Hiſpanias conſtitutis, Leo Romæ Epiſcopus.

153. CUM in omnibus divinorum præceptorum regulis exſequendis ſacerdotalem obſervantiam oporteat eſſe concordem; maximè nobis & principaliter providendum eſt, ne in Paſchalis feſti die, vel ignorantia, vel præſumptio, peccatum diverſitatis incurrat. Unde quia tempus ſacratiſſimæ ſolennitatis ita diſpoſitos habet limites ſuos, ut ſalutare ſacramentum nunc citiùs, nunc tardiùs oporteat celebrari; non deſinit Apoſtolicæ Sedis ſolicitudo proſpicere, ne devotio Eccleſiaſtica aliquo turbetur incerto. Cùm autem in quibuſdam adſcriptionibus Patrum, futurum proximè Paſcha Domini, ab aliis in diem quintum decimum Kalendas Majas, ab aliis in diem octavum Kalendas eaſdem inveniretur adſcriptum; tantum me diverſitas iſta permovit, ut clementiſſimo Principi Marciano curam de hac re animi mei panderem: ut præcipiente ipſo, ab his qui habent hujus ſupputationis peritiam, diligentiùs illic diſcuſſa ratione quæreretur, quo die poſſit veneranda ſolennitas rectiùs celebrari. Quo reſcribente, octavo Kalendas Majas definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio unitatis & pacis malui Orientalium definitioni acquieſcere, quàm in tantæ feſtivitatis obſervantia diſſidere; noverit fraternitas veſtra, die VIII. Kalendas Majas ab omnibus Reſurrectionem Dominicam celebrandam: & hoc ipſum per vos aliis fratribus eſſe intimandum: ut divinæ pacis conſortio, ſicut una fide jungimur, ita una ſolennitate feriemur. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi. Data poſt * Conſulatum Opilionis, quinto Kalendas Auguſtas. *An.Chr.CDLIV.

NOTÆ VARIORUM.

Et Obſervatio circa Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, ac Chalcedonenſe, ſolenniter in Hiſpania receptum.

154. DE SOLENNITATE PASCHALI, &c.] Theophilus Alexandrinus anno LXXVI. Cycli ſui, cui reſpondet annus Chriſti CDLV. Valentiniano Aug. VIII. & Anthemio Coſſ. Paſcha celebrandum adnotârat VIII. Kalendas Majas. Qui dies cùm ultra præfixos terminos excedere videretur; hærebat Leo, num præſtaret juxta aliorum potiùs calculum XV. Kalendas Majas celebrari. Sed cùm in re dubia conſultus Marcianus Imp. Theophili ſententiam harum rerum peritis probari reſpondiſſet; tum Leo encyclicas de more ſcripſit, quibus Dominicum ejus anni Paſcha VIII. Kalendas Majas futurum denunciavit. Exſtant Leonis hac de re ad Marcianum & ad Eudociam Epiſtolæ LXIV. & LXV. JACOBUS SIRMONDUS.

155. In Codice Cardinalis Grimani, quo uſus fuit Queſnelius, poſt finem ejus Epiſtolæ S. Leonis XCV. aliàs CIX. legitur: *PASCHA VALEN-*

LENTINIANO VIII. & ANTHEMIO COSS. VIII. Kalendas Majas. Nimirum, anno *ἐμβολίμῳ* ſequenti, Eræ communis CDLV. celebrandum fuiſſe Dominicum Paſchæ feſtum die XXIV. Aprilis. Eo namque Chriſti anno, Pontificatûs Leonis XV. Imperii Marciani V. Valentinianus Auguſtus VIII. Conſulatum geſſit cum Anthemio uſque ed diem decimũ ſeptimum Maji, quo occiſus fuit. Unde Epiſtola hæc Leonis ſcripta fuit an. CDLIV. præcedenti, conſulatu Studii & Aëtii, ſive poſt Conſulatum Opilionis, ut habet notatio ipſa S. Leonis. Opilio enim cum Vincomalo Conſulatum geſſerat anno CDLIII. Imperii Marciani tertio, Valentiniani antem viceſimo octavo.

156. Quod hoc anno geſſit Leo Papa cum Epiſcopis Galliæ & Hiſpaniæ, id ipſum ferè quolibet anno præcedenti ſolebant facere Metropolitani quique cum Epiſcopis ſuffraganeis, denunciantes Paſcha futurnm anno ſequenti. Unde in Coucilio Toletano IV. Caput V. inſcribitur: *De annunciatione Paſchæ ante Epiphaniam inter Epiſcopos exquirenda*. Ac deinde in ipſo capite dicitur: *Solet in Hiſpaniis de ſolennitate Paſchali varietas exiſtere prædicationis: diverſa enim obſervantia laterculorum Paſchalis feſtivitatis interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menſes Epiphaniorum Metropolitani Sacerdotes literis invicem ſe inquirant: ut communi ſcientia edocti diem Reſurrectionis Chriſti, & comprovincialibus ſuis inſinuent, & uno tempore celebrandum annuncient*. Quin & antea in Concilio Bracarenſi II. Cap. IX. ſtatuitur, *ut ſuperventurum ipſius anni Paſcha, quoto Kalendarum die, vel quotâ Lunâ debet ſuſcipi, à Metropolitano Epiſcopo nuncietur*. Vide infrà Concil. Toletanum X. cap. 1. & S. Iſidorum de laterculo & cyclo Paſchali lib. ſexto *Originum* cap. 17.

157. Antequam omnino recedamus ab Epiſtolis S. Leonis, obſerva, Lector, ſpeciali curæ fuiſſe ſanctiſſimo illi Pontifici, denunciare Epiſcopis Hiſpanis victoriam, Eccleſiæ Catholicæ reportatã de hæreticis in Concilio quarto Generali apud Chalcedonem celebrato ſub ipſius Pontificatu anno CDLI. Etenim Epiſt. LII. aliàs LXXVII. ad Epiſcopos Galliarum ſcribens, pronunciat dogmata Neſtorii & Eutychetis pariter eſſe fugienda, veluti quæ tota illa Synodus damnâſſet juxta Epiſtolam ſynodicam ejuſdem S. Leonis: & commendat ut gaudium ſuum commune faciant Epiſcopis Hiſpaniæ. Huc enim ſpectant verba illa poſtrema de clerici reditu Ingenui Epiſcopi in Galliam: *Ne diutiùs vobis eſſet incognita omnium materia gaudiorum: quæ volumus per curam dilectionis veſtræ etiam ad fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos pervenire: ut quod Deus operatus eſt, nulli poſſit eſſe incognitum*.

158. Unde non modò Concilium Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum, ſed etiam Chalcedonenſe, ab ipſo S. Leone celebratum anno CDLI. cum magno plauſu ac ſolennitate receptum fuit in Hiſpania, præſertim in Concilio Toletano III. anno Chriſti DLXXXIX. ubi tam à Reccaredo Rege, quàm à LXIII. Epiſcopis, emiſſa eſt publicè profeſſio ac formula Fidei, *quam expoſuerunt tractatus Chalcedonenſis Concilii*. Deinde exſecratis peſtiferis hæreſibus Arii, Macedonii, Neſtorii, & Eutychetis, recipiuntur Epiſtolæ Synodicæ S. Cyrilli Alexandrini adverſus Neſtorium, & ſummo in honore habetur Epiſtola *ſancti ac beatiſſimi primæ Sedis Archiepiſcopi Leonis, ſcripta ad Flavianum ſanctæ recordationis Archiepiſcopum, ad perimendam Eutychetis malignitatem*, &c. Quæ omnia infrà ſuo loco integrè à nobis exhibenda ſunt, lectu digniſſima, circa quatuor prædicta Concilia Generalia, quibus S. Gregorius Magnus voluit eandem fidem præſtari, ac quatuor Euangeliis. Porrò non multò ante id tempus, quo in Concilio III. Toletano tam ſplendidè recepta fuit doctrina Cencilii Chalcedonenſis, & Epiſtola S. Leonis ad illud, accinebat univerſalem illius receptionem, etiam in extremis Hiſpaniæ finibus, Venantius Fortunatus lib. ſingulari Carminum, exſtante Tomo X. Biblioth. Maximæ PP. Aniſſunianæ pag. 614. iis verſibus ad Juſtinum Juniorem Imperatorem & Sophiam Augg.

Reddite vota Deo: quoniam nova purpura quicquid
Concilium ſtatuit Chalcedonenſe tenet.
Hoc meritis Auguſte tuis & Gallia cantat,
Hoc Rhodanus, Rhenus, Iſter, & Albis agit:
Axe ſub occiduo audivit Gallicia factum:
Vaſcone vicino Cantaber iſta refert.

CARD. DE AGUIRRE.

EPISTOLA

EPISTOLA I.

EPISCOPORUM TARRACONENSIUM,

Scripta circa annum CDLXV.

AD

HILARUM PAPAM,

IN CONCILIO ROMANO LECTA.

SUMMARIUM.

De ordinatione Epiſcopi per Sylvanum Calagurritanum Epiſcopum, contra Patrum regulas & Nicænos Canones facta, apud Romanum Pontificem conqueruntur; eumque conſulunt, quid in hoc caſu facere, aut qua ratione abuſibus ejuſmodi occurrere debeant.

Domino beatiſſimo, & Apoſtolicâ reverentiâ à nobis in Chriſto colendo Papæ Hilaro, Aſcanius Epiſcopus, & univerſi Epiſcopi Tarraconenſis provinciæ.

159. ETSI exſtaret * neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ; expetendum re vera nobis fuerat illud privilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis regni clavibus poſt Reſurrectionem Salvatoris; per totum Orbem beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio univerſorum illuminationi proſpexit: cujus vicarii principatus ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde uos Deum iu vobis penitùs adorantes, cui ſine querela ſervitis, ad Fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptioue, ſed Pontificali totum deliberatioue præcipitur.

* Dictaret.

160. Cùm hæc ita ſe habeant, eſt tameu inter nos falſus frater, cujus præſumptionem ſicut diutiùs tacere non licuit, ita & loqui futuri judicii ueceſſitas imperavit. Sylvanus quidem Epiſcopus Calagurræ, in ultima parte noſtræ provinciæ couſtitutus, * divinationes ſibi indebitas uſurpaudo, humilitatem noſtram ad hoc uſq; perduxit, ut contra ejus vaniſſimam ſuperſtitionem Sedis veſtrę uuicum remedium flagitemus. Hic namque jam ante ſeptem aut octo ampliùs annos, poſtponens Patrum regulas, & veſtra iuſtituta deſpiciens, uullis peteutibus populis Epiſcopum ordiuavit: cujus præproperum factum exiſtimantes fraterna & pacifica poſſe admonitione ſanari; profecit in pejus. Denique contra vetuſtatem Canonum, contra Synodi conſtituta, alterius fratris noſtri presbyterum, ſpiritu tantùm præſumptionis accenſus, in eodem loco, qui illi fuerat deſtinatus, cui invito & repugnanti impoſuerat manus, & qui noſtro jam cœtui fuerat aggregatus, Epiſcopum fecit. Hinc factum eſt, ut de ejus miſerrima temeritate ad nos Cæſarauguſtanæ urbis Epiſcopus frater uoſter univerſa referret, cujus diligentia & ſolicitudo admodùm proſpexerat, ſi iu aliquo profuiſſet: ſiquidem cunctis iu vicinia poſitis Epiſcopis, ne ſe ſchiſmatico adjungerent, frequentiſſimè contradixit: ſed obſtinatione damnabili totum quod erat illicitum, & quod nobis pudor eſt dicere, non erubuit ſolus ille committere.

* Ordinationes.

161. Proinde quia his præſumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri; quæſumus Sedem veſtram, ut quid ſuper hac parte obſervare velitis, Apoſtolicis affatibus inſtruamur: quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi conſtitutis, contra rebellionis ſpiritum veſtra auctoritate ſubnixi, quid oporteat de ordinatore & ordinato fieri, intelligere, Deo adjuvante, poſſimus. Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod Sancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Eccleſia, ſi novella zizaniorum ſemina fuerint exſtirpata. ET SUBSCRIPTIO: Orantem pro uobis ſanctum Apoſtolatum veſtrum jugi ævo divina conſervet æternitas.

NOTÆ VARIORUM

In hanc & ſequentes Epiſtolas.

162. E*PISTOLA.*] Hæc Epiſtola lecta eſt in Concilio Romano anno Domini CDLXV. Romæ celebrato. Dum legeretur, Patres ſuas ſententias acclamando & interloquendo addiderunt. Hoc igitur loco placuit eam ex Creſconio & Ms. Vaticano ad verbum collocare, ſicut à Tarraconenſibus ad Sedem Apoſtolicam ſcripta & directa fuerat. In Synodo Romana cum appoſitis acclamationibus, interlocutionibus, & ſententiis Patrum excuſa habetur. Utrobique itaque ponenda fuit, ut quas illa ex Patrum ſententiis interpoſitis additiones accepiſſet, facilè conſtare poſſet. Et quamquam barbaricus furor Gotthorum Hiſpaniarum Eccleſias prope omnes devaſtantium, vigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxâſſet; Tarraconenſem tamen provinciam cuſtodem legum & Canonum permanſiſſe, Romanum Pontificem obſervâſſe, omnes controverſias ad eundem, velut ad ſupremum Judicem & Paſtorem Eccleſiæ, detuliſſe; hæc Epiſtola manifeſtè ſatis indicat. Binius.

163. Ex contextu hujus Epiſtolæ Epiſcoporum provinciæ Tarraconenſis ad S. Hilarum Papam, conſtat palam, Eccleſiæ Hiſpanæ Patres à priſcis ſæculis crediidiſſe, judicia Epiſcoporum, ſicut & generatim cauſſas majores, ſpectare ad Apoſtolicam Sedem, & ab ea ſola ultimò dirimi poſſe. Hac perſuaſione ducti circa medium ſæculi tertii Eræ Chriſtianæ in cauſſa Baſilidis ac Martialis Epiſcoporum, quamvis conſulendum cenſerent S. Cyprianum, tunc in Africa florentem; exſpectârunt tamen ſententiam S. Sedis, quam & ipſi rei appellârunt. Similiter anno Chriſti CD. Patres Concilii Toletani I. in Sententia Definitiva cauſſæ Symphoſii, Dictinii, ac Paterni, Epiſcoporum, aliorumque, qui de hæreſi Priſcilliani, aliiſque criminibus accuſati fuerant, præcipuum rei judicium pendens reliquerunt à Pontifice Romano, ac SS. Ambroſio & Simpliciano Mediolanenſibus Epiſcopis, veluti vicariis S. Sedis in hac parte. Quin & antea in Concilio Oecumenico Sardicenſi, ubi Oſius adfuit cum quinque aliis Epiſcopis Hiſpanis, & præcipuas illius partes egit, anno CCCXLVII. cauſſæ majores, ac judicia Epiſcoporum, ſententiæ Romani Pontificis pleniſſimè remittuntur. Qua de re fusè egimus Tomo I. hujus Operis variis locis, præſertim Diſſertat. VII. & longè antea in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, præſertim Tract. I. Nihil itaque mirum quòd Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis pariter poſt medium quinti ſæculi, in hiſce literis cauſſas Epiſcoporum Irenæi, Sylvani, &c. remiſerint ad Sanctum Hilarum Papam, ut ab eo finem acciperent.

164. Obſervanda autem maximè ſunt verba illa initio, quibus ii Epiſcopi quærunt oraculum Sedis Apoſtolicæ, tanquam regulam Fidei, nulli errori obnoxiam. Propterea enim ajunt: *Nos Deum in vobis penitùs adorantes, cui ſine querela ſervitis, ad Fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam: inde reſponſa quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptione, ſed totum Pontificali deliberatione præcipitur.* Deinde oportet expendere poſtrema illa Epiſcopurum verba ad Pontificem: *Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, QUOD S. PETRI CATHEDRA OBTINET, CATHOLICA AUDIAT ECCLESIA, ſi novella zizaniorum ſemina fuerint exſtirpata.* Nimirum, ipſis altè perſuaſum erat, ab ipſa Sancti Petri Cathedra emanare oracula & reſponſa illa, quæ Apoſtolicus Præſul, id eſt Pontifex Romanus, profert in documentum Eccleſiæ Catholicæ. Quo item modo ac ſenſu loquuti inveniuntur quibuslibet ſæculis omnes ferè Patres ac ſcriptores Catholici, ut iis locis fusè oſtendimus pro auctoritate ſuprema & nulli errori obnoxia Sedis Apoſtolicæ in definiendis controverſiis, ſive quæſtionibus Fidei.

165. Similiter & in Epiſtola ſequenti ad eundem Hilarum ab initio obſervare oportet, qualiter Epiſcopi totius provinciæ Tarraconenſis congregati in unum, rogent Pontificem Romanum, ut confirmet ſententiam ipſorum de Irenæi electione aut deputatione in Epiſcopum Barcinonenſem, & de rejectione alterius cujuſpiam indebitè electi à Sylvano Epiſcopo Calagurritano, contra Nicænos Canones, & regulas Patrum. Ut hinc apertè colligas, & ex aliis exemplis nuper memoratis (quod alibi opportuniùs oſtendimus contra Archipræſulam Petrum Marcam, & alios quoſpiam) judicia Conciliorum Provincialium in cauſſis Epiſcoporum, non eſſe ſuprema, aut irreformabilia, ſed pendere ab ultimo judicio Sedis Apoſtolicæ, ejuſque nutu ſtare aut cadere. Similiter, nec eadem Concilia diſpenſare poſſe in Canonibus ſacris, ſed id ſpectare ad ſolam Sedem Apoſtolicam: ſiquidem propterea Epiſcopi Tarraconenſis provinciæ rogàrunt Hilarum Papam, ut diſpenſatione ſua probaret nominationem, ſive deſignationem Irenæi factam à Nundinario Epiſcopo adversùs diſpoſitionem ſacrorum Canonum. Cenſebant enim certò, Pontificem Romanum, & quidem ſolum, habere poteſtatem diſpenſandi in ſacris Conciliorum Canonibus, quoties urgeret gravis neceſſitas, & publica utilitas. Quâ etiam de re fusè diſſeruimus in eadem *Defenſione Cathedræ Sancti Petri*, Tract. III. Diſp. XXXVII. Vide ibi. Cardinalis de Aguirre.

EPI-

EPISTOLA II.

EPISCOPORUM TARRACONENSIUM

AD

HILARUM PAPAM,

IN CONCILIO ROMANO LECTA:

Additis interlocutionibus Patrum.

SUMMARIUM.

Rogant ut Hilarus Papa Irenæum Epiſcopum, quem Nundinarius Epiſcopus de Eccleſia benemeritus, teſtamento ſuo in * Tarraconenſi Eccleſia ſucceſſorem deſignavit, confirmet; deque Sylvani Epiſcopi facto ſententiam ſuam reſcribat. * Barcinonenſi.

Beatiſſimo, & Apoſtolicâ reverentiâ à nobis in Chriſto colendo Papæ Hilaro, Aſcanius, & univerſi Epiſcopi Tarraconenſis provinciæ.

166. QUAM curam Apoſtolatus veſter de provinciarum ſuarum ſacerdotibus gerat, filio noſtro illuſtri Vincentio, duce provinciæ noſtræ, referente, cognovimus: cujus impulſu votum noſtrum in auſum ſcribendi prona devotione ſurrexit. Ergo provinciali literario ſermone debita coronæ veſtræ obſequia deferentes; his quæſumus, ut dignatione, quâ cæteros, etiam humilitatem noſtram in orationibus veſtris in mente habere dignemini, beatiſſime, & Apoſtolicâ reverentiâ in Chriſto à nobis colende Pater: illud ſpecialiùs deprecantes, ut factum noſtrum, quod tam voto penè omnis provinciæ, quàm exemplo vetuſtatis in notitiam veſtram defertur, perpenſis aſſertionibus noſtris roborare dignemini. * Legeretur.

167. [*Et cùm * legeret, ab univerſis Epiſcopis & presbyteris acclamatum eſt: Exaudi Chriſte: Hilaro vita: dictum eſt decies. Hæc præſumptio nunquam fiat: dictum eſt ſexies. Quæ Dei ſunt, ab homine dari non poſſunt: dictum eſt ſexies. Per dominum Petrum rogamus, ut in perpetuum ſerventur: dictum eſt ſexies. Hæc ut reſerventur, rogamus. Hilarus Epiſcopus dixit: Lege: Paullus notarius recitavit.*] Epiſcopus Barcinonenſium civitatis ſanctus Nundinarius ſortem explevit conditionis humanæ. Hic Epiſcopo venerabili fratri noſtro Irenæo, quem ipſe antea in diœceſi ſua nobis volentibus conſtituerat, derelinquens ei quod potuit habere paupertas ſupremæ voluntatis arbitrio, in locum ſuum, ut ſubſtitueretur, optavit: ſed defuncti judicium in ejus meritum non vacillat. [*Et cùm * legeret, Probus Epiſcopus è conſeſſu ſurgens, dixit: Illud licuit, hoc non licuit. Succeſſores Deus dat. Auctoritate veſtra reſiſtite huic rei per Apoſtolatum veſtrum. Hilarus Epiſcopus dixit: Percurre quæ cœperas. Paullus notarius recitavit.*] Siquidem omnis clerus & plebs ejuſdem civitatis, & optimi & plurimi provinciales, ut idem ejus locum obſervaret, à nobis ſperaverunt, dato conſenſu. Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, ſimul & utilitatem Eccleſiæ memoratæ; optimum duximus, ut tanto ſacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti ſubſtitueretur Antiſtes, præſertim cùm Eccleſia illius municipii, in qua antè fuerat ordinatus, ſemper hujus civitatis Eccleſiæ fuiſſe diœceſis conſtet. Ergo ſuppliciter precamur Apoſtolatum veſtrum, ut humilitatis noſtræ decretum, quod juſtè à nobis videtur factum, veſtra auctoritate firmetis. Jam dudum ſanè queſti fueramus literis noſtris de præſumptione Sylvani Epiſcopi: & miramur, quòd nulla Apoſtolatus veſtri reſponſa ſuſcepimus. Nunc hæc eadem ſuggerentes, petimus, ut quid ſuper his rebus obſervandum ſit, Apoſtolicis ſermonibus nos dignemini informare. Et ne forſitan per negligentiam portitoris,

Acclamationes Patrum interpoſitæ.

* Legeretur. Interlocutiones Patrum.

aut per longinqui itineris difficultatem, humilitatis noſtræ ad vos ſcripta non potuerint ex hoc negotio pervenire; etiam ſuggeſtionem noſtram maluimus iterare. Ex Subscriptio: Orantem pro nobis ſanctum Apoſtolatum veſtrum jugi ævo divina conſervet æternitas nobis omnibus & Eccleſiæ ſuæ, Domine verè noſter, & Apoſtolice Papa. *Hilarus Epiſcopus dixit: Alia Epiſtola recitetur. Paullus notarius recitavit.*

S. HILARI PAPÆ

Conſultatio in Synodo Romana, circa Epiſtolas Epiſcoporum Tarraconenſium, cum interlocutionibus.

ANNO CHRISTI CDLXV.

168. QUONIAM religioſus, ſancto Spiritu congregante, conventus hortatur, ut quæcumque pro diſciplina Eccleſiaſtica neceſſaria ſunt, curâ diligentiore tractemus; ſi placuit, fratres, ea quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta & Nicænorum Canonum conſtituta, ita adjuvante Domino in omne ævum manſura ſolidemus, ut * nulli fas ſit ſine ſtatûs ſui periculo, vel divinas Conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare; quia nos, qui * potiſſimi ſacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſſis Dei deſides fuerimus inventi: quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ ſacerdotum. Siquidem reatu majore delinquit qui potiori honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum, ſublimitas dignitatum.

Mſ. ... Nulli fas ſit.

Ezech. 2. & 33.

169. Cavendum ergo imprimis eſt, ne ad ſacratos gradus, ſicut geſtis prioribus antè præſcriptum eſt, quiſquam, qui uxorem non virginem duxit, aſpiret. Repellendus eſt etiam quiſque, qui in ſecundæ uxoris nuptias contra Apoſtolica præcepta convenit.

Diſt. 34. Curandum eſt.

170. Inſcii quoque literarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines aſpirare non audeant. Quiſquis talium conſecrator exſtiterit, factum ſuum diſſolvet.

Pœnitentes permittuntur in Cod. Juſtelli, quemadmodum & in Decret. Gratiani. D. 55. cap. Pœnitentes, vel inſcii. Ex pœnitentes ſint.

171. Sed & quod quis commiſit illicitè, aut à deceſſoribus ſuis invenit admiſſum, ſi proprium periculum vult vitare, damnabit: nos enim in nullo volumus ſeveritatem ultionis exercere. Sed qui in cauſſis Dei, vel contumaciâ, vel in aliquo exceſſu deliquerit, aut ipſe, quod perperam fecit, abolere noluerit; in ſe, quicquid in * alium non * reſecârit, inveniet. Quod ut deinceps poſſit tenaciùs cuſtodiri; ſi placet, ſententias, cauſſas, & ſubſcriptiones proprias omnes * commendate, ut ſynodali judicio * auditus claudatur * illicitis.

* Alio.
* Reſecuerit.
* Commodate.
* Aditus.
* Illicitus.

172. [*Ab univerſis Epiſcopis & presbyteris acclamatum eſt: Exaudi Chriſte: Hilaro vita: dictum eſt ſexies. Hæc & confirmamus, & hæc docemus: dictum eſt octies. Hæc tenenda ſunt, hæc ſervanda ſunt: dictum eſt quinquies: Doctrinæ veſtræ gratias agimus: dictum eſt decies. Iſta ut in perpetuum ſerventur, rogamus: dictum eſt quindecies. Iſta per S. Petrum, ut in perpetuum ſerventur, optamus: dictum eſt octies. Hæc præſumptio nunquam fiat: dictum eſt decies. Qui hæc violaverit, in ſe inveniet. dictum eſt ſepties. Et facto ſilentio, Hilarus Epiſcopus dixit.*]

173. Præterea fratres, nova & inaudita (ſicut ad nos, miſſis de Hiſpaniis epiſtolis, ſub certa relatione pervenit) in quibuſdam locis perverſitatum ſemina ſubiode naſcuntur. Denique nonnulli Epiſcopatum, qui nonniſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hæreditarium putant eſſe compendium: & credunt, ſicut res caducas atque mortales, ita ſacerdotium, velut * legali aut teſtamentario jure, poſſe dimitti. Nam plerique ſacerdotes in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſubrogare: ut ſcilicet non legitima exſpectetur electio, ſed defuncti gratificatio pro populi * habeatur aſſenſu. Quod quàm grave ſit, æſtimate. Atque ideo, ſi placet, etiam hanc licentiam generaliter de Eccleſiis auferamus; ne (quod turpe dictu eſt) homini quiſquam putet deberi quod Dei eſt.

* Legatorio, *ita Cod. Juſt.* 8. q. 1. cap. Plerique Sacerdotes.
* Præbeatur.

174. Ut autem, quod ad nos * prolatum eſt, ad veſtram etiam poſſit pervenire notitiam; Hiſpanorum fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum ſcripta legantur. *Paullus notarius recitavit.*

* Perlatum.

* * * *Additur in Mſ. Juſtelli*: Et ſtatutum eſt, nequid ultra hujuſmodi à ſacerdotibus præſumatur.

EPISTOLA HILARI PAPÆ

Ad Aſcanium, & reliquos Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos.

ANNO CHRISTI CDLXV.

I. *Ut nullus ſine conſenſu Epiſcopi Metropolitani Epiſcopus ordinetur.*
II. *Ut nullus Epiſcoporum, relictâ propriâ Eccleſiâ ad aliam tranſeat.*
III. *Ut Irenæus remotus à Barcinonenſi Eccleſia, ad propriam revertatur.*
IV. *De removendis Epiſcopis qui illicitè ordinati ſunt: & ne in una Eccleſia duo Epiſcopi habeantur.*
V. *De damnatione Irenæi, ſi ad ſuam Eccleſiam non revertatur.*

Hilarus Epiſcopus Aſcanio & univerſis Epiſcopis Tarraconenſis provinciæ.

175. POSTQUAM literas veſtræ dilectionis accepimus, quibus præſumptiones Sylvani Epiſcopi Calagurrenſium Eccleſiæ retundi petiſtis, & rurſum Barcinonenſium quæritis nimis illicita vota firmari; honoratotum & poſſeſſorum Turiaſſonenſium, Caſcantenſium, Calagurritanorum *, Virgilienſium, Tricienſium, Legionenſium, & Civitatenſium, cum ſubſcriptionibus diverſorum, literas nobis conſtat ingeſtas: per quas id quod de Sylvano querela veſtra deprompſerat, excuſabant. Sed reprehenſione joſtiſſima eorum pariter juſta allegatio non carebat: quia præter conſcientiam Metropolitani, fratris & Coëpiſcopi noſtri Aſcanii, nonnullis civitatibus ordinatos claruit ſacerdotes. Unde, qooniam quicquid ab alterutra parte eſt indicatum, omni videmus perverſitate confuſum; temporum neceſſitate perſpectâ, hac ratione decernimos ad veniam pertinere quod geſtum eſt, ut nihil deinceps contra præcepta Beati Apoſtoli, nihil contra Nicænorum Canonum conſtitutum teutetur.

* Varegenſium civitatis *in Ms. Juſt. cæteris omiſſis.*

1. *qu.* 7. *c.* Quoniam quicquid. 1. *Timoth.* 3. & *Hebr.* *Nicæn. Concil. IV. & VI.*

I.

176. Hoc autem primum, juxta eorundem Patrum regulas, volumus cuſtodiri, ut nullus præter notitiam atque conſenſum fratris Aſcanii Metropolitani aliquatenos conſecretur Antiſtes: quia hoc vetus ordo tenoit, hoc trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum definivit auctoritas; cui quiſquis obvias tetenderit manus, eorum ſe conſortio fatetur indignum, quorum præceptionibus reſultârit.

II.

177. In quorum contumeliam à ſuperbo ſpiritu etiam pars illa contemnitur, qua * vetatur, ne quis, relictâ Eccleſiâ ſuâ, ad alteram tranſire præſumat. Quod nimis improbè conniventibus, & (ut doleatur graviùs) vobis afferentibus, Irenæus Epiſcopus conatur admittere, * qui noſtra auctoritate roborari cupitis, quos maximè de rebus illicitis magna indignatione probatis accendi. Lectis ergo in conventu Fratrum, quos natalis mei feſtivitas congregârat, literis veſtris, quæ de ordinandis Epiſcopis ſecundùm ſtatuta Canonum vel prædeceſſorum meorum decreta ſunt, prolatâ ſententiâ, geſtorum, quæ pariter direximus, tenore, diſcetis.

* Cavetur. *Sard. Conc. c.* 1. & 2.

* Quod.

III.

178. Unde remoto ab Eccleſia Barcinonenſi, atque ad ſua remiſſo Irenæo Epiſcopo, ſedatis per ſacerdotalem modeſtiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Eccleſiaſticarum legum diſſiderant, quod non licet, obtinere; talis protinus de clero proprio Barcinonenſibus Epiſcopus ordinetur, qualem te præcipuè, frater Aſcani, oporteat eligere, & deceat conſecrare: ne ſi * ſimiliter fortè factum fuerit, non ſine objurgatione tui maximè nominis * retundat noſtra præceptio, quod in injuriam Dei, à quo ſpecialiter ſacerdotalium eſt gratia dignitatum, didicerimus admiſſum. Nec Epiſcopalis honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſola Dei noſtri benignitate Chriſti confertur.

7. *qu.* 1. *c.* Remoto.

* Aliter.

* Retundatur.

IV.

179. Ordinatos ergo nunc Epiſcopos * (qui, licèt te ignorante, provecti ſunt, cum ſuis auctoribus * meruerunt ſubmoveri) hac ratione firmamus, ſi nec * viduarum maritus fuerit quiſquam, * & in unius virginis nuptias ac vota convenerit, ſicut & legalia conſtituta præcipiunt, dicendo: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* Secundùm quod etiam beatus Apoſtolus Paullus, magiſter gentium, de his qui fieri deſiderant ſacerdotes, propria inſtitutione non tacuit,

* Qui licèt dum te.

* Meruerint.

* Viduæ.

* Nec in ſecundæ conjugis.

Levit. 21. *Ezech.* 44.

1. Timoth. 3. cuit, dicens: *Unius uxori virum.* Cujus ſanè tenore ſententiæ ita informati eſſe debetis, fratres chariſſimi, ut inter cætera quæ cavenda ſunt, hæc ſtudeatis præcipuè cuſtodire; quæ cognoſcitis ante univerſa mandari. In qnibus etiam * proſpiciendum eſt, ne duo ſimul ſint in una Eccleſia ſacerdotes: nec literarum ignarus, aut carens aliquâ parte membrorum, vel etiam * ex pœnitentibus aliquis ad ſacrum miniſterium prorſus ſinatur accedere. Nec tantùm putetis petitiones valère populorum, ut quum his parere cupitis, voluntatem Dei noſtri, qui nos peccare prohibet, deſeratis. Cujus indignatio ex hoc graviùs commovetur, quia benignitas ejus, dum fiunt illicita per eos qui ſunt interpretes placationis, offenditur.

* Perſpiciendum.
* Expœnitens.

V.

180. Ut autem omnia, ſecundùm hæc quæ ſcripſimus, corrigantur, præſentes literas, Trajano ſubdiacono noſtro veniente, direximus. Quòd ſi Irenæus Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam, depoſito improbitatis ambitu, redire neglexerit (quod ei non judicio, ſed humanitate præſtabitur) removendum ſe ab Epiſcopali conſortio eſſe cognoſcat. Deus incolumes vos cuſtodiat, fratres chariſſimi. Data tertio Kalendas Januarii, Baſiliſco & Herminerico Viris Clariſſimis Conſulibus.

An. Dñi CDLXV.

NOTÆ VARIORUM.

181. QUOS *natalis mei feſtivitas congregat.*] Per natalem diem Pontificis Hilari intellige diē ordinationis, ſive electionis, quo in ſummum Pontificem electus & aſſumptus fuit. Solennis enim hoc tempore conſuetudo erat, nt plures Epiſcopi ſingulis annis Romam convenirent, magna cum ſolennitate celebraturi illum diem, quo Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ ad ſummi Pontificatus culmen aſſumptus fuit. S. Leo aliquos ſermones de ſua ordinatione, ſive anniverſario die aſſumptionis ſuæ ad faſtigium & culmen ſummi Pontificatûs, habuit. Huc faciunt ea quæ S. Auguſtinus habet de die natali Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis, ſermone triceſimo ſecundo *De verbis Domini*, in fine, deque anniverſario die ordinationis ſuæ, homiliâ 24. & 25. Quomodo hæc nonnulli auctoritate Paullini, Epiſtolâ decimâ ſextâ ad Delphinum confirment, non video. Loquitur enim de ſolenni illa & antiquiſſima conſuetudine, quâ ſolebant fideles, nulla habita ratione calorum æſtivorum, ad natalem diem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli concurrere: de qua egimus ſuprà in Notis Epiſtolæ illius præambularis Concilii Chalcedonenſis, quam Galla Placidia ſcripſit ad Pulcheriam Auguſtam. Vide Baronium anno CDLXV. num. 17. Binius.

182. *Quoniam religioſus*, &c.] Totus ferè contextus hujuſce §. quo hortatur Hilarus Papa ad obſervantiam Canonum Nicænorum, videtur penè deſumptus ex Leone Magno, pariter de eiſdem loquente variis locis, & commendante obſervantiam illorum inviolabilem, præſertim Epiſt. 79. 80. 86. 92. editionis Queſnelii. Porrò quæ deinde ſequentibus §§. ordinantur, digniſſima lectu & obſervatu ſunt, ac fuerunt ad remedium afferendum iis malis ac detrimentis diſciplinæ Eccleſiaſticæ, de quibus conqueſti ſunt Epiſcopi Tarraconenſis provinciæ, dum conſuluerunt Sedem Apoſtolicam.

183. *Poſtquam literas veſtræ dilectionis*, &c.] Habes in hoc reſcripto Hilari Papæ ad Epiſcopos provinciæ Tarraconenſis reſponſionem plenam, & ſolutionem dubiorum, de quibus conſuluerunt Sedem Apoſtolicam. Etenim §. 1. decernitur, ſeu potiùs denuò confirmatur, nt nullus ſine conſenſu Præſulis Metropolitani ordinetur Epiſcopus. Quod jam antea in Magna Synodo Nicæna ſtatutum fuerat Can. IV. ubi dicitur, ὁ εἴ τις χωρὶς γνώμης Μητροπολίτε γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸ τοιοῦτον ἡ μεγάλη Σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. *Quòd ſeqnis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus; eum magna Synodus definit non eſſe Epiſcopum.* Similiter Concilium Antiochenum paullò poſterius, ſub Julio I. Canone XIX. præcipit, Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα Συνόδου, καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ Μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας &c. *Epiſcopum non eſſe ordinandum abſque Synodo, & præſentia Metropolitani provinciæ*, &c. Idipſum præcipitur in Conciliis Laodiceno Provinciali Can. XII. Carthaginenſi II. Can. XII. Carthaginenſi IV. Can. I. atque alibi ſæpè.

184. Iis aliiſque Canonibus ſacris ductus Hilarus in hac Epiſtola, irritas decernit electiones ordinationeſque factas à Sylvano Epiſcopo Calagurritano, quoniam factæ fuerant ſine conſenſu Metropolitani, nimirum Aſcanii Præſulis Tarraconenſis. Qua declaratione reſpondet priori illi Epiſtolæ adverſus eundem Sylvanum ſcriptæ. Erat inſuper alia ratio ad ejus electionem reſpuendam: qnoniam Sylvanus proprio arbitrio, ſine petitione populi, delegerat ſibi ſucceſſorem in Epiſcopatu, ipſiſque poſſeſſionem dederat, contra omne jus & fas, quaſi hæreditate poſſidendum eſſet ſanctuarium Dei, non autem meritis & electione Canonica. Tentabant quidem excuſare Sylvanum populi plures ibidem nominati: veluti Turiaſſonenſes, Caſcantenſes, Calagurritani, Virgilienſes, Tricienſes, Legionenſes, & Civitatenſes: (omnes ſere nunc poſt duodecim ſecula retinent eadem antiqua nomina, etiam Hiſpanicâ linguâ) ſed ea excuſatio viſa fuit Pontifici inepta, veluti palam contraria prædictis Canonibus ſacris.

185. Irenæi quoque electio ſeu deſignatio in locum Nundinarii Epiſcopi Barcinonenſis, declaratur nullius valoris. Imprimis, quoniam præſeferebat turpitudinem hæreditariæ ſucceſſionis. Deinde, quia Irenæus ipſe erat Epiſcopus alterius Eccleſiæ: ac proinde non poterat transferri in aliam. Nimirum, vigebat tunc, & multis ſæculis poſtea, ſaltem in Occidente, lex illa tot Canonibus Eccleſiæ firmata, præſertim in Concilio

Occu-

Oecumenico Sardicenſi, vetans tranſitiones Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam, immo & tranſlationes, ubi ad has faciendas non compellebat urgens aliqua neceſſitas, vel communis utilitas. De quo jam latè egimus Tomo I. Diſſert. XI. & XII. Neutra autem interveniebat, ut Irenæus Epiſcopus tranſiret, vel transferretur in Eccleſiam Barcinonenſem. Quapropter Hilarus Papa poſtulationem illam Epiſcoporum & populi Barcinonenſis pro Irenæo rejicit ex eo utroque capite, ipſumque redire jubet in ſuam Eccleſiam, & præcipit ut alius ritè ordinetur Epiſcopus Eccleſiæ Barcinonenſis.

186. *Ordinatos ergo nunc Epiſcopos, &c.*] S. Hilarus hoc loco quædam remittens, & alia corrigens, aut vetans, exſequitur idipſum, quod poſtea S. Gregorius Magnus monuit lib. 11. reſponſione VII. ad Auguſtinum Epiſcopum Anglorum, dicens: *In hoc enim tempore ſancta Eccleſia quadam per fervorem corrigit: quadam per manſuetudinem tolerat: quadam per conſiderationem diſſimulat, atque portat: ut ſæpè malum, quod averſatur, portando & diſſimulando compeſcat.* S. Hilarus ergo, cùm eo tempore aliquæ ordinationes fuiſſent factæ in Hiſpania adversùs Canones, ita eas damnat aut improbat, ut tamen nonnullas per ignorationem factas diſſimulet, aut permanere ſinat, dummodo electi in Epiſcopos non fuerint bigami, nec viduam duxerint, nec repudiatam, ſed unicam virginem. Decernit inſuper ne ſint in una Eccleſia ſimul plures Sacerdotes (id eſt Epiſcopi) prout eſſe videbantur in Barcinonenſi Nundinarius & Irenæus, atque in Calagurritana Sylvanus & quidam alius. Denique ab Epiſcopatu arcendos omnino vult, immo & ab ordine ſacro, quoslibet homines imperitos, aut carentes aliqua parte membrorum, aut denique *ex pœnitentibus*. Quiſquis enim ob ſcelus aliquod commiſſum poſt baptiſmum agebat pœnitentiam illam ſolennem ſacris Canonibus indictam, in quocumque grado pœnitentium eſſet, aut fuiſſet, prohibebatur omnino recipere, non modò Epiſcopatum, ſed & quemlibet ſacrum ordinem: uti paſſim legitur in Conciliis, obſervatumque fuit ſæpè Tomo I. in Commentariis ad Concilium Eliberitanum, apparebitque ſæpiùs decurſu hujus Tomi.

187. Ratio autem præcipua, tam in hac Decretali Epiſtola, quàm in Conciliis paſſim, prohibendi pœnitentibus, non modò Epiſcopatum, ſed & aſcenſum ad quoslibet ſacros ordines, eſt propter infamiam, ſive notam quam ſubibant apud omnes ex ſcelere perpetrato, & pœnitentiâ in ejus vindictam factâ. Neque enim idonei cenſebantur ad regendas animas, aut ſubditos in officio continendos monitis ſuis, neque ad offerendum ſacrificium pro populo, qui pravo vitæ exemplo, ſeu probroſo quopiam crimine, ſibi maculam aſperſiſſent: cùm vera ſit ſententia illa, & paſſim experimento comprobata: *Quorum vita contemnitur, doctrina deſpicitur.* Porrò hoc loci *pœnitentis* nomine intelligitur, ſicut ſuprà in Concilio Toletano Can. II. *Qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Itaque pœnitens ejuſmodi, etiam poſt reconciliationem, prohibebatur prorſus ad ſacros ordines accedere. Vide infrà Epiſtolas Hormiſdæ PP. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

188. Si autem propter ſcelus grave, etiam diuturnâ & ſeveriſſimâ pœnitentiâ expiatum, vetat Hilarus, & alii Pontifices, aſcenſum ad ordines ſacros, nec ſolùm ad Epiſcopatum; quantò magis iis, qui ſimilibus ſceleribus maculati, ac de iis notati, nec pœnitentiam ſeriò egerunt, nec exemplari vita notam illam eluerunt? Si crimina per longam & aſperrimam pœnitentiam remiſſa coram Deo & hominibus, adhuc impediebant receptionem ordinis ſacri, juxta Pontifices & Concilia; quantò fortiùs eadem ſcelera nullatenus expiata aut remiſſa, impedimento eſſe debuerunt? Viderint DD. Epiſcopi, quorum maximè intereſt, quibus imponant manus. Inquirant accuratiſſimè in mores ac qualitates cæteras ordinandorum, prout in hac Epiſtola, & tot aliis Eccleſiæ Conciliis ac decretis præcipitur: immo & prout jure ipſo naturali ac divino præceptum cenſetur: ne fortè perfunctorio aut minùs accurato examine contenti, vel deluſi, imperitos, ineptos, aut criminoſos admittant ad ſacrum ordinem, cum graviſſima Dei Injuria, & dedecore Eccleſiaſtici ordinis, ac populi ſcandalo aut damno.

189. Inter tot libros doctos & ſalutares ea de re editos, nullus, meo judicio (credo & aliorum) eruditior, copioſior, aut utilior eſt, quàm ille graviſſimi Doctoris Sorbonici Franciſci Hallierii *De ſacris ordinationibus & electionibus*. in quo Hierarchæ omnes invenient optimè tractatum & digeſtum quicquid ad eam rem ſpectat. Quia verò id volumen eſt vaſtiſſimum, & immodicæ magnitudinis, quod plerique non habent, & pauci integrè percurrere poſſunt; oporteret ut quiſpiam vir doctus ac pius totum id Opus in ſynopſin aut enchiridion aliquod apta methodo contraheret. Sic enim non dubito verſantem in manibus omnium longè utiliorum futurum.

190. *Baſiliſco & Herminerico VV. CC. Conſulibus.*] Nimirum, anno Eræ Chriſtianæ, ut initio monuimus, CDLXV. Imperii Leonis IX. Pontificatûs Hilari IV. qui biennio pòſt diem obiit, ſucceſſoremque in Sede Apoſtolica habuit Simplicium, ut teſtatur in Chronico ſuo Idatius, hiſce verbis: *Hilaro defuncto, ſex ſacerdotii ſui annis expletis, XLV. Romana Eccleſia Simplicius ordinatur.* Nunc progrediamur ad quandam ejuſdem Simplicii Epiſtolam. Cardinalis de Aguirre.

EPISTO-

EPISTOLA
SIMPLICII PAPÆ
AD ZENONEM SPALENSEM EPISCOPUM.
AB ANNO CDLXVIII. AD CDLXXXIII.

Committit illi vices Apoſtolicæ Sedis in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis.

Dilectiſſimo fratri Zenoni Simplicius.

191. PLURIMORUM relatu comperimus, dilectionem tuam fervore Spiritus ſancti ita te Eccleſiæ gubernatorem exiſtere, ut naufragii detrimenta, Deo auctore, non ſentiat. Talibus iccircò glorİantes indiciis, congruum duximus, vicaria Sedis noſtræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum, nullo modo tranſcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus eſt, per quem in his regionibus divinus creſcere innotuit cultus. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime.

NOTÆ VARIORUM.

192. EPISTOLA.] Hæc Epiſtola magnum & vigilantiſſimum Simplicii Papæ ſtudium oſtendit, quòd ſub gladio Erulorum exiſtens, non prætermiſerit ſolicitudinem externarum Eccleſiarum, quæ longiùs poſitæ, ſub Gotthica ſervitute gemebant. Obſervandum, quòd ſicut hoc loco Zenonem Hiſpalenſem Eccleſiarum Hiſpanicarum Vicarium conſtituit, ita alibi Acacio Conſtantinopolitano in Orientalibus Eccleſiis moderandis vices ſuas delegaverit. Idque factum ideo, ut is cui totius Eccleſiæ cura à Deo commiſſa fuit, nulla in re officio ſuo defuiſſe videretur. Vide quæ diximus ſuprà in Notis Canonis viceſimi Concilii Sardicenſis. BINIUS.

193. Non modò vigilantia & ſolicitudo Simplicii Papæ pro Eccleſia detegitur in hac Epiſtola; ſed etiam probitas morum, & bonus ſanctitatis odor, quâ fulgebat Zeno Archipræſul Hiſpalenſis. Propterea enim illum Simplicius conſtituit Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Hiſpania tota. Non enim in ſola aliqua ejus parte: nam verba illa *in iis regionibus*, non determinant provinciam Bæticam, cujus Metropolis erat Hiſpalis aut Corduba aliis & aliis temporibus; ſed extenduntur ad reliquas Hiſpaniæ provincias.

194 Non ſatis conſtat quonam anno ſcripta fuerit. Verùm cùm Simplicius Pontificatum inierit loco Hilari, qui humana poſuit anno CDLXVII. teſte Idatio, & Eccleſiam rexerit diu uſque ad CDLXXXIII. oportet ut Epiſtola data fuerit in eo ſpatio ſedecim annorum interjecto. Videtur autem id accidiſſe ſub regno Eurici inchoato, circa annum octavum Imperii Leonis, & continuato per ſeptemdecim annos, id eſt, ab ann. Chriſti CDLXVI. uſq; ad CDLXXXIII.

195. Tam verò Euricus, quàm alii Reges Hiſpaniæ, eo tempore erant hæretici Ariani: ut mirum proinde ſit interea fuiſſe Epiſcopos, qui intrepido animo Religionem Catholicam tuerentur, qualiter faciebat Zeno Hiſpalenſis Præſul, & creditur de plurimis aliis. Adhuc enim ſub illo Arianorum dominio, & væſano furore, major ac potior Hiſpaniæ pars cenſetur ſub profeſſione Catholicæ Fidei perſeveràſſe ferè qualis fuerat ſeptuaginta retrò annis tẽpore S. Ambroſii, ſub finem ſuæ vitæ, Epiſtolâ XXXII. ad Valentinianum Imperatorem (aliàs XXI. juxta noviſſimam editionem Monachorum S. Mauri) ajentis: *Hanc Fidem* (Catholicam) *Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum pia divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt.*

196. Sed quid opus aliis teſtimoniis, quàm S. Leonis Papæ, ſub cujus Pontificatu, ſatis diuturno, ab anno CDXL. uſque ad CDLXI. tot in Hiſpania Præſules inſignes fuerunt, præcipuè ii, qui ejuſdem hortatu anno CDXLVII. Concilium Hiſpanicum Generale contra Manichæos, Priſcillianiſtas, & omnes alios hæreticos celebràrunt? inter quos notiſſimi fuerunt S. Turibius Aſturicenſis, Balconius Archipræſul Bracarenſis, Idatius & Ceponius Epiſcopi: de quibus ſatis in ſuperioribus egimus. Itaque adhuc eo tempore quo Reges profeſſione Ariani in Hiſpania dominabantur, Epiſcopi omnes, aut ferè omnes, pro Catholica Fide fortes & conſtantes permanebant: & inter eos Zeno iſte Præſul Hiſpalenſis, cui proinde S. Simplicius Papa vices ſuas in Hiſpania commendat.

Obi-

197. Obiter nota nulla fide dignum apparere quod narrat Didacus de Valera (citatus ab Ambroſio Morale lib. undecimo cap. 35.) de prædicto Rege Eurico: prædixiſſe, ſcilicet, diem mortis ſuæ, & ſubditis perſuaſiſſe, ut eo mortuo eligerent Regem ipſius filium Alaricum. Quod utrumque ſecutum eſt. Unde enim Valera id habere potuit, cùm nec ab Idatio, nec à S. Iſidoro, neque à quopiam alio ſcriptore eorum temporum id habere potuerit? Id certum videtur, Arelate in Gallia mortuum fuiſſe anno CDLXXXIII. aut circiter, juxta Wulſam, Rodericum, & alios: qui idem annus emortualis deſignatur Simplicio Papæ Epiſtolam hanc ſcribenti ad Zenonem.

198. Præterea difficile apparet, Euricum Regem Arianum, ac proinde à vera Fide & charitate prorſus alienum, prædixiſſe antea mortem ſuam eo modo quo à nonnullis ſanctitate inſignibus viris ac fœminis prædicta legitur. Hoc enim iis accidit ex divina revelatione, veluti certum quoddam pignus ſalutis æternæ. Euricus autem Rex longiſſimè diſtabat ab ea diſpoſitione & perfectione vitæ: immo in ipſa perfidia Ariana habebat certum pignus æternæ ſuæ damnationis. Quomodo ergo cenſendus eſt prænoviſſe diem obitus ſui ex revelatione divina? Niſi fortè contigerit eo modo, quo ſexaginta circiter annis poſtea accidit Theoderico Regi Italiæ pariter Ariano: cui cœnanti, in capite cujuſdam piſcis magni ſupra menſam poſiti apparuit caput graviſſimi & Catholiciſſimi viri Conſularis Symmachi, quem paullò antea ipſe decollari juſſerat. Theodericus autem viſo eo ſpectro territus prænovit mortem imminentem ſibi, quam & illicò miſerrimè ſubiit: ut narrat S. Gregorius Magnus, & alii.

199. Obſervare autem oportet, plurimum falli omnes illos, qui Primatum Hiſpaniæ totius adſcribunt intra quartum & quintum ſæculum, vel Eccleſiæ Tarraconenſi, propter Epiſtolas Syricii Papæ ad Himerium, & Hilari ad Aſcanium, ipſius Antiſtitem; vel Eccleſiæ Hiſpalenſi, ob haſce literas Simplicii Pontificis ad Zenonem ejus Præſulem. Nullum enim verbum in iis literis Pontificiis ad eos Antiſtites exſtat, è quo colligatur Primatus Hiſpaniæ propriè dictus, in quopiam illorum. Erant quidem ii Epiſcopi PRIMÆ SEDIS intra ſuam provinciam: quo titulo in Conciliis Hiſpaniæ, & alibi ſæpè, ſignificantur Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, quales certè erant Aſcanius in provincia ſua Tarraconenſi, & Zeno in Bætica. Eo ſenſu Metropolitani ſæpè in Conciliis dicuntur Primates, aut Primatum gerere, tamquam Epiſcopi primæ Sedis, ſive præeminentis ſupra alias totius provinciæ. Non autem propterea dicuntur Primates preſsè aut propriè ſupra omnes alios Metropolitanos totius regni, ac nominatim Hiſpaniæ, etiam ordinatione antiquiores. Hoc enim genus Primatûs longè poſtea initium habuit.

200. Quod autem Joannes Morinus, vir doctiſſimus, in ſuis Exercitationibus allegat pro Eccleſia Hiſpalenſi, & quidam alii pro Tarraconenſi, quaſi Primatum habuerint in omnes alias Hiſpaniæ eo tempore quo Romani Pontifices iis delegârunt vices ſuas (ſi fortè unquam eæ delegatæ fuerunt alicui Præſuli Tarraconenſi) ac nominatim Simplicius Papa in hac Epiſtola Zenoni Hiſpalenſi Præſuli; nullatenus urget. Non enim ea poteſtas vicaria fuit data Eccleſiæ Hiſpalenſi, aut Tarraconenſi, ſive (quod perinde eſt) dignitati Metropoliticæ illarum Eccleſiarum; ſed dumtaxat perſonis Himerii, Aſcanii, ac Zenonis Archipræſulum, ob eorum probitatem, zelum, & dexteritatem: ut ex ipſis Epiſtolis conſtat. Idemque dicendum de literis Hormiſdæ Pontificis ad Salluſtium Hiſpalenſem, ſuo tempore exhibendis: ſed cum hoc diſcrimine, quòd Hormiſda ibidem tribuit Salluſtio facultatem congregandi Concilium Nationale, & ferendi ſententiam litium verſantium inter Epiſcopos. quod certè aliquem ſpecialem Primatum denotat tunc in Salluſtio Hiſpalenſi, ut optimè obſervat Morales lib. 11. cap. 44. Sed tamen nec Salluſtius, nec Zeno fuerunt vicarii nati, ſed electi ad beneplacitum Pontificis Romani, durante ipſorum vita, vel ad certum tempus. Interea verò nullus ex Metropolitanis totius Hiſpaniæ habebat præeminentiam aliquam ſupra alterum: ſed omnes ii in ſedendo, loquendo, ac ſubſcribendo in Conciliis quibuslibet Nationalibus Hiſpaniæ, attendebant antiquitatem ſolam ordinationis: ut patet ex omnibus ipſorum Actis. Modò enim Toletani, modò Hiſpalenſes, modò Tarraconenſes, modò Bracarenſes, modò Emeritenſes, modò denique Narbonenſes ſubſcribunt in iis Conciliis ante omnes alios, prout contingebat quempiam ex iis eſſe reliquis antiquiorem.

201. Cæterùm longè aliter accidit in Præſulibus Toletanis à tempore Concilii XII. Toletani celebrati anno DCLXXXI & deinceps. Non tam enim ipſorum perſonis, quàm dignitati Metropoliticæ illius Regiæ urbis, datum fuit ibi capite I. ut ungerent Reges Hiſpaniæ in coronatione ſua. Præterea cap. 6. intuitu ejuſdem dignitatis dicitur: *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ* (in quibuſdam exemplaribus additur, *atque Galliciæ*) *ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, IN QUIBUSLIBET PROVINCIIS, in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.* Prædictæ autem duæ notæ ungendi Reges, ac probandi & eligendi Epiſcopos in tota Hiſpania, fuerunt peculiares & propriæ Toletanorum Præſulum ab eo tempore, ac ſigna ſpecialis Primatûs ſupra reliquos Metropolitanos.

EPISTOLA FELICIS III. PAPÆ

AD ZENONEM EPISCOPUM * SPALENSEM

* habetur in Ms. [illegible]

AB ANNO CDLXXXIII. AD CDXCII.

202. FELIX meus vir clariſſimus Terentianns ad Italiam dudum veniens, dilectionis tuæ ſingularis exſtitit prædicator, talemque te eſſe volgavit, qui ita Chriſti gratiâ redundares, ut inter mundi turbines guberoator Eccleſiæ præcipuus appareres. Quapropter, frater chariſſime, cùm ad provinciam commearet, ſeduloque depoſceret noſtras ad dilectionem tuam literas deſtinari, gratanter annoimus: qui & dignum Deo ſermone complecti cuperemus Antiſtitem, & per eum maximè vellemus id fieri, cujus nobis fuerat laudibus intimatus. Quamvis ergo ſanctis operibus ex omni parte prædictam fraternitatem tuam vir præfatus adſtruxerit, multumque fiduciæ de tua benevolentia jam teneret; tamen æquum eſt, ut quod deſiderabat magnopere, conſequatur: quatenus, qui tuis olim gratus eſt animis, contemplatione noſtri reddatur acceptior, ſimulque materna & ſacerdotali conſolatione foveatur, peregrinationiſque præſidium paſtorali pietate reperiat, ut veſtræ dignitatis affectu appareat, apud ſinceritatem tuam noſtrum quoque non minimnm ſalutantis valuiſſe colloqninm. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE.

203. CUM S. Simplicius Papa obiiſſet Nonis Martii anno Chriſti CDLXXXIII. in ejus locum ſuffectus fuit poſt ſex dies S. Felix III. hujus nominis; cui alius Felix, cognomento Terentianos, vir clariſſimus, Romam veniens, notitiam dedit eximiæ pietatis ac diligentiæ, quâ Zeno Epiſcopus Hiſpalenſis Eccleſiam illam ac Metropolim adminiſtrabat. Itaque beatiſſimus Pontifex hortatu ejuſdem Terentiani hanc Epiſtolam ſcribit ad Zenonem urbanitatis & honorificentiæ plenam, in qua & ipſum Terentianum ejus patrocinio aut benevolentiæ commendat.

204. Nulla notatio adjecta eſt diei aut Conſulum. Cùm verò Felix ipſe in Pontificatu vixerit à die X. (aliàs XIII.) Martii anni Eræ Chriſtianæ CDLXXXIII. annos octo & menſes undecim, uſque ad CDXCII. quo electus fuit Gelaſius I. oportet ut intra id temporis ſpatium data fuerit Epiſtola hæc. Porrò ab eo anno CDLXXXIII. regnare cœpit In Hiſpaoia Alaricus uſque ad Eram DXLIV. juxta S. Iſidorum, id eſt, uſque ad annum Chriſti DVI. per ſpatium annorum viginti triom.

205. Ut autem ſuprà monuimns, quamquam tùnc Reges in Hiſpania hæreſim Arii profiterentur, & ſimiliter prædictus Alaricus ſub Pontificatu Sanctorum Felicis III. Gelaſii I. ac Symmachi; Epiſcopi tamen Catholicam Fidem fortiter tuebantur, & in iis Zeno Hiſpalenſis, pluresque alii toto ſæculo ſexto: ii præſertim qui convenere ad plura Concilia celebranda, veluti Tarracone anno DXVI. Gerondæ anno DXVII. Toleti anno DXXVII. ac poſtea uberiùs ibidem anno DLXXXIX. in Concilio Nationali Toletano III. celeberrimo: quæ omnia ſuis locis exhibebimus.

206. Nec ſolùm apud Epiſcopos, ſed apud Hiſpanos cæteros, magna ſaltem ſui parte, permanſiſſe creditur Catholica adversùs Arium doctrina, curâ ac ſtudio eorundem Præſulum conſervata. Inde eſt quòd in ædificiis, ſepulchris, ac lapidibos ejuſdem ſæculi ſexti, conſervatæ fuerint diu literæ illæ A. & Ω. quaſi teſſera Catholicæ Fidei intra Hiſpaniam. Illuſtre exemplum habemus à tempore ejuſdem Alarici Regis, aon. DIV. quo deceſſit apud *Alcalà del Rio* quidam ioſignis ſervus Dei Gregorins nomine, celebris famâ ſanctitatis, cùm eodem Catholiciſmi ſigno, & verbis iſtis adhuc exſtantibus in lapide ſepulchrali apud Eccleſiam ejus oppidi:

IN. HOC. TVMVLO. IACET. FAMVLVS.
DEI. GREGORIVS. QVI. VIXIT. ANNOS.
PLVS. MINVS. LXX. RECESSIT. IN. PACE.
DIE. NONA. SEPTEMB. ÆRA. DXLII.

Nimirùm anno Chriſti DIV. & biennio ante obitum Regis Alarici.

207. Similiter ad annum Chriſti DX. id eſt, quartum & nltimum regnantis in Hiſpania Geſaleici (Procopius Geſelicum vocat) inſcriptum fuit hoc epitaphium pulcherrimo marmori, mille circiter annis poſtea invento, tempore imperantis Caroli V. apud Talaveram Reginæ:

LITORIVS. FAMVLVS. DEI. VIXIT. ANN.
PLVS. MINVS. LXXV. REQVIEVIT. IN.
PACE. IX. KAL. IVLIAS. ÆRA. DXLVIII.

Porrò is eſt annus prædictus Chriſti DX. Symmachi Papæ XII. Anaſtaſii Imperatoris XIX. Severino Boëtio in Occidente, Eutharico in Oriente Conſulibus; quo & Theudericus cœpit regnare in Hiſpania pro nepote ſuo Amalarico. Sed hæc obiter dicta ſunto pro chrono-taxi Conciliorum, Pontificum, ac Regum, maximè attendenda in hoc Opere.

CONCILIUM TARRACONENSE

X. EPISCOPORUM,

Habitum Erâ DLIV. anno CHRISTI DXVI.

Tempore Hormiſdæ Rom. Pont.

TITULI.

I. *Ut etiam ad proximas ſanguinis clerici cum teſtimonio vadant.*

II. *Ut* [a] *clerici emendi viliùs, vel vendendi cariùs* [b] *non permittantur.*

III. *Ut* [c] *clerici, ſi ſolidum præſtiterint, ſine uſura recipiant:*

IV. *Ut nullus Epiſcopus, vel infrà poſitus, die Dominico cauſſas judicare præſumat.*

V. *Ut qui in Metropolitana civitate Epiſcopus* [d] *non ordinatur, poſt duos menſes ſe Metropolitano præſentet.*

VI. *Ut Epiſcopus, qui à Metropolitano commonitus ad Synodum non venerit, excommunicetur.*

VII. *Ut diœceſani clerici ſeptimanas teneant, & die ſabbatho omnes in unum conveniant.*

VIII. *Ut annis ſingulis Epiſcopi* [e] *diœceſani viſitent, & ut non plus quàm tertiam de* [f] *Parochiis accipiant.*

IX. *De clericis & Oſtiariis, qui adulteris mulieribus admiſcentur, ut* [g] *projiciantur.*

X. *Ut nullus Epiſcopus pro judiciis munera accipiat.*

XI. *Ut monachus miſſus alicubi, miniſterium clericatûs agere non præſumat, nec negotiator,* * *nec exſecutor exiſtat.*

XII. *Ut ſi Epiſcopus inteſtatus obierit, inventarium de rebus ejus clerici faciant, & nullus exinde aliquid auferat.*

XIII. *Ut Epiſcopus diœceſanos presbyteros, & quoſdam ex laïcis* [h] *convenire literis ad Synodum moneat.*

[a] Clericis. Exc.
[b] Non permittatur licentia. Exc.
[c] Ut quantum clericus præſtiterit, tantum recipiat. Exc.
[d] Non fuerit ordinatus. Exc.
[e] Diœceſim. Exc.
[f] Parochiis. Exc.
[g] Prohibeantur. Exc.
* Deſunt in Exc.
[h] Moneat literis convenire. Exc.

In nomine [i] *Chriſti habita Synodus Tarraconæ anno ſexto* [k] *Theuderici Regis, conſulatu* [l] *Petri, ſub die octavo Idus Novembris.*

[i] Domini Jeſu Chriſti.
[k] Theodorici C. A.
[l] Fortè *Agapeti*, ut infrà in Concilio Gerundenſi.

ANTIQUI Patres ſtatuta de his cenſuiſſe videntur, quæ in tempore, aut ad illos [n] relata pervenerunt, aut certè acta teſtimonio proprio comprobaverunt. Cujus rei & nos ſequentes exemplum, illa quæ nunc fiunt, placuit obſervanda decernere, ut præterita abſque ambage cuſtodiantur, & præſentia [a] obſervatione ſint firma. Igitur cùm in unum pariter conveniſſemus in urbem Tarraconenſem, quæ eſt [b] Metropolitana; titulos ſubter adnexos conſcripſimus obſervandos.

[m] *Alii Mss.* Antiqua antiquorũ Patrum.
[n] *Aliàs* perlata. Exc.
[a] Hac obſervatione. *Exc.*
[b] Metrop. obſervatione fundata tit. *C. A.* Metrop. obſervantiſſimè fund. tit. *Exc.*

I. *Ut etiam ad proximas ſanguinis clerici cum teſtimonio vadant.*

1. De his, quibus cura pro parentelæ proximitate haberi permittitur, [c] ut cautela eorum neceſſitates [d] ſuſtentent, pietatis beneficia, quæ eis ſunt neceſſaria, [e] præbeant: ipſi verò pro viſendis eis, cùm ingreſſi fuerint, celeri ſalutatione recurrant, nec [f] inibi faciant manſionem: qui tamen, cùm ad earum viſitationem pergunt, teſtem ſolatii ſui, [g] fide & ætate probatum adhibeant ſecum. Siquis hæc à nobis ſtatuta contempſerit; ſi clericus eſt, loci ſui dignitate privetur; ſi verò Religioſus, vel monachus, in cella monaſterii [h] recluſus pœnitentiæ lamentis incumbat; ubi ſingulari afflictione, panis & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.

[c] Fa. *Exc.*
[d] Suſtineant. *Exc.*
[e] *C. A.* Longiùs præbeant.
[f] Ibi. *Exc.*
[g] Fide & ætate providum. *C. A.*
[h] Incluſus. *Exc.*

i Clericis. *Exc.*

k Permittatur licentia. *Exc.*

II. *Ut [i] clerici emendi viliùs, vel vendendi cariùs non [k] permittantur.*

14. q. 4. Canonum ſtatutis. *Decre. Ivon. p.* 6. *c.* 13. *cap.* 13. *Burch. lib.* 1. *cap.* 122.
* *Deeſt in Exc.*
l Ut quicumque, *apud Grat. Greg.*
m Quod certè ſi voluerit exercere, cohibeatur à clero, *Grat. Gregor.*
n Hoc. *C. A.*

2. Sicut * Canonum ſtatutis firmatum eſt, [l] quicunque in clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs ſtudio non utatur: [m] certè ſi voluerit [n] hæc exercere, cohibeatur à clero.

o Ut quantum clericus præſtiterit, tantum recipiat. *Exc.*
* Deeſt. *Exc.*
p Iſtud. hoc. *Ivo.*
q Venundare. *Ivo.*

III. [o] *Ut clerici, ſi ſolidum præſtiterint, ſine uſura recipiant.*

3. Si quis * verò clericus ſolidum in neceſſitate [p] præſtiterit, ut hoc de vino, vel frumento accipiat, quod mercandi cauſsâ tempore ſtatuto decretum fuerit [q] venundari: cæterùm ſi ſpeciem non habuerit neceſſariam, ipſum quod dedit, ſine ullo augmento recipiat.

15. q. 4. Nullus Epiſcoporum, aut presbyt. *Ivo p.* 4. *cap.* 32.
* *Deeſt in Exc.*
a Vendicare. *Exc.* Ventilare *Grat. Greg.*
b Vindicandi. *Exc.*
c Excepto criminali. *Grat. Greg.*

IV. *Ut nullus Epiſcopus, vel infrà poſitus, die Dominico cauſſas judicare præſumat.*

4. Ut * nullus Epiſcoporum, aut presbyterorum, vel clericorum, die Dominico propoſitum cujuſcumque cauſſæ negotium audeat, judicare; niſi ut hoc tantùm, ut Deo ſtatuta ſolennia peragant. Cæteris verò diebus, convenientibus perſonis, illa quæ juſta ſunt, habeant licentiam [b] judicandi, [c] exceptis criminalibus negotiis.

d Non fuerit ordinatus. *Exc.*

V. *Ut qui in Metropolitana civitate Epiſcopus [d] non ordinatur, poſt duos menſes ſe Metropolitano præſentet.*

Diſt. 65. Si quis in Metropol.
e Quàm ſuſceptâ benedictione. *Exc. & Grat. Greg.*
f Epiſcopi. *Exc.*
g Hoc. *Exc.*
h Et ſi.

5. Si quis in Metropolitana civitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſtea [e] cùm ſuſceperit benedictionem, per Metropolitani literas honorem fuerit [f] Epiſcopatûs adeptus; id optimum eſſe decrevimus, ut poſtmodùm ſtatuto tempore, ideſt, impletis duobus menſibus, ſe Metropolitani ſui repræſentet aſpectibus: ut ab illo monitis Eccleſiaſticis inſtructus, pleniùs quod obſervare debeat, recognoſcat. Quòd ſi fortè [g] hæc implere neglexerit, in Synodo increpatus à fratribus corrigatur. [h] Quòd ſi fortè infirmitate aliqua, ne hoc impleat, fuerit præpeditus; hoc ſuis literis Metropolitano indicare procuret.

Diſt. 18. Si quis Epiſcoporum commonitus. *Simile eſt in Panorm. lib.* 4. *cap.* 26. *ex Avernenſ.*
i Epiſcoporum. *Exc.*
k Cenſuerunt. *Exc.*

VI. *Ut Epiſcopus, qui à Metropolitano commonitus ad Synodum non venerit, excommunicetur.*

6. Si quis [i] Epiſcopus commonitus à Metropolitano, ad Synodum, nullâ gravi intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit; ſicut ſtatuta Patrum [k] ſanxerunt, uſque ad futurum Concilium cunctorum Epiſcoporum charitatis communione privetur.

VII. *Ut Diœceſani clerici ſeptimanas teneant, & die ſabbatho omnes in unum conveniant.*

l Sabbathi. *Exc. & C. A.*

7. De diœceſanis Eccleſiis, vel clero, id placuit definiri, ut presbyteri, vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſervent: ideſt, ut presbyter unam faciat hebdomadam; quâ expletâ ſuccedat ei diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſervatâ, ut omnis clerus die [l] ſabbatho ad Veſperam ſit paratus; quo faciliùs die Dominico ſolennitas cum omnium præſentia celebretur: ita tamen, ut omnibus diebus Veſperas & Matutinas celebrent: quia deſiſtente clero (quod eſt peſſimum) comperimus in baſilicis nec luminaria miniſtrari. Si qui ſanè negligentiæ vitio hæc implere noluerint, noverint ſe ſecundùm ſtatuta Canonum, pro modo perſonarum, canonicæ diſciplinæ ſubdendos.

a Diœceſim. *Exc.*
b Parochiis. *Exc.*

VIII. *Ut annis ſingulis Epiſcopi [a] diœceſani viſitent, & ut non plus quàm tertiam de [b] parochis accipiant.*

10. q. 1. Decrevimus, ut antiquæ. *Ivo. p.* 3. *cap.* 38. *Burch. lib.* 3. *c.* 33.

8. Multorum caſuum experientiâ magiſtrante, reperimus nonnullas diœceſanas eſſe Eccleſias de-

ſtitu-

ſtitutas: [c] ob quam rem id hac conſtitutione decrevimus, ut antiquæ conſuetudinis ordo ſervetur, & [d] annuis vicibus ab Epiſcopo [e] diœceſano viſitentur: & ſi qua fortè baſilica reperta fuerit deſtituta, [f] ordinatione ipſius [g] reparetur. Quia [h] tertia ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Epiſcopis, [i] novimus ſtatutum.

c Pro qua re id conſt. *Burch. & Ivo.*
d Annis ſingulis. *Excuſ. & Ivo.*
e Diœceſ. Viſit. *Exc. & Grat.*
f Ordinatori ejus. *Grat.*
g Reparari præcipiatur. *Exc.*
h Tertia pars. *Grat. & Exc.*
i Ex principibus novimus ſtat. *Burch. Ivo.*

IX. *De clericis, & Oſtiariis, qui adulteris mulieribus admiſcentur, ut [k] projiciantur.*

9. Si quis [l] Lectorum adulteræ mulieri voluerit miſceri, vel adhærere conſortio, aut relinquat adulteram, aut à clero habeatur extraneus. [m] Similis ſententia Oſtiariorum manebit ſcholam.

k Prohibeantur. *Exc.* Ut à clero projiciantur. *C. A.*
l Lector adult. mulieris. *Exc.*
m Simili ſent. Oſtiar. laſcivia punietur. *Exc.*

X. *Ut nullus Epiſcopus pro judiciis munera accipiat.*

10. Obſervandum quoque decrevimus, ne quis ſacerdotum, vel clericorum, more ſæcularium judicum, audeat [n] accipere pro impenſis patrociniis munera; niſi fortè in [o] Eccleſia oblata gratuita, quæ non favore muneris videantur accepta, ſed collatione devotionis illata. [p] Quia ſi qui iſta [q] probantur accipere, veluti exactores fœnoris, aut uſurarum [r] poſſeſſores, ſecundùm ſtatuta Patrum ſe [s] noverint degradandos.

35. q. 2. Obſervandum quoque.
n *Aliàs* exigere.
o Eccleſiis obl. gratuito. *Exc.*
p Quòd ſi quis. *Exc.*
q Probatur exactor. *Exc.*
r Poſſeſſor. *Exc.*
s Noverit degradandum. *Exc.*

XI. *Ut monachus miſſus alicubi, miniſterium clericatûs agere non præſumat, nec negotiator, * nec exſecutor exiſtat.*

* *Deeſt in Exc.*

11. Monachi à monaſterio foras egredientes, ne aliquod miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi fortè cum Abbatis imperio. Similiter, ut nullus eorum (id eſt monachorum) forenſis negotii ſuſceptor vel exſecutor exiſtat; niſi id quod monaſterii expoſcit utilitas; Abbate ſibi nihilominus imperante, * Canonum ante omnia Gallicanorum de eis conſtitutione ſervata.

16. q. 1. Monachi à monaſt.
* *Hæc verba uſque in finem cap. non exſtant in excuſis.*

XII. *Ut ſi Epiſcopus inteſtatus obierit, inventarium de rebus ejus clerici faciant, & nullus exinde aliquid auferat.*

12. Sicubi defunctus fuerit Epiſcopus inteſtatus, poſt [a] depoſitionem ejus, à presbyteris & diaconibus, de rebus ipſius [b] breve fideliter conſcribatur, à minimo uſque ad maximum; id eſt, de utenſilibus, vel omni ſupellectile: ita tamen, ut ſi quis exinde, vel [c] præſumpſiſſe, vel occultè fuerit tuliſſe convictus; ſecundùm furti tenorem reſtituat univerſa.

12. q. 5. Sicubi defunctus.
a Diffinitionem. *In C. Greg.* defunctionem. *Exc.*
b Inventarium. *Exc.* Aliàs in eiſdem breve Inventarium.
c Præſump. aliquid. *Exc.*

XIII. *Ut Epiſcopus diœceſanos presbyteros, & quoſdam ex laïcis, [d] convenire literis ad Synodum moneat.*

13. Epiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolùm [e] à Cathedralibus Eccleſiis presbyteri, verùm etiam de diœceſanis, ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant.

d Moneat literis convenire. *Exc. Burch. lib. 2. cap. 48. Ivo. p. 5. cap. 158.*
e E Cathedralis Eccleſiæ presbyteris. *Exc. & C. A.*

1. Joannes in Chriſti nomine Epiſcopus Tarraconenſis civitatis [f] Conſtitutiones à nobis conſcriptas ſubſcripſi.
2. Paullus in Chriſti nomine Epiſcopus [g] Impuritanæ civitatis ſubſcripſi.
3. Hector [h] Epiſcopus Carthaginenſis Metropolis ſubſcripſi.
4. Fontinianus [i] in Chriſti nomine Epiſcopus Gerundenſis civitatis * ſubſcripſi.
5. Agritius in Chriſti nomine Epiſcopus [k] Barcinonenſis civitatis ſubſcripſi.
6. Urſus in Chriſti nomine Epiſcopus Dertoſanæ civitatis ſubſcripſi.
7. Orontius in Chriſti nomine Epiſcopus [l] Illeberitanæ civitatis ſubſcripſi.
8. Vincentius in Chriſti nomine Epiſcopus Cæſarauguſtanæ civitatis ſubſcripſi.
9. Camidius [m] in Chriſti nomine Epiſcopus [n] Auſonitanæ civitatis ſubſcripſi.
10. Nebridius in Chriſti nomine minimus Sacerdotum [o] conſtitutionem ſanctorum Canonum ſubſcripſi, ſanctæ Eccleſiæ Egarenſis miniſter.

f Conſtitutionibus conſcriptis. *Exc.*
g In Tiraſſonenſ. civitate. *Exc.*
h In Chriſti nomine Epiſcopus Carthaginis. *C. A.*
i Fortunianus. *Exc.*
* Deſunt. *Exc.*
k Gerundenſis. *Exc.*
l Eliberitanæ. *Exc.*
m Cinidius *Exc.* Divadius. *C. A.*
n Auſonenſis. *Exc. & C. A.*
o Eccleſiæ Egarenſis (*aliàs* Bigerrenſis) miniſter conſtit. ſanct. Can. ſubſcripſi. *Exc.*

IN

IN SUBSCRIPTIONES

NOTÆ VARIORUM.

14. IN Concilio Gerundenſi primo habito Erâ DLV. unum annum poſt hoc Tarraconenſe, ferè iidem Epiſcopi ſubſcribunt: ut Paullus, Joannes, Fontinianus, ſeu Frontinianus, Agricus, ſeu Agritius, Orontius, Nebridius. LOAISA.

15. *Hector.*] Intellige, titularis Epiſcopus Carthaginis, quæ fuerat Metropolis totius provinciæ Carthaginenſis uſque ad an. circit. CDXI. quo, juxta Idatium, Alani, Suevi, & plures alii barbari magnam Hiſpaniæ partem devaſtârunt, & imprimis provinciam Carthaginenſem. Quare Epiſcopi ejus præcipuæ urbis ſolum titulum Metropolitanorum retinuerunt ab eo ferè tempore uſque ad hoc Concilium, & aliquantò poſtea tempore Liciniani Epiſcopi; toto interea decore ac dignitate primæ Sedis, ſeu Metropoleos in Eccleſiam Toletanam paullatim translatis: ut in ſuperioribus diximus. CARD. DE AGUIRRE.

16. *Nebridius.*] Frater Juſti Urgelitani, qui in Cantica ſcripſit, & Juſtiniani, Valentini, & Elpidii. Non fuit Epiſcopus Agathenſis, ſed potiùs Egarenſis: ut ex hac ſubſcriptione conſtat, conſentientibus omnibus Codicibus Mss. LOAISA.

17. *Nebridius.*] Ut ſimul notitiam habeas hujus Nebridii, & trium fratrum ipſius inſignium, pariter Epiſcoporum, atque eodem tempore florentium in Hiſpania, accipe illam ex S. Iſidoro in libro *De viris illuſtribus*, ajente: *JUSTINIANUS de Hiſpania Eccleſiæ Valentiæ Epiſcopus, ex quatuor fratribus Epiſcopis, ex eadem matre progenitis, unus, ſcripſit librum Reſponſionum ad quemdam Ruſticum De interrogatis quæſtionibus*, &c. *Floruit in Hiſpaniis temporibus Theudæ Principis Gotthorum.* Et ſtatim: *JUSTUS Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopus Hiſpaniarum, & frater prædicti Juſtiniani, edidit libellum expoſitionum in Cantica Canticorum, totum valdè breviter & apertè per allegoriarum ſenſum. Hujus quoque fratres Elpidius & Nebridius* (hic ipſe nimirum) *quædam ſcripſiſſe feruntur*. Hæc ibi. CARDINALIS DE AGUIRRE.

FRAGMENTA

CONCILII TARRACONENSIS

EX GRATIANO.

GRATIANUS De Conſ. *diſt.* 5. *cap.* Dictum eſt. *Habetur etiam in Concilio Cabilonenſi II. cap. 27. uſque ad verbum*: Quia bis vel ter. *Ita etiam eſt adnotatum in Decreto Gregoriano.*

19. Dictum eſt nobis, quòd quidam de plebe bis vel ter, vel eò ampliùs, Epiſcopis ignorantibus, tamen ab eiſdem Epiſcopis confirmentur. Unde viſum eſt nobis, eandem confirmationem, ſicut nec baptiſmum, iterari minimè debere: quia bis, vel ter, vel ampliùs baptizatos, aut confirmatos, non ſæculo, ſed ſoli Deo, ſub habitu regulari vel clericali religioſiſſimè famulari, decretum eſt

NOTÆ VARIORUM

IN CONCILIUM TARRACONENSE.

20. TARRACONENSE.] Tarraco celeberrima etiam nunc in Comitatu Cathaloniæ Metropolitana civitas. Meminêre hujus Ptolemæus lib. 2. *Geograph.* cap. 2. 4. & 6. Plinius lib. 3. cap. 1. & 3. & Strabo lib. 3. Antoninus in *Itinerario*, Pomponius Mela, atque alii. Fuit autem Tarraconenſis hæc Synodus celebrata ſub Hormiſda Romano Pontifice ann. Domini DXVI. ex Iſidoro & aliis, eſt Erâ DLIV. LOAISA.

21. *Anno ſexto Theuderici.*] Non intelligas hæc de ſexto anno regni Italiæ; (nam ejus regni hîc DXVI. numeratur viceſimus quartus) ſed potiùs cùm regnare cœpit in Hiſpania. Quod contigit, ut Iſidorus ſcribit, anno regni ejus in Italia decimooctavo, à quo hic ipſius in Hiſpania regnantis ſextus dicitur. CARD. BARONIUS ad annum Chr. DXVI. fine.

22. *Theuderici.*] Theudericus Oſtro-gotthorum & Italiæ Rex, Arianus, pro Alarico Rege Hiſpaniæ, genero ſuo, bellum contra Clodovæum Gallorum Regem ſuſcepit, eumque fudit. Mor-

tuo

tuo autem Alarico, pro Amalarico, Alarici filio, ejuſque ex filia nepote, Hiſpaniam ſapienter & piè rexit, eamque à Francorum incurſionibus liberam ſervavit, donec Amalaricus regimen regni ſuſciperet. Hujus ingenium, mores, ætatem, vitamque omnem Sidonius Apollinaris eleganti Epiſtola deſcribit ad Agricolam. LOARSA.

23. *Conſulatu Petri.*] Scilicet ſolus ille Conſul fuit eo anno Chriſti DXVI. Hormiſdæ Pontificis ſecundo, Anaſtaſii Imperat. viceſimo quinto, & Theuderici Amali (aliàs Theodorici) in Italia regnantis viceſimo quarto, in Hiſpaniis autem ſexto. Licèt autem ille Arianam hæreſin palam profiteretur, ſinebat Catholicos, tam Romæ quàm in Hiſpania, Catholicè agere, & Concilia ſuo more celebrare. Quo ex capite Ennodius Ticinenſis impensè illum laudat. Nec tamen propterea ſequimur opinionem eorum, qui ajunt Theudericum ipſum modò aut pòſt in Hiſpaniam veniſſe, & Monaſterium Caradignæ (vulgò *San Pedro de Cardeña* prope Burgos) fundâſſe. Utrumque enim falſum eſt: ut palam & fusè oſtendit Ambroſius de Morales lib. 11. *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, cap. 42. Regebat quidem illam nomine aut vice nepotis ſui Amalarici per Præfectos aut Proconſules, etiam quo tempore celebratum fuit hoc Concilium: ſed ipſe interea in Italia aut Gallia exiſtens. Licèt verò diu bene ſe habuiſſet erga Catholicos, tam Italos quàm Hiſpanos, tandem poſtea crudelis fuit erga Joannem Papam, Symmachum, & Boëtium, quibus necem intulit, propterea ipſe horrenda morte ſublatus, & in tartarum detruſus, uti S. Gregorius Magnus & alii narrant. CARD. DE AGUIRRE.

AD CANONEM VIII.

24. *Quia tertia ex omnibus:*] Gelaſius Papa cap. 29. Epiſt. Ad Epiſcopos per Lucaniam & Brutium, *Quatuor* (inquit) *tam de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit (ſicut dudum rationabiliter eſt decretum) convenit fieri portiones: quarum una ſit Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.* Ex quo decreto conſtat, Eccleſiaſticarum rerum diviſionem quadripartitò fieri ſolitam. Qua de re Gregorius agit libro 3. *Epiſtolarum*, Epiſtolâ II. Idemque ad Auguſtinum Epiſcopum Anglorum, *Mos eſt* (inquit) *Apoſtolicæ Sedis, ordinato Epiſcopo præcepta tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones.* Refert idipſum Gratian. 12. q. 2. ex Decretis Gelaſii. Quam diviſionem ex Concilio Romano ſub Sylveſtro I. celebrato originem ducere exiſtimo, nam in Canone ejus IV. id ſancitur, nec ante id tempus mentionem illius invenio: vocaturque à Gregorio *canonica partitio* libro 3. *Epiſtolarum*, Epiſt. II.

25. In Hiſpania verò hanc diviſionem non receptam, ſed eam quæ fit in tres tantùm portiones, conſtat ex Concilio Tarraconenſi Can. VIII. & Concil. Tolet. IV. cap. 32. & ex Toletano IX. cap. 6. ex Bracarenſi etiam II. cap. 2. refertque Gratianus 12. q. 3. cap. *Si Epiſcopus*, & Ivo lib. 3. cap. 171. Et apertiùs id oſtendit Concil. Agrippinenſe cap. 6. *Item quod decimæ, quæ à fidelibus datur, Dei cenſus nuncupandus eſt, & Deo integrè reddenda: cujus tertia pars, ſecundùm Canonem Toletanum, Epiſcoporum eſſe debet. Nos verò hac poteſtate uti nolumus, ſed tantùm ſingulis annis quartam partem, juxta uſum Romanorum Pontificum, & obſervantiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, de eadem habere volumus.* In principio verò Eccleſiæ, hanc diviſionem nondum in uſu poſitam exiſtimo, quòd arbitrio Epiſcopi res Eccleſiæ regebantur; poſtea verò creſcente Eccleſiæ peculio, in Concilio Niceno ſunt qui dicant, ut quieti & paci conſuleretur, hanc diviſionem eſſe ſanctam. Quòd verò omnia bona Eccleſiæ ſub unius Pontificis poteſtate principio Eccleſiæ fuerint, ex Canone Apoſtolorum XIV. conſtat, ubi ſic habetur: *Præcipimus, ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat.* Canone etiam V. jubetur, ut omnia quæ offeruntur, ad domum Epiſcopi & presbyteri mittantur; ut eorum arbitrio diaconis & cæteris clericis dividantur: & Canone XXXIX. omnium Eccleſiaſticorum negotiorum ſoli Epiſcopo æqua diſpenſatio curaque committitur; ſicut etiam Concil. Lucenſis Canone XVI. De qua re eruditiſſimam & ſanctiſſimam ſcripſit Epiſtolam Urbanus I. ad univerſos Epiſcopos, & Lucius I. Conſule etiam Concilium Gangrenſe VII. & VIII. & Concilium Antiochenum Can. XXIV. & XXV. Citat hoc caput Divus Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 7. ut probet Epiſcopos plenam ſuarum rerum habere poteſtatem. GARSIAS LOAISA.

IN ALIOS CANONES.

26. Multa equidem obſervatu digna ſtatuuntur, aut jam antea ſtatuta confirmantur in hoc Concilio, præſertim ad diſciplinam Eccleſiaſticam, vitamque & honeſtatem clericorum & monachorum ſpectantia: quæ omnia in ipſa litera conſiderari poſſunt, & planè evincunt Hiſpaniam, adhuc ſub regibus Arianis, conſervâſſe non modò Religionem Catholicam, ſed etiam diſciplinam Eccleſiaſticam, immo & monachalem; ut patet ex Canone I. & XI. ubi nominatim agitur de obſervantia monachorum.

27. Conſtat exinde, hoc tempore jam fuiſſe monachos & illorum Abbates in Hiſpania. De quibus cenſet Morales libro 11. cap. 43. fuiſſe Ordinis S. Benedicti. *Eſtos monaſterios* (inquit loquendo de hoc Concilio) *creo eran ya de la Orden de San Benito, que comenzò por eſte tiempo.* At enim licèt id valdè honorificum ſit Religioni meæ

Bene-

Benedictinæ; non poſſum concedere in ſententiam doctiſſimi Hiſtoriographi, nec tantam illi antiquitatem in Hiſpania tribnere.

28. Nimirum, in Concilio hoc celebrato anno Chriſti DXVI. jam erant in Hiſpania Monaſteria, Abbates, & Monachi, de quibus ibidem ſermo eſt. At eo anno nondum S. Benedictus Regulam ſuam ſcripſerat, multò minùs publicaverat, nec multis annis poſtea vulgata fuit extra Italiam. Hoc enim poſtremum non contigit uſque ad annum circiter DXXXVII. Quippe S. Benedictus non ſcripſiſſe Regulam ſuam creditur & traditur, nſqne dum è monaſterio Sublacenſi tranſiit ad Montem-Caſinum, ibidemque habitare cœpit anno plus minùs DXXIX. id eſt, tredecim annis poſt celebratum hoc Concilinm Tarraconenſe. Quapropter certiſſimum eſt, monaſteria in eo memorata anno DXVI. fuiſſe alterius Inſtituti quàm Benedictini. Hoc enim nonniſi aliquot annis poſtea cœpit primùm intra Italiam, & pluribus adhuc elapſis ad Galliam & Hiſpaniam propagari contigit.

29. Præterea manifeſtum eſt, multis annis ante hoc Concilium, & antequam S. Benedictus eligeret vitam monaſticam, immo & antequam naſceretur, fuiſſe monachos, & monaſteria, etiam monialium, in Hiſpania. Id patet imprimis ex inſigni monaſterio S. Victoriani in Aragonia: quòd, juxta celeberrimum ſcriptorem Hieronymum Zuritam, fundatum fuit tempore Geſelaïci (aliàs Geſaleïci) Regis Gotthi, anno Chr. DVI. quo S. Benedictus habebat ſolùm viginti ſex annos ætatis (utpote natus anno Chriſti CDLXXX.) & fortè nec cogitaverat ſcribere Regulam, vel fundare Ordinem aliquem monachorum.

30. Sed & ſexaginta tribus annis antequam Sanctus Benedictus naſceretur, Zoſimus Papa anno CDXVII. in quadam Epiſtola Decretali reprehendit pravam conſuetudinem introdactam, ut clerici & monachi in Gallia & Hiſpania nimis feſtinanter ordinarentur. Erant igitur jam tum in Hiſpania monachi. Immo & anno ipſo CD. quo celebratum fuit Concilium Toletanum I. volunt aliqui monachos Hiſpaniæ ſignificari Canone XI. & XV. ſub nomine *Religioſi*, & *Religioſorum*, addito nominibus *clerici*, & *clericorum*: præſertim cùm ibi diſtinguantur palam à laïcis & clericis. Alii quoque addunt longè antea, nimirum tempore Concilii Eliberitani (quod ſuprà Diſſertat. I. oſtendimus celebratum anno circiter CCCIII.) fuiſſe moniales in Hiſpania, & has ſignificari ibidem Canone XIII. verbis illis: *Virgines, quæ ſe Deo dedicaverunt*, &c. Titulus quoque eſt *De virginibus Deo ſacratis*. Quod videtur intelligi debere de monialibus: præſertim cùm Can. XIV. ſtatim ſequenti ſermo ſit *De virginibus ſæcularib.*

31. Itaque certum eſt, tempore hujus Concilii nullos fuiſſe monachos S. Benedicti in Hiſpania, nec ipſum adhuc Regulam ſuam ſcripſiſſe: multò autem minùs extra Italiam divulgâſſe. Id enim multis poſtea annis contigit, ut ſuo loco videbimus. Quare oportet fateri, monachos memoratos in hoc Concilio, & quoslibet alios iis antiquiores, nullatenus fuiſſe Benedictinos, nec ſervâſſe S. Benedicti Regulam; ſed aliam omnino; vel unam aliquam ex antiquis illis Patrum, ſive Orientalium, ſive Occidentalium. Nam etiam intra Occidentem fuiſſe monaſteria longè ante tempus hujus Concilii, patet vel ex duobus ſub finem quarti ſæculi exſtantibus Turonis & Mediolani, ſub cura aut patrocinio Sanctorum Martini & Ambroſii.

32. Quin &, ut ſuprà num. 23. indicavi, longiſſimè à vero aberrant quotcumque ajunt, Theodericum Amalum Italiæ Regem, tempore illo quo regnavit in Hiſpania pro Amalarico nepote ſuo, fundâſſe monaſterium Caradignenſe ſub Regula S. Benedicti. Imprimis enim licèt plerumque Theodericus ſineret Catholicos juxta ritum ſuum pacificè vivere, & Concilia religioſè celebrare; non eſt credibile Principem illum Arianum, & adeò obſtinatum in ea hæreſi, voluiſſe ædificare monaſterium Caradignenſe conſtans ſolùm monachis Catholicis.

33. Idipſum ſuadetur fortiùs. S. Benedictus enim cenſetur Regulam ſuam perfeciſſe ac publicare cœpiſſe ab eo tempore quo Montem-Caſinum adiit, & inibi habitavit: nimirum ab anno Chriſti DXXIX. Tunc autem jam obierat Theodericus Amalus triennio antea. Periit enim anno DXXVI. regni ſui triceſimo quarto inchoato, Juſtini Imperatoris octavo, Anicio Olybrio Juniore Conſule, die prima Septembris, paullò poſtquam obierat Joannes Papa ſanctiſſimus ab ipſo dirè vexatus Ravennæ in carcere. Quâ autem veri ſpecie dici poteſt, Theodericum Arianum fundâſſe in Hiſpania monaſterium aliquod ſub Regula Benedictina, nondum publicata in ipſa Italia, immo nec ſcripta quidem, niſi tribus annis poſt ipſius mortem?

34. Hæc dicta ſunto in gratiam veritatis hiſtoricæ, quæ mihi longè charior eſt, & cuilibet homini ingenuo eſſe debet, quàm honor patriæ, nationis, aut Inſtituti. Itaque decorem illum tantæ antiquitatis in Hiſpania, tributum à doctiſſimo viro Ambroſio de Morales Religioni S. Benedicti, tempore hujus Concilii Tarraconenſis, nullatenus admittendum cenſui, ſed potiùs reſpuendum, tanquam præproperum, & à veritate alienum. Card. de Aguirre.

CONCILIUM GERUNDENSE

VII. EPISCOPORUM,

Habitum Erâ DLV. anno CHRISTI DXVII.

Tempore Hormiſdæ Rom. Pont.

TITULI.

I. *Ut unaquæque provincia in officio Eccleſiæ unum ordinem teneat.*

II. *Ut litaniæ poſt Pentecoſten, à quinta feria, uſque in* [a] *Sabbathum celebrentur.*

III. *De ſecundis litaniis faciendis Kal. Novembris.*

IV. *Ut* [b] *in Paſcha tantùm & Pentecoſte baptiſmus detur, exceptis qui in languoribus conſiſtunt.*

V. *Ut unius diei infans, ſi in diſcrimine eſt, baptizetur.*

VI. [c] *Ut conjugati, ab Epiſcopo uſque ad ſubdiaconum, non ſine teſtimonio vivant.*

VII. *Ut qui ſine uxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant.*

VIII. [d] *De laïcis, qui viduam aut dimiſſam acceperint,* [e] *ut in clero non admittantur.*

IX. *De his qui publicè pœnitentiam non accipiunt, ſed tantùm viaticum, ut in clero promoveantur.*

X. *Ut omnibus diebus,* [f] *Veſpertinis & Matutinis oratio Dominica dicatur.*

a Sabbatho. Exc.
b Ut Paſcha tant. & Natale Domin. Cold. Mss.
c In uno Tol. Cod. Ut qui ex conjugibus ordinati ſunt, ſine teſtimonio communiter non habitent.
d Ne laïci. Exc.
e In clero ad. Exc.
f Horis Veſp. Exc.

In nomine Chriſti Synodus habita Gerundæ, anno ſeptimo Theuderici Regis, VI. Idus Junias, Agapeto V. Cl. Conſule.

I. *Ut unaquæque provincia in officio Eccleſiæ unum ordinem teneat.*

De Conſecr. diſt. 2. Inſtitutio. Burch. lib. 3. cap. 66. Ivo p. 3. cap. 68.

1. DE [g] inſtitutione Miſſarum, ut quomodo in Metropolitana Eccleſia [h] fuerit, ita in Dei nomine, in omni Tarraconenſi provincia, tam ipſius Miſſæ ordo, quàm [i] pſallendi vel miniſtrandi conſuetudo ſervetur.

g Ut inſtitutio Miſſarum ſicut in Metrop. Exc.
h Agitur. Exc.
i Pſallendo, vel miniſtrando. Exc.

II. *Ut litaniæ poſt Pentecoſten, à quinta feria, uſque in ſabbathum celebrentur.*

2. De litania, [*] ut expleta ſolennitate Pentecoſtes, [k] ſequens ſeptimana, à quinta feria uſque in ſabbathum, per hoc triduum, abſtinentia celebretur.

* Deſunt in Exc.
k Sequenti ſeptimana. Exc.

III. *De ſecundis litaniis faciendis Kal. Novembris.*

3. Item [l] ſecundæ litaniæ faciendæ ſunt Kalend. Novembris: eâ tamen conditione ſervata, ut ſi iiſdem diebus Dominica interceſſerit, in alia hebdomada, ſecundùm prioris abſtinentiæ obſervantiam, à quinta feria incipiatur, & in [m] ſabbatho veſperæ Miſſa facta [n] finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus & à vino abſtinendum decrevimus.

l Secunda litania facienda eſt. Exc.
m Sabbati veſperæ. Exc.
n Finiatur. Exc.

IV. *Ut in Paſcha tantùm & Pentecoſte baptiſmus detur, exceptis his, qui in languore conſiſtunt.*

4. De catechumenis baptizandis id ſtatutum eſt, ut in Paſchæ ſolennitate o vel Pentecoſtes, quantò majoris celebritatis major celebritas eſt, tantò magis ad baptizandum veniant: cæteris ſolennitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari: quibus quocumque tempore convenit baptiſmum non negari.

De conſecr. diſt. 4. De Catechumen. Ivo part. 1. cap. 60. Panor. lib. 1. c. 20. o Vel Natalis Domini in aliquibus Mss.

V. *Ut unius diei infans, ſi in diſcrimine eſt, baptizetur.*

5. De parvulis verò, qui nuper p materno utero editi ſunt, placuit conſtitui, ut ſi infirmi (ut adſolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eàdem die quâ nati ſunt (ſi q oblati fuerint) baptizentur.

Ivo p. 1. cap. 226. 17. Deeſt in Exc. p E matern. *Exc.* q Si allati. *Exc. & Ivo.*

VI. * *Ut conjugati, ab Epiſcopo uſque ad ſubdiaconum, non ſine teſtimonio vivant.*

6. De r converſione vitæ id ſtatuere placuit à Pontifice uſque ad s ſubdiaconum, poſt ſuſcepti honoris officium, t ſi qui ex conjunctis fuerint ordinati, ut ſine conjuge habitent: quòd ſi habitare noluerint, alterius fratris utatur auxilio, cujus teſtimonio vita ejus debeat clarior apparere.

* *In uno Ms.* Ut qui ex conjugibus ordinati ſunt, ſine teſtimonio communiter non habitent. r De converſatione. *Exc.* s Subdiaconatû. *Exc.* t Si quis ex conjugatis fuerit ordinatus, ut ſemper alterius fratris, &c. *Exc.*

VII. *Ut qui ſine uxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant.*

7. De his verò qui ſine u conjugibus ordinantur, & familias x domi habent, habito ſecum pro y vitæ converſatione, fratre in teſtimonium, non per quamcumque fœminei ſexus perſonam a ejus ſubſtantia gubernetur: niſi aut per puerum, aut per amicum, ſuam domum b debet ordinare. c Si verò matrem in domo habuerit, aut ſororem; ſecundùm priorum Canonum ſtatuta, per earum perſonas ejus debet contutari ſubſtantia.

u Uxoribus. *Exc.* x Domus. *Exc.* y Pro converſationis fratre. *C. 4.* a Forum. *Exc.* b Debeant. *Exc.* c Nisi matrem, aut ſororem in domo habuerint, ut ſecundùm, &c. *Exc.*

VIII. *De laïcis, qui viduam aut dimiſſam acceperint, ut in clero e non admittantur.*

8. Si quis verò de laïcis, poſt uxorem, aliam cujuſcumque conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

e Ne laïci in clero admittantur. *Exc.* *Diſt. 34. c.* Si quis de laïcis. *Citantur ex Conc. Aurelianenſi, & apud Ivonem part. 6. cap. 139. & Burchard. lib. 2. cap. 38.*

IX. *De his qui publicè pœnitentiam non accipiunt, ſed tantùm viaticum, ut in clero promoveantur.*

9. Is verò, qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & poſtmodum reconvaleſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit; ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

Diſt. 50. Is verò, qui.

X. *Ut omnibus diebus, f Veſpertinis & Matutinis oratio Dominica dicatur.*

f Horis Veſp. *Exc.*

10. g Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, poſt Matutinas & h Veſpertinas, oratio Dominica à ſacerdote proferatur.

Joannes * in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.
i Frontinianus in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.
Paullus in Chriſti nomine Epiſcopns, ſubſcripſi.
Agritius in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.
k Cinidius in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.
Nebridius in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.
Orontius in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.

De conſecr. diſt. 5. Id ſemper plac. g Item nobis ſemper placuit obſervari, ut. *Exc.* h Veſperas. *Exc.* * Deſunt ubique in *Exc.* i Fortunianus. *Exc.* k Emidius. alias Cinidius Epiſcopus ſubſcr. *Exc.*

De

De ſubſcriptionibus.

11. Ex Tarraconenſi Concilio conſtat, quòd Joannes fuerit Tarraconenſis, Frontinianus Gerundenſis, Paullus Empuritanæ, Agritius Barcinonenſis, Nebridius Egarenſis, Orontius Eliberitanæ. Hæc eſt Cauco Illiberis, ad radices Pyrenęi mõtis vergentis ad mare Mediterraneum. Loaisa

NOTÆ VARIORUM IN CONCILIUM GERUNDENSE.

12. GERUNDENSE.] De Gerunda Hiſpaniæ citerioris nobili oppido Cathaloniæ, vide Ptolemæum lib. 2. cap. 6. Plinium lib. 3. cap. 3. & Antonini *Itinerarium*.

13. *Joannes in Chriſti nomine.*] Ad hunc Epiſcopum habes Epiſtolam Hormiſdæ Papæ in Collectione noſtra Decretalium Epiſtolarum. Loaisa.

14. *Anno ſeptimo Theuderici Regis.*] Intellige, uti ſuprà monuimus in Notis ad Concilium Tarraconenſe anni DXVI. nimirum anno ſeptimo Theuderici (aliàs Theoderici Amali) regnantis in Hiſpania pro nepote ſuo Amalarico: cæterùm anno ejuſdem Theuderici viceſimo quinto regnantis in Italia. Cui omnino reſpondet Conſulatus Anaſtaſii Auguſti IV. (Imperii XXVI.) & Agapeti. Card. de Aguirre.

AD CANONEM II. ET III.

15. *De litania.*] Canone II. & III. His duobus capitibus agitur de primis & ſecundis litaniis faciendis. Litaniæ Græcè, Latinè *Rogationes* dicuntur, ut conſtat ex Concil. I. Aurelianen. cap. 29. & 32. & Moguntiaco ſub Carolo Magno. Sunt autem rogationes ad rogandum Deum à Patribus, & ad impetrandam Dei miſericordiam, inſtitutæ; aliæ majores, aliæ minores: neque ſtatuto tempore in principio celebrari ſolitas invenio, ſed multoties & plures, pro conſuetudine & devotione Eccleſiæ, & ingruentibus neceſſitatibus, cùm auxiliares ſint ad cor populi ad pœnitentiam emolliendum. Apud S. Gregorium Epiſt. LXXVI. lib. 7. indict. 2. ad Caſtorem, habetur memoria de quatuor vel quinque ſolennibus litaniis in Ravennate Eccleſia celebrari ſolitis. Loaisa.

16. *De litania.*] Vox ad Latinos translata è Græcis, apud quos verbum λιτανεύειν ſignificat ardenter orare, ſicuti & apud Homerum λιτανεύοντες dicuntur qui enixè precantur. Variè ea vox uſurpatur ab antiquis. Nam in Liturgiis Sanctorum Baſilii, & Chryſoſtomi, atque in Regula S. Benedicti cap. 9. & 12. *Supplicatio litaniæ*, idem eſt ac *Kyrie eleiſon*. Inſuper apud Edmundum Martaine in recenti Opere admodùm erudito *De antiquis monachorum ritibus*, videre eſt multiplicem veterum litaniam: veluti ad Primam, ante Miſſam majorem: item triplam, quinam, & ſeptenam ſabbatho ſancto, atque in Kalendis Januarii, præter plures alias ibidem indicatas, ſicuti & apud Serarium Tom. III. Opuſcul. *De litaniis*, quarum uſum potiſſimè ſitum in pia invocatione Sanctorum, ut pro nobis ad Deum orent, probat, tum exemplis totius antiquitatis Chriſtianæ, tum rationibus urgentiſſimis, adversùs Sectarios recentes. Cumque litaniæ ſolenniores in proceſſionibus publicis cantari ſoleant; inde eſt, ut litaniæ ipſæ communi loquendi uſu *Proceſſiones* appellentur jam à multis ſæculis. Unde Abbas Joannes in *Prato ſpirituali*, cap. 210. *Pertranſeunte* (inquit) *litania*, id eſt, proceſſione. In hoc autem Concilio dumtaxat litaniæ dicuntur. Cardinalis de Aguirre.

17. A quo autem fuerint primò editæ, nondum conſtat. Hoc autem certum eſt, fuiſſe totius Eccleſiæ Catholicæ vetuſtiſſimum inſtitutum, ſupplicationes publicas in calamitatibus & populi preſſuris habere. Unde Gregorius, urgente aliqua neceſſitate, non tantùm Romanis, ſed etiam externis litanias indicebat: ut apparet lib. 9. *Regiſt.* Epiſt. XLIX. indict. 4. Orientales Eccleſiæ litaniis utuntur, ut conſtat ex Baſilio Epiſt. LXIII. ad Neo-cæſareenſes, quas à S. Gregorio Thaumaturgo in ea Eccleſia celebratas, & in more poſitas tradit: & deinde omnes Orientales patres, Arianos etiam, ſolenni pompa eas fuiſſe æmulatos, auctor eſt Socrates lib. 6. cap. 8. & Sozomen. lib. 8. cap. 8. quas Arcadius Imperator edicto promulgato illis inhibuit l. 30. Cod. Theod. Sanctus etiam Mamertus Epiſcopus Viennenſis,* non inſtituit celebres illas, quas penè tota Eccleſia recepit, ſed ad meliorem formam ſacras rogationes reduxit, conſopitaſque & frigidas excitavit: ut conſtat ex Adone in *Chronico*, & Alcimo Avito, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, & ex Epiſt. Sidonii Apollinar. ad Sanctum Mamertum lib. 7. Epiſt. I. & aliâ ad Aprium lib. 14. Epiſt. V. Sanctus Gregorius litanias majores ad S. Petrum indixit, earumque annuam celebritatem decreto confirmavit, ut in principio lib. 2. *Regiſtri*: *Solemnitas* (inquit) *annua devotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, ut litaniam, quæ major ab omnibus appellatur,*

* *Errant Garſias & Binius. verè enim primus earum fuit auctor.*

ſolicitis ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare. Idem Pontifex, occaſione imminentis peſtilentiæ, litaniam, quam ſeptiformem appellant, inſtituit. Exſtat de ea re conſtitutio data 4. Kalend. Septembris, lib. 11. cap. 2. Ejuſdem meminit Gregorius Turonen. *De geſtis Francorum*, lib. 10. cap. 1. & Paullus Diaconus *De geſtis Longobardorum*, lib. 3. cap. 11.

18. Fiebant autem litaniæ inceſſu & cantu: unde *proceſſiones* dicuntur Concilio Laodiceniſ cap. 17. Fuit autem penes Chriſtianos Latinos antiqua conſuetudo, devotè & ſimul ad loca Martyrum procedere, ut conſtat ex Hieronymo Ep. XII. ad Euſtoch. & Tertull. lib. 2. *Ad uxorem*. De tempore celebrationis conſtat, temporibus D. Auguſtini ante ſolennitatem Aſcenſionis rogationes ſacras fieri, ut eſt in ejus ſermone 173. *De tempore*, habito in vigilia Aſcenſionis, & ex Concilio I. Aurel. cap. 29. relato à Gratiano in cap. *Rogationes*, *De conſecr.* diſt. 3. ubi ſic ſcriptum eſt: *Rogationes ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari: ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominica Aſcenſionis ſolennitate ſolvatur: per quod triduum ſervi & ancillæ ab opere relaxentur*. Quem morem nunc ſervat Eccleſia. In quinta Dominica poſt Paſcha majores rogationes tribus diebus celebrat, feriâ ſecundâ, tertiâ, & quartâ, quæ eſt vigilia Aſcenſionis: minores verò rogationes in die S. Marci Evangeliſtæ.

19. Fiebant & aliæ à die Iduum Decembrium, triduo ubique, ut conſtat ex V. Concilio Toletano Canone VI. & ex II. Bracar. Can. IX. & Kalendis Novembris aliæ inſtitutæ, ex Gerund. cap. 3. Tribus etiam continuis diebus magna populi conſenſione & numero celebrabant; orando, jejunando, & pſallendo, ita caſtè & piè, ut in Concilio Moguntiaco ſub Carolo Magno dicatur, celebrandas eſſe, *ſicuti cuncti Patres ſancti noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalciati, cinere & cilicio induti*, &c. Idem Tertull. lib. 2. *Ad uxorem*. Et hos rogationum dies laïcis denunciandos inter Miſſarum ſolennia ſtatuit Concilium Lugdunenſe à Gratiano citatum in cap. 1. *De conſecr.* diſt. 4. Hæc de litaniis ad populi devotionem excitandam ſubjecimus. Nicephorus auctor eſt lib. 14. cap. 3. Theodoſium Juniorem litaniam pro ſerenitate & aëris clementia impetranda inſtituiſſe. Ponam verba, ut quæ diximus, aptiùs comprobentur. *Litania* (inquit) *inſtituta eſt. Supplicantes proceſſêre, laudibus Deum vexavêre, atque una concors Eccleſia, civitas tota facta: & ipſe Theodoſius hymnis canendis præiit, habitu privato incedens. Minimè verò eum fefellit opinio: frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia & ubertas eſt ſequuta*. Gentilibus enim ſupplicationes publicè fiebant: ut à Senatu Romano, dierum XX. vel XXX. decernebantur, bello geſto, vel victoriâ partâ. Dei enim anticipata cognitio ita mentibus hominum inſidet, ut rerum humanarum procurationem ab ipſo pendere, atque ipſi eſſe gratias agendas, publicis ſupplicationibus faterentur. Loaisa.

20. Præter exemplum Theodoſii Junioris à D. Loaïſa obſervatum ex Nicephoro, ſunt plura alia mirabilium beneficiorum Dei per litanias publicas obtentorum. Tale fuit quòd Baſilius Magnus templum Nicææ clauſum aperuit ſine clave ulla ſolis litaniis, cum magno Arianorum luctu, & Catholicorum gaudio: ut teſtantur Amphilochius in ejus Vita, & Zonaras Tomo III. *Annalium*. Quin & imperante prædicto Theodoſio Juniore, cùm magna urbs Conſtantinopolis horrendis terræ fragoribus quateretur, Proclus ejus Patriarcha indictis clero ac populo publicis orationibus & litaniis, eam liberavit. Toto enim populo orante ſublatus eſt in aëra puer, qui mox in terram regreſſus aſſeruit, ſe ab angelis didiciſſe ſacrum Triſagion, quo tribus Perſonis beatiſſimæ Trinitatis accinebatur: ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis*. Statim verò tota ea innumerabili hominum multitudine eam litaniam uſurpante, ac devotiſſimè ingeminante hortatu Procli, ceſsârunt fragores, & cuncti in pace ad domos ſuas redierunt.

21. Rem hanc ſatis mirabilem in teſtimonium myſterii Trinitatis narrant multi ſcriptores antiqui & graves, præſertim Felix III. Papa Epiſtolâ III. ad Petrum Fullonem, ex Synodo Romana circa idem ferè tempus celebrata (nimirum id contigit anno Chriſti CDXLVI.) Damaſcenus in Triſagio, & Nicephorus libro quartodecimo cap. 46. ſatis digno lectu, & opportuno ad confutandum nuperos Arii gregales in Tranſylvania & Polonia tam inſigni miraculo. quod in confuſionem eorundem (ſive Sociniani appellentur, ſive Crelliani, ſeu Neo-Photiniani) placuit hoc loco aliquantò prolixius exhibere.

22. Nicephorus itaque loco indicato, poſtquam narravit inſolitum & horrendum illum terræ motum longè ac latè ſonantem, & urbi CP. imminentem, ſubdit: *Byzantii autem in maximum conjecti metum, à ruinis ædificiorum ſibi timentes, muros reliquerunt, & extra urbem in Campo, qui dicitur, morati ſunt, unàcum Imperatore Theodoſio, & Patriarcha Proclo, continuis precibus incumbentes, Deumque ut propitius eis eſſet, & ab imminenti calamitate urbem liberaret, obteſtantes. Et cùm aliquando motu eo graſſante, terra veluti fluctuans concuteretur, & homines per motum eam ex fundamentis ipſis exſtirpatum iri vererentur*, ET OMNES LITANIIS *ac ſupplicationibus deditè collacrymarent, & ex profundo intimoque animo miſericordiam divinam implorarent; tunc miraculum præter opinionem omnium, quod ſenſum & mentem omnium excedat, ſubſecutum eſt.*

23. *Subitò namque è medio, inſpectantibus omnibus, divinâ quadam vi puer in aëra ſublimis, ad cœleſtem uſque tractum, ita ut jam non appareret, ſublatus, divinam vocem, quâ angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audivit, eaque voce perceptâ, rurſum priore per aëream via reverſus deſcendit: & Epiſcopo Proclo, ipſique Imperatori, & multitudini omni ſupplicationibus operanti, Deumque hymnis celebranti, ab angelis canentibus ſe verba hæc audiſſe renunciavit*: SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS, SANCTUS IMMORTALIS, MISERERE

SERERE NOSTRI. *Quæ ubi Proclus intellexit, ſtatim ad eum modum populum pſallere juſſit: & terræ motus ſtatim conſtitit, omnineque conquievit; &c. Puer verborum illorum miniſterium exſequutus, ſtatim vitâ defunctus eſt, & in magna Eccleſia, quæ Pacis nomen obtinet, conditus. Locus autem, in quo ille in ſublime actus eſt, poſtea* ὕψωμα θεῖον, *id eſt*, divina exaltatio, *vocatus eſt.* Hæc ibi, & plura alia, non modò opportuna ad exponendam & commendandam vim ac devotionem litaniarum, de quibus agitur in hoc Concilio; ſed etiam ad confundendum obiter putidiſſimos ſanctiſſimæ Trinitatis hoſtes, qui inſanas & obſoletas jam diu blaſphemias Arii & Photini ex orco revocare non verentur. GARDINALIS DE AGUIRRE.

AD CANONEM IV.

24. *Vel Pentecoſtes.*] Sic habetur *De Conſ.* d. 4. cap. *De catechumenis*: quam lectionem exiſtimo eſſe ſequendam. Nam quamvis Apoſtolorum tempore, & infrà, non erant diffinita diſtinctaque tempora ad baptiſmum ſuſcipiendum, ſed petentibus conferri quocumque tempore ſolebat; ut auctor eſt Divus Ambroſ. ad cap. 4. Epiſtol. ad Epheſios. Tertulliani verba lib. *De baptiſmo*, de hac re ponam cap. 19. *Diem baptiſmo ſolenniorem* (inquit) *Paſcha præſtat; cùm & Paſſio Domini, in quâ tingimur, adimpleta eſt. Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quòd cùm ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis diſcipulis ad præparandum: Invenietis (inquit) hominem aquam bajulantem. Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, quo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti dedicata, & ſpes adventûs Domini ſuboſtenſa: quòd tunc in cœlos recuperato eo, angeli ad Apoſtolos dixerunt, ſic venturum, quemadmodum & in cœlos conſcendit, utique in Pentecoſte. Sed enim Hieremias cùm dicit: Et congregabo illos ab extremis terræ in die feſto; Paſchæ diem ſignificat, & Pentecoſtes, qui eſt propriè dies feſtus. Cæterùm omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile baptiſmo: ſi de ſolennitate intereſt; de gratiâ nihil refert.* Hæc Tertullianus. Sed propter baptiſmi ſolennitatem, & præſtantiorem catechumenorum inſtitutionem ſtatuta diffinitaque ſunt duo hæc tempora, Paſcha & Pentecoſte. Auctores ſunt Syricius Papa, Epiſtolâ ad Himerium Tarraconenſem; Canone: *Non ratione. De Conſecr.* d. 4. Hieronymus ad cap. 14. Zachar. & Epiſtolâ LXI. ad Pammachium cap. 16. Leo Magnus Epiſt. IV. ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, Can. *Cùm duo tempora*: *De Conſec.* d. 4. & Epiſtolâ LXVIII. ad univerſos per Campaniam, &c. conſtitutos: & Gelaſius Papa ad univerſos Epiſcopos per Lucaniam: & in hoc cap. 4. Alquinus *De Eccleſiaſticis officiis*, cap. *De baptiſmo Domini*, & cap. *De ſabbatho ſancto Paſchæ.* Fuit verò hæc conſuetudo antiquata tunc propter communis vitæ pericula. Unde Socrates lib. 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt* cap. 19. refert in Theſſalia complures obiiſſe abſque baptiſmo, quòd diebus Paſchæ dumtaxat baptiſma conferri conſueverit. Fontis verò conſecratio ſtata & ſolennis tam in Paſcha quàm in Pentecoſte fit, ut in ritu Romano in Miſſali conſtat: & aqua illa benedictionibus luſtrata, ſummâ populi obſervantiâ in urceolos per domos deducta, ad omne malum repellendum eximiè prodeſt. LOAISA.

AD CANONEM IX.

25. In hoc Canone ſermo eſt de iiſdem, de quibus in præcedenti, qui in ipſo diſcrimine mortis, quò exploratior ſalutis æternæ ſpes eos conſolaretur, pœnitentiã ſibi dari obnixè efflagitabant. quãquam nullam mortiferam noxam prudenter ſe cõmiſiſſe, nec quicquam unquã ſe præſtitiſſe arbitrarentur, quod vel leviſſimâ pœnitentiâ mulctandũ eſſet: eſt enim in fine Canonis ita ſcriptũ: *ſi prohibitis vitiis non detinetur.* Unde id judices, ſentiaſq; cauſſam obeundæ pœnitentiæ, non aliam fuiſſe, quàm quòd mortis ipſius metu & terrore perfunderentur, cùm tamen nulla peccata commiſiſſent; quod & fuſiùs etiam ex eodem Canone confirmari poteſt, quodque ipſo morbo ſæviente aut ingraveſcente, impoſita quædam eſſet pœnitentia, & quam ſe facturos recepiſſent, non eam proferre longiùs cogerentur; quod contra eos facere, aut perficere Canon adegiſſet, ſi peccati cujuſdam lethalis eos conſcios eſſe deprehendiſſet. Idem omnino corroboratur decerniturque Canone LIV. Concilii Toletani IV. quo clariſſimam lucem huic Canoni intelligendo adferri videas.

26. Quia verò ſeverè & rigidè ſatis prohibebatur, ne quis ad clericatum admitteretur, à quo pœnitentiam factam eſſe conſtaret; quærebatur utrum qui eam peregiſſet, aut ſe eam peracturum in ultimo vitæ periculo conſtitutus noviſſet, recuperatâ valetudine ad clericatum promoveri eum oporteret, aut deceret. Canonis quidem hæc eſt opinio ac ſententia, quamquam eam quiſpiam noverit, tonſuramque & habitum præ ſe tulerit; ſi tamen morbo depulſo perſpicuum ſit, id timore eſſe factum, & majore quadam cura ac ſolicitudine ſalutis æternæ conſequendæ impulſum pœnitentiam accepiſſe & voviſſe, nulloque illum videri crimine aut flagitio, quod expiandum ſit, pœnitentiâ aſperſum, poſſe in numerum clericorum adſcribi: ſin autem ubi valetudinem recuperaverit, ſe voto exſolverit, impoſitionem illam manuum publicam, quæ pœnitentibus tertii gradus dabatur, ſubierit; tum ob eam rem excluditur, quamvis nullius culpæ aut criminis

minis affinis fuerit, metuſque aliquo contorbatos ad pœnitentiam voto ſe obligârit. Nam cùm omnium ſe oculis, ſeu toti Eccleſiæ conſpiciendum dediſſet, atque adeò inter pœnitentes viſus fuiſſet; noo mediocriter ſanè perturbata fuiſſet, ſi inter præſidentes eum aſpexiſſet, qui cum aliqoo pudore manuum impoſitionibus palam & publicè purgatus eſſet.

27. *Pœnitentiæ benedictionem per communionem acceperit.*] Hoc eſt, qui pœnitentiam per benedictionem ſimplicis reconciliationis acceperit: quâ enim impoſitione manuum, aut benedictione, aut oratione, abſolutionem largiebaotur morienti, qui excommunicatus eſſet; aut alii qui in morte peccatum lethale detegebat; eandem etiam pœnitentiam largiebantur, quæ ſeparatim & impoſitione manuum dabatur aliquando, cùm nulla urgeret neceſſitas: propterea Canon ait *per communionem*, hoc eſt, per abſolutionem & ſimplicem reconciliationem: ideoſque Canon iſte benedictionem pœnitentiæ *viaticum* vocat, cùm ſola, niſi addatur abſolutio, neque communio, neque viaticum dici poſſit.

28. *Viaticum.*] Simplex reconciliatio & abſolutio morienti ſufficiens erat viaticum; quamvis Euchariſtiâ non dooaretur.

29. *Pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit.*] Hæc verba ad impoſitionem manuum tertii gradus pœnitentiæ referuntur, cùm Patres omnes Conciliaque omnia verbis prope iiſdem, aot ad eundem ſenſum pertinentibus, eadem dicant & interpretentur, ut Papa Felix, aliiſque expoſuerunt, *pœnitentia colla ſubdere*: docent igitur Patres, ſi has manûs impoſitiones, quæ fiereot in tertio gradu, non ſubierit, eum poſſe intra clerum adſumi. ALBASPINEUS.

E P I S T O L A I.

S. HORMISDÆ PAPÆ

AD JOANNEM TARRACONENSEM EPISCOPUM.

ANNO CHRISTI DXVII.

Libenter de ejus in Italiam adventu audiviſſe. Literas ad Hiſpanienſes de Eccleſiaſticis inſtitutis ab eo datas probat, eiſque vices ſuas committit.

Dilectiſſimo fratri Joanni Hormiſda.

30. FECIT dilectio tua rem charitati & Fidei congruentem, ut adveotum ſuum ad Italiam oobis directis literis indicaret, & quæ in te ſit ſumma religioſæ voluntatis oſtenderet. Atque otinam ad plenioris affectus ſatietatem præſentiæ tuæ nobis gaudia contigiſſent; ut gratulemur nos & colloquio & præſentiâ frui, quam ſumus antè per ſcripta complexi. Verumtamen probâſti, dilectiſſime frater, quo Chriſtianam fidem venerari affectu, dom ea qoæ ad regulas Patrum pertinent, & ad mandata Catholica, ſine aliqua cupis tranſgreſſione ſervare; ſperans, ut prorogatis generalibus ad Hiſpanienſes Eccleſias conſtitutis, quæ aut irreligioſiùs fiunt, Eccleſiaſticis diſciplinis congruentia * ſanciamus: quod amplexi ſumus, captata iſtios deſiderii facultate. Quid enim aut oobis dolcius, quàm cum fidelibos loqui? aut * Deo aptius, quàm deviantes ab errore revocare? Salutantes igitur charitatem, qua jungimur, per Caſſianom diaconum tuum ſignificamus, nos direxiſſe generalia conſtitota, quibus vel ea quæ juxta Canones ſervari debeant, competenter ediximus, vel circa eos qui ex clero Græcorum veniunt, quam habere oporteat cautionem, ſufficienter inſtruximus. Sed & cauſſæ ipſius ordioem inſtructionemque abundè decretis Eccleſiaſticis vos docebuot, ot agnoſcentes & impiorum tranſgreſſionem, & Apoſtolicæ Sedis curam pro Patrum regulis excobantem, oſtendatis vos * peroſos damoatorum conſortia, & amare fidelium. Et qoia per inſiouationem dilectionis tuæ hujus oobis eſt viæ patefacta provideotia; remuneramos ſolicitudinem tuam, & ſervatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apoſtolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inſpectis iſtis, ſive ea quæ ad Canones pertinent, ſive ea qoæ à nobis ſunt nuper mandata, ſerventur, ſive ea quæ de Eccleſiaſticis cauſſis tuæ revelationi contigerint, ſub tua nobis inſinuatione pandantur. Erit hoc ſtudii ac ſolicitudinis tuæ, ot talem te in his quæ injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejos, cujus curam ſuſcipis, imiteris. Data IV. Nonas Aprilis, Agapito V. C. Conſule.

* Sentiamus. Amplexi ſumus cupitam iſtius d. facultatem.
* Beatius.
* Peroſa habere.

NOTÆ IN HANC EPISTOLAM.

31. EODEM anno Chriſti DXVII. quo Synodus Gerundenſis coacta eſt, pariter Epiſtola hæc ſcripta fuit à ſanctiſſimo Pontifice Hormiſda Joanni Epiſcopo Tarraconenſi. Gratulatur huic de ſuo in Italiam adventu, quamvis per exiguum tempus; laudatque ipſius zelum in ſervandis regulis Patrum, & mandatis Catholicæ Religionis. Deinde ait, ſe per Caſſianum diaconum miſiſſe Generalia conſtituta, juxta quæ in Hiſpania ſervanda ſit diſciplina Eccleſiaſtica, & ſacri Canones. Indicat nonnihil circa eos qui ex clero Græco in Hiſpaniam perrexerint. Denique ipſi vices ſuas delegat, ut ſalvis Metropolitanorum privilegiis, Sedem Apoſtolicam certiorem faciat eorum omnium, quæ contigerint circa ſacros Canones, & cauſſas Eccleſiaſticas, ac mandata Apoſtolica.

32. Sanè in hac Epiſtola non invenio quicquam poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſeu juriſdictionis, datum ab Hormiſda Joanni Tarraconenſi Præſuli. Solùm enim illi committit, ut circa ea omnia, quæ paullò antè memoravimus, Pontificem certiorem faciat, ſive ad ipſum referat. Itaque videtur potiùs zelatorem conſtituere, quàm vicarium preſsè acceptum, cum poteſtate aliqua ordinaria aut delegata; qualem à multis ſæculis conferre ſolent Romani Pontifices vicariis Apoſtolicis, ſive Legatis ſuis, præſertim à Latere. CARD. DE AOUIRRE.

E P I S T O L A I I.

EJUSDEM HORMISDÆ PAPÆ

AD UNIVERSOS EPISCOPOS HISPANIÆ.

ANNO CHRISTI DXXI.

I. *De ſacerdotibus juxta ſtatuta Canonum ordinandis.*
II. *Ut pro Epiſcopatu præmium non accipiatur.*
III. *De Concilio per annos ſingulos celebrando.*

Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis Hormiſda.

33. BENEDICTA Trinitas Deus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanæ reipublicæ
per univerſas partes ſuæ pacis tranquillitate diffuſa, nobis quoque viam demonſtrandæ
circa nos invicem charitatis indulſit, ut qui cohæremus firmitate Fidei, jungamur quoque votiva jucunditate colloquii, quò faciliùs, dum per literarum miniſteria ad vos uſque pertendimus, etiam corda veſtra ad religioſum cultum Apoſtolicis admonitionibus incitemus: & dum dilectionis noſtræ pignus reddimus velut quoddam debitum, plenum circa Deum monſtremus affectum. Jungamus igitur, dilectiſſimi fratres, continuas & humiles preces, & Dominum noſtrum oris & cordis lacrymis ſupplicantes, jugi deprecatione poſcamus, ut & in inſtitutione & opere illi, cujus eſſe membra cupimus, hæreamus: nec unquam ab illa via, quæ Chriſtus eſt, devio tramite declinemus, ne ab eo juſtè, quem nos impiè relinquimus, deſeramur. Quod cum ſuperni favoris auxilio ea nobis poteſt rarione contingere, ſi Apoſtolica dogmata, ſi Patrum mandata ſervemus. Dicit enim Dominus noſter:
Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. 14.
Et licèt hæc poſſint generaliter dicta ſufficere, ut vel declinemus errata, vel cuſtodiamus Catholica conſtituta; tamen quia Joannis fratris & Co?piſcopi noſtri nobis inſinuatione vulgatum eſt, contra Canonum reverentiam nonnulla præſumi; periculum, quod doctoribus imminet de taciturnitate, declinans, & prophetica voce compunctus, qua dicitur: *Loquere, ne taceas*; gene- Iſa. 16.
ralibus edicendum credidi conſtitutis.

I.

34. Ut in ſacerdotibus ordinandis, quæ ſunt à Patribus præſcripta & definita cogitetis: quia ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem vicarii ſacerdotes; ſic & in eligendis his curã oportet eſſe perſpicuam. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis: nec quicquid illi deeſſe perſonæ, penes quam eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ. Æſtimet quis pretium Domi-

nici

nici gregis, ut ſciat quod meritum conſtituendi deceat eſſe paſtoris. Hoc ita fiet, ſi uon ſacerdotii gradus ſaltu quodam paſſim laïcis transferantur. Louga debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ. Non negamns eſſe in laïcis Deo placitos mores, ſed milites ſuos probatos ſibi quæruut inſtituta fidelia. Diſcere priùs quiſque debet antequam doceat; & exemplum religioſæ converſationis de ſe potiùs aliis præſtare, quàm ſumere. Emendatiorem eſſe convenit populo, quem neceſſe eſt orare pro populo. Longa obſervatione religioſus cultus tradatur, ut luceat, & clericalibus obſequiis erudiendus inſerviat, ut ad venerandi gradus ſumma perductus, qui ſit fructus humilitatis oſtendat. Nec leve nec vacuum fuit, quod nec apud veteres qoidem, niſi Levitici generis viri, ad ſancta admittebantur altaria, ne peſſimè, meritis contemptis, aut pretio aut præſumptioue ad ſacros cultus impar accederet. Tunc migrabant per illam prærogativam familiarum ad inſtituta cultorum: nunc eſt doctrina pro genere. Quod illis fuit naſci, hoc nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, uos altaribus parturit diſciplina. Nec tantùm de laïcis conſecrari inhibemus, ſed nec de pœnitentibus quidem quiſquam ad hujuſmodi gradum profanus temerator adſpiret. Satis illi poſtulauti
* Cum. ſit venia. Qua conſcientia abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit teſte confeſſum? Quis * enim,
* Perferens. quem paullò autè vidit jacentem, veueretur Antiſtitem? Præferens * miſerandi crimiois labem, non habet lucidam ſacerdotii dignitatem.

II.

35. Hoc quoque ad præmiſſa adjungimus, ue benedictiouem, quæ divina eſſe creditur, per impo-
Actor. 8. ſitionem manus quis pretio comparet: quoniam ante oculos eſſe convenit, quod Simon Spiritum ſanctum volens redemptione mercari, Apoſtoli fuerit deteſtatione percuſſus. Tunc deinde quis non vile putat eſſe quod venditur? Iſtam ſacerdotibus ordinandis reverentiam ſervet electio, ut in gravi murmure populorum divinum credatur eſſe judicium. Ibi enim Deus, ubi ſimplex ſine pravitate coosenſus. Verùm oec hanc quidem partem ſolicitudinis & admonitionis omittimus, ne vel ille ſe à culpa æſtimet alienum, qui etſi ipſe quidem à redemptione liber, initiaverit benedictione myſtica ſacerdotem, & tamen ad alterius redempti voluotatem vel ſponte in hoc vel neceſſitate conſenſerit. Quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? Procul dubio contra mandata committit & qui habet peccatum proprium, & qui peccatum ſequitur alieuum. Incaſſum animus reſiſtit cupiditati, ſi non reſiſtit & timori. Adverſus hæc faciliùs, Deo adjuvante, providebitur, ſi circa Metropolitanos privilegia à ſanctis Patribus conſtituta permaneant; ſi Metropolitani circa parochias ſuas ordinem ſuum eâ quâ decet veneratione cuſtodiant, ot nec electio Præſulis empta detur pretiis, & uec obſequentis ſit quæſita operibus; ſed ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum releguntur in ſcripturis. Si nulla ſint in templis emptionum ſemina, nulla erunt fomenta diſcordiæ; ſed regnante charitate, ſub illa, quam nobis promiſit Deus & retriboit, pace vivatur.

III.

36. Ob hoc Patres, providentiâ quâ Spiritus ſanctus cultores ſuos compungere dignatus eſt, incitati, bis iu anno per parochias ſingulas Concilia haberi debere docuerunt, ut in unum juxta ſalubris inſtitutionis dogmata congregati, pro Eccleſiaſticis cauſſis tractandis liberè convenirent; ot ſi juxta votum univerſa conſiſtunt, Deum junctis vocibus, qui præſtat deſiderata, collaudent. Difficile eſt enim
* Sibi ſuturum. ut cujuſquam cor pravis ſic cogitationibus induretur, ut à ſe patiatur culpanda fieri, cùm noverit * ſe judicium ſubiturum eſſe Concilii. Præcinctos ad hanc viam ſemper lumbos habeant, ſcientes rationem actuum ſuorum eſſe reddendam. Suſpendautur ab illicitis per formidinem, & qui nequiverint per pudorem. De conveniendo bis in anno, notum eſt Canones ſanctos conſtituiſſe: & præfinitum quidem, ſi poſſibile eſt, inviolabiliter convenit cuſtodiri. Sed ſi aut temporum neceſſitates, aut emergentes cauſſæ hoc non patiuntur impleri, ſemel ſaltem (quamvis non licuerit) ſine ulla excuſatione præcipimus convenire. Hæc, fratres chariſſimi, & alia quæ Patrum regulis continentur, io labiis & in cordi-
Deut. 6. bus noſtris indiviſa retractatione meditemur; &, ſicut ſcriptum eſt, *Narremus en filiis noſtris, ut eame-ditentur in cordibus ſuis, ſedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque ſurgentes.* Quia
Pſalm. 1. *beatus in Domino qui in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Hoc & magiſter gentium, diſcipulum ſuum ſecutus, inſtituit, admonens: *Hæc meditare, in his eſto.* Et ſubjiciens plenitudinem; *Attende tibi &*
1. Tim. 4. *doctrinæ*, inquit: quia ſi fidelibus ſine intermiſſione incumbimus inſtitutis, ſeparamur à vitiis dum impenſa cura divino operi, humano locum non relinquit errori. Data IV. Nonas Aprilis, Agapito viro clariſſimo Conſule.

NOTÆ VARIORUM IN HANC EPISTOLAM.

37. HANC & ſequentes Epiſtolas Collector Epiſtolarum Decretalium, Surium imitatus, retulit ad Conſulatum Agapeti ſecundum, & ad annum Domini DXLI. Quod ſi verum eſſet, oporteret Hormiſdam viginti & pluribus annis Pontificatū adminiſtrâſſe, qui cōmuni omniom ſcr iptorum ſententia non ultra novem annos Sedem Apoſtolicam tenoit. Quamobrē lectori me pergratum facturum judicavi, ſi haſce Epiſtolas Hormiſdæ Conſulatu Agapeti conſignatas, præcedeotibus eâdem notâ conſulari inſignitis ſubjungerem. BINIUS.

Erra-

38. Erravit Binius, cùm erràſſe credidit collectorem Decretalium, qui haſce Epiſtolas ad annum DXXI. referre voluit: quo nempe Conſulatum ordinarium gerebant Valerius & Juſtinianus; extraordinarium verò Agapetus, ut ipſemet Collector annotat. Mendum itaque fuit in editione, cùm pro anno DXXI. DXLI. in margine politus eſt, inquit R. C. id eſt, ut videtur, Recentior Collector. PHILIPPUS LABBE.

39. Epiſtola verò ipſa Hormiſdæ digniſſima lectu & obſervatu eſt, ac ſatis oſtendit Apoſtolicum zelum ſanctiſſimi illius Pontificis, & ſacram eruditionem. Nimirum teſtimoniis Scripturæ urgentiſſimis confirmat tria præcipua decreta maximè utilia, quæ hoc loco profert. Sunt autem illa ipſa, quæ idem Hormiſda in Epiſtola præcedenti appellaverat *generalia conſtituta*, miſſa per Caſſianum diaconum ad univerſos Hiſpaniarum Epiſcopos.

40. Primum de ſacerdotibus non aliter, quàm juxta ſtatuta Canonum ordinandis. *Irreprehenſibiles* (inquit inter alia) *eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis*, &c. Deinde ne ſubitò, aut per ſaltus, ſed lentè & ſervatis gradibus, ſublimentur. *Diſcere prius quiſque debet antequam doceat, & exemplum religioſæ converſationis de ſe potiùs aliis præſtare, quàm ſumere. Emendatiorem eſſe convenit populo, quem neceſſè eſt orare pro populo*. Inſuper graviſſimis verbis vetat quempiam de numero pœnitentium aſſumi ad ſacerdotium. *Satis illi poſtulanti ſit venia* (inquit) *Quâ conſcientiâ abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit teſte confeſſum? Quis enim quem paullò antè vidit jacentem, veneretur Antiſtitem? Præferens miſerandi criminis labem, non habet lucidam ſacerdotii dignitatem*. Vide ſuprà Epiſtolas Pontificum Syricii ad Himerium, & Hilari ad Aſcanium, ac Notas iis adjectas, præſertim à num. 186. & præterea Decretum I. Hormiſdæ Papæ apud Gratianum, ſatis memorabile, in Collectione Labbei To. IV. col. 1556. cujus ſumma eſt, ne ii qui ad agendam pœnitentiam canonicam in monaſterium retruduntur ſpontè aut vi, unquam ordinentur ſacerdotes.

41. Secundum eſt, *Ne benedictionem, quæ divina eſſe creditur per impoſitionem manûs, pretio quis comparet*, &c. adversùs Simoniacos, & iis conſentientes, injunctâ Metropolitanis curâ impediendi id abominandum ſcelus in ſuis ditionibus.

42. Tertium denique eſt, ut quotannis Concilia bis celebrentur, & ſaltem ſemel, ubi neceſſitates & impedimenta occurrentia non ſinunt majorem frequentiam. Sic enim Patres à Spiritu ſancto edocti ſanxerunt, & ſacris Canonibus decretum eſt. Et licèt Pontifex hoc loci nullum ſpeciatim alleget, notiſſimus eſt ille inter Apoſtolicos XXXVI. *Δεύτερον τοῦ ἔτους Σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων*, &c. *Bis in anno fiat Epiſcoporum Synodus, & inter ſe examinent decreta Religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant: ſemel quidem quartâ hebdomadâ Pentecoſtes, iterum autem Hyperberetai duodecimo*. Sed de his nos alibi ſæpè. Utinam DD. Præſules tot Canonibus ſacris ad eam Conciliorum frequentiam urgentibus excitentur & perſuadeantur. Incredibile eſt enim quot mala afferat, & quot bona impediat illorum omiſſio. CARDINALIS DE AGUIRRE.

EJUSDEM HORMISDÆ EPISTOLA III.

AD SALUSTIUM EPISCOPUM SPALENSEM.

Saluſtius Apoſtolicæ Sedis Vicarius conſtituitur per Bæticam & Luſitaniam.

Chariſſimo fratri Saluſtio Hormiſda.

43. SUSCIPIENTES plena fraternitatis tuæ votiva gratulatione colloquia, quæ nos geminę ſalutis tuæ lætificârunt indicio (ſiquidem retulerunt te corporali cum ſpiritualibus officiis incolumitate ſubnixum) congruum eſſe perſpeximus, hanc ipſam quam mente gerimus * expedire lætitiam. Ediſiſti enim boni documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea ſuadere non differs. Prærogativam de noſtri ſumpſimus electione judicii, quando id te ſpontè * amplecti didicimus, quod cæteris imperamus. Oramus ſiquidem * divinam clementiam cunctos agnoſcere, & hæc ad ſtudia Eccleſiaſticæ pacis inſtrumenta tranſmiſimus. Tu vota noſtra de fideli intelligentia percepiſti, & officii protinus devotione complêſti, cunctis fratribus innoteſcens, quæ per cœleſtem gratiam cunctis profutura cognoveras. Suffragantibus igitur tibi tot meritis piæ ſolicitudinis & laboris, certè jam delectat injungere quæ ad noſtri curam conſtat officii pertinere, ut provinciis tanta longinquitate disjunctis, & noſtram poſſis exhibere perſonam, & Patrum regulis adhibere cuſtodiam. Vices itaque noſtras per Bæticam Luſitaniamque provincias, ſalvis privilegiis quæ Metropolitanis Epiſcopis decrevit antiquitas, præſenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione miniſterii dignitatem, relevantes noſtras ejuſdem remedio diſpenſationis excubias. Et licèt de ſingulis non indigeas edoceri, quem

* Aperire.
* Operari.
* Divina beneficia.

jam probavimus cautiùs univerſa ſervare; gratius tamen eſſe ſolet, ſi iterum trames oſtendatur, & laboris injunctio ſuperiùs formata monſtretur. Paternas igitur regulas, & decreta à ſanctis definita Conciliis, omnibus ſervanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus. His eâ quâ dignum eſt reverentiâ cuſtoditis, nullum relinquit culpæ locum, nec ſanctæ obſervationis obſtaculum. Ibi fas nefaſque præſcriptum eſt: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adſpirare: ibi conceſſum quid debeat mens Deo placitura præſumere. Quoties univerſalis poſcit religionis cauſſa, ad Concilium te cuncti fratres evocante conveniant; & ſi quos eorum ſpecialis negotii pulſat * contentio, jurgia inter eos oborta compeſce, diſcuſſa ſacris legibus determinando certamina. Quicquid autem illis pro Fide & veteribus conſtitutis, vel provida diſpoſitione præcipies, vel perſonæ noſtræ auctoritate * formabis, totum ad ſcientiam noſtram inſtructæ relationis atteſtatione perveniat, * ut noſter animus officii charitate dati, & tuus ſecuritate perfruatur accepti. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime.

* Intentio.

* Firmabis.

* Voluntariè tuus animus officiis caritate datis, & hujus decreti ſecuritate perfruatur ſuſceptis.

NOTÆ IN HANC EPISTOLAM.

44. QUEMADMODUM ſuprà vidimus S. Simplicium Papam Zenoni Hiſpalenſi Epiſcopo, ob inſignem pietatem ac zelum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vices ſuas in Hiſpania commendâſſe; ita & nunc videre eſt, Hormiſdam ſanctiſſimum Pontificem Saluſtio pariter Hiſpalenſi Præſuli vices Apoſtolicæ Sedis commiſiſſe. Verùm cum hoc diſcrimine, quòd Simplicius Zenoni illas delegat ſine reſtrictione ad provinciam aliquam: Hormiſda verò Saluſtio in ordine ad provincias Bæticæ & Luſitaniæ.

45. Porrò huic Epiſtolæ deeſt notatio temporis. Cùm verò exploratum apud omnes ſit, Hormiſdam Pontificatum iniiſſe Magno Aurelio Caſſiodoro Conſule ſine collega, anno viceſimo ſecundo regnantis in Italia Theoderici, ac proinde Chriſti DXIV. illumque geſſiſſe uſque ad DXXIII. quo Conſul erat Anicius Maximus in Occidente, pariter ſine collega; conſequens eſt, ut tam hæc Epiſtola, quàm aliæ quælibet Hormiſdæ fuerint ſcriptæ intra id novennium Pontificatûs, ſed incerto anno, ubi non conſtat de die & Conſule.

46. Jam verò alibi monuimus Joannem Morinum, virum eruditiſſimum, tribuere circa hæc tempora Primatum Eccleſiæ Hiſpalenſi in alias Metropolitanas Hiſpaniæ, ex eo quòd Pontifices ſanctiſſimi Simplicius & Hormiſda delegaverint vices Sedis Apoſtolicæ Zenoni & Saluſtio Præſulibus Hiſpalenſibus. At enim ea auctoritas potiùs videtur data perſonis Zenonis & Saluſtii ob ipſorum inſignia merita, quàm dignitati Metropoliticæ Hiſpalenſi. Aliunde verò, ut monet Ambroſius Morales lib. 11. cap. 44. cùm Hormiſda Pontifex in hac ipſa Epiſtola tribuat Saluſtio Hiſpalenſi auctoritatem congregandi Concilium Nationale, & ſententiam ferendi circa lites Epiſcoporum; videtur aliquem ipſi Primatum dediſſe in reliquos Metropolitanos Hiſpaniæ. Deinde jam tum Reges Gotthi, ut idem ſubdit, habitare cœperunt Hiſpali; ac proinde illius Præſules in majori pretio erant. Sed poſtea, inclinante ſæculo ſeptimo, transferentibus Gotthis aulam Regiam in Toletum, & additis privilegiis ſpecialibus ipſius Eccleſiæ à tempore Concilii XII. Toletani & deinceps, hæc cœpit Primatum ſpecialem gerere. CARD. DE AGUIRRE.

EJUSDEM HORMISDÆ EPISTOLA IV. AD EPISCOPOS HISPANIÆ.

Gratulatur de pace Eccleſiæ, tum Hiſpanicæ, tum Orientalis.

Fratribus dilectiſſimis, univerſis Epiſcopis per Bæticam provinciam conſtitutis, Hormiſda Epiſcopus.

47. QUID tam dulce ſolicito, quàm quòd mihi de vobis innoteſcunt illa quæ cupio? Quid tam religioſis conveniens inſtitutis, quàm ut inter ſe ſacerdotes pacem, quam eos neceſſe eſt aliis pro officio annunciare, conſervent? Plena, fateor, gratulatione ſuſcepi, quod votiva mihi de charitate (quæ inter vos eſt) Eccleſiarum & pace literis indicâſtis. Spontè mihi, quicquid hortari poteram, quicquid monere, delatum eſt. *Confirmet hoc Deus,*

Eadem ferè eſt Marcellini Papæ Epiſtola.

Pſalm. 67.

quod

quod operatus eſt in nobis: & quæ præcepit pro animarum ſalute facienda, hæc ipſe qui præcepit, pro ea qua nos redemit pietate, faciat. Et his cum bonis nunciis nos quoque religioſorum vicem reddimus nunciarum. Quicquid cum Orientalibus, quos ad Eccleſiæ corpus unitatemque revocatos dudum Dei noſtri ope literis ſignificavimus deſtinatis, denuò, cùm aptum fuerit, repetitis vobiſcum participabimus indiciis. Mox * poſt noſtrorum reditum ab Orientalibus miſſa legatio eſt. Certa ſperavit, certa conſuluit. Sed facimus de his quæ fuerant dicenda compendium, ipſi potiùs, ad inſtruendam notitiam veſtram, quæ à nobis ſunt reſponſa dirigentes, ne quid ſibi ſub ſpatio prolixiore terrarum aut opinio vindicet, aut error aſſumat, cùm ad rerum fidem ipſam teneri ſufficiat veritatem. Quod autem ad continentiam veſtrarum pertinet literarum, oportuit quidem deſideria pleniùs expedire. * ut æſtimatis omnibus reſponſum rationi congruum redderetur. Sed quia privilegiorum veterum & ſtatutorum paternorum indidiſtis iiſdem literis mentionem; ad Saluſtium fratrem & Coëpiſcopum noſtrum ſub hac parte reſcripſimus, vobis quoque ſtrictim quæ dicta ſunt illis latiùs indicantes, ne privilegia * nobis indulta, convellerent, & nihil tam conveniens fidei judicare, quàm ut in honore ſuo à Patribus decreta ſerventur. Deus autem vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi.

* Pro noſtro editto.

* Alia his ſubjecit Pſeudo-Marcellinus.

* A nobis.

NOTÆ IN HANC EPISTOLAM.

48. IN Collectione noviſſima Conciliorum Labbei & Coſſartii ad marginem hujus Epiſtolæ indicatur annus DXIX. ex conjectura, ut credo, eaque valdè veroſimili. Epiſcopi enim Hiſpaniæ ſcripſerant Hormiſdæ nunciantes quantam inter ſe haberent concordiam ac pacem (quo ipſo indicatur præceſſiſſe inter eos aliquot diſſidia) ſimulque illi gratulantes ob pacem Eccleſiæ Romanæ cum Orientalibus initam. Quod certè contigit eo anno DXIX. Pontificatûs Hormiſdæ ſexto, Juſtini Imperatoris ſecundo, Theoderici in Italia regnantis viceſimo ſeptimo, Conſulatu ejuſdem Juſtini Auguſti, & Flavii Eutharici Cillicæ in Occidente. Cùm enim anno ſuperiori variæ Synodi in Oriente pro Fide Catholica celebratæ eſſent, & nomina Catholicorum in diptycha relata fuiſſent, hæreticorum verò ablata; Hormiſda ſanctiſſimus Pontifex Conſtantinopolim legatos miſit ad piiſſimum Imperatorem Juſtinum, qui honorificè eos recepit, & poſt hoſpitium apud CP. comitate & omni humanitatis officio plenum à primariis viris ac fœminis exhibitum, Romam remiſit cum decenti comitatu.

49. Itaque tam Hormiſda quàm Epiſcopi Hiſpaniæ, ſibi invicem gratulantur de pace Eccleſiæ eo anno reſtituta: cùm paullò antea omnia perturbata eſſent, ſub Imperatore Anaſtaſio; qui, inter alia flagitia, Eliam Hieroſolymitanum, & Flavianum Antiochenum, Epiſcopos Catholicos, ob Fidem orthodoxam in exſilium miſerat. Verùm cùm regnâſſet viginti ſeptem annos, & aliquot menſes, die nona Julii, quam longè antea timuerat per ignem ſubeundam, mortem tulit miſerrimam ictus cœleſti fulmine. Intra decem dies ſequentes pariter obierunt ambo ii Præſules, acturi cauſſam ſuam adversùs Anaſtaſium ante tribunal Dei: uti refertur in *Prato ſpirituali* cap. 35. & apud Cyrill. in *Rebus geſtis S. Sabæ*, editis à Surio die quinta Decembris. Succedente itaque optimo Imperatore Juſtino in locum impii Anaſtaſii, & rebus Eccleſiæ multò melius ſe habentibus, tam in Oriente quàm in Hiſpania; hujus Epiſcopi gratulantur propterea Hormiſdæ, & ipſe viciſſim in hac Epiſtola. Unde & obiter colligitur (quod ſæpè alibi monuimus, & pro toto hoc ſexto ſæculo obſervatum eſto) qualiter in Epiſcopis Hiſpaniæ floreret Religio Catholica & diſciplina Eccleſiaſtica, adhuc ſub Regibus Arianis. CARDINALIS DE AGUIRRE.

EJUSDEM HORMISDÆ PAPÆ

E P I S T O L A V.

A D

OMNES EPISCOPOS HISPANIÆ.

Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi profeſſionem dirigit, propter Orientales Epiſcopos, qui eorum communionem popoſcerant.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis, Hormiſda.

50. INTER ea quæ notitiæ noſtræ Joannes frater & Coepiſcopus noſter ſtudio Eccleſiaſticæ utilitatis ingeſſit, hoc quoque pro affectu Catholicæ Fidei & Apoſtolicæ Sedis veneratione conſuluit, quo ordine ex clero Græcorum venientibus tribui deberet ſancta communio, propter cauſſam ſcilicet Acacii, à prædeceſſoribus noſtris pro hæreticorum communione damnati, in qua, qui ſe ab ejus contagione non dividunt, à noſtra communione habeantur excepti. Laudo propoſitum viri hoc zelo circa Fidem & Apoſtolica inſtituta ferventis, ut nec per ignorantiam quidem quemquam cœno erroris alicui pateretur immergi. Digna hæc cur à fidelibus, ut ſolicito ſtudio ſemper invigilent, & inculpatos ſe ab omni perverſitate conſervent. Ipſa eſt enim Fidei innocentia, ut * prævideat, ne vel caſu poſſit errare. Satisfacientes igitur & laudabilibus deſideriis memorati viri, & memores noſtri (ſicut oportet) officii; documenta quæque de Eccleſię ſcriniis aſſumentes, ad Concilium veſtrum pro generalitatis inſtructione direximus, ut ex illis pleniùs quæ ſunt acta diſcentes, ab omni vos errantium * communione ſeparetis. Neque enim eſt perſonalis odii cauſſa in impios tranſgreſſores dicta (Deo inſpirante) ſententia, in qua quidem cauſſa * nequaquam à prædicatione ceſſavimus, & principi ſupplicando, & ſacerdotes & populos admonendo, ut tranſgreſſores abſoluti, ad rectam ſe fidem & affectu Dei & judicii timore converterent. Sed obſtinatio miſeranda eò perduxerat illos, ut nullis modis mortifera venena vincantur, ſed mala ſemina fixis in deterius pullulent radicibus. Ergo, dilectiſſimi fratres, ad omnia competenter inſtructi, ſervate vos & Eccleſiam Dei Apoſtoli exhortatione compuncti. Nos autem libellum miſimus, ſub quo ſiquis communionem veſtram de Orientalibus clericis popoſcerit, ad eam poſſit admitti, ſecundum quam & de Thraciæ, & Scythiæ, Illyricique partibus. vel Epiri veteris, ſed & ſecundum * quod de Syria multos jam conſtat eſſe ſuſceptos, gaudentes ad recta confluere. & devia declinâſſe. Unde pro ſubreptione mandamus, ut omnis cura & ſolicitudo omnis invigilet, & ut jam nullus ſit ignorantiæ locus, nullus utatur ſimplicitatis excuſatione * præterita. Scienti peccare neceſſaria confeſſio eſt. * Neceſſe eſt, ut errorem ſibi ſcribat, qui monſtratur inſtitiſſe pravo itineri. Bonifacius notarius ſanctæ Eccleſiæ Romanæ ex ſcrinio editi exemplaria libelli exſequitur.

* Prævidere, vel cavere poſſit errores.
* contagione.
* neque.
Alleman.
* Quam.
* præteritis.
* Et neceſſe.

Profeſſio Fidei edita à Joanne Epiſc. CP.
Matth. 16.

51. Prima ſalus eſt, rectæ Fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia, dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata religio. De qua ſpe & fide minimè ſeparari cupientes, & Patrum ſequentes conſtituta; anathematizamus omnes hæreſes, & præcipuè Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ fuit orbis Epiſcopus, damnatus in Concilio Epheſino à beato Cœleſtino Papa urbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antiſtite. Similiter & anathematizamus Eutychen & Dioſcorum Alexandrinum, in ſancta Synodo, quam ſequimur & amplectimur, Chalcedonenſi damnatos, quæ ſecuta ſanctum Concilium Nicænum, fidem Apoſtolicam prædicavit. Deteſtamur & Timotheum parricidam, Ælurum cognomento, diſcipulum quoque ipſius, & ſequacem in omnibus Petrum Alexandrinum condemnamus. Et etiam anathematizamus Acacium Conſtantinopolitanum quondam Epiſcopum, ab Apoſtolica Sede damnatum, eorum complicem & ſequacem, vel qui in eorum communione aut ſocietate permanſerint. Qui Acacius quorum ſe communioni miſcuit, ipſorum ſimilem habere meruit in damnatione ſententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum ſequacibus ſuis, & omnibus ſupraſcriptis.

52. Suſcipimus autem & probamus Epiſtolas beati Leonis Papæ univerſas, quas de religione Chri-

ſtiana

ſtiana conſcripſit, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta. Et per omnia ſpero, ut in una communione vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ religionis & perfecta ſoliditas, promittens in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria. Quòd ſi in aliquo à mea profeſſione deviare tentavero; his quos damnavi, complicem me * meâ ſententiâ eſſe profiteor. Hanc autem profeſſionem meam ego manu mea ſubſcripſi, & tibi Hormiſdæ ſancto & venerabili Papæ urbis Romæ direxi. * Hac.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

Ubi plura obſervatu digna circa ſummam auctoritatem Eccleſiæ Romanæ præ cæteris Patriarchalibus, præſertim hoc ſæculo ſexto, in Hiſpania.

53. VIDETUR Epiſtola hæc appendix præcedentis. In illa S. Pontifex Hormiſda gratulationem accepit ab Hiſpanis Epiſcopis de pace Eccleſiæ inita apud Orientem, ubi prævaluerat veritas Religionis Catholicæ in variis Conciliis, eraſâ è diptychis memoriâ hæreticorum, & reſtitutâ fidelium Præſulum. Nunc autem rem ipſam clariùs exponit Pontifex occaſione accepta ex ſuggeſtione Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, & ex literis eorundem Hiſpanorum, quibus ſciſcitabantur qualiter ſe deberent gerere cum Græcis ad Hiſpaniam accedentibus. Cùm enim eouſque ferè res in Grecia admodum diviſę fuiſſent inter Acacium, Joannis prædeceſſorem, ac ſequaces ex una parte, & alios profitentes dogmata Eccleſiæ Romanæ ex altera; rogabant Hiſpani qualiter deberent ſe gerere in iis recipiendis aut reſpuendis. Et erat quidem tunc occaſio frequens dubitandi: quoniam Imperatoribus Orientis ſubjacebat ea pars Africæ, quæ eſt vicina Hiſpaniæ, in quam facilè Orientales, ſeu Græci permeabant.

54. Hanc conſultationem laudat admodum ſanctus Pontifex, tanquam ex puritate Fidei & Chriſtiana prudentia profectam, ne fortè Catholici exciperent lupos ſub ovina pelle, & ad communionem admitterent eos, quos jure merito Eccleſia à ſuo corpore abſcidiſſet. Itaque formulam mittit, ſeu libellum ab ipſo Joanne Patriarcha CP. compoſitum, juxta quem profiteri ſuam Fidem debeant quicumque ex Orientalibus clericis ad Hiſpaniam pervenerint: ſicuti conſtabat receptos fuiſſe multos è Thracia, Scythia, Illyrico, & Syria, cum ipſorum utilitate & gaudio. Deinde exemplar ipſum, Latinè redditum, dicitur ſcriptum manu Bonifacii S.R. Eccleſiæ notarii. Quid ſi fortè hic ipſe ſit qui decem circiter annis poſtea electus fuit Pontifex, dictus Bonifacius hujus nominis ſecundus?

55. Formula autem ipſa habetur ab iis verbis: *Prima ſalus eſt*, &c. ut ſuprà num. 51. Sed enim verba ſtatim ſubjuncta: *Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata Religio*; licèt pariter exſtent in aliis Epiſtolis Pontificum Collectionis Iſidorianæ; hoc loco opportunè admodum uſurpata fuerunt. Nam cùm eatenus tot diſſidia fuiſſent circa dogmata inter Romanos Pontifices & Patriarchas Orientis; oportuit in ipſa Fidei formula profiteri doctrinam Eccleſiæ Romanæ; veluti quæ præ Conſtantinopolitana, Alexandrina, & Antiochena, ſemper firma & ſtabilis in Religione Catholica permanſiſſet. Et hæc eſt ratio cur in libello hoc nominentur & recipiantur dogmata Romanorum Pontificum Cœleſtini adversùs Neſtorium Patriarcham CP. & Leonis adversùs Eutychen, & Dioſcorum Alexandrinum, aliorumque contra Acacium CP. & Petrum Antiochenum.

56. Premamus iterum verba illa: *Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus*: *QUIA IN SEDE APOSTOLICA EXTRA MACULAM SEMPER EST CATHOLICA SERVATA RELIGIO.* Hæc ferè verba primùm leguntur in variis Pontificum Romanorum Epiſtolis, veluti Lucii I. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, ac Felicis pariter Papæ & Martyris ad Benignum Epiſcopum; (quarum γνησιότης dubia eſt apud eruditos) aliorumque omni ſuſpicione carentibus. Innituntur enim promiſſioni illi Chriſti Petro factæ Lucæ 22. v. 32. ubi Chriſtus Dominus Simoni Petro inquit: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Quo ex loco, tum plurimi Pontifices, & in iis Leo ac Gregorius, tum reliqui Eccleſiæ Patres (quos denſo numero allegavimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, præſertim Tract. I. Diſp. XXII.) colligunt, Pontificem Romanum ex cathedra definire non poſſe aliquid falſum, ſive contrarium Fidei aut bonis moribus: ac proinde Eccleſiam Romanam, quatenus ipſi ſubeſt, & ab ipſo Chriſti vicario, quatenus ita definiente, regitur, in Fide ac moribus nulli errori obnoxiam eſſe.

57. Quod dicere nequeunt reliquæ Eccleſiæ Patriarchales Orientis: cùm ſingularum Præſules ſæpè palam ac publicè tradiderint hæreſes, & propterea ab Eccleſia damnati fuerint cum ſequacibus ipſorum. Exempla miniſtrat multa hæc ipſa

Hor-

Hormiſdæ Epiſtola. Sed nos plura alia iis adjunximus loco allegato Diſp. XXVII. num. 15. & ſeqq. unde nonnulla huc advocare liceat. Imprimis Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ cęteris Patriarchalibus Orientis, licèt antiquioribus, præpoſita fuit, quot Præſules habuerit hæreticos, aut etiam hæreſiarchas; & quantam Fidei jacturam eorum tempore ſecerit, antiqua, eaque plorima hiſtoricorum monomenta produnt. Eodem quippe ſæculo, in quo Conſtantinus Magnus thronum ſuum Româ Byzantium tranſtulit, & ejuſdem urbis à ſe noviter denominatæ Epiſcopis dignitatem augere ſtuduit, Macedonius fuit electus Præſul Conſtantiuopolitanus ab Arianis, qui poſtea hæreſeos Pneumatomachorum, divinitatem ſolidam Spiritûs ſancti negantium, auctor fuit. Quamvis verò propter ejus electionem, quæ videtur fuiſſe facta anno Chriſti CCCXLII. excitatæ fuerint turbæ; poſtea ipſe à Conſtantio Imperatore introductus fuit eam in Sedem an. CCCLI. donec in Concilio CP. abdicatus fuit ab Acacio, & in ejus locum ſuffectus eſt Eudoxius. Vide Baronium ad annos mox indicatos, & præterea ad CCCLIX. & CCCLX.

58. Sæculo ſequenti, anno CDLXXI. Acacius, ex præfecto Collegii Orphanorum creatus Epiſcopus CP. poſt plura & varia, tum laude, tum vituperio digna, cum Imperatore Zenone favit hæreticis, deinde & communionem cum iis habuit. Cumque monitus ſæpè nollet obedire, excommunicatus fuit à Felice Papa in Concilio Romano. Unde tantam indignationem concepit, ut dirè ſæviret in Catholicos, & nomen ejuſdem Felicis è diptychis auferret. Tandem in anathemate mortuus fuit anno CDLXXXVIII. Ejus tanquam impii meminit Hormiſda hoc loco.

59. Sed ne rebus plurium aliorum ejuſdem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Præſulum enarrandis immorer, ſatis ſit excurſione quadam indicare ex iis Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum, Anaſtaſiumque, notatos de hæreſi: ut nihil dicam de Photio ſchiſmatico, perſecutore Eccleſiæ Romanæ, ac de Michaële Cerulario, etiam impudenter contra illam debacchante circa annum Chriſti ML. tempore S. Leonis IX. Papæ: qui in Epiſtola ad Michaëlem & Leonem commemorat illorum Patriarcharum errores. Et multò antea S. Gregorius Magnus lib. 4. Indictione 13. Epiſt. XXXII. obſervaverat multos hæreſiarchas ſediſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana.

60. Omnium verò eorum tempore, qui vel hæreſiarchæ, vel hæretici fuerunt, vel ſolùm ſchiſmatici, quàm miſer ſtatus fuerit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, poteſt quidem conjici, ſed ſatis explicari non poteſt. Et quidem S. Gregorius Nazianzenus, qui non multis annis poſt Macedonium illum hæreſiarcham Conſtantinopoli ſedit, poſtquam ſe ejus Eccleſiæ regimine abdicavit, & in ſolitudinem ſeceſſit, lamentabatur ſic frequentem ejus deformationem à Fide, cùm è contrario Romana Eccleſia integra, labiſque pura in Fide permaneret. Sic nimirum accinebat in carmine *De vita ſua* num. 37. componens novam Romam & veterem:

Harum verò fides, iſta quidem jam pridem,
Et nunc adhuc proſpero curſu progreditur,
Occidentem
Totum adſtringens ſalutari doctrinâ,
Ut par eſt eam facere, quæ univerſis præſidet,
Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat antea,
nunc verò non item:
Hanc dico, quæ mea quondam erat, nunc non eſt mea.

61. Verùm cùm mala ejuſmodi progreſſu temporis ſæpè pullularent, & vires ſumerent; tranſactis pluribus ſæculis Joannes Papa VIII. qui Pontificatũ geſſit ab an. Chr. DCCCLXXII. uſque ad DCCCLXXXII. qui & trecentas viginti Epiſtolas ſcripſit, collectas in editione Regia Galliarum (præter nonnulla aliarum fragmenta addita à Claudio Hardy Senatore Pariſienſi) in ſeptuageſima quinta earum inquit: *Credimus quòd jam vos non lateat, nunquam Apoſtolicam B. Petri ſedem ab aliis ſedibus reprehenſam: cùm ipſa alias omnes, ET PRÆCIPUE CONSTANTINOPOLITANAM, ſæpiſſimè reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certè in iis qui reſipiſcere noluerunt, ſententiæ ſuæ judicio condemnaverit.* Quod ſanè non auſus fuiſſet dicere Joannes Papa tam confidenter, nec exprobrare in faciem Conſtantinopolitanis Præſulibus, niſi certus omnino eſſet, Romanam Eccleſiam, & ipſius Pontifices, nunquam eouſque naufragium in Fide feciſſe. Vera quippe & experimento aſſiduo comprobata eſt ſententia illa S. Bernardi: *Nemo fidenter reprehendit, niſi id, in quo ſe irreprehenſibilem eſſe confidit.*

62. Jam ſi convertamus oculos ad Eccleſiam Antiochenam (in qua primùm ſedit B. Petrus Apoſtolorum Princeps, & ex qua Sedes Apoſtolica Romam translata fuit) inveniemus paſſim hæreticos, Paullum Samoſatenum (de quo plura præmiſimus Tomo II. *Theologiæ S. Anſelmi*, Diſput. LIV. ſect. 3. & Diſp. LV. ſect. 4.) Eulalium, Euzoium, Joannem, Domnum, Petrum Gnaphæum, & Macarium. De quibus plura ſparſim legere eſt apud Baronium, proprio uniuſcujuſque eorum tempore.

63. In Eccleſia Alexandrina notati fuère hæreſeos, Gregorius, Georgius, & Lucius, ii tres Ariana ſorde polluti: ac præterea Dioſcorus, Timotheus Ælurus, & Petrus Mogus. Porrò ex iis Dioſcorus multiplici nomine indignus fuit, qui B. Cyrillo in ſede illa ſuccederet. Ut enim omittam ejus hypocriſin, & alia ingentia vitia, ac perſecutionem in hæredes S. Cyrilli, & clericos ab eo ordinatos; amplexus fuit hæreſin Eutychetis in latrocinio Epheſino, & Catholicos diriſſimè exagitavit circa annum CDXLIX. Deinde reverſus Alexandriam, auſus fuit excommunicare S. Leonem Magnum Papam. Poſtea damnatus in Concilio Conſtantinopolitano, coacto ſub legatis Apoſtolicæ Sedis anno CDL. itemque in Chalcedonenſi Oecumenico ann. CDLI. tandem relegatus Gangras infeliciter ibidem obiit. Quin & poſt obitum ſuum ingentia mala intulit: nam ejus cauſſâ Alexandrina & Ægypti Eccleſia ſchi-

ſmate

ſmate diviſa fuit, & ſectatores illum titulo ſanctitatis coluerunt ſæculis ſequentibus, poſt notam hæreſeos ipſi ab Eccleſia Catholica inuſtam.

64. Denique Eccleſia Hieroſolymitana (quæ virgo dicta fuit uſque ad obitum S. Simeonis Cleophæ, ejus Epiſcopi) poſtea erroris labe ſecretò inſici cœpit à Theobule, ac multò pòſt exagitata legitur conflictationibus Arianorum, ac Semiarianorum. Quin & ex Præſulibus illius Joannes notatur à multis veluti ſectator quarundam hæreſeon Origenis: præſertim à Cardinalibus Baronio & Bellarmino, Chriſtiano Lupo, & Daniele Papebrochio: quamvis Lupum eam ob cauſſam ſcriptis exagitaverit Philippus Bonæ-Spei, libello eâ de re edito; Papebrochium verò alii, quos ipſe perſtringit noviſſimè in Actis SS. Maji, Apologiâ initio editâ. Deinde poſt Joannem, hæretici memorantur, Saluſtius, Arſenius, Heraclius, & Hilarius. Unde multi ex Patriarchis ejus Eccleſiæ à Romanis Pontificibus judicati, excommunicati, ac depoſiti fuerunt; uti legere eſt apud Baronium ad annos Chriſti DXX. DCXLIII. MCVII. & MCXV.

65. Sola itaque Eccleſia Romana hactenus lapſum in Fide nullum habuit, ſed qualem à principio accepit ex traditione viva Apoſtolorum Petri & Paulli, conſtanter retinuit: propterea oporteat hoc loci repetere verba S. Agathonis Papæ, tum in Profeſſione Fidei, tum in Suggeſtione Synodica, quæ in VI. Synodo Generali Actione VIII. XIII. & XVII. ab omnibus Patribus unanimiter probata fuit. Nimirum eo loco dicitur: *Beati Apoſtoli adnitente præſidio, hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Hujus auctoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt: omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam ſunt amplexi, per quam & probatiſſima Chriſti luminaria claruerunt, quam & ſancti Doctores orthodoxi venerati & ſequuti ſunt: hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odiis inſequuti ſunt. Hæc enim Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erràſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit: ſed ut ab exordio Chriſtianæ Fidei percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata Fide hactenus permanet: ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem:* Petre, Petre, ecce Satan expetivit vos, &c. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu confirma fratres tuos. *Quod Apoſtolicos Pontifices meos prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper eſt cognitum.*

66. Quapropter liceat Pontificibus Romanis gratulari verbis S. Hieronymi ad S. Damaſum Papam Epiſt. LVIII. celebrantis felicem ſtatum Eccleſiæ Romanæ, ſeu Occidentalis; & lamentantis infelicitatem Orientalis Eccleſiæ. *Profligato* (inquit) *à ſobole mala patrimonio; APUD VOS SOLOS INCORRUPTA PATRUM SERVATUR HÆREDITAS. Ibi ceſpite terrâ fœcundo, Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta, in lolium avenaſque degenerant. Nunc in Occidente ſol juſtitiæ oritur, in Oriente autem lucifer ille qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argentea: hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgam ferream, & æternum opperiuntur incendium.* Non potuit Doctor maximus aptioribus parallelis contraponere aut explicare diſſimilem ſtatum Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis: quarum prior integra in Fide & ſana doctrina ſemper ſtetit: poſterior ſæpè defectionem paſſa eſt.

67. Ex dictis confirmatur palam veritas ſententiæ à Joanne CP. Epiſc. prolatæ in fine hujus Epiſtolæ ad Hiſpanos, quâ contraponens Eccleſiis Orientalibus Romanam, de hac inquit: *IN SEDE APOSTOLICA EXTRA MACULAM SEMPER EST CATHOLICA SERVATA RELIGIO.* Et hoc ipſum Eccleſia Hiſpanica à primis ſæculis certum habuit, propterea que tot conſultationibus à Sede Apoſtolica, veluti Fidei morumque magiſtra irrefragabili, quolibet tempore quæſivit, quid credendum, quid agendum, quid vitandum eſſet. Huc ſpectant quæcumque Epiſtolæ manent adhuc Hiſpanorum Præſulum ad Pontifices Romanos, præter plurimas alias, quæ injuriâ temporum, irruptione barbarorum in Hiſpanias, aut incendio, aliiſve caſibus periiſſe videntur. Verùm præcipuæ, ac magis exploratæ, & liberæ à nota illa mercium Iſidorianarum, ſunt illæ, quas ſuprà indicavimus ad Syricium, Innocentium, Leonem, Hilarum, & Hormiſdam in præſenti, cum reſcriptis ipſorum. Quibus non multò pòſt adjungemus aliam Vigilii Papæ ad Profuturum Præſulem Bracarenſem, ab Epiſcopis Hiſpaniæ cum ſumma veneratione receptam, in qua palam & plenè ſectantur doctrinam Eccleſiæ Romanæ, à Vigilio ſibi traditam, de cauſſis majoribus & judiciis Epiſcoporum, ſolius Sedis Apoſtolicæ ſupremo judicio reſervatis, & undecumque locorum tanquam ad caput referendis.

68. Sed de hoc fuſiùs in Notis ad eam Epiſtolam Vigilii, datam Kalendis Martii, Voluſiano & Joanne VV. CCl. Coſs. id eſt, anno Chriſti DXXXVIII. Qua die, ut ingenuè loquar, non erat verus Pontifex Vigilius, ſed Silverius, qui eodem anno relegatus in Pontiam inſulam exſul occubuit die 28. Julii. Sed tamen idem Vigilius poſtea ritè electus Pontifex eandem doctrinam apertè confirmavit, præſertim Epiſtolâ VII. ad Auxanum Epiſcopum Arelatenſem: ut ibidem oſtendemus.

69. Obſerva (quod ſæpiùs antea monuimus) qualiter hoc ſexto ſæculo ineunte Præſules Hiſpaniæ tempore Hormiſdæ Pontificis pacem ac concordiam invicem ſervarent, ut indicat palam ipſius Epiſtola: qualiter etiam iidem Epiſcopi exſecrarentur omnes hæreſes cum præcipuis earum auctoribus & defenſoribus in ea nominatis: Præſertim Neſtorio, Eutyche, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, & Petro Antiocheno: idque ſub Regibus Arianis, quales fuerunt omnes iis temporibus ferè uſque ad annum DLXXXIX quo Reccaredus Rex cum aliis Principibus Hiſpanis

ſpanis in Concilio III. Toletano Arianam perfidiam abjuravit. Mirum certè eſt, & ſingulari Dei beneficio erga Hiſpaniam adſcribendum, quòd ſub iis Regibus Epiſcopi & populi Catholicam Religionem illibatam tuerentur. Unde & multa ejuſdem ſæculi ſepulchra adhuc exſtant, in quibus corpora Chriſtianorum tumulata inveniuntur cum A. & Ω. quæ erant Catholiciſmi ſigna. Jam alibi nonnullorum ex iis epitaphia exſcripſimus.

Nunc accipe iſtud, teſte Ambroſio Morale, exſtans Hiſpali in domo Toparcharum de Fuentes, abſdubio politum tempore Hormiſdæ Pontificis, anno Chriſti DXX.

MACARIVS FAMVLVS DEI
VIXIT ANNOS LII. RECESSIT
IN PACE DIE X. KAL. IAN.
ERA DLVIII.

CARD. DE AGUIRRE OBSERVATIONES

In Epiſtolam Synodicam ſequentem Epiſcoporum in Sardinia exſulum, poſt obitum S. Hormiſdæ Papæ.

1. ANTEQUAM recedamus à rebus Hiſpaniæ ſub ſanctiſſimo Pontifice Hormiſda, viſum fuit exhibere hoc loco Epiſtolam illam Synodicam celebrem Epiſcoporum Africanorum exſulantium apud Sardiniam inſulam Hiſpaniæ finitimam, & ſemper ferè ſubditam, præſertim à multis jam ſæculis uſque modò. Non enim extra ſcopum vaſtiſſimi hujus Operis cenſeri debet quicquid intra Hiſpaniam, aut inſulas ipſi conterminas, & ſubjectas, ſynodicè ſtatutum fuit. Et certè Epiſtola iſta adeò digna lectu eſt ob inſignem doctrinam *De gratia Dei & humano arbitrio*, in ea traditam, ut mihi durum fuerit illam hoc loco prętermittere propter moroſos quoſdam, aut nimiùm delicatos, qui fortaſſe nollent hiſce voluminibus exhiberi Concilia, vel ſcripta ſynodalia, niſi quæ intra Hiſpaniam ipſam initium habuerunt, aut condita ſunt.

2. Porrò illam fuiſſe ſcriptam poſt obitum prędicti Pontificis Hormiſdæ, patet ex §. 26. ubi fit memoria ipſius, tanquam vitâ functi cum inſigni ſanctitatis opinione. *Quorum mentionem* (inquit) *beatæ memoriæ Hormiſda, Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes*, &c. Obiit autem ille Conſule in Occidente Fl. Anicio Maximo ſine collega, anno quinto Juſtini imperantis, & triceſimo primo Theoderici in Italia regnantis, atque adeò Chriſti DXXIII. quo ipſo, die duodecima Auguſti, ut notatum reliquit Cl. V. Lucas Holſtenius, in illius locum ſuffectus fuit Joannes I. qui *ſedit an.* 2. *menſes* 9. *dies* 8. *uſque ad diem obitûs*: *uſque ad diem depoſitionis, dies* 17. Jam verò obierat antea anno DXXII. Traſamundus Rex Wandalorum in Africa, tædio ac deſperatione bellorum ſibi malè cedentium, cujus odio in Catholicam Fidem hi Epiſcopi relegati diu fuerant in Sardiniam: unde poſtea in Africam redierunt regnante jam ibidem Hilderico: non tamen illicò, ſed uno vel alio anno poſt obitum Hormiſdæ Pontificis.

3. Non conſtat verò, an ſub ipſo Pontificatu Joannis hi Africani Epiſcopi ſynodicam hanc ſcripſerint; an poſtea, tempore Felicis Papæ IV. qui mortuo Joanni ſucceſſit anno DXXVI. die duodecima Julii, Anicio Olybrio Juniore ſolo Conſule in Occidente, anno imperantis Juſtini octavo, & quinquaginta circiter diebus ante miſeram mortem Theoderici Italiæ Regis, qui ſpectro territus, ut alibi indicavimus, die prima Septembris moriens, intra eundem annum compulſus fuit ad dicendam cauſſam coram tribunali divino, ob necem illatam ſanctiſſimo Papæ Joanni, & graviſſimis ac venerandis viris Symmacho & Boëthio.

4. Conſtat autem ſatis ſynodicam hanc ſcriptam fuiſſe ab iis Epiſcopis exſulibus dictante totum contextum S. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi in Africa, qui tunc inter alios Pręſules fulgebat, velut ſol inter ſidera, & doctiſſimis ſcriptis ſuis Eccleſiam illuſtrabat. Itaque neceſſum eſt dicere, Epiſtolam hanc ab iis Epiſcopis ſcriptam, & pręſertim à S. Fulgentio, poſt annum DXXIII. & ante annum DXXIX. dum ii eſſent exſules in Sardinia. De Fulgentio quod dixi, patet ex Ferrando diacono in ejus Vita cap. 20. unde habemus, non modò qualiter S. Fulgentius cum reliquis exſilium tunc apud Sardiniam pateretur, ſed etiam quòd *literas ex illo Concilio ſolus ipſe dictaret*. Vocantur & illæ in Ms. Carthuſię Portarum, *Reſcriptum Epiſcoporum*. Dum enim ſubirent exſilium in ea inſula, rogati ſententiam circa gratiam Dei & humanum arbitrium, reſpondendum duxerunt juxta doctrinam genuinam S. Auguſtini, quam paucis antea annis eximiis laudibus commendaverat *be. mem. Hormiſda Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes*, (ajunt) *in Epiſtola quam conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdoti noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit: DE ARBITRIO TAMEN LIBERO ET GRATIA DEI, QUID ROMANA, HOC EST, CATHOLICA, SEQUATUR ET SERVET ECCLESIA, LICET IN VARIIS LIBRIS BEATI AUGUSTINI, ET MAXIME AD PROSPERUM ET HILARIUM, ABUNDE POSSIT AGNOSCI; TAMEN ET IN SCRINIIS ECCLESIASTICIS EXPRESSA CAPITULA CONTINENTUR.*

5. Nimirum Poſſeſſor Epiſcopus Afer, dum pro Fide extorris eſſet, & ſtrenuè ageret, conſuluit

Hor-

Hormiſdam de doctrina gratiæ & liberi arbitrii, ac de ſcriptis Fauſti Rhegienſis, qui in ea parte S. Auguſtinum impugnâſſe cenſebatur. Huic verò Epiſtolæ Poſſeſſoris reſcripſit aliam Hormiſda, & in ea verba nuper allegata, in quibus laudat impensè libros S. Auguſtini, præſertim ad Proſperum & Hilarium, qui planè ſunt de eodem argumento, & continent circa illud, quod Romana, hoc eſt Apoſtolica, ſectatur Eccleſia. Eandem verò doctrinam S. Auguſtini fideliſſimè ſequutus fuit S. Fulgentius, & explanavit in omnibus ſuis libris, ac præſertim in hac Epiſtola, ſimul cum aliis Epiſcopis exſulibus: quorum omnium in hac Synodo veluti ingeniũ & lingua fuit. Eam itaque hoc loci exhibendam duximus, ut innoteſcat quiſnam eſſet ſenſus S. Fulgentii, & eorum Præſulũ, immo & omniũ iis ſæculis cum S. Auguſtino & Hormiſda Papa, circa gratiam Dei & humanum arbitrium.

EPISTOLA SYNODICA
EPISCOPORUM AFRICANORUM
IN SARDINIA EXSULUM,

Anno, ut videtur, Chriſti DXXVI. aut circiter.

DE GRATIA DEI ET HUMANO ARBITRIO.

Dei gratiâ plurimùm amplectendis ſanctis fratribus, Joanni presbytero & Archimandritæ, & Venerio diacono, & fidelibus viris, quorum in veſtra Epiſtola ſubſcriptio continetur, Dacianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholaſticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvult-Deus, famuli Chriſti in Domino ſalutem.

PROOEMIUM.

6. QUANTUM membra Eccleſiaſtici corporis per Chriſti gratiam in unitate Fidei compages retinet charitatis, tantum neceſſe eſt, ut pro invicem ſolicita ſint membra: ut repulſo cujuslibet pravi dogmatis verbo, non ſolùm ſervandæ, verùm etiam reparandæ ſanitati jugis atque indefeſſa tam ſermonis quàm orationis impendatur inſtantia. Sic enim fit, ut dum ſolicitudo fraternæ puritatis invigilat, ipſe Spiritus ſanctus, per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, diligentibus Dominum, & in Domino proximum, omnia cooperentur in bonum. Quia ſicut ipſam dilectionem dono gratiæ ſpiritualis accipimus; ita dum pro fratribus ſoliciti ſumus, non ſolùm divinam ineſſe nobis gratiam demonſtramus, verùm etiam quantò magis à nobis puritas charitatis impenditur, tantò magis gratia nobis divinæ retributionis augetur.

CAPUT I.

7. Accepimus itaque veſtræ charitatis Epiſtolam, quæ noſtrum ex parte relevavit, ex parte verò mœſtificavit exſilium. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de gratia Dei ſententiam, cujus lumine illuminatur, & juvamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam ſumus nebulâ mœroris affecti, quia ſignificâſtis quoſdam fratres in quæſtione de gratia Dei & humano arbitrio non rectum tenere Fidei Catholicæ tramitem: ſed adverſus Dei gratiam elevare velle humani arbitrii libertatem.

CAPUT II.

8. Ubi primùm, dilectiſſimi, debetis agnoſcere, immo vos non ambigimus agnoviſſe, ad hoc divinitus iſta permitti, ut hinc divinæ gratiæ virtus documento poſſit judicii manifeſtioris intelligi. Quandoquidem ipſa gratia nullatenus agnoſcitur, niſi detur: quæ quamdiu eſt in homine, tamdiu non neceſſe eſt ut ei aut ſermone repugnet aut opere. Nam ſermone repugnat gratiæ Dei, qui ſenſum gerit Fidei Chriſtianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus ſuis Chriſtianæ vitæ non tenet inſtitutum. Hoc quippe in homine agit gratia divinitus data, ut animus dono Fidei charitatiſque præcepto, & ſermonem bonum proferat, & ſtudio bonæ operationis inſiſtat. Quod fidelibus divinitus dari, beatus & oſtendit & popoſcit Apoſtolus, dicens: *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratiâ, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere bono & ſermone.*

CAPUT III.

2. Cor. 3.

1. Cor. 2.

9. A Deo itaque nobis eſt omnis gratia boni ſermonis & operis, à quo nobis etiam ipſius cogitationis bonæ manifeſtum eſt ſufficientiam tribui: ut diſcat homo non in ſe, ſed in Domino gloriari. Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus aſſignabat Apoſtolus, quando dicebat: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Proinde, & ſiquidem gratiam necdum habentes, non ſe intelligunt non habere: illi tamen qui gratiam divinitus acceperunt, eò magis debent in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quò eam vident non omnibus tribui. Neceſſe eſt autem, ut ab eis, quibus non tribuitur, ignoretur; & ab eis agnoſcatur, quibus divina largitate donatur. Teſtatur enim Apoſtolus, dona Spiritus ſancti ejuſdem Spiritus ſancti acceptione cognoſci. ideo ait: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus; ſpiritualibus ſpiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritûs Dei. Stultitia eſt enim illi: & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter dijudicantur. Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* Per ſanctum ergo Spiritum gratiam accipimus, quo accepto fit in nobis ut quod accepimus noverimus.

CAPUT IV.

1. Cor. 4.

10. Proinde ſcienda eſt, dilectiſſimi, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quàm divinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes* (ait Apoſtolus) *quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ante largitatem quippe gratiæ eſt in homine quidem liberum arbitrium, ſed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, niſi gratia detur, bonum ipſum arbitrium non habetur. Sic namque eſt liberum hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine luce. Nam & oculus ad videndum factus eſt: ſed niſi lumen acceperit, non videbit. Illa autem eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat autem hominem ſe ipſam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, ut ipſum poſſit aſpicere; ſic & libero arbitrio hominis nulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritualis infuſio.

11. Proinde ut de iis quæ veſtris literis indidiſtis, quid habeat Catholici dogmatis veritas, intimemus; ſingula breviter definire curavimus, ſequentes donum ejuſdem gratiæ, quod ſanctorum Patrum cordibus & linguis ipſa eſt dignata infundere.

CAPUT V.

12. Dixiſtis itaque, quòd vobis dicentibus, quòd Eſau & Jacob necdum natis, Jacob per miſericordiam gratuitam eligitur; Eſau autem originali peccato detentus, juſto judicio Dei eſt odio habitus; illi è contrario dicunt, in Eſau figuram eſſe populi Judæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob verò figuram eſſe populi gentium, ex futuris operibus bonis ſalvandi. Hæc duo, quæ ſingula proponitis, bonum eſt ut Catholica conſenſione jungatis. Sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoſcitur, & à vobis propheticum myſterium non negatur.

CAPUT VI.

13. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum ſignificatio populorum: præſertim cùm ipſi Rebeccæ Dominum conſulenti duo prænuncientur populi, ab ejus utero ſeparandi. Veruntamen

men agnoſcenda eſt in illa diſcretione & gratuita bonitas & juſta ſeveritas. Nam quia omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum; & gratiâ diſcernuntur quicumque ſalvantur: profectò non ſunt electa oeque dilecta in Jacob humana opera, ſed dona divina.

CAPUT VII.

14. Rurſus quia iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat; procul dubio in Eſao humanæ iniquitatis eſt damnata neqoitia. In eo quippe gratuitum in Jacob Dominus oſtendit beneficium miſericordiæ ſuæ, in quo eom non pro meritis futuræ cujuſquam bonæ operationis elegit, cui ſe ipſum, & Fidem, & bona opera donaturum eſſe præſcivit. Inde eſt, quòd ſemini Abrahæ, cujus in Jacob figura præceſſit, beatus Apoſtolus dicit: *Gratiâ ſalvi eſtis per Fidem*. Ut oſtenderet, Fidem non aliquibus bonis meritis dari, ſed ipſios Fidei dono omne bonom meritum inchoari, ipſamque donum Dei eſſe, ſequutus adjuoxit: *& non ex vobis, ſed donum Dei eſt*. Ac ne quiſquam ſibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vendicare, & pro quibuſcumque operibus fidem ſe æſtimet accepiſſe; ſobjecit: *Non ex operibus, ne quis glorietur*. Epheſ. 2.

CAPUT VIII.

15. Ut autem oſtenderet, oon ſolùm Fidem, ſed etiam bona opera divinitus tribui; continuò ſubdidit: *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis*. Quæ non ſolùm à Deo donata, ſed ab ipſo præparata teſtatur, dicens: *Quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*.

CAPUT IX.

16. Gratiâ itaqoe Jacob ſalvus factus eſt per Fidem: gratiâ conſequutos eſt bonorum operum facultatem. Quocirca quia certum eſt Eſau fuiſſe vas iræ, Jacob autem vas miſericordiæ; certiſſimè tenendum eſt, quòd & ille ot damnaretur, iram juſtè meruit: non enim injuſtus Dominos, qui iram infert: & iſte ut ſalvaretur, gratis donum miſericordiæ prævenientis accepit. Jacob itaqoe juſtificatus gratis per gratiam Dei, factus eſt vas miſericordiæ per indebitam gratiam, & per ipſam miſericorditer eſt præparatus ad gloriam: Eſau verò per iram juſtam juſtè eſt præparatus ad pœnam. Iniquitas autem noſtra juſtitiam Dei commendat. Deus ergo in Jacob miſericordiam gratuitæ bonitatis, io Eſau verò judicium juſtæ ſeveritatis oſtendit: qui ſacramento quidem circumciſionis octavo die ſecundùm tenotem divinæ conſtitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit; ſed per nequitiam cordis in hominis terreni vetuſtate permanſit; illius ibi judicio derelictus, qui gratis ſalvat, juſteque damnat. In cujus perſona ſignificati ſunt non illi tantùm qui Fidem negant, ſed & illi qui uſqoe in finem vitæ ſuæ intra Eccleſiam poſiti, in malis operibus perſeverant. de quibus Apoſtolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*.

CAPUT X.

17. Nam ſicut ille circumciſus periit, quia dilexit tenebras magis quàm lucem; ſic omnis qui non depoſuit veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, condemoabitur in judicio, quia noo condignè uſus eſt baptiſmatis ſacrameoto. Ad euodem qoippe veterem homioem pertioent, non ſolùm illi qui ignoraot Dominum, ſed etiam illi, de quibus dicit Apoſtolus: *Confitentur ſe noſſe Dominum, factis autem negant*. Galat. 5.

CAPUT XI.

18. De parvulis verò indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis: quia parvulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate ſalvatur: qui verò ſine baptiſmate moritur, propter peccatum originalo da mnatur. Nec aliquo dicendus eſt Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui abſque juſtificationis gratia mortuus, eſt impiorum conſortio deputatus: à qua impietate, ſive parvulus, ſive majoris ætatis, ſolo quiſque remedio eripitur, ſi Chriſti ſanguine redimatur.

CAPUT XII.

19. De gratia verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non ſolùm non omnium ſit Fides, ſed adhuc oonnollæ gentes inveniantur, ad quas Fidei prædicatio non pervenit.

Beatus autem Apoſtolus dicit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Non itaque gratia omnibus datur; quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt qui fideles non ſunt, nec poſſunt credere, ad quos invenitur ipſe Fidei auditus minimè perveniſſe.

CAPUT XIII.

20. Ipſa verò gratia quibuſcumque datur, non æqualiter datur, ſed ſecundùm menſuram donationis Chriſti, & unicuique ſicut Dominus diviſit menſuram Fidei: qui non hominum perſonas accipit, ſed omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria ſingulis, prout vult.

CAPUT XIV.

21. Quod autem vos dicitis, ſolâ Dei miſericordiâ ſalvari hominem; illi autem dicunt, niſi quis propria voluntate cucurrerit, & elaboraverit, ſalvus eſſe non poterit; dignè utrumque tenetur, ſi rectus ordo ſervetur divinæ miſericordiæ & voluntatis humanæ: ut illa præveniat, hæc ſequatur: ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis exiſtat, ut miſericordia Dei præveniens, voluntatis humanæ dirigat curſum, & humana voluntas obediens, eâdem miſericordiâ ſubſequente, ſecundùm intentionem currat ad bravium. Per hoc humana voluntas in eo quod currit, utiliter laborat, & ex Dei miſericordia ſibi eſſe donum curſûs ac laboris agnoſcat: nec ſit ingrata miſericordiæ, per quam ſalutis accipit initium, ut per ipſam perveniat ad plenum ſempiternæ ſalutis effectum: quia tunc erit bona, ſi Dei præveniatur dono; & tunc permanebit bona, ſi ejus non deſtituatur auxilio. Errat autem quiſquis putat ſic à Domino tribui, velut ſi quis accepto idoneo pignore, pecuniam det: cùm Dominus utique & pignus Spiritus ſancti ipſe, quibus vult, conferat; & pecuniam ſuam nummulariis expetendam, ſicut ipſe loquitur in Euangelio, ſervorum ſuorum curæ officioque diſtribuat.

Matth. 25.

CAPUT XV.

Rom. 9. 22. Illa verò Apoſtoli ſententia, quâ dicitur: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat:* meliùs quidem ex perſona confirmantis accipitur: quam ſi quis non vult ex perſona confirmantis accipere, illud ſine contentione attendat, quod ſubſequenter dicitur: *An non habet poteſtatem figulus luti,*
Ibid. *ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et cùm in utroque vaſe faciendo figuli cognoverit poteſtatem, in vaſe honoris indebitam gratiam Dei miſerantis intelligat, & in vaſe contumeliæ debitum judicium Dei obdurantis, ideſt, deſerentis, agnoſcat.

CAPUT XVI.

23. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, ſed cùm ab iniquitate non eripit: quod quia juſtus eſt, juſtè facit. Deo ergo miſerante, ſine ſuis meritis homo ſalvatur; obdurante autem, juſtè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis ſalvat, judicio ſeveritatis obdurat.

CAPUT XVII.

24. Illud etiam quod vos dicitis: *Dominus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate:* illi autem dicunt: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis:* ſi utrumque, ſicut oportet, animus in Fide tranquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæſtio remanebit. Jubet enim Deus homini, ut velit; ſed Dominus in homine operatur & velle: jubet ut faciat,
Philip. 2. ſed operatur & facere. Ideo utrumque beatus jungit Apoſtolus, dicens: *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini. Dominus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ut ergo cum timore & tremore ſuam quiſque operetur ſalutem, opus eſt volentis hominis. Sed hoc ipſum Dominus operatur in ſuis, ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta quæ faciat: ſed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, niſi divinitus adjuvetur. Ita fit, ut ſe operari debere homo cognoſcat, dum præceptum accipit, & Domino ſe ſciat ſemper omne bonum debere, quo vult ac facit: quem, teſte Apoſtolo, cognoſcat operari in homine & velle & perficere pro bona voluntate. Qui ſuis fidelibus hanc dignatus eſt gratiam promittere per Prophetam, dicens: *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis,*
Ezech. 36. *& judicia mea obſervetis & faciatis.* Cùm ergo Dominus in homine operari cœperit velle, tunc homo

ad

ad Dominum convertitur, & eodem in ſe operante, unde ipſi placeat, operatur. De Domino enim dicit Apoſtolus: *Aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram ſe.* Ad vitam quoque in tantum poteſt homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem ſuam ſuper manum dexteram ſuam. Hebr. 13.

CAPUT XVIII.

25. Nimis autem abſurdum, illos putare vaſa miſericordiæ, qui vel ſæcularem habent, vel Eccleſiaſticam dignitatem; vaſa verò contumeliæ, clericos, & monachos, ac laïcos æſtimare: cùm utique Apoſtolus vaſa miſericordiæ illa dicat, quæ præparavit Dominus in gloriam, non præſentem utique, ſed futuram, quibus dicit: *Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Ideo paullò ſuperiùs eis ait: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Vaſa quippe miſericordiæ ſunt, quibus dicitur: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Vaſa verò contumeliæ ſunt quibus dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus.* Vaſa itaque miſericordiæ, non Eccleſiaſtica, vel ſæcularis dignitas, ſed in Eccleſia ſpiritalis charitas facit. Quapropter in quacumque profeſſione tenuerit homo Fidem, quæ per charitatem operatur, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Coloſſ. 3. Matth. 25.

CAPUT XIX.

26. Contra prædeſtinationem verò Sanctorum magnæ pervicaciæ eſt aliquem vel parare, vel habere conflictum, cùm Apoſtolicæ prædicationi nullus audeat refragari, quà non ſolùm dicitur de Domino: *Quos autem præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ejus.* Et alio loco: *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum*: verum etiam ipſum caput noſtrum, ipſum primogenitum in multis fratribus, beatus Paullus prædeſtinatum confidenter prædicat, dicens: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis.* Quiſquis ergo prædeſtinatum Chriſtum, & Sanctos ejus negat, Apoſtolicam Fidem perverſus oppugnat.

CAPUT XX.

27. Omnes autem prædeſtinati ipſi ſunt, quos vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque ſexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia poteſtas ejus nullatenus vincitur. Ipſe eſt enim qui omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, & cujus voluntati nemo reſiſtit. Verum namque eſt, quod de ſe teſtatus eſt Filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis exſpectat. ſed ipſam voluntatem bonam faciendo vivificat. Hoc in majoribus, parvulos autem, in quibus necdum poteſt bona voluntas fieri, ſolius gratiæ facit operatione ſalvari.

CAPUT XXI.

28. Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine ſanum ante peccatum, nunc in filiis Dei propria quidem infirmitate concutitur, ſed majore divini muneris gratia ſublevatur.

CAPUT XXII.

29. Quæſtionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut ſine contentione tractare: quia ſive ex propagine veniant, ſive novæ ſingulis corporibus fiant, quod ſanctarum Scripturarum auctoritas non manifeſtè pronunciat; cum cautela debet inquiri: maximè quòd ſine Fidei detrimento poteſt à fidelibus ignorari.

CAPUT XXIII.

30. Illud præcipuè obſervandum eſt & tenendum, parvulorum animas nexu peccati originalis obſtrictas, omnibuſque neceſſarium eſſe ſancti baptiſmatis ſacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amiſſa in primo homine per ſecundum hominem recipitur adoptio filiorum.

CAPUT

CAPUT XXIV.

31. Vos itaque, dilectiſſimi fratres, per gratiam Dei ſtote ſtabiles & immobiles: ac tenentes veram Fidem, exhibete fratribus aliter ſentientibus charitatem. Nec de aliquo deſperetis: quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoſcit, poteſt cras Deo revelante cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cùm volet, poſſe. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos poſſumus habere mercedem: ſcientes quoniam in conſpectu Dei quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit; & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, ut per gratiam ſalvi fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant.

CAPUT XXV.

32. Præ omnibus ſtudium gerite, libros S. Auguſtini, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſda, Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes, in Epiſtola quam conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit. Cujus hæc verba ſunt: *De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur & ſervet Eccleſia, licèt in variis libris beati Auguſtini, & maximè ad Proſperum & Hilarium, abundè poſſit agnoſci; tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.*

CAPUT XXVI.

33. Hæc itaque, dilectiſſimi fratres, interrogantibus vobis, breviter communi voluimus reſpondere reſcripto. Cæterùm unus ex nobis, in quantum Dominus ſervis ſuis recti gratiam dignatur donare ſermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adverſus gratiam & prædeſtinationem intimâſtis, vel ſentire, vel dicere, tribus libris veſtro nomine dedicatis, ſufficienti diſputatione reſpondit, quique adverſus duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit: quos cùm recenſueritis, agnoſcetis protinus, quemadmodum memorati Fauſti commenta veritati contraria Catholicæ Fidei penitùs inimica diſcuſſio prodidit, ratio manifeſta convincit, auctoritas divina compreſſit, & præcedentium Patrum conſona prorſus atteſtatio confutavit.

CAPUT XXVII.

34. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ ſuæ ita ſubſidium largietur, ut & bene ſentientibus tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus, donet agnoſcendæ veritatis intuitum. Ipſa enim facit gratiæ ſuæ participes, quos prædeſtinavit ad vitam: ut in omnibus bonis ſuis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei ſubjiciant, & ab ipſo ſibi cognoſcant deſcendere omne datum optimum, & omne donum perfectùm: ſciant etiam ab ipſo exſpectandum ſemper auxilium, qui prædeſtinatis ſuis & gratiam & perſeverantiam donat: ut gratiam pro gratia, donum vitæ perennis, accipiant.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN EAM EPISTOLAM.

35. PRÆTER nonnulla à nobis initio obſervata in anteceſſum ad Epiſtolam hanc, oportet notare, illam ſcriptam fuiſſe eo tempore, quo de gratia Dei & libero hominis arbitrio, differebatur inter Catholicos magna animorum contentione. Plerique enim, aut ferè omnes Catholici, atque in iis Hormiſda Pontifex, & hi Epiſcopi apud Sardiniam exſules, cum Poſſeſſore fratre ſuo, quem conſacerdotem appellant, & Fulgentio Ruſpenſi Præſule, omnium doctiſſimo atque eruditiſſimo Græcè ac Latinè, ſequebantur doctrinam S. Auguſtini, tamdiu antea celebrem in Eccleſia, & laudatam à Sanctis Pontificibus Cœleſtino, Leone, ac Gelaſio. Nonnulli tamen ex ſectatoribus ipſius, ob ſiniſtram doctrinæ Auguſtinianæ interpretationem, videbantur eripere hominibus liberum arbitrium, eoſque ad deſperationem inducere, veluti fatali quadam neceſſitate prædeſtinatos ad malum. Unde & Prædeſtinatiani dicti fuerunt, eo nomine in malam partem accepto: quo imprimis notârunt Lucidum quendam presbyterum, & aliquot Adrumetinos monachos, donec ii errores ſuos retractârunt. Permanſere tamen ii omnes in tradenda Auguſtini doctrina de neceſſitate gratiæ interioris illuminantis intellectum, & moventis voluntatem ad ſingulos actus ſalutares, etiam ad initium Fidei: itemque de prædeſtinatione gratuita

ta hominum electorum ad gloriam independenter à meritis. Utrumque enim horum toties, tam apertè, tam conſtanter tradit Auguſtinus, & tam ſolidè probat ex teſtimoniis Scripturæ, ut vix aliqui ab ea doctrina recedere auderent.

36. Fuerunt tamen alii contrà opinantes, ii præſertim qui Semi-pelagiani dicti ſunt: de quorum rebus latè egimus Tom. III. *Theologiæ S. Anſelmi*, Tract. VI. Diſp. CXIII. & CXIV. Tribuebant enim viribus liberi arbitrii initium aliquod Fidei, vel ſalutis, ſine gratia interiori ac preſſè dicta: deindeque nec prædeſtinationem electorum gratuitam agnoſcebant, ſed quodammodo ex meritis habitam aut paratam. Potiſſimi inter eos fuerant aliqui Maſſilienſes, doctrinæ & pietatis nomine celebres, præſertim Joannes Caſſianus, adhuc vivente Auguſtino, & poſt hujus obitum Fauſtus Rhegienſis, ac Gennadius, ambo palam Semi-pelagiana fuligine tincti: quique plures ſuorum errorum diſcipulos ac ſectatores reliquerant, viventes & dogmatizantes adhuc tempore ipſo, quo hæc ſynodica Epiſtola ab Epiſcopis Africanis exſulibus in Sardinia inſula, prope urbem Calaritanam, piè ac ſanctè intra monaſterium viventibus, pro doctrina S. Auguſtini ſcripta fuit.

37. Adverſus eundem Fauſtum præcipuè invehuntur Epiſcopi iſti cum Fulgentio, omnium ipſorum veluti coryphæo ac duce in hac Epiſtola, præſertim capite illius penultimo, ubi palam ille ſignificatur, veluti *qui adverſus duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit*. Statimque adjungitur: *Quos cùm recenſueritis, agnoſcetis protinus quemadmodum memorati Fauſti commenta veritati contraria, Catholicæ Fidei penitus inimica diſcuſſio prodidit, ratio manifeſta convincit, auctoritas divina compreſſit, & præcedentium Patrum conſona prorſus atteſtatio confutavit.* Hoc judicium tulere ſancti hi Epiſcopi cum Fulgentio ſuo de doctrina Fauſti Rhegienſis, tanquam veritati ac Fidei Catholicæ contraria, quam proinde toto Epiſtolæ hujus contextu palam evertunt.

38. Unde & Ferrandus diaconus (qui fortè aderat cum his Epiſcopis) in Vita ejuſdem S. Fulgentii cap. 28. inquit: *S. Fulgentius libris Fauſti reſpondit, ne in illis occultum ſerperet virus.* Sed & S. Iſidorus, qui centum circiter annis poſtea ſcripſit, in libro *De viris illuſtribus*, cap. 14. ait: *Legimus De gratia Dei & libero arbitrio, Fulgentii libros ſeptem Reſponſionum, Fauſto Galliæ Rhegienſis urbis Epiſcopo, Pelagianæ pravitati conſentienti, reſpondentis. Obnititur profundam ejus deſtruere calliditatem.* Quibus verbis S. Iſidorus palam notat Fauſtum Pelagianiſmi & aſtutiæ; ſatiſque oſtendit, quàm grata ſibi, ac ſubinde cæteris Hiſpaniæ Epiſcopis, eſſet doctrina S. Auguſtini de gratia & libero hominis arbitrio, ſiquidem contrariam à Fauſto illo Rhegienſi traditam adeò apertè criminabatur. Præterea ibidem de Fulgentio ipſo ait: *In confeſſione Fidei clarus, in Scripturis divinis copioſè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis* fuit. Denique omnia dogmata prædicta SS. Auguſtini & Fulgentii, recapitulata ab Apoſtolica Sede, & poſtea noviter confirmata in Concilio Arauſicano II. anno DXXIX. viventibus iſtis ſanctis Epiſcopis, fuerunt receptiſſima in Hiſpania, & publicè legebantur initio cujuſque Concilii ex Codice Canonum, cujus Indicem eximium dabimus initio Tomi III. Vide ibidem libro octavo pag. 44. & ſeqq. præcipuè verò pag. 46.

39. Similiter circa hæc tempora Joannes Maxentius, ejuſdem Fulgentii ſynchronus, & Avitus Viennenſis Præſul, ſtrinxere calamum contra Fauſtum Rhegienſem, veluti recedentem à doctrina Auguſtini aliorumque Patrum, & ita impugnantem hæreſim Pelagii, ut in errorem caderet, tribuens viribus naturalibus arbitrii quod proprium Chriſti eſt. Ita ferè de Fauſto cenſuit Addo Epiſcopus Viennenſis in Chronico ſuo ad annum Chriſti CDXCII. dicens: *Fauſtus ex Abbate Lerinenſis monaſterii apud Rhegium Galliæ factus Epiſcopus, Pelagianum dogma deſtruere conatus, in errorem labitur. Unde qui ejus ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ut Gennadius* De illuſtribus viris *ſcribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus quàm cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, ut illuminatio ejus, virtus, & ſalus illi à Chriſto, & per Chriſtum, & in Chriſto ſit. Fauſtus verò iſte, ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus, & ſalus, non à Chriſto, ſed à natura ſit. Contra hunc lucidiſſima fide ſcribit Avitus Viennenſis Epiſcopus, ejus redarguens errorem. Similiter & Joannes vir eruditus Antiochenus presbyter.*

40. Porrò Joannes Maxentius, quem laudat Addo, eſt ille ipſe presbyter Antiochenus, qui variis Scripturæ teſtimoniis, & collectis ex Auguſtino locis, Fauſtum ipſum refutavit. In quo certè laudandus eſt: quamvis alioqui notam incurrerit haud levem, quòd apud Conſtantinopolim excitaverit turbas cum Scythis monachis ſeditioſis, & Epiſtolam Hormiſdæ Pontificis ad Poſſeſſorem Epiſcopum, qui ipſum conſuluerat (ut in hac Synodica cap. 26. habetur) noluerit agnoſcere tanquam à Romano Pontifice ſcriptam, ſed à quopiam alio, ut eam liberiùs impugnaret. Verùm in rejicienda doctrina Fauſti ſubdolè calumniantis aut refutantis doctrinam S. Auguſtini *De gratia & humano arbitrio*, convenerunt iidem Maxentius & Poſſeſſor cum Epiſcopis auctoribus hujus Synodicæ, & nominatim cum Fulgentio, aliiſque ſuprà laudatis.

41. Inſuper & Petrus diaconus in libro *De Incarnatione & gratia Chriſti*, quem dicavit eidem Fulgentio ſibi amiciſſimo, ad finem hæc habet: *Omnium ſanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cæleſtium, ſimulque Julianum, & qui illis ſimilia ſapiunt: PRÆCIPUE LIBROS FAUSTI GALLORUM EPISCOPI, qui de monaſterio Lerinenſi profectus eſt: QUOS CONTRA PRÆDESTINATIONIS SENTENTIAM SCRIPTOS ESSE NON DUBIUM EST, in quibus non ſolùm contra omnium ſanctorum Patrum, verùm etiam contra ipſius Apoſtoli contraditionem veniens, humano labori ſubjungit gratiæ auxilium.*

42. Hæc cùm ita ſint, mirum non eſt quòd hi ſexaginta Epiſcopi ſimul cum Fulgentio tam aper-

apertè damnent dogmata Fauſti Rhegienſis de gratia Dei & libero hominis arbitrio, veluti contraria doctrinæ S. Auguſtini, immo & Fidei Catholicæ. Quapropter potiùs in ea parte nimiam pietatem, quàm exactum judicium, oſtendunt quicumque recentiores poſt Trichemium Abbatem, & Driedonem tract. 4. *De captivitate*, cap. 2. parte 4. eximere tentant Fauſtum à nota Semi-pelagianiſmi, quam hi Epiſcopi, & tot alii Eccleſiæ Patres, tam apertè ipſi inurunt.

43. Meliùs certè Cardinalis Bellarminus cenſuit in aureo illo libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de Fauſto ſermonem habet, & poſt ipſum eruditiſſimus Petavius Tomo I. *Theolog. Dogmatum*, dum libro nono cap. 2. inquit: *Fauſtus libris duobus, quos ſcripſit DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, intemperantiùs erectus Catholicæ modum profeſſionis exceſſit. Nam & Auguſtini doctrinę adverſatur in omnibus, & Semi-pelagiana decreta propalam aſſeveravit.* Idipſum cenſent omnes alii graviores Theologi, & ex ipſa Societate Suarez ac Vazquez.

44. Solus ferè ex iis Jacobus Sirmondus plurimum laboravit pro Fauſto, præſertim in Hiſtoria Prædeſtinatiana, quam edidit jam nonagenarius (prout conſtat palam ex Alegambe, id eſt, anno Chriſti MDCXLVIII.) Pariſiis apud Cramoïſi. Quin & antea, ab initio ferè hujus ſæculi, cum D. Cardinale Baronio inſtantiſſimè egit, ut Fauſtum à labe Semi-pelagianiſmi liberaret, contrà quàm fecerat in Annalibus Eccleſiaſticis eouſque editis, ubi palam dixerat Fauſtum in libris ſuis multos miſcuiſſe errores, præſertim ſpectantes ad Pelagianam hæreſim, ac præterea tradidiſſe rationales animas eſſe corporeas; eaque de cauſſa exagitatum fuiſſe à Claudiano Mamerco tribus doctiſſimis libris ad Sidonium Apollinarem conſcriptis, qui in quadam Epiſtola eos impensè laudat. Sirmondi precibus iteratis motus Baronius, nonnihil de cenſura antiqua remiſit. Vide varia ipſius teſtimonia circa Fauſtum collecta apud Spondanum ad annum Chriſti DXX. Propter quę fortaſſe Sauſſayus, quamvis Fauſtum expunxiſſet jam à Martyrologio Gallicano (cui antea adſcriptus fuerat) poſtea in ſupplemento illum adjecit: atque in Notis ad diem 28. Octobris ait integrum ſanctitatis jus manere Fauſto ex ſententia Baronii. Similiter Nierembergius Epiſtolâ quintâ ad Abbatem S. Anaſtaſiæ totis viribus contendit ſanctitatem Fauſti aſſerere cum Sirmondo. Quin & Bollandus Tomo II. Januarii ad diem 16. non dubitavit Fauſtum Divis accenſere.

45. Quicquid verò ſit, an aliquando errores correxerit Fauſtus, & ſe ritè ſummiſerit judicio Eccleſiæ, ſive Apoſtolicæ Sedis probantis doctrinam S. Auguſtini, præſertim in Capitulis illis notiſſimis circa gratiam & liberum arbitrium, editis nomine Cœleſtini Papæ; (quæ nos recudenda curavimus, & Notis illuſtranda Tomo III. *Theologiæ S. Anſelmi* ſuprà citato, Diſp. CXIV.) id certum videtur, Fauſtum iniquiorem fuiſſe erga doctrinam S. Auguſtini, & imbibiſſe ac tradidiſſe nonnullos errores Semi-pelagianorum jam antea damnatos à Sede Apoſtolica in Capitulis illis. Quod palam teſtari videntur cum S. Fulgentio ſexaginta Epiſcopi exſules in hac Synodica, & tot alii Eccleſiæ Patres ſuprà laudati, quibus adverſari non auſim.

46. Hoc tamen addo, Epiſtolæ hujus auctoritatem, conjunctam decretis Pontificum Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, & Hormiſdæ, paullò antea vitâ functi, maximam fuiſſe, & ſingula ferè ipſius capita poſt breviſſimum tempus fuiſſe definita in Concilio II. Arauſicano, celebrato in Gallia V. Nonas Julias, Decio Juniore Conſule, id eſt, anno Chriſti DXXIX. Felicis Papæ IV. anno tertio. Quo eodem anno ipſis Januarii Kalendis obiiſſe S. Fulgentium, hujus Epiſtolæ auctorem præcipuum, cenſet D. Cardinalis Baronius. Alii verò producunt vitam ipſius uſque ad DXXXIII. ætatis verò LXV. Patres in ea Synodo congregati videntur ob oculos habuiſſe Epiſtolam iſtam ad edendum Canones in ea expreſſos, ſimiliterque Capitula illa, centum circiter antea annis probata ab Apoſtolica Sede.

47. Et hoc ipſum ſatis indicatur in præfatione ejuſdem Concilii Arauſicani verbis illis: *SECUNDUM ADMONITIONEM ET AUCTORITATEM SEDIS APOSTOLICÆ*. Deinde teſtatum ibidem habetur, in eodem Concilio proferri, *pauca Capitula ab Apoſtolica Sede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum ſcripturarum voluminibus, in hac præcipuè cauſſa* (nimirum in controverſia de gratia & libero arbitrio) *collecta ſunt.*

48. Unde patet, Concilium illud (proindeque & Epiſtolam hanc ſynodicam, quatenus eadem ipſius dogmata continet) ſummæ auctoritatis fuiſſe & eſſe, veluti non modò indictum, ſed etiam inſtructum capitulis dogmaticis Apoſtolicæ Sedis ſub Felice IV. & ab ea probatum anno DXXX. *ejuſdem* ſequenti, quo Bonifacius II. ejus ſucceſſor, illud confirmavit per Epiſtolam, exſtantem in editione Conciliorum Luparæa, & ſimiliter in Labbeana Tomo IV. col. 1687. ſcriptam ad S. Cæſariũ ejuſdem Synodi Præſidem, cui initium: *Per filium noſtrum Armenium*, &c. Ejuſdem Epiſtolæ Bonifacii meminit Cyprianus diaconus in Vita S. Cæſarii libro 1. ſub finem.

49. Denique Epiſtola hæc ſynodica ab eo tempore quo ſcripta fuit, id eſt, à duodecim circiter ſæculis uſque modò, cum ſumma veneratione recepta fuit & eſt in Eccleſia Catholica, ob doctrinam *De gratia Dei & humano arbitrio*, planè de ſumptam ex ſacris literis, traditam longe & latè ab Auguſtino, probatam in Conciliis, præſertim Epheſino adverſus Pelagium, & Arauſicano contra illius reliquias, ac toties confirmatam à Romanis Pontificibus. Et quamvis illa ſit adeò celebris, adhuc eſt exigua admodum pars ſcriptorum S. Fulgentii Ruſpenſis, viri Græcè & Latinè peritiſſimi, atque in materiis hiſce ſpectantibus ad divinam gratiam, prædeſtinationem, & liberum arbitrium, ac myſterium Trinitatis, aliaque ejuſmodi arcana, doctoris incomparabilis, cui vix aliquem ſuo ævo, & pluribus poſtea ſæculis æqualem invenias; & ne vix quidem, uno Gregorio Magno excepto, qui eodem Fulgentii ſæculo ſexto labente Apoſtolicam ſedem conſcendit.

SYN-

SYNODUS TOLETANA II.

VIII. EPISCOPORUM.

ERA DLXV. ANNO CHRISTI DXXVII.

TITULI.

I. *De his, quos parentes ab infantia* [a] *clericatûs officio mancipârunt, ſi poſtea voluntatem nubendi habeant.*
II. *De clerico, qui ad aliam Eccleſiam* [b] *tranſiit, & qui eum* [c] *ſuſceperit.*
III. *Ut nullus à ſubdiaconatu, & ſuprà,* [d] *cum extranea habitet muliere.*
IV. *Ut quicquid de jure Eccleſiæ clerici* [e] *tenuerint, poſt obitum eorum ad Eccleſiam revertatur.*
V. *De his, qui proximis ſuis ſe copulant, ut à communione Chriſti ſeparentur.*

a *Incler.* Exc.
b *Tranſit.* Exc.
c *Receperit.* Exc.
d *Extraneam habeat mulierem.*
e *Tenuerunt.* Exc.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Synodus habita in civitate Toletana, apud Montanum Epiſcopum, ſub die XVI. Kal. Junias, anno quinto regni domini noſtri Amalarici Regis, Erâ * DLXV.

* *Id eſt, an. Chriſti* DXXVII.

CUM in voluntate Domini apud Toletanam urbem ſanctorum Epiſcoporum præſentia conveniſſet, & de inſtitutis Patrum, Canonumque decretis commemoratio haberetur; id nobis in unum poſitis placuit, ut ſi qua in antiquis Canonibus minimè commemorata ſunt, ſalubri tractatu, ac diligenti conſideratione inſtituantur. Si qua verò in anterioribus Conciliis ſunt decreta, ſed abuſione temporum hactenus ſunt neglecta, rediviva ordinationis cenſuram obtineant: quatenus dum in his [f] quæ ad cultum Fidei pertinent, ſtudium religioſæ obſervationis impendimus, Dei * noſtri miſericordiam faciliùs impetremus.

f *Quæ in Conciliis ſunt decreta, ſed abuſione temporum hactenus dimiſſa, & ad cultum Fidei p.* Exc.
* *Deeſt in* Exc.

I. *De his, quos parentes ab infantia* [a] *clericatûs officio mancipârunt, ſi poſtea voluntatem habeant nubendi.*

a In cler. *Exc.* *Diſt.* 18. *cap.* De his quos volunt.

1. De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis [b] clericatûs officio mancipârit, ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi, vel miniſterio electorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ, ſub Epiſcopali præſentia, à præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius cleri plebiſque conſpectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante, [c] placuit, & [d] profeſſionem caſtimoniæ ſuæ, abſque conjugali neceſſitate [e] ſe ſpoponderint ſervaturos; hi tanquam appetitores arctiſſimæ viæ, leniſſimo Domini jugo ſubdantur: ac primùm ſubdiaconatûs miniſterium [f] habitu probationis ſuæ, à viceſimo anno ſuſcipiant. Quòd ſi inculpabiliter ac inoffensè [g] viceſimum & quintum annum ætatis ſuæ peregerint, ad diaconatûs officium, ſi [h] ſcienter implere poſſe ab Epiſcopo comprobantur [i], promoveri debent. Cavendum tamen eſt his, ne quando ſuæ ſponſionis immemores, aut ad terrenas nuptias, [k] aut furtivos concubitus ultrà recurrant. Quod ſi fortè fecerint, ut ſacrilegii rei * damnentur, & ab Eccleſia habeantur extranei. His autem, quibus voluntas propria, interrogationis tempore, deſiderium nubendi perſuaſerit; conceſſam ab [l] Apoſtolis [m] ſententiam auferre non poſſumus; ita ut quum [n] perfectæ ætatis in conjugio poſiti, renunciaturos ſe pari conſenſu operibus carnis ſpoponderint, ad ſacratos gradus aſpirent.

b In cleri off. vel monachali poſuit, pariter ſtat. *Exc.*
c Placuerit. *Exc.*
d Promiſſione. *Exc.*
e Reſponderint. *Exc.*
f Probatione habita profeſſionis ſuæ. *Exc.*
g Viginti quinque annos. *Grat.*
h Scienter. *Exc.*
i Comprobentur. *Exc.*
k Abortivos. *Exc.*
* *Deſunt in Exc.*
l Apoſtolo. *Exc.*
m *Aliàs* licentiam. *Exc.*
n Profectæ. *Exc.*

II. *De clerico, qui ad aliam Eccleſiam* [o] *tranſiit, & qui eum* [p] *ſuſceperit.*

o Tranſit. *Exc.*
p Receperit. *Exc.*

2. Similiter placuit cuſtodire, [q] ne qui [r] de his, qui tali educatione [s] imbuuntur, qualibet occa-

q Nequis. *Exc.*
r Ex iis. *Exc.*
s Imbuitur. *Exc.*

occaſione cogente, propriam [t] relinquentes Eccleſiam, ad aliam tranſire [u] præſumant. Epiſcopus verò, qui eos ſuſcipere abſque conſcientia proprii ſacerdotis fortaſſe præſumpſerit, totius fraternitatis reum eſſe ſe noverit. Quia durum eſt, ut eum, quem alius rutali ſenſu [x] ac ſqualore infantiæ exuit, alius ſuſcipere [y] aut vendicare præſumat.

t Relinquēs. Exc.
u Præſumat. Exc.
x A. Exc.
y Ac. Exc.

III *Ut nullus à ſubdiaconatu, & ſuprà, [a] cum extranea habitet muliere.*

a Extraneam habeat mulierem. Exc.

3. Illud verò præterea ſpeciali ordinatione decrevimus (quod nec antiqua Concilia in univerſis [*] penè Canonibus ſiluerunt) ut nullus clericorum à grado ſubdiaconatûs, & ſuprà, in [b] conſortii familiaritate habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, aut ancillam. Sed ſi ſunt ei hujuſcemodi ſervitia, matri, vel ſorori, [c] aliique propinquitati contradat. Et quicquid ſuis manibus [d] perfecerint, proprio domino deferatur. Aut ſi [e] propinquitas memorata deeſt, alia domus ad earum habitaculum requiratur; dummodo nulla occaſio introeundi domum clerici fœminæ permittatur; unde aut laqueum poſſit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortaſſe poſſit [f] inuri. Sanè [g] ſi poſt datam hanc monitionem, quiſquis horum conſortio frui voluerit; noverit, ſe non ſolùm à clericatûs officio retrahi, vel Eccleſiæ foribus [h] pelli; ſed etiam [*] ab omnium Catholicorum clericorum, vel laïcorum communione privari; nullâ prorſùs vel colloquii conſolatione relicta: quatenus malæ conſuetudinis abraſa rubigo in poſteris radicis ſuæ veneno ſerpere non poſſit.

* Deeſt in Exc.
b Conſortio familiaritatis. Exc.
c Vel aliæ propinquæ. Exc.
d Profecerint, vel iliis. Exc.
e Propinquitatis memoria deeſt, alterius domûs adhærentis habitatio. Exc.
f Orni. Exc.
g Deinceps poſt. Exc.
h Expelli. Exc.
* Deeſt Exc.

IV. *Ut quicquid de jure Eccleſiæ clerici [i] tenuerint, poſt obitum eorum ad Eccleſiam revertatur.*

i Tenuerunt. Exc. Bernard. Præpoſ. Papienſ. Collect. Decret. lib. 3. titulo 21. cap. 19. idem 4. aliter. lia. c. 33.

4. Si quis ſanè clericorum agellos vel [k] vineolas in terris Eccleſiæ ſibi feciſſe probatur, [l] ſuſtentandæ vitæ cauſâ; uſque ad diem obitus ſui poſſideat; verùm poſt ſuum de hac luce [m] diſcurſum, juxta priorum Canonum conſtitutiones, jus ſuum Eccleſiæ ſanctæ reſtituat, nec teſtamentario ac ſucceſſorio jure cuiquam hæredum prohæredumve relinquat, niſi forſitan cui Epiſcopus pro ſervitiis, ac præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.

k Vineol. vel alia ædificia in terr. Exc.
l Vitæ ſuæ. Exc.
m Diſceſſum. Exc.
n Aut prohæredum. Exc.

V. *De his qui proximis ſuis ſe copulant, ut à communione Chriſti ſeparentur.*

Burch. lib. 7. c. 6. Ivo p. 9. c. 42. Levit. 18. Ibid.

5. Nam & hæc ſalubriter præcavenda ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, uſque quò affinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari. Quoniam ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* [a] nec ſine denunciatione [b] ſententiæ: nam paullò poſt infert, & dicit: *Anima quæ fecerit de abominationibus iſtis quippiam, peribit de medio populi ſui.* Si quis ergo hujus decreti [*] noſtri temerator extiterit, ac vetitum violare præſumpſerit; tantò graviori ſe multandum ſententia recognoſcat, quantò eam propinquiorem, cui copulari ſe maluit, [c] ſuæ originis eſſe non ambigat; tantoque [d] annoſioris excommunicationis tempore à Chriſti corpore & fraternitatis conſortio ſequeſtretur, quantò fuerit propinquioris ſanguinis contagione pollutus.

6. Hujus inſtitutionis regulam [e] qui ſubſcribimus, irrefragabili auctoritate nos ſpondemus ſervaturos. Si quis autem [g] noſtrûm vel eorum, qui nunc ſanctæ Synodo ex hac provincia defuerunt, huic tam ſalubri ordinationi obviare præſumpſerit, vel ſolerter adimplere neglexerit; convictus, totius fraternæ charitatis [h] aliquando habeatur extraneus. Sanè, juxta priorum Canonum decreta, Concilium apud fratrem noſtrum Montanum Epiſcopum, ſi Dominus voluerit, futurum pronunciamus: ita [i] ut frater & Coepiſcopus noſter Montanus, qui in Metropoli eſt, ad comprovinciales noſtros Domini ſacerdotes, literas de congreganda Synodo, adveniente tempore, debeat deſtinare. Nunc ergo in nomine Domini finitis his quæ in [k] collatione venerunt, gratias agimus omnipotenti Deo, deinde domino noſtro glorioſo Amalarico Regi; divinam clementiam poſtulantes, ut innumeris annis regni ejus, ea quæ ad cultum Fidei [l] proveniunt, peragendi nobis licentiam præſtet. Amen.

1. Montanus in Chriſti nomine Epiſcopus, his conſtitutionibus acquievi, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà.

2. Pangarius [m] in Chriſti nomine Epiſcopus, his conſtitutionibus acquievi, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà.

3. Nebridius in Chriſti nomine noſtræ [n] Eccleſiæ Egarenſis Epiſcopus, hanc conſtitutionem conſacerdotum meorum, in Toletana urbe habitam, cùm poſt aliquantum [o] temporum adveniſſem, ſalva auctoritate [*] priſcorum Canonum, relegi, probavi, & ſubſcripſi.

4. Cannonius [p] Epiſcopus his conſtitutionibus acquievi, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà,

a Et iterum: *Anima, quæ fecerit quippiam ex iſtis, peribit de medio populi ſui.* Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Burch. & Ivo omnia reliqua non habb.
b Fierere. Exc.
* Deeſt. Exc.
c Seriz. Exc.
d Annoſiore. Exc.
e Quam. Exc.
f Subſcripſimus. Exc.
g Tam noſtrorum quàm vel eorum. Exc.
h Aliquandiu. Exc.
i Itaque ſtatuimus, ut frater. Exc.
k Conſultatione in Exc.
l Pertinebit. Exc.
m Pancarius, aliàs Pancar. Exc.
n Eccleſ. Cathol. Agragenſis. Exc.
o Tempore. Exc.
* Deeſt in Exc.
p Cantonius in Exc. ad marg.

5. Paullus

5. Paullus Epiſcopus his conſtitutionibus acquievi, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà.

6. Domitianus Epiſcopus his conſtitutionibus acquievi, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà.

7. Maracinus in Chriſti nomine Epiſcopus, ob cauſſam Fidei Catholicæ in Toletana urbe exſilio deputatus, ſanctorum fratrum meorum conſtitutionibus interfui, relegi, & ſubſcripſi, die & anno quo ſuprà.

8. Juſtus in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Urgelitanæ Epiſcopus, hanc conſtitutionem conſacerdotum meorum, in Toletana urbe habitam, cùm poſt aliquantum temporis adveniſſem, ſalva auctoritate priſcorum Canonum, relegi, probavi, & ſubſcripſi.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HOC CONCILIUM.

7. ANNO *quinto regni domini noſtri Amalarici.*] Meritò obſervat D. Loaïſa, in notula unica ad hoc Concilium, id fuiſſe ſub Amalarico Rege coactum; non autem anno ſecundo Theudis Regis, quicquid contrà habeatur apud Rodericum Toletanum. Potiùs enim ſtandum eſt teſtimonio ejuſdem Concilii, tam initio quàm fine, ubi palam habetur, fuiſſe celebratum Erâ DLXV. regnante Amalarico, anno ejus quinto. Quod ipſum habent omnes codices manuſcripti, teſtante id Cl. V. Joanne Baptiſta Perezio in *Chronologia Regum Hiſpaniæ*. Eo autem anno Chriſti DXXVII. Felicis Quarti I. & Juſtiniani imperantis ab initio Aprilis I. ſolus Mavortius Conſulatum geſſit in Occidente.

8. Unde corrigenda venit computatio aliquorum, veluti D. Cardinalis Baronii, & Binii, qui Concilium hoc ex conjectura rejiciunt ad annum DXXXI. ſimiliter & quorundam inchoantium regnum Amalarici ab anno primo Juſtiniani imperantis, Erâ DLXIV. cui reſpondet annus Chriſti DXXVI. Cùm enim ex laudatis codicibus habeamus, Concilium hoc fuiſſe congregatum anno quinto Amalarici, Erâ DLXV. (cui reſpondet annus Chriſti DXXVII.) neceſſum eſt, ut Amalaricus regnare cœperit Erâ DLX. quinquennio antequam Juſtinianus imperaret. Verùm & fortaſſis ea computatio cum hac noſtra conciliari poteſt, ſi dicamus, juxta illius auctores, regnum Amalarici computari ab obitu Theuderici, qui accidit Erâ DLXIV. unico anno antequam hoc Concilium cogeretur: codices autem Mss. initium ducere ab Era DLXI. in qua ille nepoti ſuo Amalarico regnum Hiſpaniæ tradidit. Itaque annus Chriſti DXXVII. in quo planè celebratum fuit hoc Concilium, ſub alia & alia inſpectione fuit ſecundus & quintus Amalarici Regis: ſecundus, à morte Theuderici, à quo regnum acceperat: quintus autem ducto initio ab anno DXXIII. in quo Amalaricus ipſe regnare cœpit. Patet verò, annos regni meliùs computari ab eo tempore, quo aliquis regnare incipit, quàm ab obitu prædeceſſoris. Sic & omnes hiſtorici regnum Philippi II. in Hiſpania numerant ab anno MDLV. quo Carolus V. Maximus coronam in eum transtulit; non verò ab an. MDLVIII. in quo ille diem obiit extremum. Accedit non levis conjectura ex S. Ildephonſo *De viris illuſtribus*, ubi agit de Montano hujus Concilii Præſide. Ait enim inter alia: *Glorioſus habitus fuit tempore Amalarici Regis: annis novem Pontificatûs tenuit dignitatem.* Itaque cenſendum eſt, Montanum eo ipſo tempore Amalarici celebrâſſe hoc Concilium: non autem anno ſecundo Theudis.

9. Quod autem Loaïſa inquit, Concilium hoc celebratum fuiſſe tempore Joannis II. Papæ, quaſi is Eccleſiam regeret anno DXXVII. quo hæc Synodus celebrata eſt, correctione eget. Jam enim antè obierat Joannes ipſe anno præcedenti DXXVI. apud Ravennam in exſilio ob juſtitiam tolerato, die viceſima ſeptima menſis Maji, in qua ejus martyrium colitur ab Eccleſia. Mortuus nimirum fuit Conſule Olybrio abſque collega, uti Marcellinus & alii apud Baronium ad eundem annum fidem faciunt. Tranſactis verò 58. diebus ab obitu, ut habet Anaſtaſius, electus fuit Felix, denominatus Quartus, qui exinde uſque ad IV. Idus Octobris anni DXXX. ſanctè & piè Eccleſiam rexit. Unde & neceſſum eſt, ut idem Felix IV. eſſet Pontifex anno DXXVII. quo hoc Concilium celebrabatur.

10. *Placuit, ut ſi qua ex antiquis Canonibus*, &c.] Hinc conjicere licet, lectum fuiſſe coram Patribus codicem antiquorum Canonum, qui à tempore Concilii Chalcedonenſis in tota Eccleſia, ſaltem, aut præſertim Occidentali, vulgatus fuerat poſt annum CDLI. ut ſi quid ipſi addi oporteret, adderetur: ſi quid autem in deſuetudinem abierat, inſtauraretur. Codicis illius duo exemplaria antiquiſſima hactenus permanſerunt in monaſterio Rivi-pollenſi Cataloniæ Benedictino, laudata ab Archipræſule Marca in Diſſertatione poſthuma *De collectionibus Canonum*: de quibus nos ſuprà egimus Tomo I. Diſſertat. II. Excurſu IV. & V.

AD CANONEM II.

11. Idipſum ferè ſtatutum fuerat in Concilio Toletano I. Canone XII. ubi præcipitur, ut nullus clericus ab Epiſcopo ſuo recedat, & ad alium ſe transferat. Nimirum proportione quadam id cenſuerunt Patres utriuſque Concilii Toletani de clericis: quod in Epiſtola S. Anteri Papæ ſcripta ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ & Toletanæ (cujuſcumque demum auctoritatis ſit) cautum fuit de Epiſcopis, ne de una in aliam Eccleſiam ſive diœceſin migrent; quamvis in his urgentior ratio ſit, ut vidimus Diſſert. X. ubi varia circa id Conciliorum decreta expendimus.

AD CANONEM III.

12. Jam antea Syricius Papa in celebri illa Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcripta, prohibuerat cohabitationem fœminarum clericis cap. 12. inquiens: *Feminas verò non alias eſſe patimur in domibus clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.* Nimirum ibidem Canone tertio dicitur, juxta verſionem Ruffini Aquilejenſis: *Et ne quis Epiſcoporum, cæterorumque clericorum, cum extraneis mulieribus habitet, præter quàm cum matre, vel ſorore, vel thia, vel ſi qua ſunt hujuſmodi neceſſitudinum perſonæ.* Gentianus autem Hervetus, quæ in Græco Canone θεία dicitur, & Hiſpanicè etiam *tia* appellatur, *amitam* vertit. Similiter & vice extremorum verborum, quæ in Græco ſunt ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε, melius vertit: *vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* Quanti verò momenti ſit Canon hic, & quàm conveniens, ne dicam omnino neceſſarius, ut ſacri quique homines promiſſam Deo continentiam ſervent, non eſt noſtrum expendere; præſertim cùm ſacri ipſi Canones Dei ſpiritu conditi, & totius mundi reverentiâ conſecrati, tam ſeverè loquantur. Pleni etiam ſunt ſancti Patres exhortationibus, ſicuti & hiſtoriæ exemplis, quibus clerici omnes, & quilibet tandem homines ſacri, à cohabitatione mulierum deterreantur, propter ſummum & aſſiduum incontinentiæ periculum. Unde & cohabitatio ejuſmodi paſſim in aliis Conciliorum Canonibus & Eccleſiæ decretis prohibita eſt. Vide infrà Concilium Bracarenſe I. Can. XV. & ſuprà Concilium Eliberitanum, Canone XXVII. ubi plura obſervavimus.

AD CANONEM V.

13. Hoc loco prohibetur matrimonium cuilibet Chriſtiano, non modò intra quartum affinitatis cognationiſve gradum, uti poſtea ſtatutum fuit, & hodie ſervatur, juxta decretum Concilii Tridentini; verùm etiam *uſque quò affinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit.* ut in hoc Canone dicitur. Quod ex parte antea ſtatutum fuerat in Concilio Neo-cæſareenſi cap. 2. pluribus poſtea ſæculis laudato, & ampliato in variis Conciliis, decretiſque Pontificum, præſertim verò S. Zachariæ Papæ Epiſtolâ ſeptimâ (quæ eſt ad Pipinum) cap. 22. ubi hæc habentur: *De his, quæ duobus fratribus nupſerunt, vel qui duas ſorores acceperint, in Concilio Neo-cæſareenſi cap. 2. continetur: Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem. Veruntamen in exitu, propter miſericordiam, ſi promiſerit quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quòd ſi defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Nos autem, gratia divina ſuffragante, JUXTA PRÆDECESSORUM ET ANTECESSORUM PONTIFICUM DECRETA, multò ampliùs confirmantes dicimus, UT USQUEDUM SESE GENERATIO COGNOVERIT, juxta ritum & normam Chriſtianitatis, & religionis Romanorum, non copuletur conjugiis. Sed nec ſpiritualem, id eſt, commatrem, aut filiam, quod abſit, quis ducat temerario auſu uxorem. Eſt namque nefas, & perniciosum peccatum coram Deo & angelis ejus. In tantum enim grave eſt, ut nullus, ſanctorum Patrum, neque ſanctarum Synodorum aſſertione, vel etiam in imperialibus legibus quiſpiam, judicatus ſit; ſed terribile judicium Dei metuentes, ſiluerunt ſententiam dare.*

14. Sed & in præſenti Canone eò acerbior vindicta indicitur audentibus copulare ſibi matrimonio perſonam aliquam affinem, ſive conſanguineam, quò illa propinquior eſt. Conſonant Canones Pœnitentialis Romani editi ab Antonio Auguſtino, titulo tertio, præſertim cap. 14.

E P I S T O L A
MONTANI EPISCOPI TOLETANI
AD FRATRES ET FILIOS TERRITORII PALENTINI.

Dominis dilectiſſimis, fratribus filiiſque territorii Palentini, Montanus Epiſcopus æternam ſalutem.

15. CUNCTARUM Eccleſiarum, domini piiſſimi, Præſules per Ezechielem Prophetam, terribilis illa commonitorii dictio, ſed ſpeculatoris nomine, concutit dicens: *Fili hominis, ſpeculatorem te dedi domûs Iſraël: audiens ergo ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me: ſi dicente me ad impium, impie, morte morieris; non annunciaveris ei, neque loquutus fueris, ut avertatur à via ſua impia, & vivat; ipſe quidem in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* & cætera, quæ hujus lectionis ordo de admonentis ad monitiſque animis exquirendum oſtendit.

Ezech. 3. & 33.

16. Hac ergo voce permotus, hujus officii neceſſitudinem me ſuſcepiſſe non neſciens, ſtudere curavi, ne cujuſquam perditi animam de manu mea Chriſtus inquirat, præſertim cùm Toletanæ urbi * Metropolitani privilegium vetus conſuetudo tradiderit; & eò magis, non ſolùm parochiarum, ſed & urbium cura hujus urbis ſolicitet ſacerdotem. Ergo, ut Apoſtolus dicit: *Quid horum vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Nova namque præſumptio præſidentium vobis presbyterorum, noſtrorum pulſavit auditus: ſi tamen nova tantùm, & non deteſtabilis dici poſſit, quæ ab initio Fidei Catholicæ nunquam, præter nunc, ſubrepſiſſe probatur, ut id quod per manus ſummi Pontificis trinæ divinitatis invocatio ſanctificare conſuevit, presbyter ignarus diſciplinæ conficere ſibi chriſma præſumeret.

** Hinc Morales colligit Primatũ Eccleſiæ Toletanæ jam tunc conſtitutum. Verùm Padilla & alii dictaxat elici inde volunt dignitatem Metropolitanã, quam fatentur Præſuli Toletano ante hæc tempora fuiſſe, & nominatim ſupra Sedem Palentinam, ſicuti & poſtea juxta diviſionem Wambæ.*

1. Cor. 4.

17. Hoc ſi ignaviæ eſt, tam demens ſacerdos eſſe non debuit; ſi præſumptionis eſt, hunc ſchiſmaticum eſſe quis neſciat, qui inauditam rem, & religioni contrariam, ſeneſcente jam mundo, talis temerator judicat? Revolvatur manibus veſtris, ò presbyteri, ſacratiſſimus Numeri liber, in quo * veſtri officii in ſeptuaginta ſeniorum perſonis auſpicatus eſt honor: & invenietis, quorum negotiorum vobis prærogativa conceſſa ſit. Adjutores ſuos Dominus noſtri laboris ſecundo dignitatis gradu eſſe voluit, non temeratores ſacrarum quarundam rerum permiſit. Sic Nadab & Abiu ignem afferentes alienum, id eſt, ſui officii non debitum, divinus ignis abſumpſit. Sic Core, Dathan, atque Abiron, Moſeo, Dei gratia divinis eloquiis perfruenti invidentibus, ac dicentibus: *Non ſoli tibi locutus eſt Dominus; quia omnis congregatio ſancta eſt*; novis ſchiſmaticis interitus novæ prædicationis advenit; ut jejuno ore inſatiabiliter terra ſorberet, quos indignatio divina damnâſſet.

** Aliàs, veſtris officiis.*
Num. 11.
Levit. 10.
Num. 16.

18. Quid memorem Oziam, qui non contentus regalibus faſcibus, ne fungeretur & ſacerdotis officio, contra jus faſque poteſtatis velatus cothurno, oblationem expiationis ſolis ſacerdotibus debitam offerre pararet, ſic ultione cœleſti leprâ perfunditur, ut munere ſacerdotis & regni careret, exoſuſque ad obitum permaneret. Oziam pariter, quantum ad ipſum erat, devoto officio, jumentis calcitrantibus, ne arca Dei laberetur, ſuſtinere parantem, divinitùs percuſſio illata conſumpſit: oſtendere ſcilicet volens, quia nullis omnino cauſſis, ne ſub occaſione humilitatis præſumentibus, divina officia, & ſacramenta cœleſtia, ab eo, cui non incumbit officium, contingi aliquatenus debent.

2. Paralip. 26.
2. Regum 6.

19. Caveant ergo, caveant hi, qui ſibi putant eſſe licitum, quod aliis non ignorant eſſe illicitum, ne ſimilis eos horum, quos memoravimus, pœna percellat. An forſitan ſanctorum Patrum regulas, & conſtitutiones ſynodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parochenſes presbyteri, non per viliores perſonas, ſed aut per ſemetipſos, aut per rectores ſacrariorum, annuis vicibus chriſma à præſidente ſibi Epiſcopo petant? Credo quòd qui petere juſſerunt, poteſtatem conſecrandi penitùs abſtulerunt. Providerit ergo charitas veſtra, ne poſt hujus humilitatis noſtræ interdictum, donec & conſuetus vobis à Domino præparatur Antiſtes, quiſquam vetita iterare præſumat, & incipiat graviorem Eccleſiaſticæ diſtrictionis ſuſtinere cenſuram. Utatur quiſque honoris ſui conceſſo privilegio. Quod proprium ſit ordinis presbyterii, non quod ſummi Pontificatûs eſt, improbus miniſter adſumat. Quiſquis poſt hanc admonitionem in hujuſcemodi rebus aliquatenus fuerit deprehenſus, ſub anathematis inſolubili vinculo ſe noverit eſſe damnandum. Cui in hoc ipſum non parum humanitatis conceditur, quòd nunc eum tranſire patimur impunitum. Sanè ſi Dominus voluerit, cùm tempus Paſchalis feſtivitatis advenerit, ſi vobis ad petendum impoſſibile eſt, datis literis veſtris indicare debebitis: & nos ſacri hujus liquoris ultrò poterimus tranſmittere gratiam, dum non præſumantur illicita.

20. Pari ratione cognovimus, quòd ad conſecrationem Baſilicarum, alienæ ſortis à vobis Epiſcopi invitentur: & licèt ſint unius fidei copulâ nobiſcum in Chriſto connexi; tamen nec provinciæ privilegiis, nec rerum domini noſcuntur utilitatibus convenire: quia jam ad ipſum hujuſcemodi fama prolata eſt. Ideoque ſalubri ordinatione cenſuimus, ut ſi quando talis neceſſitas incubuerit, literis nos informare debeatis, &, aut per nos, aut eum, qui nobis ex fratribus & Coëpiſcopis noſtris viſus fuerit, & conſecratio Eccleſiarum, Deo auſpice, poterit celebrari.

21. Præterea perditiſſimam Priſcillianiſtarum ſectam, tam actis quàm nomine, à vobis præcipuè novimus honorari. Rogo, quæ eſt *iſta* dementia, in ejus amore ſuperfluè labi, quem in opere non velis imitari? Nam, ut pauca de ejus ſpurcitiis in notitiam veſtri deducam, exceptis his, quæ in divinitate profanus erupit, & ore ſacrilego blaſphemavit, omnium vitiorum in eodem congeries, veluti in ſordium ſentina, confluxit, ut ſectatricum pudorem impudefactus adulter eriperet; & ut ad ſceleris nefarii effectum faciliùs perveniret, maleficiis uſum geſta etiam adſignant.

22. Quid tandem in hoc religioni congruum fidelis cujuſquam anima veneratur, qui non ſolùm à ſanctis ſacerdotibus refutatus eſt, verùm etiam mundani Principes, juſtitiâ legum ſuarum, eum pro memorati ſceleris qualitate damnârunt? Hunc talem fuiſſe pleniùs diſcet, qui * beatiſſimi ac religioſiſſimi viri Theoribii Epiſcopi, ad ſanctum Papam urbis Romæ Leonem, libros editos legit, in quibus hanc ſordidam hæreſim explanavit, aperuit, & occultam tenebris ſuis, perfidiæque nube velatam, in propatulo miſit. Ex ipſis etenim libris qualiter cavere, quid reſpondere contra ſacrilegos poſſit pius lector, invenitur. Unde, quæſo, ut perfidiam cum auctore * damnantes, atque anathematizantes, rectæ Fidei regulam teneatis, & de omnibus ſuperſcriptis cautiores exhibere vos procuretis: quò faciliùs nec mihi de taciturnitate poſſit eſſe damnatio, & vobis de obedientia fructum maximum coram ſalvatore, Deo noſtro, providere poſſitis. Pax Domini cum omnibus vobis. Amen.

* *Hinc conſtat Theoribium Epiſcopum libris editis ſectam Priſcilliani pridem impugnaſſe tempore S. Leonis I. Papæ.*

* *Quid ad hæc Equilinus, qui hîc ipſum Priſcillianum, pridem & manifeſtum hæreſiarcham, inter ſanctos Martyres per ſummam ignorantiam aut incuriâ collocavit?*

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE.

23. IN Epiſtola hac Montanus Toletanæ Eccleſiæ Metropolitanæ Antiſtes graviter reprehendit quòd quidam presbyteri territorii Palentini, inſcii aut temerarii, conficerent ſacrum chriſma, cùm id ſolis Epiſcopis competat: præterea quòd ad conſecrationem Baſilicarum Epiſcopi extranei admitterentur: denique quòd aliqui infamem & toties fulguritam Priſcillianiſtarum ſectam in honore haberent. Monet præterea, ut libros Theoribii Epiſcopi contra illam ſcriptos legant. Sed de his omnibus ſatis diximus ſuprà in Notis ad Concilium Cæſarauguſtanum, Toletanum I. & Hiſpanicum Generale, atque in Epiſtolam celebrem S. Leonis Papæ ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem.

24. *Non ſoli tibi loquutus eſt Dominus: quia omnis congregatio ſancta eſt.*] Hæc verba allegat Montanus ex capite decimo ſexto Numerorum, juxta veterem translationem, quâ Eccleſia uſa fuit, donec poſtea, tempore S. Gregorii Magni, Vulgata prævalere cœpit ubique ferè. Porrò priora non habentur apud ſeptuaginta, ubi ſolùm legitur: ἐχέτω ἐν ὑμῖν, ὅτι πᾶσα ἡ συναγωγὴ, πάντες ἅγιοι, καὶ ἐν αὐτοῖς κύριος. *Sufficiat vobis, quia omnis congregatio, omnes ſancti, & in eis Dominus.* Nec præterea exſtant in Hebraïco textu juxta translationem Pagnini, nec in Paraphraſte Chaldaïco. Itaque mihi dubium non eſt, priora illa verba: *Non ſoli tibi loquutus eſt Dominus*, citata fuiſſe ex translatione veteri, quam ſicuti Herculeo animo & incredibili labore cœpit reſtituere ſæculo præcedenti Flaminius Nobilius, utinam etiam perfeciſſet. Vide quæ præmiſimus Tomo I. Diſſertatione IV. num. 20. & ſeqq.

25. Hanc ipſam Montani Epiſtolam commemorat, & plures illius laudes profert S. Ildephonſus lib. 4. *De viris illuſtribus*, dicens: *Montanus poſt Celſum primæ ſedis provinciæ Carthaginis Toletanæ urbis Cathedram tenuit: homo & virtute ſpiritus, & eloquii opportunitate decorus: regimen honoris retemperavit ac diſpoſuit condigno cœleſtique jure, ſimul & ordine. Scripſit Epiſtolas duas Eccleſiaſticæ utilitatis diſciplinâ conſertas: è quibus unam Palentiæ habitantibus; in qua presbyteros chriſma conficere, Epiſcopoſque alienæ diœceſis alterius territorii Eccleſias conſecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate; ſacrarum Scripturarum teſtimoniis affirmans idipſum fieri penitùs non licere. Amatores quoque Priſcillianæ ſectæ, licèt non operarentur eadem, quia tamen memoriam ejus amore retinerent, abdicat & exprobrat, commemorans quòd in libris beatiſſimi Theoribii, ipſis ad Leonem Papam miſſis, eadem Priſcillianorum hæreſis deteſtata, convicta, atque decenter maneat abdicata.* Hæc ibi Ildephonſus de Epiſtola præjacta. Statim verò commemorat aliam ejuſdem Montani nunc à nobis exhibendam.

EPISTOLA ALIA EJUSDEM MONTANI AD THEORIBIUM:

Domino eximio, præcipuoque Chriſticolæ, domino & filio Theoribio, Montanus Epiſcopus.

26. ALUMNUM te Fidei Catholicæ, & ſanctæ religionis amicum, etiam in actis mundialibus converſantem, valdè & novimus & probavimus. Cùm enim adhuc floreres in ſæculo, ita claritatis tuæ vita perpatuit, ut ſecundùm ſententiam Domini, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari non negares, & Deo, quæ ſua ſunt, devota mente perſolveres. Jure etenim te divini cultus in hac præſertim provincia nominabo. Putaſne quanta tibi apud Deum maneat merces, cujus ſolertiâ atque inſtinctu, & idololatriæ error abſceſſit, & Priſcillianiſtarum deteſtabilis ac pudibunda ſecta contabuit? Si tandem adhuc, & in nomine honorare deſiſtant, cujus per tuam admonitionem collapſa eſſe opera non ignorant. Nam de terrenorum dominorum fide quid loquar? cui ita tuum impendiſti laborem, ut feroces cohabitantium tibi animos ad ſalubrem regulam & normam regularis diſciplinæ duceres. Præſtabit divina clementia, quia id quod ſummo labore conatus es, precibus & oratione perficeres.

27. Quæ tamen ex Palentino conventu ad nos pervenerint, celſitudini veſtræ indicare curavi: quò faciliùs per veſtram increpationem nefanda præſumptio in poſterum conquieſcat. Quidam (ut ad nos perlatum eſt) presbyteri auſu temerario, res ſacras non tam conſecrare, quàm violare præſumunt; & cunctis ab initio Fidei Catholicæ ſæculis inuſitatum ſummis ſui ordinis hominibus, niſi tantùm Pontificibus debitum, jus conſecrationis chriſmæ neſcio quo typo, an dementiâ dicam, indubitanter adſumunt: quod quàm ſacrilegum ſit, piiſſimam conſcientiam tuam latere non credo: & ideo ſpero, ut pro enervanda hac ipſa ſuperfluitate, ſeveriſſimi ſacerdotis auctoritate utaris, & tantæ rei temeratores diſtrictiori increpatione coërceas.

28. Qui ſi poſt datam admonitionem nafas iterare præſumpſerint, contumacia eorum ſententia convenienti damnabitur. Simili ratione cognovimus, eò quòd neceſſitudine conſecrandarum Baſilicarum fratres noſtri, alienæ ſortis Epiſcopi, in locis iſtis invitati conveniant; & licèt ſit in toto Orbe ſponſæ Chriſti thalamus unus, ejuſque Antiſtites unâ in eodem fibulâ charitatis, & Fidei unione connexi; quod tamen privilegium deceſſori noſtro, nec non dominis & fratribus noſtris, Carpentaniæ vel Celtiberiæ Epiſcopis veſter Coëpiſcopus fecit, in exemplaribus charitati veſtræ direximus: ut ſcire poſſitis improba petitio qualem potuiſſet habere effectum.

29. Et certè municipia, id eſt Segobia, Brittablo, & Cauca, eidem, non quidem rationabiliter, ſed pro nominis dignitate, conceſſimus; ne collata benedictio, perſona vagante, vileſceret. Quod ipſi tantummodo dum advivit, præſtitum fuiſſe cognoſcite. Hoc ergo providere volumus, ut conſuetudinem antiquam nulla ratione prætermittere debeatis. Quòd ſi hæc noſtra admonitio in vobis nihil profecerit, neceſſe nobis erit Domini noſtri exinde auribus intimare, pariter & filio noſtro Ergani ſuggerere, & hujuſmodi auſum præcepta culminis ejus, vel diſtrictio judicis, non ſine veſtro detrimento, ſeveriſſimè vindicabunt: tanta enim, tribuente Domino, ejus eſt pietas, ut nihil de hoc quod Jus antiquum cuſtodiſſe probatur, immutari permittat. Divina vos cuſtodiat Trinitas. Amen.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE.

30. E*PISTOLA alia.*] Hanc commemorat S. Ildephonſus lib. citato *De viris illuſtr.* agens de Montano Toletanæ Eccleſiæ Præſule. Poſtquam enim de præcedenti illius Epiſtola loqnutus fuit, ut in Notis ad eam vidimus, ſubjungit: *Aliam Epiſtolam ejus* (Montani) *ad Theoribium monachum, in qua laudans eum, quòd culturam deſtruxerit idolorum, commiſit ei ſacerdotalis auctoritatem vigoris: per quam presbyteres chriſma conficere, & Epiſcopos alienæ ſortis, alterius diœceſis Eccleſias conſecrare, magna compeſcat invectione.* Sed & ſtatim inſignem ejus laudem addit hiſce verbis: *Hic vir antiquiſſima fideliq; relatione narratur, ad exprobrationem infamiæ, tamdiu prunas tenuiſſe in veſtimentis ardentes, donec coram ſedis ſuæ ſacro altari, totius Miſſæ celebritatem per ſe expleret. Peractis autem ſolemnibus, neque pruna ignem, neque veſtis inventa eſt amiſiſſe decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per ſimplicem naturam ignis convicta eſt & fallacia deteſtabilis accuſantis, & innocentia beatiſſimi ſacerdo-*

cerdotis. Glorioſus habitus fuit tempore Amalarici Regis: annis novem habuit dignitatem.

31. *Filio Theoribio.*] Quiſnam ſit hic Theoribius, ad quem Montanus ſcribit, implicata ſatis quæſtio eſt. Quidam enim nolunt fuiſſe niſi unicum Theoribium, ſive Turibium, cui conveniat quicquid in hac Epiſtola legitur, tam de libris ſcriptis adverſus Priſcillianiſtas tempore S. Leonis Papæ, quàm de geſtis & prædicatione adverſus laudatores ejus ſectæ, hortatu Montani Præſulis Toletani. Sed enim falſam eſſe hanc opinionem, facilè evincitur ex ipſo S. Ildephonſo, qui eodem loco *De viris illuſt.* palam diſtinguit inter utrumque Turibium. Agens enim de Epiſtolis Montani præjactis, ait: *Commemorans* (Montanus) *quod in libris beatiſſimi Turibii Epiſc. ad Leonem Papam miſſis, eadem Priſcillianorum hæreſis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam vero Epiſtolam ad Turibium religioſum* (ſcripſit) *in qua collaudans eum, quòd culturam deſtruxit idolorum, committit ei ſacerdotalis dignitatem vigoris,* &c. ut paullò antè exſcripſimus. Ubi palam diſtinguit Ildephonſus duos Turibios: alterum Epiſcopum, & ſynchronon S. Leoni Papæ, ad quem libros miſerit contra Priſcillianiſtas ſcriptos: alterum verò poſteriorem, non Epiſcopum, ſed *Religioſum*, & prædicatorem adverſus idololatriam, ad quem viventem ſcripſerit Epiſtolam hanc poſteriorem Montanus Præſul Toletanus. Itaque palam eſt duos fuiſſe Turibios, non unicum.

32. Quod ipſum apertè demonſtratur ex chronographia, juxta quam Turibius Epiſcopus, qui libros ſcripſit contra Priſcillianiſtas, & miſit ad Leonem Papam, floruit ipſius tempore, ac proinde circa medium quinti ſæculi. Nam Leo ab anno CDXL. uſque ad CDLXI. Sedi Apoſtolicæ præfuit. Ut omittam, eundem Turibium juſſu ipſius Leonis Papæ Concilium in Hiſpania celebràſſe anno CDXLVII. ut ſuo loco præmiſimus, & cuique notum eſt. Turibius autem, ſeu potiùs *Theoribius*, ad quem ſcripta eſt hæc Epiſtola, longè poſterior fuit, & floruit poſt initium ſæculi ſequentis. Cùm enim Montanus ad eum viventem ſcribens, interfuerit & ſubſcripſerit Concilio Toletano II. Erâ DLXV. ideſt, anno Chriſti DXXVII. Amalarici Regis quinto; & S. Ildephonſus aſſerat, eum *glorioſum habitum fuiſſe tempore Amalarici Regis*; conſequens planè eſt, ut hic Theoribius ſit octoginta circiter annis poſterior, ac proinde alius omnino à Turibio illo præcedenti.

33. Hinc conſtat, Loaïſam, doctiſſimum licèt, lapſum fuiſſe in Notis ad hanc ipſam Epiſtolam, dum dixit: *An hic Turibius ille monachus fuerit, cujus meminit Ildephonſus* De viris illuſtribus, *in Vita Montani; an alter Notarius Sedis Apoſtolicæ, à B. Leone PP. miſſus in partes Hiſpaniæ ad Priſcillianam hæreſim exſtirpandam, ut conſtat ex Concilio Bracarenſi I. in exordio; (vocabantur & hi Notarii Regionarii) an verò Epiſcopus Palentinus & Aſtoricenſis; non ſatis conſtat. Poſtremæ ſententiæ acquieſco, ut ex prima Epiſtola patet; & ſcripſiſſe libros doctiſſimos adverſus Priſcillianos: & in ſecunda Epiſtola eum vocat ſacerdotem, hoc eſt, Epiſcopum. Ut ſeveriſſimi* (inquit) *ſacerdotis auctoritate utaris*. Lapſus inquam fuit dominus Loaïſa: cùm ex teſtimonio S. Ildephonſi conſtet ſatis, hunc Theoribium fuiſſe, cujus meminit ille in Vita Montani; utpote ſcribentis ad illum, tanquam ſynchronon, octoginta circiter annis poſtquam ille alter Turibius Notarius, ſive etiam Epiſcopus, tempore S. Leonis floruerat, & memoratos libros ſcripſerat.

34. Quin & ejuſdem veritatis fidem facit Montanus ipſe in utraque Epiſtola præjacta. In priore enim ad fratres & filios territorii Palentini, loquens de erroribus & vitiis Priſcilliani, ait: *Hunc talem fuiſſe pleniùs diſcet, qui beatiſſimi & religioſiſſimi viri Turibii* (non Theoribii) *Epiſcopi ad S. Papam urbis Romæ Leonem libros editos legit: in quibus hanc ſordidam hæreſim evolanavit, aperuit, & occultam tenebris ſuis, perfidiæque nube velatam, in propatulo miſit*. Ubi loquitur Montanus de iis libris, tanquam olim ſcriptis à Turibio Epiſcopo, tempore S. Leonis Papæ. At verò in hac poſteriore Epiſtola epigraphen adhibet: *Domino eximio, præcipuoque Chriſticolæ, domino & filio Theoribio, Montanus Epiſcopus*. Ubi & eum filium vocat, non fratrem, qualiter deberet, ſi eſſet Epiſcopus; & tanquam viventem alloquitur eo tempore, octoginta circiter annis poſt quam floruerat Turibius ſcriptor, & Epiſcopus Aſturicenſis.

35. Nec juvat Loaïſam quod Montanus ibidem ait: *Ut ſeveriſſimi ſacerdotis auctoritate utaris*. Inde enim ſummùm colligitur, Theoribium jam tum inter ſacerdotes, ſeu presbyteros numeratum, cui præterea Montanus, veluti Metropolitanus, delegat vices ſuas ad ea delicta coërcenda. Quin & ubi in hac Epiſtola loquitur de Epiſcopis, non filios, ſed fratres appellat. *Fratres noſtri* (inquit) *alienæ ſortis Epiſcopi*. Et in alia Epiſtola præcedenti Epiſcopos non appellat ſacerdotes, ſed *ſummos Pontifices*, & eorum dignitatem, *ſummum Pontificatum*. Mitto pleraque alia, ex quibus idipſum confirmari poſſet. Sed ſive hic Theoribius fuerit Epiſcopus tunc, ſive non, diſtinctio illius à Turibio ſcriptore & Epiſcopo Aſturicenſi eſt manifeſta.

EPISTOLA JUSTI EPISCOPI ORGELITANI AD SYRGAM PAPAM.

ANNO CHRISTI DXXXV.

Mittit Commentarium in Cantica Canticorum à ſe editum.

Ex Luca Dacherio in *Spicilegio* Tom. 3. pag. 219.

Domino meo verè piiſſimo, & præcipuè Dei gratiâ copioſo, ſemperque in Chriſto beato, domino Syrgæ Papæ, Juſtus Epiſcopus.

35. SCIENS te tam ſolerti ſtudio pro refrigeriis pauperum laborâſſe; ut illis temporariam conſolationem, tibique acquiſieris æternam mercedem, & jam ſatis te dijudicans totum ad Dei eloquia, ex quibus nunquam fuiſti vacuus, pro animi cultura converteris; quoddam tibi in corporali ſpecie ſpiritale xenium dirigere procuravi: quod ſi tibi Chriſtus non ex noſtro merito, ſed ex ſuo munere fecerit eſſe gratiſſimum; forſitan proveniet, & in diebus jejunii quodammodo refectus ad menſam venies, & antequam cibum accipias quiddam prægustâſſe perſentias. Nec hoc dicens tranſmiſſionis hujus meritum, priuſquam approbes, arroganter inſinuare ſtudeo; ſed intercedente charitate, in qua te totum poſſideo, ita de tuo tamquam de meo animo præſumens, tibi acceptum fore abſque ulla ambiguitate confido. Igitur in Chriſto Jeſu germanum cordis mei eſſe non neſciens libellum de tractatu libri canonici, qui *Cantici Canticorum* præſcribitur, quem nuper Chriſto inluminante edidimus, tibi primùm cenſui offerendum. In quo non noſtra potiùs, ſed ea quæ tua ſunt, quia ſic diligitis, te ſuſcepiſſe cognoſcas. Quem precor ut cum ea ſolicitudine, quâ in Chriſto viges, ſæpè recenſeas. Ut ſi quid illic corrigendum perſenſeris, integra libertate commoneas. Et ſic cæteris in Chriſto fratribus relegendum, vel, ſi fortaſſe placuerit, offeras tranſcribendum. Itaque quia ſic accidit, ut membranis deſiſtentibus, minutioribus literis eandem ſcripturam, in paribus quaternionibus ſuſciperent, nec ſtudiosè fabrefactis literalibus ambiretur; ſi memoratam rem alicujus meriti eſſe cenſueris, quia hoc ipſum, ut præfatus ſum, donante Domino tuum eſt, ut diligentiori ſtudio tranſcriptum utiliùs coaptetur quantocyùs ſtudebis. Quod Opus ſi laude dignum proceſſerit, te auctorem referam Chriſto: ſi verò reprehenſioni patuerit; quia utriuſque eſt, ſtatim aſſumam ſocium temetipſum: quia decori ſic te condecet hæc quæ Deus contulit coaptari, ut non de negligentia vituperium, ſed de induſtria charitatis ſuſcipias fructum: ut fratres noſtri, qui præceſſorum Patrum tractatibus epulantur, etiam his neotericis, quæ eis ex charitate offerimus, non pro noſtro merito, ſed pro Dei dono, & ſuâ benevolentiâ veſci quodammodo delectentur. Ave nunc in Chriſto piiſſime, noſtramque puſillitatem ſanctis orationibus in Domino fove.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

36. JUSTUS hic Epiſcopus Orgelitanus (aliàs Urgelitanus) eſt ille ipſe, qui ſecundo loco ſubſcribit in Concilio Ilerdenſi celebrato anno DXLVI. Habuit tres alios fratres pariter Epiſcopos: ſcilicet Nebridium Egarenſem, Juſtinianum Valentinum, & Elpidium. Porrò Juſti ſacra memoria habetur in Martyrologio Romano ad diem 28. Maji. De eo S. Iſidorus lib. *De viris illuſtribus*, cap. 21. ait: *Juſtus Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopus Hiſpaniarum, & frater prædicti Juſtiniani* (nimirum Epiſcopi Valentini) *edidit libellum* Expoſitionis in Cantica Canticorum, *totum valdè breviter ac apertè, per allegoriarum ſenſum. Hujus quoque fratres Elpidius & Nebridius quædam ſcripſiſſe feruntur: è quibus, quia incogniti ſumus, magis reticenda fatemur.*

37. Præmiſerat verò immediatè antè: *JUSTINIANUS de Hiſpaniæ Eccleſiæ Valentiæ Epiſcopus, ex quatuor fratribus Epiſcopis, ex eadem*

matre progenitis unus, ſcripſit librum Reſponſionum *ad quendam Ruſticum* De interrogatis quæſtionibus: *quarum prima eſt* De Spiritu ſancto: *ſecunda eſt* contra Bonaſiacos, *qui Chriſtum adoptivum, & non proprium dicunt: tertia eſt* De baptiſmo Chriſti, *quod iterare non liceti: quarta reſponſio eſt, Quòd Filius, ſicut Pater, inviſibilis ſit. Floruit in Hiſpaniis temporibus Theuda Principis Gotthorum.* Hactenus ibi.

38. Quiſnam verò fuerit Syrga, ad quem Juſtus mittit corrigendam ſuam Expoſitionem in Cantica, neſcio. Id ſolùm conſtat, Epiſcopum fuiſſe, quem proinde Juſtus PAPAM dicit, appellatione olim data Epiſcopis quibuſdam; ut patet pluribus exemplis in Cypriano, ad quem extat Epiſtola illa: *Univerſi Confeſſores Cypriano Papæ*. Itemque Romani cleri ad Carthaginenſem ajentis: *Benedictus Papa Cyprianus*. & ejuſdem alia ad ipſum: *Beatiſſime ac glorioſiſſime Papa*, Mitto plura alia hujus generis in Hieronymo & Auguſtino: ut patet ex Epiſt. apud ipſum XIII. XXIIX. CCXXII. & CCLVI. aliàs LXIIX. CLX. CXX. & CCXVI. Id etiam conſtat ex Prudentio, Sidonio Apollinari, Fortunato; immo & S. Eulogio Martyre, qui floruit circa medium noni ſæculi. Quin & S. Cœleſtinus (ſi credendum ſit Nicephoro lib. 4. *Hiſtoriæ*, cap. 34.) nomen Papæ dedit S. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino cum jure legationis ad Concilium Epheſinum: idque à Patriarchis ejus ſucceſſoribus continuatum fuit, ut unuſquiſque eorum ſe Papam nominaret.

39. Ait enim Nicephorus lib. 8. cap. 9. *Ex quo tempore* (nimirum Epheſinæ Synodi) *fama eſt mitram illam, & Papæ appellationem accepiſſe, Quæ deinde per ſucceſſiones ad eos etiam pervenerunt, quibus ſorte Alexandrinæ Eccleſiæ thronus legitimè obveniſſet, ſacros Epiſcopos*. Idipſum tradit Theodorus Balſamon in Meditato *De Patriarcharum privilegiis*, dicens: *Alexandrinus propterea vocatus fuit Papa, quòd ſanctus ille Cyrillus in tertia Synodo privilegia Papæ Romani, Cœleſtini ſcilicet, acceperit*. Cæterùm quicquid ii ambo dicant, longè ante S. Cyrillum legitur id nomen datum Patriarchis: nam juxta Orientale Chronicon Patriarcharum Alexandrinorum, *Heracles primus fuit, qui Papa cognominatus eſt*. Deinde SS. Epiphanius & Hieronymus ſæpè S. Athanaſium appellant *Papam Alexandrinum*: ſicuti & poſterior ex iis Auguſtinum ipſum, ac præterea Chromatium Aquilejenſem. Quare Petrus Patriarcha Antiochenus ſcribens ad Patriarcham Gradenſem ait: *Quinque in univerſo Orbe à divina gratia diſpoſitum eſt eſſe Patriarchas: Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum. Sed neque ex iis omnes propriè Patriarchæ nuncupantur; ſed impropriè. Præſul namque Romanus* Papa *dicitur, Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, Alexandrinus* Papa, *&c.* Similiter Nilus Doxopatrius inquit: *Ex uſu antiquo id obtinuit, Romanum peculiariter dici* Papam, *ſimiliter & Alexandrinum, Antiochenum Patriarcham*. Unde & in Concilio Florentino celebrato anno MCDXXXIX. parte 2. Tom. XIII. editionis Labbeanæ col. 1173. habentur literæ à Patriarcha Alexandrino miſſæ ad Eugenium IV. cum hac inſcriptione: *Philotheus miſeratione divina Papa, & Patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ, & totius Ægypti*. Deinde in fine Epiſtolæ habebatur ſubſcriptio ipſius eiſdem verbis, & literis capitalibus expreſſa. Quare Græci hodie non modò Pontificem Romanum, ſed etiam Alexandrinum Patriarcham appellant Papam. Vide Seldenum in lib. Eutychii *De originibus Alex.* Allatium lib. 1. *De conſenſione utrinſque Eccleſiæ*, Goarum in Theophanem. Savaronem in Sidonium lib. 1. Epiſt. VI. Quin & apud Georgium Codinum inter CP. Eccleſiæ dignitates & officia recenſebatur Pro-Papa, quem Latini Græcâ & compoſita dictione Archipresbyterum appellamus. Nam Papæ nomen aliquando etiam ad ſimplices presbyteros extendebatur: ideoque Walafridus Strabo in lib. *De rebus Eccleſiaſt.* cap. 7. inquit: *Papa cujuſdam paternitatis nomen eſt, & clericorum congruit dignitati*.

40. Quid? quod quivis initiatus ſacris ordinibus, immo & primâ tonſurâ ſolùm, apud Græcos modò *Papas*, modò *Papa ſimplex* dicebatur? Ideoque in Græcorum Euchologio, & Novellis poſteriorum Orientis Imperatorum legibus, nominantur *Simplices Papæ*, & præſcribitur forma quâ creantur, ſeu accipiunt primam tonſuram. Huc enim ſpectant verba illa Iſaaci Comneni Imperatoris paullò poſt medium undecimi ſæculi: *Quando Epiſcopus facit ſimplicem Papam, ſive Lectorem*. Unde & Innocentius III. lib. 5. Epiſt. LX. ſcribens ad Archiepiſcopum Thebanum, Eccleſias Græcorum appellat *Papatus*, ut ſe illorum ſtylo accommodet. Id ipſum fecit lib. 16. Epiſt. XCVI. ad Epiſcopum Amyclenſem, & Epiſt. CXV. ad Cardicenſem. Nimirum *Papatus* iis locis idem ſignificat ac *Prioratus*, ſive *obedientia* vulgari vocabulo.

41. Quamvis verò id uſque modò uſitatum fuerit inter Græcos; non ſic apud Latinos. Hi enim poſt tempus S. Auguſtini parciùs uſi inveniuntur *Papæ* nomine; & plerumque id reſtrinxiſſe ad Pontificem Romanum: aliis verò, ſeu Patriarchis, ſeu Primatibus, ſeu Metropolitanis, ſeu denique Epiſcopis, nonniſi ſemel aut iterum. Ut propterea mirum ſit, quòd S. Petrus Damiani Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, poſt medium ſæculi undecimi ſcribens ad Alexandrum II. Pontificem lib. 1. Epiſt. XVII. & ad Godefridum Lotharingiæ Ducem, Regii pueri pædagogum appellet *Papam*, ſeu *Papatem*. Quo etiam modo & ſenſu loquitur Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 29. qui paullò poſt Damianum floruit.

42. Cæterùm labente eodem ſæculo, S. Gregorius VII. Pontifex Romanus, *Eccleſiaſticæ libertatis propugnator acerrimus* (quo epitheto decoratur in Martyrologio ad diem 21. Maji) in celebri illo Dictato hunc Canonem XI. edidit. QUOD PAPA EST UNICUM NOMEN IN MUNDO. Rationem ejus decreti opportunam reddit Baronius in Notis ad Martyrologium ipſum, dicens: *Quod ad PAPÆ nomen pertinet; cùm futuris temporibus obtinuiſſet uſus, ut tantummodo*

Romano tribueretur Pontifici, & ſchiſmatici illud ſibi in odium Romani Præſulis, faſtu ſuperbo vindicarent, aliaq; non conceſſa præſumerent; Gregorius VII. habuit Romæ Synodum adverſus ſchiſmaticos, ubi ſtatuit inter alia plura, UT PAPÆ NOMEN UNICUM ESSET IN UNIVERSO ORBE CHRISTIANO, nec liceret alicui ſe ipſum, vel alium eo nomine appellare. Nimirum cùm ſolus Pontifex Romanus jure divino ſit caput totius Eccleſiæ Catholicæ & pater, vel eorum qui Patres & Patriarchæ audiunt; meritò ſolus appellatur Papa, quaſi Pater Patrum reliquorum. Vide Colvenerium in Scholiis ad lib. I. Flodoardi, quæ habentur Tomo X. Bibliothecæ Maximæ VV. Patrum Aniſſonianæ cap. 12. pag. 623. & præterea Sirmondum ad lib. 4. Ennodii Epiſt. I.

EPISTOLA VIGILII PAPÆ

AD PROFUTURUM EPISCOPUM BRACARENSEM,

Cujus conſultationibus reſpondet.

ANNO CHRISTI DXXXVIII.

TITULI.

I. *De Priſcillianiſtis, qui ſe ab eſu carnium abſtinent.*
II. *In fine cujuslibet Pſalmi dicendum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.*
III. *De his qui ab Arianis iterum baptizantur.*
IV. *Quando Eccleſia iterum debeat conſecrari.*
V. *De Paſcha feſtivitate, precum ordine, ac Miſſarum ſolemniis.*
VI. *Baptiſmus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti conferendus.*
VII. *Quòd Romana Eccleſia ſit mater & magiſtra omnium Eccleſiarum. Quòdq; judicia Epiſcoporum & majores cauſſa ad eam ſpectent.*

43. DIRECTAS ad nos tuæ charitatis Epiſtolas, plenas Catholicæ inquiſitionis * ſolicitudine, gratanter accepimus, benedicentes Dei noſtri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatur ſuis ovibus providere Paſtores, per quos & paſcuis valeant ſalutaribus, & ab * antiqui hoſtis rapacitate ſervari, ut inſidias nequeant ejus ſubreptionis incurrere. Unde certum eſt, quia promiſſæ vos beatitudinis gratia ſubſequatur, quando à vobis cœleſtium perfectio doctrinarum tam votivâ ſciſcitatione perquiritur. Scriptum eſt enim: *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.* Hoc igitur frater chariſſime, propoſitum tuæ conſultationis tota mente tractantes, de te quoque provenire * contendimus, qui regulam Catholicæ Fidei iiſdem ſtudes tenere veſtigiis, quibus eam in Apoſtolica Fide cognoſcis eſſe fundatam. Et quamvis ſonus eorum toto Orbe diffuſus, & uſque ad fines Orbis terræ verba eorum diſtenſa, dilectionis tuæ corda Chriſto probaverint eſſe fidelia; tamen ſi quid ex his in Eccleſia, quæ tuæ gubernationi, Deo auxiliante, commiſſa eſt, nec dum plena luce claruerit, ad eundem fontem, de quo illa ſalutaris manârat lympha, recurritis, quod debita charitate ſumus amplexi, quia fiducialiter de his, unde apud eos obſervantiam eſſe dixiſtis ambiguam, noſtra voluiſtis reſponſione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino ſalutantes, de ſingulis quid juxta Catholicam diſciplinam teneat Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ſubjectis aliquibus etiam ſanctarum capitulis regularum, te credimus inſtruendum.

* Et ſolicitudinis.
* Iniqui lupi.
Pſalm. 118.
* Confidimus.

I.

44. Ac primùm de his, quos Priſcillianæ hæreſis indicâſti vitiis inquinari, ſancta & conveniente religioni Catholicæ eos deteſtatione judicas arguendos, qui ita ſe ſub abſtinentiæ ſimulatæ prætextu ab eſcis videntur carnium ſubmovere, ut hoc exſecrationis potiùs animo, quàm devotionis probentur efficere. In qua re quia nefandiſſimis Manichæis eſſe conſimiles approbantur, juſtè Patrum venerabilium conſtitutis ab hac ſuperſtitione ſub anathematis ſunt interminatione prohibiti, quando aliquid ciborum contagione * carnium credunt eſſe pollutum: quia de his omnibus, quæ ad humanum victum miſericordia Dei * contulit, nihil Catholicis eſſe judicatur immundum. Sic enim Titum Doctor gentium Paullus monet Apoſtolus, dicens: *Omnia munda mundis, coïnquinatis autem & infidelibus nihil eſt* mun-

* Carnalium creditur.
* Tribuit.
Tit. 1.

mundum: ſed polluta ſunt eorum mens & conſcientia. Deum confitentur ſe nôſſe, factis autem negant; abominabiles & increduli, & ad omne bonum opus reprobi. Similiter & alio in loco ad Timotheum de (1. Timoth. 4.) hujuſmodi cavendis erroribus prædicavit, dicens: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentes nubere, & abſtinentes à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Hæc igitur ſequentia Patrum venerabilium conſtituta, ſpecialiter eos cenſuerunt eſſe damnandos, qui, cùm carnibus abſtinerent, ea quoque credebant eſſe vitanda, quæ carnibus fuiſſe videbantur admiſta. Nam & ipſe Dominus (Matth. 15.) noſter Jeſus Chriſtus ita præmunuit, dicens: *Non quod intrat in os coïnquinat hominem, ſed quæ procedunt de ore, hæc ſunt quæ coïnquinant hominem.* Quapropter nec abſtinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos qui exſecrantur Domini creaturam, recipimus in noſtra ſocietate.

II.

45. De baptiſmo quoque ſolenniter adimplendo, ſimiliter quid Apoſtolica vel ſanxerit vel obſervet anctoritas, in ſubjectis tua charitas evidenter agnoſcet. Illud autem novelli eſſe judicamus erroris, quòd cùm in fine pſalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, aliqui, ſicut indicas, ſubductâ unâ ſyllabâ conjunctivâ, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo: *Gloria Patri, & Filio, Spiritui ſancto.* Quamvis ergo ipſa nos ratio evidenter edoceat, quia ſubductâ unâ ſyllabâ, perſonam Filii & Spiritus ſancti unam quodammodo eſſe deſignent; tamen ad errorem talium convincendum ſufficit, quòd Dominus Jeſus Chriſtus (Matth. ult.) deſignans in invocatione Trinitatis credentium debere baptiſma celebrari, dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ergo cùm non dixerit: *In nomine Patris, & Filii, Spiritus ſancti*; ſed æqualibus diſtinctionibus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum juſſerit nominari; conſtat illos omnino à doctrina Dominica deviare, qui aliquid huic voluerint confeſſioni derogare, Qui ſi in errore permanſerint, ſocii nobis eſſe non poſſunt,

III.

46. De his etiam qui baptiſmatis gratiâ ſalutaris acceptâ, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis ſunt morte demerſi, quid per ſingulos ordines vel ætates anteceſſorum noſtrorum decreta cenſuerunt, quæ multiplici ſunt digeſta ratione, è noſtro ſcrinio * revelata capitula his ſubjecta (* Relevata.) direximus. In quibus tamen illud ſpeciali charitate etiam convenit obſervari, ut quia pro peccatis plurimis ingentibus iniquitas ipſa ſurrexit, in æſtimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per ſuas diœceſes relinquatur, ut ſi qualitas & pœnitentis devotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio ſit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manûs, quæ per invocationem ſancti Spiritus fit, operatur, ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis * reſtitutio perficitur. (* Reſtitutione.)

IV.

47. De fabrica verò cujuslibet Eccleſiæ, ſi diruta fuerit, inſtauranda, & ſi in eo loco conſecrationis ſolennitas debeat iterari, in quo ſanctuaria non fuerint; nihil judicamus officere, ſi per eam minimè aqua * benedicta jactetur: quia conſecrationem cujuslibet Eccleſiæ, in qua Spiritus ſancti ara non (* Exorcizata.) ponitur, celebritatem tantùm ſcimus eſſe Miſſarum. Et ideo, ſi qua Sanctorum Baſilica à fundamentis etiam fuerit innovata, ſine aliqua dubitatione, cùm in ea Miſſarum fuerit celebrata ſolennitas, totius ſanctificatio conſecrationis implebitur. Si verò ſanctuaria, quæ habebat, ablata ſunt, rurſus eorum * repoſitione, & Miſſarum ſolennitate, reverentiam ſanctificationis accipiet. (* Diſpoſitione.)

V.

48. Paſcha verò futurum nos, ſi Deus voluerit, 11. Kalendarum Majarum die celebraturos eſſe cognoſcite. Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere * diviſum: ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quoties verò (* Diverſum.) Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicæ precis textum direximus ſubteradjectum, quem (Deo propitio) ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et ut charitas tua cognoſcat quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces * ſimiliter adjecimus. His igitur fraternitatis tuæ inquiſitionis reſponſis, (* Simul.) Deum noſtrum, quantum poſſumus exoramus, ut omnibus Catholicæ religionis Eccleſiis circa univerſos, quos fideles ſibi efficit, gratiæ ſuæ dona multiplicet, & ab omnibus inſidiis ſpiritualis hoſtis, atque carnalis, cunctos populos ſuos redigere dignetur immunes. * Significatur etiam beatorum Apoſtolo- (* Significamus.) rum, vel Martyrum, ſicut ſperamus, ſancto nos affectui tuo direxiſſe reliquias, præſumentes fidem veſtram eorum deinceps pleniùs eſſe meritis adjuvandam.

VI.

49. Si quis Epiſcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſed in una perſona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Eccleſia Dei.

VII.

50. Nulli, vel teouiter ſentienti, vel pleniter ſapienti, dubium eſt, qood Eccleſia Romana fundamentum & forma ſit Eccleſiarum, à qoo omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe, nemo rectè credentium ignorat. Quooiam licèt omnium Apoſtolorum par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt ut cæteris præemineret; unde Cephas vocatur, quia caput eſt & priocipium omnium Apoſtolorum: & quod in capite præceſſit, in membris ſeqoi neceſſe eſt. Quamobrem ſancta Romaoa Eccleſia ejus merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad qoam tam ſomma Epiſcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, qoàm & majores Eccleſiarum qoæſtiones, quaſi ad caput, ſemper referenda ſunt. Nam & qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem eſſe ſibi prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largieodas, nt in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Unde omnium appellantium Apoſtolicam ſedem Epiſcoporom judicia, & cunctarum majorum negotia caoſſarom, eidem ſanctæ Sedi reſervata eſſe liquet: præſertim cùm in his omnibus ejus ſemper ſit exſpectandum conſultum; cujus tramiti ſi quis obviare tentaverit ſacerdotum, cauſſas ſe, non ſine honoris ſui periculo, apud eandem ſanctam Sedem noverit redditurum. Data Kalendis Martii * Voluſiano & Joanne viris clariſſimis Conſulibus.

* Wiliſario, malè

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE IN HANC EPISTOLAM.

51. HACTENUS in omnibus Conciliorum editionibus, etiam in Pariſieoſi Labbei & Coſſartii, titulus Epiſtolæ præfixus erat ad Eutherum, ſive Eutherium. Verè tamen à Vigilio ſcripta fuit ad Profuturum Bracareoſem Epiſcopum. Primos ea de re nos admonuit per literas Romà Salmanticam datas 7. Idus Octobris MDCLXXXV. celeberrimus ſcriptor D. Joannes Mabillon, monachus Congregationis S. Mauri in Gallia: & poſtea id veriſſimum deprehendimus lecto attentiùs Concilio Bracarenſi I. infrà exhibendo, in quo ejuſdem Epiſtolæ ac Profuturi Epiſcopi Bracarenſis apertè fit mentio.

52. Sed & Cl. vir Stephaous Baluzius, cojus novæ Collectionis Conciliorum Tomos I Lutetiæ editos anno MDCLXXXIII. poſtea ad nos delatus fuit, ibidem col. 1468. fidem facit, exſtare eandem Epiſtolam cum inſcriptione ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem in vetuſtiſſimo Codice Eccleſiæ Lugduoenſis, itemque in duobus aliis Bibliothecæ Colbertinæ optimis, & ſignatis nom. 408. & 3970. Omnes verò illam referunt ad anoum DXXXVIII. Voluſiano & Joanne Coſs. die 1. Martii (uti & ipſius notatio habet): in quo nondum Vigilius fuerat ritè electus Pontifex, ſed tamen veluti talem ſe gerebat, & conſulebatur à multis Epiſcopis, ac ſi jure ſedem Apoſtolicam poſſideret. Nam alioqui, & re ipſa, ſolus S. Sylverius erat Pontifex Romanus, duram perſecutionem & exſilium patiens ob defenſionem juſtitiæ, quæ biennio pòſt, Chriſti DXL. illum cœlo Martyrem glorioſum dedit, velut alii volunt, eodem anno DXXXVIII. die 28. Julii.

53. *Directas.*] Io Mss. quibos oſus fuit Baluzius, ante omoia habetur: *Dilecto fratri Profuturo Epiſcopo, Vigilius.* Nos tamen ſeqooti ſumus editiones Conciliorum, in qoibus ea verba non exſtant.

54. *Quapropter nec abſtinentiam*, &c.] Ne quis putaret, Vigilium exſecrari abſtinentiam carnium, prout Catholicis & piis hominibus uſitata eſt, ſive tempore jejunii ab Eccleſia indicti, ſive in viodictam ſcelerum ſacris Canonibus præſcriptam, ſive propter macerationem corporis, alioſque pios fines; addit ea poſtrema verba, eoque ſenſu exponit allegata Scripturæ teſtimonia, ut ſolùm intelligantur contraria abſtinentiæ ſuperſtitioſæ Priſcillianiſtarum, qui carnes averſabantur, quooiam errore ex Manichæis mutuato cenſebant illas oaturâ ſuâ malas, & profectas ab illo Deo malo, quem ii fingebant, & appellabant *αὐτόκακον* ſive *ipſum-malum*. Sed de hoc latiùs in ſuperioribus egimus differentes de eadem Priſcillianiſtarum ſecta.

55. *De his etiam*, &c.] Hinc colligitur, Arianos quoſdam tunc temporis in Luſitania eò inſanoiæ deveniſſe, ut homines ſemel ritè & ſub profeſſione Catholica baptizatos, iterum baptizarent, quaſi baptiſmus prior nullius valoris fuiſſet. Neque enim Profuturus Epiſcopus Bracarenſis ea de re conſuleret Apoſtolicam ſedem, niſi verè tuoc eſſent aliqui ejus ſceleris rei. Unde & colliges, antiquum rebaptizantium errorem, proſcriptum olim à S. Stephano Papa circa medium tertii ſæculi, damnatum poſtea in Concilio Nicæno, inſtauratum rurſus à Donatiſtis in Africa, & fortiter rejectum à Magno Auguſtioo; tandem ab Arianis in Hiſpania ex orco revocatum fuiſſe ineuote hoc ſexto ſæculo, in quo Vigilius reſcripſit.

56. Memioi autem me legiſſe prodigium quoddam ſub initium ſæculi quinti divinitùs patratum, apud Nicephorum lib. 16. cap. 35. dum quidam Arianus adminiſtrans baptiſmum, inverteret formam à Catholica Eccleſia receptam. *Eâdem tempeſtate* (inquit) *quidam Arianus, cui nomen Deuterii fuit, in urbe Conſtantinopolitana, Barbam quendam cùm baptizaret, veluti Domini traditionem abolens, præter morem receptum dicere auſus eſt*: Baptizatur Barbas io nomen Patris per Filium, in Spiritu ſancto. *Ecce tibi autem unda, quæ in ſacro lavacro erat, derepente diſparuit.*

Et

Et Barbas inde profugiens, miraculum id omnibus promulgavit.

57. *Paſcha verò futurum*, &c.] Denunciat diem, quo celebrandus ſit dies Paſchæ eo anno DXXXVIII. juxta morem in Occidente receptum iis ſæculis, quo Pontifices Romani antè denunciabant Epiſcopis diſtantibus, quando ea ſolennitas peragenda eſſet. Cujus rei, præter plura alia, exſtat Epiſtola S. Leonis Magni Papæ (inter reliquas nonageſima quinta) ad Epiſcopos Galliç & Hiſpaniæ circa feſtum Paſchæ anni CDLV. quam ſuprà exhibuimus ſuo loco. Conſule præterea ejuſdem Leonis Epiſtolas LXIV. & LXV. ad Marcianum Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam.

58. *Nulli vel tenuiter ſentienti*, &c.] Hoc loco Vigilius memorat doctrinam de Primatu Eccleſiç Romanæ in reliquas omnes, veluti compertam ſapientibus & inſipientibus; quòd ad illam, *tam ſumma Epiſcoporum negotia, & judicia, atque querela, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput, ſemper referenda ſunt*, &c. ut habes in litera. Et poſt pauca: *Unde omnium appellantium Apoſtolicam ſedem Epiſcoporum judicia, & cunctarum majora negotia cauſſarum, eidem ſanctæ Sedi reſervata eſſe liquet*, &c. Ex his confirmatur quicquid ea de re pariter ſtatutum aut traditum legitur in Epiſtolis Decretalibus Pontificum Romanorum ab Anacleto uſque ad Sylveſtrum, & rurſus ab Innocentio I. ac Leone I. ut vidimus Tomo I. Diſſert. IV. & ſeqq. adversùs plures recentiores.

59. Mirum autem eſt quod inter eos Baluzius nuper teſtatus eſt Tomo I. *Novæ Collectionis Conciliorum*, col. 1468. nimirum, Epiſtolam hanc exſtare integram in optimo & antiquiſſimo Codice 449. bibliothecæ Colbertinæ; deeſſe tamen ibidem caput hoc de Primatu Eccleſiæ Romanæ, quod additum habetur in Collectione Iſidoro adſcripta. Mirum, inquam, id eſt, & quo uno Baluzius ſe extricare in ſpeciem poſſit ab argumento *ἀναντιῤῥήτῳ* ex teſtimoniis innumeris Epiſtolarum Decretalium, deſumpto pro doctrina in hoc capite tradita circa judicia Epiſcoporum, & omnes majores cauſſas, appellationeſque, reſervata eidem Sedi Apoſtolicæ.

60. At enim longè major fides habenda reliquis omnibus Codicibus, tum manuſcriptis antiquiſſimis Hiſpaniæ, viſis & collatis ab Illuſtriſs. Loaïſa, tum impreſſis, in quibus id caput habetur, quàm uni Colbertino, de quo non levis ſuſpicio eſſe poſſit, in Gallia ſcriptum fuiſſe, & iis temporibus, quibus cauſſæ Epiſcoporum appellantium Sedem Apoſtolicam, diſceptabantur, præſertim inclinante ſæculo nono ſub Nicolao I. Papa, & poſtea in cauſſa Gerberti Rhemenſis, deſinente ferè decimo. Fieri enim faciſè potuit, ut qui adversùs Hincmarum Laudunenſem ac Rhotadum Sueſſionenſem, Epiſcopos, Sedem Apoſtolicam appellantes, eripere ipſi conabantur Epiſcoporum judicia, truncarent Epiſtolam Vigilii, abſciſſo eo capite, quo ipſi jugulabantur. Idipſum dictum eſto circa controverſias cum Gerberto. Et ſanè cùm Collectionis Conciliorum Iſidorianæ verus auctor fuerit, non Iſidorus ille huc uſque mortalibus incognitus, qui *Mercator* dici ſolet; ſed S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui ſe *Peccatorem* humilitatis gratià denominabat (ut Diſſert. I. To. I. oſtenſum fuit) quique præter inſignem ſanctitatem & doctrinam, nunquam, nuſquam litigium habuit circa appellationes Epiſcoporum; abſurdiſſimum eſt, & pluſquam temerarium, ipſi tribuere, aut fictionem, aut interpolationem earum Epiſtolarum, in quibus id jus Sedis Apoſtolicæ teſtatum habetur; aut tantam negligentiam in iis exſcribendis.

61. Quòd ſi verò, aut Baluzius ipſe, aut Gerbaſius, aut Anonymus ſcriptor libri *De antiquis & majoribus cauſſis*, reſpondeant, Epiſtolam hanc fuiſſe ſcriptam à Vigilio dum eſſet Anti-papa, qui proinde erraverit, plus juſto tribuens Sedi Apoſtolicæ, quam injuſtè ambiebat, & inſanè deperibat; evaſio faciſè præcludetur, tum ex doctrina Conciliorum præcedentium, tum ex aliis Epiſtolis indubitatorum Pontificum, anteriorum & poſteriorum Vigilio, quas ſuprà Tomo I. allegavimus, præſertim Diſſert. VII. Excurſu IV. & V. Sed ſi diſplicet ſententia Vigilii Anti-papæ, probetur ſaltem ejuſdem jam legitimi Papæ doctrina poſtea tradita Epiſtolâ ſeptimâ ad Anxanum Arelatenſem in Gallia Epiſcopum, quâ ait: *Si quæ verò certamina de religione Fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi* PRO SUI *MAGNITUDINE terminari non poſſit, evenerint; totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſâ, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, APOSTOLICÆ SEDI TERMINANDA SERVATE.* Quodnam, quæſo, certamen, præter controverſias religionis & Fidei eſſe poteſt, cui terminus imponi nequeat *pro ſui magnitudine*, extra Romam, niſi cauſſæ & judicia Epiſcoporum? Hæc igitur Vigilius Papa à ſola Sede Apoſtolica terminari poſſe declarat, prout Anti-papa Vigilius paullò antè cenſuerat.

CANONES BARCINONENSES,

SEU

CONCILIUM BARCINONENSE,

Habitum circa Eram DLXXVIII. ſive annum Chriſti DXL.

CUM conveniſſent in Dei nomine Barcinonâ ſancti Epiſcopi, id eſt, Sergis Metropolitanus, Nebridius Barcinonenſis, Caſotius Empuritanus, Andreas Ilerdenſis, Staſilius Gerundenſis, Joannes Cæſaraugustanus, Aſellus Dertoſanus, hæc obſervanda ſtatuerunt.

I.

Ut Pſalmus quinquageſimus ante Canticum dicatur.

II.

Ut benedictio in Matutinis, fidelibus, ſicut in Veſpera, tribuatur.

III.

Ut nullus clericorum comam nutriat, aut barbam radat.

IV.

Ut diaconus in conſeſſu presbyteri nullatenus ſedeat.

V.

Ut Epiſcopo præſente, orationes presbyteri in ordine colligant.

VI.

Pœnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu utentes, jejuniis & obſecrationibus vitæ tempus peragant.

VII.

Ut pœnitentes epulis non interſint, nec negotiis operam dent in datis & acceptis: ſed tantùm in ſuis domibus vitam frugalem agere debeant.

VIII.

De his, qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à ſacerdote accipiunt; ſi poſtea convaluerint, vitam pœnitentium peragant; excepta manûs impoſitione, ſegregati à communione, quamdiu probabilem ſacerdos eorum approbaverit vitam.

IX.

Jubemus verò in infirmitate poſitis, * beatificam benedictionem percipiant.

* Alii legunt *viaticam*.

X.

De monachis verò id obſervari præcipimus, quæ Synodus Chalcedonenſis conſtituit.

NOTÆ VARIORUM IN CANONES. BARCINONENSES.

1. CONCILIUM hoc coactum fuiſſe exiſtimo ferè Erâ DLXXVIII. Sic poſui in Chronologia. GARSIAS LOAISA.

AD CANONEM II.

2. Idem omnino, ſed pluribus verbis ſtatutum reperies in Concilio Agathenſi Can. XXX. Quamobrem autem benedictionem in Matutinis omitterent, aut dubitarent an ex Eccleſiæ uſu & more id eſſet præſtandum, ea poteſt eſſe cauſſa, quòd ſoli benedicendi viderentur fideles, cùm dimitterētur, & eis Chriſti benedictionem, & pacem conſignandam, cùm de domuitione cogitarent: quemadmodum eam Chriſtus cùm cœlo reciperetur, Eccleſiæ ſuæ reliquit. Matutinæ verò erant pars officii Matutini, quibus peractis, iterum ad officium redeundum eſſet: quapropter congruum quibuſdam & ſatis conveniens videbatur, ut in Miſſa tantùm & Veſperis populo benediceretur. ALBASPINÆUS.

AD CANONEM III.

3. *Ut nullus clericorum comam nutriat,*]Sic ab initio Eccleſiæ cautum fuit. Nam ut legitur in Epiſtola illa nomine S. Anacleti Papæ inſcripta ad Eccleſias per Galliam, viſum fuit antiquitati Chriſtianæ, *ut ſicut clerici à laicis diſcreti eſſe debent in converſatione; ita & in omni tonſura, & in omni habitu diſcreti apparerent.* Unde ipſe S. Petrus cenſetur præ omnibus tonſurâ clericali uſus in exemplum poſterorum: ut inquit Rhabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus lib. 1. *De inſtitut. clericorum*, aſſeverans, *hunc ritum primum ſumpſiſſe, ut formam & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus, à nefanda Judæorum gente acutis ſpinarum aculeis coronaretur.* Plenum eſt jus Canonicum præceptis ſeu exhortationibus clericorum ad tonſuram & habitum Eccleſiaſticum, etiam ſub gravibus pœnis. Quomodo autem plurimi eorum ſecus ſe gerant, viderint ipſi, & Prælati, quorum maximè intereſt.

4. Prohibitio radendi barbam in hoc Canone clericis indicta, viſa fuit conveniens eorum ſtatui hoc tempore. At verò poſtea præceptum fuit iis, ut barbam raderent, ſaltem intra Hiſpaniam: ut patet ex Concilio Coyacenſi habito anno ML. capitul. 3. ubi dicitur: *Presbyteri verò & diacones, qui miniſterio funguntur Eccleſiæ, arma belli non deferant, ſemper coronas apertas habeant, BARBAS RADANT.* Idipſum ſeverè præcipit S. Greg. VII. Papa in Epiſtola ad Oroſcum judicem Caralitanum, quæ in Regiſtro illius eſt x. libri VIII. CARD. DE AGUIRRE.

AD CANONEM VI. ET VII.

5. Hiſce duobus Canonibus deſcribitur vita, forma, geſtus, & habitus olim ſolitus pœnitentibus: non ſolùm iis, qui ob graviſſima ſcelera aſperrimum vitæ genus per longum tempus ſubire conſtringebantur; ſed etiam aliis, qui nullius criminis ſibi conſcii, & ſolo deſiderio vitæ purioris ac ſanctioris, majoriſque humilitatis, volebant recenſeri intra aliquem gradum pœnitentium. Verùm ea auſteritas præcipuè locum habebat in prioribus iis, ob vindictam ſcelerum. Qualiter autem, & quamdiu, & quanta aſperitate vitæ, & quàm lugubri habitu ac geſtu deberent placare indignationem Dei pro delictis commiſſis, ſatis declaratur, tum hoc loco, tum aliis paſſim in Canonibus Conciliorum: nullibi autem nervoſiùs aut utiliùs, quàm ſuprà in Paræneſi S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis ad pœnitentiam, à nobis recuſâ, & Notis illuſtrata; ex qua videntur deſumpti Canones iſti VI. & VII. circa pœnitentes: ut conſideranti palam erit. Nec enim mirum eſt, ut Epiſcopi Barcinonam ad Synodum convenientes, recordarentur S. Paciani Epiſcopi ejuſdem urbis, ſexaginta circiter antea annis vitâ functi, & ex ipſo hos pœnitentiæ Canones mutuarentur. CARDINALIS DE AGUIRRE.

AD CANONEM VIII.

6. Niſi aberrat animus, ſuſpicor ego hoc Canone agi de iis, qui cum imminentis mortis metu percellerentur, pœnitentiam, quamvis nulla peccata digna tam atroci mulcta commiſiſſent, ſibi dari efflagitabant, quique ſtudio quodam potiùs divini amoris incenſi, & quo exploratior & certior conſequendæ ſalutis ſpes eos erigeret, quàm in peccatorum remedium, habitum tonſuramque pœnitentium depoſcebant; non ſecus atque videre licet aliquos, qui cùm ſibi eſt ex hac vita decedendum, religioſarum familiarum veſtitum ſumunt, voto earum omiſſo. Olim autem pœnitentia, non peccatorum erat tantùm antidotum quoddam; verùm etiam expreſſa quædam, non adumbrata modò, vitæ religioſæ ſpecies ad imitandum propoſita, quam ſe ſecuturos voverent, ſuiſque eam votis peculiari quodam habitu legibuſque conſtringerent.

7. Quidam igitur rati ſibi hanc vitam brevi deſiderandam, ea vota nuncupabant, qui periculo mortis liberati convaleſcebant: quid autem eos facere oporteret, Canone IX. Gerundenſi, LIII. Toletani IV. VIII. Toletani VI. & II. Toletani XII. præſcribitur atque edocetur: præſertim verò cernere eſt eos non alligari adſtringique pœnitentiæ legibus, qui quò rectè factorum conſcientiâ ſuſtentarentur, pœnitentiam expetebant, cùm re vera ſe nulla mortiferi peccati cogitatione percelli putarent. Exiſtimârim quoque, Canone iſto idem decerni, & tertio gradu pœnitentiæ non retineri oportere eos, qui pœnitentiæ remedium in morte oblatum quum tutò omittere poterant, non ſubterfugiſſent, quique non ob peccata commiſſa, ſed religionis cauſsâ pœnitentiam petierant; verbaque iſta: *ſine manûs impoſitione*, transferri poſſe & derivari ad illas manuum impoſitiones, quæ frequentiſſimè fierent in tertio gradu, quæ ignominiâ tamen & probro non carerent: neque ad abſolutionem revocarentur, aut de abſolutione dici intelligique poſſunt.

AD CANONEM IX.

8. Hoc ex præcedenti ſequitur, ejuſque ſenſus ab eo petendus: ajunt enim Patres, pœnitentes, de quibus ſtatuerunt proximo capite reconciliandos eſſe altaribus, & myſteriis, ſi ægrotare cœperint. Major namque reconciliatio *beatica* vocatur, quòd Euchariſtiæ ſumendæ poteſtatem faceret. Albaspinæus.

AD CANONEM X.

9. Multa in Concilio Chalcedonenſi à ſanctis Patribus inſtituta de cultu, vita, habitu, regula, & caſtitate monachorum, quæ ab aliis Conciliis accepta, in monaſteriis caſtè & piè obſervata ſunt. Loaisa.

10. Ut autem in ſingulari innoteſcat, quidnam de monachis ſtatutum fuerit in Chalcedonenſi Concilio, placuit ex ejus Actis ſatis longis quædam præcipua obſervare. Imprimis Actione ſeptima non longè à fine, Marcianus Imperator piiſſimus hæc, inter alia, Patribus Concilii examinanda, & judicio ipſorum decernenda proponit: Τοὺς δὲ κατ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ προσέχειν μόνῃ τῇ νηστείᾳ, καὶ τῇ προσευχῇ, μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς ἢ δημοσίοις παρενοχλεῖν πράγμασιν, εἰ μή ποτε ἄρα ἐπιτραπεῖεν διὰ χρείαν ἀναγκαίαν ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου. *Eos verò monachos, qui per ſingulas civitates ſunt atque provincias, ſubjici Epiſcopo, & quietem amplecti, & intendere ſolùm jejunio & orationi, & neque Eccleſiaſticis, neque publicis importunos rebus exiſtere; niſi fortè jubeatur eis propter neceſſariã cauſſam ab Epiſcopo civitatis.*

11. Idipſum autem poſtea ſtatutum & confirmatum fuit à Patribus ejuſdem Concilii Canone quarto, hiſce verbis: *Qui verè & ſincerè ſingularem* (aliàs *ſolitariam*) *ſectantur vitam, competenter honorentur. Quoniam verò quidam utentes habitu monachali, Eccleſiaſtica negotia civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon & monaſteria ſibi inſtituere tentantes; placuit nullum uſquam ædificare aut inſtituere monaſterium, vel oratorii domum, præter conſcientiam voluntatis Epiſcopi: Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo; & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio & orationi, in locis, in quibus renunciaverunt ſæculo, permanentes: nec Eccleſiaſticis verò, nec ſæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo ſint moleſti, propria monaſteria deſerentes; niſi fortè iis præcipiatur propter opus neceſſarium ab Epiſcopo civitatis.* Aliam lectionem, ſeu verſionem vide apud Baluzium Tom. I. col. 1280.

12. Præterea Canone VII. Actionis decimæ quintæ dicitur: *Eos qui in clero ſemel ordinati ſunt, ſimiliter & monachos, ſtatuimus, neque ad expeditionem militarem, nec ad ſæcularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentiâ ducti ad id revertuntur, quod propter Deum priùs elegerant; anathematizari.*

13. Rurſus Canone XXIII. ejuſdem Actionis hæc habentur: *Pervenit ad aures ſanctæ Synodi, quòd clerici quidam & monachi, quibus nihil à proprio Epiſcopo mandatum eſt, & ſunt etiam nonnunquam ab ipſo communione ſegregati, ad imperatoriam Conſtantinopolis urbem ſe conferunt, & in ea diù morantur, turbas excitantes, & ſtatum Eccleſiaſticum perturbantes, aliquorum domos ſubvertunt. Statuit ergo ſancta Synodus, ut ii priùs à ſanctiſſima Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ defenſore admoneantur, ut imperatoria urbe excedant: ſi autem in iiſdem negotiis impudenter perſeverent, ut per proprium defenſorem ejiciantur, & in propria loca revertantur.* Mitto quædam alia minoris notæ in eodem Concilio circa monachos ſtatuta. Sufficiant itaque hæc, quæ generatim indicantur Canone decimo hujus Barcinonenſis Synodi. Cardinalis de Aguirre.

CONCILIUM ILERDENSE

VIII. EPISCOPORUM,

Erâ DLXXXIV. id eſt anno CHRISTI DXLVI.

TITULI.

I. *De his qui altario miniſtrant, ut à ſanguine hominis [a] abſtineant.*
II. *De his qui [b] abortum faciunt, vel natos ſuos extinguunt.*
III. *De monachis, ut clerici ordinentur cum voluntate Abbatis: & quæ monaſterio offeruntur, non auferantur: & de Baſilicis, quas laïci fecerint.*
IV. *De inceſtis, ut quamdiu in ſcelere ſunt, inter catechumenos habeantur.*
V. *De his qui altario ſerviunt, ſi ſubitò carnis [c] fragilitate corruerint.*
VI. *De eo qui viduæ pœnitenti, vel religioſæ virgini ſtuprum intulerit.*
VII. *De his qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.*
VIII. *Si clericus ſervum vel diſcipulum de Eccleſia traxerit, ut pœnitentiam agat.*
IX. *De his qui rebaptizati ſunt, quantum pœniteant.*
X. *De his qui jubente Epiſcopo, [d] omiſſâ culpâ, ab Eccleſia exire contemnunt.*
XI. *De clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.*
XII. *De his qui contra Canones ordinati ſunt, ut deponantur.*
XIII. *De Catholicis, qui filios ſuos baptiſmati hæreticorum [e] dederunt.*
XIV. *De Catholicis, ut cum rebaptizatis non converſentur.*
XV. *Ut clerici cum extraneis mulieribus non habitent.*
XVI. [f] *Si ſacerdos moritur, quid de rebus Eccleſiæ obſervetur.*

a *Se abſ.* Exc.
b *Abortivum.* Exc.
c *In carnis fragilitatem inciderint* Exc.
d *Remiſſâ.* Exc.
e *Tradiderint.* Exc.
f *Cum.* Exc.

SYNODUS

HABITA IN CONVENTU ILERDENSI

Anno quindecimo [g] Theuduredi Regis, ſub die octavo menſis Auguſti.

I. *De his qui altario miniſtrant, ut à ſanguine omni abſtineant.*

1. DE his clericis qui in [h] obſeſſionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, ut qui altario miniſtrant, & Chriſti [i] ſanguinem tradunt, vel vaſa ſacro officio deputata contrectant, ut ab omni humano ſanguine, etiam hoſtili, [k] abſtineant. Quòd ſi in hoc inciderint; duobus annis, tam officio quàm [l] communione priventur: ita ut his duobus annis, vigiliis, orationibus, & eleemoſynis, pro viribus, quas Dominus donaverit, expientur; & ita demum officio vel communioni reddantur; eâ tamen ratione [*] ſervatâ, ne ulteriùs ad officia potiora [m] promoveantur. Quòd ſi [n] infra præfinitum tempus negligentiores circa ſalutem ſuam [o] extiterunt, [p] protelandi ipſius pœnitentiæ tempus in poteſtate maneat ſacerdotis.

II. *De his qui abortum faciunt, vel natos ſuos extinguunt.*

2. Hi verò, qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare ſtuduerint, vel in [r] uteris matrum, potionibus aliquibus [s] colliſerint, in utroque ſexu adulteris, poſt ſeptem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus & humilitati inſiſtant.

Si

g *Decimoquinto Theoderici ælla.* id Exc. *Diſt. 50. De his clericis qui &*
h Obſidionis. Exc.
i Corpus & ſang.
k Se abſt. Exc.
l Comm. corporis Domini privetur. Exc.
* *Deeſt.* Exc.
m Provehantur. Exc.
n In diffinito tempore. Exc. *aliàs ut noſtri.*
o Extiterint. Exc.
p Protelandæ. Exc. *Ivo p. 9. c. 102. ubi ita legitur.* De illis mulieribus, quæ malè conceptos ex adult. &c. & ita apud eundem p. 10. c. 182.
r Ventribus. Exc. *aliàs ut noſtri.* in ventre ſuo. Ivo.
s Conſumpſerint. Ivo.

Si verò clerici fuerint, officium eis miniſtrandi recuperare non liceat; attamen in choro pſallentium à tempore receptæ communionis interſint. t Ipſis veneficis in exitu tantùm, ſi facinora ſua omni tempore vitæ ſuæ defleverint; communio tribuatur.

t Ipſis autem. Exc. Vide conſtitut. Xyſti V. de hac de re.

III. *De monachis, ut clerici ordinentur cum voluntate Abbatis: & quæ monaſterio offeruntur, non auferantur: & de Baſilicis, quas laïci fecerint.*

3. De monachis verò * id obſervari placuit, quod Synodus Agathenſis * vel Aurelianenſis noſcitur decreviſſe: hoc tantummodo u adjiciendum, x ut pro Eccleſiæ utilitate, quos Epiſcopus probaverit in clericatûs y officio, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Ea verò quæ in jure monaſterii, de facultatibus offeruntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopo contingantur. Si autem ex laïcis quiſquam à ſe factam Baſilicam conſecrare deſiderat; nequaquam z ſub monaſterii ſpecie, ubi congregatio non colligitur, * vel regula ab Epiſcopo non conſtituitur, eam à diœceſana lege audeat ſegregare.

18.27. Conc. Agathēſ 16. q. 1. Cum pro util.
* Deeſt in Exc.
* Deeſt in Exc.
u Adjiciendo. Exc.
x Ut cum p. Eccl. util. aliquos. Exc.
y Off. promovendos cum. Exc.
10. q. 1. Si ex laïcis.
z Eam ſub. Exc. & Grat.
* Deſunt à Gratiano.

IV. *De inceſtis, ut quamdiu in ſcelere ſunt, inter catechumenos habeantur.*

4. De his, qui ſe a inceſta pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito cunctis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſia admittantur: cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.

3. q. 2. & 4. De his, qui inceſt. Burch lib. 7. c. 3. Ivo. p. 9 c. 29.
a Inceſtûs. Exc.

V. *De his qui altario ſerviunt, ſi ſubitò b carnis fragilitate corruerint.*

5. Hi qui altario Dei deſerviunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente, dignè pœnituerint; ita ut, mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerant; maneat in poteſtate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel, deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare: ita tamen, ut ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia ulteriùs promoveri. Quòd ſi iteratò, velut canes ad vomitum, reverſi fuerint; c non ſolùm dignitate officii careant, ſed etiam ſanctam communionem, niſi in exitu, non percipiant.

Diſt. 50. His qui altario ſancto. & 15. q. 8. Hi qui altario Dei. Burch. lib. 19. cap. 74. Ivo p. 15. c. 87. Raban. Pœnit. 1.
b In carnis fragilitatem inciderint. Exc.
Prov. 26. 2. Pet. 2. 60.
c Et veluti ſues, in volutabris luti jacuerint. Exc. Grat. & Ivo. Quæ verba nō leguntur in antiquis editionibus Conciliorum, neque 15. q. 8. Hi qui ſunt tamen apud Ivonem, & in editione Colon. IV. volum.

VI. *De eo qui viduæ pœnitenti, vel religioſæ virgini ſtuprum intulerit.*

6. Qui pœnitenti viduæ, vel virgini religioſæ vim ſtupri intulerit, ſi ſe ab eo ſequeſtrari noluerit, pariter à communione, & à Chriſtianorum conſortio ſegregetur. Si verò illa quæ vim pertulit, ad ſanctam religionem redierit; d in illo ſolo, quoadusque publicè pœniteat, datâ ſententiâ perſeveret.

d In illo ſolùm ſententia excommunicationis teneatur, quoadusque publicè pœniteat. Exc.

VII. *De his qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.*

7. Qui ſacramento ſe obligaverit, e ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio, uno anno f à communione corporis & ſanguinis Domini ſegregatus, reatum ſuum eleemoſynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis, abluat: ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, g celeriter venire feſtinet.

22. q. 4. Qui in ſacramento ſe oblig. Burch l. 12. c. 17. Ivo p. 12. c. 74. Raban. in Pœnit. c. 10. 1. Pet. 4.
e Ut litiget cum quolibet, ne ad pacem ullo modo, &c. Burch.
f A corpore & ſanguine Domini ſegregetur, & reatum ſuum jejun. & eleemoſ. abſolvat. Burch. & Ivo.
g Celeriter redeat. Burch.

VIII. *Si clericus ſervum vel diſcipulum de Eccleſia traxerit, ut pœnitentiam agat.*

8. Nullus clericorum ſervum aut diſcipulum ſuum ad Eccleſiam confugientem, extrahere audeat, vel flagellare præſumat: quòd ſi fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, ſegregetur.

17. q. 4. Nullus clericorum ſervū. Ivo lib. 3. c. 117. & lib. 6. c. 370.

c. 10. Nicænæ Synodi.

IX. *De his qui rebaptizati ſunt, quantum pœniteant.*

9. De his, qui [a] in prævaricatione rebaptizati, ſine aliqua neceſſitate vel tormento delapſi ſunt, placuit, ut circa eos illa Nicænæ Synodi ſtatuta ſerventur, quæ de prævaricatoribus [b] cenſita eſſe noſcuntur: id eſt, ut ſeptem annis inter catechumenos orent, & duobus inter Catholicos, & poſtea moderatione & clementiâ Epiſcopi, fidelibus [c] in oblatione & Euchariſtia communicent.

a In prævaricationem rebaptizati ſunt, ſi aliqua. C. A.
b Conſtituta. Exc.
c In obl. Euchariſtiæ comm. Exc.

X. *De his qui jubente Epiſcopo, [d] omiſſâ culpâ, ab Eccleſia exire contempſerint.*

d Commiſſa, fortè remiſſa. Exc. 12. q. 3. Qui jubente Exc.

10. Qui jubente ſacerdote, pro [e] quacumque culpa, ab Eccleſia exire contempſerit, [f] pro noxa contumaciæ tardiùs recipiatur.

e Qualicumque. Grat.
f Pro contumeliæ noxa. Exc. & Grat.

XI. *De clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.*

Burch. lib. 2. c. 116. Ivo p. 6. c. 291.

11. Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali exceſſu contumeliam pertulerit, à Pontifice diſtrictiùs vindicetur.

XII. *De his qui contra Canones ordinati ſunt, ut deponantur.*

12. Qui contra decreta Canonum, indiſcretè clericos uſque nunc [g] ordinaverint, eis Dominus vel ſancta Eccleſiaſtica charitas ignoſcat: amo lò verò, ſi [h] in tali auſu proruperint, decretum Canonum, quod circa eorum perſonas ſtatutum eſt, id eſt, ut nullum [i] ordinare audeant, obſervetur, vel qui deinceps ordinati fuerint, deponantur. Hi verò qui tales hactenus ordinati ſunt, nullo tempore [k] promoveantur.

g Ordinaverunt. Exc.
h In tali auſu. C. A.
i Ordinare jam audeant. Exc.
k Amoveantur, rectiùs.

XIII. *De Catholicis, qui filios ſuos baptiſmati hæreticorum dederunt.*

a Tradiderunt. Exc.

13. Catholicus, qui filios ſuos in hæreſi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Eccleſia nullatenus recipiatur.

XIV. *De Catholicis, ut cum rebaptizatis non converſentur.*

Ivo p. 1. c. 249. apud quem malè legitur: Cur reinptizatis religioſi participēt.

14. Cum rebaptizatis fideles religioſi nec in cibo participent.

XV. *Ut clerici cum extraneis mulieribus non habitent.*

15. Familiaritatem extranearum mulierum, licèt ex toto ſancti Patres antiquis monitionibus præceperint [b] Eccleſiaſticis evitandam, id nunc tamen nobis viſum eſt, ut qui talis probabitur, ſi poſt primam & ſecundam commonitionem, ſe emendare neglexerit; donec in vitio perſeverat, officii ſui dignitate privetur. Quòd ſi ſe, Deo juvante, correxerit; ſancto miniſterio reſtauretur.

b Eccleſiis. Exc. & C. A. malè.

XVI. *Si ſacerdos moritur, quid de rebus Eccleſiæ obſervetur.*

16. Licèt de re hujuſmodi, quam conſtituere ſalubri ordinatione decrevimus, priſca auctoritas Canonum nequaquam ſiluerit, ſed evidenti ſanctione præceperit, ut cujuſcumque Eccleſiæ Pontifice defuncto, non paſſim pro [c] libito ſuo, de earum rerum direptione, quas obiens derelinquit, quiſquam irruat, domumque ſubvertat; ſed ſacerdos, qui exequiarum tempore adeſt, omnia, quæ ad utilitatem & conſervationem pertinent, debeat diligenti circumſpectione munire; tamen quia hæc ipſa ſanctio (quod pejus eſt) à multis clericis [d] cognoſcitur violari ([e] ita ut occumbente ſacerdote, expectorato affectu, totaque diſciplinę ſeveritate poſthabita, immaniter quę in domo Pontificali reperiuntur, invadunt & abradunt) ideo [f] nunc hęc hujus [g] placiti, vel conſtituti inter nos cenſura, placuit cuſtodiri, ut defuncto Antiſtite, vel etiam adhuc in ſupremis agente, nullus clericorum, cujuslibet ordinis, officii, gradûſve ſit, quicquam de domo auferre [*] prę̨ſumat, [h] vel de utilitate, quę inſtrumenti domus eſſe noſci-

c Libitu ſuo, in earum rerum direptione. Exc. & C. A.
d Nunc cognoſc. Exc.
e Ita ut non jubēte. Exc.
f Id nunc hujus placiti, vel conſtitutionis. C. A.
g Plac. conſtitutione inter nos cēſoria. Exc.
12. q. 2. Hæc hujus placiti. Item in Concil. Valent. c. 2.
* Deeſt in Exc. & Grat.
h Vel quod de utilitate inſtrumēti domus eſſe agnoſcitur. Exc.

noſcitur, ideſt, [i] mobili & immobili rei Eccleſiaſticæ, conetur invadere; nihil furto, nihil vi, nihil dolo ſupprimens, auferens, atque abſcondens: ſed is cui domus commiſſa eſt, ſubjunctis ſibi [k] cum conſilio cleri, uno vel duobus fideliſſimis, omnia uſque ad tempus Pontificis ſubſtituendi [l] debeat conſervare, vel his, qui in domo inveniuntur, clericis, conſuetam alimoniam adminiſtrare. Subſtitutus autem Antiſtes, [m] ſuſcepta ea, prout deceſſor ſuus ordinavit, vel huic Deus imperavit, [n] uti cum his debeat, quos cognoverit diſciplinæ & charitati deceſſoris ſui fideliter paruiſſe. Quòd ſi quiſquam poſt hæc cujuslibet ordinis (ut ſuperiùs dictum eſt) [o] clericus, quacumque occaſione, de domo Eccleſiæ, vel de omni facultate quippiam probatus fuerit abſtuliſſe, vel forſitan dolo aliquo ſuppreſſiſſe; reus ſacrilegii, prolixiori anathemate condemnetur; & vix quoque peregrina ei communio animæ concedatur. Quia durum eſt, ut hi, quos conſtat in ſervitio Domini cum primæ ſedis Antiſtite deſudâſſe, [p] illorum, qui ſuarum rerum [q] incubatores, vel utilitatibus ſervientes atque vacantes fuiſſe noſcuntur, deſpectibus aliquatenus crucientur.

1\. Sergius in Chriſti nomine Epiſcopus, has conſtitutiones ſecundùm quod nobis cùm fratribus [*] noſtris Deo inſpirante complacuit, relegi, & ſubſcripſi.

2\. Juſtus in Chriſti nomine Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

3\. [r] Caſonius in Chriſti nomine Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

4\. Joannes in Chriſti nomine Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

5\. [s] Paternus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Barcinonenſis, acquievi & ſubſcripſi.

6\. Maurelio in Chriſti [t] nomine Eccleſiæ Dertoſanæ Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

7\. Taurus in Chriſti nomine Eccleſiæ Agarenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

8\. Februarius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Ilerdenſis, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

9\. Gratus in Chriſti nomine presbyter, directus à domino meo [u] Staſilio Epiſcopo, his conſtitutionibus interfui, & ſubſcripſi.

[i] Mobilis & immobilis. Exc.
[k] Cũ conſilio uno vel duobus fideliſſimis cler. Exc.
[l] Debet. *Grat.*
[m] Suſceptæ ſedis commoda ordinabit, velut Deus imperavit. *Exc. Grat.*
[n] Ut Deus uti cũ his debeat. Exc.
[o] Quacumque clericus occaſione de omn i facultate quippiam. Exc.
[p] Ab his qui. *Exc. & Grat.*
[q] Incubitatores, & vagantes fuiſſe noſcuntur, deſpecti. Exc.
[*] *Deeſt in Exc.*
[r] Caſtonius. Exc. Caruntius. C.A.
[s] Petrus in Chriſti nomine ſubſcripſi. Exc.
[t] Nomine Epiſcopus ſubſcripſi. Exc.
[u] Stephano. Exc. vel Staphilio Gerundenſi.

F R A G M E N T A

EX CONCILIO ILERDENSI. EX CAP. III.

17\. QUOD non oporteat à Septuageſima uſque in Octavas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam, nuptias celebrare. Quòd ſi factum fuerit, ſeparentur.

EX CONCILIO ILERDENSI CAP. VII.

18\. Frater in fratrem ſi auſus fuerit manum mittere, legitimam diſciplinam accipiat.

EX CONCILIO ILERDENSI CAP. X.

33. q. 4. Non oporteat. Burchd. lib. 9. c. 4. Ivo p. 8. c. 142.

19\. Si quis presbyter à plebe ſibi commiſſa mala opinione infamatus fuerit, & Epiſcopus legitimis teſtibus approbare non potuerit; ſuſpendatur ab officio presbyter, uſque ad dignam ſatisfactionem, ne populus fidelium in eo ſcandalum patiatur. Digna enim ſatisfactio eſt, ſi eis, à quibus reus creditur, poſt rectam ſecuritatem de impoſito crimine innocens eſſe manifeſtatur. Quod ita nobis à majoribus conſtitutum eſſe docetur. Sed ſive ſecundùm Canones, ſive ad arbitrium Epiſcopi, ſibi collegas ſeptem conjungat, & juret in ſacro coràm poſito Euangelio, quòd eum ſancta Trinitas, & Chriſtus filius Dei, qui illum fecit, & docuit quod Euangelium continet, & ſancti quatuor Euangeliſtæ, qui illud ſcripſerunt, ſic adjuvent, quòd ille prænominatam actionem ita non perpetrârit, ſicut ei de illis oblatum eſt. Et in hac ſatisfactione purgatus, ſecurè deinceps ſuum exerceat miniſterium. Quam ſatisfactionem nonnulli præcedentium Patrum ſanctum Leonem Papam in Baſilica S. Petri, coram Reverendiſſimo Cæſare Carolo, ac clero, & plebe, ita feciſſe commemorant; atque ita mox venerandum Principem, contra ejuſdem ſancti Papæ adverſarios, dignæ ultionis vindictam exercere.

Burch. lib. 2. c. 21.
2. q. 5. Presbyter. Burch. l. 2. c. 184. Ivo p. 6. c. 229.

EX CONCILIO ILERDENSI CAP. X.

20\. De his ergo viſum eſt nobis conſcribi, qui ſacros Canones habent, & ante, vel poſt ordinatio- *Burch. lib. 19. cap. 250.*

nem

nem contaminatos in capitalibus criminibus ſe eſſe profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc diſtantia eſſe debet, ut hi, qui deprehenſi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus, ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta, à gradu proprio deponantur: quia eſt ſcandalum populo Dei, tales perſonas ſuper ſe poſitas habere, quas ultra modum vitioſas conſtat eſſe. Nempe inde detrahuntur homines à ſacrificio Dei, ſicut quondam filiis Heli peccantibus feciſſe leguntur: & rebelles hinc atque contrarii exiſtentes, eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis viris, per occultam confeſſionem, mala à ſe abſconſè commiſſa coram oculis Dei, præſente etiam ſacerdote, qui eis indicturus eſt pœnitentiam, confitentur; & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant, ſi veraciter pœnituerint, & ſe per jejunia & eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes, cum lacrymis purgare certaverint; his etiam gradu ſervato, ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt; qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire; neque vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.

1. Timoth. 2.
2. Timoth. 4.

EX CONCILIO ILERDENSI CAP. XX.

Burch. lib. 3. cap. 17. Deuter. 17. Matth. 18. 2. Cor. 13.

21. Ut omnis controverſia, quæ de Eccleſiaſticis rebus fit, ſecundùm divinam legem, ſolis duobus vel tribus teſtibus terminetur. Teſtis eſt Dominus, quum dixit: Non unus ſtet contra alium, ſed, in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

EX CONCILIO ILERDENSI CAP. XX.

Diſtinct. 55. Si quis in infirm. Ivo p. 6. cap. 34.

22. Si quis in infirmitate poſitus clericus, in medicorum inciſione eunuchus efficitur, promoveri eum ad ſacros ordines non denegamus.

EX CONCILIO ILERDENSI.

23. Omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ſolummodo ad baptizandi officium habeat, quod extra Eccleſiam non deportetur. Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris, propria habeantur vaſa, in quibus nihil aliud fiat.

HÆC DUO DECRETA ADDUCIT SURIUS

ex vetuſto Cod. Ms.

24. Epiſcopi, presbyteri, diaconi relicta, ſi maritum acceperit, in fine non communicet.

Quòd non oporteat Chriſtianos euntes ad nuptias plaudere, vel ſaltare, ſed venerabiliter cœnare vel prandere, ſicut Chriſtianos decet.

NOTÆ VARIORUM IN HOC CONCILIUM.

25. ANNO *quinto decimo Theuduredi Regis*.] In aliis Mss. legitur, *Theoderici*. At neutra lectio accipienda eſt. Non prima: quia hoc tempore nullus nomine Thenduredus regnavit in Hiſpania. Nec ſecunda: quoniam Theodericus, qui regnavit aliquot annis in Hiſpania nomine Amalarici nepotis ſui, jam obierat viginti retrò annis, nimirum Chriſti DXXVI. Legendum itaque eſt: *Anno quintodecimo Theudis Regis*. Nimirum hic regnare in Hiſpania cœpit anno ſeptimo Imperii Juſtiniani, Erà DLIX. id eſt, anno Chriſti DXXXI. ac proinde annus DXLVI. quo celebrata fuit hæc Synodus, erat quintus decimus regni Theudis. Et ita dicitur in Ms. Lucenſi Conciliorum Hiſpaniæ, omnium planè codicum antiquiſſimo. Quare in editionibus Binii, Labbei, & Coſſartii perperam collocatur hoc Concilium anno DXXIV. cùm planè habitum fuerit anno DXLVI. quintodecimo regni, non Theoderici (ut ſiniſtrè adverſus Loaïſam arbitratur Binius) ſed Theudis, qui juxta S. Iſidorum ſeptemdecim annos regnavit, & menſes quinque, ac deinde obiit anno DXLVIII. Vide Chronologiam Gotthorum Hiſpaniæ Regum à nobis exhibitam Tomo I. pag. 15.

26. Unde demum conſtat, Synodum iſtam habitam fuiſſe anno quintodecimo Theudis Regis Hiſpaniæ, qui fuit Imperii Juſtiniani decimus nonus, Totilæ in Italia regnantis ſextus, Vigilii Papæ nonus, poſt Conſulatum Baſilii V. Chriſti tandem quadrageſimus ſextus ſupra quingenteſimum.

mum. Cardinalis de Aguirre.

27. *Ilerdenſe.*] Ilerda, Ilergetum, urbs in Hiſpania Tarraconenſi, de qua in Commentariis Cæſaris *De bello civili* frequens mentio: abluitur fluvio Sycore. Ejus meminere Ptolemæus lib. 2. cap. 6. Plinius lib. 3. cap. 3. Antoninus, & alii. Unum verò tantùm Ilerdenſe Concilium ab Ivone, Burchardo, & Gratiano, atque aliis Collectoribus Canonum, citatur. Sed illud mutilum ex eo videtur, quòd Burchardus lib. 7. cap. 17. viceſimum hujus capitulum adducit, quòd hîc nuſquam comparet, cùm ſexdecim tantùm habeantur. Adverte ſcribendum, *Ilerda*, non *Illerda*. Horatius:

Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

28. *In conventu Ilerdenſi.*] A Plinio *municipium*, non *conventus*, dicitur. Conventus ſunt ſeptem: Tarraconenſis, Carthaginenſis, Cæſaraugustanus, Cluníenſis, Aſturum, Lucenſis, Bracarenſis. Municipia tredecim: Saguntum, Bœtulum, Illurco, Blandæ, Emporiæ, Dertoſani, Bigargitani, Bellitani, Calagurris, Ilerda, Oſca, Tarracona, Bilbilis. Loaisa.

IN CANONEM QUINTUM.

29. Utinam Canonem iſtum, reverà difficilem intellectu, & conciliatu cum diſciplina antiqua Hiſpaniæ, immo & totius Eccleſiæ priſcis ſæculis, explanâſſent nobis doctiſſimi interpretes Loaïſa, Binius, & alii. Sed intactum reliquerunt: ſive quia non comparârunt illum cum aliis ſacris Canonibus de eadem re; ſive quia noluerunt in ſe recipere examen ac reſolutionem difficultatis graviſſimæ, quæ oritur ex verbis & ſenſu ipſius. Sed tamen in decurſu hujus voluminis opportuniori loco ſenſum illius examinabimus, accurata Diſſertatione in Canones Conciliorum Toletanorũ III. & IV. ubi de criminibus, propter quæ olim, præſertim in Hiſpania, incurrebatur irregularitas, ſive perpetuũ impedimentum ad ordines recipiendos & exercendos. Ibidem multa circa Canonem iſtum proferemus, quæ hîc loci non vacat examinare prò rei dignitate. Card. de Aguirre.

AD CANONEM XVI.

30. *Vix quoque peregrina ei communio concedatur.*] Communio corporis & ſanguinis Chriſti non uno eodemque modo omnibus fidelibus tradebatur, unde diverſis quoque nominibus appellatur. *Sacerdotalis communio* dicitur quam ſacerdos ſumit, in Concilio II. Arelatenſi Canone X. & *Eccleſiaſtica* in Concilio Aurelianenſi IV. Can. X. *Laïca*, de qua frequens mentio eſt, præſertim in Eliberitano Concilio cap. 76. & Sardicenſi Can. I. Quid verò ſit clericum laïcam communionem accipere, explicat Canon Apoſtolorum decimus quintus, his verbis: *Tanquam laicus ibi communicet*. Et Toletanum Concil. I. cap. 4. *Inter laïcos reconciliatus per pœnitentiam communicet*. Item Cornelius Papa Epiſt. ad Fabium Antiochenum, Euſebius lib. 6. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 35. Niceph. lib. 6. cap. 3. Sanctus Cyprianus lib. 1. Epiſt. IV. de Martiale & Baſilide. Nam hoc certum eſt, quòd orabant, & communicabant laïci extra cancellos per miniſterium Archidiaconi, ut conſtat ex Concilio Toletano IV. cap. 18 & Bracar. I. cap. 13. ubi ſic dicitur: *Item placuit, ut intra ſanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laïcis, viris vel mulieribus, niſi tantùm clericis, ſicut antiquis Canonibus ſtatutum eſt*. Epiſcopi verò, & ſacerdotes, & clerici orabant & communicabant intra cancellos, per miniſterium Epiſcopi, vel ſacerdotis, ut patet ex Synodo Nicæna Canone XIV. & Laodicenſi cap. 19. & Sexta Synodo in Trullo Canone LXVIII. Quod divus Ambroſius factum in pœnitentia Theodoſii ſimiliter affirmat. Ordinem ſtandi in templo invenies in Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 2. cap. 57. Dicitur etiam *peregrina communio* in Concilio Agathenſi Can. II. & Gratiano cap. *Clerici*. 13. quæſt. 2. & diſt. 50. cap. *Contumaces*: ubi Gloſſa: *Peregrina, quæ aliàs dicitur laïca*. Ibi Archidiaconus, & Turre-cremata, & Dominicus non ſatis aſſequuntur quid ſit peregrina communio: ſed exiſtimo laïcam & peregrinam communionem idem eſſe, nullumque diſcrimen inter utramque verſari. Nam duo tantùm ordines communicandi erant, clericorum & laïcorum: peregrinus autem ſuperveniens, aut inter clericos, aut inter laïcos habebat locum; ex Concilio Carthaginenſi III. cap. *Epiſcopi vel presbyteri*. Aliter ſentit Lindanus, vir doctiſſimus, in *Panoplia* lib. 4. cap. 58. Loaisa.

In ſubſcriptiones.

31. Subſcribunt in Concilio Sergius, qui erat Metropolitanus Tarraconenſis, ut dicitur in Canonibus Barcinonenſibus, & colligitur ex verbis ſubſcriptionis: *Cum fratribus noſtris*. Juſtus erat Urgelitanus, Caſonius ſeu Caſtorius Empuritanus, Joannes Cæſaraugustanus, Maurelio Dertoſanus, Februarius ſucceſſit Andreæ Ilerdenſi, Staſilius Gerundenſis per procuratorem ſubſcribit, Paternus ſucceſſit Nebridio Barcinonenſi. Loaisa.

CONCILIUM VALENTINUM SEX EPISCOPORUM,

HABITUM ERA DLXXXIV.

ID EST ANNO CHRISTI DXLVI.

TITULI.

I. *Ut Euangelium poſt Apoſtolum legatur.*

II. *Ut defuncto Epiſcopo, de rebus ipſius vel Eccleſiæ nullus quicquam* [a] *præſumat.*

III. *Ut propinqui morientis Epiſcopi de rebus ejus nihil uſurpent, ſine Metropolitani & Comprovincialium conſcientia.*

IV. *De exequiis morientis Epiſcopi, & qualiter humetur.*

V. *De vagis & inobedientibus clericis.*

VI. *Ut clericum alienum nullus ordinet: nec ſit clericus, qui non* [b] *ſpoponderit locum, ubi ſit delegatus.*

a Præſum. invadere. Exc.

b Spondeat. Exc.

I. *Ut Euangelium poſt Apoſtolum legatur.*

1. ANNO decimo quinto Theodorici Regis, ſub die 11. Non. [c] Decembr. in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Valentiæ in Concilio congregati, [d] cùm de Eccleſiaſtica regula tractaremus, antiquos Canones relegentes, inter cætera, [e] hæc cenſuimus obſervandum; ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem, [f] vel Miſſam catechumenorum, in ordine lectionum, poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, [g] vel ſermonem ſacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui [h] ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad Fidem adtractos evidenter ſcimus.

c Aliàs pridie Non.
d Dum Eccleſiaſticas regulas. Exc.
e Hoc. Exc.
f In Miſſa. Exc.
g Sermones. Exc.
h E. Exc.

II. *Ut defuncto Epiſcopo, de rebus ipſius vel Eccleſiæ nullus quicquam* [i] *præſumat.*

i Præſum. invadere. Exc.

2. Hoc etiam placuit, ut Epiſcopo ab hoc ſæculo, jubente Domino, accerſito, clerici ab omni omnino ſupellectili, vel quæcumque ſunt in domo Eccleſiæ vel Epiſcopi, in libris, in ſpeciebus, utenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abſtineant, & nihil latronum more diripiant. Qui ſi nec Canonum auctoritate [k] cohibiti fuerint; omnia quæ pervaſerint, Metropolitani, vel omnium comprovincialium Sacerdotum diſtrictione coacti, in priſtinum ſtatum [l] reddere integra cogantur: ut nihil Antiſtiti, vel diſpenſatori futuro, neceſſariorum, ſub hac juſta conſtitutione, depereat. Quod ut confidentiùs, juſtitia monente, ſervetur, ſecundum Rhegienſis Synodi conſtituta, Epiſcopo [m] à corpore recedente, vicinior illi accedat Epiſcopus; qui, ex more exequiis celebratis, ſtatim Eccleſiæ ipſius curam diſtrictiſſimè gerat; ne quid ante ordinationem futuri Pontificis, [n] inhiantium clericorum ſubverſioni vel direptioni jam liceat. Ita ut [o] de repertis omnibus inſpectior cenſitio, deſcriptioque fideliſſima (ſi fieri poteſt) intra octavas defuncti, ſub diligentia præſentis Epiſcopi peragatur. [p] Dehinc ad Metropolitani notitiam habita [q] ordinatio vel deſcriptio deferatur: ut ejus electione talis perſona ordinandæ [r] domûs Eccleſiaſticæ procuretur, quæ vel conſueta clericis ſtipendia diſpenſet, & creditarum ſibi rerum (ſi forſitan tarditas in Epiſcopo ordinando ſucceſſerit) Metropolitano congruis temporibus reddere poſſit rationem: ut ſub hac ſalubri conſtitutione, clerici ſtipendiis ſuis omnino contenti, labores non diripiant Epiſcopi decedentis, & in vacuam Eccleſiæ domum futurus Pontifex, non ſine dolore, ſuccedat; ſed magis de prædeceſſoris ſui dimiſſo poſſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare.

k Prohibiti. Exc.
l Redintegrare cog. Exc.
m E. Exc. cap. 5. Regienſ. Synodi.
n Remanentium cleric. Exc.
o Directis hominibus inſpectio certior, & deſcriptio fidel. Exc.
p Ac dehinc. Exc.
q Ordinatè deſcriptio defer. Exc.
r Domui. Exc.

III. *Ut propinqui morientis Epiſcopi de rebus ejus nihil uſurpent, ſine Metropolitani aut comprovincialium conſcientia.*

3. Simili quoque modo, parentibus & propinquis decedentis Epiſcopi, ſi inteſtatus obierit, denuncietur, ut ſine Metropolitani, vel comprovincialium ſacerdotum conſcientiâ, nihil de rebus defuncti [s] occupare pertentent; ne fortè [t] in hæreditariis rebus, etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia, vel permiſta uſurpent; ſed aut uſque ad ordinationem futuri exſpectent Antiſtitis, aut certè, ſi longum fuerit, ad Metropolitani (ut dictum eſt) ordinationem recurrant. Si quis autem [u] immemor divini timoris, contra hæc [x] ſancita ſynodica clericus quiſquam, vel laïcus venire improba mente tentaverit; & communione, & conſortio privetur Eccleſiæ: quia durum eſt, ut ad illam conveniat, quam exſpoliare non metuit. Niſi fortè ſpiritu meliore [y] correctus, dum à præſumptione ceſſaverit, recuperet indulgentiam. Si autem rationabiliter modeſteque unuſquiſque repetit, quod ſibi jure debetur, ei, abſque aliqua animadverſione, à Metropolitano, vel cui injunxerit, aut res, aut ratio non negetur. Hoc [z] etiam omnes Canone conſtringendi, qui in præteritum res Eccleſiæ, vel Epiſcopi uſurpantes diripuerint.

s In aliis Mss. aucupare.
t Cum. Exc.
u Contemptor. Exc.
x Sancta. Exc.
y Correptus. Exc.
z Hoc etiam Canone omnes conſtring. qui tam in præterit. quàm in futur. res Ecc. Exc.

IV. *De exequiis Epiſcopi: qualiter humetur.*

4. Illud etiam provido conſilio decretum eſt, ut quia ſæpè ſanctorum Antiſtitum, per abſentiam Commendatoris Epiſcopi, exequiæ differuntur; ita ut veneranda Pontificis membra, dum tardiùs funerantur, injuriæ omnino ſubjaceant; Epiſcopus, qui poſt mortem fratris ad ſepeliendum eum ſolet invitatus occurrere, infirmum magis, & adhuc in corpore poſitum, admonitus viſitare non differat; ut aut de * relevatione Conſacerdotis ampliùs gaudeat, aut certè de ordinatione domus ſuæ fratrem admoneat, ejuſque probabilem voluntatem in effectum tranſmittat, ac recedentem à ſæculo, poſt oblatum in ejus commeodatione ſacrificium Deo, mox ſepulturæ tradat diligentiſſimè, & ſuperiùs conſtituta [a] canonica non differat adimplere. Si [b] autem, ut fieri ſolet, Antiſtes obitu repentino diſceſſerit, & conlimitanei [c] ſacerdotes de longinquo minimè adeſſe potuerint; uno die tantùm [d] cum nocte exanimatum corpuſculum Sacerdotis maneat; non ſine fratrum ac religioſorum frequentia, vel pſallentium excubatione ſervatum, à presbyteris, cum omni diligentia, in [e] loculo conditum ſeorſum, non ſtatim humetur, ſed honorificè commendetur; donec ſine mora, invitatu undecumque [f] Pontifice, ab ipſo, ut condecet, ſolenniter tumuletur, ut & injuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus obſervetur.

* Revelatione.
a Canonicè. Exc.
b Autem Antiſtes
c Sacerd. (ut fieri ſolet) de longinquo. Exc.
d Cum ſua nocte. Exc.
e Loco. Exc.
f Poſt Sacerdotis corpus ab ipſo. Exc.

V. *De vagis & inobedientibus clericis.*

5. Hoc etiam placuit, ut vagus atque inſtabilis clericus, ſive etiam in diaconi miniſterio, vel presbyteri officio conſtitutus, ſi Epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum; quouſque in vitio permanſerit, [g] à communione, & honore privetur.

g Et. Exc.

VI. *Ut clericum alienum nullus ordinet, nec ſit clericus, qui non [h] ſpoponderit locum, ubi ſit delegatus.*

h Spondeat. Exc.

6. Ut nullus alienum clericum, ſecundum decreta Canonum, ſine conſenſu Epiſcopi ſui audeat ordinare. Sed nec illum ſanctorum ſacerdotum quiſpiam ordinet, qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit: ut per [i] hoc nullus à regula vel diſciplina Eccleſiaſtica deviare permittatur impune.

i Hæc. Exc.

1. Celſinus [k] in Chriſti nomine Epiſcopus, * hæc capitula ſubſcripſi.
2. Juſtinus in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi.
3. Reparatus in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi.
4. Setabius in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi.
5. Benagius in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi.
6. Ampelius in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi.
7. Saluſtius Archidiaconus, vicarius domini mei Marcellini Epiſcopi, ſubſcripſi.

k Celſivus. Exc.
* Deſunt ubique. Exc.
* *Hæ ſubſcriptiones in exc. corruptæ & mutilatæ ſunt.*

FRAGMENTA,

Quæ citantur ex Concilio Valentino; ſive id Hiſpanum, ſive Gallicanum ſit.

CAP. III.

Burch. lib. 3. cap. 140. CLERICI, etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamentis relictas retinere præſtiterint, aut id, quod ipſi donaverint Eccleſiis vel monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur.

CAP. IV.

Burch. lib. 3. cap. 141. Qui oblationes defunctorum, aut negant Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

CAP. XVI.

Burch. lib. 3. cap. 26. Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam catechumenorum.

CAP. L.

Burch. lib. 3. cap. 170. Irrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel communicatio, abſque eorum collaudatione & ſubſcriptione.

CAP. CI.

Burch. lib. 9. cap. 5. Sponſus & ſponſa quum benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus vel à paranymphis in Eccleſia ſacerdoti offerantur: & cùm benedictionem acceperint, eâdem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.

NOTÆ VARIORUM IN CONCILIUM VALENTINUM.

7. VALENTINUM.] Civitatis Valentiæ in Hiſpania meminit Ptolemæus lib. 2. cap. 5. & Plinius lib. 3. cap. 3. *Valentia* (inquit) *colonia tria millia paſſuum à mari Mediterraneo remota*. De ea Pomponius Mela lib. 2. cap. 6. & Itinerarium Antonini. Fuit hoc Concilium celebratum ſub Symmacho Papa: ejus mentio habetur in VII. Concilio Toletano cap. 3. Tres ſunt in Hiſpania Valentiæ: prima in ore maris Mediterranei, celebre & nobile oppidum, in quo actum eſt hoc Concilium; Sedes hodie Archiepiſcopalis: altera Valentia de Don-Juan, in diœceſi Palentina: tertia Valentia de Alcantara, in diœceſi Caurienſi: neque hæc obſcura oppida. LOAISA.

8. *Anno quintodecimo Theoderici Regis.*] Legendum abſdubio *Theudis*, ſeu *Theudıredi*, uti obſervavimus paullò antea circa Concilium Ilerdenſe celebratum in Hiſpania eodem anno. Vide quæ ibidem dicta ſunt, ne eadem repetere nullo operæ pretio cogamur. Mirum autem eſt, Loaïſam, virum doctiſſimum, verbis nuper exſcriptis adeò hallucinatum fuiſſe, ut cùm jam ſtatutam antea relinqueret epocham hujus Concilii anno Chriſti DXLVI. dicat modò fuiſſe celebratum ſub Symmacho Papa. Hic nimirum jam obierat anno DXIV. id eſt trigiuta duobus annis antea. Supereſt itaque, ut hoc Concilium, ſicut & Ilerdenſe paullò antea exſcriptū, fuerit coactum anno Liberii Papæ nono, poſt Conſulatum Baſilii V. Imperii Juſtiniani XIX. qui accidit anno Chriſti DXLVI. Ex quibus obiter colliges, pariter hallucinatum fuiſſe Binium, dum hoc loci impugnat Loaïſam ex fundamento æquè inani.

9. *Antiques Canones relegentes.*] In omnibus Hiſpaniæ Conciliis morem fuiſſe, ut Codex Canonum initio legeretur, conſtat ex Actis ipſorum variis locis, atque ex hiſce verbis. Nimirum ita patet ex Bracarenſi I. verbis illis: *Relecti ex Codice coram Concilio, tam Generalium Synodorum Canones, quàm Localium*. Et in Toletano IV. cap. 4. *Diaconus albâ indutus, Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet*. Ac propterea Concilia Hiſpa-

ſpaniæ ſemper & ubique in magna æſtimatione fuerunt, veluti maturè celebrata ad præſcriptum & amuſſim ſacrorum Canonum. CARDINALIS DE AGUIRRE.

10. AD CAPUT I. *In Miſſa catechumenorum.*] Catechumeni ante oblationem corporis &, ſanguinis Chriſti extra templum ejiciebantur, dicto Euangelio. Idque conſtat ex Dionyſio Areopagita lib. *De cæleſti Hierarchia*, cap. 3. tertiæ partis, & ex Concil. Laodic. Can. XIX. & Clemente lib. 8. *Conſtit. Apoſtol.* cap. 12. Tertulliano *De præſcript. adverſus hæreticos*, S. Athanaſio in *Apolog.* II. contra Arianus, Cyrillo Alexandrino lib. 12. *in Joannem*, cap. 50. & ex aliis. Catechumenus, & audiens appellabatur: quia ut Fide imbueretur, humiliter ſacramenta Religionis, & Domini præcepta ex ore ſacerdotis audiebat. Auguſtinus lib. *De Fide & operibus*, cap. 6.

11. *Poſt Apoſtolum legatur.*] Qua ratione in munerum illatione Epiſtola ante Euangelium legatur, adnotat Rupertus lib. 1. cap. 32. & Innocentius cap. 29. Alcuïnus *De celebratione Miſſæ*, Simon Theſſalonicenſis in lib. *De myſteriis Miſſæ*, cap. 22. Walafrid. *De rebus Eccleſiaſticis*, cap. 22. *Anteponitur* (inquit) *in ordine Epiſtola Euangelio, atſi inferior dignitate; ut ex minoribus animus audientium ad majora ſentienda proficiat, & gradatim ab imis ad ſumma conſcendat.* LOAISA.

12. AD CAPUT II. & III. Quod hoc loco ſtatuitur circa bona quæque ab Epiſcopis morientibus relicta, & intacta Eccleſiæ atque illius ſucceſſori cuſtodienda, quin ab aliquo clerico aut laïco uſurpentur; juſtum eſt, & obſervatu digniſſimum. Ac meritò quidem timeri poteſt, ubi Epiſcopi plurimi, præſertim divites, aut inteſtati moriuntur, quammultos clericorum laïcorumque clam aut palam abſcondentes aut uſurpantes bona ipſorum, æternam damnationem incurrere: quoniam errore quodam craſſo exiſtimant, eam ablationem non eſſe injuſtam, nec obſtringere ad reſtitutionem. Unde illam non facientes in re, neque in voto, permanent ſemper ſub macula ejus criminis, illudque conjungunt tandem impœnitentiæ finali.

13. Quod autem ibidem dicitur circa id malum vitandum, *ſecundùm Rhegienſis Synodi ſtatuta*, videtur indicare, Concilium iſtud non fuiſſe celebratum in Valentia Hiſpaniæ, tribus milliaribus, ſive leucâ unâ Hiſpanicâ diſtante à mari Mediterraneo: ſed potiùs in Valentia Galliæ: utpote vicina Rhegienſi urbi, in qua coacta fuit ea Synodus.

14. Aliunde autem urget quòd celebratum fuerit anno quintodecimo Theodorici, ſeu potiùs Theudis Hiſpaniæ Regis, ut Acta perhibent. Quo ſatis declaratur fuiſſe habitum in Hiſpania. Neque obſtat conjectura illa in oppoſitum: cùm contingere potuerit, & ſolitum præterea fuerit, ut Concilia Provincialia alicujus regionis aut regni, laudēt alia tū proximè, tum remotè celebrata, præſertim Orientalia, Africana, Gallicana, aut Hiſpanica. Nihil vetat ut Concilium præſens in Valentia Hiſpaniæ fuerit celebratum, & in eo laudatum ſit aliud antea habitum apud Rhegium, Galliæ urbem. Eligat Lector alterutrum per me licet. CARD. DE AGUIRRE.

15. AD CAPUT IV. *Mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus.*] Sepulturam & exequias mortuorum maximâ obſervantiâ coluerunt antiqui Patres; quaſi argumentum, evidenſque præſagium reſurrectionis corporum; & in honorem organi, quo Spiritus ſanctus ad officia pietatis eſt uſus, dum illud corpus defunctum vitam ageret. Unde Concil. Bracar. I. cap. 16. his qui ſibi inferunt mortem, commemorationem in oblatione negat, & officium pſalmorum in funere: idem de catechumenis cap. 17. Neque uno eodemque modo funeris ritus & cæremoniæ apud Chriſtianos fuerunt, ſed pro diverſitate ſtatûs, dignitatis, & ordinis, alius Præſulis, alius ſacerdotis, alius laïci Chriſtiani juſta ſolvendi modus, diverſæque cæremoniæ; & ſicuti in vita, ita in morte diſcrepans cultus & religio corporibus tributa. Fuit interdictum Chriſtianis intra templa ſepeliri: ut de Imperatoribus Conſtantinopolitanis (quorum corpora extra Eccleſiam pendebant) refert Chryſoſtomus Homil. 66. ad populum Antiochenum; præſertim de Conſtantino Magno, cujus corpus pro foribus Piſcatoris, ut janitor, excubias agebat: & de Theodoſio Juniori & Arcadio tradit Nicephorus lib. 14. cap. 58. & miraculum inſigne de hac re refert Gregorius Magnus lib. 4. *Dialog.* cap. 53. Verùm hoc quod Imperatoribus fuit negatum, ſacerdotibus fuit indultum, ex Euagrio lib. 4. cap. 30. De hac re multa ab antiquis & neotericis ſcriptoribus adverſus hæreticos traduntur, qui in vivos & mortoos Catholicos Chriſtianos bellum immane gerunt.

16. Sed pro decreto deſcribam locum D. Auguſtini lib. 1. *De civitate Dei*, cap. 13. *Non ſunt contemnenda* (inquit) *& abjicienda corpora defunctorum; maximè juſtorum atque fidelium, quibus tanquam organis ac vaſis ad omnia bona opera, ſanctus uſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid ejuſmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes major affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multò familiariùs atque conjunctiùs quàm qualibet indumenta, geſtamus.* Et infrà: *Unde & antiquorum juſtorum funera officioſa pietate jurata ſunt, exequia celebrata, & ſepultura proviſa: ipſique dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandaverunt.* Hæc & alia Auguſtinus, præſertim in libro *De cura pro mortuis agenda.* LOAISA.

CONCILIA BRACARENSIA SUB REGIBUS SUEVORUM.

Series Suëvorum Regum, ſub quibus Concilia Bracarenſia habita ſunt.

NIMIRUM computata ab illo ſuperiùs exſcripto ad annum Chriſti CDXI. ſub Pancratio Præſule Bracarenſi (quod ineunte hoc ſæculo noſtro detectum fuit) uſque ad Concilium I. & II. Bracarenſe toties antea edita, & modò recudenda. Fluxerunt enim interea centum ſeptuaginta circiter anni: alioqui inter hæc duo Bracarenſia, ſtatim exhibenda, ſolùm fluxêre anni plus minus duodecim.

Era Cæſaris	Anno Chriſti	
CDXLVI.	CDVIII.	Theodemirus regnavit ann. XXXII.
CDLXXVIII.	CDXL.	Rechila ann. VII.
CDLXXXVI.	CDXLVIII.	Recciarius ann. IX.
CDXCV.	CDLVII.	Maldra ann. III.
CDXCVIII.	CDLX.	Frumarius ann. IV.
		Remismundos, qoi cum tota gente, Ariana hæreſi infectus fuit: in qno errore gens illa per annos ferè centum perſeveravit: quo tempore Reges non reperiuntur; quippe indigni ut eorum repetita maneat memoria.
DXCVI.	DLVIII.	Theodemirus, ſeo Ariamirus, Catholicus, ano. VI. Conciliom Bracarenſe I. ſub eo habitum, & Locenſe: regnavit annis duodecim.
DCVIII.	DLXX.	Miro aonos XIII. Coocilinm Bracareoſe ſecundum.
DCXX.	DLXXXII.	Eboricus.
		Andeca tyrannus.

Suëvorum regnum deletum eſt tempore Leovigildi Gotthorum Regis, poſtquam regnaverunt in Hiſpania annis centum ſeptuaginta ſeptem: ut auctor eſt Iſidorus.

SYNODUS BRACARENSIS I.

REGNANTE D. N. JESU CHRISTO,

Currente Erâ DXCIX. anno tertio Ariamiri Regis, die Kalendarum Majarum.

Nimirum anno CHRISTI DLXI.

a Gildericus. Exc.

CUM Gallicię provinciæ Epiſcopi, Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, [a] Ildericus, Lucentius, Timotheus, Malioſus, ex præcepto præfati glorioſiſſimi Ariamiri Regis, in Metropolitana ejuſdem provinciæ Bracarenſis Eccleſia conveniſſent; conſidentibus ſimul Epiſcopis, præſentibus qooque presbyteris, adſtantibnſque mioiſtris, vel univerſo clero, Lucretius memoratæ Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus dixit:

b Quia. Exc.
c Opportunum. Exc.
Ephes. 4.

1\. Din eſt, ſanctiſſimi fratres, qnòd ſecundùm inſtituta venerabilium Canonom, & decreta Catholicæ & Apoſtolicæ diſciplinæ, deſiderabamos ſacerdotalem inter nos fieri debere conventum; [b] qui non ſolùm Eccleſiaſticis regulis & ordinibus [c] opportunus eſt, ſed etiam ſtabilem ſemper efficit charitatis fraternæ concordiam: dnm congregati ſimul in nomine Domini ſacerdotes, ea inter ſe ſalutifera collatione requirunt, quæ ſecundùm doctrinam Apoſtolicam, unitatem ſpiritus in vinculo pacis obti-

obtineant. Nunc igitur, quoniam optatum nobis hujus congregationis diem glorioſiſſimus atque piiſſimus filius noſter, adſpirante ſibi Domino, regali præcepto conceſſit, [d] & ſimul poſiti [e] conſidemus; priùs, ſi placet, de [f] ſtatutis Fidei Catholicæ perquiramus: tunc deinde ſanctorum Patrum inſtituta, recenſitis Canonibus, innoteſcant: poſtremò quædam etiam, quæ ad obſequium Dei, vel officium pertinent clericale, diligentiùs pertractentur: ut ſi qua fortaſſe per ignorantiæ deſidiam, vel per [g] longi temporis incuriam, aut varia inter nos habentur, aut dubia, ad unam, ſicut decet, rationis aut veritatis formulam revocentur.

d Ut. *Exc.*
e Conſideremus. *Exc.*
f Statu. *Exc.*
g Longinqui. *Exc.*

Omnes Epiſcopi dixerunt: Proſecutio tuæ beatitudinis juſta eſt: ea namque de cauſſa convenimus, ut aliqua nobis Eccleſiaſticæ conſtructionis utilitas commodetur.

2. Lucretius Epiſcopus dixit: Priùs ergo de ſtatutis Fidei, ſicut ſuperiùs dictum eſt, conferamus. Nam licèt jam olim Priſcillianæ hæreſis contagio in Hiſpaniarum provinciis detecta ſit, & damnata; ne quis tamen, aut per ignorantiam, aut aliquibus, ut aſſolet, ſcripturis deceptus apocryphis, aliquâ adhuc ipſius erroris peſtilentiâ ſit infectus, manifeſtiùs ignaris hominibus declaretur; qui in ipſa extremitate mundi, & ultimis hujus provinciæ regionibus conſtituti, aut exiguam, aut penè nullam rectæ eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem veſtræ beatitudinis fraternitatem nôſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus [a] nefandiſſima Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſſimus Papa urbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè exſtitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per * Turibium notarium ſedis ſuæ, ad Synodum Galliciæ, contra impiam Priſcilliani ſectam, ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenſes & Carthaginenſes Epiſcopi, [b] Luſitani quoque & Bætici, facto inter ſe Concilio, regulam Fidei contra Priſcillianam hæreſim, cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balconium, tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem, direxerunt. Unde, quia & ipſum præſcriptæ * Fidei exemplar, cum ſuis capitulis, præ manibus hîc habemus; pro inſtructione ignorantium, ſi veſtræ placet reverentiæ, recitetur.

a Nefandiſſimæ. *Exc.*
* *Vide Concil. Tolet. II. Epiſtol. Montani Epiſcopi ad Thoribium. Nam de illo ſit mentio.*
b Luſitaniæ quoque & Baticæ. *Exc.*
* *De hac regula Fidei, vide quæ notata ſunt in I. Toletano.*

Omnes Epiſcopi dixerunt: Valdè neceſſaria horum capitulorum eſt lectio: ut dum ſimplicioribus quibuſque priſtina ſanctorum Patrum [c] ſtatuta panduntur, abominata jam olim à ſede beatiſſimi Petri Apoſtoli & damnata [d] Priſcilliani hæreſis figmenta [e] cognoſcant.

c Inſtituta. *Exc.*
d Priſcillianæ.
e Cognoſcantur. *Exc.*

3. Lectum eſt exemplar Fidei cum capitulis ſuis: quæ, ne prolixitatem facerent, his geſtis minimè ſunt inſerta.

Poſt lectionem capitulorum omnes Epiſcopi dixerunt: Licèt horum capitulorum lectio neceſſaria recenſita ſit; tamen evidentiùs & ſimpliciùs ea quæ ſunt exſecrabilia, ita prepoſitis etiam capitulis modò declarentur, ut qui minùs eſt eruditus intelligat; & ſic ſub anathematis ſententia exploſa jam olim Priſcilliani erroris figmenta damnentur. Ut quiſquis clericus, vel monachus, ſive laïcus, tale aliquid ſentire adhuc vel defendere fuerit deprehenſus, tanquam verè putre membrum continuò de corpore abſcindatur Catholicæ Eccleſiæ: [a] ne aut ſocietas ejus maculam ſuæ pravitatis rectè credentibus ingerat, aut ampliùs de permiſtione talium, aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

a Ne aut ſocietatis, ſive pravitatis ejus macula à rectè credentibus. *Exc.*

4. Propoſita contra Priſcillianam hæreſim capitula & relecta continentur hæc:

I. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non confitetur tres perſonas unius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica & Apoſtolica Eccleſia docet; ſed unam tantùm dicit, & ſolitariam eſſe perſonam; ita ut ipſe ſit Pater qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

II. Si quis extra ſanctam Trinitatem, alia neſcio quæ divinitatis nomina introducit, dicens [b] quòd in ipſa divinitate ſit Trinitas Trinitatis, ſicut Gnoſtici & Priſcilliani dixerunt; anathema ſit.

b Quòd ipſa divinitas ſit Trinitas, ſicut. *Exc.*

III. Si quis Filium Dei Dominum noſtrum, antequam ex Virgine naſceretur, non fuiſſe, ſicut Paullus Samoſatenus, & Photinus, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

IV. Si quis natalem Chriſti ſecundùm carnem non bene honorat, ſed honorare ſe ſimulat; jejunans in eodem die, & in Dominico; quia Chriſtum in vera * hominis natura natum eſſe non credit, ſicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & [c] Priſcillianus; anathema ſit.

* *Deeſt in Exc.*
c Priſcilliani dixerunt. *Exc.*

V. Si quis animas humanas, vel angelos, ex Dei credit ſubſtantia exſtitiſſe, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

VI. Si quis animas humanas dicit priùs in cœleſti habitatione peccâſſe, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, ſicut Priſcillianus dixit; anathema ſit.

VII. Si quis dicit, diabolum non fuiſſe priùs bonum angelum à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus; ſed dicit, eum * ex chao & tenebris emerſiſſe; nec aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum [d] eſſe principium atque ſubſtantiam mali, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

* *Deſunt in Exc.*
d A ſe principiū. *Exc.*

VIII. Si quis credit [e] quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit; & tonitrua, & fulgura, & tempeſtates, & ſiccitates ipſe diabolus ſua auctoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit; anathema ſit.

e Quòd. *Exc.*

IX. Si quis animas & corpora humana [a] fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

a Fatali ſigno. *Exc.*

X. Si qui duodecim ſigna, [b] quæ Mathematici obſervare ſolent, per ſingula animæ vel corporis membra [c] diſpoſita credunt, & nominibus Patriarcharum adſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit; anathema ſit.

b In nonnullis Mss. ita est: Signa de ſideribus, quæ. *Exc.*
c Diſſipata. *Exc.*

XI. Si quis conjugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

XII. Signis

XII. Si quis plaſmationem humani corporis diaboli dicit eſſe figmentum, & conceptiones in uteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari; propter quod & reſurrectionem carnis non credit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

a Malorum. Exc.

XIII. Si quis dicit creationem univerſæ carnis, non opificium Dei, ſed a malignorum eſſe angelorum, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

e Quas. Exc.
f Sui corpor. Exc. C. A.
Conc. Elliber. Can. XXVII. & Conc. Tolet. Can. XV.
* Deſunt in Exc.
g Vel etiam quæ proxima conſanguinitate junguntur, aliàs. Exc. & C. A.
h Vocatur. Exc.
* Deſunt in Exc.
i Et ſuo. Exc.
k Confinxit. Exc.

XIV. Si quis immundos putat cibos carnium, quos e Deus in uſus hominum dedit; & non propter afflictionem f corporis, ſed quaſi immunditiam putans, ita abſtineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prægustet, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.

XV. Si quis clericorum vel monachorum * præter matrem, aut germanam, vel thiam, g vel proximam ſibi conſanguineam junguntur, aliaſque aliquas adoptivas fœminas ſecum retinent, & cum ipſis cohabitant, ſicut Priſcilliani ſecta docuit; anathema ſit.

XVI. Si quis quintâ feriâ Paſchali, quæ h eſt Cœna Domini, horâ legitimâ, poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet; ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius diei, ab hora tertia, per Miſſas defunctorum, ſoluto jejunio colit; anathema ſit.

XVII. Si quis ſcripturas, quas Priſcillianus ſecundùm ſuum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii, quos ipſe Dictinius antequam converteretur, ſcripſit, * vel quæcumque hæreticorum ſcripta ſub nomine Patriarcharum, Prophetarum, vel Apoſtolorum i ſuo errori conſona k confinxerunt, legit, & impia eorum figmenta ſequitur, aut defendit; anathema ſit.

5. Propoſitis his capitulis, & relectis, Lucretius Epiſcopus dixit:

a Etiam ea. Exc.
b Abominata & damnata. Exc.
c Hoc edictum & obſerva. Exc. Aliàs dictum.

Quoniam a ea quæ à Catholicis b abominanda ſunt & damnanda manifeſtiùs & apertiùs etiam ignorantibus declarata ſunt; neceſſarium poſt hoc arbitror, ſi veſtræ fraternitati videtur, ut inſtituta nobis ſanctorum Patrum, recenſitis antiquis Canonibus, innoteſcant. Quæ etſi non omnia, certè vel pauca quædam, quæ ad inſtructionem clericalis diſciplinæ pertinent, relegantur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet c quod dictum eſt, & congrua res eſt, ut quibus fortaſſe per incuriam abolita ſunt Eccleſiaſtica conſtituta, audiant ſanctorum Canonum regulam, & obſervent.

6. Relecti ex Codice coram Concilio tam Generalium Synodorum Canones, quàm Localium.

d Expetebat. Exc.
1. Theſſ. 5.

Poſt quorum lectionem Lucretius Epiſcoput dixit: Ecce ex ipſa Canonum lectione agnoſcat ſancta fraternitas veſtra, non ſolùm in Generalibus Conciliis, ſed etiam in Localibus congregatos ſimul ſacerdotes, uno conſenſu, ea quæ Eccleſiaſtico conveniebant ordini, ſtatuiſſe, & ſecundùm quod uniuſcujuſque rei d exigebat ratio, proſpexiſſe; ſequentes ſententiam doctrinæ Apoſtolicæ, dicentis: *Probate quæ bona ſunt, & tenete.* Si ergo placet charitati veſtræ, quia ſunt aliqua Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia, quæ in hujus præſertim extremitate provinciæ, non per contentionem, quod abſit, ſed magis, ſicut præfati ſumus, e per incuriam, aut per ignorantiam variantur, conſtituamus quædam inter nos capitula; ut quæ non uno modo tenentur à nobis, ad unam f omnimodò formulam revocentur.

e Fiunt per incuriam. Et ſeqq. Variantur *in Exc.*
f Omnino. Exc.
g Et concordi celebrentur officio.
h Quo. Exc.
i Revocentur. Exc.
k Interrogationes ſuas. Exc.
l Profuturi prudentia ab ipſa B. Petri accepit Cathedra. Exc.
m Recordata eſt. Exc. terminata eſt C. A.

7. Omnes Epiſcopi dixerunt: Neceſſarium & valdè hoc utile arbitramur, ut ea quæ apud unumquemque noſtrûm varia & inordinata conſuetudine retinentur, unito inter nos, per Dei gratiam, g quo per concordiam celebrentur officio. Et iccircò ſi quid illud eſt magnum, vel parvum, in h quibus variari videmur; ad unam, ſicut dictum eſt, formulam, præfixis rationabiliter capitulis, i revocentur. Præcipuè cùm & de cæteris quibuſdam cauſſis inſtructionem apud nos Sedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad k interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædeceſſoris tui l Profuturi, ab ipſa beatiſſimi Petri Cathedra directa eſt.

8. Lucretius Epiſcopus dixit: Rectè veſtra fraternitas pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ m reminiſcita eſt: quæ licèt eodem tempore innotuerit, quo directa eſt; tamen pro firmitate teſtimonii & inſtructione multorum, ſi veſtræ unanimitati complacet, quia præ manibus eſt, coram his omnibus a relegatur.

a Legatur. Exc.
b Eſt. Exc.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Juſtum eſt, ut quia mentio ipſius auctoritatis eſt habita, quæ b ſit ejus doctrina à circumſtantibus audiatur.

9. Relecta eſt auctoritas Sedis Apoſtolicæ, ad quondam Profuturum directa Epiſcopum, quæ propter prolixitatem his geſtis minimè eſt inſerta. Poſt cujus lectionem Lucretius Epiſcopus dixit:

c Dixit. C. A.
d Variat. C. A.
e Adſtringatur. C. A. & Exc.
* Deſunt in Exc.

Manifeſtiùs patet Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam. Et ideo, ſicut fraternitas veſtra c prædixit, ſi quid per ignorantiam apud quoſdam d varium habeatur, ad uniformem concordiæ regulam, præſcriptis inter nos capitulis, e adjungatur:

10. Propoſita ſunt igitur capitula * & relecta, quæ continent hæc:

* Deeſt in Exc.
Diſt. 20. Placuit omnibus, & Concil. Tolet. IV. Can. II.
f Contra Eccleſiaſticas regulas ſint permiſtæ. Exc.
Ruth. 2. Vide Petrum Damianum in libello De Dominus vobiſcum.
g Quomodo. Exc.

I. Placuit omnibus communi conſenſu, ut unus atque idem pſallendi ordo in Matutinis, vel Veſpertinis officiis teneatur; & non diverſæ, ac privatæ, * neque monaſteriorum conſuetudines f cum Eccleſiaſtica regula ſint permiſtæ.

II. Item placuit, ut per ſolennium dierum vigilias, vel Miſſas, omnes eaſdem, & non diverſas lectiones, in Eccleſia legant.

III. Item placuit, ut non aliter Epiſcopi, & aliter presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum. ſicut in libro Ruth legitur; & ut reſpondeatur à populo: Et cum ſpiritu tuo: ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens; & non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit.

IV. Item placuit, ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, g quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.

V. Item

V. Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem [h] prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum ſibi, & directum à Sede beatiſſimi Apoſtoli Petri ſuſcepit.

Ivo p. 1. cap. 51. h Prætermiſit quem. *Exc.*

VI. Item placuit, ut conſervato Metropolitani Epiſcopi primatu, cæteri Epiſcoporum, ſecundùm ſuæ ordinationis tempus, alius alio ſedendi deferat locum.

VII. Item placuit, ut de rebus Eccleſiaſticis tres æquè fiant portiones; id eſt, Epiſcopi una, alia clericorum, tertia in [a] recuperatione vel in luminariis Eccleſiæ; de qua parte ſive archipresbyter, ſive archidiaconus illam adminiſtrans, Epiſcopo faciat rationem.

a Reparatione. *Exc.*

VIII. Item placuit, ut nullus Epiſcopus clericum alterius ordinare præſumat, ſicut & antiqui Canones vetuerunt: niſi fortè ſignata ipſius Epiſcopi ſcripta ſuſceperit.

IX. Item placuit, ut quia in aliquantis hujus provinciæ Eccleſiis, diacones abſconſis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à ſubdiacono videantur; de cætero ſuperpoſito ſcapulæ (ſicut decet) utantur orario.

X. Item placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus ſacra altaris vaſa portare; niſi his, qui ab Epiſcopo ſubdiaconi fuerint ordinati.

23. *Diſtin.* Non liceat cuilibet.

XI. Item placuit, ut Lectores in Eccleſia in habitu ſæculari ornati non pſallant, neque granos gentili ritu dimittant.

XII. Item placuit, ut extra pſalmos, [b] vel canonicarum ſcripturarum Novi & Veteris Teſtamenti, nihil poëticè compoſitum in Eccleſia pſallatur; ſicut & ſancti præcipiunt Canones.

Hoc Auguſtinus Epiſt. 119. in Donatiſtis improbat.
b Vel, *deeſt in Exc.*

XIII. Item placuit, ut intra ſanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laïcis, viris vel mulieribus; niſi tantùm clericis; ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt.

XIV. Item placuit, ut quicumque in clero cibo carnium non utuntur; pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, vel olera cocta cum carnibus tantùm prægustare cogantur. Quod ſi contempſerint; ſecundùm quod de * his talibus ſancti Patres antiquitùs ſtatuerunt, neceſſe eſt, eos pro ſuſpicione hæreſis hujus, officio, excommunicatos, omnibus modis removeri.

* *Deeſt in Exc.*

XV. Item placuit, ut hi qui pro hæreſi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præſumat; ſicut & antiqua Canonum continent ſtatuta: quæ ſi quis ſpernit, voluntariè ſeipſum [c] alienæ damnationi tradet.

c Alienum à communione facit. *Exc.*

XVI. Item placuit, ut hi qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, vel quolibet modo * violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim ſibi hoc per ignorantiam [a] uſurpaverunt. Similiter & de his [b] placuit, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

23. q. 5. Placuit, ut hi. *Burch. lib. 19. cap. 130.*
Ivo p. 10. cap. 188.
De deſperantibus habes in Concil. Tolet. 16. cap. 4. & Altiſiod. cap. 17.
* *Deeſt. à Burch.* vel à quolibet modo violentiæ. *Ivo.*
a Vſurpant. *Exc.*
b Placuit fieri. *Exc.*

XVII. Item placuit, ut catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimili modo, neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt.

XVIII. Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo [c] in Baſilica Sanctorum ſepeliantur; ſed ſi neceſſe eſt, deforis circa murum Baſilicæ, uſque adeò non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc [d] manet civitates, ut nullo modo intra [e] ambitus murorum cujuſlibet defuncti corpus [l] humetur, quantò magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia [g] obtinere.

Burch lib. 33. cap. 157. Ivo. p. 3. cap. 230.
c Intra Baſilicam ſepeliantur. *Exc.*
d Retinent. *Exc.* *Burchardus.* Amplius retinent Galliæ civitates. *Sic Ivo.*
e Ambitum murorum civitatum cujuſlibet. *Exc.*
l Sit humatum. *Exc.*
g Obtineri. *Exc.*

XIX. Item placuit, ut ſi quis presbyter, poſt hoc interdictum, auſus fuerit chriſma benedicere, aut Eccleſiam, aut altarium conſecrare; à ſuo officio deponatur: nam & antiqui [h] hoc Canones vetuerunt.

h Hoc omninò. *C. 4.*

XX. Item placuit, ut ex laïco ad gradum ſacerdotii antè nemo veniat, niſi priùs anno integro in officio [i] lectorati vel ſubdiaconati diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat, & ſic per ſingulos gradus prædictus ad ſacerdotium veniat. Nam ſatis reprehenſibile eſt, ut qui necdum didicit, jam docere præſumat; dum & antiquis hoc Patrum inſtitutionibus interdictum ſit.

i. Lectorum vel diaconatus.

XXI. Item placuit, ut ſi quid ex collationa fidelium, aut per [k] feſtivitates martyrum, aut per [l] commemorationem defunctorum offertur, apud unum clericorum fideliter colligatur, & conſtituto tempore, aut ſemel, aut bis in anno, inter omnes clericos dividatur: nam non [m] modica ex ipſa inæqualitate [n] diſcordia generatur, ſi unuſquiſque in ſua ſeptimana quod oblatum fuerit ſibi defendat.

Idem cap. 5. octavæ Synodi.
k Feſtivitatem. *C. 4.*
l Commemorationes. *C. 4.*
m Modicæ. *Exc.*
n Diſcordiæ generantur. *Exc.*

XXII. Item placuit, ut quæcumque præcepta antiquorum Canonum modò in Concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quaſi contumax tranſgreditur; [o] ille neceſſe eſt ut de ſuo degradetur officio.

o Ille. *Exc.*

11. Relectis capitulis, Lucretius Epiſcopus dixit: Quia opitulante nobis Domino, ea quæ ad firmitatem Catholicæ & orthodoxæ Fidei, vel quæ ad officium ordinis Eccleſiaſtici pertinebant, unanimi (ſicut oportebat) collatione decrevimus; reſtat nunc, ut ex omnibus his, quæ [p] Fidei gratiâ ſalubriter [a] ſtatuta ſunt, propriam unuſquiſque noſtrûm ſtudeat docere atque informare diœceſim. Si quis autem ex nobis in parochiis ſuis, poſt agnita hujus Concilii ſtatuta, aut clericum, aut monachum ſanæ huic doctrinæ reſiſtentem invenerit, aut in aliquo adhuc Priſcillianæ ſectæ errore latitare perſenſerit, & non continuò illum excommunicatum & anathematizatum, [b] ab Eccleſia foras ejecerit; ita ut cum hujuſmodi homine nec cibum aliquis fidelium ſumere, nec communicare præſumat; noverit ſe is, qui talem receperit, & fraternæ eſſe excommunicationi obnoxium, & divinæ proculdubio ſententiæ reum.

p Dei. *Exc.*
a Inſtituta. *Exc.*
b De. *Exc.*

12. Omnes Epiſcopi dixerunt: Quæcumque à nobis [c] per Dei gratiam communi conſenſu decreta ſunt, pervigili neceſſe eſt * ut cum omni ſolicitudine obſerventur. Quæ ut ſtabilem placitæ conſti-

c Unito per Dei grat. conſ. *Exc.*
* *Deſunt in Exc.*

constitutionis obtineant firmitatem, propria unuſquiſque his geſtis manu * ſua ſubſcribat. Et poſt Epiſcoporum ſubſcriptio ſubſequuta eſt.

* Deeſt in Exc.

Lucretius Epiſcopus ſubſcripſi.	Martinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ildericus [d] Epiſcopus ſubſcripſi.	Timotheus Epiſcopus ſubſcripſi.
Andreas Epiſcopus ſubſcripſi.	Cottus Epiſcopus ſubſcripſi.
Lucentius Epiſcopus ſubſcripſi.	Malioſus Epiſcopus ſubſcripſi.

d Gildericus.

NOTÆ VARIORUM.

13. CONCILIUM.] Dum Juſtinianus Imperator in Oriente à Catholica Fide deficiens orthodoxos inſequitur, prout ſuprà in Notis ad vitam Joannis tertii recenſui, admirabili divina providentia contigit, in Occidente Theodomirum, qui fuerat hæreticus, ad Fidem Chriſtianam converti, cujus hortatu orthodoxi Epiſcopi congregati, habitis Conciliis, hæreſes omnes cum ſuis auctoribus condemnarent.

14. Hoc Concilium idem princeps celebrari curavit anno tertio regni ſui. Ante omnia in eo, ſecundùm præſcriptum Sedis Apoſtolicæ, damnata eſt hæreſis Priſcillianiſtarum, & aliorum hæreticorum errores. CARD. BARONIUS ad annum DLXIII. num. 14. & 15.

15. *Bracarenſe.*] Sic dictum à Bracara, quæ eſt totius Gallæciæ civitas Metropolis, non procul à Minio fluvio. Ptolem. lib. 2. cap. 6. Bracaros inter Gallæcos enumerat, eorumque Metropolim Bracaram Auguſtam vocat. Plinius lib. 3. cap. 3. *Bracari ſunt populi Hiſpaniæ Tarraconenſis.* Vide Abrahamum Ortelium. BINIUS.

16. Olim quidem ita erat. Bracara cenſebatur Metropolis totius Gallæciæ: & circa medium quinti ſæculi S. Leò Papa, cognomento Magnus, Concilium Epiſcoporum in Gallæcia cogendum indixit Balconio Præſuli Bracarenſi, veluti Metropolitano, contra hæreſes Priſcillianiſtarum, ut ſuo loco vidimus, & memorat Lucretius Epiſcopus in prologo hujus Concilii. Paullò autem poſtea in Concilio Lucenſi decretum fuit ut Lucenſis Eccleſia, intra Gallæciam exiſtens, eſſet Metropolitana, aſſignatis ipſi Eccleſiis quibuſdam ſuffraganeis: ut ibidem apparebit. Quare jam tum Bracara cœpit non eſſe Metropolis totius Gallæciæ, ſed ex parte magna dumtaxat. Jam verò à multis ſæculis facta diviſione Gallæciæ à Luſitania, Præſules Bracarenſes potiùs cenſentur Metropolitani Luſitaniæ, quàm Gallæciæ: hujus autem ſoli Præſules Compoſtellani cenſentur Metropolitæ ab ineunte ſæculo duodecimo. CARD. DE AGUIARE.

17. *Anno tertio Ariamiri.*] Sic omnes codices manuſcripti conſtanter habent, & excuſi. Verùm hiſtorici noſtri, Theodomirum, non Ariamirum Regem Suevorum congregâſſe hoc Concilium affirmant: de cujus mirabili ab errore & impietate Ariana converſione agit Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 11. & 37. Sed exiſtimo, eundem eſſe Ariamirum & Theodomirum. Vaſæus aliter: ſecundum Bracarenſe tempore Theodomiri coactum exiſtimat: primum verò anno Theudis tertio, DXXXVI. Domini: ſed in re dubia editis, & omnibus codicibus manuſcriptis demere fidem non auſim. LOAISA.

18. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius à Garſia diſſentit primùm in tempore. Nam auctore Garſia celebratum fuit hoc Concilium anno Domini noſtri Jeſu Chriſti DLXI. Erâ DXCIX. Ex ſententia autem Baronii illud habitum fuiſſe ponitur anno Chriſti nati DLXIII. cum quo annus tertius Theodomiri coïncidit. Secundò diſcrepat ab eodem Garſia, quòd exiſtimet hanc Synodum ſub Theodomiro, non autem ſub Ariamiro celebratam fuiſſe, quodque nomen Ariamiri per errorem in Acta Concilii illapſum ſit. Commune, inquit, fuiſſe reperitur tam patri quàm filio, ut Miro uterque nominaretur: ſed pater *Theodo*, *Aria* filio prænomen fuiſſe cognoſcitur. Et licèt apud Gregorium Turonenſem idem qui Theodomirus, Chararicus etiam nuncupatus inveniatur; eundem tamen eſſe cum ipſo Mironis parente, ex eodem auctore probatur. Hæc Baronius anno DLX. num. 6. item ann. DLXIII.

19. *Cum Gallæcia.*] In provincia Gallæciæ duos contineri Metropolitas, patet ex ſecundo Bracarenſi: nimirum Bracarenſem & Lucenſem. BINIUS.

20. *Diu eſt, ſanctiſſimi fratres*, &c. His verbis, & pluribus aliis hujus Concilii ſequentibus, oſtenditur palam, quanta pietate, quo Fidei ac Religionis zelo, & quàm accurato ſacrorum Canonum ſtudio ſe accingerent Præſules Hiſpaniæ ad ſua Concilia celebranda. Propterea enim hoc loco ajunt: *Diu eſt quòd SECUNDUM INSTITUTA VENERABILIUM CANONUM, & decreta Catholicæ & Apoſtolicæ diſciplinæ, deſiderabamus inter nos ſacerdotalem fieri debere conventum.* Deinde paullò infrà ſubditur: *Priùs, ſi placet, de ſtatutis Fidei Catholicæ perquiramus: tum deinde ſanctorum Patrum inſtituta, recenſitis Canonibus, innoteſcant.*

21. Ex hiſce autem verbis, & aliis Conciliorum Hiſpaniæ ſequentium, palam habemus, initio cujuſque Synodi, Nationalis ſaltem, legi ſolita coram Patribus Acta Conciliorum præcedentium, in quibus damnatæ fuerant hæreſes. Quòd ſi illa oblonga eſſent, redigebantur in ſynopſim, qualiter videmus hoc loco factum: ubi omnes ferè hæreſiarchæ veteres cum ſuis erroribus diſtinctè ac perſpicuè notantur, & anathemate configuntur. Idipſum fiebat circa Canones antea ſtatutos. Legebantur enim initio coram Patribus Concilii, ne quid ignoranter aut negligenter obreperet iis utcumque contrarium.

22. Por-

22. Porrò tam Concilia, quàm Canones præcedentes, continebantur uno aliquo Codice, eò ampliore aut uberiore, quò ampliùs decurrebant tempore. Augebatur enim novis Conciliorum dogmatibus circa Fidem, & Canonibus circa diſciplinam Eccleſiaſticam. Unde circa finem ſæculi ſeptimi videtur perveniſſe ad ingentem molem Codex ille, præſertim adjunctis RR. Pontificum Epiſtolis. Ejus ſynopſin nunquam antea editam proferemus initio Tomi III.

23. Hunc itaque Codicem primis Concilii diebus legere mos erat coram omnibus. Ideòque hoc loco finita damnatione hæreſeon, legitur: *Omnes Epiſcopi dixerunt*, &c. *Audiant ſanctorum Canonum regulam, & obſervent*. Ac mox ſubjungitur: *Relecti ex Codice coram Concilio, tam Generalium Synodorum Canones, quàm Localium*. Additur verò in Concilio Toletano IV. cap. 4. *Diaconus albâ indutus Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet*. Hoc autem loco lecta etiam fuit Epiſtola Vigilii Papæ, ſcripta aliquot annis antea ad Profuturum (non Eutherium, ut perperam legitur in quibuſdam editionibus, & optimè notavit, ac nos per literas admonuit Cl. V. Joannes Mabillon) Præſulem Bracarenſem, jam tum vitâ functum, & deceſſorem Lucretii. Cujus Epiſtolæ paſſim ferè in hiſce Actis ſermo eſt, cum ſumma veneratione illius, veluti quæ *AB IPSA BEATISSIMI PETRI CATHEDRA DIRECTA EST*; Et præterea: *PRO AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ*. Lege ibi plura alia. Card. de Aguirre.

24. *Priſcilliana hæreſis contagio*.] Damnata fuit hæreſis Priſcilliani Concilio Nationali Hiſpaniæ, ubi capitula contra eum ſunt edita, tranſmiſſaque ad Balconium Bracaræ Epiſcopum. De hac re vide Severum in Hiſtoria, Iſidorum lib. 8. *Etymolog.* cap. *De hæreſibus*, & quæ diximus ſuprà. Loaisa.

25. *Turibium*.] Quomodo Turibius Aſturicenſis Epiſcopus hoc loco appelletur notarius S. Leonis, dixi ſuprà in Notis ad Epiſt. Leonis XCIII. Binius.

26. *Dominus vobiſcum*.] Salutatio hæc ſacerdotis ad populum antiquiſſima eſt, ab Apoſtoliſque fluxit. Ejus meminit Sanctus Dionyſius *De Eccleſiaſt. hierarch.* & Soter Papa apud Gratianum *De conſecrat.* diſt. 1. Can. *Hoc quoque*. Et Burchard. lib. 3. cap. 74. Ivo parte 2. cap. 127. Alcuinus lib. *De divinis officiis*, cap. *De celebratione Miſſæ*, Hugo *De ſacramentis*. Et Petrus Damianus librum inſcripſit: *Dominus vobiſcum*: qui floruit anno Domini MLI. Neque in hoc capite rejicitur Pontificalis, Epiſcopaliſque ſalutatio: *Pax vobis*; quæ antiquiſſima etiam eſt, & ſolis Epiſcopis tributa: eâque formâ uſi ſunt Sanctus Jacobus & Baſilius in Liturgiis, & D. Ambroſius lib. *De dignitate ſacerdotali*, cap. 5. & Chryſoſtomus homil. 3. ad Coloſs. Sed adverſus Priſcilliani figmentum, qui uſum ſalutandi in Miſſa permutavit, decernitur, Epiſcopum poſſe uti etiam ſacerdotali ſalutatione. Nam in Miſſis privatis, & in ſolennioribus prima vice Epiſcopus ſalutat hac forma: *Pax vobis*; poſtea dicitur: *Dominus vobiſcum*. Sicuti ſacerdos: quod Priſcillianus negabat, affirmans, eſſe *Pax vobis* tantùm ab Epiſcopo dicendum ſemper, à ſacerdote verò *Dominus vobiſcum*. Loaisa.

27. *Neque granos gentili ritu demittant*.] Excuſi, *gradus*: lego *granos*, ut eſt in manuſcripto. De iis Iſidorus lib. 19. *Etymolog.* cap. 23. *Nonnullæ etiam gentes non ſolùm in veſtibus, ſed & in corpore aliqua ſibi propria quaſi inſignia vendicant; ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gotthorum*. Exiſtimat D. Loaiſa eſſe genus laicæ veſtis oblongæ. At ex iis verbis S. Iſidori potiùs colligere debuit eſſe cincinnum, vel capillitium, ut exponit Jo. Ludov. Zerda in *Adverſar.* cap. 177. ex antiquo interprete in verba illa Judith: *Et diſcriminavit crinem*, &c. ubi exponit: *Granos fecit*. Card. de Aguirre.

28. *Sancti præcipiunt Canones*.] Sic enim Concilio Laodic. cap. 59. ſtatutum eſt, ut in Eccleſia non legantur niſi volumina Novi & Veteris Teſtamenti, nihilque à plebe editum: & Carthag. III. cap. 23. & 47. *Sub nomine divinarum Scripturarum nulla preces vel orationes legantur, niſi ſint in Synodo approbatæ, vel à prudentibus tractatæ*. Milevitano cap. 12. legi permittuntur Martyrum Paſſiones, quum eorum anniverſariæ dies celebrantur. Et Carthag. III. cap. 47. doctorum orthodoxorum hymni, & Tolet. IV. cap. 13.

29. *Sanctuarium altaris*.] *Sanctuarium*, velum intelligitur, quo diſtinguebatur locus altaris, & tegebatur, ne omni populo eſſet conſpicuus. Hoc conſtat ex Gregorio in Epiſt. XXX. ad Conſtantiam Auguſt. lib. 3. Vocatur & brandeum, ex quo, cùm à S. Leone Papa forcipibus incideretur, ſanguis effluxit. Alibi appellatur *velamen*.

30. *Antiquis Canonibus*.] Sacerdotibus & Levitis dabatur communio ante altare, clero in choro, populo extra chorum. Id conſtat ex Concilio Toletano IV. cap. 18. Hinc à locorum diviſione vocatur laica communio, & peregrina, & ſacerdotalis. De qua re diximus Concil. Ilerd. cap. 16. Laodic. cap. 19. ſic legitur: *Solis autem miniſtris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare*.

31. *Cibo carnium non utuntur*.] Carnibus veſci noluerunt Euſtathiani, eò quòd immundas ducerent: ideoque in Concilio Gangrenſi damnati ſunt. De hac re etiam decretum eſt Canone XIV. Concilii Ancyrani, iiſdem penè verbis. *Qui in clero ſunt, presbyteros vel diaconos à carnibus abſtinentes, viſum eſt eas attingere; & ſic, ſi velint, ab eis abſtinere: ſi autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & Canoni non cedant, ab ordine ceſſare*.

32. *Qui pro ſuis ſceleribus puniuntur*.] Contrarium videtur decernere Concilium Aurelianenſe II. cap. 14. his verbis: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus; ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis manibus intuliſſe*.

33. *Catechumenis*.] Catechumenus is eſt qui *audiens* à Patribus appellatur: nam de Fide, quæ ex auditu eſt, teſte Paullo, inſtruebatur. Auguſtinus lib. *De Fide & operibus*, cap. 6. Inſtitueban-

tur autem catechumeni ab Epiſcopo & ſacerdotibus. Nicolaus Papa, Conc. Triburien. cap. 6. Iſidorus lib. 2. *De officiis Eccleſiaſticis*, cap. 20. LOAISA.

34. Sanctus tamen Ambroſius aliter judicavit in perſona Junioris Valentiniani, qui catechumenus ab Arbogaſto, quem exauctoraverat, Viennæ in Gallia ſtrangulatus eſt. Sed nihil dubitavit Ambroſius juvenem Principem, cujus perſpectam habebat eximiam pietatem, quique paucis ante mortem diebus baptiſmum à ſe abſente flagitaverat, recepiſſe per Spiritum ſanctum gratiam concupiti baptiſmi. At verò Bracarenſis Canon iſte illos juſtè perſtringit catechumenos, qui per ſocordiam cùm baptiſmum poſtulare neglexiſſent, morte præventi fuerunt. CABASSUTIUS.

35. *De foris circa murum.*] Idem ſtatuit Concilium Triburienſe cap. 17. de laïcis, ut non in Eccleſia, ſed in communi cœmeterio ſeu dormitorio ſepeliantur: additur tamen: *Nemo enim in Eccleſia ſepeliatur; niſi fortè talis ſit perſona ſacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit.* Concilium Moguntinum cap. 52. excipit Epiſcopos, Abbates, & dignos presbyteros. Pelagius II. ſic ſtatuit, ut inter alia ejus decreta legi in libro manuſcripto Bibliothecæ Divi Laurentii: *Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſepeliantur; ſed ſi neceſſe eſt, foris circa murum Baſilicæ:* Hunc morem antiqui Chriſtiani religioſè ſervârunt, ut in cappellis, aut in muro Eccleſiæ, & non intra Eccleſiam, humarentur, quamvis eſſent proceres & principes viri: ut obſervatum eſt in multis Baſilicis Hiſpaniæ. Nunc verò tanta omnes homines ambitio & faſtus cœpit, ut lacera corpora, trunci artus, putres formæ, prope Chriſti Dei veri ſacramentum, adhibitis marmoreis imaginibus, ſuperbè collocentur. Superbiam & luxum inanem damnamus, non pietatem: modumque profanis ſepulturis adhibendum ſuademus. Vide quæ ſuprà notavimus in calce Concilii Valentini.

36. In ſepeliendis verò ſanctorum Martyrum corporibus alia erat ratio & conditio. Nam illis condendis, & in templis ſtruendis ad eorum cultum, effuſæ erant impenſæ Chriſtianorum: ut auctor eſt Tertullianus in *Apologet.* & Prudentius, & Gregorius Nyſſenus in *Oratione de funere Meletii*, & Nazianzenus Epiſtolâ 18. *Ad Sophronium.* LOAISA.

37. Huic planè conſonat Concilium Vaſenſe citatum cap. *Præcipiendum.* 13. qu. 2. vetans intra Eccleſias ſepulturæ mandari fidelium cadavera: ſed vel in porticu, vel in atrio, vel in exedris: qua voce intelliguntur Eccleſiarum contigua loca, quæ clauſtra vulgò appellantur. Idem ſtatuit Concilii Triburienſis Can. XVII. citatus in Decreto cap. *Nullus laïcus. De conſecr.* diſt. 2. quod idem edicitur l. 2. Cod. *De ſacroſ. Eccl.* Seriùs in Eccleſiarum uſum receptum eſt, ut fidelium corpora intra templorum ambitum ſepelirentur, præterquam illorum, quos Eccleſia cultu publico veneratur: reliquorum enim fidelium corpora in publicis cœmeteriis, aut in templorum atriis condebantur, aut in ſacris veſtibulis. Epiſcopum tamen, ſi Sozomeno fidem habemus lib. 2. cap. ultimo, in ipſis Eccleſiis tumulari mos fuit. Idem ſcribit magnum quoque Conſtantinum fuiſſe in Baſilica ſepulchro conditum, quam ipſe in cultum ac memoriam Sanctorum Apoſtolorum Conſtantinopoli exſtruxerat. Verùm non alia in parte templi ſepultus eſt Conſtantinus, quàm in ipſo veſtibulo: quod idem pariter cenſendum de Epiſcoporum ſepulchris. Liquet verò ex Chryſoſtomo hom. 26. in 2. Cor. ſic loquente: *Conſtantius Auguſtus Conſtantinum Magnum ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris. Quod enim in regiis janitores ſunt Regibus, id in ſepulchro Reges ſunt Piſcatoribus: & præclarè ſecum agi putant, ſi janua ipſis aſſignetur veſtibularis.* Scripſit tamen ad Paullinum Nolanum Epiſcopum Auguſtinus libellum *De cura pro mortuis gerenda*, ab ipſo Paullino interpellatus, à quo petierat pia quædam matrona ut permitteret defuncti filii corpus in S. Felicis Confeſſoris Baſilica deponi: Sic autem reſpondet Auguſtinus: *Quod verò quiſque apud Memoriam Martyrum ſepelitur, hoc tantùm mihi prodeſſe videtur defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur.* Nullum tamen Paullino ea de re conſilium ſuggerit Auguſtinus. A Gregorii Magni Pontificis ſæculo jam invaluerat conſuetudo intra Eccleſias ſepeliendi, ut liquidò conſtat ex lib. 2. *Dial.* cap. 23. & lib. 4. cap. 51. 52. 53. 54. Perhibet Gregorius Turonenſis Clodovæum, primum Chriſtianum Francorum Regem (qui anno Chriſti DXI. obiit) ſepultum fuiſſe in Sanctorum Apoſtolorum à ſe fundata Baſilica. CABASSUTIUS.

38. *Nam ſi firmiſſimum hoc.*] Duodecim Tabularum lege interdictum erat intra urbem mortuos ſepeliri: unde in viis ſepeliebantur Romani.

39. *Chriſma.*] Nullus presbyter chriſma poteſt conficere, ut ſtatuit Sylveſter Papa Actione prima Concilii Romani cap. 5. & II. Carthaginenſi cap. 2. & III. Carthaginenſi cap. 36. & I. Toletano cap. 20. & in Epiſtola Montani ad Theoribium: id enim munus ſolius Epiſcopi eſt. Innocentius Papa Epiſtolâ V. Eſtque Cyprianus auctor, id à Chriſti Salvatoris Domini noſtri facto emanâſſe, in opuſculo *De unctione chriſmatis*, & aliis ſacramentis.

40. *Aut altarium.*] Presbyter non debet conſecrare altare: nam id etiam Epiſcopo reſervatum eſt. Concil. Agathen. cap. 43. Vide etiam Concilium II. Hiſpalenſe cap. 7. De eo etiam Felix Papa IV. in Epiſt. decretal. cap. 1. & Concilium Toletanum VIII. cap. 7. & Wormacienſe cap. 8.

41. *Semel aut bis.*] Hæc diviſio erat oblationum. Idem dicitur II. Bracarenſi cap. 6. At I. Aurelianenſi cap. 16. dimidia pars aſſignatur clero, dimidia Epiſcopo: & cap. 13. dicitur, tertiam partem eſſe Epiſcopi, clericorum verò duas alteras. Vide decretum Damaſi Papæ apud Gratianum

num 10. q. 1. c. *Hanc conſuetudinem*. & Concilium IV. Toletanum cap. 32.

42. *Lucretius*.] Fuit Epiſcopus primæ ſedis Bracaræ Eccleſiæ, ſucceſſit Profuturo, & præceſſit Martinum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum.

43. *Andreas*.] Fuit Irienſis.

44. *Lucentius*.] Conimbricenſis.

45. *Martinus*.] De Sancto Martino Epiſcopo Dumienſi hæc accipe: Fuit Dumienſis monaſterii Epiſcopus, de quo ſic Iſidorus libello *De viris illuſtribus*: *Martinus Dumienſis monaſterii ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans Gallaciam venit: ibiq; converſis ab Arianâ impietate ad Fidem Catholicam Suevorum populis, regulam Fidei & ſanctæ Religionis conſtituit, Eccleſiaſticos informavit, monaſteria condidit, copioſaq; præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cujus equidem ego ipſe legi librum* De differentiis quatuor virtutum, *& aliud volumen Epiſtolarum: in quibus hortatur ad vitæ emendationem & converſationem Fidei, orationis inſtantiam, eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia cultum virtutum omnium & pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Suevorum, temporibus illis, quibus Juſtinianus in Republica, & Athanagildus in Hiſpaniis regnum tenuêre.*

46. Conſtruxit primò Eccleſiam Dumienſem, deinde eſt Pontifex Bracarenſis factus: qui ſcripſit *De differentiis virtutum* ad Mironem, & Epiſtolas varias, & tractatum *De caſtigatione ruſticorum*: in compendium contraxit Concilia Orientalia, & Nitigeſio Epiſcopo Lucenſi, Metropolitano miſit. Loaisa.

47. Liber, ſive Tractatus ejuſdem S. Martini Dumienſis *De differentiis virtutum* ad Mironem, & Epiſtolæ variæ, ac lucubrationes aliæ aſceticæ, apud nos ſunt, ex Mss. Eccleſiæ Toletanæ. Certè omnia illa miram pietatem eruditionemque ſpirant, immo & elegantiam, quamvis fuerint ſcripta inclinante jam ſexto ſæculo, quo innumeræ ſordes in Latinum ſermonem irrepſerant, præſertim apud Hiſpaniam, jamdiu à barbaris occupatam. Eas lucubrationes edere intra hoc volumen cogitavimus jamdiu: verùm ne illud plus juſto augeatur, & mole ſua terreat, vel alienet lectorum animos, fortaſſis prætermittentur, & amandabuntur in aliud opus, cum pluribus aliis monumentis antiquis. Card. de Aguirre.

48. *Cottus*.] Empuritanæ Eccleſiæ, ut ex ſubſcriptionibus ſecundæ Synodi Bracarenſis conſtat. Loaisa.

49. Seriem Suevorum in Gallecia Regum, ſub quibus Bracarenſia Concilia habita ſunt; ex Garſiæ Loaïſæ Commentariis, ne quid deeſſe videretur, adjecerat Græco-latinæ ſuæ editioni Binius. Verùm eam, utpote minùs neceſſariam, prætermiſit regius Collector, in cujus partes conceſſimus, contenti monuiſſe lectorem. Labbe.

50. Nobis autem tractantibus dumtaxat Concilia & monumenta ſacra Hiſpaniæ, viſum eſt opportunum exhibere ſeriem Regum Suevorum, ſub quibus illa habita ſunt. Illa, inquam, quæ celebrata fuerunt à tempore irruptionis Wandalorum, Alanorum, & Suevorum in Hiſpaniam, inchoatæ, juxta Idatium & alios ſcriptores ejus temporis, ab anno circiter CDXI. & continuatæ uſque ad annum plus minùs DLXX. quo Suevorum regnum finitum eſt, & inchoatum Gotthorum in Hiſpania ſub Leovigildo Ariano Rege. Porrò Concilium illud Bracaræ celebratum ſub Pancratio Præſule, ita exſcripſimus ſuo loco, ut non impediret ordinem Bracarenſium ſequentium primi ac ſecundi, in omnibus Collectionibus Mss. & excuſis antea ſtatutum. Itaque quemadmodum inter Toletana Concilia ſunt aliqua ſine nota alicujus numeri (ut illud quod ſub Gundemaro habitum eſt) ita & illud Bracarenſe ſub Pancratio ad annum CDXI. exſcriptum. Card. de Aguirre.

CONCILIUM APUD LUCUM
A THEODOMIRO PRINCIPE HABITUM
Æra DCVII. anno CHRISTI DLXIX.

PRÆMONITIO CARDINALIS DE AGUIRRE AD LECTOREM.

1. *Quamvis Concilium hoc Lucenſe ſemper fuerit celebre in Hiſpaniis, præſertim ob numerationem & partitionem Metropoleon, Epiſcopatuum, atque oppidorum unicuique annexorum; pauca tamen admodum ex illius Actis invenire licuit Illuſtriſſ. Loaïſæ in tot exemplaribus Mss. Conciliorum, quibus uſus fuit. Quapropter præmiſſis breviter paucis iis, quæ habentur primâ paginâ ſtatim exhibendâ, proceſſit illicò ad Notas.*

2. *Ut autem illas redderet uberiores, adjecit è variis Codicibus Mss. plura fragmenta, quibus magis diſtinctè habetur diviſio provinciarum ac Sedium Epiſcopalium Hiſpaniæ. Præcipui eorum Codicum fuerunt, Lucenſis perantiquus, deſcriptus à D. Joanne Ruizio Epiſcopo, & ad D. Loaïſam miſſus: deinde alius Hiſpalenſis ſcriptus anno CMLXII: alii quoque valdè antiqui Eccleſiarum Toletanæ & Ovetenſis, præſertim ille cui nomen Itacius:*

3. *Verùm præterea D. Loaïſa adjecit nonnulla ex Raſi Arabe incredibilia, quæ Philippus Labbè To. V. ſuæ Collectionis Conciliorum col. 876. rejicit, veluti gerras aut aniles fabulas excogitatas ab illo Arabe circa adventum Conſtantini Imperatoris in Hiſpaniam, diviſionemq; ab ipſo factam in ſex Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus varios. Nec mirum quòd Labbeus ea exſibilaverit: quoniam in tota antiquitate nullum eſt fundamentum, aut teſtimonium, pro adventu Conſtantini in Hiſpaniam: & præterea evidens omnibus eſt, ſub Imperio ipſius Narbonam cum diœceſibus adjunctis nullatenus ſubjacuiſſe Regibus Hiſpaniæ; ſed ſolùm nonnullis ſæculis poſtea, ut ſuo loco videbimus. Itaque fabula manifeſta eſt quòd Conſtantinus inter Archiepiſcopatus Hiſpaniæ collocaverit Narbonenſem. D. autem Loaïſa bonâ fide exhibuit quicquid invenit apud antiquos Codices; Nos verò hac monitione præmiſſa, quicquid ille protulit, recudendum hoc loco curavimus. VALE.*

4. TEMPORE Suevorum, ſub Era DCVII. die Kalendarum Januarii, Theodomirus, Princeps idem Suevorum, Concilium in civitate Luco fieri præcepit; ad confirmandam Fidem Catholicam, vel pro diverſis Eccleſiæ cauſſis. Poſtquam peregerunt quicquid ſe Concilio ingerebat, direxit idem Rex Epiſtolam ſuam ad Epiſcopos, qui ibidem erant congregati, continentem hæc:

5. Cupio, ſanctiſſimi Patres, ut provida utilitate decernatis in provincia regni noſtri: quia in tota Gallæciæ regione ſpatioſæ ſatis diœceſes à paucis Epiſcopis tenentur; ita ut aliquantæ Eccleſiæ per ſingulos annos vix poſſint à ſuo Epiſcopo viſitari. Inſuper tantæ provinciæ unus tantummodo Metropolitanus Epiſcopus eſt, & de extremis quibuſque parochiis longum eſt ſingulis annis ad Concilium convenire.

6. Dum hanc Epiſtolam Epiſcopi legerunt, elegerunt in Synodo, ut Sedes Lucenſis eſſet Metropolitana, ſicut & Bracara: quia ibi erat terminus de confinitimis Epiſcopis, & ad ipſum locum Lucenſem grandis ſemper erat conjunctio Suevorum: etiam in ipſo Concilio alias ſedes elegerunt, ubi Epiſcopi ordinarentur. Sicque poſt hæc pro unaquaque cathedra diœceſes & parochias diviſerunt; ne inter Epiſcopos contentio aliquatenus fieret. id eſt:

7. Ad cathedram Bracarenſis Eccleſiæ quæ in vicino ſunt: Centum-cellas, Cœtos, Lenetos, Aquaſte, Milia, Ciliolis ad poſtam, Ailio, Carandonis, Tavis, Ciliotao, Getanio, Oculis, Cerecis, Petroneto, Equirie ad Saltum. Item pagi, Pannonias, Ledera, Vergancia, Aſtiaſtico, Turoco, Cuneco, Cherobio, Bereſe, Palanticio, Celo, Supelegio, & Seneſquio.

Ad ſedem Portugalenſem in Caſtro-novo Eccleſias quæ in vicino ſunt: Villa-nova, Betaonia, Viſea, Mentuno, Torebia, Baubaſte, Benzoaſte, Lumbo, Neſcis, Flapolet, Curmiano, Cagueſto, Leporeto, Melga, Tangobia, Villagomedea, Tauvaſe. Item pagi, Labrencio, Aliobio, Vallacia, Truluco, Cepis, Flandolas, & Palentiaca.

Ad Lameco, Lamecum, Tuentica, Atavoca, Cantabiano, Omnia, & Camianos.

Ad Conimbrienſem, Conebrei, Eminio, Lutbine, Inſula, Autunane, & Portucale caſtrum antiquum.

Ad Veſenſe, Veſeo, Rodomiro, Submootio, Subverbeno, Coſonia, Ovellione, Totela, & Caliabrica, quæ apud Gotthos poſtea ſedes fuit.

3, 5. & 6. Conciliis Toletanis ſubſcribit ſervus Dei epiſcopus Caliabricenſis.

Ad Dumio familia ſervorum.

Familia ſervorum Sic voc. monaſterium Dumienſe. In Itacio Ovetenſi eſt: Alſe item Dumio ſem familia Regia.

Ad Egitanienſem, tota Egitania, Mene, Cipio, & Francos.

Ad Lucenſem, Luco civitas, cum adjacentia ſua, quam tenent Comites, unà cum Cairoga, Lemos, & Cavarcos.

Ad Aurienſem, Palla, Auna, Verugio, Bebalos, Ceporos, Tennes, Pinca, Saſſavio, Verecanos, Senabia, & Galpages majores.

Ad Aſturienſem, Aſtorica, Legio, Bergido, Petra, Speranti, Comanea, Ventoſa, Maurellos ſuperiorum & inferiorum, Senvire, Francellos, & Peſicos.

Ad Irienſem Mortacio, Salinienſe, Centonos, Celonos, Medienſe, Peſtamarcos.

Ad Tudenſem Eccleſias in vicino, Turedo, Tabolela, Locoparre, Aoreas, Tabulela, Longetude, Cariſiano, Martiliana, Turonio, Celeſſautes, Turvea. Item pagi, Auxone, Sacria, Erbilone, Gauda, Obinia, & Corteſe.

Ad ſedem Britonnorum, Eccleſiæ quæ ſunt intra Britones, unà cum monaſterio Maximi: & quæ in Aſturiis ſunt.

NOTÆ D. GARSIÆ LOAISÆ.

8. A THEODOMIRO.] Is fuit ſeptimus Rex Suevorum, qui in Gallæcia imperium obtinuit hoc ordine: Hermericus, Rechila, Recciarius, Maldra, Frumarius, Remiſmundus, qui hæreſi infectus eſt cum univerſa Suevorum gente; & eadem labes per ferè annos certum eſt propagata, uſque ad Theodomirum, ſive Ariamirum, Catholicum & optimum Principem, qui totam gentem, S. Martini Epiſcopi Dumienſis, poſtea Bracarenſis, ſtudio & labore, ad veram ſinceramque Eccleſiæ Catholicæ fidem reduxit: reſque Eccleſiaſticæ, inſtitutaque jam ferè antiquata, mirum in modum amplificata auctaque ſunt. Idem indixit

hoc

hoc Concilium Lucenſe; ad quod, & ad Nitigeſium Lucenſem, S. Martinus Dumienſis tranſmiſit opuſculum Orientalium Conciliorum, quod magno ſtudio in compendium reduxerat.

9. De hoc Concilio Lucenſi ſic ſcribit Joannes Vaſæus, libro Chronicorum Hiſpaniæ, tomo poſteriori, anno Domini DLXIV. *Hoc Concilium Lucenſe circa hunc annum celebratum eſt, Kalendis Januariis, ſub Theodomiro Rege Suevorum; ſub quo & Bracarenſe, ad confirmandam Fidem Catholicam, & conſtituendum Eccleſiæ ſtatum. In eo Concilio Eccleſia Bracarenſi Metropolitana, & aliis Gallaciæ Eccleſiis Cathedralibus ſui cuique fines aſſignati ſunt, quos nec excederent. Ex archivo Eccleſiæ Bracarenſis, ubi pro Nitigeſio Lucenſi Epiſcopo, legitur Notigio. Meminit hujus rei Lucas Tudenſis in Rege Wamba, & dicit Adulphum Epiſcopum Legionenſem huic interfuiſſe Concilio.* Hæc ex Annalibus Vaſæi.

10. Ego verò accepi hoc Lucenſe Concilium à D. Joanne Ruizio Epiſcopo meritiſſimo Lucenſi, ſtudio ſapientiæ & religione claro, qui illud mihi reſcripſit, ſe deſcripſiſſe ex Cod. Ms. Eccleſiæ Lucenſis perantiquo.

11. Hæreo in exordio Concilii, an legendum ſit: *Tempore Suevorum ſub Era DC. ſeptimo die Kalendarum, an ſub Era DCVII. die Kalendarum Januarii*: & quamvis mihi prior lectio magis placeat; tamen poſteriorem, propter auctoritatem Ambroſii Moralis, & Joannis Vaſæi, ſequor.

12. Ponuntur in hoc Concilio XIII. ſedes provinciæ Gallæciæ: Bracara prima ſedes, Portucal, Lameco, Conimbrica, Veſeo, Domio, Egitania, Luco prima ſedes, Auria, Aſturia, Iria, Tude, Britona.

13. Opportunus hic ſe offert locus ad differendum de diviſione ſedium Epiſcopatuum Hiſpaniæ; de qua multa ſcripta ſunt ab Hiſtoricis noſtris: & in re ita obſcura, & ferè jam antiquata, nihil conſultius faciendum exiſtimavi, quàm ipſos fontes veteres & reconditos, ex quibus illi rem hanc hauſerunt, emendatos & puros ederes ut ex libris Mss. Eccleſiæ Toletanæ, & D. Laurentii correctioribus & vetuſtioribus elicere potui, & ex Codice Eccleſiæ Ovetenſis, qui inſcribitur *Itacius*.

14. Eſt in Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ proceſſus quidam, & acta in cauſa Eccleſiæ Valentinæ: nam quum primùm expugnabatur à Jacobo Aragonum Rege, ſtrenuo Maurorum domitore, & in deditionem venit; Primas Toletanus ad ſuam juriſdictionem jure antiquo pertinere dicebat. In quibus Actis hæc habentur:

15. *Cæſar Conſtantinus Imperii ſui IV. anno, cùm eſſet in Hiſpania, convocatis eius Epiſcopis, totam provinciam in ſex Archiepiſcopatus partitus eſt, decrevitque omnes peculiaribus diæceſibus & finibus contineri.* *Hunc adventum Conſtantini in Hiſpaniam negant alii, etiam noſtrates, nec alio fundamento dicitur. Narbo tunc non ſpectabat ad Reges Hiſpaniæ. Id contigit aliquot ſæculis poſtea.*

Prima ſedes eſt Narbo. II. Tarraco. III. Bracara. IV. eſt Spalis. V. Emerita. VI. Toletum, quæ habet ſibi ſubdita hæc oppida: Oretum, hoc eſt Calatrava; Bædia, hoc eſt Baeza; Menteſa, hoc eſt Jaen; Acci, hoc eſt Guadix; Urgi, hoc eſt Almeria; Bagaſtri, hoc eſt Albarracin, aut Biluſtre; Illici, hoc eſt Elche; Setabis, hoc eſt Xativa; Denia, Valentia, Valeria propè Quoncam; Secobria, id eſt Segorbe; Arcobrica, hoc eſt Arcos; Complutum, hoc eſt Guadalaxara, ſive Alcalà; Segontia, hoc eſt Siguenza; Oxoma, hoc eſt Oſma; Secobia, hoc eſt Segovia; & Palentia.

16. Et infrà: *Poſtmodum quatuor libros Arabicos in judicio nobis exhibitos inſpeximus, & fecimus legi in libris illis per unum Judæum & alium Sarracenum: & ipſi legentes in dictis libris, ſcilicet in libro Raſis, qui multos libros fecerat de Phyſica, ut Sarracenus dicebat, & in libro Abiba Cacababi, qui peritus fuerat in lege eorum; & in duobus aliis libris, quorum auctores non erant: dixerunt nobis, quòd in dictis libris continebatur, quòd inter ſex diviſiones dictas, factas à Conſtantino Imperatore in Hiſpania, erat civitas Valentina ſub civitate Toleto.* Hæc ibi.

In Codice Hiſpalenſi Divi Laurentii, qui anno Domini CMLXII. ſcriptus eſt, ſic invenio.

Diviſio provinciarum Hiſpaniæ, & earum ſedium.

PROVINCIA GALLÆCIÆ.

17. BRACARA Metropolis.	Dumio.
Portucale.	Auriense.
Conimbria.	Tude.
Eguitania.	Luco.
Veſeo.	Iria.
Lameco.	Britona.
Vetica.	Aſtorica.

PROVINCIA GALLIÆ.

18. NARBONA Metropolis.	Luteba.
Caucoliberi.	Magalona.
Carchaſona.	Nemis.
Biterris.	Enamaſo.
Agatha.	Elena.

PRO-

PROVINCIA LUSITANIÆ.

19. EMERITA Metropolis.	Caurio.
Avela.	Exonoba.
Salmantica.	Olyſibona.
Elbora.	

PROVINCIA CARTHAGINIS.

20. TOLETO Metropolis.	Dianio.
Compluto.	Setabi.
Segontia.	Carthago.
Oxoma.	Baſti.
Palentia.	Menteſa.
Valeria.	Acci.
Oretô.	Biacia.
Valentia.	

PROVINCIA BÆTICÆ.

21. SPALIS Metropolis.	Egabro.
Italica.	Eliberi,
Elipa.	Malaca.
Aſtigis.	Aſidona.
Corduba.	

PROVINCIA TARRACONENSIS.

22. TARRACONA Metropolis.	Elerda.
Dertoſa.	Barcinona.
Cæſaraugoſta.	Egara.
Tyraſona.	Auſona.
Calagurris.	Gerunda.
Auca.	Impurias.
Pampilona.	Orgello.
Oſca.	

23. *In Concilio Emeritenſi Canone VIII. dicitur, Receſvinthum Regem provinciæ Luſitaniæ terminos Epiſcopis & parochis diviſiſſe, & juxta priſcorum Canonum ſententias in antiquam formam reduxiſſe. Ibique Egitania ad provinciam Luſitaniæ eſt attributa.*

In Codice Ms. literis Gotthicis Eccleſiæ Ovetenſis, in principio ſic ſcriptum eſt.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Incipit numerus Sedium HISPANIENSIUM: & uniuſcujuſque provinciæ ſedes ſuo Metropolitano ſubſcriptæ, uſque in Rhodanum amnem. id eſt:

METROPOLI TOLETO SUBDITÆ.

24. ORETO.	Valeria.
Beatica.	Valentia.
Menteſa.	Secobriga.
Acci.	Arcabrica.
Baſti.	Compluto.
Urgi.	Segontia.
Bagaſtri.	Oxoma.
Illici.	Secobia.
Setabis.	Palentia.
Dianium.	

Sub uno XX.

METROPOLI SPALI SUBDITÆ.

25. ITALICA.	Aſtigi.
Aſidona.	Corduba.
Elepla.	Egabro.
Malaga.	Tuccis.
Elberris.	

Sub uno X.

MERITÆ METROPOLI SUBDITÆ.

26. MERITA.	Lamego.
Pace.	Caliabria.
Olixibona.	Cauria.
Oxonoba.	Elbora.
Egitania.	Abela.
Conimbria.	Salmantica.
Viſeo.	Numantia. 1. *Zamera.*

Sub uno XIII.

BRACARÆ METROPOLI SUBDITÆ.

27. BRACARA.	Tude.
Dumio.	Auria.
Portucale.	Iria.
Lugo.	Aſtorica.
Britonia.	

Sub uno IX.

TARRACONÆ METROPOLI SUBDITÆ.

28. TARRACONA.	Ictoſa.
Barcinona.	Tortoſa.
Egara.	Cæſarauguſta.
Gerunda.	Oſca.
Empurias.	Pampilona.
Auſona.	Calaforra.
Urgello.	Tiraſona.
Lerita.	Auca.

Sub uno XV.

NARBONÆ METROPOLI SUBDITÆ.

29. NARBONA.	Luteba.
Beterris.	Carcaſona.
Agatha.	Toloſa.
Magalona.	Elna.
Nemauſo.	

Sub uno IX.

30. Et ſub uno ſedes Hiſpanienſes, abſque provincia Tingitania uſque ad mare Oceani, qui eas circumdat, Sedes LXXXII. exceptis Legione & Oveto, quæ nulli unquam Metropoli fuerunt ſubditæ.

Diviſio terminorum diœceſium & parochiarum Hiſpaniæ, à Wamba Rege facta: ex libris Mſſ. Eccleſiæ Toletanæ, & Eccleſiæ Ovetenſis, cujus titulus eſt Itacius. *In quo hiſtoria Wandalorum & Alanorum in Gallecia, & poſtea Suevorum, & demum Gotthorum Regum ſcribitur.*

31. Erâ DCCIV. poſt Recceſvindum Wamba Rex Gotthorum regnum novem annos obtinuit.

Hic

Hic Toleto eâ horâ qua unctus eſt in Regem, cum quadam evaporatione viſa eſt apis à cunctis qui aderant, ex capite ejus exire, & ad cœlos volare. Hoc ſignum factum eſt à Domino, ut futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos. Aſtures & Vaſcones in finibus Cantabriæ crebrò rebellantes edomuit, & ſuo Imperio ſubjugavit: civitatem, quæ Cartua vocabatur, & Pampilonem ampliavit, quam Wambæ Lunam vocavit: provinciam quoque Galliæ, quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem, multis agminibus Francorum interceptis ſubjugavit, & Paullum perfidum Galliæ tyrannum cœpit, eiſque oculos evellere præcepit: & ad urbem Toletanam cum triumpho magno reverſus, diſcordeſque Pontifices, eò quòd alii aliorum parochias invadebant, ad concordiam ſtuduit revocare. Fecit & Chronicas Regum priorum coram ſe legere: ut faciliùs poſſet terminos parochiarum dividere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret juris cenſura, & jura propria quælibet Eccleſia poſſideret: ſicut ſubjecta denotat ſcriptura...

32. Concedimus & confirmamus, quòd, ſicut Gundericus, Genſericus, Hunericus, Guntamundus, Iſoris, & Guimel, Reges Wandalorum civitatem Lucum ſucceſſivè dotaverunt, teneat pacificè & quietè terminos, qui inferiùs ſubſcribentur.

Itacius de Luco Auſtrum intelligit

33. Totas Aſturias per Pyrenæos montes, & per flumen magnum Ove, & per totum litus maris Oceani uſque Biſcajam, per Summom-roſtrū, & per Summumcabrium, per portas de ſancta Agatha, per Poçaſalem, per Limbam de Folios, unà cum campo Erbolio, Gordon uſque ad illam arborem de Quadros, per Rivulum de Humana, Lunam, Vamdabiam, uſque ad Pyrenæos montes, Coyanzam Villam, Quexidam, per Conjaquelam, Montoſam, uſque ad flumen Urbetum in Gallæcia, Suernam, Vallem-longam, Veram, Flamoſam, totam Sarriam, Paramum uſque ad fluvium Mineum. Totam Lemos, Vinyſo, Veroſmo, & Semmanorum, & Frojam uſque ad flumen Silum. Totam Lumiam, cum Eccleſiis de Petrajo, quæ ædificatæ ſunt, vel fuerint, inter Arnoyum flumen & Silum. A termino montis Buron, & per aquam Zore, uſque in fundum Arnoyi, & per ipſum, diſceſſum uſque in flumen Mineum, Iveza uſque Portelam de Vanati, & Eccleſias de Sallaz, inter Arnoyum & Silum, cum Eccleſiis de Barcoſo, Caſtellam, Cunſancam, Barnantes, & Avion, Aſmam, Carabam, Amancam, ſicut dictam Eccleſiam Lucenſem Reges Wandali dotaverunt.[b]

a Diſcurſum Itacius.

b Itacius addit: & dixerunt omnes: Placet: placet nobis omnibus.

34. Legio, quam condiderunt Romanæ legiones, quæ antiquitùs Flos fuit vocata, & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate, & exſtat ſedes Regia, atque alicui Metropoli nunquam fuit ſubdita, teneat per ſuos terminos antiquos, ſicut eam dotaverunt Hermericus, Rechila, Recciarius, Maldra, Frumarius, Remiſmuodus, Theodomundus, Suevorum Reges, & Theodomirus.

Legio teneat per Pyrenæos montes, & per Pennam-rubeam, una com Medialevaca, Cervera, Petras-nigras. Anion uſque ad flumen Carrionem, per villam Sernam, per Rivulum-ſiccum, uſque ad villam Ardegam. Per Ceréſinos, uſque in Caſtrum Pepi. Per villam Manam uſque in arborem de Quadros.

c Infra, Itacius.

Supra [c] fines terræ Galliciæ, tria Caſtella, Turtures, Datineus, Caſtellatum, & Naviam.

Hanc Hiſtoria Generalis Hiſpaniæ vocat Lucernam.

Legio civitas ſacerdotalis & Regia, & Lucus, quam Wandali ædificaverunt in Aſturiis, teneant per ſoos terminos antiquos, ſicut eis diviſit Rex Theodomirus. Hæ nulli ſubdantur Archiepiſcopo vel Primati.

Sedes etiam Portucaliæ permaneat in ſua diviſione, ſicut ei diviſit Rex Theodomirus, cum his etiam quæ nos ei adjecimus.

35. Bracara Metropolis teneat Centum-cellas, Gentis millia, Laineto, Giliolis, Adoneſte, Aportis, Aylo, Ceutendonis, Laubis, Cilioto, Letania, Cereſis, Petroneyo, Equiſis ad Saltum. Item pagi, Panojas, Leta, Bregantia, Aſtiatigo, Tarego, Aunego, Metrobio, Bereſe, Palamtuſico, Celo, & Senequumio. Sub uno XXX.

In diviſione Theodomiri ſuprà dicitur: Ad Dumio familia ſervorum, quam hic vocat Regiam: intelligit de Monachis, qui Deo ſerviunt, & ei ſervire regnare eſt.

Ad ſedem Dumienſem familia Regia.

Egitanienſis teneat totam Egitaniam, Meno, Cipio, & Francos.

Portugalenſis teneat in Caſtro-novo Eccleſias quæ in vicino ſunt; ſcilicet, Villa-nova, Betaonia, Veſea, Menturio, Torebia, Bramaſte, Pongoaſte, Lumbo, Neſtis, Napoli, Curmano, Magneto, Leporeto, Melga, Tangobria, Villagomedi, Tanuatta. Item pagi, Lambrencio, Aliobrio, Valericia, Turlango, Ceris, & Mendolis, & Palencia. Sub uno XXV.

Lamecum teneat ipſum Lamegum, Tuencia, Arauca, Cantabriana, Omnia, & Ceminus. Sub uno VI.

Conimbrienſis ſedes teneat ipſam Conimbriam, Eminio, Selio, Bime, Inſula, Aſtrucione, & Portugaliæ caſtrum antiquum. Sub uno VII.

Idem ſuprà in Concilio Lucenſi.

d Caliabrica Itacius.

e In aliis, de Caldes de ære.

Veſeenſis teneat ipſum Veſeo, Rodomiro, Submoncia, Suberbeno, Oſania, Ovelione, Tutella, Goleja, & [d] Caliabria, quæ apud Gotthos poſtea ſedes fuit. Sub uno VII.

Irienſis teneat ipſam Iriam, de Iſſum uſque Cuſancaro, & de Caldas [e] de Rege uſque in oram maris Oceani.

f Azumara Itacius.

Lucenſis teneat ipſam civitatem cum adjacentibus ſuis, cum Cantoquia, Somes, Carabarcos, Monte-nigro, Parraga, Latra, [f] Azamana, Segios, Triavada, Pogonti, Salvatera, Monterroſo, Doira, Deça, Colea. Sub uno XVI.

Aurienſis teneat Veſugio, Ruvale, Teporos, Sediſos, Pincia, Caſavio, Verenganos, Sanabria, & Calabazas majores. Sub uno X.

Aſto-

Aſtoricenſis teneat ipſam Aſtoricam, Legionem ſuper Urbico, Beriſo, Petra-ſperanti, Antiribis, Caldelas, Marellos ſuperiorem & inferiorem, Senure, Frogelos, & Pericos. Sub uno XI.

Britonacenſis teneat Eccleſias quæ in vicino ſunt intro Britones, unà cum monaſterio Maximi uſque in flumen Ovæ.

Tudenſis teneat ipſam Tudem cum Eccleſiis quæ in vicino ſunt, Torelo, Torobera, Ludo, Patre, Agnove, Sagria, Erbilione, Aureas, Langetue, Caraſino, Toruca. Item pagi, Cauda, Ovinia, & Cartaſſe. Sub uno XV.

TOLETO METROPOLI

Subjaceant hæ ſedes.

36. ORetum hæc teneat: de Galla uſque [g] Eciga: de Betra uſque Campaniam. Beatia.
[g] Pinta, *in Itacio.*
Menteſa hæc teneat: de Eciga uſque Securam: de Lila uſque Pulixena.
Acci hæc teneat: de Secura uſque Montaneam: de Arcatel uſque Carachuel.
Baſti hæc teneat: de Montanea uſque Egeſtam: de Rauca uſque [h] Fuſitam.
[h] Ruſitam. *Itacius.*
Urgi hæc teneat: de Egeſta uſque Carthaginem: de Gaſtri uſque Mundam.
Bigaſtrum hæc teneat: de Pugilla uſque Niſdomiam: de Serta uſque [i] in Babam.
[i] Lumbam. *Itacius.*
Illici hæc teneat: per terminos Bagaſtri, & Setabis, & Denia.
Setabis hæc teneat: de Cuſto uſque Moletam: de Togola uſque ad Intam.
Denia hæc teneat: de Soſa uſque in Intam: de Silva uſque Gil.
Valentia teneat de Silva uſque Muſvetum: de mari uſque Alpont.
Valeria hæc teneat: de Alpont uſque in Terrabelam: de Stizerola uſque Nipar.
Secobrica hæc teneat: de Tarabella uſque Obviam: de Toga uſque Brecam.
Arcabrica hæc teneat: de Alcont uſque ad Obviam: de Mora uſque [k] Baſtram.
[k] Luſtriam. *Itacius.*
Complutum hæc teneat: de Alcont uſque ad Cortem: de Guſia uſque ad Coſtem.
Segontia hæc teneat: de Coſte uſque Fuſcam: de Godol uſque Pinam.
Oxoma hæc teneat: de Fuſca uſque Arlanzon, quomodo currit in camino ſancti Petri, qui vadit ad Sanctum Jacobum: de Garaſe uſque Hermitas.
Secobia hæc teneat: de [l] Almet uſque Mambellam: de Montel uſque Vaſodoto.
[l] Alhomer.
Palentia hæc teneat: de Mambella uſque Caltam: de Valbona uſque Fortoſam. [*]
[*] *In Itacio eſt:* Hæ ſunt ſedes XX. diviſæ Epiſcopales de Toleto à mari uſque in caminũ S. Petri, qui vadit ad S. Jacobum.

TARRACONENSI METROPOLI

Subjaceant hæ ſedes.

37. BArcinona hæc teneat: de Mina uſque Pagellam: de Uſa uſque Bordel.
Egara [m] hæc teneat: de Bordel uſque Paladera: de Monteſa uſque Portellam.
[m] Exara, *Itacius.*
Gerunda hæc teneat: de Palada uſque Juſtemate: de Aloſa uſque Pinnas.
Empuriæ hæc teneant: de Juſtamate uſque Bercam: de Ventoſa uſque Gilvam.
Auſona hæc teneat: de Borga uſque Auratam: de Bulga uſque Meutiam.
Urgela hæc teneat: de Aurata uſque Naſonam: de Murela uſque Valam.
Lerita hæc teneat: de Naſona uſque ad fontem Salam: de Lora uſque Matam.
Ictoſa hæc teneat: de Font-Salla uſque Portellam: de Morale uſque Tormelam.
Tortoſa hæc teneat: de Portella uſque Deniam: de Tormoga uſque Catenam.
Cæſarauguſta hæc teneat: de [n] Moovia uſque Splanam: de Ribas montes uſque Gordoto.
[n] De Denia, *Itacius.*
Oſca hæc teneat: de Splana uſque Cobello: de Speſlem uſque Riberam.
Pampilona hæc teneat: de Cobello uſque Muſtelam: de Lotica uſque Tallam: de Muſtela uſque Nampiam: de Sparga uſque Oſtrual.
Calaforra hæc teneat: de Nampia uſque Spargam: de Muſtela uſque Lacalam.
Tiraſona hæc teneat: de Sparga uſque Platenam: de Alto-monte uſque Milleſam.
Auca hæc teneat: de Planta uſque Amayam: de Villa-inferno uſque Pedem Moram.
Inſulæ Baleares, Majoricam, Minoricam, Formenteram, Uſeticam.

SPALI METROPOLITANÆ

Subjaceant hæ ſedes.

38. ITalica hæc teneat: de Ulca uſque Buſam: de Aſa uſque Jamolam.
Aſſidona hæc teneat: de Buſa uſque ad Senam: de Loteſa uſque viam latam.
Elepla hæc teneat: de Sena uſque Datam: de Abiſa uſque Cortelam.
Malaca hæc teneat: de Data uſque Malexcam: de Temia uſque Sedes-campo.

o Eleberri, *Itacius.*
*Maleoca pro mala loca: *fortè hodie* Malagon.

Eliberis o hæc teneat: de * Maleoca uſque Sotellam: de Almica uſque Sedille.
Aſtigi hæc teneat: de Sotella uſque Parietem: de Luca uſque Raucam.
Corduba hæc teneat: de Pariete uſque ad Ubetam: de la Galla uſque Ranam.
Egabro hæc teneat: de Ubeta uſque ad Malam-Sayam: de Gaſta uſque Suetam.
Tucci hæc teneat: de Mala-Saya uſque ad Balagar: de Gigara uſque Calonam.

BRACARÆ METROPOLI

Subjaceant hæ ſedes.

p De Caldas de rege, *Itacius.*

39. Dumio hæc teneat: de Duma uſque Albiam: de Rianteca uſque ad Adaſam.
Portucale hæc teneat: de Ibdia uſque Loſolam: de Olmos uſque Solam.
Tude hæc teneat: de Loſola uſque Lagunam: de Monte-albo uſque Fetoſam.
Auria hæc teneat: de Cuſanca uſque Silum: de Vereganos uſque Calabaças majores.
Iria hæc teneat: de Iſo uſque Cuſacam: de p Caldas de ære uſque in oram maris Oceani.
Luco hæc teneat: de Laguna uſque Buſſam: de Monte-ſoto uſque Quintanam.
Britonia de Buſſa uſque Torrentes: de Octoba uſque Tobellam, & uſque ad Ovem.
Aſtorica hæc teneat per oram Vallis-Carcer, & per fluvios: Humaria ſcilicet, & Ubigo, per Berco & Tavara.

EMERITÆ METROPOLI

Subjaceant hæ ſedes.

q Oxonoba.

40. Pace hæc teneat: de Balagar uſque ad Crocam, ad Montem de Olla uſque Marabal.
Oliſibona hæc teneat: de Darca uſque Ambiam: de Olla uſque Matam.
Elbora hæc teneat: de Sotobra uſque Petram: de Rucella uſque Paratam.
Exonoba q hæc teneat: de Ambia uſque Salam: de ipſa uſque Turrem.
Egeditania hæc teneat: de Salla uſque Navam: de Sena uſque Muriellam.
Conimbria hæc teneat: de Naba uſque Bergam: de Torrente uſque Loram.
Veſeum hæc teneat: de Borga uſque Sortam: de Bonella uſque Ventoſam.
Lamecum hæc teneat: de Sorta uſque Petram: de Tara uſque Ortoſam.
Caliabria hæc teneat: de Sorta uſque Albeniam: de Soto uſque Faran.
Salmantica hæc teneat: de Albenia uſque Sotobram: de Ruſſa uſque Siberam.
Numantia hæc teneat: de Peñagodiſſe uſque ad Tormem, ſuper illos Balneos: de Valle de Rege uſque Dorium. De Villalalle uſque Oterum: de Fumus, ſecus Rivulum-ſiccum, uſque Breto: de Tavara uſque Dorium.
Abula hæc teneat: de Petra uſque Villam: de Viaſto uſque Torrero.
Cauria hæc teneat: de Villa r uſque Tagum, de Aſa uſque Pumar.

r Uſque Dorium. *Itacius.*

NARBONÆ METROPOLI

Subjaceant hæ ſedes.

41. Beterris hæc teneat: de Staleth uſque Barcinona: de Macai uſque Ribafora.
Agatha hæc teneat: de Nuſa uſque Riberam: de Gallar uſque Mirlam.
Magalona hæc teneat: de Nuſa uſque Ribogar: de Caſtello millia uſque Angoram.
Nemauſo hæc teneat: de Buſa uſque Angoram: de Caſtello uſque Sambiam.
Luteba hæc teneat: de Samba uſque Rabaval: de Anges uſque Montem-Rufum.
Carcaſona hæc teneat: de Monte-Rufo, uſque Angeram: de Angoſa uſque Montana.
Elna hæc teneat: de Angera uſque Roſinolam: de Lateroſa uſque Lamuſam.

42. Hæ ſunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta, ſub dominio Gotthorum, tam Archiepiſcopales, quàm Epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, quæ à Romano Pontifice accipiunt communionem Catholicæ veritatis; ut ſecundùm traditionem & doctrinam ſanctorum Patrum, animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra inſtitutio, quæ aſſenſu omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum dictarum ſedium, auctore Deo, facta eſt, firma permaneat in æternum. Hæc omnia ſuprascripta legit glorioſus Rex Wamba in Concilio Toletano, ubi omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi convenerant: quæ ſubſcriptione omnium confirmata ſunt, Quiriaco Toletano Archiepiſcopo primatiæ dignitate & Fide Catholica conſiſtente.

43. Statutum eſt præterea in dicto Concilio, ut omnes clerici viverent ſecundùm regulam ſanctiſſimi Patris Iſidori, prout continetur in libro ejuſdem *De honeſtate clericorum*. Et quicumque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas clauſtralis, vel ſæcularis, pro dignitate, vel ordine, aut aliquo Eccleſiaſtico Beneficio, minam daret Regi, ſive aliquæ aliæ perſonæ; ille excommunicatione perpetui anathematis innodetur.

Erat

Erat ulteriùs ſcriptum in dicto codice Ms.

44. Diviſio provinciarum ſecundùm Plinium lib. 3. cap. 3. Hiſpaniæ citerioris: & dividitur in VII. Conventus: Primus Carthaginenſis, ſecundus Tarraconenſis, tertius Cæſaraugustanus, quartus Cluniensis, quintus Aſturienſis, ſextus Lucenſis, ſeptimus Bracarenſis.

45. In Carthaginenſi conveniunt populi XLII. exceptis inſularum incolis. Ex colonia Accitana Gemellenſes, & Libiſoſona cognomine Foro-auguſtana: quibus duobus jus Italiæ datum. Ex colonia Salarienſi Oppidani, Latii veteris Caſtalorienſes, qui Cæſari Venales appellantur. Setabitani, qui Auguſtani. Valerienſes, ſtipendiariorum celeberrimi. Babarrenſes, Baſtitani, Conſaburenſes, Dianenſes, Celeſtani, Iloricitani, Laminitani, Menteſani, qui & Oritani, Mentiſani, qui & Baſtriali, Oretani, qui & Germani cognominantur, caputque Celtiberiæ, Segobrienſes, Carpetani, Toletani Tago flumini impoſiti, dein Beacienſes, & Urgilienſes. s Baſtuli. *Exc.*

46. Diviſio provinciarum ſecundùm Imperatorem, hoc modo: Cæſar Conſtantinus anno IV. Imperii ſui, ſex Archiepiſcopos, ut dividerent Hiſpaniam in ſex partes ſeu provincias juſſit, ita quòd unuſquiſque haberet terminos ſuos, quos nullo modo quis excedere attentaret.

47. Narbonæ ſubſint, Piteus, Toloſa, Cazlora, Albi, Magalona, Nemis, Carcaſona.

48. Bracaræ ſubſint, Dumia, Portucal, Tude, Auria, Iria, Luco, Britona, Aſtorica.

49. Tarraconæ Barcinona, Egara, Gerunda, Empuriæ, Auſona, Lerita, Ictoſa, Tortoſa, Cæſaraugusta, Oſca, Pampilona, Calaforra, Tyraſona, Auca.

50. Toleto ſubſint, Secobia, Arcabrica, Segontia, Valentia, Uegi, Bagaſtri, Diania, Segorve, Complutum, Oxoma, Valeria, Oretum, Sativa, Beatia, Illici, Menteſa, Acci, Baſta, Palentia.

51. Meridæ ſubſint, Pace, Oxonoba, Oliſipona, Egitania, Caliabria, Lamego, Viſeo, Salmantica, Coria, Elbora, Abela, Numantia.

52. Spali ſubſint, Italica, Aſidona, Elepla, Malaga, Elberris, Aſtigi, Corduba, Egabro, Tucci.

53. Diviſio provinciarum Hiſpaniarum ſecundùm Regem Wambam, factam tempore Quirici Primatis & Archiepiſcopi Toletani. Cùm inter Prælatos Hiſpaniarum magna fuiſſet exorta diſcordia, eo quòd unuſquiſque invaderet terminos diœceſanos; Rex Wamba Synodum celebrari præcepit Toleti, convocatis & congregatis Archiepiſcopis & ſuffraganeis ſuis. Præſentato in medio numero civitatum & diœceſum, taliter diffinitur ibidem.

Provinciæ Carthaginenſis vel Carpetaniæ Metropolis Regia urbs Toletum.

54. Toleto ſubſint, Oretum, Beatia, Menteſa, Acci, Aſtigi, Urgum, vel Almeria, Bagaſtri, Illici, Setabia, Denia, Valentia, Valeria, Segobria, Arcabrica, Iplicea, Segontia, Oxoma, Segobia, Palentia.

55. Tarraconæ ſubſint, Barcinona, Gerunda, Egara, Empurias, Auſona, Urgelo, Ilerda, Ictoſa, Tortoſa, Cæſaraugusta, Oſca, Pampilona, Auca, Calagurra, Tyraſona.

56. Narbonæ ſubſint, Caucolibium, vel Toloſa, Carcaſona, Biterris, Agatha, Luteba, Magalona, Nemauſum, Elena, vel Elna.

57. Spali ſubſint, Italica, vel Italia, Aſtigis, Corduba, Egabra, Tucci, Eliberi, vel Eliberis, Aſidona, & Malaga.

58. Emeritæ ſubſint, Pace, Olisbona, Oxonoba, Egitania, Caliabria, Viſeo, Lamego, Cauria, Salmantica, Abella, Elbora.

59. Bracaræ ſubſint, Duminm, Feſtabole, vel Portucale, Tude, Auria, Luco, Aſtorica, Iria, vel Uria, Ovetum, vel Britonia, exempta à Gallæciæ Bracara.

60. Acta ſunt hæc Toleto in Concilio Generali, omnibus una voce dicentibus; Placet. Præſentibus ac ſubſcribentibus invicto ac ſereniſſimo Rege Wamba, & Quiricio Archiepiſcopo Toletano; Hiſpaniarum primate, cæteriſque Archiepiſcopis, cum ſuis ſuffraganeis diœceſum prædictarum, in Eccleſia ſanctæ Leocadiæ, Erâ DCCX. per manum Petri de Sancta Leocadia. Vixit autem plus hic Rex Wamba annis quinque, & mortuus eſt.

61. *Hæc omnia exſcripta ſunt ex Cod. antiquo Eccleſiæ Toletanæ, & ex Codice Ovetenſi, qui dicitur Itacios, & à me, ut potui meliùs, emendata. Placuit etiam addere aliam diviſionem inter Oxomenſem & Aucenſem Epiſcopos, in Concilio Provinciali factam, regnante Adephonſo Sexto, & præſidente Ricardo Legato Sedis Apoſtolicæ, & Bernardo Toletano: quam ex archivis Eccleſiæ Burgenſis habui.*

DIVISIO OXOMENSIS ET AUCENSIS

Epiſcopatuum.

62. ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo octavo, Erâ MCXXVI. regnante glorioſiſſimo Adephonſo Imperatore in Toleto, Legione, Gallæcia, Caſtella, & Nagara, facta eſt Synodus in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Fuſellis, apud Caſtrum Montloy, præſidente domino Ricardo, vicario ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ, præſente cum eo domino Bernardo Archiepiſcopo Toletano, & Archiepiſcopo domino Petro Aquenſi, reſidentibus cunctis Epiſcopis regni ipſius glorioſiſſimi Regis, videlicet Dumienſi Epiſcopo Gundiſalvo, Aderico Tudenſi Epiſcopo, Arriano Caurienſi Epiſcopo, Oſmundo Aſturicenſi Epiſcopo, Raimundo Palentino Epiſcopo, Petro Legionenſi Epiſcopo, necnon electis in miniſterium Epiſcopi, Petro in Eccleſia Beati Jacobi, Martino in Eccleſia

Coimbrienſi, Sigefredo in Eccleſia Nagarenſi, Petro in Eccleſia Orienſi. Præſentibus itidem Abbatibus, Fortunio in monaſterio Exilienſi, Vincentio in monaſterio Anſilance, Didaco in monaſterio Sancti Facundi. Electis etiam in Abbatia Rhegienſi, Joãne in monaſterio Onienſi, Petro in cœnobio Sancti Petri Caradignæ: cum conſilio & conſenſu ſupradicti Catholici Regis, & Epiſcoporum, Abbatum, Principum, & procerum ipſius regni, necnon totius Concilii, facta eſt diviſio inter Oxomenſem & Aucenſem Epiſcopatum, qui noviter Burgis translatus eſt. Et quia Oxomenſis Epiſcopatus priùs à Sarracenis invaſus, quotidie per miſericordiam Dei redintegratur; quoniam confinia eorum, & termini incerti habebantur; & quia jugis contentio erat inter Bernardum Toletanum Archiepiſcopum, ad quem Oxomenſis Eccleſia Metropolitano jure pertinet, & Gomizonem Aucenſem, ſeu Burgenſem Epiſcopum, aſſentiente videlicet utraque parte, viſum eſt, ſaniori conſilio ſic determinare parochias eorum, ut à fine Canatanazor, & de Muriello, & Argunza, & caſtri quod dicitur Meſſella & caſtri quod dicitur Eſpega, & à villis quæ dicuntur Congoſto, & Buezo, & ſicut aqua ipſa currit & labitur in Arandam, aqua quæ diſcurrit per Cluniam, & pertranſit ipſam Cluniam, uſque ad Peñam de Aranda, donec labitur in fluvium Dorium, & omnes villæ ex hac parte fluminis Arandæ, in quibus currit Sayo de Clunia, necnon trans fluvium Dorium caſtrum Materiolum, & Vociquellas, & uſque ad civitatem Septempublicenſem, & quicquid ultrà continetur, decerneretur eſſe Oxomenſis Eccleſiæ: illa verò quæ citra ſunt terminum prænotatum, verſus ſeptemtrionalem plagam, Aucenſis Eccleſia jure perpetuo poſſideat. Sanè ſi quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Rex, Comes, Princeps, aut aliqua poteſtas, ſeu qualibet Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, definitionis hujus paginam pertinaci audacia violare, vel in aliquo infirmare tentaverit; reum ſe de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine cum ſiniſtris deputatus, diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Subſcriptiones.

Ego Adephonſus, divina præordinante gratia Hiſpaniarum Rex, ſupranominatam diviſionem fieri volui, manuque propria firmavi.

Ego Ricardus, ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ vicarius, huic Concilio præſidens laudo, manuque propria confirmo.

Ego Bernardus Toletanus Archiepiſcopos, finium Oxomenſis Eccleſiæ defenſor & inveſtigator, ſuprascriptam diviſionem laudo, manuque propria corroboro.

Ego Petrus Aquenſis Archiepiſcopus confirmo.
Ego Gomeſanus Burgenſis Epiſcopus confirmo.
Ego Gundiſalvus Dumienſis Epiſcopus confirmo.
Ego Adericus Tudenſis Epiſcopus confirmo.
Ego Arrianus Ovetenſis Epiſcopus confirmo.
Ego Oſmundus Aſtoricenſis Epiſcopus confirmo.
Ego Raimondus Palentinus confirmo.
Ego Petrus Legionenſis Epiſcopus confirmo.
Ego Petrus in Eccleſia Beati Jacobi electus confirmo.
Ego Martinus in Eccleſia Conimbrienſi electus confirmo.
Ego Sigefredus in Eccleſia Nagarenſi electus confirmo.
Ego Petrus in Eccleſia Orienſi electus confirmo.
Ego Fortunio Exilienſis Abbas confirmo.
* Silos. Ego Vincentius Sancti Petri * Aſilicenſis Abbas confirmo.
* Sabagun. Ego Didacus monaſterii Sancti * Facundi Abbas confirmo.
* Oña. Ego Joannes monaſterio * Onienſi electus confirmo.
* Cardeña. Ego Petrus in monaſterio S. Petri * Caradignæ electus confirmo.
Ego Garſias Nagarenſis Comes confirmo.
Ego Petrus Comes de Carrion confirmo.
Ego Ferdinandus Comes confirmo.
Ego Martinus Comes confirmo.
Ego Rodericus Ordoñez Princeps confirmo.
Ego Rodericus Gonſalvez Princeps confirmo.
Ego Gundiſalvus Nuñez Princeps confirmo.
Ego Alvarus Diaz Princeps confirmo.
Ego Lope Sanchez Princeps confirmo.
Ego Didacus Sanchez Princeps confirmo.
Ego Petrus Alvarez Princeps confirmo.
Ego Bermudo Rodriguez Princeps confirmo.

63. Ad exactiorem harum diviſionum intelligentiam, nomina antiqua cum neotericis Epiſcopatuum Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis conjunxi; ſequutus in hac interpretatione ſedium diviſionem Codicum Mss. ſuperiùs poſitam. Provinciam verò Carthaginis primò enodare conſtitui, propter ejus dignitatem; brevitati ſtudens potiùs, quàm labori prolixæ inquiſitionis.

PROVINCIA CARTHAGINIS.

64. Toletum.] Hodie *Toledo*. Plinius: *Caput Carpetaniæ Toletani, Tago flumini impoſiti*, unde Livio Carpetanorum urbs, colonia Romanorum, ut ex nummis conſtat: inſignis religionis cultu Metropolis, & Hiſpaniæ Primas.

65. Complutum.] Hodie *Alcalà de Henares*: martyrio Juſti & Paſtoris conſpicua: Prudentius:

Sanguinem Juſti, cui Paſtor hæret,
Ferculum duplex, geminumq; donum
Ferre Complutum gremio juvabit,
Membra duorum.

Eſt nunc ſub Toletano Præſule, illuſtriſque omnium bonarum artium Academia, & doctiſſimorum hominum magiſtra.

66. Oxoma.] Oroſio, Plinio *Uxama*, & Ptolemæo *Οὔξαμα*, in Arevacis: hodie *Oſma*; ruinâ potiùs cognita, quàm antiqua majeſtate. Eccleſia Cathedralis in vicum tranſlata, qui *el Burgo de Oſma* dicitur. Alii ſcribunt *Uxſama* per S. Florus lib. 3. cap. 1. *Auxima*. Epiſcopus eſt Toletano ſuffraganeus.

67. Palentia.] Hodie *Palencia*. Epiſcopatus inſignis, ſuffraganeus Præſulis Toletani: ſcribitur duplici ll apud Ptolemæum & Appianum.

68. Valeria.] Civitas antiqua prope Quoncam, à Mauris deſtructa, impoſita fluvio Guadiela. Poſtea cùm Rex Adephonſus nonus Quoncam munitiſſimum caſtellum Mauris eripuiſſet; novemque menſium obſidione expugnâſſet; urbem in eo ædificavit, & cathedram Epiſcopalem, pleniſſimam poſuit, attribuitque ei auctoritate Lucii III. Pont. Max. Valerienſem & Arcabricenſem antiquas ſedes, Joanne Jañez primo in ea confirmato Epiſcopo. Exſtat nunc puſillus pagus, qui *Arcas* dicitur, quem quidam Arcabricam veterem exiſtimant. De Quonca Rodericus Toletanus lib. 7. cap. 26. Eſt Toletano ſuffraganea.

69. Segontia.] Nunc *Siguenza*. Per V. & T. habet Livius & Plinius, Saguntia; ponitque eam in Arevacis cum Uxama: rectè, nam parum utraque diſtat. Antoninus inter Cæſarauguſtam & Complutum ponit. De Segontia in Bætica alia eſt ratio. Epiſcopus eſt in ſpiritualibus & temporalibus urbis dominus, ſuffraganeus Toletano.

70. Secobia.] Nunc *Segovia*. Sic etiam Plinius, eſtque in Arevacis, aquæ ductu, lanificio, & populi frequentia inſignis, Toletano ſuffraganea.

71. Arcabrica.] Fuit olim Epiſcopalis ſedes, nunc prope Quoncam tenue magnæ quondam urbis veſtigium, *Arcas* vocatur: fuitque, ut diximus, Quonquenſi Epiſcopatui ab Adephonſo nono olim unita, ſub Lucio III. Pont. Max. ut ex ejus diplomate conſtat, quod in archivo Quonquenſis Eccleſiæ aſſervatur. Aliud eſt Arcobrica, & Arcobricenſes apud Plinium, Methymnæ pagus. Quam Antoninus inter Segontiam & Bilbilim ponit Arcobricam, ea eſt, quæ nunc *Arcos* in itinere Hortæ, in finibus Aragoniæ; diſtat à Quonca viginti & quinque leucas Hiſpaniæ: *Arcas* verò tantùm duas vel tres.

72. Oretum.] Unde Oretani, quos Plinius inter ſtipendiarios connumerat: *Oretani* (inquit) *qui Germani cognominantur*. Strabo & Ptolemæus in Tarraconenſi Hiſpania collocant. Ambroſius de Morales rude ſolum prope Almagro & Granatulam, aliis *Calatrava*. Hæc nunc Epiſcopo caret, ſed habet cœnobium inſigne religionis militiæ Calatravæ, ſub regula S. Benedicti.

73. Valentia.] Nunc *Valencia*. Conteſtanorum in Hiſpania Tarraconenſi urbs eſt Ptolemæo. Plinius, *Valentia* (inquit) *colonia III. M. P. à mari remota*. Romam antè vocatam ſcribit Beutherus. Hæc à Mauris capta, per multos annos in ſervitute jacuit, donec tandem à Cidio Roderico Bibar expugnata, Chriſtiano cultui reſtituitur: ſed eodem vita functo, iterum in poteſtatem Sarracenorum devenit; uſque dum Jaimus, inclytus Aragonum Rex, ſecundò eam recepit, & in ipſa Præſulem Jaimum de Ferrera de S. Martino conſtituit. Hæc ſummorum Pontificum altrix, ab Innocentio VIII. ad petitionem Roderici Borgiæ Epiſcopi Cardinalis Valentini, & demum Pont. Maximi, in Metropolitanam fuit erecta anno MCDXCII. eidemque ſuffraganei Majoricenſis & Carthaginenſis Epiſcopi dati. Sunt & alia ejuſdem nominis parva oppida in Hiſpania, in quibus Epiſcopalis ſedes nunquam fuit.

74. Dianio.] *Denia* hodie. Apud Plinium Dianium & Locentum Latinorum ſtipendiarium. Lucentum hodie *Lachente*, propè Valentiam, ſicut Dianium in maris ora versùs Occidentem; caretque Epiſcopo, & eſt in Valentina diœceſi. Florianus ſcribit idem eſſe cum Ferrariæ promontorio Melæ; quod veriſimile eſt. nam, ut Strabo ait, bonæ ibi fiunt ſecturæ ferri.

75. Setabis.] Hodie *Xativa*. Scribitur ferè cum diphthongo Sætabis, propè Valentiam. Epiſcopo caret. Inde Sætabitani, apud Plinium, qui Auguſtani. Hanc Silius Italicus in lib. 3. in arce excelſa ſitam indicat.

76. Carthago.] Hodie *Cartagena*. Portum habet inſignem, & multarum navium atque triremium capacem. Plinius: *Tarraco Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum*. Iſidor. lib. 15. Originum: *Afri ſub Annibale maritima Hiſpaniæ occupantes, Carthaginem Spartariam conſtruxerunt; quæ à Romanis capta & colonia facta, nomen etiam provinciæ dedit: nunc autem à Gotthis ſubverſa, atque in deſolationem redacta eſt*. Hæc Iſidorus. Habet Epiſcopum Toletano Præſuli ſuffraganeum. Antiqua Gotthorum ſedes: ab eaque tota Toletana provincia Carthaginenſis fuit cognominata. Carthaginem Silius Italicus lib. 3. Teucro fundatori tribuit.

Dat Carthago viros Teucro fundata vetuſto.

Fuit conventus unus ex ſeptem qui à Plinio memorantur. Vetus inſcriptio ibidem inventa:

IMP. CÆSARI. T. ÆLIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. PP. COS. IV. PONT. MAX. TRIB. POTEST. CONVENTVS. CARTHAG. CVRANTE. POSTHVMIO. CLARANO. FLAMINE.

77. Baſti.] Inde Baſtitani & Baſtitania: cum B. ſcribo: hodie *Baza* in colonia Salarienſi. Plinius

nius inter ſtipendiarios celeberrimos Baſtitanos connumerat: caret Epiſcopo, eſtque in diœceſi Accitana, quamvis Archiepiſcopus Toletanus juris aliquid in ea habeat. Qua de re vide quæ Alvarus Gomezius ſcribit in *Ximenio*.

78. Menteſa.] De hac quod affirmem, nihil certi habeo; & noſtri Hiſtorici in varias diſtrahuntur ſententias. Vida longam & eruditam commentationem, quam Hiſpano idiomate Ambroſius Morales hac ipſa de re edidit. Cui, cùm ob ipſius ſingularem doctrinam, tum ob noſtram in Complutenſi olim Academia amicitiam initam, lubens acquieſco. A Mauris ita hæc urbs penitùs deſtructa fuit, ut hinc nullum divinandi certi aliquid vaſtigium relictum. Plinio Oretani, Baſtuli, & Manteſani, iidem ſunt lib. 3. cap. 3. *Menteſani* (inquit) *qui & Oretani: Menteſani, qui & Baſtuli*. Baſtulos ponit Ptolemæus in Hiſpania Bætica ad fretum Gaditanum, quos etiam Pœnos vocat. Nam teſte Plinio lib. 3. cap. 1. & Pomponiò Mela lib. 2. cap. 6. ab utraque freti parte Pœni habitârunt: ad quod alluſiſſe videri poteſt Horatius, ubi ait:

Latiùs regnes, avidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

79. Acci.] Hodie *Guadix*, Arabico idiomate: inde Accitanus. Epiſcopum habet Granatenſi Archiepiſcopo ſuffraganeum. In hac civitate Sanctus Torquatus, Paulli Apoſtoli diſcipulus, prima Chriſtianæ religionis fundamenta jecit: & Camerinus tempore Conſtantini Magni Concilio Eliberitano interfuit.

80. Beatia.] Hodie *Baeza*. Alii ſcribunt Biacia: antiqui Beatia. Inde Epiſcopus Beatienſis, ut habent Concilia. Ptolemæus Beatiam ponit in Oretanis, eo loco quo Livius lib. 29. ponit Lapidas-Atros in Auſetanis, ut Glareano placuit, inter Illiturgim & Menteſam, ubi Aſdrubal caſtra habebat. Eſtque in Epiſcopatu Gienienſi, versùs Septemtrionem. Beatiam autem per T efferendum eſſe, conſtat ex antiqua lapidis inſcriptione:

Q. VALERIO. POSTHVMO. BEATIANO. Q. VALERII. CASTVLI. F. QVI. VIXIT. ANN. XXXII. ANTONIA. AVR. EX TESTAM. B. M. P.

Lego: ANTONIA AURELIA.

In vetuſtiori partitione Carthaginenſis Metropolis, non plures his ſaptemdecim Eccleſiæ erant attributæ; poſtea aliæ ſunt adjectæ, ut ex Conciliis & recentioribus diviſionibus colligimus: ut ſunt quæ ſequuntur.

81. Segobrica.] Hodie *Segorbe*. In regno Valentiæ. Inda Epiſcopus Segobricenſis, ſuffraganeus Archiepiſcopi Valentini. Sunt qui legant ex nummo, Sigobrica. Ambroſius alitar. Hoc certum, Epiſcopum Segobricenſem ſub Toleto fuiſſe. Unde in antiqua diviſione inter alios ſuffraganeos ponitur Segorbe: & in Concilio Toletano ſub Gundemaro Rege, jam tunc adjecta Toletano Præſuli: nam ibi primò ſubſcribit Poſcarius Epiſcopus Segobricenſis.

82. Caſtulo.] Hodie *Cazlona*. in Bætica propè urbem Beatiam. Plinius Caſtulonenſes Cæſari Venales vocari ait. Silius Italicus, & ipſe Hiſpanus, lib. 3.

Fulget præcipuis Parnaſia Caſtulo ſignis.

Livius De bello Punico: *Caſtulo urbs valida & nobilis Hiſpaniæ; adeò conjuncta ſocietate & amicitia Pœnis, ut inde uxor Annibali eſſet*. Idam Plutarch. in Vita Sertorii. In antiquo lapide cùm aſpiratione ſcribitur:

VALERIÆ. CIPATINÆ. TVCCITANÆ. SACRVM. COLONIÆ. PATRICIÆ. CORDVBENSIS. FLAMINICÆ. COLONIÆ. AVG. GEMELLA. TVCCITANÆ. FLAMINICÆ. SIVE. SACERDOTI. MVNICIP. CHASTVLONENSIS. Epiſcopum non habet.

83. Bigaſtrum.] In Concilio Tolatano, in quo tantùm Epiſcopi ſuffraganei Toletani Præſulis convenerunt, ſubſcribit Bigitinus Epiſcopus Bigaſtrenſis. Erat prope Illicem & novam Carthaginem, ut ex diviſiona Wambæ patet. Non habet Epiſcopum, nec locum nunc certum. Aliis *Bilveſtre*, in finibus Portugalliæ, oppidum ditionis Rui Velazquez avunculi Infantium de Lara, ex hiſtoria antiqua.

84. Illicis.] Hanc Plinius prope Carthaginem novam ponit. *Propè flumen Tader* (ait) *colonia immunis Illicis: unde Illicitanus ſinus*. Idem Mela. Nonnulli ex noſtratibus *Alicante* portum maris Mediterranei, alii *Elche* oppidum nobile propè Carthaginem, non procul à mari, exiſtimant. Verùm cùm Plinius Illicem propè flumen Tader collocet; hæreo hac in re: præſartim cùm Florianus & Naugerius Tader flumen Seguram eſſe dicant. Et fortè ea fuit Illicis, quæ nunc Origuela, ſupra Seguram poſita propè oram maris. Nunc habet Epiſcopum ſuffraganeum Archiepiſcopatûs Valentini, à Carthaginenſi diœceſi his tamporibus disjunctum auctoritate Paulli IV. Pont. Max.

85. Aſtigi.] Hodia *Ecija*. Mela urbium de mediterraneis hanc clariſſimam in Bætica appellat, cum Hiſpali, & Corduba. Nunc caret Epiſcopo, eſtqua in diœceſi Hiſpalenſi. Hanc coloniam fuiſſe, & Auguſtam-Firmam nominatam, ſcribit Plinius.

86. Elotona.] In Concilio Tòletano ſub Gundemaro Rege Erâ DCXLVIII. quod coactum fuit ex ſolis Epiſcopis provinciæ Carthagitis, ſubſcribit Sanabilis Eccleſiæ Elotonæ Epiſcopus: fortè Eliocrotæ, ſicut in Elliberitano ſubſcribit Succeſſus Eliocrotæ Epiſcopus. Eliocrota in Itinerario Antonini ponitur à Carthagine Spartaria XXV. millibus paſſuum diſtans: fortè everſa à Gotthis, ſicut Iſidorus Carthaginem fuiſſa tradit. Sunt tamen qui dicunt eſſe Lorcam, ſupra Carthaginem, Septemtrionem versùs: Et fortaſſis Epiſcopus qui hîc ſubſcribit, aliunde fuit, & vel exſul, vel negotiorum cauſſâ, Gotthorum curiam ſequens, Concilio huic interfuit: nam tales in Conciliis admittebantur, ſervato loco & voce.

PRO-

PROVINCIA GALLÆCIÆ.

87. Bracara Metropolis.] Hodie *Braga*. A Plinio pönitur conventus civitatum XXIV. vocatur Auguſta Bracarum. Habet nunc Archiepiſcopum & ſuffraganeos.

88. Portucale.] Hodie *el Puerto*. Ad oſtium Durii fluvii ſita in ora maris Oceani, habet amplum portum. Cale ab Antonino appellatur; ſicq; adjecta voce portu, nunc Portucale. Feſtabole quoque appellabatur. Cale autem appellatio multarum civitatum, ut eſt in Campania, Flaminia, & in Gallia. Vide Servium ad illud 7. Æneïdos: *Quique Cales linquunt*. Habet Epiſcopum.

89. Conimbria.] Nunc *Coimbra*, in Luſitania. Alii ſcribunt Conimbrica: alii ex marmorum inſcriptionibus Conimbriga. Reſendius & Varrerius, Luſitani docti, putant eſſe Condexam veterem, non Coimbram, ut multi putant, nominis alluſione decepti. Coimbra nunc Epiſcopatum habet, & inſignem Academiam ſupra Mondega fluvium ſitam.

90. Egitania.] Vel rectiùs, ut antiqua monumenta habent, Igæditania, & Igæditani (ut in veteri pontis Alcantaræ inſcriptione eſt) nunc vicus obſcurus, *Eidania* dictus. Epiſcopalis ſedes in Guardiam tranſlata eſt. In Concilio Emeritenſi Igædita in provincia Luſitaniæ ponitur, Canone VIII.

91. Veſeo, ſive Viſeus.] Nunc *Viſeo*, in Luſitania. Ptolemæus in Hiſpania Tarraconenſi Viſontium collocat. Quem locum Varrerius Luſitanus in ſua Chorographia à Viſeo multis leucis diſtare eruditè docet. Hodie & ſedis Epiſcopalis antiquam dignitatem & nomen retinet; parum à fluvio Mondega versùs Septemtrionem diſtans.

92. Lamego, vel Lameca.] Nunc *Lamego*, in Luſitania ad Durium amnem ſita. Sedem Epiſcopalem habet.

93. Vectica.] A Vectonibus, qui Plinio, Livio, & Cæſari Hiſpaniæ populi ſunt in Extramaduræ tractu. Ptolemæo etiam Vettones Luſitaniæ populi, quorum meminêre Appianus, Strabo, Plinius, Prudentius, & alii. Vide Reſendium in Epiſtola ad Vaſæum ſcripta. Prudentius Emeritam coloniam Vettoniæ appellat lib. Περὶ στεφάνων, de martyrio Sanctæ Eulaliæ.;

Nunc locus Emerita eſt tumulo,
Clara colonia Vettoniæ:
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavat.

94. Dumio.] Monaſterium propè Bracaram ſingularis obſervantię, in Hiſpania à Martino ædificatum, & cujus ipſe fuit primus Abbas & Epiſcopus, & ob ejus honorem in Epiſcopalem ſedem erectum. Hodie templum exſtat miræ antiquitatis, de quo abundè ab Hiſtoricis noſtris ſcriptum. Attribuitur ei tantùm *familia regia*, hoc eſt regimen ſanctorum monachorum: nam ipſi ſunt ex regia familia. & alibi dicitur *familia ſervorum*, qui Chriſto Regi ſummo dicati, ſtudium omne in cultu religionis & pietatis collocant.

95. Auria.] Hodie *Orenſe*, ad amnem Minium ſita. Inde Aurienſis Epiſcopus. Agnoſcit nunc pro Metropolitano Compoſtellanum Archiepiſcopum.

96. Tude.] Hodie *Tuy*, Epiſcopalis ſedes Compoſtellano ſuffraganea, ad Minium ſita, propè litus maris Oceani, ubi confluit Ana fluvius. Ab Antonino inter Bracaram & Aſtoricam collocatur: fortè hæc, quam Silius Italicus lib. 3. Ætolam Tyden appellat.

97. Luco.] Hodie *Lugo*. Olim Suëvorum tempore ſedes Metropolitana poſt Bracaram. Nunc Epiſcopatum habet agnoſcentem Metropolitanum Compoſtellæ. Apud Plinium Lucenſis conventus populorum eſt XVI.

98. Iria.] Hodie *el Padron*, in regno Gallæciæ: ubi cùm primò corpus D. Jacobi quieviſſet, poſtea Compoſtellam tranſlatum. In Iria autem dicitur verbum Dei primùm annunciâſſe. Epiſcopalis ſedes Compoſtellam traducta, ad altiorem dignitatem, ob honorem ſanctiſſimi Apoſtoli erecta, pietate & devotione Alphonſi Caſti Legionenſis Regis.

99. Britonia, vel Britania, vel Britinia, ſeu Britonium.] Tempore Alphõſi Caſti Legionenſis, anno Domini DCCCLXXIII. in conſecratione Eccleſiæ Compoſtellanæ ab ipſo magnificè ædificatæ, inter alios decem & ſeptem Epiſcopos interfuit Theodorindus Epiſcopus Britonienſis. Sunt qui dicant eſſe *Mondoñedo* in Gallæcia, vel propè eam. Alii, ut Vaſæus, ex ſententia Reſendii, civitatem in Portugallia Inter-amni, propè Vianam, quæ dicitur *de Camigna*: cujus etiam nunc veſtigia exſtare Reſendius affirmat. Verùm in antiquo Cod. Ms. in diviſione Epiſcopatuum legitur: *Ovetum, hoc eſt Britonia: exempta à Gallæcia Bracara.* In IV. Toletano ſubſcribit Metopius Britonienſis Epiſcopus: & in VII. & in VIII. Toletano Sona ſeu Sonanus: & in III. Bracarenſi Bela Britanienſis Epiſcopus. Nunc exempta nullum Hiſpaniæ recognoſcit Archiepiſcopum. Habuit aliquando conceſſione Joannis VIII. Pont. Max. jus Metropoliticum.

100. Aſturica.] *Aſtorga* hodie. Plinius in tranſmontanis eam ponit, & ait eſſe urbem magnificam: hodie dignitatem retinet Epiſcopalem: inſignior ſacerdotum copià, quàm civium multitudine: ſequitur Compoſtellæ Metropolim. In antiqua partitione Eccleſiarum Hiſpaniæ, quam in Alveldenſi Codice videre licet, in provincia Gallæciæ non ponuntur plures quàm hæ quatuordecim: verùm ex diviſione Wambæ, & Conciliorum Provincialium ſubſcriptionibus additur Caladonia, ſeu Caladunum, quæ Callaïcorum Bracarorum urbs eſt, apud Ptolemæum; & ab Antonino ponitur inter Aſtoricam & Bracaram.

PROVINCIA LUSITANIÆ.

101. Emerita Metropolis.] Dicta Emerita-Auguſta, à militibus emeritis Auguſti, ut Iſidorus habet lib. 15. cap. 1. *Originum*. nunc *Merida*, Anæ fluvio impoſita, omniqúe auctoritate exſpoliata, atque deſtructa, nihil præter ruinas, & magnę antiqui-

antiquitatis veſtigia retinet; eſtque militiæ D. Jacobi in ſpiritualibus attributa, nullum Epiſcopum agnoſcens. Jus autem Metropoliticum in Compoſtellanam Eccleſiam translatum à Calliſto II. Pont. Max. eſt. Ex hac urbe diva Eulalia martyr fuit: de qua Prudentius in ipſius hymno:

Carmine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior:
Emeritam ſacra virgo ſuam,
Cujus ab ubere progenita eſt,
Oſſibus ornat, amore colit,

102. Avela.] Nunc *Avila*. Fortè ſcribendum Abella. Eſt ejuſdem nominis urbs in Aprutio, & altera in Campania. De poſteriori Ambroſius Leo, cujus eſt patria, tres libros compoſuit: ſicque dictam affirmat à Græca voce ἄελλα; eò quòd ventorum flatibus ſit valdè obnoxia. Quæ nominis ratio & noſtræ Abellæ valdè quadrat; quippè quæ & ipſa immoderatis ventis valdè vexetur. Epiſcopum habet Compoſtellano Archiepiſcopo ſuffraganeum.

103. Salmantica.] Hodie *Salamanca*, urbs omnium literarum gymnaſio, & frequentia, antiquaque nobilitate civium admodùm clara. Epiſcopum habet Compoſtellano ſuffraganeum.

104. Elbora.] Hujus ferè nominis quinque ſunt oppida in Hiſpania. Ebura ab Antonino Liberalitas-Julia appellatur. A Mela Ebora alia, caſtellum in litore maris, in ſinu Gaditano: alia in magno promontorio in Luſitania. Idem Strabo & Stephanus. Ebura eſt apud Ptolemæum in Turdulis in Bætica, ſed interiùs, verſus mediterranea. Hanc Strabo & Plinius Eburam Cerealem nominant. Ebura alia ab Ebora, eſt etiam apud Ptolemæum in Luſitania. Et Ebora in Heditanis. Concilia Mss. habent Elbora, & Epiſcopus Elborenſis. Reſendius Luſitanus, & Quebedius Toletanæ Eccleſiæ Portionarius, de hac re contendunt: alter Eboram in Luſitania, alter Talaveram, in regno Toletano nobile oppidum, Elboram eſſe affirmant. Scripſit de Eboræ in Luſitania antiquitate, & dignitate, atque nobilitate, Reſendius eruditum commentarium: quæ Archiepiſcopum habet. Talabrica ſine Epiſcopo, ſub ditione Archiepiſcopi Toletani eſt, de qua Marianus noſter lib. 4. cap. 13.

105. Caurio.] Hodie *Coria*, Luſitaniæ oppidũ Ptolemæo. Caurienſes apud Plinium. Epiſcopum habet Compoſtellano ſubditum.

106. Pace.] Noſtri quidã non mali auctores Pacem-Juliam, & Pacem-Auguſtam diſtinguunt, ut Pax-Auguſta ſit quæ nunc *Badajoz*, quæ habet Epiſcopalem ſedem: poſita ad Anam fluvium; Compoſtellanæ ſuffraganea: & inde Pacenſis colonia, & Pacenſis conventus apud Plinium. Pax autem Julia, quæ hodie *Beja* in Luſitania, cujus meminit Ptolemæus. Et in ea etiam nunc exſtant hujus rei nota argumenta: ut colligitur ex inſcriptionibus ipſius atque ruinis. Diſtat octo leucis à *Badajoz*.

107. Exonoba.] Plinius: *A flumine Ana* (inquit) *litore Oceani oppidum Oſonoba, Luſturia cognominatum*. Plinius in Luſitaniæ cuneo ponit Mirtylem, Balſam, & Oſſonobam, quæ nunc *Stombar*, alii *Sylvis* putant: utraque eſt juxta maris oram. Verùm *Sylvis* Epiſcopum habet, cui Oſſonobenſis Eccleſia antiqua eſt ſubdita: *Stombar* verò in ejus eſt diœceſi.

108. Olißibona.] Olyſſippo eſt apud Plinium, & Melam, pro Ulyſſippo. Plinius lib. 4. cap. 21. *A Tago, in ora Olyſſippo, equarum è favonio vento conceptu nobilis: eſtque Tagi oſtium, amnis aurum gemmaſque generantis*. Apud Ptolemæum Ὀλιοσίπων. Hanc Plinius tradit poſtea Felicitatem-Juliam dictam. Nunc *Lisboa*. Archiepiſcopum habet, & eſt caput regni Luſitaniæ, & mercium peregrinarum receptaculum celebre. De ea Iſidorus ſic ait: *Ulyſſippona ab Ulyſſe condita & nuncupata: quo loco, ſicut Hiſtoriographi dicunt, cælum à terra, & maria diſtinguuntur à terris*. Qui locus deſumptus eſt ex Plinio lib. 4. cap. 20. *Olyſſippo enim* (inquit) *ab oppido terras, maria, cælum diſterminans*. In diviſione Wambæ adjectæ ſunt Luſitaniæ Metropoli aliæ Eccleſiæ ex Bracarenſi Metropoli, de quibus in Concilio Emeritenſi diximus; nimirum Egitania, Conimbria, Veſeum, Lamecum: quas Bracarenſi Metropoli Cod. Ms. attribuit. Verùm alias duas ponit Wamba, nimirum Caliabriam, & Numantiam. Inter Luſitaniam & Gallæciam provincias graves lites atque continuæ interceſſerunt frequenter de numero Epiſcopatuum, ut conſtat ex Concilio Emeritenſi, & ex Epiſtola ſummi Pontificis, quam eidem adjunximus. Unde non mirum ſi in partitione Wambæ adjectæ ſunt Metropoli Luſitaniæ Egitania, Conimbria, Veſeum, Lamecum: in hac verò quã ex Cod. Ms. poſuimus, Bracarenſi Metropoli adjudicantur. Quin & in partitione Wambæ alii duo Epiſcopatus provinciæ Luſitaniæ adduntur, ſcilicet Caliabria & Numantia, de quibus dicemus.

109. Caliabria.] Hanc hodie dicunt eſſe *Montanges*. In ſexto & ſeptimo Concilio Toletano ſubſcribit Servus-Dei Epiſcopus Caliabrienſis, & non Colimbrienſis.

110. Numantia.] Plinius lib. 4. cap. 20. de ea ſic ait: *Durius amnis ex maximis Hiſpaniæ, ortus in Pelendonibus, & juxta Numantiam*. Contendunt multi ex noſtris docti ex loco Plinii Numantiam eſſe Soriam: alii contrà, eſſe *Zamoram*: utraque nobilis urbs. Soria eſt in Epiſcopatu Oxomenſi: Zamora Epiſcopum habet ex primis Hiſpaniæ. Verùm cùm Soria non diſtet ab ortu Durii, ſic diſtinguo locum Plinii: *Durius amnis ex maximis Hiſpaniæ, ortus in Pelendonibus, & juxta Numantiam lapſus: deinde per Arevacos, &c.* Et lib. 3. cap. 3. *Pelendones Celtiberorum quatuor populis, quorum Numantini fuere, clari. Unde Numantini ſunt inter Pelendones, ubi eſt ortus Durii*. Mela in Tarraconenſi eam collocat: *In Tarraconenſi* (inquit) *clariſſimæ fuerunt Pallentia & Numantia*. Zamora Pœnum nomen. Alphonſo VI. oratore, Caliſto. II. R. P. circa annum Domini MCXIX. in Epiſcopatum erecta; civitas nobilis, Durio impoſita, Compoſtellano ſuffraganea.

PRO-

PROVINCIA BÆTICÆ.

111. Spalis Metropolis.] Sicque conſtanter Gotthi ſcribunt, ut Spania. Verùm Romani Hiſpalis. Nunc *Sevilla*, Metropolis inſignis, urbsque opulentiſſima auri & argenti, merciumque Indicarum. A Mela dicitur, clariſſima in Bætica. Plinius: *Hiſpalis colonia cognomine Romulenſis*. Idemque unum ex quatuor conventibus juridicis Hiſpalenſem eſſe dicit. Iſidorus nomen ejus deducit à ſitu, eo quòd in ſolo paluſtri, ſuffixis in profundo palis, locata ſit.

112. Italica.] Hodie non exſtat. Conſpiciuntur tantùm ejus ruinæ prope Hiſpalim. Appellatur Hiſpalis vetus: ab Hiſpali ſex paſſuum millibus diſtita. Plinius in conventu Hiſpalenſi eam collocat, vocatque Ilipam cognomento Italicam. Onuphrius inter colonias Romanas connumerat ex loco Gellii cap. 13. lib. 16.

113. Elipa.] Apud Plinium eſt Hipa Italica, in conventu Hiſpalenſi quæ vocatur major à Ptolemæo, & Elipula minor, cum ſimplici aut geminato l. in conventu Aſtigitano. Et exiſtimo diminutivum eſſe ab Elipa. Inde Epiſcopus Elipenſis frequenter in Conciliis noſtris ſubſcribit. Dicunt eſſe hodie *Niebla*. alii aliter. Non habet Cathedram Epiſcopalem.

114. Aſtigis.] Hodie *Ecija*. A Mela in Bætica ponitur Aſtigi, Hiſpalis, & Corduba. A Plinio, ut diximus, & conventus juridicus & colonia Aſtigitana, cognomine Auguſta-Firma, appellatur. Non habet Epiſcopum, ſed eſt in diœceſi Hiſpalenſi.

115. Corduba, & Cordoba.] Plinius: *Et dextrâ Corduba, colonia Patricia cognominata, inde primùm navigabili Bæti*. Hodie Epiſcopum habet ex primis Hiſpaniæ. Urbs nobilitate & multitudine civium inſignis, & Archiepiſcopo Toletano ſuffraganea.

116. Egabro.] Sunt qui ſcribunt Ægabro. Hodie *Cabra*; ubi ſitus eſt Baucade Epiſcopus Egabrienſis, milliaribus ſex & viginti à Corduba diſſita. Plinius in Bætica Baream ponit, pro quo in emendationibus Jacobi Dalecampii Ubeda repoſitum. Verùm Morales legendum exiſtimat Egabro. Non habet nunc ſedem Epiſcopalem. Gratianus 16. quæſt. 3. cap. *Prima actione*, Ægabrenſem urbem nominat, & in Cod. Gregor. Agabrenſis ſcribitur, ex Concil. Hiſpal. II. cap. 1.

117. Eliberi.] Hodie *Granada*. De ea diximus in Concilio Eliberitano. Cauco-Iliberis ad provinciam Narbonenſem ſpectabat: nunc per ſyncopen *Colibre*; hæc verò ad Bæticam & Hiſpalenſem. Eſt Metropolis magna urbs, Maurorum Imperio, & divitiis olim conſpicua, nunc Chriſtiana pietate & religionis cultu clarior.

118. Malaca.] Hodie *Malaga*. Epiſcopum habet ſuffraganeum Archiepiſcopo Hiſpalenſi.

119. Aſidonia.] Plinius Aſido, quæ Cæſariana. Hodie *Medina Sidonia*. Inde Epiſcopus Aſidonenſis in Conciliis ſubſcribit. Nunc non habet Epiſcopum.

120. Tucci.] In diviſione Wambæ ponitur. Hodie eſt *Martos*. Non habet Epiſcopum. Tuccitanus Epiſcopus in Conciliis antiquis ſubſcribit. Scribendum cum duplici CC. Auguſtam-Gemellam Plinius cognominari dicit: & in veteri marmore: GEMELLA TUCCITANA. Et in alio: RESPUB. TUCCILLANORUM:

IMP. CÆSARI. M. AURELIO. ANTONINO. AUG. DIVI. SEPTIMI. SEVERI. PII. PERTINACIS. AUG. ARABICI. ADIABENICI. PARTHICI. MAXIMI. PACATORIS. ORBIS. FILIO. DD. RESPUBLICA. TUCCILLANORUM.

Eſt etiam Tucci vetus apud eundem Plinium Baſtetaniæ vergentis ad mare.

PROVINCIA TARRACONENSIS.

121. Tarracona Metropolis.] Plinius eam ponit in regione Coſſetania: fortè legendum, Se detania. *Flumen* (inquit) *Subi, colonia Tarraco*. Scipionum Opus. Alii Tarracon ſcribunt. Hanc Prudentius genitricem piorum appellat, hymno de XIIX. Martyribus Cæſarauguſtanis. Ab ea pars una Hiſpaniæ, Tarraconenſis appellata. In lapide antiquo eſt: COL. I. V. TARRACO. Colonia immunis, vel Julia, victrix Tarraco. Archiepiſcopum habet, qui de primatu olim cum Toletano contendit.

122. Dertoſa.] Hodie *Tortoſa*. Plinius inter Tarraconenſes connumerat Dertuſanos. Eſt hæc urbs ad Iberum fluvium prope mare nobilis imprimis. Habet Epiſcopum Tarraconenſi ſuffraganeum.

123. Cæſarauguſta.] Apud Ptolemæum Cæſarea-Auguſta. Hodie *Zaragoza*. De ea ſic Plinius: *Cæſarauguſta colonia immunis, amne Ibero affuſa, ubi oppidum antè vocabatur Salduba, regionis Sedetaniæ*. In veteri inſcriptione: COL. CÆSAREA AUG. SALDUBA. De ea ſic Prudentius hymno de XVIII. Martyribus Cæſarauguſtanis.

Tu decem ſanctos revehes & octo,
Cæſarauguſta ſtudioſa Chriſti,
Verticem flavis oleis revincta,
Pacis honore.

124. Tyraſſona.] Apud Plinium Toriaſo, & Turiaſonenſes. Hodie *Tarazona*. Epiſcopum habet ſuffraganeum Archiepiſcopo Cæſarauguſtano.

125. Calagurris.] Plinius: *Calagurritanos* (ait) *qui Fibularenſes cognominantur*. Hodie *Calaborra*. Vocabatur priùs Calagurris-Naſcica, & poſtea à Julio Cæſare Calagurris-Julia. Epiſcopum habet Archiepiſcopo Burgenſi ſuffraganeum. Eſt urbs celeberrima cive M. Fabio Quintiliano, & Prudentio, ut ipſe inquit: *Nos Vaſco Iberus dividit*. Habet duas ſedes Cathedrales; nimirum Calagurrim & D. Dominicum de la Calzada; & duas Collegiatas, Locroniom & Victoriam.

126. Auca ſive Oca.] Nunc non exſtat. Olim enim in vaſtatione Hiſpaniæ à Mauris eſt diruta; verùm iterum ab ipſis erecta, pietate Urracæ & Elviræ, fœminarum Regio ſanguine Ferdinandi primi procreatarum, ad oppidum Gamonal ſub invocatione D. Mariæ, anno MLXXIV. tranſ-

lata & erecta, & Epiſcopo Simeoni data eſt, Cidio Roderico Diez confirmante. Demum Alphonſus Sextus Rex Hiſpaniarũ, Ferdinãdi Magni filius, urbe Burgenſi jam ædificata, à Gamonal, ad ejus amplificationem, Aucenſem Eccleſiam Burgos tranſtulit, conceſsâ Regiâ Epiſcopo Simeoni,& in Baſilica D.Laurẽtii Cathedrâ collocatâ, anno MLXXV. multis attributis oppidis, villis, & prædiis. Quin & Regio decreto ſanxit, ut in Caſtella eſſet honorabilior omnibus aliis; clericiſque in ea degentibus majorem & ampliorem dignitatem, inter cæteros totius regni, habere conceſſit. Adeò antiqui illi reges ad pietatem fuere propenſi. Quam erectionem & translationẽ Urbanus ſecundus diplomate Apoſtolico cõfirmavit, exemitque eam ab omni Metropolitano(cùm antea Tarraconenſi ſubdita fuiſſet) eamq; immediatè Romanæ Sedi ſubjecit, Bernardo Toletano Archiepiſcopo refragante. In templo D. Laurentii manſit uſque dum Mauricius anno MCCXXII. ea ſpecie & forma auguſta, quæ nunc eſt, alterum extruxit, quod Alphonſus Burgenſis turribus miro opere ædificatis exornavit. Franciſco Pacieco Epiſcopo, viro optimo & prudenti, à Philippo ſecundo id flagitante, Archiepiſcopali hæc ſedes dignitate aucta eſt, Gregorio XIII. Romano Pontifice: attributis illi ſuffraganeis duobus, Pampilonenſi & Calagurritano.

127. Pampilona.] Opus Pompeji, ut D. Hieronymus eſt auctor ad Vigilantium. Hodie *Pamplona*, à Rege Wamba inſtaurata, & Wambæ Luna appellata. Apud Plinium inter fœderatos ponuntur Pompelonenſes, & inde Pompelon. Eſt hodie caput regni Navarræ: habet conventum juridicum, & Epiſcopum ſuffraganeum Archiepiſcopo Burgenſi, Martuam olim vocatam ſunt qui dicunt.

128. Oſca.] Ilergetum, in Tarraconenſi provincia urbs. Etoſia à Paterculo dicitur, ubi Sertorium interemptum ſcribit. Hodie *Hueſca*. Hoſcenſes ſunt apud Cæſarem lib. 1. *De bello civili*, & Plinium. Habet nunc Epiſcopum Cæſarauguſtano ſuffraganeum.

129. Elerda.] Plinius: *Ilerdenſes Surdaonum gentis, juxta quos Sicoris fluvius*. Sic apud Cæſarem lib. 1. *De bello civili*. Hodie *Lerida*, & fluvius *Segre*, ſupra quem eſt impoſita. Epiſcopum habet & gymnaſium literarum univerſale Cathaloniæ gentis.

130. Barcinona.] Plinio eſt Barcino: ſic enim ait: *In ora autem colonia Barcino, cognomine Faventia*. In Galbæ nummo ſic eſt ſcriptum: COL. BARCINO, FAVENTIA. Urbs eſt ampliſſima, caput Cathaloniæ, ad mare mediterraneum. Epiſcopum habet ſuffraganeum Tarraconenſi.

131 Egara.] Exſtat Concilium Egarenſe antiquum. In quarto Toletano ſubſcribit *Eugenius Egarenſis Epiſcopus*. In XIII. & XVI. Joãnes. Verba Concilii Egarenſis hæc ſunt: *Convenientes in unum Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis in locum Egara*. In Epiſcopatuum limitibus in Ms. invenio Exaram, non Egaram appellatam: fortè *Gea de los Cavalleros*, propè Cæſarauguſtam.

132. Auſona.] Apud Ptolemæum eſt Auſa. Hinc Auſetani, hodie *Vich*. Epiſcopus Auſonenſis eſt in ſubſcriptionibus Conciliorum. Epiſcopum habet ſuffraganeum Archiepiſcopo Tarracoenſi.

133. Gerunda.] Hodie *Girona*. Apud Plinium Gerundenſes. Urbs nota in Cathalonia. Epiſcopum habet Tarraconenſi Archiepiſcopo ſuffraganeum.

134. Empurias.] Emporiæ. Plinius: *Opus Phocenſium*. Eſt nunc Tarraconenſis provinciæ; urbs maritima, vulgò *Ampurias*. Epiſcopum habet ſuffraganeum Tarraconenſi Archiepiſcopo. In ſubſcriptionibus Conciliorum eſt: *Empuritana Epiſcopus*.

135. Orgello, ſive Orgellum, aut Urgeſla.] Hodie *Urgel*. Epiſcopum habet ſuffraganeum Cæſarauguſtano Archiepiſcopo.

PROVINCIA GALLIÆ.

136. Narbona.] Narbonenſis provincia, Braccata antè dicta, qui Celtæ ſunt. Hodie *Languedoc, Provence, & Dauphiné* continet. Dicebatur poſtea & Gotthica, quia à Gotthis poſſeſſa. Sub Hiſpanorum erat ditione, & ſub Primate Toletano.

137. Cauco-liberi, ſeu Cauco-liberis.] Hiſpaniæ verſus Galliam limes. Hodie *Colibre*. Epiſcopum non habet, verùm attributa eſt Elnenſi Epiſcopo. In ſubſcriptionibus Conciliorum pro Caucoliberi, ponitur Liberitanus. Eſt alia Eliberis in Bætica, nomine & ſitu longè ab hac diſtans; ut oſtendimus in Concilio Eliberitano.

138. Carcaſſona.] Olim Carcaſſum, aut Carcaſſio, Galliæ Narbonenſis oppidum apud Plinium. Hodie *Carcaſona*. Epiſcopum habet.

139. Biterris, ſive Bitiris.] Vaſconum urbs.

140. Agatha.] Galliæ Narbonenſis inſula & urbs eſt, ut placet Plinio, Straboni, & Ptolemæo: nunc *Agde*. Appellatur etiam Civitas-nigra. Sunt qui Agatham Montem-Peſſulum eſſe volunt: ſed hæc in continente eſt, ubi Ptolemæus quoque Agatham habet.

141. Luteva.] Inde Lutevani, qui & Foroneronienſes. Plinio Galliæ Narbonenſis populi ſunt. Eos Pinetus *Lodeve* vertit in ſuo Plinio Gallico. In libro provinciarum legitur: *Lutevenſium civitas, id eſt, Lutava caſtrum*. In ſubſcriptionibus Conciliorũ Luthonenſis Epiſcopus.

142. Magalona.] In libro notitiarum eſt: *Magalonenſium civitas Montis-Peſſulani*. Olim ſedes Epiſcopalis, nunc domus tantùm cum templo in mediis ſtagnis ſita, ſuffraganea Narbonenſi Archiepiſcopo: ut ex multis ſubſcriptionibus Conciliorum conſtat.

143. Nemaſo, ſive Nemaſus.] Apud Auſonium in deſcriptione Burdigalæ Nemaſus colonia Auguſta. Nemauſus legit Goltzius ex veteri inſcriptione. Hodie *Niſmes*. Libellus exſtat de ejus urbis antiquitatibus idiomate Gallico. In Concil. III. Toletano ſubſcribit Nemanſenſis Epiſcopus.

144. Elena.] Hellenes urbs Callaïcorum in Hiſpania Tarraconenſi, Eſt apud Strabonem. Hodie *Elna*. Quam dicunt Helenam Conſtantini Magni matrem, vel Conſtantem in honorem aviæ, condidiſſe. Ubi etiam mortuus eſt Conſtans, ut poſt

D.

D. Hieronymum ſcribunt Eutropius & Oroſius. Dignitatem Epiſcopalem retinet. Tarraconenſi Archiepiſcopo ſuffraganea.

145. Atque hæc quidem de ſedibus Epiſcoporum antiquis delibavimus: ut nota ſint nomina urbium vetera & neoterica lectori, earumque ſitus; intelliganturque inſcriptiones Conciliorum, & cui ſedi primùm quiſque Epiſcopus ſubjacebat.

146. In Concilio Eliberitano aliæ veterũ urbiũ ſubſcriptiones ſunt, de quibus & hæc adjicienda duximus, propter Concilii illius antiquitatem.

147. Acci.] Inde Felix Accitanus, qui ſubſcribit. De hac vide quæ adnotavimus.

148. Corduba.] Ex hac Oſius ille Cordubenſis. Vide ſuprà.

149. Spalis.] ſuprà.

150. Tucci.] Urbs Turdulorum in Bætica, quam Plinius Auguſtam-Gemellam cognominari ait. In veteri marmore eſt: Gemella Tuccitana, & Col. Augusta Gemella. Eſt apud Plinium altera Tucci vetus in Baſtitania, vergens ad mare: quibuſdam eſt Almeria, aliis Murcia: vide quid dicat de ea Reſendius.

151. Epagra.] Inde Sanagius Epagrenſis: Fortè hic Epiſcopus fuit Græcus, & cauſsâ Fidei relegatus. Nomen certè Sanagii Græcam originem ſapere videtur. Epagris autem inſula eſt Ægæi maris, prima inter Cycladas, teſte Callimacho: qui eam Laſiam, Nonagriam, Hydruſſam, & Epagrin dictam affirmat. Hæc eadem Andros eſt. In alio Cod. eſt Bigerrenſis, & Bigertenſis. Bigerra eſt Bogarra hodie, propè Alcaraz, in montibus Securæ. Ptolemæus eam ponit in Baſtitanis. Unde non eſt Bejar, quæ eſt in Luſitania, aut Bettonia.

152. Caſtulo.] Suprà. Hinc Secundinus Caſtulonenſis.

153. Menteſa.] Suprà. Hinc Pardus Menteſanus.

154. Eliberis.] Suprà. Hinc Flavius Eliberitanus.

155. Corſica, ſive Corſis.] Inde Conantius Corſicanus: maris mediterranei inſula, Genuenſibus hodie parens. Terapne ab Ovidio appellatur. In alio Cod. Ms. Urcitanus. De Urci diximus ſuprà.

156. Legio.] Inde Decentius Legionenſis. Hæc eſt Legio ſeptima Germanica ſive Gemina. In Tarraconenſi Hiſpania juxta Aſtures à Ptolemæo ponitur. Hodie Leon, caput regni, & dignitate Epiſcopali celebris à temporibus Gotthorum: tantùm Apoſtolicæ Sedi ſubjecta, & Metropolitanum nullum Hiſpaniæ Epiſcopũ agnoſcens.

Vide quid ſcribat Vaſæus de legione VII. Germanica vel Gemina, ex ſententia ſua & Reſendii Luſitani, tom. poſt Chron. Innocentius III. in Epiſtola ad Compoſtellanum Archiep. de Concilio Bracarenſi III. inquit: De quo non dubitatur, quin ſit authenticum.

157. Toletum.] Inde Melanthius Toletanus ſuprà.

158. Salaria.] Inde Januarius Epiſcopus de Salaria. Colonia in Tarraconenſi Hiſpania: unde in veteri inſcriptione. Col. Jul. Salariensis: nunc propè Cazorlam. Eſt & alia Salaria in Oretanis.

159. Oſſonoba.] Inde Vincentius Oſſonobenſis. De ea ſuprà.

160. Elbora vel Ebora.] Inde Quintianus Elborenſis ſuprà.

161. Eliocrota.] In Antonino Ms. eſt Ebocrata. Inde Succeſſus Epiſcopus de Eliocrota. Fuit olim ſedes Epiſcopalis: dicitur nunc *Lorca*. Habuit templum D. Patricio dicatum, in quo erat Epiſcopalis Cathedra: quæ in Carthaginenſem abiit. Meminit Eliocrotæ Antoninus, & XXV. mil. paſs. à Carthagine Spartaria ponit.

162. Baſta.] Inde Eutychianus Baſtitanus Epiſcopus. De hac ſuprà.

163. Malaca.] Inde Patricius Malacitanus. De hac ſuprà.

164. In Monaſterio Paraſſes, in quo antiquitus vitâ canonicorum regularium ſanctè floruit (nunc obſervantia D. Hieronymi) dum Philippus II. ibi moratur, incidi in librum Ms. in pelle pergaminea, in quo ſcriptum eſt.

Iſtæ ſunt interpretationes civitatum in Hiſpania, quarum fuerunt nomina mutata tempore Saracenorum.

Spalis, ideſt, *Sevilla*.
Aſſidona. *Sidonia*.
Eliberi. *Granada*.
Aſtigi. *Berga, quæ nunc Ecija*.
Egabro. *Capta, quæ nunc Cepta*.
Tuccis. *Xerez*.
Pace. *Bocalgaze, quæ nunc Badajoz*.
Exonoba. *Seduma*.
Agitania. *Lucena*.
Caliabria. *Montanges*.
Oreto. *Calatrava*.
Beatia. *Baeza*.
Menteſa. *Jaën*.
Acepridani. *Guadix*.
Baſti. *Baza*.
Urci. *Almeria*.
Acarta. *Bagaſtri*. Hic jacet Tyeſtes Epiſcopus Bergaræ.
Illia. *Belſh*.
Setabis. *Xativa*.
Valeria. *Valentia*.
Compluto. *Guadalfajara*.
Urci, quæ modò *Almeria* vocatur: inde verſus:

Inſiſtens operi venit Indalecius Urci,
Quæ poſt mutata, fuit Almeria vocata.

SYNODUS BRACARENSIS II.

XII. EPISCOPORUM,

Anno CHRISTI DLXXII.

SUB MIRONE SUEVORUM REGE

Celebratum tempore inter-regni Pontificii, poſt obitum Joannis Papæ III.

T I T U L I.

I. *Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam, & ante viginti dies Paſcha catechumeni doceantur Symbolum.*

II. *Ut Epiſcopus per diœceſim ambulans, duos ſolidos tantùm accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat: & clerici non agantur more ſervili.*

III. *Ut Epiſcopus in ordinatione clericorum commodum nullum accipiat.*

IV. *Ut pro Chriſma Epiſcopus nihil accipiat.*

V. *Ut pro conſtitutione Baſilicæ Epiſcopus nihil exigat.*

VI. *Ut qui oratorium pro quæſtu ſuo in terra propria fecerit, non conſecretur.*

VII. *Ut de baptizatis nullum* [a] *accipiat præmium.*

VIII. *Ut qui clericum accuſaverit, & id non probaverit, excommunicetur.*

IX. *Ut per ſingulos annos à Metropolitano Epiſcopo Paſcha pronuncietur.*

X. *Ut presbyter poſt cibum non teneat Miſſam pro mortuis.*

Regnante DOMINO noſtro JESU CHRISTO, currente Era DCX.

1. ANNO ſecundo Regis [b] Mironis, [c] die Kalendarum Juniarum, cùm Gallæciæ provinciæ Epiſcopi, tam ex Bracarenſi, quàm ex Lucenſi Synodo, cum ſuis Metropolitanis præcepto præfati [d] Regis ſimul in Metropolitana [e] Bracarenſi, Epiſcopi convenissent; id eſt, * Martinus, [f] Nitigiſius, Remiſol, Andreas, [g] Lucretius, [h] Adorius, [i] Wittimer, Sardinarius, Viator, [k] Avila, Polemius, Maylocus; conſidentibus his ſimul Epiſcopis, atque univerſo clero præſente, Martinus Bracarenſis [l] ſedis Epiſcopus dixit: Inſpiratione hoc Dei credimus provenisse, ſanctiſſimi fratres, ut per ordinationem Domini * glorioſiſſimi filii noſtri Regis, ex utroque Coucilio conveniremus in unum, ut non ſolùm de viſione [n] alterutra [o] gratulemur, ſed etiam ea quæ ad ordinationem & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, pariter conloquamur. Scriptum eſt enim in [p] Euangeliis, dicente Domino: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum.* [q] Nitigeſius Eccleſiæ Lucenſis Epiſcopus dixit: Neque aliud poteſt credi, niſi ea quæ ad utilitatem noſtrarum pertinent animarum, divina inſpiratione & inchoari & perfici poſſe. Et ideo unanimes, atque idipſum in Domino ſentientes, quæcumque ad inſtructionem noſtram pertinent, in medium prolata deſideramus agnoſcere.

2. Martinus Epiſcopus dixit: Arbitramur veſtram beatitudinem recordari, quia quum primùm in Eccleſia Bracarenſi Epiſcoporum Concilium congregatum eſt, poſt multa quæ ad concordiam rectæ Fidei fuerant roborata, aliqua etiam quæ regularem ſanctorum Canonum continent diſcretionem, firmavimus; quorum utilitas, ut poſſit evidentiùs in memoriam revocari, ipſa (ſi vobis placet) Epiſtola in veſtra præſentia relegatur.

3. Omnes Epiſcopi dixerunt: Oportet [s] omnibus modis, ut in omnium auribus, qui hîc [t] adſtant, recitetur. Recitatis ergo capitulis, [u] quæ ne prolixitatem facerent, his geſtis minimè ſunt inſerta, Martinus Epiſcopus dixit: Hæc ergo, quæ modò ſunt recitata, quæ nobis tunc, aut varia, aut dubia, aut inordinata ſunt viſa, auxiliante Deo directa ſunt, & ſuam [x] immobiliter obtinent firmitatem: quæ autem tunc in memoriam non venerunt, aut oneroſum fuit in primo illo Concilio multa ſimul ingerere, neceſſarium videtur modò ad notitiam ſanctæ veſtræ charitatis deferri; * in eo ſpecialiter proſpectu, ut ſpirituali ventilata examine porgentur. Sancti enim Patres, ac præceſſores noſtri, aut Generales Synodos undique [y] collecti, pro unitate rectæ Fidei fecerunt; ſicut in Nicæa contra Arium

a Fortè accipiatur. Exc.
b Ariamiri. Exc.
c Die [illegible] Kalend. Januariarum. Exc.
d Glorioſiſſimi Reg. Exc.
e Bracar. Eccl. Exc.
* Nimirum Martinus Bracarenſis erat antiquior Lucenſi, unde primum locum obtinebat. Is etiam I. Concilio interfuit, non tum Epiſcopus Bracarenſis. Nitigiſius verò erat Epiſcopus Lucenſis, unde ſecundum dicenti tenuit locū.
f Nitigis. Exc.
g Lucentius. Exc. Et ſic etiam in aliquot Mss. habetur.
h Adoriens. Exc. In pleriſque Mss. Adorich.
i Vectimer. Exc.
k Anila. C. 4.
l Eccleſiæ. Exc.
m Patres. Exc.
* Deeſt in Exc.
n Alterutrū. Exc.
o Gratularemur. Exc.
p Euangelio. Exc.
q Nitigis. Exc.
r Oportere. Exc.
s Omnimodè. Exc.
t Adſiſtant. Exc.
u Superioris Concilii, quæ. Exc.
x Inviolabiliter. Exc.
* Deeſt in Exc.
y Colligi. Exc.

Arium CCCXVIII. & in Conſtantinopoli contra Macedonium CL. & in Epheſo contra Neſtorium CC. & in Chalcedone contra Eutycheu DCXXX. aut certè ſpeciales Synodos, per ſuas unuſquiſque provincias, pro ſecandis contentionibus, vel emendandis aliquotum negligentiis collegerunt; & prout eventus culparum, aut qualiſcumque exceſſus exegit, [z] per ſingulas quoque diffinitas Canonum ſententias, mediaote inter eos Dei ſpiritu, conſcripſerunt: quas oportet nos [a] legere, & intelligere, & tenere.

z Exigebat. *Exc.*
a Relegere. *Exc.*

4. Et quia opitulante Chriſti gratia, de unitate & rectitudine Fidei in hac provincia nihil eſt dubium; illud nobis ſpecialiùs eſt agendum, ut ſi quid fortaſſe extra Apoſtolicam diſciplinam, per ignorantiam, aut per negligentiam, reprehenſibile invenitur in nobis, recurrentes ad teſtimonia ſacrarum Scripturarum, vel antiquorum Canonum inſtituta, adhibito communi conſenſu, omnia, quæ diſplicuerint, rationabili judicio corrigamus. Et primùm, ſi placet, relectis beati Apoſtoli Petri præceptis, quæ pro regula ſacerdotum in ſua Epiſtola evidenter adſcripſit, quicquid non eodem tenore, ſicut Princeps Apoſtolorum edocuit, agi videtur, à nobis, ſine ulla cunctatione, ad emendationem ducere feſtinemus: ne fortaſſe dum aliis prædicamus, ipſi reprobi effecti, divino illo condemnemur eloquio dicente: *Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te.*

1. Cor.
Pſ. 49.
1. Pet. 5.

5. Omnes Epiſcopi dixerunt: Cupimus memoratam Apoſtoli Petri Epiſtolam, ad locum ipſum ubi ſacerdotes docet, audire. Tunc allato libro, hæc ex eadem Epiſtola recitata ſunt: *Seniores obſecro conſenior, paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei: providentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, ſed* [b] *formâ facti* [c] *gregis ex animo: ut cùm apparuerit Princeps paſtorum, recipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam.* His relectis, quæ ex Epiſtola B. Petri Apoſtoli recitata ſunt, deſideramus, auxiliante Dei gratia, divinis obedire præceptis, & Apoſtolicæ Epiſtolæ, quæ nobis recitata eſt, [d] in omnibus formulam imitari: ne fortè in aliquibus inordinatè ambulantes, divino (quod abſit) judicio condemnemur. Sed ut ſanctorum Patrum veſtigia ſubſequentes, in ipſorum requie mereamur eſſe participes, & immarceſcibilem illam gloriæ coronam, quæ repromiſſa eſt, cum ipſis [e] accipere mereamur. Ob hoc ergo tuam ſimul omnes depoſcimus charitatem, ut has omnes cauſſas ſingulis capitulis breviter comprehenſas, [f] qualiter corrigi debeant, his geſtis ſubterannectas: quæ cùm ſtudioſiùs relecta, & in notitiam omnium noſtrorum evidenter fuerint perducta, propria unuſquiſque manu pro eorum emendatione & confirmatione ſubſcribat; ut non ſolùm nobis, ſed etiam ſucceſſoribus noſtris, hæc ad perfectionem Epiſcopalis officii decreta proficiant.

Et eſt apud Apoſtolum.
b Modo. *Exc.*
c Gregi apud Petrum. *Exc.*
d In his omnibus. *Exc.*
e Percipere. *Exc.*
f Vel qualiter. *Exc.*

I. *Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam, & ante viginti dies Paſchæ catechumeni doceantur Symbolum.*

6. Placuit omnibus Epiſcopis, atque convenit, ut per ſingulas Eccleſias Epiſcopi [g] per diœceſes ambulantes, primùm diſcutiant clericos, quomodo ordinem baptiſmi teneant, vel Miſſarum, [h] & quæcumque officia in Eccleſia [i] peragantur. Et ſi rectè quidem invenerint, Deo gratias agant: ſi autem minimè, docere debeant ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, ut ſicut antiqui Canones jubent, ante viginti dies baptiſmi, ad purgationem exorciſmi catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni Symbolum, quod eſt: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ſpecialiter doceantur. Poſtquam ergo in his ſuos clericos diſcuſſerint, vel docuerint Epiſcopi, alia die, convocata plebe ipſius Eccleſiæ, doceant illos, ut errores fugiant idolorum, vel diverſa crimina (id eſt) homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera; [k] aut quod nolunt ſibi fieri, non faciant alteri: & ut credant reſurrectionem omnium hominum, & diem Judicii, in quo unuſquiſque ſecundum ſua opera recepturus eſt. Et ſic poſtea Epiſcopus de Eccleſia illa proficiſcatur ad aliam.

g Et diœc. euntes. *Exc.*
h Et qualiter quæcumque. *Exc.*
i Peragant. *Exc.*
De conſ. diſt. 4. Ante viginti dies.
k Et. *Exc.*

II. *Ut Epiſcopus per diœceſim ambulans, duos ſolidos tantùm accipiat,* * *neque tertiam partem de oblationibus quærat: & ut clerici non agantur more ſervili.*

* *Hæc omnia deſunt à Cod. Alvelдenſi.*

7. Placuit, ut nullus Epiſcoporum, [m] cùm per diœceſes ſuas ambulat, præter honorem cathedræ ſuæ, id eſt, duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat, neque tertiam partem, ex quacumque oblatione populi in Eccleſiis parochialibus [n] requirat; ſed illa tertia pars pro luminariis Eccleſiæ, vel recuperatione ſervetur, & ſingulis annis Epiſcopo inde ratio fiat. Nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen [o] & ſacra abſtulit Eccleſiæ. Similiter & ut parochiales clerici ſervili opere in aliquibus operibus Epiſcopis ſervire non cogantur; quia ſcriptum eſt: *Neque ut dominantes in clero.*

Ivo q. 3. cap. Placuit.
1. Pet. 5.
m Per Eccleſias ſuas ambulans. *Exc.*
n Facta ſibi uſurpet, ſed Eccleſiæ reparationi ſervetur, & in ſingulis annis Epiſcopo ratio fiat. *Exc.*
o Nam ſi tertiam, &c. & ſarta tecta abſtulit. *Exc. & Gratian.*

III. *Ut Epiſcopus in ordinatione clericorum commodum nullum accipiat.*

8. Placuit, ut de ordinationibus clericorum Epiſcopi munera nulla [p] ſuſcipiant: ſed, ſicut ſcriptum eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei & impoſitio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Eccleſiaſticis ordinationibus ſtatuit, dicens: Anathema ſit danti & accipienti. Propterea, quia aliquanti multis ſceleribus [q] obruti, ſancto altario indignè miniſtrantes, non hoc teſtimonio bonorum actuum, ſed profuſione munerum obtinent; oportet ergo non per gratiam munerum, ſed per diligentem priùs diſcuſſionem, deinde per multorum [r] teſtimonium, clericos ordinare.

1. q. 1. Placuit, ut de ordinat. *Ivo p. 5. c. 128.*
p Accipiant. *Exc.*
q Obnoxii. *Exc.*
r Teſtimonia. *Gratian. & Ivo.*

IV. *Ut pro chriſma Epiſcopus nihil accipiat.*

9. Placuit, ut modicum balſami, quod benedictum, pro baptiſmi ſacramento per Eccleſias datur, [s] quia ſinguli tremiſſes pro ipſo exigi ſolent, nihil ulteriùs exigatur: ne fortè quod pro ſalute animarum per invocationem ſancti Spiritus conſecratur, ſicut Simon Magus donum Dei pecuniâ [t] emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.

1. q. 1. Placuit, ut nullus. *Materia chriſmatis balſamum cũ oleo. Ita Greg. Pap. exponens illud Cantici* Botrus Cypri.
s Quia à ſingulis tremiſs. *Exc.*
t Voluit emere. *Exc.*

V. *Ut pro conſecratione Baſilicæ Epiſcopus nihil exigat.*

10. Placuit, ut quotiens ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopi invitantur, non quaſi ex debito, munus aliquod à fundatore requirant; [u] ſed ſi ipſi quidem aliquid ex ſuo voto obtulerint, non reſpuatur. Si verò aut paupertas illum, aut neceſſitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantùm unuſquiſque Epiſcoporum meminerit, ut non priùs dedicet [x] Eccleſiam, aut Baſilicam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius [y] per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminariis, vel [z] ſine ſubſtentatione eorum, qui ibidem ſerrituri ſunt, tanquam domus privata, [a] ita conſecretur Eccleſia.

1. q. 2. Placuit, ut quoties. *Burch. lib. 3. c. 37. Ivo p. 3. cap. 432.*
u Sed ipſe fundator ſiquidē aliquid de ſuo voto obtulerit. *Gratian.*
x Eccleſ. niſi antea dot. *Exc.*
y Per ordinationē. *Exc.*
z Sine ſubſtantiali ſuſtentatione. *Exc.*
a Privati. *Exc.*

VI. *Ut qui oratorium pro quæſtu ſuo in terra propria fecerit, non conſecretur.*

11. Placuit, ut ſi quis Baſilicam, non pro devotione Fidei, ſed pro quæſtûs cupiditate ædificat, ut quicquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividat; eo quòd Baſilicam in terra ſua [b] ipſe condiderit: quod in aliquibus locis uſque modò dicitur fieri. Hoc ergo de cætero obſervari debet, ut nullus Epiſcoporum tam abominabili voto conſentiat, [c] ut Baſilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, ſed magis [d] tributaria conditione eſt condita, audeat conſecrare.

De conſecr. diſt. 1. Si quis Baſilicam.
b Quæſtus cauſâ. *Exc.*
c Nec. *Exc.*
d Subtribut. *Exc.*

VII. *Ut de baptizatis nullum accipiat præmium.*

12. Placuit, ut unuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, ut hi qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis; ſi verò per neceſſitatem paupertatis aliquid non habent quod offerant; nullum illis pignus violenter tollatur à clericis: nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos à baptiſmo retrahunt. [e] Quòd ſi fortè dum differunt, ſine gratia baptiſmi de hac vita receſſerint; neceſſe eſt ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum [f] exſpolia pertimeſcentes, à baptiſmi ſe gratia retraxerunt.

1. q. 1. Placuit, ut unuſquiſque. *Decret. Ivo p. 1. c. 74.*
e Quod ſi fortè dũ differuntur. *Exc.*
f Spolia. *Exc.*

VIII. *Ut qui clericum accuſaverit, & id non probaverit, excommunicetur.*

13. Placuit, ut ſi quis clericorum aliquem in accuſatione fornicationis impetit; ſecundùm præceptum Paulli Apoſtoli, duo vel tria teſtimonia requirantur ab illo. Quòd ſi non potuerit datis teſtimoniis approbare [g] quæ dixit; [h] excommunicationem accuſati accuſator excipiat,

2. q. 5. Placuit, ut ſi quis aliquem. *Burch. lib. 2. c. 202. Ivo part. 6. c. 276.*
g Quod. *Exc.*
h Accuſationem. *Exc.*

IX. *Ut*

VI. *Ut per ſingulos annos à Metropolitano Epiſcopo Paſcha pronuncietur.*

14. Placuit, ut poſtquam omnia in Concilio ſacerdotum fuerint ordinata, illud [i] omnibus modis obſervetur, ut [k] ſuperventurum ipſius anni Paſcha, quoto Kalendarum die, vel quota luna debet ſuſcipi, à Metropolitano Epiſcopo [l] nuncietur. Quod cæteri Epiſcopi, vel reliquus clerus breviculo ſubnotantes, unuſquiſque in ſua Eccleſia, adveniente Natalis die Domini, adſtanti populo poſt lectionem Euangelicam nuncient; * ut introitum Quadrageſimæ nullus ignoret: in cujus principio convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ, per triduum cum pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes, celebrent litanias. Tertio autem die, celebratis horâ nonâ ſive decimâ Miſſis, dimiſſo populo, præcipiant Quadrageſimæ [m] ſervare jejunia, & mediante Quadrageſima, ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem offerre.

De conſ. d. 3. Placuit, ut poſtquam.
i Omnimodis. *Exc.*
k Superventuri. *Grat.*
l Intimetur. *Grat.*
* *Exc. hæc non agnoſ. unt.*
m Obſervare. *Exc.*

X. *Ut presbyter poſt cibum non teneat Miſſam pro mortuis.*

15. Placuit, ut quia per ſtultitiam præſumpti nuper erroris, aut certè ex veteris Priſcillianæ adhuc hæreſis [n] fœtore, corruptos cognovimus quoſdam presbyteros, in hujus præſumptionis audacia [o] detineri, [p] ut in Miſſa mortuorum, etiam poſt acceptum merum, [q] oblationem auſi ſunt conſecrare. Ideoque hoc præfixè evidentis ſententiæ admonitione ſervetur, ut ſi quis presbyter poſt hoc edictum noſtrum ampliùs in hac veſania fuerit deprehenſus; id eſt, ut non jejunus, ſed quocumque jam cibo præſumpto oblationem [r] conſecraverit; continuò ab officio ſuo privatus, à proprio deponatur Epiſcopo.

16. His [s] itaque geſtis, placuit omnibus pro confirmanda horum obſervantia propria unumquemque manu ſubſcribere; [t] eo placito facto, ut ſi quis horum capitulorum terminum trangreſſus, ad inordinatas conſuetudines reverti voluerit, totius Concilii [u] increpatione correptus, [x] ſeveriſſimam ſibi de ſui ordinis inclinatione noverit imminere ſententiam.

Martinus Bracarenſis Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Remiſol Viſenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
[y] Lucretius [z] Conimbrienſis Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
[a] Adorius Egitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Sardinarius Lamecenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Viator Magnetenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.

n Fœtore corrupto. *Exc.*
o Retineri. *Exc.*
p Ut Miſſas mort. *Exc.*
q Vel oblationẽ. *Exc.*
r Conſecrav. in altari continuo. *Exc.*
s Ita. *Exc.*
t Eorum placitorum. *Exc.*
u Excommunicatione. *Exc.*
x Veriſſimam. *Exc.*
y *Aliâs* Lucentius ſic *Exc.*
z Conimbricenſ.
a Adoricus. *Exc.*

ITEM EX SYNODO LUCENSI.

[b] Nitigiſius Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Andreas Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
[c] Wittimer [d] Aurienſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
[e] Avila Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Polemius [f] Aſturienſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.
Mailoc [g] Britonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, his geſtis ſubſcripſi.

b Nitigis Luc. Metropolitanæ Eccl. *Exc.*
c Victimer. *Exc.*
d Caurienſis. *Exc.*
e Anila. *C. A.*
f *Aliâs* Aſturicẽſis, ut *Exc.*
g Britonorũ. *Exc.*

F R A G M E N T A

Quæ citantur ex Conciliis Bracarenſibus, & in eis non exſtant.

EX CONCILIO BRACARENSI CAP. III.

17. HOC omnimodis præcipimus, & antiqui Canones præcipiunt, ut ante baptiſmum viginti dies ad purgationem exorciſmi catechumeni veniant, & in illis viginti diebus juxta canonicum præceptum, & erudiantur, & conſecrentur. *Burch. lib. 4. cap. 8.*

EX CONCILIO BRACARENSI CAP. XXII.

18. Si in alicujus presbyteri parochia infideles aut faculas incenderint, aut arbores, aut fontes; *Burch. lib. 10. c. 21.*

aut

** Concil. Arelat. 2. cap. 23.*

aut ſaxa venerantur; ſi hoc eruere neglexerint, * ſacrileginm ſe feciſſe cognoſcat: præſumptor aut hortator rei ipſius, ſi admonitus hoc emendare neglexerit, communione privetur.

EX CONCILIO BRACARENSI Cap. XXXI.

Burch. lib. 3. cap. 280.

19. Quicumque presbyter de jure tituli ſui, quolibet modo aurum, argentum, vel gemmas, veſtes quoque ſi ſunt, vel ſi acceſſerint aliqua mobilia ad ornamenta divina, aliquid in perpetuum alienare tentaverit; donator, alienator, ac venditor, honoris ſui amiſſione multetur.

EX CONCILIO BRACARENSI Cap. LXXX.

Burch. lib. 10. cap. 39.

20. Si quis ballationes ante Eccleſias Sanctorum fecerit, ſeu qui faciem ſuam transformaverit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatione pollicita tres annos pœniteat.

EX CONCILIO BRACARENSI III. Cap. VIII.

Gratian. 12. quæſt. 4.

21. Quicumque ſub hoc neglectu res divinas laborare diſtulerit, ſpeciali placito diſtringendns eſt; ut ſi de rebus vel augmentis Eccleſiæ quæſtum laboribus ſuis propriè auxit, & ex hoc Eccleſiaſticis rebus ant neglectnm laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit; quicquid in rebus Eccleſiæ minuit, ille reſtituat, ex cujus rebus atque ſuffragiis ſuos convictus fuerit ampliâſſe labores. Quòd ſi aliquid pro utilitatibus Eccleſiæ aut ſubſtantiæ expendit, ant diſpendii vel perditionis quippiam pertulerit; ſi hoc comprobare potuerit, totum illi à rebus Eccleſiæ ejuſdem reformabitur, pro cujus utilitate id expendiſſe probatur. Si verò de rebus Eccleſiæ tantummodo aliqua acquiſiſſe noſcuntur, & ad nomen Eccleſiæ inſtrumenta componere, nec aliquibus poterunt illa donare.

N O T Æ V A R I O R U M
IN CONCILIUM BRACARENSE II.

22. SYNODUS BRACARENSIS SECUNDA.] Ita omnes Codices Ms. & libri editi, donec apparuit Concilium illud Bracarenſe ſub Pancratiano celebratum anno Chriſti CDXI. aut circiter, quo numerato veluti primo, deberet dici ſecundum quod paullò antè edidimus, & tertium iſtud in quo verſamur. Viſum autem fuit antiquum ordinem numerandi ſervare, quemadmodum & circa Concilia Toletana, quorum aliqua nullo numero denotantur. Itaque Concilium hoc Bracarenſe dicimus ſecundum. Card. de Aghirre.

23. Hoc ipſo anno, menſe Decembri celebrata eſt Synodus poſterior Bracarenſis, anno ſecundo Ariamiri Regis Suevorum, ut ejus Acta ſui exordio declarant his verbis: *Regnante Domino Jeſu Chriſto, currente Era ſexcenteſimâ decimâ, die decimo octavo Kalendarum Januariarum, cùm Gallicia Epiſcopi, tam ex Bracarenſi, quàm ex Lucenſi Synodo, cum ſuis Metropolitanis præcepto præfati glorioſiſſimi Regis ſimul in Metropolitana Bracarenſi Eccleſia conveniſſent. ideſt, Martinus, Nitigius*, &c. Omnes numero duodecim. Statuti ſunt autem Canones decem ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes: exſtant ipſi quidem ab ipſo Martino Metropolitano, Canonum collectore, ſummâ induſtriâ elaborati, quos tu conſulas. Porrò eâdem Erâ ſexcenteſimâ decimâ, qui cum Metropolitano ſuo Nitigio ad propria reverſi ſunt Epiſcopi, Luci habuêre conventum, in quo de eadem ſecunda Synodo Bracaræ habita mentio facta eſt. De his locuples teſtis eſt vetus conſtitutio ejuſdem Regis hac pariter Era data, vendicata autem in lucem ex abditis Eccleſiaſticis tabulis ab Ambroſio Morales, quo nomine plurimùm ei debent Hiſpaniæ, omneſque ſimul rerum antiquarum ſtudioſi. Recitat ipſe quæ in ejuſdem Regis Conſtitutionis habentur exordio, verbis iſtis:

24. *Deo omnipotenti, trino & uno & vero, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, qui ſuâ ſapientiâ ineffabili in deitate perfecta ex arce ſumma quæcumque ſunt, tam præſentia quàm futura, inſpicit, ut præſcius ordinat, atque diſponit ut dominus. Ipſo cælorum Rege inſpirante ſeu opitulante, ego Theodomirus Rex, cognomento etiam Mirus, Galliciæ totius provinciæ Rex, Deo, ejuſq; genetrici glorioſæ Mariæ, ac cæteris Sanctis cupiens eſſe famulus & ſervulus, coadunato nutu Dei Concilio in Lucenſi jam præfata provinciæ urbe omnium Catholicorum Epiſcoporum, ſeu religioſorum virorum, nobis ab ipſis intimatum eſt uno animo, cordeq; perfecto, auctoritate etiam Sedis Apoſtolicæ Sancti Petri, cujus legationem læti excepimus.* Huc uſque ex ejus Conſtitutionis exordio Ambroſius: ex quibus & illud intelligis, niſos Sedis Apoſtolicæ auctoritate Reges, cùm præciperent Epiſcopos ad Synodos convenire. Miſſam autem apparet ad hunc Regem à Joanne Papa legationem, ſimul ac paternum regnum accepit. Moris quidem fuiſſe liquet Romanorum Pontificum, novos, ubicumque eſſent, Chriſtianos Reges legationibus convenire, quibus eos, quæ decent Catholicos Principes commone-

monerent, & quæ opus eſſent ad religionis ſtatum integrè conſervandum, ut facerent, æquè juberent, facultatemque eiſdem eam tribuerent, quæ ad res bene conficiendas neceſſaria videretur.

25. Sed quæ poſt Regis conſtitutionem Nitigii Epiſcopi verba poſtrema recitat, videamus: ubi enim de his Rex egit quæ ad terminos diœceſis conſtitutos in priori Lucenſi Concilio conſervandos admonuit, ipſe Nitigius Epiſcopus iſta ſubjecit: *His itaque determinationibus ſeu definitionibus Comitatuum à me Nitigio, nutu Dei Lucenſis ſedis Epiſcopo, diligentiſſimè exquiſitis, per antiquorum virorum ſcientiam, ſeu ſcripturarum ſeriem vetuſtarum, ſtudioſiſſimè poſt peractam Synodum Bracarenſem ſecundam ibidem in diebus glorioſiſſimi domini Mironis Regis, ſub Era ſexcenteſima decima, in præſentia ipſius Regis, & omnium Catholicorum magnatum totius Galliciæ*, &c. Sed illa haud levis ſuboritur de textu depravato ſuſpicio, cùm Theodomiri ea dicatur conſtitutio, quam ex Era notata & mentione ſecundæ Synodi Bracarenſis conſtat, non patris eo nomine appellati, ſed filii Ariamiri eſſe: nam quod uterque Mirus dicatur, commune nomen fuiſſe videtur Regibus Suevorum, ut Ambroſius exiſtimavit, cui conſentio: ſed & Theodem, ſicut & Mirum, eorum fuiſſe Regum cognomina, honorem & dignitatem aliquam ſignificantia, haud facilè admittendum putamus: nam cùm ambo ejuſdem fuerint Reges regni, non diverſa cognomina, ſed eadem iiſdem fuerant ipſorum nominibus apponenda, unde magis ineſſe in ſcripto vitium, librariorum (ut accidit) errore dilapſum, putamus.

26. Quod verò eadem ſancta Synodus quum ſacroſanctas Oecumenicas recenſet Synodos, omiſſâ quintâ, quatuor tantùm numerat, nempe Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem; rationem diſces ex Gregorio Romano Pontifice: quòd videlicet in quinta, ut ait, non ſit actum de Fide, ſed de perſonis: in illis verò quatuor de Fide, ob idque illarum profeſſio neceſſaria videretur. Nihil eſt ergo ut ob id iidem ſanctiſſimi Epiſcopi in ſuſpicionem ſchiſmatis poſſint adduci, quibus eum conſtat (ut dictum eſt) Apoſtolicam Sedem literis atque legatione ad Regem miſſis communicâſſe. Videmus enim & ipſum quoque Gregorium interdum nonniſi quatuor recenſere Oecumenicas Synodos, cùm tamen & quintam recipiendam eſſe teſtetur.

27. Ad eundem Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopum Nitigium, ſimulque ad univerſum Lucenſe Concilium, Martinus Bracarenſis Epiſcopus collectionem & emendationem Orientalium Canonum direxit, hujuſcemodi perbrevi præfatione notatam.

28. *Domino meo beatiſſimo & Apoſtolicæ Sedis honore ſuſcipiendo in Chriſto fratri Nitigio Epiſcopo, vel univerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſcopus. Canones ſancti, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus conſtituti ſunt, poſtea autem ſuccedenti tempore in Latinam linguam translati ſunt. Et quia difficile eſt ut ſimpliciùs aliquid ex alia lingua transferatur in aliam, ſimulque & illud accidit, ut in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant, & propterea in ipſis Canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura; ideo viſum eſt ut cum omni diligentia, quæ per translatores obſcuriùs dicta ſunt, immutata, ſimpliciùs & emendatiùs reſtaurarem: id primùm obſervans, ut illa, quæ ad Epiſcopos, vel univerſum clerum pertinent, una in parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laïcos pertinent ſimul ſint adunata: ut de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit celeriùs invenire.* Extat ipſa Collectio Canonibus octoginta quinque locupletata.

29. Verùm fuerunt ejuſdem viri alia ſcriptorum monumenta, de quibus Iſidorus dum agit, hæc ait: *Martinus Dumienſis monaſterii ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans, in Galliciam venit; ibique converſis ab Ariana impietate ad Fidem Suevorum populis, regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit; Eccleſias informavit; monaſteria condidit, copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cujus quidem ego legi librum* De differentiis quatuor virtutum, *& aliud volumen Epiſtolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem & converſionem Fidei, orationis inſtantiam, & eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia, culturam virtutum omnium, pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Suevorum, temporibus illis, quibus Juſtinianus in Republica, & Athanagildus in Hiſpaniis imperium tenuere.* Hæc Iſidorus. Porrò libellum illum *De virtutibus quatuor*, complectentem honeſtæ vitæ formulam, inſcripſiſſe ad Mironem Regem, Sigebertus eſt teſtis. Reliqua de eodem Sancto rurſus in ejus obitu dicturi ſumus. CARD. BARONIUS ad annum hunc DLXXII.

30. *Bracarenſe*]. Ad ea quæ ſuprà dixi de hac urbe, adde quæ ſequuntur: *Auguſta Bracarum* (inquit Ortellus) *Plinio, Bracar Auguſta Ptolemæo: citerioris Hiſpaniæ urbs eſt, quæ hodie Braga Ambroſio Morali. Pro Bracar apud Ptolemæum Brecar ſcribendum ſuſpicor, cùm gentis illius caput ſit; quam Strabo & Ptolemæus Brecaros nominant.* BINIUS.

31. *Bracarenſe.*] In antiquo quingentorum annorum Codice Vaticano 1358. continente Panormiam S. Ivonis, inter medium & finem hæc habentur: *Perſecutio Catholicorum in Hiſpania, ubi Rex Arianus.* (is erat Leovigildus, qui hoc anno DLXXII. dominabatur in Hiſpania) *filium Hermengildum juſſit decollari; uxorem filii verberatam piſcina immergi. Concilium Braggarenſe in Hiſpania ſub Rege Ariamiro Galiciæ.* Hæc ibi.

32. Porrò dum jam Suevi Reges Galleciæ religionem Catholicam promovebant, tum in his Conciliis, tum alibi paſſim; Leovigildus Hiſpaniæ Rex illam ſolo æquare aut deſtruere conabatur. Eum in finem ſanctos Præſules, Leandrum Hiſpalenſem, Fulgentium Aſtigitanum, ac Mauſonâ Emeritenſem, Catholiciſmi defenſores acerrimos, exſilio multavit. Vincentium autem Epiſcopum Cæſarauguſtæ ad ſuam ſectam Arianam cum pluribus aliis traxit, propterea impugnatum ac reprehenſum à Severo Epiſcopo Malacitano,

& Liciniano Carthaginenſi, hujus intimo amico & ſocio, quos inſignis pietatis & doctrinæ nomine laudat S. Iſidorus; ſicut & Joannem Abbatem Valclarenſem, virum doctiſſimum ejuſdem temporis, pariter impetitum & exagitatum à Leovigildo, ut Arianæ impietati conſentiret; ſed fruſtrà. Quamvis verò uemo eorum Patrum intervenerit huic Concilio Bracarenſi, tum quia exſules erant plerique, tum quoniam illud habitum fuit extra ditionem Regum Hiſpaniæ Gotthorum, in tractu Gallæciæ Arimiro Regi Suëvorum ſubjectæ; poſtea mortuo Leovigildo interfuerunt liberè Concilio Toletano III. ejuſque fratrem Reccaredum cum aliis Principibus Gotthis Hiſpaniæ converterunt feliciter ad Catholicam Fidem: ut videbimus ſuo loco. Card. de Aguirre.

33. *Anno ſecundo.*] Dicitur in excuſis hoc Concilium ſub Honorio Papa I. fuiſſe coactum: ſed perperam, cùm ex Eræ ſupputatione conſtet, Honorium I. ſeptuageſimum nonum à Petro Romanam Sedem rexiſſe, anno Domini DCXXIII. temporibus Siſebuti Regis. Concilium verò Bracarenſe II. anno Domini DLXXII. fuit geſtum, fortè ſub Joanne III. temporibus Leovigildi Gotthorum Regis. Neque etiam Provinciale fuit ſtrictè, cùm à duobus Metropolitanis totius provinciæ Gallæciæ fuerit celebratum.

34. *Mironis.*] Idem Theodomirus, qui Erâ DCVII. congregavit Concilium Lucenſe. Sic enim invenio ſcriptum: *Ego Theodomirus Rex, cognomento etiam Mirus, Gallaciæ totius provinciæ Rex*, &c. Et infrà: *His itaque determinationibus, ſeu definitionibus, à me Nitigio, nutu Dei Lucenſis Sedis Epiſcopo, diligentiſſimè exquiſitis, per antiquorum virorum ſcientiam, ſeu ſcripturarum ſeriem vetuſtarum, ſtudioſiſſimè poſt peractam Bracarenſem Synodum ſecundam ibidem in diebus glorioſiſſimi domini Mironis Regis, ſub Era DCX. in præſentia ipſius Regis, & omnium Catholicorum magnatum totius Gallaciæ.* Hæc ibi. Unde conſtat Theodomirum & Mironem eundem eſſe Regem, qui huic Synodo interfuit. Loaisa.

35. Hanc Synodum celebratam eſſe anno ſecundo Ariamiri Regis, qui cum Era DCX. Chriſtique nati DLXXII. coincidit, Acta Concilii apertè teſtantur. Hæc tempora Theodomirus ante biennium defunctus attingere non potuit: utpote qui, teſte Ambroſio Morale, nonniſi decem annis regnaverit, quorum primum cœpit anno Chriſti DLX. ultimum anno ejuſdem Chriſti Domini noſtri DLXX. complevit, conſecutus hæredem & ſucceſſorem regni illum filium, quem Sancti Gregorii Turonēſis auctoritate per Sancti Martini reliquias miraculosè à morbo curatum, ſuprà recenſui. Cùm itaque hæc Synodus celebrata fuerit Erâ DCX. quam Theodomirus Rex Erâ DCVIII. defunctus attigiſſe non potuit; nullo pacto defendi poteſt quod ait Garſias, eundem Theodomirum utrumque Bracarenſe Concilium convocâſſe. In conſtitutionem Regiam, cujus auctoritate Garſias nititur, mendum irrepſiſſe probat Baronius anno DLXXII. num. 12. Hæc Synodus menſe Decembri prædicti anni celebrata, poſt Joannem menſe Julio defunctum, habita fuit tempore inter-regni Pontificii. Severinus Binius ex Baronio.

36. Jure ita cenſent D. Baronius & Binius adverſus D. Loaïſam: qui & ipſe parachroniſmum dignoſcere potuit ex catalogo Regum Suëvorum, quotquot in Gallæcia dominati fuerunt ab Era Auguſti CDXLVI. ad DCXX. id eſt ab anno Chriſti CDVIII. uſque ad DLXXXII. per ſpatium centum ſeptuaginta ſeptem annorum, juxta computum S. Iſidori. Porrò ex eo catalogo, quem ipſe vir doctiſſimus edidit ſub initium ſui voluminis, compertum habere debuit, Theodemirum, ſeu Ariamirum, Catholicum Suëvorum Regem, ſub quo Concilium Bracarenſe primum, & Lucenſe habita fuerunt, regnâſſe ab anno Chriſti DLVIII. ad DLXX. per ſpatium duodecim annorum. Quare neceſſum eſt, ut mortuus jam fuiſſet biennio ante hoc Concilium Bracarenſe II. quod ex conſenſo omnium celebratum fuit anno DLXXII. Non itaque ſub Theodemiro, ſive Ariamiro, ſed ſub Mirone, qui eidem ſucceſſit, & tredecim annis circiter regnavit, ab anno DLXX. ad DLXXXII. ac proinde anno ejus regni ſecundo, ut in ipſis Actis habetur. Card. de Aguirre.

37. *Cum ſuis Metropolitanis.*] Eccleſia Lucenſis facta eſt Metropolitana, ut ſuprà diximus, Erâ DCIX. in Concilio Lucenſi tempore Theodemiri Regis Suëvorum celebrato. De quo Ambroſius Morales, diligens noſtrarum rerum indagator, poſt Vaſæum lib. 11. Chronici Generalis cap. 59. affirmat ſe in tabulis archivi Eccleſiæ Lucenſis legiſſe ſic ſcriptum: *Tempore Suëvorum ſub Era DCVII. die Kalendarum Januarii, Theodemirus Princeps Suëvorum Concilium in civitate Lucenſi fieri præcepit, ad confirmandam Fidem Catholicam, vel pro diverſis Eccleſiæ cauſſis.* In eo (inquit) *Concilio facta eſt Metropolitana Lucenſis Eccleſia.* Eccleſiæ tamen Bracarenſi ſubjecta. Oppoſitum lego in Concilio Lucenſi. Hinc eſt quòd Eccleſia Bracarenſis, hac ratione innixa, primatûs Hiſpaniæ nomen ſibi arroget.

38. Ad Cap. I. *Catechumeni Symbolum.*] Sic Concilium Laodicenſe cap. 46. *Baptizandos oportet Fidei Symbolum diſcere, & quintâ feriâ ultima ſeptimanæ, vel Epiſcopo, vel presbytero reddere.* Idem Concilio VI. Generali cap. 78. Gregorius Papa lib. 3. Epiſt. IV. Et nomen ſuum dabant quadraginta dies, vel eò ampliùs antè, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, & jejuniis expiabantur, ut illa Apoſtolica in illis impleretur præceptio: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* 1. ad Corinth. 5. Id conſtat ex Epiſtola Syricii Papæ ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, & Cœleſtini Papæ I. ad Epiſcopos Gallæciæ, cap. 12. Et quum ventum erat ad baptiſmi gratiam ſuſcipiendam, illud reddebant. Ambroſius lib. ſecundo *De ſacramentis*, cap. 7. *Interrogatus*: (inquit) *Credis in Deum Patrem omnipotentem? & dixiſti, credo: & merſiſti?* Idem Hieronymus in 2. cap. Proverbiorum, & Auguſtinus lib. *De Fide & operibus*, cap. 12. & his antiquior Sanctus Dionyſius Areopagita, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, cap. ultimo.

39. Ad Cap. II. *Lumen & ſacra.*] Lumen & luminaria Eccleſiæ, ab origine naſcentis Eccleſiæ ſemper fidelibus magno in honore ad cultum Dei habita, ingentiſque cura obſervata. Unde narrat Euſebius lib. 6. cap. 7. & Nicephorus lib. 5. cap. 9. quòd cùm oleum deeſſet luminaribus in die ſolenni vigiliarum Paſchæ in Eccleſia Hieroſolymitana, Narciſſus Hieroſolymitanus Epiſcopus aquam imperavit deferri, eamque benedixit, & infundi lampadibus. *Tunc* (ait Euſebius) *repenti miro, & ſæculis inaudito genere virtutis, natura aqua in olei pinguedinem verſa, ſplendorem luminum etiam ſolito reddidit clariorem.* Simile miraculum commemorat Gregorius lib. 1. *Dialogorum*, cap. 5. & lib. 3. cap. 30. lampades immiſſo divinitus lumine accenſas fuiſſe.

40. Ad Cap. III. *Antiqua definitio.*] Gratis ordines eſſe conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum ejus donum pretio temporali æſtimatur & traditur, (vile enim eſt omne quod in humanam æſtimationem cadit) id docuit primò Hormiſda Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 2. & Concilium Aurelianenſe II. cap. 3. & II. Turonenſe cap. 28. & Toletanum IV. cap. 18. & VIII. Toletanum cap. 3. & Tolet. XI. cap. 8. & 9. noviſſimè ſancta & univerſalis Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 1.

41. Ad Cap. IV. *Exigatur.*] Chriſma ut gratis detur, ſtatutum eſt ab Eugenio II. Papa cap. 20. & Alexandro Papa III. cap. 10. & in Concilio Cabilonenſi tempore Caroli Magni, cap. 16.

42. Ad Cap. V. *Niſi antea dotem Baſilica.*] Poſt exſtructam Baſilicam, duo ex antiquis decretis Eccleſiæ ſunt neceſſaria ad rem divinam in ea agendam: unum eſt dos, alterum conſecratio. Dos opus eſt, ut ſacerdotum victui & veſtitui aptiùs conſuleretur, eorumque rationibus provideretur. In Concilio Toletano III. cap. 15. *Epiſcopis interdicitur Eccleſiam conſecrare, niſi priùs dotem chartulâ confirmatam habuerint.* Sanctus Chryſoſtomus hom. in Acta: *Quaſi* (inquit) *ducta uxore, vel ſponſa, vel data virgine, ſic erga Eccleſiam affectus ſis: dotem inſcribe illi: ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur.* De conſ. diſt. 1. cap. *Nemo.* & Can. *Cùm ſicut.* Formulam hujus chartæ legi in archivis Eccleſiæ Toletanæ, in dote quam ei inſcripſit Adephonſus ſextus Rex liberali munificentia. *Ego Rex* (inquit) *Adephonſus conſtituo chartam dotis Beatæ Mariæ Virgini, & omnibus ſacerdotibus caſtè & piè vitam agentibus*, &c. Conſecratio verò Eccleſiæ ab Apoſtolis fluxit. Ipſi à Domino eam acceperunt, & nobis tradiderunt. Clemens Epiſtolâ ſecundâ ad Jacobum fratrem Domini, & Epiſt. III. & Canon. *Eccleſiaſt.* 16. quæſt. 7. & Canon. *Eccleſias.* & *Omnes.* *De conſecr.* diſt. 1. Athanaſius ab Arianis accuſatus, quòd ſynaxem in Eccleſia nondum conſecrata celebrâſſet; ipſe reſpondit in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, frequentiâ populi, & neceſſitate, & periculi metu coactum fuiſſe.

43. Ad Cap. X. *Miſſa mortuorum.*] Pro vivis & defunctis eſſe Miſſas celebrandas, antiquus Eccleſiæ Catholicæ retinet mos, ut ex Gregorii II. Papæ Epiſtola octava conſtat, & ex Concilio Tribur. ſub Arnulpho Imperatore cap. 15. & ex Concilio Toletano XVII. & ex Auguſtino lib. *De cura pro mortuis gerenda*, cap. primo & quarto, & lib. *De civitate Dei*, 20. cap. 9. & in Enchiridio cap. 100. & ex Chryſoſtomo Sermone III. in Epiſtolam ad Philippenſes, & ex Cypriano martyre lib. 1. Epiſt. IX. & Concilio Cabilonenſi cap. 39. Loaisa.

Notæ in ſubſcriptiones.

44. *Martinus.*] Martinus ex Dumienſi Abbate creatus eſt Epiſcopus Bracarenſis. Erat Metropolitanus, & antiquior Nitigiſio Lucenſi, qui erat etiam Metropolitanus. Nam, ut diximus, in provincia Gallæciæ duo Metropolitæ continebantur. Succeſſit Martinus Lucretio. Remiſol Viſenſis, Lucentius, & non Lucretius, Conimbrienſis, Adorius Egitanæ, Sardinarius Lamecenſis, Viator Magnetenſis.

45. *Nitigiſius.*] Nitigiſius primæ Sedis Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Andreas Irienſis, qui ſubſcribit in primo Bracarenſi: Wittimer Aurienſis, Avilà Tudenſis, Polemius Aſturicenſis, Mailoc Britonenſis. Hinc colliges in provincia Gallæciæ fuiſſe duodecim Cathedrales ſedes, nimirum:

In Bracarenſi Metropoli	In Lucenſi
Viſeo.	Iria.
Conimbria.	Auria.
Egitania.	Tude.
Lameco.	Aſturica.
Magneto.	Britona.

Hæ omnes civitates, extincto Suevorum Imperio, ad Bracaram ſunt redactæ ſub Gotthis. Loaisa.

46. De eodem S. Martino Bracarenſi plura habemus ex S. Iſidoro in libro *De viris illuſtribus.* Multa quoque de ipſo leguntur apud Bellarminum, aliosque recentiores, qui *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis* agunt; præſertim verò apud Cl. V. D. Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hiſpana Veteri apud nos exſtante. Sed & præterea nos ipſi jam pridem ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ eruimus varia utilia & elegantia Opuſcula ipſius, quæ animus fuerat edendi hoc ipſo loco. At enim ad vitandam libri molem juſto majorem, viſum tandem eſt illa in opportuniorem locum remittere, excepto quodam Epigrammate Venantii Fortunati, præclariſſimi olim Præſulis, & Poëtæ

celebris, ac συγχῶν, ad eundem Martinum.

47. Porrò illud poſt varias editiones noviter recuſum fuit in Biblioth. Maxima Patrum Aniſſoniana Tomo X. pag. 53. initio libri quinti poëmatum Venantii: in quo primò omnium exhibetur quædam ipſius Epiſtola ad eundem S. Martinum Bracarenſem tunc viventem, cum hac inſcriptione: *Domino ſancto atque Apoſtolico, in Chriſti Regis exercitu poſt ducem Paullum primipilo, Martino Epiſcopo, Fortunatus.* In ea illum ſummis elogiis ornat, ſtylo ejus ævi laborioſo, ſed inculto, & longè alieno ab elegantia Patrum ſæculi quarti ac quinti præcedentis. Et concludit diſticho hoc ad Martinum hunc novum, tanquam imitatorem antiqui;

Martini meritis cum nomine nobilis hæres,
Pro Fortunato quæſo precare Deum.

Deinde ſubjungit Epigrāma ſequens ad eundem.

CARMEN
VENANTII FORTUNATI
AD MARTINUM EPISCOPUM GALLICIÆ.

Agit de legationibus Apoſtolorum ad varias mundi partes, S. Martini veteris ad Galliam, præſertim in Turonenſem urbem, & tandem novi Martini ad Galliciam, & Eccleſiam Bracarenſem ejus Metropolin.

Apoſtolorum in varias Orbis partes legatio.

LUMEN Apoſtolicum cùm ſpargeret una triades,
Exciperetque novum mundus honore diem;
Ut tenebras animæ lux ſementina fugaret,
Et claram hauriret mens oculata fidem;

a S. Petri.

Redditur, avulſis ſpinis, urbs a Romula princeps,
Principis egregii vomere culta Petri.

b S. Paulli.

Paullus ad b Illyricos Scythicas penetrando pruinas,
Dogmate ferventi frigora ſolvit humi.

c S. Matthæi.

Matthæus c Æthiopes attemperat ore vapores,
Vivaque in exuſto flumina fudit agro.

d S. Thomæ.

Bellica d Perſidis Thomæ ſubjecta vigori,
Fortior efficitur victa tiara Deo.

e S. Bartholomæi.

Lurida perſpicuò datur India e Bartholomæo,

f S. Andreæ.

Andreæ f monitis exſtat Achaja ſeges.

g S. Martini Turonenſis.

Ne morer, accelerans g Martini Gallia priſci
Excellente fide luminis arma capit.

h Martini alterius legatio, id eſt, Bracarenſis.

MARTINO h ſervata novo Gallicia plaude,
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit:
Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paullum,

i Fortè judicat, Galliciam ſpeciatim S. Jacobo fratri Joan addictam.

Hinc Jacobi i tribuens, inde Joannis opem.

k Patria hujus Martini

Pannoniæ k, ut perhibent, veniens è parte Quirinis,

l Galloſuevos convertit, id eſt Suevos Galliciæ incolas.

Eſt magis effectus l Galli-ſueva ſalus.

m Deſcribit latè fructum ſalutis à Martino hoc reportatum in Gallicia.

In m ſulcum ſterilem vitæ plantaria ſevit,
Quo natura ſeges fertilitate placet.
Heliæ meritis alter redit imber ariſtis,
Munera roris habens ne premat arva ſitis.
Neo jaceant ſtupidis arentia jugera ſulcis,
Influit irriguæ fonte perennis aquæ.

Ad Rom. cap. 11.

In ramis hæreſis fidei pia germina fixit,
Quodque oleaſter erat, pinguis oliva viret.
Quæ ſtetit exilis viduatis frondibus arbor,
Jam paritura cibum floret honore novo.

Impo-

Imponenda focis ſine ſpe ficulnea triſtis,
Præparat ad fructum ſtercore culta ſinum.
Palmitis uva tumens avium laceranda rapinis,
Hoc cuſtode bono non perit uva lacu.
Rebus Apoſtolicis direxit vinitor antes;
Arva ligone movens, falce flagella premens.
Ex agro Domini labruſcam excidit inertem,
Atque racemus adeſt, quod fuit ante frutex.
De ſatione Dei zizania vulſit amara,
Surgit & æqualis lætificata ſeges.
Martino [n] ſervata novo Gallicia plaude,
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.
Paſtoris ſtudio circum ſua ſepta recurrens,
Ne lupus intret oves, ſervat amore gregis.
Supportante manu trahit ipſe ad pabula Chriſti,
Montibus inſtabilem ne voret error ovem.
Cujus vox refluens, plebi, de fonte ſalubri,
Ut bibat aure fidem, porrigit ore ſalem.
Noſtri damna quidem domino pia vota paravit,
Et commiſſa ſibi [o] dupla talenta refert.
Vocem Euangelicam exſpectans operarius almus,
Ut ſibi dicatur: Servule perge bone,
Quando fidelis enim mihi ſupra pauca fuiſti,
Supra multa nimis conſtituendus eris.
Ecce tui domini modò gaudia lætior intra,
Proque labore brevi magna parata tibi.
Auditurus eris vocem Martine beatam;
Sed Fortunati [p] ſis memor ipſe tui.
Quæſo precare pater videam tua gaudia tecum;
Sic placeas Regi, poſſe patente Petri.
Cum [q] Radegunde humili ſupplex pia poſtulat Agnes,
Ut commendatæ ſint tibi ſancte Pater.
Et creſcente choro per carmina ſancta ſororum,
Complaceant Domino, te duce mite, ſuo.
Atque adſcita ſibi ſervetur ab urbe * Geneſi
Regula Cæſarii præſulis alma pii.
Qui fuit Antiſtes Arelas, de ſorte * Lirini,
Et manſit monachus, pontificale decus.
Sedulitate patris proprias tuearis alumnas,
Ut tibi proficiant hæc bona, ſi qua gerant.
Unde inluſtre caput cingas diademate pulchro,
Et grates dignas pro grege paſtor agas.

[n] Diſtichon hoc Mſſ. legebatur ſemel & iterum.

[o] Præmia Martinum quæ manent. *Matth.* 25.

[p] Orat pro ſe.

[q] Commendat illi poëta Radegundem Reginam, ejuſque ſororem, Agnetem.

* Geneſi.
Regula S. Cæſarii.

* Lerini.

Alia ejus elogia vide in Epiſtola nuper indicata ejuſdem Fortunati, cujus ſtylus longè tolerabilior eſt verſu quàm proſâ. Cardinalis de Aguirre.

CAPITULA
EX ORIENTALIUM SYNODIS
A S. Martino Epiſcopo Bracarenſi collecta, & in Concilio Lucenſi publicata.

MARTINUS Bracarenſis Epiſcopus capitula edidit Synodorum Græcarum, quæ citantur à Gratiano cap. *Propter Eccleſiaſticas*, diſt. 18. Hic cùm eſſet Græcus, ad utilitatem Eccleſiarum Hiſpaniæ hæc capitula Græca Latina fecit, & alia quædam ex Latinis addidit, & à Græcis aliqua detraxit, ut eſt in cap. *Propter Eccleſiaſticas*, quod deſumptum eſt ex Concilio Antioch. cap. 20. Alia etiam ex Toletanis Conciliis poſuit, & ad mores noſtrorum hominum Græcos ritus ſanctè & prudenter accommodavit. Loaisa.

a F. ſuſpiciendo. b Nitigi. C. 4. c Epiſcopus ſalutem.

Domino beatiſſimo, atque Apoſtolicæ Sedis honore a *ſuſcipiendo in Chriſto fratri,* b *Nitigeſio Epiſcopo, vel univerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus* c *Epiſcopus.*

SANCTI Canones, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus conſtituti ſunt, Græco priùs ſermone conſcripti ſunt; poſtea autem ſuccedenti tempore, in Latina lingua tranſlati ſunt. Et quia difficile eſt, ut ſimpliciùs aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, ſimulque & illud accidit, ut in tantis temporibus ſcriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant, & propterea in ipſos Canones aliqua apud ſimpliciores videantur obſcura; ideoque viſum eſt, ut cum omni diligentia, & ea quæ per tranſlatores obſcuriùs dicta ſunt, & ea quæ per ſcriptores ſunt immutata, ſimpliciùs & emendatiùs d reſtaurarem: hoc ſimul obſervans, ut illa quæ ad Epiſcopos, vel univerſum pertinent clerum, una parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laïcos pertinent, ſimul ſint adunata: ut de quo capitulo aliquis ſcire voluerit, poſſit celeriùs invenire.

d Reſtaurem. C. 4.

T I T U L I.

I. *De electione Epiſcopi.*
II. *De ordinatione Epiſcopi.*
III. *De evacuanda ordinatione, quæ abſente Metropolitano fuerit facta.*
IV. *De primatu Metropolitani.*
V. *De eo qui per ambitionem de inferiori civitate ad majorem tranſire vult.*
VI. *De non mutanda parochia.*
VII. *De præſumptione alienæ diœceſis.*
VIII. *De non conſtituendo Epiſcopo ſucceſſore.*
IX. *De irruptione vacantis Eccleſiæ.*
X. *De Epiſcopo per neceſſitatem vagante.*
XI. *De contemptore Epiſcopo.*
XII. *De ſeditioſo Epiſcopo.*
XIII. *De* e *diſſenſione judicii.* (e Diſſentionibus. C. 4.)
XIV. *De præſumptione Epiſcopi in rebus Eccleſiæ.*
XV. *De rebus Eccleſiaſticis gubernandis.*
XVI. *De rebus Eccleſiæ diſpenſandis.*
XVII. *De his qui de miniſterio Eccleſiæ aliquid vendiderint.*
XVIII. *De Synodo facienda.*
XIX. *De Epiſcopo, qui noluerit venire ad Synodum.*
XX. *De legitima ætate ordinandi presbyteros.*
XXI. *De eunuchis qui ab aliis fiunt, & qui ſibi ipſis naturalia abſcindunt.*
XXII. *De neophytis.*
XXIII. *De pœnitente non admittendo ad clerum.*
XXIV. *De his qui indiſcuſſi, aut presbyteri, aut diacones ordinati ſunt.*
XXV. *De presbyteris aut diaconibus, qui poſt ordinationem denotantur.*
XXVI. *De his qui viduas aut dimiſſas ducunt.*
XXVII. *De fornicatoribus clericis.*
XXVIII. *De his quorum uxores mœchantur.*
XXIX. *De viduis clericorum.*
XXX. *De filia Epiſcopi, vel presbyteri, quæ fuerit devota & peccaverit.*
XXXI. *De devota peccante, vel quæ ſe maritaverit.*
XXXII. *De ſubintroductis adoptivis mulieribus.*
XXXIII. *De non recipiendis clericis, & de infirmanda ordinatione ejus, qui ſine conſenſu Epiſcopi ſui ab alio Epiſcopo ordinatus eſt.*
XXXIV. *De clericis deſertoribus.*
XXXV. *De importunis clericis.*
XXXVI. *De purganda opinione hæreſis.*
XXXVII. *De clericis excommunicatis.*
XXXVIII. *De presbyteris, ut in ſecundis nuptiis non vadant.*
XXXIX. *De his qui ad diaconatum eliguntur.*
XL. *De eo quòd non licet diaconum non juſſum ſedere.*
XLI. *De eo quòd non liceat quemlibet ut miniſteria tangat.*
XLII. *Ut mulieres in ſacrario non intrent.*
XLIII. *Si lector alterius viduam duxerit.*
XLIV. *Si ſubdiaconus ſecundam duxerit uxorem.*
XLV. *Ut non aſcendat in pulpitum niſi lector.*
XLVI. *De conditionalibus non ordinandis, niſi cum conſenſu patronorum.*
XLVII. *De non ſuſcipiendis ſervis alienis.*
XLVIII. *De non celebrandis natalitiis Martyrum in Quadrageſima.*
XLIX. *Non ſuſcipi debere infantes ad baptiſmum niſi ante tres ſeptimanas Paſchæ.*
L. *De non ſolvendo jejunio in quinta feria Paſcha.*
LI. *De chriſma conficenda.*
LII. *Non liceat presbytero, præſente Epiſcopo, chriſmare.*
LIII. *Quòd non licet presbytero ante Epiſcopum in baptiſterio introïre.*
LIV. *De prægnantibus baptizandis.*
LV. *Quid in altario offerre oportet.*
LVI. *De presbyteris foraſticis.*
LVII. *De non jejunando die Dominica, nec genuflectendo, ſimiliter ut in Quinquageſima.*
LVIII. *De prægustandis carnibus, & non exſecrandis.*
LIX. *De eo quòd non licet ſacerdotibus vel clericis incantaturas & contrarias ligaturas facere.*
LX. *De eo quòd non liceat ſacerdotibus vel clericis ſpectaculis intereſſe.*
LXI. *De eo quòd non liceat convivia facere de confertis.*
LXII. *De uſuris vel negotiorum lucris.*
LXIII. *De clericis qui ad Matutinum vel Veſpertinum officium non conveniunt.*
LXIV. *De eo quòd non liceat clericos Dominica ab Eccleſia abſentari.*
LXV. *De eo quod non liceat clericos ante horam tertiam prandere.*
LXVI. *De adtondenda coma clericorum, vel habitu ordinato.*
LXVII. *De eo quòd non liceat pſalmos poëticos in Eccleſia dicere, vel libros apocryphos legere.*

De

LXVIII. *De eo quòd non liceat, ſuper monumenta mortuorum Miſſam tenere.*
LXIX. *De eo quòd non liceat Chriſtianis prandia ad monumenta portare.*
LXX. *De eo quòd non liceat clericis, ſive laïcis Catholicis, ab hæreticis eulogias accipere, aut cum ipſis vel ſchiſmaticis orare.*
LXXI. *De eo quòd non liceat Chriſtianis obſervationes diverſas attendere.*
LXXII. *De eo quòd non liceat Chriſtianis tenere traditiones Gentilium, & obſervare lunæ & ſtellarum curſus.*
LXXIII. *De eo quòd non liceat Kalendas obſervare.*
LXXIV. *De eo quòd non liceat herbas medicinales cum aliqua obſervatione colligere.*
LXXV. *De eo quòd non liceat mulieres Chriſtianas in laniſiciis aliquid obſervare.*
LXXVI. *De adulteris.*
LXXVII. *De mulieribus fornicariis, & abortum facientibus.*
LXXVIII. *De homicidio, voluntario vel non voluntario.*
LXXIX. *De muliere quæ duos fratres conjugio, vel viro qui duas ſorores habuerit.*
LXXX. *De his qui nuptiis irruunt.*
LXXXI. *De his qui ſe animalibus commiſcuerunt.*
LXXXII. *De his qui uſque ad finem vitæ in peccatis perdurant, & in exitu communionem accipiunt.*
LXXXIII. *De his qui intrantes Eccleſiam, per nimiam luxuriam, ſacramento ſe abſtinent.*
LXXXIV. *De excommunicatis.*

CANONES.

I. *De electione Epiſcopi.*

NON liceat populo electionem facere qui ad ſacerdotium provocantur, ſed judicium ſit Epiſcoporum; ut ipſi eum, qui ordinandus eſt, probent, ſi in ſermone & Fide & in ſpirituali vita edoctus eſt.

Laod. 12. 13.

II. *De ordinando Epiſcopo.*

Epiſcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio conſtitui: ſed ſi hoc aut pro neceſſitate, aut pro longinquitate itineris, difficilè fuerit; ex omnibus tres colligantur, & omnium præſentium, vel abſentium ſubſcriptiones teneantur, & ſic poſtea ordinatio fiat. Hujus autem rei poteſtas in omni provincia ad Metropolitanum pertineat Epiſcopum.

Diſt. 63. c. Non licet, & diſt. 24. Epiſcopi. & diſt. 64. c. Epiſcopum. Burch. lib. 1. c. 10. Ivo p. 5. c. 64. ex Nican. Conc. Can. 4.

III. *De evacuanda ordinatione, quæ abſente Metropolitano fuerit facta.*

Non debet ordinari Epiſcopus abſque conſilio & * præſentia Metropolitani Epiſcopi. Adeſſe autem oportet omnes qui ſunt in provincia ſacerdotes; quos per ſuam debet Epiſtolam convocare. Et ſi quidem omnes occurrerint, melius; ſi autem hoc difficile fuerit, [f] pluriores oportet occurrere. Qui autem non venerint, præſentiam ſui per ſuas Epiſtolas faciant: & ſic omnium facto conſenſu, ordinationem Epiſcopi fieri oportet. Si autem aliter, præter quod à nobis terminatum eſt, fuerit factum; talem ordinationem nihil prævalere decernimus. Si autem ſecundùm Canones ordinatio Epiſcopi fuerit facta, & aliquis contrà, [g] ſuâ malitiâ in aliquo contradixerit, plurimorum conſenſus obtineat.

Diſt. 65. cap. Non debet. ex Concil. Antioch. Can. 19.
* Præſcientia.
[f] Plures. *Exc.*
[g] Cum ſua malitia. *Exc.*

IV. *De primatu Metropolitani.*

Per ſingulas provincias oportet Epiſcopum cognoſcere primatum Metropolitani Epiſcopi: & ipſum curam ſuſcipere, nihil autem agere reliquos Epiſcopos præter eum, ſecundùm quod antiquitus à Patribus noſtris conſtitutum continetur in Canone. Propter quod & Metropolitanus nihil ſibi præſumptivè adſumat abſque conſilio cæterorum.

9. q. 3. Per ſingulas provincias. *Vide ſuprà Epiſt. Hilari Papæ ad Hiſpanos.*

V. *De eo qui per ambitionem de inferiori civitate ad majorem tranſire vult.*

Si quis in parte alicujus fuerit ambitioſior inventus; ſive Epiſcopus, ſive presbyter, vel diaconus, de inferiori civitate, non tranſeat ad majorem. Quòd ſi quis contra hæc magni Concilii conſtituta importunus exſtiterit, omnimodis evacuetur hujuſmodi factum; & ſuæ iterum reſtauretur Eccleſiæ, cujus Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus priùs fuerit conſtitutus.

Id ſtatuitur in Concilio Sardicenſi.

VI. *De non mutanda parochia.*

Epiſcopum à propria parochiâ non liceat tranſire in aliam, neque ſua ſponte introïre, neque invitatus, neque ab Epiſcopo coactus, ſed permaneat in loco, in quo à Deo eſt ordinatus, & in eam quam ſortivit Eccleſiam, ſecundùm antiquum Canonum inſtitutum.

Antioch. 21.

VII. *De præſumptione alienæ diœceſis.*

Si quis Epiſcopus non per * ſcripta Metropolitani Epiſcopi, aut qui cum eo ſunt, rogatus, de alia pro-

Antioch. 13.
* Scripturam.

provincia in aliam venerit; ſed præſumptivè irruens, ad ordinationem & conſtitutionem clericorum, qui ad illum non pertinent, importunus exiſtat; vacua ſint & inania quæ ab eo fuerint ordinata. Ipſe autem * digna excommunicatione cenſeatur, & * abominetur à ſancto Concilio.

* *Fortè* dignus.
* *Al.* alienetur.

VIII. *De non conſtituendo Epiſcopo ſucceſſore.*

8. q. 1. Burch. lib. 1. cap. 187. Ivo p. 5. cap. 323. *Vide ſuprà Epiſt. Hilari Papæ ad Aſcanium Tarraconenſem.*

Epiſcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco ſuo conſtituere ſucceſſorem. Si quis autem hoc uſurpare tentaverit, talis conſtitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, niſi cum conſilio & judicatu Epiſcoporum, qui poſt exitum præceſſuris poteſtatem habent quem dignum elegerint.

IX. *De irruptione vacantis Eccleſiæ.*

Diſt. 92. c. Si quis Epiſcopus vacans. *In Notis Gregorianis dicitur:* Addendũ eſt: Metropolitanus etiam, ſcribitur καὶ ὁ τῆς Μητροπόλεως.

Si quis Epiſcopus vacans, in Eccleſiam non habentem Epiſcopum, ſubripiens populos, ſine conſilio integri ordinis, irruerit; etiam ſi populus quem ſeduxit deſideret illum, alienum eum ab Eccleſia eſſe oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo Metropolitanus Epiſcopus fuerit.

X. *De Epiſcopo per neceſſitatem vagante.*

Diſt. 92. c. Si quis ordinatus. *Vide Pelag. II. in Epiſt. ad Benignũ. Burch. lib. 1. cap. 40. Ivo p. 5. c. 151.* h *Sic in quibuſdã Gratiani Codicib. Mss. correctiores tamen Gratiani contentione rithe.* ... * *Al.* non ierit. *Antioch.* 17.

Si quis Epiſcopus ordinatus, pro h contemptione populi, aut pro aliqua alia ratione, & non pro ſua culpa, in parochia quæ ei fuerit data * non iaſit; hunc oportet honorem ſacerdotum tantummodo contingere: & de rebus Eccleſiæ, in qua convenit, nihil ſibi præſumat. Suſtineat autem quid de eo ſanctum Concilium judicare voluerit.

XI. *De contemptore Epiſcopo.*

Si quis Epiſcopus ab Epiſcopis ordinatus noluit agere ſacerdotium, neque conſenſerit in ſibi commiſſa Eccleſia ambulare; ſtatim talem excommunicari oportet. Quòd ſi coactus contempſerit; ſanctum Concilium quod placet de eodem terminet.

XII. *De ſeditioſo Epiſcopo.*

Ancyr. 18.

Si quis Epiſcopus ordinatus fuerit, & non vult ipſam parochiam ſuſcipere in qua nominatus eſt, ſed alibi vult ordinare; & vim facit, & ſeditiones concitat contra eos qui illum ordinaverunt; hunc ab honore oportet removeri. Si autem in priſtino honore presbyterii vult ſtare, non vitetur ut gradum quem habuit retineat. Quòd ſi reluctatus fuerit, etiam de honore presbyterii ab honore proprio deponatur.

XIII. *De diſſenſione judicii.*

6. q. 4. Si quis Epiſcopus in. *Ubi dicitur,* & in aliis: *ex Conc. Martini Papæ.* i Aliquibus conſtitutionibus jud. *Exc.* k Provinc. ſua ſit. *Exc.*

Si quis Epiſcopus in i aliquibus judicatur, & viderit ipſos Epiſcopos, qui in k provincia ſunt, inter ſe in judicio diſcrepare; ut alii videantur eum qui judicatur juſtificare, alii condemnare; pro definitione hujus diſſenſionis hoc placuit ſancto Concilio, ut de vicina provincia alter Metropolitanus convocetur Epiſcopus: ut per eum confirmetur quod ſecundùm rectum placuerit Canonem.

XIV. *De præſumptione Epiſcopi in rebus Eccleſiæ.*

10. q. 3. Si quis Epiſcopus nulla. *Burch. lib. 3. c. 215. & lib. 3. c. 181. Ivo p. 3. c. 192. & 242. & p. 5. c. 320.* l In clero ſuo. *Grat. Exc.* m Aud. & convictus, & tanquam *Grat. Quam lectionem probat Nota Gregoriana.*

Si quis Epiſcopus nulla Eccleſiaſticæ rationis neceſſitate compulſus, l inſcio clero, aut ubi fortè non eſt presbyter, de rebus Eccleſiaſticis aliquid præſumpſerit vendere; res ipſas Eccleſiæ propriæ reſtaurare cogatur: & in judicio Epiſcoporum dejiciatur m auditus, & tanquam furti aut latrocinii reus à ſuo privetur honore.

XV. *De rebus Eccleſiaſticis gubernandis.*

12. qu. 1. c. Manifeſta. *ex Can. IV. Conc. Antioch.*

Quæ ſunt Eccleſiæ, conſervari cum omni diligentia, & bona conſcientia, & fide Dei, qui omnia videt & judicat, gubernari ergo oportet cum judicio & poteſtate Epiſcopi: cui etiam omnis populus & congregatio commiſſa eſt animarum. Manifeſta autem debent eſſe quæ ad Eccleſiam pertinent, in conſcientia eorum qui circa Epiſcopos ſunt, presbyteros & diaconos, ut hi omnes ſciant quæ ſunt Eccleſiæ propria: ut ſi Epiſcopo contigerit tranſitus, nihil eos latere poſſit ex his quæ ad Eccleſiam pertinent, ut nullo modo poſſint minui & perire. Neque rei propriæ Epiſcopi debent importunitatem pro rebus Eccleſiæ pati. Dignum revera & juſtum eſt apud Deum & homines, ut ea quæ Epiſcopi propria ſunt, cui voluerit derelinquat; & neque Eccleſiam perpeti damnum, neque Epiſcopum pro rebus Eccleſiæ condemnari, aut poſt ejus obitum in cauſſas, quæ ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere.

XVI. *De rebus Eccleſiæ diſpenſandis.*

Epiſcopus habeat poteſtatem in rebus Eccleſiæ, ut diſpenſet neceſſitatem habentibus, cum omni reverentia & timore Dei: participare etiam eum oportet quæ neceſſaria ſunt; ſi tamen ipſe, aut qui cum eo ſunt fratres, indiguerint aliquid; ut neceſſitatem nullo modo patiantur, ſecundùm ſanctum Apoſtolum dicentem: Victu & tegumento, his contenti ſumus. Si autem res Eccleſiaſticas Epiſcopi in ſuas voluntates uſurpare voluerint, & [n] lucra Eccleſiæ, vel fructus agrorum, non cum presbyterorum vel diaconorum conſilio [o] intaminaverint, aut fratribus, vel filiis, vel quibuſcumque propinquis ſuis dederint poteſtatem, ut per eos latenter res lædantur Eccleſiæ; hos oportet obnoxios eſſe Concilio. [p] Similiter id, ſi Epiſcopus, vel qui cum eo ſunt presbyteri, aut diaconi accuſentur, ut quæ ex reditu, vel ex quolibet [q] actu Eccleſiæ veniant, in ſuo ſinu colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiuntur; hos corripi oportet, ſecundùm quod ordinatum fuerit à ſancto Concilio.

n Loca.
o Contaminaverint.
p Sin autem *Grat.* *quam lectionem probat nota Greg. tanquã magis accedentem ad Græcam Conc. Antiocheni c. 5.*
q *Hæc vox in ſimili ſignificatione uſurpatur 2. q. 2.* Vulteranæ. *Vide notam Gregorianã* *Diſt. 50.* Si quis. *Ivo p. 3. cap. 173.* *Burch. lib. 3. c. 179.*
r De eleemoſynis. *Burch.*
s Ut debeat gradu. *Gratian.*

XVII. *De his qui ex vaſis miniſterii Eccleſiæ aliquid vendiderint.*

Si quis presbyter aut diaconus inventus fuerit aliquid de [r] vaſis miniſterii Eccleſiæ venundaſſe; quia ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordinatione Eccleſiaſtica non haberi: in judicio tamen Epiſcopi dimittendum eſſe, ſive dignus ſit, ſive indignus, in ſuo recipi [s] gradu: quia ſimul totiens pro hoc ipſo, quod de ſacroſancto altario intaminaverint, id cum Epiſcopi poteſtate dimiſſum eſt.

XVIII. *De Synodo facienda.*

Propter Eccleſiaſticas curas, & altercationum ſolutiones, bene placuit, per ſingulas provincias bis in anno Concilium fieri, convocante Metropolitano Epiſcopo omnes provinciæ Epiſcopos; ita ut in his Conciliis prodeant omnes presbyteri, diaconi, vel hi, quorum in Concilio cauſſæ examinatæ ad juſtum judicium prodantur. Et qui manifeſtè Epiſcopi, vel presbyteri, aut diaconi inventi fuerint in offenſa; ſecundùm rationem excommunicentur, quamdiu communi conſenſu de his placuit dare ſententiam. Nulli autem Epiſcopo liceat propria apud ſemetipſum Concilia facere: præter eos qui ſunt Metropolis [t] creditæ.

Ex Concilio Antioch. c. 20. Habetur 18. c. Propter Eccleſiaſt.

t *Fortè* Eccleſiæ.

XIX. *De Epiſcopis qui venire ad Synodum noluerint.*

Non liceat ad Concilium convocatos Epiſcopos contimere: ſed ire, & ea quæ ad utilitatem Eccleſiæ, vel cæterorum pertinent, aut doceri ſi novit, aut doceri ſi neſcit. Nam ſi extra ægritudinem contempſerit ire, reus erit fraterni Concilii.

Laod. 40.

XX. *De legitima ætate ordinandi presbyteri.*

Si quis triginta ætatis ſuæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etſi valdè ſit dignus: quia ipſe Dominus triceſimo anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui ordinandus eſt, uſque ad hanc ætatem legitimam conſervari.

Affertur d. 78. c. Si quis triginta. *Tribuit. Bonifacio Papæ, verùm ex Neocæſareenſi c. 11.* *Luc. 3.*

XXI. *De eunuchis qui ab aliis fiunt, vel qui ipſi ſibi naturalia abſcindunt.*

Si quis pro cauſſa ægritudinis naturalia à medicis habuerit ſecta; ſimiliter, & qui à barbaris, aut à dominis ſtultis fuerint caſtrati, & moribus digni fuerint viſi; hos Canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem ſanus, non per diſciplinam religionis & abſtinentiæ, ſed per abſciſſionem plaſmati à Deo corporis, exiſtimans à ſe poſſe carnales concupiſcentias amputari, caſtraverit ſe; non eum admitti decernimus ad aliquod clericatùs officium. Quòd ſi jam antè fuerat promotus ad clerum, prohibitus à ſuo miniſterio deponatur.

Diſt. 55. c. Si quis pro ægritudine. *Ivo p. 6. c. 374.*

Vide etiam Canones Nicænos initio.

XXII. *De neophytis.*

Qui nuper baptizati fuerint, jam ætate legitima, non continuò liceat eos ad Eccleſiaſticum ordinem promoveri: quia oportet illum priùs doceri quod poſſit docere; quo multo tempore baptiſmum poſſit probare: ut bene probatus veniat ad clerum, ſecundum præceptum Apoſtoli dicentis: *Non neophytum; ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat & laqueum diaboli.* Si ſuccedenti tempore in aliquo gravi peccato à duobus vel tribus teſtibus fuerit convictus, depoſitus de gradu ſuo ceſſet à clero. Si quis contra hanc regulam facere præſumpſerit; quaſi contrarius magni Concilii projiciatur à clero.

Paul. 1. ad Timi cap. 6.

XXIII. *De pœnitente non admittendo ad clerum.*

Pœnitens tantùm, ſi neceſſitas aut uſus exegerit, inter Oſtiarios priùs deputetur, vel inter Lectores; ita ut Euangelia vel Epiſtolam non legat. Si qui autem antè ordinati ſunt, inter ſubdiaconos habeantur: ita ut manum non imponant, aut ſacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus ideo, quòd poſt baptiſmum pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, aut graviſſimis peccatis publicam pœnitentiam gerens, divino fuerit reconciliatus altario.

Suprà in Epiſt. Syricii ad Himerium, &c.

XXIV. *De his qui ſine diſcuſſione, aut presbyteri, aut diacones ordinati ſunt.*

Si quis presbyter aut diaconus ſine aliqua examinatione ordinati ſunt; aut certè cùm diſcuterentur, crimina peccata ſua [x] celaverunt, & poſt ordinationem ab aliis ſunt detecti; abjiciantur à clero. Similiter & de univerſo ordine cleri ſervetur. Nam hoc ſibi, quod irreprehenſibile eſt, ſancta & Catholica defendit Eccleſia.

XXV. *De presbyteris, aut diaconibus, qui poſt ordinationem denotantur.*

Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit, & poſt ordinationem confeſſus fuerit quia antea erravit, non offerat; ſed tantùm, pro religione, nomen presbyteri portet. [y] Similiter & de diaconibus ſervandum eſt: ut ſi ipſe confeſſus fuerit, ordinem ſubdiaconatûs accipiat.

XXVI. *De his qui viduas, aut dimiſſas ducunt, aut in malis conſiliis miſti ſunt.*

Si quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum: aut ſi obrepſerit, rejiciatur: ſimiliter ſi homicidii, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut [z] aſſenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad clericatum venerit; dejiciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem non recipiat.

XXVII. *De fornicatoribus clericis.*

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus, aut mœchatus; projiciatur & agat pœnitentiam.

XXVIII. *De his, quorum uxores mœchantur.*

Si alicujus laïci uxor in adulterio fuerit deprehenſa; hic talis ad miniſterium Eccleſiaſticum nullo modo adducatur. Si autem poſt ordinationem alicujus clerici uxor adultera fuerit; dimittat eam: ſi autem cum ipſa voluerit permanere; à miniſterio alienus ſit.

XXIX. *De viduis clericorum.*

Si qua vidua Epiſcopi, vel presbyteri, aut diaconi, maritum acceperit; nullus clericus, nulla [a] religioſa, cum ea convivium ſumat, nunquam communicet; morienti [b] tantùm ei ſacramenta ſubveniant.

XXX. *De filia Epiſcopi, vel presbyteri, ſive diaconi.*

Si devota fuerit, & maritum duxerit; ſi eam pater vel mater in affectum receperint; à communione habeantur alieni. Pater verò cauſſas in Concilio ſe noverit præſtaturum; mulier verò non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem vivente eo receſſerit, & pœnituerit, communionem in ultimo vitæ deficiens accipiat.

Diſt. 25. c. Si quis Presbyt. Hinc ſacio cap. 5. Epiſt. Zachar. ad Bonifacium Epiſcopum, & 15. q. 8. Si quis presbyter. Vide Concil. Nicæn. c. 9 unde hoc caput deſumptum videri poſſit.

x *in correcto Gratiano:* Confeſſi ſunt, aut poſt. *Aliàs legebatur:* Confeſſi non ſunt, & poſt.

16. q. 1. *cap.* Si quis presbyter. *Neocæſarienſi cap. 9. & 10. Burchard. 2. c. 48. Ivo p. 6. c. 149.*

y *In Exc. ſequitur poſtea:* Si autem non ipſe confeſſus, ſed ab alio publicè fuerit convictus; nec hoc ipſum habeat, ut nomen presbyteri portet. Similiter, &c. *quæ verba in nullo C. Ms. ſunt.*

Hieronymus Epiſt. 128. ad Fabiolam, ſic interpretatur viduam, ejectam, & meretricem: Vidua (*inquit*) eſt, cujus maritus eſt mortuus, ejecta eſt quæ à marito vivente projicitur; meretrix quæ multorum libidini patet.

z Defenſione *eſt apud Gratianum: verùm Gregoriana nota videtur probare hanc lectionem.*

Diſt. 34. c. Si laïci. *& dicitur ex Concilio Martini Papæ.*

Diſt. 28. Si qua vidua. *Ex Conc. Tol. 1. cap. 18.*

a Relig. perſona.

b Tamen.

XXXI. *De devota peccante, vel quæ ſe maritaverit.*

Devotam peccantem non recipiendam in Eccleſia, niſi peccare deſierit, & deſinens egerit aptam pœnitentiam decem annis: & recipiat communionem. Priùs autem quàm in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam ea, quæ illam receperit, habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc vivente ipſo marito caſtè vixerit, aut pòſt ipſe de hac vita diſceſſerit.

XXXII.

XXXII. *De ſubintroductis adoptivis mulieribus.*

Nullus Epiſcopus, neque presbyter, neque diaconus, neque omnino aliquis ex clero, licentiam habeat intromittendi ad ſe quaſi adoptivam aliquam mulierem, quaſi in loco * filiæ, aut matris, niſi fortè ſororem veram ex germanitate, aut ſororem matris, vel patris, & illas ſolas perſonas, quæ ab omni mala ſuſpicione alienæ ſunt. Similiter & religioſis fœminis laïcorum alienorum familiaritatem & conſortium prohibemus, & eorum qui nec in Dei timore ſubjecti ſunt, nec continentiæ retinent diſciplinam.

* Filiæ, aut ſororis, aut matris.

XXXIII. *De non recipiendis clericis, & de infirmanda ordinatione ejus, qui ſine conſenſu Epiſcopi ab alio Epiſcopo ordinatus eſt.*

Si quis in contemptu poſitus presbyter vel diaconus, vel quicumque ex clero, receſſerit ab Eccleſia, nullo modo in alia ſuſcipiatur Eccleſia, ſed omnimodo compellatur ut ad ſuam revertatur Eccleſiam. Si autem permanſerit in ſuperbia, & reverti noluerit, excommunicetur & projiciatur. Si quis autem Epiſcopus auſus fuerit in * ſua Eccleſia ordinare, non conſentiente Epiſcopo ſuo, à quo receſſit, ordinatio ejus vacua deputetur.

Nicæno 16.

* Eum in ſua Ecc.

XXXIV. *De clericis deſertoribus.*

Si quis presbyter, aut diaconus, aut aliquis de clero, propriam Eccleſiam derelinquens, ad alteram Eccleſiam vadit, & ibi multo tempore demoratur; omnino nunquam miniſtret in clero. Et ſi admonuerit eum Epiſcopus ſuus, ut ad ſuam redeat parochiam, & redire noluerit; ubi eſt, ibi de ſuo officio deponatur; ita ut nunquam in ſuo revertatur gradu propter diſſolutionis peccatum. Si autem Epiſcopus alter illum ſuſceperit, qui de reatu ejus eſt conſcius; oportet ipſum Epiſcopum ſine increpatione in communi Concilio non admitti; ut Eccleſiaſticum Canonem ultrà non ſolvat.

Antioch. 3.

XXXV. *De importunis clericis.*

Si quis Epiſcopus, presbyter, aut diaconus excommunicatus, in Concilio injuſtè ſe queritur condemnatum, [c] ad majus Epiſcoporum Concilium revertatur: & eorum inquiſitionem & judicium exſpectans, ſi quas ſe juſtas cauſſas habere putat, exponat. Si autem contempſerit, [d] importans ſe palatio, aures Principum inquietare voluerit; hic ad nullam veniam poterit pervenire; neque ſpem futuræ reconciliationis habebit.

21. q. 4. Si quis Epiſcopus. ex Concil. *Antioch.* c. 12.
c Ad majorem Epiſc. Synodum. *Grat.*
d *Aliàs* importunum. *Aliàs* importunus, palatio.

XXXVI. *De purganda opinione hæreſis.*

Si quis Epiſcopus, ſive alicujus Epiſcopi presbyter, aut diaconus, in alicujus hæreſis opinionem offenderit, & ob hanc cauſſam fuerit excommunicatus; nullus Epiſcopus eum in communionem recipiat, niſi priùs in communi Concilio, porrecto fidei ſuæ libello, ſatisfaciat omnibus, & ita liberam teneat ſuam purgationem. Hoc idem & de fidelibus laïcis ſit decretum, ſi in [e] aliquam hæreſis [f] opinionem fuerint nominati.

1. q. 7. Si quis Epiſcopus.
e aliqua.
f Opinione.

XXXVII. *De clericis excommunicatis.*

Si quis Epiſcopus in Concilio excommunicatus fuerit, ſive presbyter, ſive [g] diaconus, facere oblationem, vel Matutinum, vel Veſpertinum ſacrificium; quaſi in officio ſuo agere ſicut priùs non liceat ei, nec in alio Concilio ſpem reconciliationis habere, nec ultra [h] recolligi; ſed etiam eos qui ei communicaverint, omnes ab Eccleſia reſpui; maximè eos qui ſciebant eum eſſe [i] deletum. Si autem permanſerit turbans & concitans Eccleſiam, [k] per foraſticam poteſtatem oportet eum ſicut ſeditionarium ab omni plebe expelli.

10. q. 3. Si quis Epiſcopus. in. ex Canone 5. Concil. *Antioch.*
g Diac. à ſuo Epiſcopo, & poſt excommunicationē præſumpſerit, ſive Epiſcopus ille aut presbyter, aut diaconus facere obl. *Exc. Grat.*
h Reconciliari. *Exc.*
i *Dejectum Grat. Exc.*
k Forinſecam. *Grat. In Canone Concilii Antiocen.* διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας. *Quod Dionyſius vertit* per potentias exteras. *Iſidori Mercatoris Coll. IVI.*

XXXVIII. *De presbyteris, ut in ſecundis nuptiis non vadant.*

Presbyterum ad ſecundas nuptias convivam fieri non oportet, propterea quòd hi qui ad ſecundas nuptias veniunt, pœnitentiam poſtulant. Quomodo poteſt presbyter eſſe, qui propter convivium intereſt tali conjugio?

XXXIX. *De his qui ad diaconatum eliguntur.*

Si quis ad miniſterium diaconatûs eligitur; ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non poſſe in caſtitate permanere; hic non ordinetur. Quòd ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſideraverit; alienus ſit à miniſterio, & vacet à clero.

XL. *De eo quòd non licet diaconum non juſſum ſedere.*

Non licet diaconum ante presbyterum ſedere, niſi cum juſſione presbyteri.

XLI. *De eo quòd non licet quemlibet miniſteria tangere.*

Diſt. 24. c. Non liceat cuilibet. *Brac.* 1. 28.

Non liceat quemlibet miniſteria tangere; niſi ſubdiacono, aut acolytho in ſecretario tangere vaſa Dominica.

XLII. *Ut mulieres in ſacrario non intrent.*

Laodic. 44.

Non liceat mulieres in ſacrario ingredi.

XLIII. *Si lector alterius viduam duxerit.*

Diſt. 34. c. Lector, *& in C. Tol.* 1. c. 3.

Lector ſi viduam alterius uxorem acceperit, in lectoratu permaneat: aut ſi fortè neceſſitas fit, ſubdiaconus fiat, nihil autem ſuprà; ſimiliter & ſi bigamus fuerit.

XLIV. *Si ſubdiaconus ſecundam duxerit uxorem.*

Diſt. 34. c. Si ſubdiaconus, *& in C. Tol.* 1. c. 4.

Si ſubdiaconus ſecundam duxerit uxorem; inter Lectores, vel Oſtiarios habeatur; ita ut Apoſtolum non legat.

XLV. *Ut non aſcendat in pulpitum, niſi Lector.*

Diſt. 29. c. Non liceat in pulpito. *Laodic.* 15.

Non liceat in pulpito pſallere, aut legere, niſi qui ab Epiſcopo Lector eſt ordinatus.

XLVI. *De conditionalibus in ordinandis, niſi cum conſenſu patronorum.*

Diſt. 53. Si quis obligatus eſt tributo. *Ex Concil. Tolet.* 1. c. 10. * *Al.* Probatæ. ‖ Conſenſus acc.

Si quis obligatus tributo ſervili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cujuslibet domius; non eſt ordinandus clericus, niſi probandæ * vitæ fuerit, & patroni ‖ conceſſus acceſſerit.

XLVII. *De non ſuſcipiendis ſervis alienis.*

17. q. 4. Si quis ſervum alienum. *Burch. l.* 8. c. 25. *Ivo. p.* 7. *cap.* 43. *Idem in Concil. Gangrenſ.* c. 3.

Si quis ſervum alienum cauſâ religionis doceat contemnere dominum ſuum, & recedere à ſervitio ejus; duriſſimè in omnibus arguatur.

XLVIII. *De non celebrandis natalitiis Martyrum in Quadrageſima.*

33. q. 4. Non liceat. *Burch. lib.* 13. c. 10. *Ivo p.* 4. c. 34. *Laodic.* 1. 3.

Non liceat in Quadrageſima natales Martyrum celebrare; ſed tantùm ſabbatho & Dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri: ſed nec natalitia, neque nuptias liceat in Quadrageſima celebrare.

XLIX. *Non ſuſcipi debere infantes ad baptiſmum, niſi ante tres ſeptimanas Paſchæ.*

De conſec. *diſt.* 4. Non liceat ante. *Laodic.* 45. & 46.

Non liceat ante duas ſeptimanas Paſchæ, ſed ante tres, ad baptiſmum ſuſcipere aliquem. Oportet autem in ipſis diebus, ut hi qui baptizandi ſunt, Symbolum diſcant, & quinta feria noviſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo vel presbytero reddant.

L. *De non ſolvendo jejunio in quinta feria Paſchæ.*

De conſ. d. 3. Non liceat quinta. *Laodic.* 52. * *Al.* peragere.

Non liceat quintâ feriâ noviſſimæ ſeptimanæ jejunium ſolvere, & omnem exhonorare Quadrageſimam: ſed ſincerè abſtinentes, totam Quadrageſimam * perexire.

LI. *De chriſma conficienda.*

Diſt. 95. c. Presbyter. De conſec. *diſt.* 4. c. Omni tempore.

Omni tempore Epiſcopis liceat chriſma conficere, & per ſuas diœceſes deſtinare; ita ut ad dirigendum chriſma diaconus aut ſubdiaconus ante diem Paſchæ de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum deſtinentur.

LII. *Non liceat presbyteros præſente Epiſcopo chriſmare.*

Tolet. 1. 20.

Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi fortè ab Epiſcopo fuerit illi præceptum.

LIII. *Quòd*

LIII. *Quòd non liceat presbytero ante Epiſcopum in baptiſterio introire*.

Non liceat presbytero priùs ab Epiſcopo in baptiſterium introire, ſed cum Epiſcopo; niſi fortè aut abſens fuerit, aut ægrotus.

Laodic. 56.

LIV. *De prægnantibus baptizandis*.

Si qua mulier prægnans deſideraverit gratiam baptiſmi percipere; quando voluerit habeat poteſtatem: nam nihil in hoc participat mater infanti qui naſcitur; propter ea quòd unicuique propria poſſe voluntas in confeſſione monſtretur.

De conſec. d. 4. Si qua mulier prægnans. *Ex Conc. Neocæſar. c.* 6.

LV. *Quid in altario offerre oportet*.

Non oportet aliquid aliud in m ſanctuario offerri, præter panem, & vinum, & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore ejus effluxit ſanguis & aqua: hæc tria unum ſunt in Chriſto Jeſu, hæc hoſtia & oblatio Dei in odorem ſuavitatis.

De conſec. d. 2. Non oportet. *Carthag.* 3. 24. m *Sic in omnibus Ms. Gratian.* Sacramento.

LVI. *De presbyteris foraſticis*.

Foraſticis presbyteris, præſente Epiſcopo, vel presbytero civitatis, offerre non liceat, nec miniſtrare in populo; niſi fortè illis abſentibus.

Alio nomine presbyteri ruris, *ut dicitur d.* 95. *cap.* Presbyteri ruris. *ex Concilio Neocæſarienſi c.* 13.

LVII. *De non jejunando die Dominica, neque genuflectendo, ſimiliter ut in Quadrageſima*.

Si quis presbyter propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, aut aliqua neceſſitate, die Dominica pro quadam Religione jejunaverit, ſicut Manichæi, anathema ſit. Similiter, & quod ab Apoſtolis traditum Canon tenet antiquus, placuit, tam per omnes Dominicas, quàm per omnes dies Paſchæ, uſque ad Quinquageſimam, non proſtrati, nec humiliati, ſed erecto vultu ad Dominum orationum fungamur officio: quia in his diebus gaudium Reſurrectionis Dominicæ celebramus.

Diſt. 30. c. Si quis presbyt. *Reconfit. lib.* 13. c. 22. *Ivo. p.* 4. *cap.* 52.

LVIII. *De prægustandis carnibus, & non exſecrandis*.

Si quis non pro abſtinentia, ſed pro exſecratione eſcarum abſtinet, placuit ſancto Concilio, ut prægustet; & ſic ſi vult abſtineat: ſi autem ſpernit, ita ut olera cocta cum carnibus non deguſtet; iſte non obediens, neque ſuſpicionem hæreſis à ſe removens, deponatur de ordine clericatus.

Nicæn. 22. *Cangr.* 18. *Ancyr.* 13. *Laodic.* 36.

LIX. *De eo quòd non liceat ſacerdotibus vel clericis incantaturas & contrarias ligaturas facere*.

Non liceat clericis incantatores eſſe, & ligaturas facere, quod eſt colligatio animarum. Si quis hæc facit, de Eccleſia projiciatur.

Iſidor. lib. Originum 8. c. De Magis. Incantatores (*inquit*) dicti ſunt qui artem verbis peragunt.

LX. *De eo quòd non liceat ſacerdotibus, vel clericis ſpectaculis intereſſe*.

Non liceat ſacerdotibus vel clericis aliqua ſpectacula in nuptiis, vel in convivio ſpectare: ſed oportet, antequam ingrediantur ipſa ſpectacula, ſurgere & recedere inde.

Laodic. 54. 55.

LXI. *De eo quòd non liceat convivia facere de conſertis*.

Non liceat ſacerdotibus, vel clericis, ſed nec religioſis laïcis, convivia facere de conſertis.

Diſt. 44. c. Non liceat ſacerdotes.

LXII. *De uſuris vel negotiorum lucris*.

Si quis oblitus timorem Domini, & ſanctam Scripturam, quæ dicit: *Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*; poſt hanc cognitionem n magni Concilii fœneraverit, & centeſimas exegerit, aut ex quolibet negotio o turpia lucra quæſierit; aut per diverſas ſpecies vini, vel frugis, vel cujuslibet rei, emendo, & vendendo p incrementa ſuſceperit; q depoſitus de gradu ſuo, alienus habeatur à clero.

14. q. Si quis oblitus. *Pſal.* 14. n *Nicænum intelligit, ex cujus c.* 17. *hanc ſententiam ſumpſit: & habetur* 14. q. 14. c. Quoniam. o Turpe lucrum. *Grat.* p Aliqua increm. q De gradu ſuo dejectus. *Grat.*

LXIII. *De clericis qui ad Matutinum vel Veſpertinum officium non conveniunt*.

Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi ſacrificium, Matutinis, vel Veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenit, deponatur à clero: ſi tamen caſtigatus veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.

Diſt. 92. c. Si quis presbyter. *ex Tolet.* 2. c. 5.

LXIV. *De*

LXIV. *De eo quòd non liceat clerico Dominico de Eccleſia abſentari.*

Tolet. I. cap. 5. Agath. 64.

Non liceat quemlibet clericum die Dominico ab Eccleſia abſentem eſſe, ſed Miſſarum ſolennibus intereſſe.

LXV. *De eo quòd non liceat clericos ante horam tertiam prandere.*

Diſt. 44. c. Non liceat ſacerdoti. *Burch. l. 2. c. 165. Ivo p. 6. c. 256.*

Non oportet clericos, vel laïcos religioſos, ante ſacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos, niſi hymno dicto, edere panem; & poſt cibos gratias auctori Deo deferre.

Ex Concil. *Carthag. cap. 12.*

LXVI. *De adtendenda coma clericorum, vel habitu ordinato.*

Carthag. 4. 44. 45. Brac. 1. 29.

Non oportet clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare; ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron talarem veſtem induere; ut ſint in habitu ordinato.

LXVII. *De eo quòd non liceat pſalmos poëtices in Eccleſia dicere, vel libros apocryphos legere.*

Laodic. 59.

Non oportet pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſia dicere, neque libros qui ſunt extra Canonem legere, niſi ſolos canonicos Novi & Veteris Teſtamenti.

LXVIII. *De eo quòd non liceat ſuper monumenta mortuorum Miſſam tenere.*

De conſec. *diſt.* 1. Non oportet.

Non oportet clericos ignaros & præſumptores ſuper monumenta in campo miniſteria portare, aut diſtribuere ſacramenta; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, ubi Martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.

Arel. 3. 5. Turon. 2. 22.

LXIX. *De eo quòd non liceat Chriſtianis prandia ad monumenta portare.*

De conſec. *d.* 2. Non liceat. *Burc. l. 10. c. 38. Ivo p. 11. c. 62.*

Non liceat Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulchra deferre, & ſacrificare de re mortuorum.

LXX. *De eo quòd non liceat clericis, vel laïcis Catholicis, ab hæreticis eulogias accipere, aut cum ipſis, vel ſchiſmaticis orare.*

1. *q.* 1. Non liceat clericis. *Laodic. 32. 38.*

Non liceat clericis, vel laïcis Catholicis, ab hæreticis eulogias accipere; quia maledictiones ſunt magis quàm benedictiones: neque licet aut cum hæreticis, aut cum ſchiſmaticis orare.

LXXI. *De eo quòd non liceat Chriſtianis obſervationes diverſas attendere.*

26. *q.* 5. Non liceat Chriſtian. *Burc. l. 10. c. 6. Ivo p. 11. c. 34. Ancyr. 23.*

Si quis paganorum conſuetudinem ſequens, divinos & ſortilegos in domo ſua introduxerit; quaſi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, vel luſtrationes paganorum faciant; quinque annis pœnitentiam agant.

LXXII. *De eo quòd non liceat Chriſtianis tenere traditiones Gentilium, & obſervare lunæ & ſtellarum curſus.*

26. *q.* 6. Non liceat. *Burch. lib. 10. cap. 3. Ivo. p. 11. cap. 14.*
r Fac. aut propter ſegetes vel arbores plantandas, vel conjugia ſociandu, & ſcript. *Coloſſ. 3.*

Non liceat Chriſtianis tenere traditiones Gentilium, & obſervare vel colere elementa, aut lunæ aut ſtellarum curſum, aut inanem ſignorum fallaciam, pro domo facienda. r Scriptum eſt enim: *Omnia quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.*

LXXIII. *De eo quòd non liceat Kalendas obſervare.*

26. *q.* 7. Non licet *Bur. lib. 10. c. 15. Ivo p. 11. c. 42.*

Non liceat iniquas obſervationes agere Kalendarum, & otiis vacare gentilibus: neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obſervatio paganiſmi eſt.

LXXIV. *De eo quòd non liceat herbas medicinales cum aliqua obſervatione colligere.*

26. *q.* 5. Non liceat. *Burc. lib. 10. c. 20. Ivo p. 11. c. 47. Ex Bracar. 21.*

Non liceat in collectione herbarum quæ medicinales ſunt, aliquas obſervationes aut incantationes attendere, niſi tantùm cum Symbolo divino, aut oratione Dominica, ut tantùm Deus creator omnium & Dominus honoretur.

LXXV. *De eo quòd non liceat mulieres Chriſtianas in lanificiis aliquid obſervare.*

Diſt. 50. c. Si quis voluntar. *Ivo p. 2. c. 46. Ex Bracar. c. 28.*

Non liceat mulieres Chriſtianas aliquam vanitatem in ſuis lanificiis obſervare: ſed Deum invocent adjutorem, qui eis ſapientiam texendi donavit.

LXXVI.

LXXVI. *De adulteris.*

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit; ſeptem annis pœnitentiam agat. *Ancyr.* 19.

LXXVII. *De mulieribus fornicariis, & abortum facientibus.*

Si qua mulier fornicaverit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit; & quæ ſtuduerit abortum facere, & quod conceptum eſt necare; aut certè, ut non concipiat, elaborat; ſive ex adulterio, ſive ex legitimo conjugio; has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores Canones decreverunt. Nos tamen pro miſericordia, ſive tales mulieres, ſive conſcias ſcelerum ipſarum, decem annis agere pœnitentiam judicamus. *Ancyr.* 19.

LXXVIII. *De homicidio voluntario, vel non voluntario.*

Si quis voluntariè homicidium fecerit, ad januam Eccleſiæ Catholicæ ſemper ſubjaceat, & communionem in exitu vitæ ſuæ recipiat. Si autem non voluntariè, ſed caſu aliquo homicidium fuerit factum; prior Canon ſeptem annis agi pœnitentiam juſſit, ſecundus Canon quinque mandavit. *Diſt.* 50. c. Si quis voluntariè. *Ivo p.* 10. c. 39. *Ancyr.* 21.

LXXIX. *De muliere quæ duos fratres conjugio, vel viro qui duas ſorores habuerit.*

Si qua mulier duos fratres, aut ſi quis vir duas ſorores habuerit; à communione abſtineantur uſque ad mortem; in morte autem eis communio pro miſericordia detur. Si autem ſupervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint; agant plenam pœnitentiam tempore conſtituto. *Neoceſar.* 11.

LXXX. *De his qui nuptiis irruunt.*

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat: converſatio autem & fides pœnitentis ^s compendiat tempus. 32. q. 7. Si quis fuerit. *Burch. lib.* 9. c. 63. *Ivo p.* 8. c. 199. ex Concil. *Neoceſ.* c. 3. s *Rectè. Malè Burch.* compendit, *Exc.*

LXXXI. *De his qui ſe animalibus commiſcuerunt.*

Si quis ante viginti annos in cujuslibet animalis commiſtionem peccaverit; quindecim annis in humilitate ſubjaceat ad Eccleſiæ januam: & poſt hos aliis quinque annis in orationis tantùm communione receptus, pœnitentiam agat, & ſic gratiam ſacramenti ſuſcipiat. Interrogentur autem alii de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit: & ſic communionis miſericordiam conſequatur. Si quis autem poſt viginti annos habens uxorem huic peccato irruerit, viginti quinque annis * humilitate ſubjaceat, & quinque annis orationibus tantùm communicans, poſtea recipiat ſacramentum. Quòd ſi & hanc menſuram aliquis tranſgreſſus fuerit; ſacramentum in ^t exitu conſequatur: oportet enim tales inter dæmonioſos ordinare. *Ancyr.* 16.

* *Fortè*, in humil.
t *Lege*, Nec in exitu. *Exc.*

LXXXII. *De his qui uſque ad finem vitæ in peccatis perdurant, & in exitu communionem accipiunt.*

Si quis de corpore exiens, noviſſimum & neceſſarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quòd ſi in deſperatione poſitus, poſt perceptam communionem iterum ſanus fuerit factus, tantùm ^u orationis particeps ſit: ^x nam non accipiat ſacramentum, donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis ſunt, & deſiderant accipere ſacramentum, cum conſideratione & probatione Epiſcopi accipere ^y debent. 26. q. 6. Si quis de corpore. *Nic.* 13.

u Oratione. *Grat.*
x Sacramentum verò non accip. *Grat.*
y Debent. *Grat.*

LXXXIII. *De his qui intrantes Eccleſiam, per nimiam luxuriam ſacramento ſe abſtinent.*

Si quis intrat Eccleſiam ^z Dei, & ſacras ^a Scripturas non audit, & pro luxuria ſua avertit ſe à communione ſacramenti, & in obſervandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ; ^b iſtum talem projiciendum de Eccleſia Catholica eſſe decernimus, donec pœnitentiam agat, & oſtendat fructum pœnitentiæ ſuæ; ^c ut poſſit communionem perceptâ indulgentiâ promereri. De conſecr. *diſt.* 2. Si quis intrat. ex Conc. *Antioch.* c. 2.

z In Eccleſ. *Grat.*
a Scripturas audit. *Gratian. rectè ex Conc. Antioch.*
b Illum. *Grat.*
c *Grat.* Communione percepta indulgẽtiam promer. *Antiquæ Concil. editiones, & Vatic. Mss. Cod. ut nos.* Græcè eſt: καὶ παρακαλοῦντες τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης.

LXXXIV. *De excommunicatis.*

Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis, neque liceat ut in alia Eccleſia ſegregentur. Si autem aliquis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet Eccleſiaſticus excommunicato communicaverit; quaſi perturbans omnem diſciplinam Eccleſiaſticam excommunicetur.

PASSIO

PASSIO
S. VINCENTII ABBATIS LEGIONENSIS, RAMIRI, ET SOCIORUM MARTYRUM.

Ex vetuſto Breviario Vallis-oletano.

Ad annum CHRISTI DLXXXIV.

1. HISPANIAM, ſive id ſoli metallorumque ubertas, ſen domeſticæ ſeditiones, ſeu cœli temperies effecerit, exteræ nationes, & pleræque barbaræ, ſæpiſſimè occupârunt. Nam & Carthaginenſes, & Romani, & Gotthi, & Machometani, & Wandali, & Alani illam nonnunquam poſſederunt. Inter quas Suëvi Germaniæ populi in illam irrumpentes, Callaïcos, vicinos illis populos, in ditionem ſuam redegerunt.

2. Suëvi igitur Ariana hæreſi infecti, variis dolis, varioque cruciatuum genere ſubditos ſibi populos in ſuam hæreſin pertrahere conabantur. Quorum Rex Ricilianus, Vincentium Abbatem Cœnobii Sanctorum Martyrum Claudii, Luperci, & Victorici, in ſuburbio Legionis urbis, ſub Divi Benedicti Regula, virnm orthodoxæ Fidei obſervantiſſimum, ad ſe in Concilium quod congregaverat adductum, graviſſima objurgatione increpuit, quòd in Ariannm dogma non conſentiret.

3. At cùm Vincentius reſpondiſſet præſtare mori quàm Catholicam Fidem deſerere, qnam Nicæna Synodus ſua auctoritate approbâſſet; hujuſmodi reſponſo in iram verſus Ricilianus, ſpoliatum Vincentium in medio Concilio flagris crudeliter cædi imperat. Sed dum ſanguis ex flagellorum vibicibus fluere cœpiſſet in terram, jubet illum Rex tenebroſo carcere aſſervari, obſeratis annulo regio carceris foribus. Sed divinitùs ab Angelo multa luce carcerem illuſtrante, ſuæ integritati reſtitutus, laudes Deo canebat.

4. Productos itaque poſtridie in Concilinm, altiſſima voce coram omnibus Fidei Symbolum, quo Arianorum hæreſis damnata eſt, in Concilio cùm recitâſſet, ſcilicet: *Nil prius aut poſterius, nil majus aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales*; morti addicitur. Juſſit autem Ricilianus ut ante Cœnobii ſui fores occideretur. Quem cùm occidendom ducerent, & ipſe Chriſti in Cruce pendentis verba repeteret: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*; quidam ex circumſtantibus gladio ingenti vulnere illius caput percnſſit, quo ictu corruens, ſpiritum Domino tradidit.

5. Monachi Martyris corpus noctu rapientes, juxta Eccleſiæ parietem ſepelierunt ad Occiden-
Vide infrà in Notis. tem, ſuperinjecto ſepulturæ marmore, & inſculpto carmine, * quod martyrium, ætatem, & mores complectebatnr. Viſus eſt monachis vigilantibus inter Martyrum choros, quibus prædixit, adeſſe videlicet martyrii tempus ſi qui cuperent, aut oportere illos relicto Cœnobio in abditiſſimis locis ſe occultare.

Ex novo Breviario Vallis-oletano.

6. Monachi ergo fugâ ſibi conſulentes, in Galleciam ſe contulerunt: ubi aliud Cœnobium ædificârunt, cui ex relicto nomenclaturam indiderunt, S. Claudii ſimiliter appellantes. Quod à nigris, quales erant primi illi conditores, longo tempore inhabitatum, hodie à Ciſtercienſibus monachis, qui ab illis ſub eadem Regola originem ducunt, incolitur. Corpus verò S. Vincentii divino nntu poſtea repertum, & Ovetum deportatum, in Cathedrali Eccleſia argenteâ thecâ reconditum aſſervatur, qnam illi ex voto ſnis impenſis conſtrui curavit magiſter Garſias ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo.

7. Ramirus monaſterii S. Claudii Legionenſis Prior, licèt à Divo Vincentio dudum pro Fidei Catholicæ defenſione ab Arianis occiſo, de inſtante perſecutione admonitus, in aliam poſſet civitatem juxta Euangelii licentiam effugere; maluit tamen vitam corporis qnàm animæ in periculum duci, & qnam à Deo inſufflante acceperat in ſpiraculo vitæ, hanc ipſi in carne mortui, ſed in gloria reſurgentis, Agni ſtolâ reddere purpuratam. Quare cùm forti animo Riciliano Gotthornm Regi Ariano pro Fide Catholica reſtitiſſet; mortem non fugit, ſed libenter excepit, dum ſatellitibus iniquiſſimi Regis ad monaſterii fores occurrit: ibique duodecim monachis in Martyrii conſortium adjunctis, impio ferro caput præcidendum, animam Deo reddidit coronandam circa annum Domini quingenteſimum qninquage-
** Debuit dicere octogeſimum quartum.* ſimum qnartum *.

8. Horum SS. Martyrum corpora ab illo tempore in dicto monaſterio S. Claudii ad præſens uſque tempus permanſerunt: locum tamen in quo ſacra pignora quieviſſent, ſucceſſiva & longa temporis

ſeries

ſenes paulatim dedit in oblivionem, uſque dum circa annum Domini milleſimum nonageſimum quartum, dum vetuſtiſſimi templi parietes præ ſenio jam ruinam periculoſam minantes, in auguſtiſſimum templum, quale nunc conſpicitur, commutandos expediens viſum eſt deturbari: ecce ſub altari ante omnem antiquorum memoriam divo Ramiro dicatu, ex impolito lapide fabricatus loculus, ubi ſacrum ejuſdem Martyris corpus aſſervatum erat. Qui ſub altari novo, eodem quo priùs nomine conſecrato poſitus eſt, ſacra verò oſſa in thecam argenteam denuò ſupra ipſum decentiſſimè collocata. Ubi propter crebra miracula, quibus ſemper Deus in Sanctis ſuis mirabilis demonſtratur, magnâ illius populi religione coluntur.

NOTÆ VARIORUM.

9. AD Monumenta ſacra Hiſpaniæ pertinet hiſtoria martyrii Sancti Vincentii Abbatis illius inſignis & antiquiſſimi monaſterii, quod extra muros urbis Legionenſis ab undecim retrò ſæculis, & ampliùs permanet, dicatum S. Claudio Martyri. Paſſio illius accidiſſe cenſetur anno Chriſti DLXXXIV. nimirum poſt Concilium Bracarenſe II. & ante Toletanum III. Paullò ante dictum annum, aut circiter, creditur S. Leander (*profeſſione monachus, & ex monacho Spalenſis Eccleſiæ Bæticæ conſtitutus Epiſcopus*, ut loquitur S. Iſidorus *De ſcriptorib. Eccl.* cap. 28. in Ms. Thuanæo viſo à Cl. Viro Joanne Mabillone) ad tempus habitâſſe in eodem monaſterio Legionenſi, ubi S. Vincentius erat Abbas, ut vitaret aut fugeret Arianorum immanem perſecutionem ſub Leovigildo Rege. Sic Legionenſes ipſi traditione antiqua receptum habent. Plura de ipſo dabimus poſt Acta Concilii Toletani III. CARDIN. DE AGUIRRE.

10. Leander rejecto ſæculo monaſterium Hiſpalenſe ingreſſus, S. Benedicti Regulam profeſſus eſt, ut communi aſſenſu tradunt ſcriptores Hiſpanici: deinde IN MONASTERIO SANCTI CLAUDII LEGIONENSIS, ut fert majorum traditio, aliquandiu demoratus, ad proprium Cœnobium rediit: unde mortuo Stephano (aliis Davide) Epiſcopo Hiſpalenſi, in iſtius Eccleſiæ regimen vocatus eſt. MABILLON Tom. I. *Sæculorum Benedict.* pag. 380.

11. Hujus temporis eſt Sanctus Vincentius Abbas inſignis monaſterii Sancti Claudii Legionenſis. Ejus memoria ibidem permanet, ac martyrii locus deſignatur, coliturque pretioſo altari, atque eleganti ſtatua, & magna populorum religione, &c. MORALES lib. 12. cap. 19.

12. De Rege ac tempore, quo Vincentius martyrium ſubiit, tres legimus auctorum ſententias. Prima id factum eſſe aſſerit ſub Riciliano Suevorum Rege, hujus nominis ſecundo, circa annum Chriſti DLIV. uti Yepez in *Chron. Benedict.* cenſet. Altera eſt Baronii, S. Vincentii martyrium ad Regẽ Leovigildum referentis an. DLXXXIV. Poſtrema eſt Ambroſii Moralis, Joannis Marianæ, & aliorum, qui Eram DCLXVIII. ſeu annum Chriſti DCXXX. adſignant. At cùm ſententia de duobus Ricilianis nullo veterum nitatur fundamento, & Suevorum in Gallæcia Imperium anno DLXXXVI. extinctum penitùs atque ſublatum jam eſſet; Baronio potiùs accedimus. Certè Joannes Biclarenſis in *Chronico*, an. IV. Tiberii, qui eſt Leovigildi XII. refert, *Leovigildum in urbem Toletanam Synodum Epiſcoporum ſectæ Arianæ congregâſſe, & antiquam hæreſim novello errore emendâſſe*. Quæ optimè quadrant iis quæ hîc de Synodo narrantur.

13. Quodam carmine ab annis duntaxat trecentis in pariete exarato decepti ſunt Ambroſius Morales & alii, ut in annum DCXXX. rejicerent Sancti Vincentii martyrium, quod Erâ DCLXVIII. contigiſſe præfata inſcriptio fallit. Iſthoc rude epitaphium legant qui volent apud Yepez in *Chron.* ad annum DLIV. cap. 2. & in *Martyrol. Hiſp.* ad diem 13. Martii. neque enim relatu dignum duximus.

14. De anno dictum ſuprà. Dies S. Vincentio v. Idus Martias, S. Ramiro pridie Idus eaſdem in *Martyr. Hiſp.* & Breviariis adſignatur. MABILLON Tomo I. ſuprà citato, ad an. DLXXXIV. pag. 304.

15. In ea apparitione facta Ramiro & aliis monachis Legionenſibus, dicitur S. Vincentius juſſiſſe ut corpus ſuum ad Aſturias deferrent. Videtur id executioni mandatum: ſiquidem in Camera ſancta, quàm vocant, graviſſimæ Eccleſiæ Ovetenſis, extat adhuc illud intra grandem ac pretioſam arcam argenteam cum hac inſcriptione:

HOC OPVS FECIT FIERI MAGISTER GARSIAS
HVIVS ALMÆ ECCLESIÆ ARCHIDIACONVS
AD HONOREM SANCTI VINCENTII MARTYRIS
QVONDAM ABBATIS MONASTERII S. CLAVDII
LEGIONENSIS CIVITATIS
CVIVS CORPVS RECONDITVR IN HAC ARCA.
ERA MCCCVI.

Plura alia de his vide apud Yepez in *Chronico* ad annum quingenteſimum quinquageſimum quartum, & Ambroſium Morales loco citato. CARDINALIS DE AGUIRRE.

CONCILIUM TOLETANUM III.

EPISCOPORUM LXII.

In quo Ariana hæreſis in Hiſpania damnata eſt.

Anno IV. Reccaredi Gottborum in Hiſpania Regis,
CHRISTI DLXXXIX.

1. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, [a] anno regnante quarto [b] glorioſiſſimo domino Reccaredo Rege, die 8. Id. Majarum, Erâ DCXXVII. hæc ſancta Synodus habita eſt in civitate Regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ, vel Galliæ, qui infraſcripti ſunt.

2. Cùm pro Fidei ſuæ ſinceritate, [c] idem glorioſiſſimus Princeps [d] omnis [e] regiminis ſui Pontifices in unum convenire mandâſſet, ut tam de ejus converſione, quàm de gentis [f] Gotthicæ innovatione in Domino exultarent, & divinæ dignationi pro tanto munere gratias agerent; [g] ſanctiſſimus idem Princeps ſic venerandum Concilium alloquitur, dicens:

3. Non incognitum reor eſſe vobis, Reverendiſſimi Sacerdotes, quòd propter reſtaurandam diſciplinæ Eccleſiaſticæ formam, ad noſtræ vos ſerenitatis præſentiam [h] devocaverim. Et quia decurſis retrò temporibus hæreſis imminens, in tota Eccleſia Catholica agere ſynodica negotia [i] denegavit; Deus, cui placuit per nos ejuſdem hæreſis obicem depellere, admonuit inſtituta de more [k] Eccleſiaſtica reparare. Ergo ſit vobis jucunditatis, ſit gaudii, quòd mos canonicus proſpectu Dei per noſtram gloriam ad paternos reducitur terminos. Priùs tamen admoneo pariter & exhortor, jejuniis vos & vigiliis, atque orationibus operam dare; ut ordo canonicus, quem à ſacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa ac [l] diutina oblivio, [m] quo ætas noſtra ſe neſcire fatetur, divino vobis rurſus dono pateſiant.

4. Ad hæc autem gratias Deo agentes, & religioſiſſimo Principi univerſo Concilio in laudibus acclamante, triduanum eſt exinde prædicatum jejunium. Sed cùm die [n] octavo Iduum Majarum in unum [o] agmen Dei ſacerdotes adeſſent, & oratione præmiſſa, unuſquiſque ſacerdotum competenti loco reſediſſet; ecce in medio [p] illorum adfuit ſereniſſimus Princeps, ſeque cum Dei ſacerdotibus orationi communicans, divino deinceps flamine plenus, ſic ad loquendum exorſus eſt, dicens: Non credimus veſtram latere ſanctitatem, quanto tempore in errore Arianorum laboràſſet Hiſpania, & non multos poſt deceſſum genitoris noſtri dies, quibus nos veſtra beatitudo Fidei ſanctæ Catholicæ cognovit eſſe ſociatos, credimus generaliter magnum & æternum gaudium habuiſſe. Et ideo, venerandi Patres, ad hanc vos peragendam [q] congregari juſſimus Synodum; ut de [r] omnibus nuper advenientibus ad Chriſtum, ipſi æternas [s] Deo gratias deferatis. Quicquid verò verbis apud ſacerdotium veſtrum nobis agendum erat de Fide atque ſpe noſtra, [t] quæ gerimus [u] in hunc tomum conſcripta atque alligata [x] notéſcimus. Relegatur [y] enim in medio veſtri, [z] & judicio ſynodali examinatus, per omne ſucceſſivum tempus gloria noſtra ejuſdem Fidei teſtimonio decorata clareſcat. Suſceptus eſt autem ab omnibus Dei ſacerdotibus, offerente Rege, ſacroſanctæ Fidei tomus, & pronunciante notario clarâ voce [a] recenſitum eſt ita.

5. [*] Quamvis [*] Dominus [*] Deus omnipotens pro utilitatibus populorum regni [b] nos culmen ſubire tribuerit, & moderamen gentium non paucarum regiæ noſtræ curæ commiſerit; meminimus tamen nos mortalium conditione [c] conſtringi, nec poſſe felicitatem futuræ beatitudinis aliter promereri, niſi nos cultui veræ Fidei deputemus, & conditori noſtro [d] ſaltem confeſſione quâ dignus ipſe eſt, placeamus. Pro qua re quantò ſubditorum gloria regali [e] excellimus, tantò providi eſſe debemus in his quæ ad Deum ſunt, vel noſtram ſpem augere, vel gentibus à Deo nobis creditis conſulere. Cæterùm quid pro tantis beneficiorum [f] collationibus omnipotentiæ divinæ valemus tribuere, quando omnia ipſius ſunt, niſi ut in eum tota devotione credamus?

6. Quemadmodum per Scripturas ſacras ſeipſum intelligi voluit, & credi præcepit, id eſt, ut confiteamur eſſe Patrem qui genuerit ex ſua ſubſtantia Filium ſibi coæqualem & coæternum; non tamen ut ipſe idem ſit [g] natus & genitor; ſed perſonâ alius ſit Pater qui genuit, alius ſit Filius qui fuerit generatus; unius tamen uterque ſubſtantiæ divinitate [h] ſubſiſtat. Pater ex quo ſit Filius, ipſe verò ex nullo ſit alio: Filius qui habeat Patrem, ſed ſine initio, & ſine diminutione, in ea, quâ Patri coæqualis & coæternus eſt, divinitate ſubſiſtat. Spiritus [i] æquè ſanctus confitendus à nobis & prædicandus eſt, à Patre & à Filio procedere, & cum Patre & Filio unius eſſe ſubſtantiæ; tertiam verò in Trinitate Spiritus ſancti eſſe perſonam: qui tamen [k] communem habeat cum Patre & Filio divinitatis [l] eſſentiam. Hæc enim ſancta Trinitas unus eſt Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; cujus bonitate [m] omnis licèt bona ſit condita [n] creatura; per aſſumptam tamen à Filio humani habitus formam, à damnata progenie reformamur ad beatitudinem priſtinam.

a Anno quarto, reg. Exc.
b Glor. atque piiſſimo, & Deo fideliſſimo, Exc. & C. A.
d Omnes. Exc.
e In alio Ms. regni.
f In al. Ms. Gothorum, ut in A. C. Exc.
g Memoratus ſanct. Princ. Exc.
h Evocaverim. Exc.
i denegabat. al. lib.
k Al. Eccleſiaſtico. Exc.
l Diuturna. Exc.
m Quam. Exc. nonnulli Ms. quæ fortè quem, aut quæque.
n Octava. Exc.
o Cœtum. Exc.
p Eorum. Exc.
q Congregandos decrevimus, C. A. alii Exc. congregavimus Synodum.
r Hominibus. C. A.
s Domino. Exc. C. A.
t Quam. Exc.
u In hoc tom. Exc.
x Nota facimus. Exc.
y Nonnulli. Exc.
z Et in. Exc.
a Recenſitus. Exc.
* Deeſt. Exc.
b Nobis. A. C.
c Perſtringi. Exc. & A. C.
d Salutis. Exc. nonnulli.
e Extollimur. in al. Ms. & C. A. & Exc.
f Et coeq. Exc.
g Nat. ingenitus, & Exc. nonnull.
h In divinitate. Exc.
i Quoque. Exc.
k Communionem. Exc.
l Eſſentiæ. Exc.
m Hominum. Exc.
n Natura. alias.

7. Sed ſicut veræ ſalutis indicium eſt, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate ſentire; ita erit [o] conſummatio juſtitiæ, ſi eandem Fidem intra univerſalem Eccleſiam teneamus, & [p] Apoſtolica monita in Apoſtolico poſiti fundamento ſervemus. Vos tamen, Dei ſacerdotes, meminiſſe oportet, quantis hucuſque Eccleſia Dei Catholica per Hiſpanias adverſæ partis moleſtiis laboraverit: dum & Catholici [q] conſtantem Fidei ſuæ tenerent ac defenderent veritatem, & [r] hæreſes pertinaciore animoſitate [s] propriam niterentur vindicare perfidiam. Me quoque, ut re ipsâ conſpicitis, calore Fidei accenſum, in eo Dominus excitavit, ut depulſa obſtinatione infidelitatis, & diſcordiæ ſubmoto furore, populum, qui ſub nomine religionis famulabatur errori, ad agnitionem Fidei & Eccleſiæ Catholicæ conſortium revocarem.

8. Adeſt enim omnis gens Gotthorum inclyta, & ferè omnium gentium [t] gemina virilitate [u] opinata; quæ licèt ſuorum pravitate doctorum, à Fidei hactenus, vel unitate Eccleſiæ fuerit Catholicæ ſegregata; [x] toto nunc tamen [y] mecum aſſenſu concordans, ejus Eccleſiæ communioni participatur, quæ diverſarum gentium multitudinem materno [z] ſinu ſuſcipit, & charitatis oberibus nutrit; de qua Propheta canente dicitur: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Nec enim Gotthorum ſola converſio ad cumulum noſtræ mercedis acceſſit; quinimmo & [a] Suevorum gentis infinita multitudo, quam præſidio cœleſti noſtro regno ſubjecimus, alieno licèt in hæreſin [b] deductam vitio, noſtro tamen ad veritatis originem ſtudio revocavimus.

9. Proinde, ſanctiſſimi Patres, has nobiliſſimas gentes, quæ lucris per nos Dominicis applicatæ ſunt, quaſi ſanctum & placabile ſacrificium, per veſtras manus æterno Deo offero. Erit enim mihi immarceſcibilis corona, vel gaudium in retributione juſtorum, ſi hi populi, qui noſtrâ ad unitatem Eccleſiæ ſolertiâ [c] tranſcurrerunt, fundati in eadem & ſtabiliti permaneant. Sicut enim divino nutu noſtræ curæ fuit, hos populos ad unitatem Chriſti Eccleſiæ [d] pertrahere; ita ſit veſtræ docibilitatis, Catholicis eos dogmatibus [e] inſtituere; quo [f] in toto cognitione veritatis inſtructi, noverint ex [g] ſolido [h] errorem hæreſis pernicioſæ reſpuere, & veræ Fidei tramitem ex charitate retinere, vel Catholicæ Eccleſiæ communionem deſiderio avidiori [i] amplecti.

10. Cæterùm ſicut facilè ad veniam perveniſſe confido, quòd neſcia hucuſque tam clariſſima erraverit gens; ita gravius eſſe non dubito, ſi agnitam veritatem dubio corde [k] teneat, atque à patenti lumine (quod abſit) oculos ſuos [l] avertat. Unde valdè perneceſſarium eſſe proſpexi, veſtram in unum convenire beatitudinem, habens ſententiæ Dominicæ Fidem, quâ dicit: *Ubi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo* [m], *ibi ero in medio eorum.* Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis divinitatem huic ſancto intereſſe Concilio; & ideo tamquam ante conſpectum Dei, ita in medio veſtri Fidem meam protuli; conſcius admodum ſententiæ divinæ dicentis: *Non celavi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à congregatione* [n] *multa.* vel Apoſtolum Paullum Timotheo diſcipulo præcipientem audivi: *Certa bonum certamen Fidei; apprehende vitam æternam, in qua vocatus es,* [*] *& confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.*

11. Vera eſt enim Redemptoris noſtri in Euangelio ſententia, qua confitentem ſe coram hominibus, confiteri dicit coram Patre; & negantem, ſe eſſe negaturum. Expedit enim nobis, id ore [*] proprio [o] profiteri, quod corde credimus, ſecundum cœleſte mandatum, quo dicitur: *Corde creditur ad juſtitiam,* [p] *oris autem confeſſio fit ad ſalutem.* Proinde ſicut anathematizo Arium cum omnibus dogmatibus & complicibus ſuis, qui unigenitum Dei Filium à paterna degenerem aſſeverat eſſe ſubſtantia; nec à Patre genitum, ſed ex nihilo dicebat eſſe creatum, vel omnia Concilia malignantium, quæ adversùs ſanctam Synodum Nicænam extiterunt; ita in honorem & [q] in laudem, Fidem ſanctam Nicæni [r] obſervo & honoro Concilii, quam contra eundem rectæ Fidei peſtem Arium trecentorum decem & octo ſancta Epiſcopalis ſcripſit Synodus.

12. Amplector itaque & teneo Fidem centum quinquaginta Epiſcoporum Conſtantinopoli congregatorum, quæ Macedonium Spiritus ſancti ſubſtantiam minorantem, [s] & à Patris & Filii unitate & eſſentia ſegregantem, jugulo veritatis interemit. Primæ quoque Epheſinæ Synodi Fidem, quæ adversùs Neſtorium, ejuſque doctrinam [t] relata eſt, credo pariter & honoro. Similiter & Chalcedonenſis Concilii Fidem, quam plenam ſanctitate & eruditione adversùs Eutychen & Dioſcorum protulit, cum omni Eccleſia Catholica reverenter ſuſcipio.

13. Omnium quoque orthodoxorum venerabilium ſacerdotum Concilia, quæ [u] à ſupraſcriptis quatuor ſanctis Synodis Fidei puritate non diſſonant, pari veneratione obſervo. Properet ergo reverentia veſtra Fidem hanc noſtram canonicis applicare monumentis, & ab Epiſcopis, vel religioſis, aut gentis noſtræ primoribus, ſolerter Fidem, quam in Eccleſia Catholica [*] Deo crediderunt, audire. Quam [x] rem notatam, & apicibus, vel eorum ſubſcriptionibus [y] roboratam, futuris olim temporibus in teſtimonium Dei atque [z] hominum reſervate: [a] ut hæ gentes, quarum in Dei nomine Regia poteſtate præcellimus, & quæ, [b] deterſo antiquo errore, per unctionem ſacroſancti Chriſmatis, vel manûs impoſitionem Paracletum intra Dei Eccleſiam [c] præceperunt Spiritum, quem unum & æqualem cum Patre & Filio confitentes, ejuſque dono in ſinu Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ collatæ ſunt. [d] Si eorum aliqui hanc rectam & ſanctam confeſſionem noſtram minimè credere voluerint; iram Dei cum anathemate æterno [e] percipiant, & de interitu ſuo fidelibus gandium, [f] infidelibus ſint in exemplum. Huic verò confeſſioni meæ, ſanctarum ſuprà Scripturarum [g] Conciliorum conſtitutiones contexui, & teſtimonio divino tota cordis ſimplicitate ſubſcripſi.

[o] *Al. Ms.* conſummatæ. conſummata juſtitia. Exc.
[p] Apoſtolicam unitatem. Exc.
[q] Conſtanter. Exc.
[r] Hæretici. Exc.
[s] Propriæ niterētur perfidi. *Exc. & A.C.*
[t] Genuina. Exc.
[u] *Al. Ms. lib.* opinatiſſima. *Exc.* illuſtrata.
[x] Tota. *Exc.*
[y] Meo aſſenſui. *Exc.*
[z] In ſuo. *Exc.*
Iſa. c. 56.
[a] *In C. A. ad marginem erat:* Suevi de finibus Septentrionis fuerunt, de monte Suevo.
[b] Seductam.
[c] Tranſcurrunt. Exc.
[d] *Al.* trahere. *Exc.*
[e] Inſtruere. Exc.
[f] Toti. Exc.
[g] Ex toto & ſolido. Exc.
[h] Errores pernicioſos reſpuere. Exc.
[i] Complecti. Exc. *& A.C.*
[k] Teneant. C.A.
[l] Avertant. C.A.
Math. 15.
[m] Græca vox habet *συνηγμένοι*, hoc eſt, *congregati*, ut vertit: *aggregati*: vel *collecti*: & nō eſt, *ibi ero*; ſed, *ibi ego ſum*.
Pſalm. 39.
[n] Multorum. Exc.
[*] *Deeſt Exc.*
2. Timoth. c. 16.
[*] *Deeſt Exc.*
[o] Confiteri. C. A.
[p] Ore. Exc.
[q] Et laudem Dei. Exc.
[r] Obſervo Concilii, & honoro ea, quæ contra eundē. Exc.
[s] Et Patris, & Filii unitatem, & eſſentiam ſeg. C.A.
[t] Lata. *Tolet. Ms. & C. A. & Exc.*
[u] Ipſius ſupraſcriptis Synod. *Exc. & C. A.*
[*] *Deeſt* Exc.
[x] Renovatam apicib. *Exc. C.A.*
[y] Superſcriptionibus. *Exc.*
[z] Omnium fidelium reſerv. *Exc.*
[a] *Ut gentes*, quas. *Exc. al.* ad inſtruēdas gentes, quas.
[b] Relicto. *Exc.*
[c] perceperūt. *Exc. & C. A.*
[d] Quod ſi. *Exc.*
[e] Suſcipiant. *Exc.*
[f] Et infidel. Exc.
[g] Ex Conciliorum conſtitutionibus cōſentiens cōtext. excuſſi: confeſſionis meæ ſanctas ſupra ſcripturarū Concil. *C. A. aliâs* ſcriptorum.

Incipit [h] *Fides à ſancto Concilio Nicæno edita.*

14. CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium [i] conditorem, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, de Patre natum unigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum; homoûſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & quæ in terris: qui propter [k] nos & per noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cœlos; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos: & in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam naſceretur non erat, & quia ex nullis exſtantibus factus eſt, aut [l] ex aliqua ſubſtantia, vel [m] naturâ dicunt eſſe mutabilem & convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

[o] *Item Fides ſancta, quam expoſuerunt CL. Patres, conſona magnæ Nicænæ Synodo.*

15. CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium * conditorem; & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei [p] unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum; homoûſion Patri, hoc eſt, ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre; per quem omnia facta ſunt, * quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos [q] & propter noſtram ſalutem [r] deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, [s] homo factus, paſſus eſt ſub Pilato, [t] ſepultus, tertia die reſurrexit, [u] aſcendit in cœlos, [x] ſedet ad dexteram Patris, iterum venturus in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. * Credimus & in Spiritum ſanctum Dominum, & [z] vivificantem, ex Patre & Filio * procedentem, cum Patre & Filio [a] adorandum, & glorificandum, qui locutus [b] per Prophetas: in unam Catholicam Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam [c] futuri ſæculi. Amen.

[d] *Item tractatus Chalcedonenſis Concilii.*

16. SUFFECERAT [e] quidem ad pleniſſimam pietatis agnitionem & confirmationem, [f] cautiſſimum, hoc eſt, ſalutare divinæ gratiæ Symbolum: de Patre enim, & Filio, & Spiritu ſancto doctrinam perfectam edocet, & incarnationem Dominicam fideliter ſuſcipientibus manifeſtat. Sed quoniam hi, qui prædicationem veritatis deſtruere [g] nituntur, quaſdam propriæ hæreſeos novitates parturiunt; (quidam enim [h] miniſterium pro nobis actum divinæ diſpenſationis audent corrumpere, & vocem illam divini partûs factam ad Virginem denegant: alii temperamentum confuſionemque inducentes; & unam eſſe naturam carnis & Deitatis inſenſatè componentes, paſſibilem Unigeniti divinam naturam tali confuſione prodigiosè divulgant) iccircò omnem adversùs veritatem opponendam ab ipſis machinationem volens excludere ſancta & magna Univerſalis Synodus; [i] antiquam prædicationem immobilem docens, ſtatuit, præcipuè trecentorum XVIII. ſanctorum Patrum Fidem incontaminatam manere; & propter eos qui Spiritui ſancto adverſantur, centum quinquaginta Patrum paullò poſteriori tempore in urbe Conſtantinopolitana convenientium, de ſubſtantia Spiritus ſancti traditam doctrinam corroborat, quam etiam illi omnibus inſinuaverunt: non quòd in præcedentibus [k] aliquid deeſſet, ſed adjicientes de Spiritu ſancto eorundem intellectum, adversùs eos, qui Deitatis ejus dominationem nituntur [l] adimere, Scripturarum teſtimoniis pleniùs manifeſtantes. Propter eos ſanè, qui diſpenſationis myſterium tentant corrumpere, & purum hominem eſſe qui ex ſancta Virgine Maria natus eſt, impudenter divulgant, beatiſſimi quondam Cyrilli Alexandrinæ Eccleſiæ ſacerdotis ſynodicas Epiſtolas, tam ad Neſtorium, quàm ad cæteros per Orientem, congruas, & ſibi conſentientes ſuſcepit, ad confutationem quidem Neſtorianæ amentiæ, in interpretationem verò eorum, qui religioſo zelo ſalutaris Symboli cupiunt intellectum.

17. Quibus Epiſtolam ſancti ac beatiſſimi primæ Sedis Archiepiſcopi Leonis, ſcriptam ad Flavianum ſanctæ recordationis Archiepiſcopum, ad perimendam Eutychetis malignitatem, atque magni Petri confeſſioni concordantem, & communem quandam [n] columnam exiſtentem, contra eos qui rectè non glorificant, ad confirmationem Catholicæ religionis evidenter ſubjunxit. Nam eos qui in duos filios diſpenſationis Dominicæ myſterium ſcindere moliuntur, exſecratur; & eos qui paſſibilem divinitatem unigeniti Filii audent aſſerere, de Concilio Sacerdotum repellit; & eis qui in duas naturas Chriſti [o] temperamentum, vel confuſionem argumentantur, adverſatur; & qui cœleſtem, aut alterius cujuſcumque ſubſtantiam, exiſtere formam ſervi, quam pro nobis ſumpſit, inſaniendo aſſerunt,

procul

[h] Fides Nicæni Concilii. *Exc.*
[i] Creatorem. *Exc.*
[k] Propter nos homines. *Exc.*
Habetur hæc fides in Chalced. Conc. Act. 1. quo Concil. poſitum eſt poſt Epiſtolas Leonis PP. I. & apud Athanaſ. & VI. Conc. Carthag. Ruffin. l. Hist. Eccl. c. 6. Socr. lib. 1. c. 8. Niceph. l. 8. c. 17.
[l] Alia ſubſtantia. *Exc.*
[m] Subſtantia fuiſſe aut creatum, aut mutationi, alterationive obnoxium; eos anathematizat ſancta Eccleſia Catholica & Apoſtolica. *Exc.*
[o] Symbolum CL. Patrum Conſtantinop. Concil. *Exc.*
* *Deeſt. Exc.*
[p] Ex Patre unig. *Exc.*
* *Deſunt ab Exc.*
[q] Nos homines & noſtram. *Exc.*
[r] Deſcendit de cœlis. *Exc.*
[s] Et inhumanatus eſt, & crucifixus eſt pro nobis ſub. *Exc.*
[t] Et ſepultus eſt, &. *Exc.*
[u] Et deſcend. *Exc.*
[x] Et ſed. *Exc.*
[y] Ventur. eſt cum glor. *Exc.*
* *Deeſt. Exc.*
[z] Vivificantē. *Exc.*
* *Deſunt. Exc.*
[a] Coadorand. & conglorific. *Exc.*
[b] Sanctos Proph. & unam ſanctam, Catholicam. *Exc.*
[c] Venturi. *Exc.*
[d] *In alio Ms. incipit Tract.* *Exc.*
[e] Sufficeret. *Exc.*
[f] Sanctiſſimum. *Mss. in Exc.* ſanctum hoc divinæ gratiæ Symbolum.
[g] Conantur. *Exc.*
[h] Myſterium. *Exc.* *vel lè.*
Exſtat hic tractatus Conc. Chalced. Act. V. ſub quadruplici tranſlatione. Hæc verò editio alia eſt ab illis quatuor.
[i] Hanc præd. *Exc.*
[k] Deeſſet aliquid, adjicientes, ſed de ſpiritu eorundem. *Exc.*
[l] Demergere. *Exc.*
[m] Et ad interpretationem. *Exc.*
[n] Pugnam contientem. *Vide in Not.*
[o] Miſſionē. *Exc.*

procul abjicit; & eos qui duas quidem ante adunationem naturas Domini delirant, unam verò poſt adunationem confingont, anathema facit. p

p Anatematizat. *Exc.*

18. Conſentientes igitur ſanctis Patribus, unum Dominum noſtrum, eundemque Filium confiteri Dominum Jeſum Chriſtum conſona voce, pariter edocemur: perfectum eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum eundem, ex anima rationali & corpore; ſecundum divinitatem unius cum Patre naturæ; ſecundum humanitatem eundem unius naturæ nobiſcum; per omnia ſimilem nobis, abſque peccato: ante ſæcula quidem ex Patre natum ſecundùm divinitatem; in noviſſimis verò diebus propter nos & propter ſalutem noſtram, q ex Maria Virgine Dei genitrice, ſecundùm humanitatem hominem factum; unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum in duas naturas inconfusè, immutabiliter induiſſe; inſeparabiliter r cognoſcendo in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas: magis autem ſalva utriuſque naturæ proprietate, & in una conjunctæ perſona, unoque ſtatu concurrente; non in duabus perſonis partiendum vel dividendum, ſed unum eundemque Filium unigenitum Deum Verbum, Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut ab exordio Prophetæ de eo, & ipſe nos erudivit, & * Patrum nobis tradidit Symbolum.

q Hominem factũ, hunc unum eundemque Chriſtũ, Filium, Dominũ Unigenitum. *Exc.*
r Cognoſcendum. *Exc.*
* *Deeſt ab Exc.*

19. His itaque cùm omni undique ſubtilitate & diligentia à nobis ordinatis, ſtatuit ſancta & Univerſalis Synodus, aliam Fidem nulli licere s proferre, aut ſcribere, aut t credere, aut u ſapere, aut docere aliter. Qui autem audent, aut exponere aliam Fidem, aut proferre, aut credere aliud Symbolum, volentibus converti ad eſſentiam veritatis, ex x Gentibus, ex Judæis, vel hæreticis quibuſcumque; ſi quidem aut Epiſcopi, aut clerici fuerint; alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & clericos à clero: ſi verò monachi vel laici fuerint; anathema fieri.

s Profiteri.
t Docere, aut dicere aliter. *Exc.*
u *In alio Ms.* tradere.
x Gentilibus. *Ms.*

20. Ego Reccaredus Rex Fidem hanc ſanctam, & veram confeſſionem, quam unam per totum Catholica confitetur Eccleſia, corde retinens, ore affirmans, meâ dexterâ, Deo protegente, ſubſcripſi.

Ego y Baddo, * glorioſa Regina, hanc Fidem, quam credidi & ſuſcepi, mea manu de toto corde ſubſcripſi.

Tunc adclamatum eſt in laudibus Dei, & in favore Principis ab univerſo z clero:

Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cui cura eſt pacem & unitatem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Catholicæ providere.

Gloria a Deo noſtro Jeſu Chriſto, qui pretio ſanguinis ſui Eccleſiam Catholicam ex omnibus gentibus congregavit.

Gloria b Deo noſtro Jeſu Chriſto, qui tam illuſtrem gentem unitati veræ Fidei copulavit, & unum gregem, & unum paſtorem inſtituit.

y Badda. *Exc.*
* Badda pia uxor Reccar. Regis, filia, ut tradunt, Alturi Regis Britan.
z Concilio. *Exc. & C. A.*
a Domino. *Exc. & A. C.*
b Domino. *Exc. & C. A.*

Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Reccaredo Regi?

Cui à Deo æterna corona, niſi vero orthodoxo Reccaredo Regi?

Ipſe * novarum plebium in Eccleſia Catholica conquiſitor.

Ipſe mereatur veraciter Apoſtolicum meritum, qui Apoſtolicum implevit officium.

Ipſe ſit Deo & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deum glorificavit in terris, præſtante Domino * noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo Patre vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti, in ſæcula ſæculorum. Amen.

* Cui præſens gloria, & æterna, niſi vero amatori Dei Recaredo Regi?
* *Deeſt in C. A.*

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Item Fidei confeſſio Epiſcoporum, presbyterorum, vel primorum Gotthicæ gentis, qui infrà ſcripſerunt.

21. PRÆCIPIENTE autem univerſo venerabili Concilio atque jubente, unus Epiſcoporum Catholicorum ad Epiſcopos & Religioſos, vel majores natu, ex hæreſi Ariana converſos, ejuſmodi allocutione exorſus eſt, dicens:

Officii noſtri curâ, & feliciſſimi atque glorioſiſſimi Principis admonitione propellimur, diligenter à veſtra charitate perquirere, vel quid damnetis in hæreſi, aut quid intra Dei Catholicam credatis Eccleſiam. Nam ſicut dicente Pſalmiſta, didicimus: *Incipite Domino in confeſſione*; optimum eſt, veſtræque ſaluti conveniens, palam confiteri quod creditis, & ſub auditu univerſorum anathematizare quod d reſpuitis. Tunc prorſus optimè poteritis Euangelicæ atque e Apoſtolicæ Fidei participes fieri, ſi eandem Catholicam Fidem ex confeſſione Catholica Incipiatis, vel propria ſubſcriptione firmetis: & ſicuti Deo jam de bona conſenſione cogniti eſtis conſcientiâ, ita & vos f proximos Fidei ſanctæ adſtipulatione monſtretis. Eo itaque fiet, ut & vos Chriſti eſſe corporis membra ſignificetis, & noſtra exiguïtas nihil dubium, nihil infidum umquam de veſtra ſuſpicetur fraternitate; dum patuerit vos g peſtem perfidiæ Arianæ cum omnibus dogmatibus, regulis, officiis, communione, codicibus prædamnare, ut h deteſtandæ hæreſeos exſpoliati contagione, innovati quodammodo intra Dei Eccleſiam, i ſplendidi habitu veræ Fidei clareatis.

Verba hæc omnia videntur à S. Leandro prolata.
d Reſpuiſtis. *C. A.*
e Apoſtolicæ Sedis fidei. *Exc.*
f Proximi. *C. A.*
g Tabem. *C. A.*
h Adteſtando. *C. A.*
i Splendido. *Exc.* ſplendidò. *C. A.*

22. Tunc Epiſcopi omnes, unà cum clericis ſuis, primoreſque gentis Gotthicæ pari conſenſione dixerunt:

23. Licèt

23. Licèt hoc quod paternitas atque fraternitas veſtra à nobis cupit audire, vel fieri, jam olim converſionis noſtræ tempore egerimus, quando ſequuti dominum noſtrum glorioſiſſimum Reccaredum Regem tranſivimus, & perfidiam Arianam cum omnibus ſuperſtitionibus ſuis anathematizavimus pariter & abjecimus; nunc verò propter charitatem & devotionem, quam vel Deo, vel Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ meminimus nos debere; non tantùm hæc eadem quæ petitis, promptiſſimè agere properamus; ſed & quæ adhuc congrua Fidei eſſe [k] conſpicitis, nobis de charitate perſuadete. Vos etenim * ità ſemel rectæ Fidei amor in eam devotionem advexit, ut omne quod nobis verius fraternitas veſtra patefecit, teneamus, & [l] liberali fateamur confeſſione.

k C. A. proſpiciatis. perſp. Exc.
* Deeſt. in A. C.
l Et libera. ; atefecerunt. Exc.
m Uſque ad nos.

I. Omnis ergo qui fidem & communionem ab Ario venientem, & [m] hucuſque à nobis retentam, adhuc tenere deſiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema ſit.

* Deſunt. Exc.

II. Quicumque Filium Dei, Dominum * noſtrum Jeſum Chriſtum, negaverit à paterna ſubſtantia ſine initio genitum, & æqualem Patri eſſe, vel conſubſtantialem, anathema ſit.

n Non credet. C. A.

III. Quicumque Spiritum ſanctum non [n] credit, aut non crediderit à Patre & Filio procedere, eumque non dixerit coæternum eſſe Patri & Filio, & coæqualem, anathema ſit.

IV. Quicumque in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & perſonas non diſtinguit, & unius Dei unitatis ſubſtantiam non [o] cognoſcit, anathema ſit.

o Agnoſcit. Exc. agnoſcet. C. A.
* Deeſt. C. A.
p Sanctum juxta deitatem eſſe Patre minorem. Exc. eſſe à Patre minores. C. A.

V. Quicumque Filium Dei, Dominum * noſtrum Jeſum Chriſtum, & Spiritum [p] ſanctum, eſſe Patre minores aſſeruerit, & gradibus ſeparaverit, creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.

VI. Quicumque Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unius ſubſtantiæ, omnipotentiæ, æternitatis eſſe non credit, anathema ſit.

VII. Quicumque neſcire Filium Dei quæ Deus Pater ſciat, dixerit, anathema ſit.

VIII. Quicumque initium Filio Dei, & Spiritui ſancto deputaverit, anathema ſit.

IX. Quicumque Filium Dei, ſecundùm divinitatem ſuam viſibilem, aut paſſibilem auſus fuerit [q] profiteri, anathema ſit.

q Proferre. Exc.

X. Quicumque Spiritum ſanctum, ſicut Patrem, & Filium, verum Deum [r] omnipotentem eſſe non crediderit, anathema ſit.

r Et omnipot. C. A.

XI. Quicumque [s] aliam fidem, & communionem Catholicam, [t] præter Eccleſiaſticam univerſalem, eſſe crediderit; (illam dicimus Eccleſiam, quæ Nicæni, Conſtantinopolitani, & primi Epheſini, & Chalcedonenſis Concilii decreta tenet pariter & honorat) anathema ſit.

s Alibi. duo Mſ.
t Præterquam in Eccleſia univerſali. Exc. Præter Eccleſiam univerſalem eſſe credit. C. A.

XII. Quicumque Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, honore & gloria & divinitate ſeparat & disjungit, anathema ſit.

XIII. Quicumque Filium Dei & Spiritum ſanctum cum Patre non crediderit eſſe glorificandos & honorandos, anathema ſit.

XIV. Quicumque non dixerit: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, anathema ſit.

u Agere. C. A.
* In uno Mſ. deſunt.

XV. Quicumque rebaptizandi ſacrilegum opus bonum eſſe credit, aut crediderit, [u] agit * aut egerit, anathema ſit.

x Leoniſildi. Exc. Leuvigildi. C. A.
y Continetur. C. A.

XVI. Quicumque libellum deteſtabilem duodecimo anno [x] Leovigildi Regis à nobis editum, in quo continetur Romanorum ad hæreſim Arianam traductio, & in quo Gloria Patri, per Filium, in Spiritu ſancto malè à nobis inſtituta [y] continentur; hunc libellum ſi quis pro verò habuerit, anathema ſit in æternum.

XVII. Quicumque Ariminenſe Concilium non ex toto corde reſpuerit & damnaverit, anathema ſit.

XVIII. Confitemur enim nos, ex hæreſi Ariana toto corde, totâ animâ, & de tota mente noſtra ad Eccleſiam Catholicam fuiſſe converſos. Nulli dubium eſt, nos, noſtroſque deceſſores erràſſe in hæreſi Ariana, & Fidem Euangelicam atque Apoſtolicam nunc intra Eccleſiam Catholicam didiciſſe. Proinde Fidem ſanctam, quam præfatus religioſiſſimus dominus noſter patefecit in medio Concilii, & manu ſua ſubſcripſit; hanc & nos tenemus, hanc confitemur pariter & ſuſcipimus; hanc in populis prædicare atque docere [z] promittimus. Hæc eſt vera Fides, quam omnis Eccleſia Dei per totum mundum tenet, Catholica eſſe creditur & probatur. Cui hæc Fides non placet, aut non placuerit, ſit anathema, maranatha in [a] adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.

z Permittimus.
a Adventu. Exc.

XIX. Qui Fidem ſpernit Nicæni Concilii, anathema ſit.

XX. Qui Fidem Concilii Conſtantinopolitani CL. Epiſcoporum, veram eſſe non dixerit, anathema ſit.

* Deeſt C. A.

XXI. Qui Fidem Epheſinæ Synodi primæ & Chalcedonenſis non tenet, & * eâ non delectatur, anathema ſit.

b Conciliorum, Nicæni, & reliqua in eodem caſu. C. A.
c perfidiæ communionis. Exc.

XXII. Qui Concilia omnia Epiſcoporum orthodoxorum [b] conſona Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano, primo Epheſino, & Chalcedonenſi non recipit, anathema ſit.

XXIII. Proinde & damnationem hanc [c] perfidiæ & communicationis Arianæ, & omnium Conciliorum hæreſim Arianam ſoventium, cum anathemate eorum propria manu ſubſcripſimus. Conſtitutiones verò ſanctorum Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, vel Chalcedonenſis, quas gratiſſima aure audivimus, & confeſſione noſtra veras eſſe probavimus, de toto corde, & de tota anima, & de tota mente noſtra ſubſcripſimus. Nihil ad cognitionem veritatis lucidius arbitrantes, quàm quæ ſupradictorum Conciliorum continent auctoritates. De Trinitate autem & unitate Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nihil his verius, nihil lucidius umquam poteſt vel poterit demonſtrari. De myſte-

myſterio Incarnationis unigeniti Filii Dei, pro ſalute humani generis, quo & vera probatur humanæ naturæ ſine peccati contagione ſuſceptio, [d] & permanet incurruptè in eo divinitatis plenitudo, cùm ex natura utraque non deperit, [e] & una fit [f] ex utraque Domini noſtri Jeſu Chriſti perſona, ſatis plenè in his Conciliis probatur patefieri veritati, & à nobis creditur omni remota dubitatione.

d Permanentia incorruptæ. Exc.
e Ut. C. A.
f Sit. Exc.

24. Quicumque hanc Fidem ſanctam depravare, corrumpere, mutare tentaverit, aut ab eadem Fide, vel communione Catholica, quam nuper ſumus, Deo miſerante, adepti, egredi, ſeparari, vel diſſociari voluerint; ſint Deo & univerſo mundo crimine infidelitatis in æternum obnoxii. Floreat autem Eccleſia ſancta Catholica per omnem mundum pacatiſſimè, & emineat doctrinâ, ſanctitate, & poteſtate. Si qui intra eam fuerint, crediderint, communicaverint, hi audiant ad dextram Patris poſiti: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt* [g] *à conſtitutione mundi*. Si qui autem ab ea receſſerint, ejuſque deſtruxerint Fidem, & communionem reſpuerint; hi audiant ex ore divino in die judicii: *Diſcedite à me maledicti, neſcio vos; ite in ignem æternum, qui* [h] *præparatus eſt diabolo & angelis ejus*. Sint ergo damnata in cœlo & in terra quæcumque per hanc Catholicam Fidem damnantur: ſint accepta in cœlo & in terra quæcumque [i] in hanc Fidem accipiuntur; regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt gloria in ſæcula ſæculorum.

Matth. 25.
g Ab origine. Exc.
h Paratus. C. A.
i Per. Exc.

25. I. [d] Ugnus [*] in Chriſti nomine Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

d Anaſtaſius. Exc. hæreſin Arianæ dogmatis. Exc. *Frat Barcinonenſis Eccleſiæ Epiſcopus.*

2. [*] Murila in Chriſti nomine Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

* *Eſt hic Valentinus Epiſcopus.*

3. [e] Ubiligiſculus in Chriſti nomine Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

e Ubiligiſcus. Exc. *Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus.*

4. [f] Sumila in Chriſti nomine civitatis Veſenſis Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc [g] ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

f C. A. Sunila.
g Noſtram. C. A.

5. [h] Gardingus in Chriſti nomine civitatis [i] Tudenſis Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

h Cardingus. Exc.
i Tudeſanæ. C. A.

6. [k] Becila in Chriſti nomine civitatis Lucenſis Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, hanc [l] ſanctam Catholicam Fidem, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

k Beccila. Exc. Bechila. C. A.
l noſtram. C. A.

7. [m] Argiovittus in Chriſti nomine civitatis Portugalenſis Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde [n] ſubſcripſi.

m Arbitrius. Exc. Arvitrius. C. A.
n Signum feci. C. A.

8. [o] Fruiſclus in Chriſti nomine civitatis Dertoſanæ Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arianæ dogmata ſuperiùs damnata, Fidem hanc ſanctam Catholicam, quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſcripſi.

o Ervifcius. Exc.

Similiter & reliqui presbyteri & [p] diaconi, ex hæreſi Ariana converſi ſubſcripſerunt.

p Diacones. C. A.

26. Signum, [q] quo ſignârunt viri illuſtres proceres.

Fonſa vir illuſtris anathematizans ſubſcripſi.

[r] Aguila vir illuſtris anathematizans ſubſcripſi.

[s] Eila vir illuſtris anathematizans ſubſcripſi.

Similiter & omnes ſeniores Gotthorum ſubſcripſerunt.

q Gufini. Exc. Guſcini. C. A.
r Alla. C. A.
s Flavius. Exc. Ella. C. A.

27. Poſt confeſſionem igitur & ſubſcriptionem omnium Epiſcoporum, & totius gentis Gotthicæ ſeniorum, glorioſiſſimus dominus noſter Reccaredus Rex, pro reparandis ſimul & confirmandis diſciplinæ Eccleſiaſtiæ moribus, Dei ſacerdotes taliter affatus eſt, dicens: Regia cura uſque in eum modum protendi debet & dirigi, [t] quo poſſit veritatis & ſcientiæ capere rationem. Nam ſicut in rebus humanis glorioſiùs eminet poteſtas Regia; ita & proſpiciendæ commoditati [u] provinciarum major debet eſſe providentia. Ac nunc, beatiſſimi Sacerdotes, non in eis tantummodo rebus diffundimus ſolertiam noſtram, quibus populi ſub noſtro regimine politi pacatiſſimè gubernentur & vivant; ſed etiam in adjutorio Chriſti extendimus nos ad ea quæ ſunt cœleſtia cogitare, & quæ populos fideles efficiunt, ſatagimus non neſcire.

t Quem plenam conſtat. C. A. & *Toletanus alter. Mss.*
u Comprovincialium. C. A.

28. Ceterùm ſi totis nitendum eſt viribus humanis moribus modum ponere, & inſolentium rabiem Regia poteſtate frænare, [x] ſi qui etiam paci propagandæ opem debemus impendere, multum magis adhibenda eſt ſolicitudo deſiderare & cogitare divina, inhiare ad ſublimia, & ab errore retractis populis, veritatem eis [y] ſerena luce oſtendere. Sic enim agit qui multiplici [z] honore à Deo remunerari poteſt: ſic enim audit, qui ſuper id quoad quod ei committitur auget, dum illi dicitur: *Quicquid ſupererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi*.

x Si quieti. C. A.
y Serenæ lucis. Exc.
z Bono. C. A. alii dono.
Luc. 10. 25.

29. Ergo quia jam Fidei noſtræ & confeſſionis formam plena ſerie veſtra beatitudo recenſuit, ſimulque & ſacerdotum, noſtrorumque procerum Fides atque confeſſio [a] charitati veſtræ præpatuit; hoc adhuc neceſſarium pro firmitate Catholicæ Fidei noſtra Deo ſupplex inſtituere decrevit auctoritas, ut propter roborandam gentis noſtræ novellam converſionem, omnes Hiſpaniarum & [b] Galliæ Eccle-

a Sanctitate. Exc. & A. C.
b Galliciæ. Exc. & omni. C. A.

ſiæ hanc regulam ſervent, ut omni ſacrificii tempore communicationem corporis Chriſti, vel ſanguinis, juxta Orientalium [c] Patrum morem, unanimiter clara voce ſacratiſſimum Fidei recenſeant Symbolum: ut primùm populi, quam credulitatem teneant fateantur, & ſic corda Fide purificata ad Chriſti corpus & ſanguinem percipiendum exhibeant; dum enim conſtitutio hæc fuerit perenniter conſervata in Dei Eccleſia, & fidelium ex ſolido corroboratur credulitas, & perfidia infidelium confutata, ad id quod repetitum ſæpiùs recognoſcit, facillimè inclinatur.

c Partium. Exc.

30. Nec ſe quiſquam jam de ignorantia Fidei excuſabit à culpa, quando univerſorum ore cognoſcit, quid Catholica tenent & credat Eccleſia. Omnibus ergo capitulis, quæ adhuc per veſtram ſanctitatem regulis Eccleſiaſticis adjicienda ſunt, hoc pro Fidei ſanctæ reverentia & firmitate proponite, quod de proferendo Symbolo, noſtra, Deo dicente, decrevit ſerenitas. De cætero autem pro inhibendis inſolentium moribus, meâ vobis conſentiente clementiâ, ſententiis terminata [d] diſtrictioribus, firmiori diſciplina, quæ facienda non ſunt prohibete, & ea quæ fieri debent, immobili conſtitutione firmate.

d Diſtrictionis, & firmioris diſciplinæ. (ſ. diſciplinæ) C. A.

Incipiunt capitula, quæ in Dei nomine ſancta Synodus in Toletana urbe conſtituit, tempore domini Reccaredi Regis, LXXII. Epiſcoporum.

Tituli hi ſæpè diverſi ſunt à Surii editione, quam vice.

I. *De obſervatione priorum Canonum.*

II. *De Symbolo proferendo à populo in Eccleſia.*

III. *Ut Epiſcopo non liceat rem alienare Eccleſiæ.*

IV. *Ut Epiſcopo liceat unam de parocitanis Eccleſiis monaſterium facere.*

V. *Ut Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ex hæreſi venientibus, jam non liceat miſceri uxoribus: vel quòd hi, qui ſemper Catholici fuerunt, in cellulis ſuis cum mulieribus extraneis non morentur.*

VI. *Quòd liberti ab Epiſcopis, vel ab aliis facti, & Eccleſiis commendati, permanere debeant liberi.*

VII. *Quòd lectio in omnibus ſacerdotalibus menſis legi debet.*

VIII. *Quòd de clero, ex familiis fiſci nullus unquam poſtulet à Rege: & qui acceperit, irrita talis donatio maneat.*

IX. *De Eccleſiis ab hæreſi tranſlatis, ut ad Epiſcopos, in quorum ſunt parochiis [e] permaneant.*

X. *De viduis, quæ voverint continentiam teneant, quæque nubere elegerint, quibus voluerint nubant: æquè & de virginibus.*

XI. *Quòd pœnitentes ſecundùm modum antiquorum Canonum agere pœnitentiam debeant.*

XII. *Quòd qui voluerint pœnitentiam agere, priùs tondeantur, aut habitum mutent.*

XIII. *Quòd non liceat duos clericos in foro cauſſare.*

XIV. *Ut Judæis uxores vel concubinas Chriſtianas habere, ſive comparare mancipia Chriſtiana, & judaïzare non liceat, vel publica officia peragere.*

XV. *Quòd manere debeat firmum, ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eaſque peculio ſuo ditaverint.*

XVI. *Quòd idololatriæ cultura à ſacerdotibus, vel à judicibus exquirenda eſt, atque exterminanda.*

XVII. *Quòd qui filios ſuos necaverit, à ſacerdotibus vel à judicibus diſtringatur.*

XVIII. *Quòd ſemel in anno ad Concilium ſacerdotes, & judices, atque actores patrimonii [f] noſtri debeant convenire.*

XIX. *Quòd Eccleſiarum omnium dos ad Epiſcopi ordinationem debeat pertinere.*

XX. *Quòd ſacerdotes moderanter agere debent per parochias.*

XXI. *Quòd ſervi Eccleſiæ, ſive clericorum, non debeant à judicibus vel ab actoribus in aliqua angaria fatigari.*

XXII. *Quòd religioſorum corpora cum [g] hymnis & canticis tantùm deferenda ſunt ad ſepulchra.*

XXIII. *Quòd [h] vallemantiæ, & turpes cantici prohibendi ſunt à Sanctorum ſolennitatibus.*

e Pertineant. C. A.

f Fiſcalis. C. A.

g Pſalmis. unus Ms.

h Vallemantia. Exc. Vallemachiæ. C. A.

I. De obſervatione priorum Canonum.

31. POST damnationẽ hæreſis Arianæ, & Fidei ſanctæ Catholicæ expoſitionem, hoc ſanctum præcipit [i] Conciliũ, ut quia in nonnullis, vel hæreſis, vel gentilitatis [k] neceſſitatibus, per Hiſpaniarũ Eccleſias canonicus prætermiſſus eſt ordo, dum & licentia abundaret tranſgrediendi, & diſciplinæ optio negaretur; dumque omnis exceſſus hæreſis foveretur patrocinio: ut [l] abundantiam mali temperet diſtrictio diſciplinæ, pace Eccleſiæ Chriſti miſericordiâ reparata, omne quod priſcorum Canonum auctoritas prohibet, ſit reſurgente diſciplina inhibitum; & agatur omne quod præcipit fieri. Maneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ ſanctorum Præſulum Romanorum Epiſtolæ. Nullus deinceps ad promerendos honores Eccleſiaſticos [m] contra vetita Canonum adſpiret indignus; nihil ex hoc fiat, quod ſancti Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt debere non fieri: & qui præſumpſerit, ſeveritate priorum Canonum diſtringatur.

i Præcepit. Exc. & C. A.

k neceſſitate. Exc. & C. A.

l Ut abundantiâ mali tẽporis provenerat diſtinctio diſciplinæ. Ac nunc pace. Exc.

m Contra Canonum ſtatuta. Exc.

II. *De Symbolo proferendo à populis in Eccleſia.*

32. Pro reverentia ſanctiſſimæ Fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, conſultu piiſſimi & glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis, ſancta conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ vel Gallæciæ, ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum Fidei recitetur; ut priuſquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo n decantetur; quo & Fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti corpus & ſanguinem prælibandum pectora populorum Fide purificata accedant.

n *In alio Ms.* prædicetur.

III. *Ut Epiſcopo non liceat rem alienare Eccleſiæ.*

12. q. 2. ſine exceptione, in Decret. Ivo. p. 3. c. 167.

33. Hæc ſancta Synodus nulli Epiſcoporum licentiam tribuit res alienare: quoniam & antiquioribus Canonibus prohibetur. Si quid verò quod utilitatem non gravet o Eccleſiæ, pro ſuffragio monachorum, vel Eccleſiis ad ſuam parochiam p pertinentibus dederunt, firmum maneat. Peregrinorum verò vel clericorum & egenorum neceſſitati, ſalvo jure Eccleſiæ, præſtare permittantur, pro tempore quo potuerint.

o Eccleſiis. C. *A.*
p Pertinentium dederit. C. *A.*

IV. *Ut Epiſcopo liceat unam de parochitanis Eccleſiis monaſterium facere.*

12. q. 1. Si Epiſcopus. *Decr. Ivo. p. 3. cap.* 168.

34. Si Epiſcopus unam de q parochitanis Eccleſiis ſuis monaſterium r dicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat; hoc s de conſenſu Concilii ſui habeat licentiam faciendi; qui etiam ſi de rebus Eccleſiæ pro eorum ſubſtantia aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibet, eidem loco donaverit; ſit ſtabile. Rei enim bonæ ſtatuendæ ſanctum Concilium dat t aſſenſum.

q Paræcianis. *Grat.*
r Dedicare. Exc. & *Ivo.*
s Ad conſenſum. *C. A.*
t Conſenſum. Exc.

V. *Ut Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, ex hæreſi venientibus, jam non liceat miſceri uxoribus: vel quòd hi, qui ſemper Catholici fuerunt, in cellulis ſuis cum mulieribus extraneis non morentur.*

35. Compertum eſt à ſancto Concilio, Epiſcopos, presbyteros, & diaconos venientes ex hæreſi, carnali adhuc deſiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat, hoc præcipitur quod & prioribus Canonibus u terminatur, ut non liceat eis vivere libidinoſa ſocietate; ſed manente inter eos x fide conjugali, communem utilitatem habeant, & non ſub uno conclavi maneant: y & certè, ſi ſuffragatur virtus, in aliam domum ſuam uxorem faciat habitare; ut caſtitas & apud Deum & homines habeat teſtimonium bonum. Si quis verò poſt hanc conventionem obſcœnè cum uxore elegerit vivere; z ut lector habeatur. Qui verò ſemper ſub Canone Eccleſiaſtico jacuerunt, ſi contra veterum imperata in ſuis cellulis, mulierum, quæ a infamem ſuſpicionem poſſunt generare, conſortium habuerint; illi canonicè quidem diſtringantur; mulieres verò ipſæ ab Epiſcopis venundatæ, pretium ipſum pauperibus erogetur.

u Continetur. Exc.
x Lege. Exc.
y Vel certè. Exc. & C. *A.*
z Exc. Ut nec lector, *aliàs* neglector. *noſtri rectè.*
a Infamiæ. Exc.
b Hoc præcipit ſancta Synodus, ut ſi qui presbyteri, vel diaconi, ab Epiſcopis. *Exc. & Grat. in Concil. Coloniæ impreſſis ut in Mss. nulla presbyterorum, aut diaconorum mentio ſit.*

VI. *Quòd liberti ab Epiſcopis, vel ab aliis facti, & Eccleſiis commendati, permanere debeant liberi.*

36. De libertis autem b id Dei præcipiunt ſacerdotes, ut ſi qui ab Epiſcopis facti ſunt, ſecundum modum c quo Canones antiqui dant licentiam, ſint liberi; & tamen à patrocinio Eccleſiæ, tam ipſi, quàm ab eis progeniti, non recedant. Ab aliis quoque libertati traditi, & Eccleſiis commendati, d patrocinio Epiſcopali regantur, à Principe hoc Epiſcopus poſtulet.

c Cui. C. *A.*
d Patrocinio Epiſcopi colligantur, & ne cuiquam donentur, hoc à Principe Epiſcopus Exc. & *Gratian.* 12. q. 2. De libertis *Diſtinct.* 44. Pro reverentia. *Burch. lib.* 2. c. 196. *Ivo. p.* 6. c. 262. *Raban.* 1. *Pœnit. cap.* 281. *Eadem diſt. c.* Quomodo autem. *Vide de ordine in Conviviis ſacerdotum ſervando, & in Concil. Brac.* 2. *in decretis Martini cap.* 62.

VII. *Quòd lectio in omnibus ſacerdotalibus menſis legi debet.*

37. Pro reverentia Dei e ſacerdotum, id univerſa ſancta conſtituit Synodus, ut quia ſolent crebrò menſis otioſæ fabulæ interponi, in omni ſacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum miſceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ f prohibentur.

e Et ſacerd. C. *A.*
f *In alio Ms.* reprobentur, reprobantur,

VIII. *Quòd clericorum ex familiis fiſci, nullus unquam à Rege poſtulet: & qui acceperit, irrita talis donatio maneat.*

38. g Innuente atque conſentiente domino piiſſimo Reccaredo Rege, id præcepit ſacerdotale Concilium, ut clericorum ex familia fiſci nullus audeat à Principe donatos expetere; ſed h reddito capitis ſui tributo, Eccleſia Dei, cui ſunt alligati, uſque i dum vivent, regulariter adminiſtrent.

g Jubente. Exc. & A. C. & alter Toletan. Ms.
h Trad. 10. Exc.
i Vivunt. Exc.

IX. *De Eccleſiis ab hæreſi translatis, ut ad eos Epiſcopos, in quorum ſunt parochiis, pertineant.*

39. Decreto hujus Concilii hoc ſtatuitur, ut Eccleſiæ, quæ fuerunt in hæreſi Ariana, nunc autem ſunt Catholicæ, ad k Epiſcopos cum ſuis rebus pertineant, ad quos parochiæ ipſæ, in quibus Eccleſiæ ipſæ fundatæ ſunt, pertinere videntur.

k Ad eos Epiſc. Exc. & A. C.

X. *De viduis, quæque voverint continentiam, teneant; & quæque nubere elegerint, quibus voluerint nubant: æquè de virginibus.*

32. q. 2. Hoc ſanctum. Burch. lib. 8. p. 44. Decret. Ivo. p. 7. c. 62. & p. 8. c. 19.

40. Pro conſultu caſtitatis, quod maximè l hortamento Concilii proficere debet, annuente domino noſtro glorioſiſſimo Reccaredo Rege, hoc ſanctum affirmat Concilium, ut viduæ, quibus placuerit m tenere caſtitatem, nullâ vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quòd * ſi priùs quàm profiteantur continentiam; nubere n elegerint; illis nubant, quos propria voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, o nec extra voluntatem parentum vel ſuam cogantur maritos accipere. Si quis verò propoſitum caſtitatis viduæ vel virginis impedierit, à ſancta communione, & à liminibus Eccleſiæ habeatur extraneus.

l Ornamento. C. A.
m Teneant caſtitatem, & nulla vi cogantur ad nuptias iterandas vi venire cogatur. Exc.
* Ivon. p. 8. c. 18.
n Voluerint. Exc. C. A. & Burch.
o Nec extra. C. A. nec contra. Exc.

XI. *Quòd pœnitentes ſecundùm modum Canonum antiquorum agere pœnitentiam debeant.*

41. Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotieſcumque peccare libuerit, totiens à presbytero ſe reconciliari expoſtulent; & ideo pro coërcenda tam exſecrabili præſumptione, id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam p Canonum antiquorum q dentur pœnitentiæ; hoc eſt, ut priùs eum, quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impoſitionem crebrò recurrere: expleto verò, qui ad r priora vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur.

p Canonicam. C. A.
q Detur pœnitentia.
r Propria. Exc.

XII. *Quòd qui voluerint pœnitentiam agere, priùs tondeantur, aut habitum mutent.*

Ivon. p. 15. c. 19.

42. Quicumque ab Epiſcopo vel à presbytero, ſanus vel infirmus, pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus obſervet, vel presbyter, ut ſi vir eſt, ſive ſanus ſive infirmus, priùs eum s tondeat, & ſic pœnitentiam ei tradat: ſi verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi priùs t mutaverit habitum: ſæpè enim laïcis tribuendo deſidioſè pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.

s Tond. aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Exc.
t Aut velata fuerit, aut mutaverit habitum. Exc. & Ivo.

XIII. *Quòd non liceat duos clericos in foro cauſſare.*

11. q. 1. In olita præſumpt.

43. Diuturna indiſciplinatio, & licentiæ inolita præſumptio, uſque u eò in illicitis auſibus aditum patefecit, ut clerici conclericos, ſuo x neglecto Pontifice, ad judicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus hoc de cætero non præſumi: ſed ſi quis hoc facere præſumpſerit; & cauſſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

u Adeò. Exc.
x Relicto. Ms. ...

XIV. *Ut Judæis uxores vel concubinas Chriſtianas habere, ſive comparare mancipia Chriſtiana, & judaïzare non liceat, vel publica officia peragere.*

44. [y] Suggerente Concilio, id glorioſiſſimus dominus noſter Canonibus inſerendum præcipit, ut Judæis non liceat Chriſtianas habere uxores vel concubinas, neque mancipia Chriſtiana comparare in uſus proprios: ſed & ſi qui filii ex tali conjugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad baptiſmom. Nulla officia publica eos opus eſſe agere, per quæ eis occaſio tribuator pœnam Chriſtianis inferre. Si qui verò Chriſtiani ab eis [z] Judaïco ritu ſunt maculati, vel etiam circumciſi; non reddito pretio, ad libertatem & religionem redeant Chriſtianam.

[y] Conventus noſter hoc Canonib. inferendum præcepit. *Exc. Diſt.* 64. Nulla officia.
[z] C. *A.* Judaïſmo.

XV. *Quòd manere debeat firmum, ſi ſervi fiſci Eccleſias fecerint, eaſque peculio ſuo ditaverint.*

45. Si qui ex ſervis fiſcalibus Eccleſias fortaſſe conſtruxerint, eaſque de ſua paopertate ditaverint; [a] hoc procuret Epiſcopus prece ſua, auctoritate regia confirmari.

[a] Has. *Exc.*

XVI. *Quòd idololatriæ cultura à ſacerdotibus vel à judicibus exquirenda eſt, atque exterminanda.*

46. Quoniam penè per omnem Hiſpaniam, ſive [b] Galliam, idololatriæ ſacrilegium inolevit; hoc cum conſenſu glorioſiſſimi Principis ſancta Synodus ordinavit, ot omnis ſacerdos in loco ſuo unà cum judice territorii, ſacrilegium memoratum ſtudioſè perquirat, & [c] exterminare inventum non differat: [d] homines verò, qui ad talem errorem concurrunt, [e] ſalvo diſcrimine animæ, [f] quâ potuerint animadverſione coërceant. Quòd ſi neglexerint, ſciant ſe [g] ntique excommunicationis periculum eſſe ſubituros. Si qui verò domini extirpare hoc malum à poſſeſſione ſua neglexerint, vel familiæ ſuæ prohibere noluerint; ab Epiſcopo & ipſi à communione pellantur.

[b] Gallicium. *Exc.*
[c] Exterminari inventa. C. *A.*
[d] Omnes. C. *A.*
[e] Sine. *Exc.*
[f] Quæ. C. *A.*
[g] Utrique. *Exc.*

XVII. *Quòd qui filios ſuos necaverint, à ſacerdotibus vel judicibus diſtringantur.*

47. Cùm multæ querelæ ad aures ſancti Concilii deferrentur, inter cætera, tantæ crudelitatis eſt opus nunciatum, quantum [h] ferre conſedentium aures ſacerdotum non poſſent; ut in qoibuſdam Hiſpaniæ partibus filios ſuos parentes interimant fornicationis avidi, neſcii pietatis. Quibus ſi tædium eſt filios numeroſos agere, priùs ſe ipſos debent caſtigare à fornicatione: nam dum cauſâ propagandæ prolis ſortiuntur conjugia, hi & parricidio & fornicationi tenentur obnoxii, [i] qui fœtus necando proprios, docent ſe, non pro filiis, ſed pro libidine [k] ſociari. Proiode tantom nefas ad cognitionem glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis perlatum eſt, cujus gloria dignata eſt judicibus earundem partium imperare, [l] ut hoc horrendum facinus diligenter cum ſacerdote [m] perquirant, & adhibita ſeveritate prohibeant. Ergo & ſacerdotes locorum hæc ſancta Synodus dolentiùs convenit, ut idem ſcelus cum judice curioſius quærant, & ſine capitali vindicta acriori diſciplina prohibeant.

[h] Suſtinere. *Exc.*
[i] Filios. *Exc.*
[k] Uxores ducere. *Exc.*
[l] Ut amovendum tantum facinus. *Exc.*
[m] Procurēt. *Exc.* requirant. C. *A. Decret. Ivo. p.* 4. c. 244.
[n] Univerſalis. *Exc.*
[o] Cōſiderata. *Exc.*
[p] Domini noſtri Reccaredi Regis. *Exc.*
[q] Aut vernali tēp. aut die Kal. *Iun.*
[r] Injuſtis vectigalibus & immoderatis exactionibus ipſos premant: ſed potius per miſeratione compatiētes & gravaminibus defendant, ut bonos populi tutores facere decet, nec in angariis. *Exc.*
[s] Proſpectatores. C. *A.*
[t] Ut aut. C. *A.*
[u] Quod per provincias in ſuo detrimento præſtare debeant Judices, ſi ad Concilium nō venerint. Conciliſi verò. *Exc.* & *Ivo.*

XVIII. *Quòd ſemel in anno ad Concilium ſacerdotes, & judices, atque actores patrimonii fiſcalis debeant convenire.*

48. Præcipit hæc ſancta & [n] veneranda Synodus, ut ſtante priorum auctoritate Canonum, qoæ bis in anno præcipit congregari Concilia, [o] conſulta itineris longitudine, & paupertate Eccleſiarum Hiſpaniæ, ſemel in anno in locum quem Metropolitanus elegerit, Epiſcopi congregentur: judices verò locorum, vel actores fiſcalium patrimoniorum, ex decreto [p] glorioſiſſimi domini noſtri, ſimol cum ſacerdotali Concilio, [q] autumnali tempore, die Kalend. Novembrium in nnom conveniant; ut diſcaot, quàm piè & juſtè cum populis agere debeant, ne [r] in angariis, aut in operationibus ſuperfluis, ſive privatum honorent, ſive fiſcalem gravent: ſint enim [s] proſpectores Epiſcopi ſecundùm regiam admonitionem, qualiter judices cum populis agant, [t] ita ot ipſos præmonitos corrigant, aot inſolentias eorum auditibus Principis innoteſcant. Quòd ſi correptos emendare neqniverint; & ab Eccleſia, & à communione ſuſpendant. A ſacerdote verò & à ſenioribus deliberetur, [u] quòd provincia ſine ſuo detri-

detrimento præſtare debeat judicium ; Concilium autem non ſolvatur, niſi locum priùs elegerint, quo ſuccedente tempore iterum ad Concilium veniatur ; ut jam non neceſſe habeat Metropolitanus Epiſcopus pro congregando Concilio literas deſtinare, ſi in priori Concilio tempus omnibus denuncietur & locus.

XIX. *Quòd Eccleſiarum omnium dotes ad Epiſcopi ordinationem debeant pertinere.*

x Sic quidam. *Exc.*
y Auctoritatem. *Exc.*
10. q. 1. Sic quidam *Bucch. lib. 3. c. 12. Ivo p. 3. c. 23.*
z Quod fact. & taliter in præterito corrigatur, ut in futurum non nat. prohibeatur. *Exc. & Grat.*
a Antiquorū. *A. C.*

49. x Multi contra Canonum omnium y conſtituta ſic Eccleſias quas ædificaverint, poſtulant conſecrari, ut dotem, quam ei Eccleſiæ contulerint, cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere: z quod factum & in præteritum diſplicet, & in futuro prohibetur ; ſed omnia ſecundùm conſtitutionem a antiquam ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

XX. *Quòd ſacerdotes moderanter agere debeant per parochias.*

10. q. 3. Quia cognovimus. *Decret. Ivo p. 3. c. 137.*
b Agere. *Exc.*
c Non ut. *Exc. Grat.*
1. *Pet. 5.*
d Ut talia quæ illis. *Exc.*
e Præſumptiones avertere. *Grat.*

50. Multorum querela hanc conſtitutionem exegit: Quia cognovimus, Epiſcopos per parochias ſuas non ſacerdotaliter, ſed crudeliter b deſævire: & dum ſcriptum ſit: *Forma eſtote gregis*, c *neque dominantes in clero*; exactiones diœceſi ſuæ vel damna infligunt. Ideòque (excepto quòd veterum conſtitutiones à parochiis habere jubent Epiſcopos) d alia, quæ huc uſque præſumpta ſunt, denegentur ; hoc eſt, neque in angariis presbyteros, & diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in Eccleſia Dei exactores potiùs quàm Dei Pontifices nominari. Hi verò clerici, tam locales quàm diœceſani, qui ſeſe ab Epiſcopo gravari cognoverint, querelas ſuas ad Metropolitanum deferre non differant: qui Metropolitanus non moretur hujuſmodi e præſumptiones diſtrictè coërcere.

XXI. *Quòd ſervi Eccleſiæ, ſive clericorum, non debeant à judicibus vel actoribus in aliqua angaria fatigari.*

12. q. 2. Eccleſiar. *Ivo. p. 3. c. 136.*

f In multis civitatibus. *C. A.*
g *Sic apud Ivon. & Gratian. verùm* nos *poſuimus in omn. CC. Mss.*
h In diverſis. *C. A.*
i Fatigari dolemus, propter quod omne Conc. *Exc. Grat. Ivo.*
k Clariſſimi domini. *Ivo. Grat. & C. A.*
l S prædictorum. *Ivo & Grat. non emendatius.*

51. Quoniam cognovimus, f per multas civitates g Eccleſiarum ſervos, & Epiſcoporum, vel omnium clericorum à judicibus vel actoribus publicis h diverſis angariis fatigari i ; omne Concilium à pietate k domini noſtri popoſcit, ut tales deinceps auſus inhibeat ; ſed ſervi ſuprà ſcriptorum l officiorum, in eorum uſibus vel Eccleſiæ laborent. Si quis verò judicum aut actorum, clericum, aut ſervum clerici, vel Eccleſiæ, in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit; à communione Eccleſiaſtica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

XXII. *Quòd Religioſorum corpora cum hymnis & canticis tantùm deferenda ſunt ad ſepulchra.*

13. q. 2. Qui divina
m Deferri ſufficiat. *Exc.*
* *A Grat. deſinit. Poſtea addita in edit. Gregoriana.*
n Nolumus. *Exc.*
o Chriſtianos omnes. *Exc.*

52. Religioſorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis tantummodo, pſallentium vocibus debere ad ſepulchra m deferri. Nam funebre carmen, quòd vulgò defunctis cantari ſolet, vel pectoribus ſe proximos, aut familias cædere, omnino prohibemus. * Sufficiat autem, quòd in ſpe reſurrectionis Chriſtianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum. Prohibet enim nos Apoſtolus lugere defunctos, dicens: *De dormientibus autem* n *nolo vos contriſtari, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.* Et Dominus non flevit Lazarum mortuum, ſed ad hujus vitæ ærumnas ploravit reſuſcitandum. Si enim poteſt hoc Epiſcopus o Chriſtianorum omnium prohibere, agere non moretur. A Religioſis tamen omnino aliter fieri non debere cenſemus. Sic enim Chriſtianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

XXIII. *Quòd* p *balemanthiæ, & turpes cantici prohibendi ſunt à Sanctorum ſolenniis.*

p Ballimachiæ. *Exc.* Ballimachiæ. *C. A. De conſecr. diſt. 3.* Irreligioſa.

q Saltat. turpibus invig. cantica nō ſolùm mala cantantes, ſed & Religioſorum.
r *Unus Ms.* committatur.

53. Exterminanda eſt omnino irreligioſa conſuetudo, quam vulgus per Sanctorum ſolennitates agere conſuevit ; ut populi, qui debent officia divina attendere, q ſaltationibus, & turpibus invigilent canticis ; non ſolùm ſibi nocentes, ſed & Religioſorum officiis perſtrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hiſpania depellatur, ſacerdotum & judicum à Concilio ſancto curæ r committitur.

Incipit

Incipit edictum Regis in confirmatione Concilii.

Glorioſiſſimus & piiſſimus dominus noſter Reccaredus Rex.

54. UNIVERSORUM ſub regni noſtri poteſtate conſiſtentium amatores nos ſuos divina faciens veritas, ooſtris principaliter ſenſibus inſpiravit, ut cauſsâ inſtaurandę Fidei, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Epiſcopos omnes Hiſpaniæ noſtro præſentandos culmini juberemus. Præcedente autem diligenti & cauta deliberatione, ſive qoæ ad Fidem conveniunt, ſeu quæ ad morum correctionem reſpiciunt; cùm enim ſensûs maturitate, & intelligeotiæ gravitate cooſtent eſſe digeſta; ooſtra proinde auctoritas id omoibus hominibus ad regoum noſtrum pertinentibus jubet, ut ſi quæ definita ſuot io hoc ſancto Concilio, habito in urbe Toletana anno regni noſtri feliciter quarto, nulli contemnere liceat, nullus præterire præſumat. Capitula enim, quæ noſtris ſenſibus placita, & diſciplinæ congrua, à præſenti conſcripta ſunt Synodo, in omni auctoritate, ſive clericorum, ſivo laïcorum, ſive quorumcumque omnium, obſerventur & maoeant.

I. *De obſervatione priorum Canonum.*
II. *De Symbolo proferendo à populis in Eccleſia.*
III. *Ut Epiſcopo non liceat rem alienare Eccleſiæ.*
IV. *Ut Epiſcopo liceat unam de parochitanis Eccleſiis monaſterium facere.*
V. *Ut Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, ex hæreſi* [s] *venientibus, jam non liceat miſceri uxoribus. Vel quod hi, qui ſemper Catholici fuerunt, in cellulis ſuis cum mulieribus extraneis non morentur.*
VI. *Quòd liberti ab Epiſcopis vel ab aliis facti, & Eccleſiis commendati, permanere debeant liberi.*
VII. *Quòd lectio in omnibus ſacerdotalibus menſis legi debet.*
VIII. *Quòd* [t] *de clero ex familiis fiſci noſtri nullus unquam poſtulet à Rege: & qui acceperit, irrita talis* [u] *donatio maneat.*
IX. *De Eccleſiis ab hæreſi translatis; ut ad eos Epiſcopos, in quorum ſunt parochiis* [x] *permaneant.*
X. *De viduis,* [y] *quæque voverint continentiam, teneant; & quæ nubere elegerint, quibus voluerint nubant: æquè & de virginibus.*
XI. *Quòd pœnitentes ſecundùm modum antiquorum Canonum agere pœnitentiam debeant.*
XII. *Quod qui voluerint pœnitentiam agere, priùs tondeantur, aut habitum mutent.*
XIII. *Quòd non liceat duos clericos in forum cauſſare.* [z]
XIV. *Quòd Judæis uxores vel concubinas Chriſtianas habere, ſive comparare mancipia Chriſtiana, & judaïzare non liceat, vel publica officia peragere.*
XV. *Quòd manere debeat firmum; ſi ſervi fiſci noſtri Eccleſias fecerint, eaſque* [a] *peculio ditaverint.*
XVI. *Quòd idololatria cultura, à ſacerdotibus vel à judicibus exquirenda ſit atque examinanda.*
XVII. *Quod qui filios ſuos necaverint, à ſacerdotibus vel à judicibus diſtringantur.*
XVIII. *Quòd ſemel in anno ad Concilium ſacerdotes & judices, atque actores patrimonii noſtri debeant convenire.*
XIX. *Quòd Eccleſiarum omnium* [b] *dos ad Epiſcopi ordinationem debeat pertinere.*
XX. *Quod ſacerdotes moderanter agere debeant per parochias.*
XXI. *Quod ſervi Eccleſiæ, ſive clericorum, non debeant* [c] *à judicibus, vel noſtris actoribus, in aliqua angaria fatigari.*
XXII. *Quòd Religioſorum corpora cum hymnis & canticis tantùm deferenda ſunt ad ſepulchra.*
XXIII. *Quod* [d] *balimantia, & turpes cantici prohibendi ſunt à Sanctorum ſolennitatibus.*

55. HAS omnes conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas ſummatim breviterque perſtrioximus (ſicut pleoiùs io Canone continentur), manere perenni ſtabilitate ſancimus. [e] Si quis verò clericus, aut laïcus, harum ſanctionum [f] obediens eſſe noluerit; ſi Epiſcopus, presbyter, diaconus, aut clericus fuerit, ab omni Concilio excommunicationi ſubjaceat: ſi verò laïcus fuerit, & honeſtioris loci perſona eſt; medietatem facultatum ſuarum amittat, fiſci juribus profuturam: ſi verò inferioris loci perſona eſt; amiſſiooe rerum ſuarum multatus io exſilio deputetur.

1. Flavius Reccaredus Rex hanc deliberatiooem, quam cum ſancta definivimus Synodo, confirmans ſubſcripſi.

2. [g] Maſſona in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus provinciæ Luſitaniæ, his conſtitutiooibus, quibus in urbe Toletana interfui, anouens ſubſcripſi.

3. Euphemios io Chriſti oomine Eccleſiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanos Epiſcopus provinciæ [*] Carpentaniæ, his conſtitutionibus, quibus in urbe Toletana ioterfui, annuens ſubſcripſi.

4. [h] Leander in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis Metropolitanus provinciæ Bæticæ, his conſtitutionibus, quibus in urbe Toletana interfui, annuens ſubſcripſi.

5. Mi-

[s] Converſis. C. A.
[t] Clericos. duo Ms.
[u] Ordinatio. Exc.
[x] Pertineant. unus Ms.
[y] Quoque, quæ C. A.
[z] Cauſſam publicam. C. A.
[a] De peculio ſuo. Exc.
[b] Cauſſa. Exc.
[c] A noſtris actoribus in ang. Exc.
[d] Balimathiæ. alids Vallematiæ in uno Ms.
[e] Si quis clericus ergo. Exc. & C. A.
[f] Obſervator eſſe noluerit. ſuperba fronte majorum ſtatutis repugnans; ſi Epiſcopus. Exc.
[g] Mauſona. Exc.
[*] Carpetaniæ, pro Carthaginenſi uocogis Rex Gundemarus in Epiſtola miſſa Epiſc. provinciæ Carthag. Eſt Carpetania pars prov. Carth. non ipſa provincia.
[h] Hujus ſubſcriptio deeſt in Exc.

5. [i] Migetius in Chriſti nomine Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus Galliæ provinciæ, his conſtitutionibus, quibus in urbe Toletana Interfui, annuens ſubſcripſi.

6. Pantardns in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopns Galliciæ provinciæ, his conſtitutionibus, quibus in urbe Toletana interfui, annuens, tam pro me, quàm pro fratre meo [k] Nigiſio Epiſcopo de civitate Luci, ſubſcripſi.

7. Ugnus in Chriſti nomine Barcinonenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus, quibus interfui, annuens ſubſcripſi.

8. Manrila in Chriſti nomine Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus, his conſtitntionibus, quibus interfui, annuens ſubſcripſi.

9. [l] Andonius in Chriſti nomine Eccleſiæ Oretanæ Epiſcopus, his conſtitutionibus, quibus interfui, annuens ſubſcripſi.

10. [m] Sedatus in Chriſti nomine Beterrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
11. Palmatius in Chriſti nomine Eccleſiæ Pacenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
12. Joannes in Chriſti nomine Menteſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
13. Mutto Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
14. Petrus Oſſonobenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
15. Stephanus [n] Tyraſſonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
16. [o] Gabinus Oſcenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
17. Neufila Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
18. Paullus Olyſſipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
19. Sophronius [p] Egarenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
20. Joannes Dumienſis monaſterii Epiſcopus, ſubſcripſi.
21. [q] Benenatus Egabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi,
22. [r] Joannes Elnenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
23. Polybius Ilerdenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
24. Proculus Segobrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
25. Ermaricus [s] Laniobrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
26. Simplicius Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
27. Conſtantius Portucalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
28. Simplicius Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopns, ſubſcripſi.
29. Aſterius [t] Aucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
30. [*] Agapius Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopns, ſubſcripſi.
31. Stephanus Eliberitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
32. Petrus [u] Arcavicenſis Celtiberiæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
33. [x] Wiligiſclus Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
34. Joannes [y] Valenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
35. Sunila Veſenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
36. Philippus Lamecenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
37. Aquilinus [z] Auſonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
38. Dominicus Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
39. Sergius [a] Carcaſſonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
40. Baſilius [b] Ilipenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
41. Leuterius Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
42. [c] Eulalins Italicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
43. Julianns Dertoſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
44. [*] Froiſclns item ibi Epiſcopus, ſubſcripſi.
45. Theudorus Baſtitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
46. Petrus Illiberitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
47. Becillo Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
48. Petrus Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopns, ſubſcripſi.
49. Gardingus Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
50. Higridius [d] Agathenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſnbſcripſi.
51. Argiovittus Portucalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
52. Lilliolus Accitanæ [e] Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
53. Celſinus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
54. [f] Theudericus Caſtulonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
55. Belatus Tuccitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
56. Portogenes [g] Sagontinæ Eccleſiæ Epiſcopns, ſubſcripſi.
57. [h] Muminius Calahorritanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
58. Alicius Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
59. Poſſidonius [i] Eminienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
60. Thalaſſius Aſtoricenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
61. Agrippinus civitatis [k] Lutubenſis, provinciæ Galliæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
62. Liliolus Pampilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

i Micetius. C. A.
k *In Mss.* Nitigiſio, & Nictipiſio *Nitigeſius, qui in II. Bracar. ſubſcripſit, ut & Metropolitanus Luci.*
l Addonus. C. *Ms.*
m Seductus. Cod. *Ms.*
n Carcaſſonenſis. Cod. *Ms.*
o C. A. Gabinius, *aliâs* Oſſonenſis.
p *Al.* Agarenſis.
q Joannes *in Cod. Ms. al.* Agragen. *al.* Agabienſis.
r Benenatus. Cod. *Ms.*
s Lanibrenſis. C. *Ms.* Laniobrenſis. *al.* Liborenſis, *vel* Lactorenſis. *Exc.*
t Auxenſis. *Exc.*
* Agapius, *ut dicitur in II. Conc. Hiſpal. c. 7. fuit ignarus vir Eccl. diſciplinæ, & ſtatim a ſeculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatus.*
u *Unus Ms.* Ircadicenſis. C. A. Arcadicadicenſis.
x C. A. Ubiligiſclus.
y Valenſe, *vel* Valienſe.
z Auſenſis. C. A.
a *In al. Ms.* Arcoſſon.
b Iliplenſis *in Ms.*
c Eolalius *in Ms.*
* *Froiſclus item ibi habent Codd. Mss. intelligit Dertoſanæ, ſicut Julianus, quamvis in Conc. Bracarenſi infra ſubſcribit Froiſclus Menteſanæ.*
d *In alio Ms.* Gigridius.
e *Al. Ms.* Accitanæ.
f Theudorus. C. A.
g *Unus Ms.* Seguntinenſis.
h Mumius. C. A.
i C. A. Eminenſis. & *in alio* Heminenſis.
k *In al. Ms.* Lutvenſib. *al.* Lutubenſib.

63. Ja-

63. Jaquintus Caurienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
64. Galanus Archipresbyter Empuritanæ Eccleſiæ, agens vicem domini mei Fructuoſi Epiſcopi, ſubſcripſi.
65. Servandus diaconus Eccleſiæ Aſtigitanæ, agens vicem domini mei Pegaſii Epiſcopi, ſubſcripſi.
66. Hildemirus Archipresbyter Aurienſis Eccleſiæ, agens vicem domini mei Lupati Epiſcopi, ſubſcripſi.
67. * Geneſius Archidiaconus Eccleſiæ l Magalonenſis, agens vicem domini mei Boëtii Epiſcopi, ſubſcripſi.
68. Valerianus Archidiaconus Eccleſiæ Nemaſcenſis, agens vicem domini mei Pelagii Epiſcopi, ſubſcripſi.

* *Geneſius hic poſtea ejuſdem Eccl. Epiſcopus, ut patet ex Conc. Tolet. ſub Reccaredo ann. XII. coacto.*
l Molabonenſis. *Ms. unus.*

HOMILIA

S. LEANDRI EPISCOPI,

Hujus Homiliæ meminit Roderic. Tol. lib. 12. c. 15. Hiſt.

In laudem Eccleſiæ ob converſionem gentis, poſt Concilium & confirmationem Canonum edita.

56. FESTIVITATEM hanc omnium eſſe ſolenniorem feſtivitatum, novitas ipſa ſignificat. Quoniam ſicut nova eſt converſio tantarum plebium cauſſa, & nobiliora ſunt ſolito Eccleſiæ gaudia. Nam multas ſolennitates per anni diſcurſum celebrat Eccleſia, in quibus tametſi habet gaudia conſueta; nova verò, ſicut in hac, non habet: aliter enim gaudet de rebus ſemper poſſeſſis, aliter de lucris magnis his nuper inventis. Pro qua re, & nos majoribus gaudiis elevamur, quia repentè novos Eccleſiarum parturiſſe populos intuemur: & quorum aſperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudii noſtri tribulationis præteritæ occaſio fuit. Gemebamus dum gravaremur, dum exprobraremur; ſed gemitus illi id egerunt, ut hi, qui per infidelitatem nobis erant ſarcina, fierent noſtra per ſuam converſionem corona.

57. Hoc enim gratulativè profert in Pſalmis Eccleſia, dicens: *In dilatione dilataſti me.* Et Sarra dum ſæpè à Regibus concupiſcitur, nec maculam pudicitiæ ſentit, & Abraham cauſſâ pulchritudinis ſuæ divitem facit: ab ipſis enim m Regibus Abraham ditatur, à quibus Sarra concupiſcitur. Condignè ergo Eccleſia Catholica gentes, quas ſimul ſenſerit Fidei ſuæ decore, ad ſui eas ſponſi (hoc eſt) Chriſti, lucra tranſducit, & per ea regna ſuum virum divitem reddit, per quæ ſe inquietari perſenſerit. Sic enim dum ex initio laceſſitur, vel individentium dentibus mordetur, dum premitur, eruditur: & dum inſectatur, dilatatur. Quoniam patientiâ ſuâ æmulatores ſuos, aut ſuperat, aut lucratur.

Pſal. 4.
Gen. 20.
m *Ab Abimelech Rege Gerara, & à Pharaone Rege Ægypti c. 12. Geneſ. à quo ditatus ſupra modum ſuit Abraham.*

58. Dicit enim ad eam divinus ſermo: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu autem ſupergreſſa es univerſas.* Si non mirum, quòd hæreſes filiæ dicuntur, ſed attendendum, quòd loco ſpinarum ponuntur: filiæ ſunt, eo quòd ex ſemine Chriſtiano generantur; ſpinæ ſunt, eò quòd foris à Dei paradiſo, hoc eſt, extra Catholicam Eccleſiam nutriuntur. & hoc non lecturâ ſenſûs noſtri, ſed Scripturæ divinæ auctoritate probatur, dicente Salomone: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ergo ne magnum vobis videretur, quòd hæreſes dixerit filias, continuò eas numerat eſſe ſpinas; hæreſes, inquam, aut in aliquem angulum mundi, aut in unam gentem inveniuntur verſari. Eccleſia verò Catholica, ſicut per totum mundum tenditur, ita & omnium gentium ſocietate conſtituitur. Rectè ergo hæreſes in cavernis, quibus latent, congregant ex parte divitias. Eccleſia autem Catholica in ſpecula totius mundi locupletata ſupergreditur univerſas.

Prov. 31.
Cant. 2.

59. Exulta ergo & lætare Eccleſia Dei, gaude & conſurge unum corpus Chriſti, induere fortitudine, & jubila exultatione: quoniam tui mœrores in gaudium ſunt mutati, triſtitiæ habitum in amictum lætitiæ verſum eſt. Ecce repentè oblita ſterilitatis & paupertatis tuæ, uno partu populos innumeros genuiſti Chriſto tuo. Nam diſpendiis tuis proficis, tuoque damno ſubcreſcis: tantus denique eſt ſponſus tuus, cujus imperio regeris, ut dum te patiatur deprædari ad modicum, rurſum prædam tuam ad te reducat, & hoſtes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, ſic piſcator, dum lucra attendit futura, quæ ſeminat, & quæ amodò inceſſerit, non imputat damna. Tu proinde jam ne fleas, ne lugeas temporaliter quoſdam receſſiſſe à te, quos cernis cum magnis lucris rediiſſe ad te.

60. Exulta ergo Fidei confidentiâ, & tui capitis merito, Fides eſto robuſta; dum quæ recolis olim repromiſſa, nunc cernis fuiſſe completa. Ait enim in Euangelio ipſa veritas: *Oportebat Chriſtum mori pro gente.* Et non tantùm pro gente, ſed *ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Tu profectò in Pſalmis proclamas, odientibus pacem dicens: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in unum.* Et rurſum: *In conveniendo populos in unum, & regna ut ſerviant Domino.* Quàm dulcis ſit charitas, quàm delectabilis unitas, non neſciens, per Prophetica vaticinia, per Euangelica oracula, per Apoſtolica documenta, nonniſi connexionem gentium prædicas, nonniſi unitatem populorum ſuſpiras, nonniſi pacis & charitatis bona diſſeminas.

Joann. 11.
Pſalm. 33.
Pſalm. 101.

61. Læ-

61. Lætare ergo in Domino, eo quòd non ſis fraudata deſiderio tuo: nam quos tanto tempore, gemitu teſte, & oratione continuâ concepiſti, nunc poſt glaciem, poſt hyemem, poſt duritiam frigoris, poſt auſteritatem nivis; velut jucunditatem agrorum, frugem, & lætos * verni flores, vel adridentes vinearum ſtipitibus palmites, repentè in gaudio peperiſti.

* F. Veris, aut temporis verni.
Joann. 10.
Matth. 28.
Marc. 16.
Luc. 24.
n *Al.* ad me. Exc.
Matth. 24.

62. Ergo fratres totâ charitate animi exultemus in Domino, & jubilemus Deo ſalutari noſtro. Hoc de cætero per ea quæ jam ſublata ſunt, ea quæ adhuc exſpectantur, implenda, vera eſſe credamus. Quæ enim præfata ſunt, Domino dicente: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet* n *me adducere, ut ſit unus grex, & unus paſtor.* Ecce contuemur fuiſſe completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum poſſe in Chriſto credere, atque ad unam Eccleſiam convenire. Quoniam rurſus ipſo teſtificante didicimus in Euangelio: *Et prædicabitur* (inquit) *hoc Euangelium regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc* (inquit) *veniet conſummatio.*

Gen. 11. *In ſtructione turris, & cientaris confunditur lingua gentium.*
o Ft. Exc.
Pſal. 2.
Geneſ. 2.

63. Si ergo remanſit pars aliqua mundi, vel gens barbara, quam Fides non irradiaverit Chriſti; profectò credituram, atque in unam Eccleſiam eſſe venturam, nullo modo dubitemus, ſi ea quæ Dominus dixit, vera eſſe putamus. Ergo fratres repoſita eſt loco malignitatis bonitas, & errori occurrit veritas: ut quia ſuperbia linguarum diverſitate ab unione gentes ſeparaverat, eas rurſus gremio germanitatis colligeret charitas: & quemadmodum unus poſſeſſor eſt totius mundi Dominus, ita o ut poſſeſſionis ejus eſſet unum cor, & animus unus, *Pete a me* (ait) *& dabo tibi gentem hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Propterea ex uno homine propagatum eſt omne hominum genus, ut qui ex uno illo procederent, unum ſaperent; unitatem quærerent, & diligerent.

* F. Ad unitatem.

64. Ordo ergo naturalis expoſcit, ut qui ex uno homine trahunt originem, mutuam teneant charitatem; nec diſſentiant à Fidei veritate, qui non disjunguntur naturali propagine. Hęreſes verò & diviſiones è fonte manant vitiorum; unde quiſquis ad * lenitatem venit, ex vitio ad naturam redit; quia ſicut naturæ eſt fieri ex pluribus unitatem, ſic eſt vitii, fraternitatis declinare dulcedinem. Erigamur ergo tota mente in gaudio; ut quia gentes ſtudio decertandi perierant, ſibimet in amicitiam Chriſtus unam Eccleſiam procuret, in qua eas rurſus reduceret concordia charitatis.

Eſa. 2.
Eſa. 60.

65. De hac profectò Eccleſia vaticinatur Propheta, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Et iterum: *Erit* (inquit) *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob.* Mons enim Chriſtus eſt, & domus Dei Jacob una Eccleſia eſt ejus, ad quam & gentium concurſum, & populorum pronunciat confluere conventum. De qua rurſum in alio loco dicit Propheta: *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt* (ait) *gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leva in circuitum oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi; & ædificabunt* (inquit) *filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.*

Eſa. 55.
Gen. 2.
Ad Ephеſ. 5.
Cant. 6. *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ electa genitricis ſuæ.*

66. Qui ut noteſceret quæ ventura eſſent genti, vel populo quæ ab unius Eccleſiæ communione recidiſſent, ſequutus eſt: *Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Alio denique loco ſimiliter ait: *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis; & gentes quæ non cognoverunt te, ad te current.* Unus enim eſt Chriſtus Dominus, cujus eſt una per totum mundum Eccleſia, ſancta poſſeſſio: ille igitur caput, & iſta corpus, de quibus in principio Geneſis dicitur: *Erunt duo in carne una;* quod Apoſtolus in Chriſto intelligit, & in Eccleſia: Dum ergo ex omnibus gentibus unam vult Chriſtus habere Eccleſiam, quicumque extraneus eſt ab ea, licèt Chriſti nomine nuncupetur, Chriſti tamen corporis compage non continetur. Hęreſis enim, quæ reſpuit Catholicæ Eccleſiæ unitatem; eo quòd adulterino amore diligat Chriſtum, non uxoris, ſed concubinæ obtinet locum. Quoniam reverâ duos dicit Scriptura eſſe in carne una; videlicet Chriſtum & Eccleſiam: quo locum meretrix nullum invenit tertium. *Una eſt enim* (ait Chriſtus) *amica mea, una eſt ſponſa mea, una eſt genitricis ſuæ filia.* De quo item eadem Eccleſia pronunciat, dicens: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.*

Eſa. 49.
Eſa. 28.
Roma.
1. *Pet.* 2.
Luc. 2.
p *Et aliás.*
q Tolletur. *aliás.*
r Salvabitur. *Exc.*

67. Quærant nunc hęreſes à quo conſtuprentur, vel cujus ſint proſtibulum facti: à quo quantò pretioſam eſſe novimus copulam charitatis, tantò Deum hac celebritate laudemus; quòd gentes, pro quibus ſanguis fuſus eſt unigeniti ſui, non paſſus eſt extra unum ovile, diaboli dentibus devorari. Lugeat igitur veternoſus prædo ſuam prędam amiſiſſe, quia impletum videmus quod Propheta vaticinante audivimus. *Equidem* (inquit) p *hæc captivitas à forti* q *tollitur, & quod ablatum fuerat, à robuſto* r *ſalvatur.* Parietem enim diſcordiæ, quem fabricaverat diabolus, pax Chriſti deſtruxit; & domus, quæ diviſione in mutuam certabat cædem, uno jam Chriſto lapide angulari conjungitur. Dicamus ergo omnes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nullum enim premium charitati compenſatur. Inde omni gaudio præponitur, quia & charitas facta eſt, quę omnium virtutum obtinet principatum. Supereſt autem, ut unanimiter unum omnes regnum effecti, tam pro ſtabilitate regni terreni, quàm felicitate regni cœleſtis, Deum precibus adeamus; ut regnum, & gens, quæ Chriſtum glorificavit in terris, glorificetur ab illo, non ſolùm in terris, ſed etiam in cœlis. Amen.

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM IN CONCILIUM TOLETANUM III.

De ſubſcriptionibus.

68. HUIC Synodo celeberrimæ ſubſcribit imprimis Flavius Reccaredus Rex Hiſpaniæ ſimul & Galliæ Gotthicæ, ſive Narbonenſis, qui coram adſuit. Deinde ſubſcriptiones ſuas addunt, non ſeptuaginta octo Epiſcopi (ut quidam ajunt) ſed ſexaginta duo. Qui autem ſequuntur, non ſunt Epiſcopi, ſed inferioris gradûs, nomine Epiſcoporum abſentium. Porrò Abbates non inveniuntur ſubſcripti, quamvis tunc multi eſſent in Hiſpania, & præſertim celebris ille ſcriptor ejuſdem temporis Joannes Abbas Biclarēſis, ſeu Valclarenſis. Inter Epiſcopos autem Sedatus Biterrenſis eſt ille ipſe, qui eodem an. DLXXXIX. ſubſcripſit Concilio Narbonenſi; & cujus Homilia de Epiphania habetur nuperrimè edita in Biblioth. maxima PP. Aniſſoniana Tomo XI. pag. 1093. Vide etiam *Galliam Chriſtianam* Tomo II. in Epiſcopis Biterrenſibus, & præterea Labbè in *Bibliotheca Chronologica*. CARD. DE AGUIRRE.

69. Subſcribunt in hoc Concilio Nationali Epiſcopi ſeptuaginta octo; nimirum, Maſſona Eccleſiæ Emeritenſis, qui ſucceſſit Liberio in Eliberitano: Euphemius Toletanæ, qui Montano in II. Toletano: Leander Hiſpalenſis, qui Sabino in Eliberitano: Migetius Narbonenſis: Pantardus Bracarenſis, qui Martino in Bracar. II. Ugnus Barcinonenſis, qui Paterno in Ilerdenſi: Maurila Valentinæ: Andonius Oretanæ: Sedatus Beterrenſis in provincia Narbonenſi: Palmatius Pacenſis: Joannes Menteſanæ, qui Pardo in Concilio Eliberitano: Mutto Setabitanæ: Petrus Oſſonobenſis (in aliquibus Mss. dicitur Exonobenſis, & Exonoba, quæ ad provinciam Luſitaniam pertinet) qui ſucceſſit Vincentio in Eliberitano: Stephanus Tyraſſonenſis: Gabinius Oſcenſis: Neufila Tudenſis, qui Avilæ in II. Bracar. Paullus Olyſſipponenſis: Sophronius Egarenſis, qui Nebridio in I. Tarraconenſi: Joannes Dumienſis, qui ſucceſſit S. Martino: Benenatus Egabrienſis: Joannes Elnenſis (Elna in provincia Narbonenſi). Polybius Ilerdenſis, qui Februario in Concilio Ilerdenſi: Proculus Segobrienſis: Ermericus Lutobienſis: Simplicius Cæſarauguſtanæ, qui Joanni in Conc. Barcinonenſi: Conſtantius Portucalenſis: Simplicius Urgellitanæ: Aſterius Aucenſis, ab Auca: Agapius Cordubenſis, qui Oſio in Eliberitano. Stephanus Eliberitanæ, qui Flavio in Eliberitano: Petrus Arcavicenſis Celtiberiæ: Wiligiſclus Valentinæ: Joannes Valerienſis: Sunila Veſenſis, & Viſenſis, qui Remiſol in Bracar. II. Philippus Lamecenſis, qui ſucceſſit Sardinario in II. Bracar. Aquilinus Auſonenſis, ab Auſona, qui Camidio in Tarraconenſi: Dominicus Irienſis: Sergius Carcaſſonenſis: Baſilius Eliplenſis: Leuterius Salmanticenſis: Eulalius Italicenſis: Julianus Dertoſanæ, qui Aſcelio: Theudorus Baſtitanæ, à Baſti: Petrus Illiberitanæ, à Cauco-liberi: Becilla Lucenſis, qui Nitigiſio in II. Bracar. Petrus Segobienſis: Gardingus Tudenſis, qui Avilæ in II. Bracar. Higridius Agathenſis: Argovittus Portugalenſis: Liliolus Accitanæ, qui Felici in Eliberitano: Celſinus Valentinæ: Theudericus Caſtulonenſis, qui Secundino in Eliberitano: Valerius Tuccitanæ, qui Camerino in Eliberitano: Protogenes Sagontinæ: Mumnius Calahorritanæ: Alicius Gerundenſis, qui Staphilio in Concilio Barcinonenſi: Poſſidonius Eminienſis: Liliolus Pampilonenſis: Jaquintus Caurienſis: Thalaſſius Aſtoricenſis, qui Polemio in II. Bracaren. Agrippinus Luthonenſis: Fructuoſus Empuritanæ per procuratorem: Pegaſius Aſtigitanæ per procuratorem: Lupatus Aurienſis per procuratorem: Boëtius Magalonenſis per procuratorem: Geneſius archidiaconus, qui poſtea ejuſdem Eccleſiæ fuit Epiſcopus creatus; ut patet ex Concilio Toletano anno Reccaredi duodecimo coacto: Pelagius Nemaſenſis per procuratorem. Eſt in provincia Galliæ Narbonenſis * Nemaſo. * Nemauſus.

70. Interfuerunt huic ſancto Concilio quinque Metropolitæ. Nimirùm Euphemius Toletanus, Leander Hiſpalenſis, Migetius Narbonenſis, Pantardus Bracarenſis, Maſſona Emeritenſis. Metropolita Tarraconenſis non adfuit. Unà cum Toletano fuerunt quindecim Epiſcopi ejuſdem provinciæ ſcilicet Maurila, Petrus: Liliolus Valentinæ, Andonius Oretanæ, Joannes Menteſanæ, Mutto Setabitanæ, Proculus Secobricenſis, Petrus Arcavicenſis, Joannes Valerienſis, Petrus Secobienſis, Liliolus Accitanæ, Theudomirus Caſtulonenſis.

70. Cum Metropolitano Hiſpalenſi fuerunt Bene-natus Egabrenſis, Agapius Cordubenſis, Stephanus Eliberitanus, Baſilius Eliplenſis, Eulalius Italicenſis, Valerius Tuccitanæ, Jaquintus Caurienſis, Pegaſius Aſtigitanæ. Omnes cum Leandro ſanctiſſimo viro, numero novem.

71. Cum Metropolitano Emeritenſi fuerunt Palmatius Pacenſis, Petrus Oſſonobenſis, Paullus Olyſſipponenſis, Leutherius Salmanticenſis. Numero quatuor.

72. Cum Metropolitano Narbonenſi fuerunt Sedatus Biterrenſis, Joannes Elnenſis, Sergius Carcaſſonenſis, Petrus Illiberitanus (eſt Canco-liberis) Igidius Agathenſis, Agripius & Ermericus Lutubenſis, Boëtius Magalonenſis, Pelagius Nemaſenſis. Omnes novem.

73. Cum Metropolitano Bracarenſi fuerunt Neufila & Gardingus Tudenſis, Joannes Dumienſis, Conſtantius & Argovittus Portucalenſis, Sunila Veſenſis, Philippus Lamecenſis, Dominicus Iriēſis,

Theodorus Baſtitanæ, Becila Lucenſis, Thalaſſius Aſtoricenſis, Lupatus Aurienſis. Omnes duodecim,

74. Ex provincia Tarraconenſi non interfuit Metropolitanus, nec ejus procurator; unde ſuſpicor abiiſſe è vita. Sed adfuerunt ſancto Concilio ſexdecim Epiſcopi ejuſdem provinciæ. Ugnus Barcinonenſis, non S. Idalius, ut Beutherſcripſit; Stephanus Tyraſſonenſis, Gratus Oſcenſis, Sophronius Egarenſis, Polybius Ilerdenſis, Simplicius Cæſarauguſtanæ, Simplicius Urgelitanæ, Aſterius Aucenſis, ex Auca; Aquilinus Auſonenſis, Julianus & Froyſclus Dertoſanæ, Mumulus Calagurritanæ, Alicius Gerundenſis, Lliolus Pampilonenſis, Fructuoſus Emporitanæ. S. Fulgentius nondum erat Epiſcopus Aſtigitanus; & ita non interfuit huic tertio Toletano: ſed potiùs Pelagius, ſeu Pegaſius Aſtigitanus per procuratorem, ut ex ſubſcriptionibus conſtat. Erat hoc tempore Epiſcopus Malacitanus Januarius, qui conjuratione peſſimorum hominum ab Epiſcopatu fuit dejectus; ſed Magnus Gregorius, miſſo in Hiſpaniam Joanne defenſore, eum reſtituit, & calumniæ, & impietatis auctores debitâ pœnâ multavit, ut conſtat ex Epiſtola D. Gregorii: quapropter non interfuit huic Concilio. Loaisa.

75. Nullus ex iis quinque Præſulibus, qui priore loco ſubſcribunt, denominat ſe Archiepiſcopum, ſed Metropolitanum dumtaxat. Nimirum titulus is hierarchicus Archiepiſcopi nondum erat tunc in uſu apud Hiſpanos; immo nec fuiſſe videtur primis quatuor aut quinque ſæculis in Eccleſia; ſed dumtaxat titulus Epiſcopi primæ Sedis. Unde ineunte ſæculo quinto in Concil. Carthaginẽſe III. Can. XXVI. dicitur: *Ne quis primæ Sedis Epiſcopum, PRINCIPEM SACERDOTUM, AUT SUMMUM SACERDOTEM, aut aliquid ejuſmodi appellet*. Et longè antè Canone XXXIII. Apoſtolorum legitur: *τὺς Ἐπισκόπυς ἑκάςυ ἔθνυς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν. Epiſcopos uniuſcujuſque gentis oportet nôſſe eum qui in iis eſt primus, & exiſtimare ut caput*. Quin & vocabulum Metropolitani vix unquam de Præſule aliquo primis ſæculis uſurpatum invenias, licèt quoad rem ipſam ſemper fuerit ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Card. de Aguirre.

76. *Maßona.*] Maſſona Epiſcopus Emeritenſis, vir ſanctitate & doctrinâ eximius, acerrimus Catholicæ Fidei propugnator ac defenſor, Arianæque perfidiæ hoſtis, pro Fide Catholica in exſilium actus, ab Epiſcopatu à Leovigildo impio Rege relegatus, proventibuſque privatus, invicto animo religionem à majoribus acceptam, puram corde tenuit, oreque publicè profeſſus eſt. Roderic. Arch. lib. 2. cap. 43. & Paullus diaconus Emeritenſis in ejus Vita. Primus ſubſcribit eo quòd ſit antiquior Metropolitanus: ſic enim in Concil. Bracarenſi I. cap. 6. definitum eſt: *Item placuit, ut conſervato Metropolitani primatu, cæteri Epiſcoporum ſecundùm ſuæ ordinationis tempus, alius alio ſedendi deferat locum*.

77. *Euphemius.*] Si ſeriem Toletanorum Præſulum in capitulo Toletano ſculptam ſequamur, is Euphemius, ſeu Epiphimius, viceſimus quartus erit à B. Eugenio Martyre, primo Archiepiſcopo Toletano, & viceſimus à Patruino, ſub quo fuit primum Concilium celebratum, & à Montano quintus, ſub quo fuit ſecundum. Rodericus lib. 2. cap. 15. incautè ſub Helladio tertiam Synodum fuiſſe actam affirmat.

78. *Leander.*] In excuſis malè omittitur Leandri ſubſcriptio; cùm D. Iſidorus ſit auctor eum huic tertio Concilio interfuiſſe, lib 2. *Chron.* ſic inquiens: *Interfuit tunc dignitate Primas ille Catholicus & orthodoxus Leander, Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrinâ perſpicuus*. Et Roder. lib. 2. cap. 15. Id etiam conſtat ex homilia ab eo habita in fine Concilii. Vitam ejus ſcripſit Iſidorus libello *De viris illuſtribus*. Loaisa.

79. Quidam ajunt, eundem S. Leandrum fuiſſe in hoc Concilio legatum S. Gregorii Papæ. Falluntur verò: quoniam anno DLXXXIX. quo celebratum fuit Concilium hoc, S. Gregorius nondum erat Pontifex, ſed ſolùm anno DXC. *ἀμέσως* ſequenti. Quare ſi legatus fuit Leander, certè non Gregorii, ſed Pelagii II. Card. de Aguirre.

80. Viros doctos non parum torſit, quòd in his ſubſcriptionibus ejuſdem Eccleſiæ duo ſubſcribant Epiſcopi, ut de Tudenſi Eccleſia Neufila Epiſcopus, num. 16. & Gardingus num. 49. de Lucenſi Eccleſia Nitigiſius, pro quo ſubſcribit Pantardus Metropolitanus Bracarẽſis, & Becilla, num. 47. Similiter de aliis Eccleſiis. Dicendum, ut auctores ſunt Iſidorus & Rodericus Toletanus, Leovigildum Regem Arianum Epiſcopos Catholicos à ſedibus dejeciſſe, & Arianos ſubſtituiſſe. Unde factum eſt, ut unius Eccleſiæ duo ſubſcribant Epiſcopi, unus Catholicus, alter ex hæreſi veniens. Præterea cùm ſenectute confectus eſſet Epiſcopus, impotenſque ad Eccleſiæ regimen, & onus ſublevandum, ſervato honore Epiſcopali, alius muneri præficiebatur: quòd fortè in Nitigiſio Lucenſi eſt factum, qui in Concilio Bracar. II. ſubſcribit ut Metropolita, Erâ DCX. Hîc verò de Nitigiſio Lucenſi & Becilla alia poteſt eſſe ratio: nam cùm duo eſſent civitates Luco, altera Gallæciæ, altera Aſturum, Nitigiſius erat Epiſcopus Lucenſis in Gallæcia: unde pro eo ſubſcribit in calce Concilii Pantardus Bracarenſis, cui ſubjacebat: Becilla verò erat Epiſcopus Lucenſis in Aſturibus.

Homilia S. Leandri.] Hujus homiliæ meminit Roderic. Tolet. lib. 21. *Hiſtor.* cap. 15. Loaisa.

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM
IN CONCILIUM TOLETANUM III.

81. CONCILIUM.] Habitum eſt hoc Concilium Erâ DCXXVII. ut habent Codices Mſs. ſub Reccaredo Rege, Gelaſio II. Papa, & Euphemio primæ Sedis Toletanæ Epiſcopo. De Reccaredo Rege piiſſimo Iſidorus in Chronico Gotthorum Erâ DCXXXV. & Rodericus Toletanus lib. 2. *Hiſt. Hiſp.* cap. 15. & Greg. Magn. lib. 1. *Epiſtolar.* Ep. 41. ad Leandrum, in qua de hac Gotthorum converſione agitur. Exterminata eſt hæreſis Ariana in eo, quâ gens Gotthica per CCXIII. annos infecta fuerat. LOAISA.

Quid de tempore hujus Concilii, & de initio Reccaredi Regis ſenſerit Baronius anno Domini DXCI. dicam in Notis Concilii Narbonenſis. BINIUS.

82. Videtur ex incuria typographi aut correctorum irrepſiſſe error manifeſtus in has Notas Clariſſ. viri Loaïſæ, & Binii, pariterque in editionem Labbeanam Tom. V. col. 1021. Nimirum, in iis omnibus habetur, Concilium hoc celebratum fuiſſe tempore Gelaſii II. Papæ: cùm tamen manifeſtum ſit, ſub Pelagio II. immediato Sancti Gregorii Magni deceſſore fuiſſe celebratum: utpote Eccleſiam gubernante anno Chriſti DLXXXIX. quo Synodus hæc habita eſt. Gelaſius verò ſecundus multis ſæculis poſtea vixit, tota prima chiliade annorum Eræ Chriſtianæ tranſacta: utpote electus Pontifex anno MCXVIII. Fuit itaque aut σφάλμα typographi, aut μνήμης ἁμάρτημα in D. Loaïſa, ſcribere Gelaſium pro Pelagio. CARD. DE AGUIRRE.

Item in honorem.] De quatuor Conciliis Gelaſius Papa in decreto de ſcripturis apocryphis, & Gregorius Mag. *Epiſtol.* lib. 1. Epiſt. 24. & lib. 2. Ep. 49. & Iſidorus lib. 6. *Etymol.* cap. 16. & Nicephor. lib. 15. cap. 13.

83. *Credimus in unum Deum.*] Hæc eſt formula Fidei in ſancto Concilio Nicæno edita, in qua formanda Oſius Cordubenſis Epiſcopus totum laborioſæ inquiſitionis pondus ſuſtinuit. Eam tradit Athanaſius in Epiſtola ad Jovinianum Imperatorem de Fide, his verbis: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium creatorem, & in Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, natum ex Patre, & unigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia Patris; Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; genitum, non factum; & conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt, tam in cælis quàm in terra: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die: & aſcendit in cælos, venturus inde ad judicandum vivos & mortuos; & in Spiritum ſanctum.*

84. *Hac eſt regula Nicana Fidei.*] Quod verò ſequitur: *Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat &c.* Anathematiſmi ſunt decreti adverſus impiam Arii ſententiam, ut radicitus Eccleſiæ gladio hæreſis jugulata, tota rueret. Neque mirum, Athanaſium in aliquibus verbis à noſtra verſione diſcrepare: nam Symbolum Nicænum Latinum eſt factum diverſis interpretibus: & ita apud Athanaſium & Baſilium Epiſt. 78. & Synodum Chalcedonenſem idem eſt ſenſus, ſed ſermo diſcrepans. Cùm verò dicit: *& in Spiritum ſanctum*, ſubintelligitur vox prima, *credimus*: ut annotavit Epiphanius hæreſi 74. prope finem, & Athanaſius eâdem Epiſtolâ. Neque ampliùs de Spiritus ſancti natura & functione Patres dixerunt, quia tunc temporis de ea re nulla controverſia mota eſt, ut Baſilius animadvertit Epiſt. 78. & Hieronymus Ep. 65.

85. *Fides ſancta.*] Hæc eſt Symbolum Concilii Conſtantinopolitani, à centum quinquaginta Patribus celebrati adverſus Eunomium, Photinum, & Macedonium, in quo aliqua explicata ſunt, & poſita in Symbolo, quæ in Nicæno non erant, ut eſt illud, quod ad perſonam Spiritus ſancti ſpectat: *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit*, &c. Neque exiſtimo, ut alii, poſtea hæc verba: *ex Patre Filioque*, addita in Synodo Romana, ſed in ipſa prima Symboli formatione fuiſſe poſita, ut conſtat ex D. Hieron. in Symbolo, & ex lib. 9. *Tripart. Hiſt.* cap. 16. & ex Concilio Florentino. LOAISA.

86. Ita opinatur D. Loaïſa. Sed enim longè verius eſt, illam particulam, καὶ τοῦ υἱοῦ, *Filioque*, non fuiſſe appoſitam in ipſa prima Symboli Conſtantinopolitani formatione, neque in Synodo Romana eodem circiter tempore celebrata adverſus Pneumatomachos. Quin nec in ullo prorſus Concilio Generali definita invenitur proceſſio Spiritus ſancti ex Filio, uſque ad Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno MCCXV. Hæc omnia nos ex inſtituto tradidimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi, Diſp. XC. & ſeq. ac nuper in Notis ad Concilium I. Toletanum. CARD. DE AGUIRRE.

87. *Incipite.*] Sic Auguſtinus in enarratione in Pſalmum 146. legit. Græcè eſt ἐξάρξατε: quæ vox utrumque ſignificat: *præcinite*, & *incipite*. Vulgata editio habet: *Præcinite Domino*.

88. *Gloria & honor.*] In confeſſione Epiſcoporum Concilium Toletanum IV. cap. 15. & 23. ſic habet: *Statuimus, ut in fine Pſalmorum, non Gloria Patri; ſed Gloria & honor Patri, dicatur.* De qua re ſcribit D. Hieronymus ad Damaſum, ſi ejus eſt Epiſtola, vel potiùs adulterina. Nicephor. Calliſt. lib. 3. cap. 8. Caſſianus *De inſtitutis cænob.* lib. 2. cap. 9. Hymnum glorificationis, hoc eſt, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ab Apoſtolorum inſtituto fluxiſſe, auctor eſt D. Baſilius lib. *De Spiritu ſancto*, cap. 7. 27. & 29. & eo tempore, quo ab Apoſtolis pro-

mulgatum eſt Euangelium, ab eiſdam accini cœptum, cùm juſſu Domini ſacrum baptiſma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit fidelibus collatum. In Concilio Nicæno adjectum adverſus Arianos: *Sicut erat In principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Id conſtat ex Concilio Vaſenſi Can. III. his verbis: *Et quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qui Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis, poſt Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. dicatur: & jam nos in univerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.*

89. *Cautiſſimum.*] Excuſi: *ſanctiſſimum, & ſalutare, divinum*, Verùm bene Gotthici, ut conſtat ex Euagrio lib. 2. *Hiſt. Eccl.*

90. *Communem quandam columnam.*] Unus excuſus, *paginam*, alii *ſcopum*, vel *columnam*: quæ lectio aliis antiquis translationibus confirmatur, atque ipſis Græci textus verbis; *κοινήν τινα στήλην ὑπάρχουσαν.*

91. *Perfectum eundem.*] Excuſus, *pariter perfectum eundem in Deitate Deum, & hominem verum*, &c. Rectè verò Gotthici noſtri libri, Græcè enim apud Euagrium eſt: *τέλειον τὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, θεὸν ἀληθῶς*, &c.

92. *Et Patrum nobis.*] Excuſi minus, *& nobis tradidit Symbolum.* Græcè eſt; *καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.*

93. *Illam dicimus Eccleſiam.*] Habet duas ſingulares notiones Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, quibus dignoſcitur, & ſecernitur à conventiculis clandeſtinis hæreticorum: prima eſt continua ſucceſſio Pontificum Romanorum à Petro uſque ad Clementem; qui piè & ſanctè hodie magna cum ſui nominis laude regit Petri naviculam, Nam verbum illud Chriſti inane eſſe non poteſt: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua.* Non enim deficiet in perſonis, in quibus regimen Eccleſiæ eſt; neque in doctrina veræ & Indubitabilis Fidei. Id Auguſtinus perpendens dicebat cap. 4. contra Epiſtolam Manichæi: *Multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſimè tenent: tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholici nomen, quod non ſine cauſſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit.*

94. Secunda notio eſt Fides eadem in Conciliis Oecumenicis & Univerſalibus continenter ſtabilita & propagata: & hoc eſt eſſe Catholicam Eccleſiam, ut Vincentius Lirinenſis doctiſſimè annotavit; quia in nomine, *Catholica*, complectuntur univerſitas, antiquitas, & conſenſio. Idem Lactantius lib. 4. cap. 30. & Auguſtinus ſuprà. Et rectè hìc dicitur: *Illam dicimus Eccleſiam, quæ Nicæni, Conſtantinopolitani, & primi Epheſini, & Chalcedonenſis Concilii decreta tenet pariter & honorat.* Nos ſimiliter poſſumus dicere: Illam dicimus Eccleſiam, quæ decreta ſancti Concilii Tridentini univerſalis, OEcumenici, tenet pariter & honorat. Loaisa.

95. Ad Cap. I. *Omne quod priſcorum Canonum auctoritas prohibet.*] Hoc loci factum indicatur, quod moris antea fuerat, ac ſemper fuit in Conciliis Hiſpaniæ, ut initio Synodi legeretur coram omnibus Codex ſacrorum Canonum, Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium: ne quid decerneretur ab iis diſſonum, Unde in Toletano II. Epiſcopi ſubſcribunt eâ formulâ adhibitâ: *ſalvâ auctoritate priſcorum Canonum.* Et in Bracarenſi I. (aliàs II.) celebrato anno Chriſti DLX. Patres congregati dicunt: *Audiant ſanctorum Canonum regulam, & obſervent.* Ac ſtatim: *Relecti ex Codice coram Concilio, tam Generalium Synodorum Canones, quàm Localium.* Similiter in Toletano IV. Præſide S. Iſidoro, cap. 4. *Diaconus albâ indutus.* CODICEM CANONUN IN MEDIO PROFERENS, *capitula de Conciliis agendis pronunciet.* Nimirùm ii ſanctiſſimi Patres antequam quicquam definirent, vel deliberarent, ſive circa Fidem, ſive circa mores, ob oculos habebant definitiones Eccleſiæ, dogmata Conciliorum, Epiſtolas Decretales RR. Pontificum, & ſacros Canones. Certè hoc primum capitulum eſt obſervatu digniſſimum, & plura tangit majoris momenti, quàm ut his brevibus Notis indicari poſſint. Atque ibidem, *ſynodica ſanctorum Præſulum Romanorum Epiſtola*, quæ obſervari præcipiuntur, ſunt illæ ipſæ, quæ in prædicto Codice Canonum continebantur, veluti ſcriptæ à Pontificibus Romanis à tempore S. Clementis uſque ad Pelagium II. cujus Pontificatu hæc Synodus habita eſt; quamvis fortaſſe tunc illæ longè puriores exiſterent, & nondum interpolatæ tot aſſumentis & nævis, ac poſtea, Vide quæ diximus Tomo I. Diſſert. IV. Card. de Aguirre.

96. Ad Can. II. *Symbolum.*] Iſidorus lib. 6. *Etymol.* cap. 18. *Symbolum* (inquit) *per linguam Græcam*, ſignum *vel* cognitio *interpretatur. Diſceſſuri enim Apoſtoli ad Evangelizandum in gentibus, hoc ſibi prædicationis ſignum, vel indicium poſuerunt. Continet enim confeſſionem Trinitatis, unitatis Eccleſiæ, & omne Chriſtiani nominis ſacramentum. Quod Symbolum fidei, & ſpei noſtræ, non ſcribitur in chartis & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Adde hæc ex aliis. Symbolum annulus dictus, eo quòd ſit nota & ſignum, ex Plinio lib. 33. cap. 1. *Quod priſci ungulum* (loquitur de annulo) *vocabant, poſtea & Græci & noſtri Symbolum*, Dicitur etiam *collatio*: à *συμβάλλω*, id eſt *confero*, hoc eſt, quod plures in unum conferunt. Dionyſius Areop. in *Eccleſ. Hierarch.* Auguſtinus *De tempore*, Serm. 2. Dominicæ in ramis palmarum, Caſſianus lib. 6. *De Incarnat.* cap. 3. & Sanctus Clemens Ep. 1. ad Jacobum fratrem Domini. Ruffinus in expoſitione Symboli. Etiam civitatum pacta & conventa, ſymbola dicta, eo quòd in pactis & conventis teſſeris quibuſdam utebantur, quæ loco tabularum & ſyngrapharum erant, & illis jus dicebatur; Hiſpani

vocant

vocant *ſelial*, quod idem eſt ac ſymbolum, ne in contractu partes retrocedant. Rectè igitur Apoſtoli & Chriſtiani homines ſignum, quod Paullus ſignaculum dixit; & quod inter eos collatum & ſtatutum erat, ad Chriſti Domini noſtri Fidem in univerſo Orbe prædicandam, ſymbolum appellârunt.

97. Symbolum verò Nicænum publicè occentu ſacerdotum in ſacris ſolennibus recitatum fuit, ut tradit Theodorus Lect. collectaneorum biblioth. *Timotheus*, inquit, (erat enim Conſtantinopolitanus Epiſcopus) *ab amicis rogatus, Symbolum Fidei trecentorum decem & octo Patrum per ſingulas ſynaxes dici curavit, ad reprehenſionem Macedonii, quaſi ille Symbolum hoc non receperit. Cùm autem ſemel tantum in anno, in Paraſceve ſcilicet Dominicæ Paſſionis, tempore quo Epiſcopus catechizabat, recitatum eſſet*, &c. Hæc Theodorus. Rupertus Tungren. *De Can. obſervantia*, propoſitione ultima, eſt auctor à Marco Pontifice Symbolum alta voce dici juſſum poſt Euangelium, à Damaſo Papa ſolennibus diebus Symbolum Conſtantinopolitanum ad Miſſam ejus inſtitutione decantatam.

98. AD CAN. III. *Monachorum*.] Nomen monachi recens, profeſſio antiqua, & ab initio naſcentis Eccleſiæ inſtituta & ſanctè culta. Adde quod Philo ſcribit de Eſſenis, & Dionyſius Areop. & Aug. in Joann. tract. 97. monaſteria & xenodochia poſtea ſunt appellata novis nominibus: res autem ipſæ ante ſua nomina erant. LOAISA.

99. AD CAN. IV. *Monaſterium monachorum*, &c.] Hoc loci fit mentio monaſteriorum, in quibus jam vigebat regula fixa & peculiaris. Hanc ego certum habeo fuiſſe illam S. Benedicti, quæ jam tum ſatis publicata & propagata erat. AMBROSIUS MORALES lib. 12. cap. 3.

100. AD CAN. V. *Compertum eſt à ſancto Concilio*.] Ex hoc Canone evidenter colligitur, quòd his temporibus neque in Sicilia, neque etiam in Hiſpania, ſubdiaconis continentia adhuc imperata fuerit: cùm hoc loco ſacerdotes tantùm atque diaconi abſque uxoribus caſtè vivere admoneantur. Refert S. Greg. Ep. 42. lib. 1. quam ſcripſit ad Petrum ſubdiaconum Siciliæ, quòd anno DXCI. Indict. 9. in Sicilia conſtitutum fuerit, ut ſubdiaconi cum uxoribus ante ſubdiaconatum ſibi conjunctis permanerent, moreque Romanæ Eccleſiæ continentiam ſervarent, etſi uſus conjugii eis antea conceſſus fuerit. Quod S. Gregorio durum & incompetens videretur, cujus ſententiâ conſtitutum fuit, ne quis deinceps ſubdiaconus ordinaretur, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit. Vide prædictam Epiſtolam Gregorii ad Petrum ſubdiaconum. ALBASPINÆUS.

101. AD CAN. VII. Mirum eſt qualiter in deſuetudinem abierit hæc regula in Conciliis præſcripta, & ſuperioribus ſæculis paſſim uſurpata, *ut in omni convivio ſacerdotali lectio divinarum ſcripturarum miſceatur*. Sic certè de S. Auguſtino inquit Poſſidius in ejus Vita cap. 22. *In ipſa menſa magis lectionem, aut diſputationem, quàm epulationem potationemque diligebat, contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis*. Quæ quidem adhuc durat, cùm ſacra lectio plerumque non ſit in conviviis ſacerdotum, fortè nec Prælatorum, extra communitates ſacras. Nulla ibi lectio, nihil ut plurimum quod religionem aut pietatem antiquam ſpiret. Idipſum ferè contingit in privata ſacerdotum, immo & multorum Prælatorum menſa: quæ nulla lectione, præſertim ſacrâ, conditur. Erubeſcamus negligentiam noſtrorum temporum, & corrigere ſtudeamus. Quid? quòd in conviviis prædictis, nec benedictio ante prandium, nec poſtea gratiarum actio auditur nonnunquam? Probroſum id eſt, vel in ſæcularium ſive laïcorum menſis, quantò magis in convivio, ubi interveniunt ſacerdotes? CARD. DE AGUIRRE.

102. AD CAN. VIII. *Ut clericorum ex familia fiſci*.] Familiam fiſci appellat conventum eorum, qui res Eccleſiæ curabant, & fiſcum Eccleſiæ regebant. Gregor. lib. 1. Regiſt. Ep. 42. vocat ex familia Eccleſiaſtica ſacerdotes, vel familiam fiſci vocat ſervos fiſco addictos. Fiſcus unde originem trahat, ſunt qui dubitent. De eo ſic Iſidorus lib. 20. *Orig.* cap. 9. ait: *Fiſcus ſaccus eſt publicus, unde & fiſcellæ, & fiſcinæ dicuntur: hunc habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum, quod redditur Regibus*. Erat enim, ut ex multis legibus conſtat, fiſcus, ut inquit Iſidorus, vas quoddam ruſticum, capax, contextum, ſparteum, quo recipiebantur pecuniæ, & deferebantur. Varro IV. *De ling. Lat.* ait *fiſcinam* dici à *ferendo*, cui affinis eſt *fiſcus*: & ideo accipitur continens pro contento, ſcilicet fiſcus pro pecunia quæ fiſcis continetur. Quidam exiſtimârunt ærarium dici pecuniam publicam, fiſcum verò Principis peculiarem. Plin. in Panegyr. Trajani ſic ait: *At fortaſſe non eâdem ſeveritate fiſcum, quâ ærarium cohibes; immo tantò majore, quantò tibi plus licere de tuo, quàm de publico credis*.

103. Alii aliunde trahunt originem fiſci, à nomine Græco φίσκος, vel φύσκη, quod idem eſt ex Heſychio, quod uterus, vel inteſtinum craſſum, cujus natura eſt in perfectis animalibus, ut latitudine ſua contineat cibum immiſſum: & ideo continuò non egemus alimenti ſubminiſtratione; cujus ſimilitudinem retinet fiſcus in republica, ut inſtar uteri pecunias recipiat, & paullatim eroget, ad ejus conſervationem & amplificationem.

104. *A Principe donatos*.] Donati ſunt ſervi, & Eccleſiis commendati, & dati ut illis inſerviant. Inde nomen Donatorum adhuc in cœnobiis durat monachorum. LOAISA.

IN CANONEM XI. CONCILII TOLETANI III.

DISSERTATIO SEPTIMA.

Quonam ſenſu peccatoribus poſt pœnitentiam lapſis in hoc Concilio negetur novus acceſſus ad pœnitentiam, ſive reconciliationem.

SANCTUS LEANDER, & alii ſexaginta duo Epiſcopi, ac reliqui intervenientes huic Concilio, ubi deveniunt ad edendum Canonem illius undecimum, invehuntur acriter adverſus morem introductum in quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniarum. Homines enim ritè baptizati quoties peccabant, toties adibant ſacerdotes, ut ab iis reconciliarentur. Hoc autem maximè reprehendunt hi Patres, veluti exſecrabilem præſumptionem. Quod eorum judicium quiſquis conſideraverit attentâ ſolùm praxi noſtrorum temporum, reputabit abſurdum, aut ſaltem paradoxon. Ne autem ita exiſtimet, viſum nobis fuit Diſſertatione hac ipſorum ſenſum examinare.

EXCURSUS PRIMUS.

Exhibetur litera Canonis, & expenditur ingens illius difficultas. Porrò Patres Toletanos videri in eo loquutos de pœnitentia ſolenni, quæ nullatenus iterabatur: non autem de pœnitentia ſecreta & ſacramentali pro minoribus criminibus & occultis, etiam mortiferis. Explicata in eum ſcopum inſignia Patrum loca, & in iis SS. Ambroſii, ac Paciani. Sanè difficultatem prædictam debere ab omnibus Catholicis ſolvi, ſi res attentiùs conſideretur.

105. CAN. XI. *Quòd pœnitentes ſecundùm modum Canonum antiquorum agere pœnitentiam debeant.*] Hoc eſt breviarium, ſeu ſynopſis Canonis XI. difficillimi omnium quotquot in Conciliis Hiſpaniæ leguntur: quoniam in eo Epiſcopi Hiſpaniarum videntur Chriſtianis ſemel lapſis in peccatum mortiferum, & de illo pœnitentibus, ac ritè abſolutis, ſi iterum graviter delinquant, negâſſe locum iteratæ reconciliationi. Hoc autem apparet maximè durum & contrarium perſuaſioni omnium, quâ, ſaltem à multis ſæculis, creditur, pœnitentibus ſemel ac ſæpiùs lapſis & relapſis in peccata mortifera, locum eſſe reconciliationi, & ritè ac fructuosè iis adminiſtrari abſolutionem, quoties cum debita diſpoſitione ac contritione cordis confitentur.

106. Sed reſumamus, & identidem ob oculos ſiſtamus verba graviſſima hujus Canonis. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canonem, ſed fœdiſſimè, pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, UT QUOTIESCUNQUE PECCARE LIBUERIT, TOTIES A PRESBYTERO SE RECONCILIARI EXPOSTULENT: & ideo pro coërcenda TAM EXSECRABILI PRÆSUMPTIONE, id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ: hoc eſt, ut priùs eum, QUEM SUI POENITET FACTI, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impoſitionem crebrò recurrere: expleto autem ſatisfactionis tempore, SICUTI SACERDOTALIS CONTEMPLATIO PROBAVERIT, eum communioni reſtituat. Hi verò, qui ad priora vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, VEL POST RECONCILIATIONEM RELABUNTUR, ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur.*

107. Illuſtriſſimus Loaïſa, & cæteri interpretes Conciliorum, dum legerunt Canonem iſtum, aut non reflexère animum ad ſummam difficultatem ipſius, aut eâ territi noluerunt ſe implicare in illa extricanda. Nos certè in eum ſcopum ſcribere aggreſſi accuratam tractationem, *De diſciplina veteri Eccleſiæ, præſertim Hiſpanæ, circa pœnitentes in crimina lapſos*, nondum potuimus extremam ipſi manum imponere. Poſt plurimum enim ſtudii in ea collocatum, adhuc nobis aqua hæret. Itaque rem ipſam, & uberiorem horum Canonum explanationem, in alium locum amandamus.

108. Interea verò ne ſuſpenſus lectoris animus ſit erga ſenſum Canonis iſtius, videtur commodè exponi poſſe de pœnitentia canonica, ſive ſolenni, quæ juxta Concilia & decreta Romanorum Pontificum, omnibus nota, præſertim Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem, non poterat iterari. Verùm graſſante diù in Hiſpania Arianiſmo, & marcente diſciplinâ Eccleſiaſticâ ſub Regibus Gotthis, ea lue infectis, Epiſcopi ac

presby-

presbyteri indulgentiùs ſe habebant erga lapſos in capitalia crimina poſt baptiſmum, ſæpiùs illos recipientes, etiam poſt relapſum, ad pœnitentiam ſolennem, eamque longè mitiorem & remiſſiorem, quàm quæ ſacris Canonibus præſcripta fuerat. Itaque quoties vel in decurſu pœnitentiæ canonicæ, vel poſt illam impletam, labebantur peccatores in nova crimina, toties adibant Epiſcopos aut presbyteros ad reconciliationem accipiendam, contra tot decreta Eccleſiæ de hujuſmodi pœnitentia non iteranda.

109. Hoc autem PP. Toletani in præſenti appellant fœdiſſimum pœnitendi genus, & *exſecrabilem præſumptionem*: utpote ſacris Canonibus, & toti antiquitati Chriſtianæ contrariam. Nec mirum ita loquantur: nam S. Ambroſius duobus antea ſæculis idipſum ferè dixerat libro 2. *De pœnitentia*, cap. 10. hiſce verbis: *Reperiuntur qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto: nam ſi verè in Chriſto pœnitentiam agerent, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum eſt baptiſma, ita & unica eſt pœnitentia.*

110. Vidit hoc teſtimonium Ambroſii S. Thomas, & oppoſuit ſibi III. parte quæſt. 84. art. 10. ubi inquirit: *Utrum ſacramentum Pœnitentiæ debeat iterari?* Partem affirmantem tuetur: ac deinde in ſolutione ad argumentum II. reſpondet, *Ambroſium loqui de pœnitentia ſolenni, quæ in Eccleſia non iteratur.* Et patet ex verbis adjunctis. Statim enim ac dixerat: *ſicut unum baptiſma, ita una eſt pœnitentia*; adjecit: *QUÆ TAMEN PUBLICE AGITUR. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Similiter ergo verba hujus Canonis, quibus Toletani Patres negant iterandam eſſe pœnitentiam lapſorum apud Epiſcopos vel presbyteros, eamque exſecrantur, intelligi debent de pœnitentia canonica, ſive ſolenni.

111. At dicet quiſpiam, hac interpretatione ſtatuta, Patres Toletanos fruſtrà laboraſſe in præſenti, nullumque remedium attuliſſe, ne pœnitentes ad vomitum redirent, ſive in eadem aut alia crimina relaberentur. Si enim ſolùm prohibent iteratam pœnitentiam ſolennem, non verò ſecretam & ſacramentalem in foro conſcientiæ; pœnitentes abducti nimia ſpe, aut præſumptione veniæ, facilè laberentur in nova crimina, & eorum remiſſionem ſæpiùs ac ſæpiùs acciperent ſecretò, uti modò contingit. Ne igitur fruſtraneus fuerit zelus Sancti Leandri, & aliorum Patrum in hoc Canone, videtur interpretandus ille non ſolùm de pœnitentia canonica ſive ſolenni, ſed etiam de quacumque alia ſacramentali & ſecreta.

112. Et hoc ipſum dices indicari ſatis eodem loco, ubi præſcribitur, *ut ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ.* Atqui, juxta antiquos Canones, pœnitentes relapſi in nova ſcelera poſt pœnitentiam ſolennem, nunquam admittebantur ad reconciliationem, etiam ſacramentalem & ſecretam, neque ad communionem, niſi ſummùm in articulo mortis poſiti: ut patet ex Canonibus plurimis Conciliorum, præſertim Eliberitani in Hiſpania, Arelatenſis I. in Gallia, & ex Epiſtolis S. Cypriani, ac Cleri Romani de lapſis, & Innocentii I. Papæ in celebri Epiſtola ad Exuperium Toloſanum, aliiſque innumeris teſtimoniis veterum apud Joannem Morinum, Dionyſium Petavium, Ludovicum Thomaſinum, Joannem Cabaſſutium, &c. Non ergo tantùm intelligendus eſt Canon præſens de pœnitentia ſolenni; ſed etiam de ſecreta ac ſacramentali, ita ut nunquam liceret illam repetere poſt relapſum in nova ſcelera, niſi ſummum in fine vitæ, juxta formam priſcorum Canonum.

113. Agnoſco difficultatem argumenti: ſed eam tamen, quam omnes Catholici ſolvere teneantur. Quicumque enim catholicè profitentur inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, & poteſtatem ſacerdotibus à Chriſto collatam ad abſolvendum lapſos poſt baptiſmum, & aliunde ſciunt pœnitentiam ſolennem juxta ſacros Canones nunquam iterari potuiſſe, æquè ferè urgeri poſſunt objectione præjacta. Si enim nunquam licuit recurrere iteratò ad pœnitentiam ſolennem; quid faciebant aut facere poterant antiquis ſæculis ii omnes, qui durante pœnitentia ſolenni, aut poſt illam impletam, in nova ſcelera labebantur? Si enim dicatur, confugiſſe illos ad pœnitentiam ſecretam & ſacramentalem, quâ abſolverentur ſæpiùs ac ſæpiùs; urgeri poterit eadem difficultas objecta Patribus Toletanis, juxta interpretationem noſtram. Non enim eo modo vitarentur crimina, ſed potiùs augerentur ſub ſpe veniæ longè facilioris per frequentem ac ſecretum uſum ſacramenti Pœnitentiæ.

114. Omnes itaque Catholici huic argumento ſolvendo operam impendere debemus: in quo certè non parum laboris & ſtudii circa veterem diſciplinam Eccleſiæ collocare oportebit. Nunc autem ſufficiat pro omnibus dicere, quovis ſæculo Æræ Chriſtianæ, à principio uſque modò, hominibus poſt baptiſmum lapſis in quælibet ſcelera, & relapſis, durante vita mortali fuiſſe atque eſſe locum ſalutis & veniæ adquirendæ ex miſericordia Dei, per merita Chriſti, & auxilia ejus intuitu omnibus adultis, præſertim Chriſtianis, præparata, oblata, & collata ſuis locis ac temporibus, juxta propoſitum inſcrutabile Dei, ut reſipiſcant à vita ſua mala, pœniteant, & convertantur ad Dominum, ac remiſſionem accipiant virtute clavium Eccleſiæ, aut in re per abſolutionem ſacramentalem, aut in voto clauſo in ipſa contritione totius cordis. Quam doctrinam cùm latè tradiderimus ex ſacris literis, Conciliis, & Patribus, Tomo III. Theologiæ S. Anſelmi, præſertim Diſp. CXXVII. & CXXVIII. non eſt quòd hìc repetamus.

115. Id autem omittendum non eſt hoc loci, magnum diſcrimen fuiſſe apud antiquos, præſertim aut ſaltem in Hiſpania, circa abſolutionem, ſive reconciliationem pœnitentium, juxta varia peccatorum genera. Non enim omnia illa quæ gravia ſunt, & gratiam ſive charitatem Dei ab animo expellunt, æquè difficulter remittebantur. Ut enim obſervat graviſſimus & eloquentiſſimus ſcriptor S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, in Parænesi ad pœnitentiam, tria præcipuè ſcelera erant, propter quæ ſolennis ſive canonica pœni-

tentia

tentia imponebatur, comprehenſa verbis illis Actorum 15. *Neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, à quibus obſervantes, bene agetis. Valete.* In quæ verba ita loquitur Pacianus ibi paullò poſt initium Paræneſeos, ſuperioribus exſcriptæ: *Hæc eſt Novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus in multis Spiritus ſanctus, hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: hæc verò tria crimina, ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt: non enim vitiare animam, ſed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convicium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, aſperitas lenitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas, & quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit, aut conſervare ſanguinem ſuum qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum qui illud fornicando violavit? Iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia.*

116. Ubi (ut jam monui ſuprà pag. 104. à num. 158. in Notis ad eum locum) non negat S. Pacianus, aliis peccatis gravibus, præter tria illa præcipua, incurrere homines damnationem æternam. Non negat pœnitentiam veram & totius cordis eſſe neceſſariam ad illa expianda. Non denique inficiatur, lapſis poſt baptiſmum in illa neceſſariam eſſe confeſſionem & remiſſionem virtute clavium, quas Chriſtus Petro & ſucceſſoribus dedit. Nihil ejuſmodi eo loco negat Pacianus; ſed potiùs id ſupponere aut ſubintelligere cenſendus eſt ex ſenſu Catholicorum omnium, quibus ab initio ſemper infixum fuit, unumquemque lapſum poſt baptiſmum in quodlibet peccatum mortiferum, etiam ſolius cogitationis vel cordis, in quacumque materia, debere illud confiteri coram ſacerdote: licèt priſcis illis ſæculis, quibus innocentia poſt baptiſmum erat frequentiſſima, aut penè communis, longè rarior eſſet neceſſitas & uſus confeſſionis ſacramentalis, quàm ſæculis ſequentibus, quibus fuit & eſt innocentia rarior, & crebrior ſive communior facilitas peccandi, & violandi amicitiam divinam.

117. Solùm itaque eo loco Pacianus invehitur adverſus tria illa præcipua crimina, comprehenſa generatim ſub idololatria, ſanguine, & fornicatione: quibus nominibus ſignificatur quodlibet ſcelus commiſſum adverſus Fidem, vitam aut ſanguinem hominis, & caſtitatem: dicunturque communiter, apoſtaſia ſive infidelitas, homicidium, & incontinentia. *Hæc verò tria crimina* (inquit) *ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt.* Propter ea ſcelera præſertim imponebantur auſteriores illæ & diuturniores vindictæ, ſive pœnitentiæ ſolennes, quas qui ſubibant, antonomaſticè *pænitentes* dicebantur. Quo ſenſu intelligendus eſt Canon II. Concilii I. Toletani, ubi illum vult *pænitentem* dici, *qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pænitentiam gerens, ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari.*

EXCURSUS SECUNDUS.

Lapſos in crimina, etiam mortifera, minoris notæ, immo & relapſos, ſemper ſolitos fuiſſe, ac debuiſſe, confiteri ſacramentaliter & ſecretò, licèt multi præterea ex devotione & humilitate id publicè facerent. Illuſtris locus Origenis circa id. Patres Toletanos hoc loco non videri damnâſſe iteratam pænitentiam ſive reconciliationem ſecretam, ſed ſolennem. An qui poſt iſtam relabebatur in aliquod crimen ex gravioribus, maneret incapax remedii? Egregius locus S. Auguſtini id negantis, variis conſiderationibus illuſtratus.

118. QUARE dicendum videtur, tam ævo ipſius Paciani, nimirum inclinante ſæculo IV. quàm antea, & poſtea tempore hujus Concilii, baptizatos, in peccata gravia minoris notæ lapſos, aut etiam relapſos, potuiſſe ac debuiſſe ſacramentaliter confiteri & ſecretò, niſi ex majori fervore aut inſpiratione divina vellent præterea publicè confiteri, & pœnitentiam canonicam ac ſolennem agere, ut frequentiſſimè contingebat, & ex ſcriptoribus eorum temporum colligitur. Itaque quando aliquis poſt reconciliationem acceptam, vel etiam ante illam, committebat crimen aliquod occultum, ſed longè minoris notæ quàm illa tria: v.g. judicabat temerè de proximo, violabat interiùs charitatē ſemel aut iterum, ſive tandem id peccatum, cui nulla erat impoſita pœnitentia canonica, perpetrabat; poterat ſæpiùs adire ſacerdotem idoneum, & cum debita contritione ac ſatisfactione ſecretò & ſacramentaliter confiteri, niſi ulteriùs vellet ad ſatisfactionem pleniorem offenſæ divinæ confiteri publicè, & pœnitentiam ſolennem demandare: hanc tamen ſemel tantùm in vita, ut dictum eſt.

119. Atque ita ſuo ævo fieri ſolitum, id eſt tertio ſæculo ineunte, videtur ſatis apertè teſtari Origenes Homil. XV. in caput viceſimum quintum Levitici, dum ait: *In gravioribus enim criminibus ſemel tantùm vel rarò pænitentiæ conceditur locus: iſta verò quæ frequenter incurrimus, SEMPER POENITENTIAM RECIPIUNT, ET SINE INTERMISSIONE REDIMUNTUR.* Ubi nihil cogit ut intelligamus ipſum de ſolis venialibus loqui. Præſertim cùm immediatè antea præmiſiſſet: *Si vos aliqua CULPA MORTALIS invenerit, QUÆ NON IN CRIMINE MORTALI, non in blaſphemia Fidei, quæ muro Eccleſiaſtici & Apoſtolici dogmatis cincta eſt; ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat: hoc eſt, vendidiſſe domum, quæ in agro eſt vel in vico, cui murus non eſt: hæc ergo venditio, hujuſmodi culpa, ſemper reparari poteſt, NEC ALIQUANDO TIBI INDICITUR DE COMMISSIS HUJUSMODI POENITENTIAM GERERE.* Nimirum, ſolennem,

120. An verò in vindictam eorum criminum, quæ quis ſecretò confitebatur, imponerentur ſatisfactiones pœnales ſecretæ dumtaxat, an etiam publicæ, non una omnium ſententia eſt, Thomaſinus, Petavius, Morinos, & Albaſpineus, cenſent, pœnitentias canonicas olim æqualiter imponi ſolitas pro peccatis ſecretis ac publicis. Alii verò ducti præjudicio & praxi ſæculorum poſteriorum, atque obligatione ſtricta ſervandi ſigilli, omni tempore annexâ huic ſacramento, volunt nunqnam pœnitentes ex vi confeſſionis ſecretorum criminum, obligatos fuiſſe ad agendum pœnitentias canonicas, aut publicas, ſed dumtaxat ſecretas. Porrò ſi hoc poſterius certum eſt (neque enim hoc loco quæſtionem iſtam ſatis difficilem definire auſim) faciliùs intelligitur, aut credibilius fit quod paullò antea dicebam, priſcis ſæculis pœnitentes ſolitos ſecretò fateri ſæpiùs ſacerdotibus peccata minoris notæ, quamvis mortifera, præter illa tria capitalia longè graviora; & prævia contritione, ac diſpoſitionibus pœnalium operum, non ſolùm ſemel, ſed ſæpiùs ac ſæpiùs abſolutionem impetrâſſe, cum onere tamen exhibendi poſtea ſi quid deerat ad congruam ſatisfactionem, ſive fructus pœnitentiæ dignos.

121. Neque enim tunc pœnitentes, etiam ab iis criminibus minoris notæ, abſolvebantur tam facilè, ac ſæculis poſterioribus, vel noſtro ævo. Epiſcopi enim & ſacerdotes quique exſequebantur regulas Canonum Pœnitentialium, & juxta illas (vel ad imitationem illarum in caſibus non expreſſis) imponebant ſatisfactionem valdè ſeveram plurium menſium, immo & aliquot annorũ, etiam pro peccatis mortalibus minoris notæ: ut patet ex Pœnitentialibus apud Burchardum, Rabanum, Gratianum, Antonium Auguſtinum, &c. Quapropter non ſatis conſtat, nec par eſt exiſtimare, Patres hujus Concilii Toletani prohibere voluiſſe, aut tanquam damnabilem rejeciſſe uſum abſolvendi ſæpiùs pœnitentes à peccatis prorſus occultis, & minoris notæ, licèt mortiferis, pro quibus, nec attento jure, neque juxta conſuetudinem pœnitentia publica imponebatur. Niſi fortè quis dicat, uſum ipſum degenerâſſe tunc in abuſum, ob nimiam facilitatem pœnitentium ad labendum in peccata ejus generis, & immodicam pietatem ſacerdotum in abſolvendo ab iis, longè citiùs, aut faciliùs, aut cum minori contritione & ſatisfactione pœnitentium, quàm oporteret. Idque ſatis indicant verba ejuſdem Canonis XI. & XII. ſequentis, in quibus Patres Toletani apertè denotant, ſeveritatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ admodùm laxatam fuiſſe eo tempore in pœnitentibus, & in ſacerdotibus, à quibus volebant identidem reconciliari. Alioquin præcipuus Canonis ſenſus, ut ſuprà ajebam, eſt de pœnitentia ſolenni, quam aliqui audebant repetere, aut dare ſæpiùs, contra omne jus & fas.

122. Dices: Quid ergo agere poterat aut debebat peccator ille, qui poſt impletam pœnitentiam ſolennem de aliquo crimine atrociori, committebat aliud ejuſdem generis, ſeu diverſi intra tria illa, pro quibus præcipuè diuturniores ac graviores pœnitentiæ ſacris Canonibus indictæ erant? Si enim non erat locus ad iterandam pœnitentiam ſolennem de novo illo ſcelere, oportebat, ſive neceſſarium erat, ut toto reliquo vitæ tempore maneret ligatus eo crimine, & expers totius reconciliationis uſque ad mortem. Hoc autem videtur difficillimum creditu de pietate magna Eccleſiæ erga filium ſuum, quamvis degenerem. Quin & ad nihil aliud deſerviret, quàm in occaſionem deſperandi de divina miſericordia.

123. Reſpondeo, hoc ipſum argumentum, ſi quam vim habet, æqualem habiturum contra omnes illos Canones Illiberitanos, Arelatenſes, Sardicenſes, immo & plures alios Conciliorum veterum, quibus ob ſcelera graviſſima differebatur reconciliatio & communio quibuſdam uſque ad exitum vitæ: ut nihil dicam de iis, quibus adhuc tunc negabatur. Quam ultimam pœnam S. Innocentius Papa in citata Epiſtola ad Exuperium, non reprehendit, attento rerum ſtatu & tempore quo impoſita fuit, ſed tantùm auſteriorem vocat. Quid, inquam, dicemus de peccatoribus illis, toto ſaltem decurſu vitæ privatis reconciliatione & communione? Numquid erga illos crudeliter ſe gerebat mater Eccleſia? Haud quaquam. Numquid propterea habebant occaſionem deſperandi, aut quotidie ruendi in pejus? Minimè. Immo auſteritas illa Eccleſiæ erat occaſio majoris humilitatis, aſperioris mortificationis, & rigidioris pœnitentiæ in peccatoribus iis, ut miſericordiam divinam implorarent, & tandem ſalutem aſſequerentur.

124. Sanè hanc ipſam ferè difficultatem propoſuit Macedonius quidam, vir primarius, Auguſtino, ut patet ex hujus Epiſt. LIV. aliàs CLIII. Rogabat ille, an conſentaneum eſſet pietati, ut Epiſcopi annuerent deprecantibus reorum pœnas, addita ea dubitandi ratione: *Nam ſi à Domino peccata adeò prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia poſt primam pœnitentiam tribuatur; quemadmodum nos poſſumus ex religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit dimittatur?* Auguſtinus ita reſpondet: *In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel graviora committant, &c. Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur; Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat: Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in ſcortis, omniq; luxuria, damnabili quidem apud Dominum, ſed apud homines pleroſque etiam laudabili. Aut ſi me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam licita & conceſſa negavero, ſi me pœnitendo quàm priùs vehementiùs excruciavero, ſi miſerabiliùs ingemuero, ſi flevero uberiùs, ſi vixero meliùs, ſi pauperes ſuſtentavero largiùs, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, fla-*

gravero ardentiùs: quis noſtrûm ita deſipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi iſta proderunt in poſterum: vade, ſaltem hujus vitæ ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegamq; dementiam. Quamvis ergo cautè ſalubriterq; proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pænitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere: Quare huic homini, qui poſt primam pænitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? &c.

125. Itaque adhuc negata facultate iterandi pœnitentiam canonicam, vel illam accipiendi, aut qualitercumque conſequendi ab Eccleſia reconciliationem & communionem uſque ad finem vitæ (immo quamvis etiam in fine vitæ negaretur, ut ſolebat fieri ob atrociora quædam crimina) non propterea peccatoribus lapſis, aut relapſis, præcludebatur omnino ſpes ſalutis, aut dabatur occaſio vivendi ſceleratiùs, vel exorbitandi abſque fræno ullo. Adhuc enim poterant mediantibus auxiliis divinis, & adjuvante quodammodo pudore ac confuſione, quam patiebantur, ingentem & aſſiduam de peccatis contritionem habere, & auſteriſſimo vitæ genere ſe affligere, tum à quibuſque voluptatibus ſive commoditatibus aliàs licitis abſtinendo, tum dura quæque ac pœnalia ſubeundo, ob honorem Dei antea graviſſimè offenſi, & jam ſuper omnia dilecti. Hanc vitæ auſteritatem, hanc contritionem charitate formatam, hos tam dignos veræ pœnitentiæ fructus, cor adeò contritum & humiliatum nunquam deſpiceret, deſpexit, aut deſpiciet Deus. Et quamvis Eccleſia olim ob auſteriorem diſciplinam, ac terrorem peccantium, differret reconciliationem uſque ad obitum, immo & illam penitùs negaret; ſemper votum illius clauſum in ipſa contritione ac dilectione Dei ſuper omnia, proficeret homini ad veniam & ſalutem. Plura alia huc ſpectantia dabimus Diſſertatione immediatè ſequenti Excurſu III. & IV.

IN CANONES XI. ET XII. EJUSDEM CONCILII

DISSERTATIO OCTAVA.

De inſtauratione priſcorum Canonum circa pœnitentes, tum lapſos poſt baptiſmum, tum relapſos poſt pœnitentiam, præſertim in Hiſpania.

126. *VIDIMUS hactenus, qualiter relaxatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, præſertim circa reconciliationem pœnitentium, orta in aliquibus Hiſpaniæ locis ex Arianiſmo graſſante, impulerit S. Leandrum, alioſque hujus Concilii III. Toletani Patres, ad inſtaurandum priſcos Eccleſiæ Canones circa lapſos & relapſos in crimina poſt baptiſmum. Nunc autem idipſum ferè uberiùs explanare oportet Diſſertatione altera, veluti ampliore Commentario utriuſque hujus Canonis.*

EXCURSUS PRIMUS:

Quonam ſenſu inſtaurata fuerit diſciplina antiquorum Canonum in hoc Concilio erga pænitentes, tum primò lapſos, tum deinde relapſos. Ubi plura, ſpeciatim circa priores, obſervantur ex variis Hiſpaniæ Conciliis, & ex SS. Patribus, præſertim Paciano, Cypriano, Ambroſio, & Chryſoſtomo. Monitum memorabile Cardinalis Bellarmini contra nonnullos pſeudo-pænitentes, & ſacerdotes faciles nimiùm in iis abſolvendis.

127. HÆC Diſſertatio eſt valdè illigata præcedenti, ſicut & Canon duodecimus eſt connexus undecimo. In hoc vidimus, Patres Toletanos ægerrimè tuliſſe quòd *per quaſdam Eccleſias Hiſpaniarum, non ſecundùm Canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agerent pænitentiam*, &c. Ideoque *pro coërcenda tam damnabili præſumptione à S. Concilio juſſum fuiſſe, ut ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pænitentia*, &c. Hæc ibi circa lapſos in ſcelera poſt baptiſmum.

128. Procedit deinde ad relapſos, & inquit: *Hi verò qui ad priora vitia, vel infra pænitentiæ tempus, VEL POST RECONCILIATIONEM RELABUNTUR, ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur.* Itaque tam circa primò lapſos in ſcelera poſt baptiſmum, quàm circa relapſos infra tempus pœnitentiæ canonicæ, ac poſt illam impletam, & reconciliationem acceptam, præcipit Concilium ut ſerventur antiqui Canones. Verùm cum hoc diſcrimine, ut relatè ad primò lapſos, *ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pænitentia*. Relatè verò ad relapſos non jubet ut dentur iis pœnitentiæ Canonibus antiquis conformes: ſed potiùs, *ut ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur*. Quam diverſitatem maximè obſervare oportet

pro

pro intellectu exacto ejuſdem Canonis. Quare priùs loquemur circa lapſos, poſtea verò circa relapſos.

129. Quantum ad primò lapſos in ſcelus aliquod præcipitur, *ut ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ. Hoc eſt, ut priùs eum, QUEM SUI POENITET FACTI, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impoſitionem crebrò recurrere.* Nimirum ad illam manuum impoſitionem cæremonialem ac deprecatoriam, quam ſacerdotes per ſingulas collectas adhibebant pœnitentibus ante offertorium: quâ præſtitâ iis, voce diaconi excludebantur à reliquis Miſſæ partibus, & ab ambitu Eccleſiæ. Ea enim manuum impoſitio crebra, ſimul cum actionibus laborioſis & pœnalibus, ſtatutis per ſacros Canones, erat prævia quædam & longa diſpoſitio ad veniam, ſive reconciliationem, ſtatuto tempore recipiendam.

130. Cùm verò hoc loci tam ſeverè præcipiatur, *ut ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ*, dubitandum non eſt præſcribi ſervandam formam illam & ordinem pœnitentium juxta diverſos gradus. nimirum, penes πρόσκλαυσιν, *fletum*, ἀκρόασιν, *auditionem*, ὑπόπτωσιν, *proſtrationem*, & σύστασιν, *conſiſtentiam*. Itaque primus pœnitentium gradus dicebatur Flentium, ſecundus Audientium, tertius Proſtratorum, quartus Conſiſtentium. Quidam ſcriptores intra unum eundemque gradum ſive claſſem collocant Flentes & Audientes. Etenim ii ipſi qui præ foribus Eccleſiæ, & nullatenus intra limina recepti, in aſſiduo luctu tempus ſibi ſtatutum tranſigebant, ciliciis induti, ſaccis amicti, vultu horrido & ſqualenti, recipiebantur ad audiendum verbum Dei, quo excitabantur ad dignè & perſeveranter pœnitendum; ideoque ſimul erant Flentes & Audientes. Decurſo eo gradu admittebantur inter Proſtratos, ſive Subſtratos, in ea Eccleſiæ parte, quæ primùm occurrebat intra fores, & narthex dicebatur: cujus variam ac multiplicem formam ſive figuram exhibet ac declarat V. Cl. Leo Allatius in ſuo Opere *De narthece veteri*. Licebat proſtratis audire illam Miſſæ partem, ad quam catechumeni admittebantur, ac ſimul cum iis homiliam è ſuggeſto poſt Euangelium fieri ſolitam. Eâ autem finitâ, excludebantur voce alta diaconi à narthece, & ipſis Eccleſiæ liminibus, veluti indigni adſtare offertorio, & reliquis ſacrificii partibus. Tranſacto verò tempore proſtrationis recipiebantur intra Conſiſtentes, quibus licebat permanere uſque ad finem Miſſæ, ſive collectæ, unius Euchariſticæ communionis exſortibus.

131. Intra omnes eos gradus ſive claſſes pœnitentium, juxta qualitatem ac gravitatem diverſam ſcelerum, taxata erant opera pœnalia *ſecundùm formam Canonum antiquorum*, quam Patres Toletani hoc loci obſervandam monent generatim. Quàm dura autem, quàm acerba, & quàm diuturna eſſent pro ſingulis peccatis gravibus, præſertim pro homicidio, idololatria, & mœchia (ſub qua universè omnis exterior impudicitia comprehenditur) legere eſt in ipſis Canonibus Pœnitentialibus, qui communiter circumferuntur. Vide præterea Cyprianum *De lapſis*, Tertullianum libro *De pœnitentia* (ſi tamen is liber eſt ipſius: de quo dubitant Renanus, Eraſmus, & Petavius: mihi autem valdè veroſimile eſt, Sanctum Pacianum fuiſſe illius auctorem, ſicuti & verè auctor fuit egregiæ illius ac ſtylo ſimillimæ Parænesis ad pœnitentiam recuſæ ſuprà pag. 94. & ſeqq.) Conſule ulteriùs Hieronym. in Epiſt. ad Oceanum *De obitu Fabiolæ*, Ambroſium *Ad virginem lapſam*, & lib. 2. *De pœnitentia*, præſertim cap. 10. ut miſſa faciam Concilia vetera, atque in iis Eliberitanum, Nicænum, Ancyranum, Agathenſe, Epaunenſe, Arelatenſe I. quorum Canones collegit, inter alios, laudatus Antonius Auguſtinus, & eruditiſſimè explanârunt, tum ipſe, tum Loaïſa, Mendoza, ac Gonzalez, quoad Concilium Eliberitanum: tum generatim ex doctiſſima Congregatione Oratorii in Gallia, Joannes Morinus integro volumine *De pœnitentia*, Ludovicus Thomaſſinus ſparſim in Opere *De diſciplina Eccleſiaſtica*, & Joannes Cabaſſutius in *Notitia Eccleſiaſtica*.

132. Priùs verò quàm pœnitentes ea laborioſa opera inchoarent, mutabant habitum ſeu ſpeciem antiquam. Unde hoc loci Canone XII. ſtatuitur: *Ut qui voluerint pœnitentiam agere, priùs tondeantur, aut habitum mutent.* Hic Canon conſectarius eſt præcedenti, in quo cautum fuerat contra abuſus ibi indicatos, ut pœnitentes ſecundùm modum Canonum antiquorum pœnitentiam agerent. Quapropter modò ſtatuitur, ut viri pœnitentiam poſtulantes, ſive ſani ſint, ſive infirmi, priùs tondeantur. Quod jam antea conſtitutum fuerat anno DXL. in Concilio Barcinonenſi Canone VI. verbis illis: *Pœnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu utentes, jejuniis & obſecrationibus vitæ tempus impendant.* Vide Notas in eum locum ſuprà pag. 280. Similiter mutatio habitûs fœminis indicitur, antequã pœnitentiam accipiant. Et ſtatim optima ratio redditur ab experimento. *Sæpè enim laïcis tribuendo deſidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.*

133. Idipſum ducentis circiter annis ante hoc Concilium expertus in quibuſdam pſeudopœnitentibus, lamentabatur S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in illa ſua graviſſima & elegantiſſima Paræneſi ad pœnitentiam ſuprà edita: ac proinde lapſos poſt baptiſmum in peccata mortifera hortabatur n. 111. *Flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi: ſi quis ad balneum vocet, recuſare delicias: ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta felicibus: ego deliqui in Dominum & periclitor in æternum perire. Quò mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare, quàm pereas.* Hæc ipſa media & remedia peccatoribus poſt baptiſmum lapſis à Paciano propoſita, & ab Eccleſia Chriſti ſacris Canonibus præſcripta, inſtaurant Patres Toletani utroque hoc Canone XI. & XII. experimento edocti: quoniam *laïcis tribuendo deſidiosè pœnitentiam, ipſi ad lamentanda rurſus*

facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.

134. Quapropter quicquid ærumnarum, mortificationum, planctuum, humicubationum, jejuniorum, &c. ſancitum fuerat in antiquis Canonibus eouſque ab Eccleſia conditis, præſertim in Concilio Elibetitano, Cæſaraugoſtano, Toletanis duobus, Tarraconenſi, Ilerdenſi, duobus Bracarenſibus, ac Lucenſi, & quatuor Oecumenicis, cum determinatione temporis ad tot menſes, aut annos, juxta variam diverſorum criminum gravitatem & multitudinem: totum id inſtaurant Patres Toletani, & ſervari omnino volunt cum peccatoribus ad pœnitentiam admiſſis, juxta hunc utrumque Canonem. Immo & in primo ac præcipuo totius Concilii jam dixerant generatim: *Omne quod priſcorum Canonum auctoritas prohibet, reſurgente diſciplina inhibitum ſit: & agatur omne quod præcipit fieri. Maneant in ſuo robore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ Sanctorum Præſulum Romanorum Epiſtolæ*. In his verò maximè ad Hiſpaniam ſpectabant illæ, quas jam ſuo loco præmiſimus in hoc ipſo Tomo, circa diſciplinam Eccleſiaſticam, ac pœnitentiam lapſorum: veluti Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem, Innocentii I. ad Patres Synodi Toletanæ, Leonis ad Turibium Aſturicenſem, Hilari ad Aſcanium, &c. Quicquid igitur in iis antea ſtatutum fuerat circa diſciplinam Eccleſiaſticam, & pœnitentiam magis aut minùs diuturnam, aſperiorem aut mitiorem, totum id confirmatur & inſtauratur, tam primo Canone hujus Concilii, quàm XI. & XII. in quorum expoſitione verſamur. Quare non eſt opus hoc loci diſtinctè aut ſpeciatim exponere quænam pœnitentia reſponderet unicuique crimini, cùm ſatis id appareat in ipſis Conciliis & Epiſtolis Pontificum, nec ullum operæ pretium ſit ea omnia ferè duobus hiſce voluminibus primis diſperſa, congerere hoc loco & repetere.

135. *Expleto autem ſatisfactionis tempore* (proſequuntur Patres Toletani hoc loco) *ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit* (nimirum, prout cenſuerit prudens ſacerdos ad præſcriptum ſacrorum Canonum) *eum communioni reſtituat*. id eſt, ſacramentorum participationi, cui nondum fuerat locus, adhuc in ultimo pœnitentium gradu ſuperiùs indicato. Itaque uſque ad finitum tempus pœnitentiæ ſive ſatisfactionis, Canonibus præſcriptum, nemini ſacramenta adminiſtrabantur, quamvis frequens acceſſus eſſet ad manuum impoſitionem. Hanc ingentem dilationem veniæ, reconciliationis, & communionis, aut per annos plures, aut uſque ad finem vitæ, in tam aſſiduo jejunio, auſteritate, fletu, & planctu, tolerabant olim patienter Chriſtiani in aliquod gravius crimen lapſi, ut tandem Deo graviter offenſo ſatisfacerent, & ſalutem animæ obtinerent.

136. Noſtro autem ævo (ô tempora, ô mores!) multi, non modò in aliquod grave crimen, ſed in varia aut plurima lapſi, vix jejunio aliquo, auſteritate, fletu, aut planctu præmiſſo, accedentes ad confitendum, ſtatim abſolvi volunt, & mitti ad communionem. Quòd ſi ſacerdos pius, doctus, & verſatus in diſciplina Eccleſiaſtica ac ſacris Canonibus, illos hortetur ad jejunandum, plangendum, & orandum, non dico integris annis, non menſibus, ſed aliquot hebdomadis, aut ſaltem diebus, antequam abſolvantur, ut veram de peccatis contritionem, & totius cordis converſionem impetrent, quâ Deum graviſſimè offenſum ſibi concilient, ſeque ad veniam diſponant; videbis illos impatienter omnino id ferre, & vociferari adversùs ſacerdotes ejuſmodi, eoſque incuſare veluti crudeles, & carnifices conſcientiarum. Hoc novo injuſtiſſimæ accuſationis & criminationis ſcelere jam longè nequiores effecti, adeunt quempiam alium ſacerdotem, ignarum, remiſſum, palponem, aut nullius zeli circa diſciplinam Eccleſiaſticam; & abſque ulla contritione de novo ſcelere commiſſo, ac de aliis præcedentibus, levi ſatisfactione impoſita, ſtatim aſſequuntur aut extorquent ab eo præproperam abſolutionem, & intempeſtivam communionem; utramque ingenti dantis & recipientis damno.

137. Audiamus S. Cyprianum aureo illo libro *De lapſis*, circa medium ſimili ferè occaſione clamantem adversùs falſos ejuſmodi pœnitentes, & ſacerdotes imperitos, ac nimiùm faciles aut præproperos in abſolvendo. *Oportet Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem* (ecce quod nuper dicebamus) *gratias aget poſtmodum cùm ſenſerit ſanitatem*.

138. Statim verò ſic invehitur adversùs conſuetudinem tunc introductam de facili ac præcoci reconciliatione ac communione lapſorum: *Emerſit, fratres chariſſimi, novum genus cladis: & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. POENITENTIA DE PECTORIBUS EXCUSSA EST: GRAVISSIMI EXTREMIQUE DELICTI MEMORIA SUBLATA EST. Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis vulneribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. A diaboli aris* (dicamus nos, ab ingenti multitudine ſcelerum & turpitudinum) *revertentes, ad SANCTUM DOMINI* (Euchariſtiam nimirum) *ſordidis & infectis nidore manibus accedunt*, &c.

139. Breviùs autem, nec minùs opportunè, S. Ambroſius lib. 2. *De pœnitentia*, cap. 9. *Nonnulli* (ait) *ideo poſcunt pœnitentiam* (id eſt, accedunt ad confitendum peccata) *ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm ſacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt, & ſacerdotis induunt, cui præceptum eſt: NOLITE SANCTUM DARE CANIBUS*.

140. Quid

140. Quid diceret Ambroſius, quid etiam Cyprianus, de pleriſque falſis pœnitentibus noſtri ævi: qui adeò imparati, adeò indiſpoſiti, adeò nullis veræ pœnitentiæ fructibus exercitati, confitentur ſcelerum multitudinem ita, ut abſolutionem non patiantur ſibi differri per aliquod tempus, nec interea præſcribi opera aliquot pœnalia, quibus à Deo impetrent veram totius cordis contritionem, & convenientem diſpoſitionem ad veniam aſſequendam, & Euchariſtiam recipiendam?

141. Hos ſanè divino ſpiritu reprehendit Chryſoſtomus Homiliâ 31. de S. Philogonio circa finem longa increpatione, ſed præſertim hiſce verbis: διὰ τοῦτο παρακαλῶ πάντας ὑμᾶς, μὴ ἁπλῶς διὰ τὴν τῆς ἑορτῆς ἀνάγκην τῶν θείων ἅπτεσθαι μυστηρίων· ἀλλ' εἴ ποτε μέλλοιτε τῆς ἁγίας ταύτης μεθέξειν προσφορᾶς, πρὸ πολλῶν ἡμερῶν ἑαυτοὺς διακαθαίρειν διὰ μετανοίας καὶ εὐχῆς καὶ ἐλεημοσύνης, καὶ τῆς περὶ τὰ πνευματικὰ σχολῆς· καὶ μὴ πάλιν ἐπιστρέφειν καθάπερ κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον. Id eſt: *Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter veluti feſto die cogente ad divina myſteria accedatis: ſed ſiquando parabitis hujus ſacra boſtiæ fieri participes, MULTIS ANTE DIEBUS REPURGETIS VOSMETIPSOS PER POENITENTIAM, PRECATIONEM, ET ELEEMOSYNAM: denique per hoc, ut vacetis ſpiritualibus: ne denuò convertamini canis in morem ad vomitum.*

142. Sed quid opus eſt ad antiquos Patres recurrere in re adeò manifeſta omnibus iis pœnitentibus & ſacerdotibus, qui ſtopore quodam, aut ignorantiâ extremâ non amiſerunt communem ſenſum? Sanè doctiſſimus & piiſſimus Cardinalis Bellarminus ſæpenumerò id grande malum noſtrorum temporum variis locis lamentatur, & Concione IX. in Dominicam IV. Adventûs ait: *Quàm multi veniunt* (ad confitendum) *onuſti peccatis, in quæ jam millies ceciderunt! Et veniunt pridie, vel ipſo die ſumma celebritatis: ET STATIM* (nimirum, nulla jejuniorum, eleemoſynarum, orationum, ac pœnalium operum cordis & corporis diſpoſitione præmiſſa) *VOLUNT EXPEDIRI* (nimirum, abſolvi, & ad communionem mitti) *quaſi hoc negotium eſſet ludus puerorum. Nonne hi Deum non placare, ſed irridere voluiſſe videntur?* Et tamen cùm adeò multi peccatis onuſti veniant ad confitendum in quæ jam millies ceciderunt, (ut reſumam verba Bellarmini) quàm pauci ſunt, quibus per aliquot hebdomadas, immo & dies paucos, differatur abſolutio? quàm rari forſan quibus non ſtatim indulgeatur communio? Quàm penè nulli, qui addito novo eo ſacrilegio non redeant ad vomitum?

EXCURSUS II.

Oportere plurimum, ut ante confeſſionem graviam peccatorum, vel ſaltem ante abſolutionem, præmittantur exercitia interna & externa pænitentia. Monitum circa id Cardinalis Bellarmini, conſentaneum Canonibus ſacris, & SS. Patribus, præſertim Cypriano & Leoni, quorum graviſſima teſtimonia expenduntur, etiam pro praxi noſtrorum temporum, non quoad totam ſatisfactionem præmittendam, ut olim, ſed quoad partem aliquam.

143. CUILIBET volenti crimina ſua ritè confiteri, modum ac rationem deſignat idem Cardinalis Concione VIII. in eandem Dominicam IV. Adventûs, dicens: *Si bonam, ſi utilem, ſi ſalutarem confeſſionem facere vultis, ſi verè cum Deo in gratiam redire deſideratis; debetis primùm DIU ET MULTUM in amaritudine animæ peccata præterita recogitare; deinde ea largis & diuturnis imbribus lacrymarum abluere: tum ſacerdotem probum & eruditum adire, qui non ſolùm abſolvere, ſed etiam remedia morbis & ægritudinibus accommoda adhibere ſciat.* Hoc ipſum valdè conformiter ad ſacros Canones monent cum eodem Bellarmino plures alii inſignes Prælati recentiores, & Theologi ex omni ſtatu, natione, & conditione; dolentes maximè indiſpoſitionem, quâ plerique pœnitentium confitentur, & nimiam facilitatem ſive temeritatem, quâ multi ſacerdotes iis abſolutionem impendere audent, *periculoſam dantibus, & nihil accipientibus profuturam*, ut ſuprà audivimus ex S. Cypriano.

144. Sed & proferre oportet inſuper alia verba ejuſdem ſancti Doctoris & Martyris æquè opportuna in eo libro *De lapſis*, ubi ita invehitur contra id malum ſuo ævo introductum, admittendi facilè ac præproperè peccatores ad reconciliationem, ſive pacem, communionemque: *Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit: nec communionem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt hac alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur; ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum; nec Dominum graviter offenſum longa & plena pænitentia deprecetur; cùm ſcriptum ſit:* Memento unde cecideris, & age pœnitentiam. *Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat: ſolus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt major, nec remittere aut donare indulgentiâ ſuâ ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt; ne adhuc lapſo & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum:* Maledictus homo qui ſpem habet in homine. *Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt; qui negantem negare ſe dixit, qui omne judicium de Patre*

ſolus accepit. Credimus quidem poſſe apud Judicem plurimum Martyrum merita, & opera juſtorum; ſed cùm judicii dies venerit, cùm poſt occaſum ſæculi hujus & mundi ante tribunal Chriſti populus ejus adſtiterit. Cæterùm ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere; non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Provocâſſe eſt iram, non ſervâſſe ſententiam: nec miſericordiam priùs Dei deprecandam putare; ſed contempto Domino de ſua facultate præſumere. Hæc ibi Cyprianus maximè timenda ab iis, qui tam temerè præcipitant ſententiam reconciliationis & communionis in gratiam reorum, antequam hi digna converſione animi, contritione totius cordis, & lacrymis veræ pœnitentiæ, ſatis ac convenienter ſe ad reconciliationem cum Deo graviter offenſo præparent, & ſubinde ad ſacram communionem. Aliter enim, ut idem Cyprianus paullò antea præmiſerat, juxta vetera exemplaria à Rigaltio citata, *ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, VIS INFERTUR CORPORI EJUS ET SANGUINI: & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.*

145. Dices: Si hæc ita ſunt, peccatores quique in gravia crimina lapſi, erunt conſtringendi, etiam nunc, ad exhibendum reipſa totam ſatisfactionem pœnalem pro iis debitam juxta ſacros Canones, antequam abſolvantur. Hoc autem eſt contra praxim Eccleſiç à multis ſçculis receptam: ac præterea contra Bullam XVII. Xyſti IV. in qua rejicit diverſas propoſitiones Petri de Oſma, Profeſſoris Salmanticenſis, & ſpeciatim hanc: *Non peractâ pœnitentiâ confitentes abſolvi non debere.*

146. Reſpondeo hanc objectionem, ſi ſeriò ab aliquo proponatur, eſſe meram calumniam contra Concilia, Canones, & Patres Eccleſiæ, hujuſque conſuetudinem à priſcis ſæculis ferè uſque ad finem undecimi. Nemo enim ligatus pœnitentiâ canonicâ ad certum tempus, annos v.g. ſeptem, aut decem, aut per totum vitæ ſpatium, abſolvebatur, ſeu reconciliabatur, donec illam integrè egiſſet, ut conſtat ex hoc, aliiſque Conciliis, & nemo doctorum hominum neſcit. Eam verò diſciplinæ Eccleſiaſticæ auſteritatem erga lapſos, iis melioribus ſæculis obſervatam, & à tota Eccleſia probatam, nemo niſi impius damnare poteſt: neque unquam Xyſtus IV. damnavit. Non tamen propterea dicere poſſumus, vel tempore Xyſti IV. vel noſtro ævo, neceſſarium omnino eſſe, ut pœnitentia juxta ſacros Canones debita, ſit *peracta*, id eſt, integrè acta, antequam quis confiteatur, vel abſolvatur. Hoc enim ſolus hiſce poſtremis ſæculis dicere auſus videtur, cũ aliis erroribus in ea Bulla damnatis, Petrus ille Oxomenſis, contra praxim jam tum receptam totius Eccleſiæ à longiſſimo tempore, ſaltem trecentorum annorum. Nemo enim privata auctoritate, qualis erat illius doctoris Salmanticenſis, poterat, aut poteſt modò inſtaurare priſcorum Canonum acerbitatem illam, quâ pœnitentes totam ſatisfactionem iis taxatam præmittere, & reipſa exhibere præcipiebantur antequam abſolutionem acciperent. Nimirum, ea obligatio quatenus jure ſolùm Eccleſiaſtico inducta olim, pariter ejuſdem juris auctoritate publica abrogari poterat, & jam abrogata videbatur longè ante illum annum MCDLXXIX. Bullæ Xyſti datæ.

147. Præterea illa propoſitio improbatur à Xyſto IV. quatenus conjuncta aliis in ea Bulla memoratis ejuſdem Petri de Oſma, negantis neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis jure divino, & illius efficacitatem ad remiſſionem peccatorum mortalium, quam ſolam tribuebat contritioni, & operibus integræ pœnitentiæ ante confeſſionem vel abſolutionem exhibitis: ut patebit ibidem legenti totum contextum. Eo autem ſenſo propoſitio illa erat temeraria, & præterea erronea, nec ſolùm contraria praxi totius Eccleſiæ jam tum ab aliquot ſæculis receptæ de abſolvendis peccatoribus, quamvis nondum totam pœnitentiam antiquis Canonibus ſtatutam impleviſſent, ſed ſolùm partem aliquam. Petrus autem de Oſma temerè & ſine auctoritate totam debere impleri ſuo ævo ante abſolutionem, voluiſſe videtur.

148. Impræſenti autem inhærentes non modò Conciliis, Canonibus, & Patribus ſuprà laudatis, nec ſolùm graviſſimis Cardinalibus, Epiſcopis, & Theologis horum temporum, ſed etiam rationi manifeſtæ fundatæ in doctrina Fidei, & experimento frequenti, dicimus maximè oportere, ut gravium peccatorum rei, præſertim relapſi, antequam confiteantur, vel ut minimum antequam abſolvantur, præmittant aliquanto tempore, juxta numerum & gravitatem ſcelerum, fructus dignos veræ pœnitentiæ interioris exterioriſque, licèt longè breviores, quàm peccatis eorum reſpondeant juxta Canones ſacros. Aliquanto, inquam, tempore, veluti quarundam hebdomadarum, aut ſaltem dierum, in aſſidua contritione, oratione, jejunio, fletu, & planctu, eleemoſynis, aliiſque exercitationibus piis: ut ſic ritè diſpoſiti gratiam reconciliationis à ſacerdote accipiant, & reddantur capaces fructuoſæ communionis.

149. Nec ſolùm dicimus, id oportere iis, qui ſceleribus maculati ſunt, ut ante confeſſionem, aut ſaltem ante abſolutionem, præmittant aliquandiu opera pœnalia jejuniorum, eleemoſynarum, & orationum, aliarumque macerationum: ſed addimus quoque, eã præparationem videri ſæpè neceſſariam & fortè obligatoriam ex præcepto naturali ac divino. Nimirum ſæpè ii peccatores experimento agnoſcunt ſe duros corde, & egentes omnino iis diſpoſitionibus pœnalibus, ad impetrandum à Deo donum veræ contritionis, & converſionem totius cordis, ea ratione, gradu, & modo, quo exigitur ad recipiendum poſtea fructum ſacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Licèt enim Deus poteſtate abſoluta, aut providentia ſingulari, vel miſeratione magna, poſſit hominem gravium ſcelerum reum ſubitò ad ingentem contritionem movere efficaciter, & perfectè ad ſe convertere; nihilominus juxta curſum ordinarium ea inſignia & præſtantiſſima dona non largitur ſubitò; ſed gradatim, ac media impetratione

tione facta per opera pœnalia, in oratione, eleemoſyna, jejunio, & fletu, & planctu, aliiſque mortificationibus corporis & animę. Per eos actus divino auxilio exhibitos, paullatim impetrat peccator majora & uberiora auxilia ad dilectionem Dei, & contritionem, in eo gradu doloris ac deteſtationis de peccatis, ut ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto, aut ejus voto in perfecta contritione clauſo, ſufficiant ad impetrandam peccatorum veniam. In ea autem mutatione cordis ab uno in aliud extremum, & ſucceſſione actuum ſalutarium, impenditur, & impendi absdubio debet, juxta communem rerum curſum, aliquantum temporis, veluti nonnullæ hebdomadæ, vel ſaltem aliquot dies. Quemadmodum igitur peccator quilibet, præſertim magnorum criminum reus, adſtringitur jure naturali ac divino placare Deum graviſſimè offenſum, ipſique verè reconciliari; ita etiam tenetur adhibere ea omnia media & remedia, quæ juxta curſum ordinarium & frequentem intra ordinem gratiæ neceſſaria ſunt ad placandum Deum, & reconciliationem veram cum ipſo impetrandam.

150. Quapropter, vel hac ſolùm ratione concludenti, quamvis aliunde non eſſent tot urgentia Scripturæ, Conciliorum, ac Pateum teſtimonia, oportet omnino ut quilibet homines criminibus maculati, & præſertim relapſi, aut recidivi, antequam confiteri incipiant, aut ſaltem antequam abſolvantur, præmittant per aliquot tempus ejuſmodi diſpoſitiones pœnales, ad impetrandum auxilia Dei opportuna: ut tandem iis obtentis, & habita ingenti omnium peccatorum contritione, profectâ ex vero amore Dei ſuper omnia, & cæteris requiſitis, aſſequantur illorum veniam, & reddantur idonei ad ſacram communionem opportunè recipiendam. Alioqui fortè non obtinebunt à Deo ſpecialia illa auxilia efficacia aut congrua, ſine quibus nemo in re veram contritionem ſive converſionem totius cordis aſſequitur: immo & facilè ad vomitum redibunt, uti ajunt Patres Toletani in hoc Canone XI. dum de ſacerdotibus dicunt: *Laïcis tribuendo deſidiosè pœnitentiam, ipſi ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.*

151. Atque id ſanè prò magno habeamus, ut loquitur alicubi S. Leo Papa. Eximiam indulgentiam Eccleſiæ reputemus, ut poſt exiguum, vel non multum tempus earum macerationum, admittamur ad reconciliationem, ſubindeque ad communionem Euchariſticam, quam tamen olim juxta ſacros Canones, & hos ipſos Toletanos, in quibus verſamur, nemo ferè gravioris criminis poſt baptiſmum reus aſſequebatur, niſi poſt multos annos in auſteriſſimo genere vitæ, & aſperrimæ macerationis tranſactos, vel etiam uſque ad obitum; & tunc ſolùm ad ſacram communionem, aut ne tum quidem, admittebatur, juxta diverſam gravitatem præcedentium ſcelerum, & auſteritatem Canonum.

152. Quid, quòd vel Moſcovitæ, barbari licèt ac ſchiſmatici, hoc ipſo ſęculo, antequam confiteantur, ſeſe per octo dies continuos auſtero & rigido jejunio affligunt, nihil aliud ſumentes, quàm panem induratum, & vilem acidumque potum: ut proinde viſcerum dolores & invaletudinem contrahant: teſtante id de viſu & habitatione cum iis diuturna Adamo Olectrio libro 3. *Itineris Perſici*, cap. 30.

153. Prædictum ordinem reconciliandi peccatores poſt baptiſmum lapſos, nonniſi præviis macerationibus corporis, & afflictionibus animæ, inſtauratum hiſce Canonibus pro quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniæ, tradiderat optimè, ac generatim pro tota Eccleſia S. Leo Papa Epiſtolâ nonageſimâ primâ (aliàs octogeſimâ ſecūdâ in editione Queſnelii) ad Theodorum Foro-julienſem Epiſcopum, ubi docet, *quid de pœnitentium ſtatu Eccleſiaſtica habeat regula*. Deinde indicens neceſſitatem duplicis peccatorum remedii, unius per baptiſmum, & alterius per pœnitentiam, inquit: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æterna: ut qui regenerationis dona violâſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, UT INDULGENTIA DEI, NISI SUPPLICATIONIBUS SACERDOTUM, NEQUEAT OBTINERI.* Ubi obiter obſerva adverſùs ſectarios, neceſſitatem confeſſionis & abſolutionis habendæ miniſterio ſacerdotum, ex inſtitutione Dei: qui quemadmodum remedium baptiſmi inſtituit pro peccatis ante illum commiſſis; ita etiam remedium pœnitentiæ, id eſt, confeſſionis & reconciliationis miniſterio ſacerdotum obtinendæ, pro iis qui cecidêre poſt baptiſmum, & regenerationis acceptæ cœleſtia dona violârunt.

154. Subdit verò ſtatim S. Pontifex: *Mediator enim Dei & hominum homo CHRISTUS JESUS hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ubi planè & gradatim deſcribit ordinem præſcriptum ſacerdotibus erga lapſos ſibi confitentes. Primò, ut iis actionem pœnitentiæ darent: id eſt illos admitterent intra ordinem pœnitentium, juxta diverſos illorum gradus ſacris Canonibus præſcriptos. Nimirum, ad *προσκλαυσιν, fletum, ἀκρόασιν, auditionem, ὑπόπτωσιν, proſtrationem, & σύστασιν, conſiſtentiam*, ut jam ſuprà indicavimus, præſertim num. 130.

155. Peracto itaque pœnitentiæ curſu juxta eos ſacros Canones, inquit Leo Chriſtum Præpoſitis Eccleſiæ tradidiſſe poteſtatem, ut quibus confitentibus actionem pœnitentiæ dederant, *eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Itaque primò omnium confitebantur peccata coram præpoſitis ſeu presbyteris Eccleſiæ: deinde actionem pœnitentiæ recipiebant, & inter pœnitentes admittebantur, permanebantque in ea auſteritate vitæ adeò rigidæ, durante tempore ſacris Canonibus ſtatuto per plures aut pauciores annos, juxta ſcelerum gravitatem ac numerum. Poſtea peracto ſatisfactionis curſu reconciliabantur, & tandem admittebantur ad Euchariſticam com-

communionem. Totum id paucis verbis gradatim complexus fuit Leo. Et hoc ipſum ferè in uſu fuit apud totam Eccleſiam, tam in Occidente quàm in Oriente, prima annorum chiliade, quamvis non ſemper & ubique eodem prorſus modo, ſed cum inæqualitate aliqua, qualis etiam invenitur in ipſis Conciliorum Canonibus, ubi pro diverſitate locorum & temporum ſatisfactiones erant longiores aut breviores, acerbiores tolerabilioreſve: ut patebit illos conferenti, præſertim in laudata *Collectione Canonum pœnitentialium* Antonii Auguſtini.

156. Verùm cùm is rigor diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qui integer atque illibatus fuerat in Hiſpania, præſertim ab initio quarti ſæculi (ut patet ex Canonibus Concilii Illiberitani, ſummam ſeveritatem exhibentibus erga lapſos) imminutus fuiſſet poſtea in quibuſdam Eccleſiis, præſertim ob Arianam hæreſim longè ac latè in Gotthis graſſantem, quæ orthodoxorum Conciliorum Canones aſpernabatur; Patres hujus Concilii III. Toletani, quibus curæ fuit Catholicam Fidem reſtituere, abjuratâ publicè ab Hiſpanis hæreſi Arianâ, eorundem Canonum diſciplinam erga lapſos pariter reſtituendam curârunt. Unde & in hoc Canone undecimo, quem præ manibus habemus, reprehendunt conſuetudinem recenter introductam, quâ lapſi quique in peccatum, quoties labi contingeret, toties reconciliationem peterent à ſacerdotibus, exiguâ aut non ſufficiente ſatisfactione præmiſsa pœnalium operum, nec ratione habita ſacrorum Canonum, quibus illa indicebatur, antequam reconciliationem acciperent.

157. Hoc ipſum patet ex præſenti Can. XII. his verbis: *Hi verò qui ad priora vitia, vel intra pœnitentiæ tempus* (nimirum, ſacris Canonibus præſcriptum) *vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundùm ſeveritatem priorum Canonum damnentur*. Nota maximè disjunctivam illam: *vel intra pœnitentia tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur*. Ex iis apertiſſimè conſtat, durante toto tempore, quo pœnitentia Canonibus præſcripta, & à ſacerdotibus intimata agebatur, nullam fuiſſe datam abſolutionem ſive reconciliationem lapſis in crimina; ſed ſolùm poſt peractam illam pœnalem ſatisfactionem. Itaque totum id tempus *pœnitentiæ humillimæ*, nt loquitur S. Auguſtinus Epiſtolâ LIV. peragebatur in ſacco, cinere, fletu, jejuniis, humicubationibus, & receſſu ab omni ſenſibili voluptate. Interea verò manuum ſacerdotalium frequens impoſitio non erat vera reconciliatio ſive abſolutio à peccatis; ſed tantùm cæremonia ſacra & præparatoria ad reconciliationem veram ſuo tempore recipiendam.

158. Ex toto hujus Diſſertationis contextu conſtat, quàm nimiùm delicati, & digni reprehenſione ſint, quicumque peccatis mortiferis inquinati (de his ſolùm locuti fuimus, & adhuc loquimur, ne quis imperitus hallucinetur) ac nonnunquam plurimis & graviſſimis, non ſe præparant ad illa confitenda jejuniis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque pœnitentiæ veræ operibus ac mortificationibus per aliquod tempus, ad impetrandam divinam miſericordiam, & auxilia opportuna, quibus toto corde convertantur ad Deū, ut ſalutarem fructum ſacramentorum recipiant: ſed ſtatim poſt ſiccam aut præproperam confeſſionem abſolvi volunt. Conſtat ſimiliter quàm injuſtè & impudenter ii criminentur confeſſarios nonnullos (quamvis doctos, pios, ac notæ prudentiæ) uolentes abſolutionem impendere ſtatim, ſed illam differentes donec ea pœnalia opera exhibeātur per aliquot hebdomadas, vel dies ſaltem, juxta prudens ipſorum judicium. Neque enim pro omnibus idem tempus exigi debet, nec requirendæ ſunt ſatisfactiones æquè pœnales pro inæqualibus peccatis ſecundùm gravitatem aut numerum.

159. Injuſtiſſima planè eſt eorum querela, & quæ horrori eſſet toti antiquitati Chriſtianæ, ſi contingeret tunc audire quenquam vociferantem & conquerentem de ſatisfactione ſibi injuncta ante aut poſt abſolutionem, quæ nec ſecundùm durationem temporis, neque ſecundùm acerbitatem, æquaret centeſimam partem ejus pœnæ, quam imponebant Canones illi veteres *Dei ſpiritu conditi, & totius mundi reverentiâ conſecrati*, ut loquitur S. Leo Papa. Atqui ſatisfactiones imponi ſolitæ hoc tempore ante aut poſt abſolntionem pro gravibus peccatis (etiam ab iis confeſſariis qui rigidi habentur, & crudelitatis incuſari ſolent tanquam conſcientiarum carnifices) non æquant ne centeſimam quidem partem ejus pœnitentiæ, quā imponebant Canones illi, nec penes durationem, nec ſecundùm acerbitatem: ut patebit conſideranti. Injuſtiſſima itaque ejuſmodi impiorum ac pſeudo-pœnitentium querela eſt. Vide quæ ſuprà diximus à num. 136. ad 145. ex Sanctis Cypriano, Ambroſio, Chryſoſtomo, & Cardinali Bellarmino, ac præterea Excurſum ſequentem.

160. Quamvis verò admodùm conveniens ſit dilatio abſolutionis erga ejuſmodi homines peccatorum gravium reos, & præſertim relapſos, utque interea in actionibus & mortificationis aliquandiu ſe exerceant, ut dictum eſt; ſemper oportet ut confeſſarius in ea re valdè prudenter ſe habeat, ac præterea curet ne pœnitens pluſquam oportet affligatur, nec ullo modo ſigillum confeſſionis violetur. Certè ſatiùs eſſet quòd pœnitens ſponte ſua exſeqneretur ea pœnalia opera antequam ad confitendum accederet, in oratione, eleemoſynis, jejunio, fletu, aliiſque mortificationibus continuatis per aliquod tempus, juxta regulas prudentiæ Chriſtianæ. Sic enim ſecuriùs poſſet, ac cum firmiori ſpe veniæ confiteri poſtea, ſine periculo nllo ut ſigillum violaretur. Sic etiam cum ingenti fructu exſequeretur monitum illud Apoſtoli, adhuc relatè ad confeſſarium: SI NOSMETIPSOS DIJUDICAREMUS, NON UTIQUE JUDICAREMUR.

EXCURSUS III.

Eadem doctrina de differenda in certis caſibus abſolutione, & exhortando, aut etiam obligando pœnitente nonnunquam, ut aliquot dignos pœnitentiæ fructus præmittat antequam abſolvatur, oſtenditur non ſolùm conformis antiquæ ſacrorum Canonum & Pontificum diſciplinæ, ſed etiam communis Theologorum, ac certæ judicio Cardinalis de Lugo. Porrò illam fuiſſe traditam in theoria & praxi à ſanctiſſimis viris Franciſco Xaverio, Thoma de Villa-nova, & Carolo Borromæo: ac latè à Cardinali Bellarmino, & recentibus aliquot Conciliis.

161. OPORTET nunc explanare & confirmare aliquantò ampliùs ea quæ diximus Excurſu ſuperiori de abſolutione interdum differenda quibuſdam peccatoribus gravium ſcelerum reis, præſertim relapſis, aut duris corde; de quorum vera converſione & firmo emendationis propoſito prudenter dubitatur: immo & de hortandis iis, aut etiam conſtringendis quandoque, ut præmittant, non quidem totam pœnitentiam juxta antiquos Canones debitam (ut cenſuiſſe videtur Petrus de Oſma ſuprà à num. 145. rejectus) nec quia cenſeamus, ſatisfactionem in re pro peccatis ex inſtitutione divina per ſe ac generatim exhiberi debere antequam conferatur abſolutio (hoc enim rejecit Alexander VIII. in propoſitione XV. inter 31. damnatas) ſed ſolùm partem aliquam dignorum pœnitentiæ fructuum, antequam abſolvantur. Nimirum ſæpè ita exigit nimia fragilitas, aut peſſima conditio confitentis. Inſuper ea opera pœnalia non ſolùm deſerviunt ad placandam indignationem Dei, & vindicandum ſcelera in ipſum commiſſa, impetrandumque auxilia opportuna perfectæ converſioni; ſed etiam ut Confeſſarius habeat moralem quandam certitudinem de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis, ac requiſitis convenientibus ad remiſſionem ſive abſolutionem accipiendam. Vide infrà num. 204.

162. Sanè olim, licèt cum multò majori ſeveritate, & diuturnioribus pœnitentiæ operibus ante reconciliationem, ita ſtatutum erat per ſacros Canones, etiam multis ſæculis antequam hic undecimus Concilii Toletani III. conderetur, ut ſacerdos conſideratis pœnitentiæ fructibus, & majori aut minori fervore, & humilitate ac perſeverantia in iis exhibendis, ſe gereret opportunè cum peccatoribus. Huc ſpectat Canon XII. Concilii Nicæni, ubi relapſis, ſive reverſis ad vomitum inſtar canum, indicitur pœnitentia longiſſima antequam reconcilientur, ſive communioni reſtituantur: verùm injungitur Epiſcopis, ut interea examinent modum ac fervorem & humilitatem, quâ aſperitates ſibi præſcriptas exſequuntur, ut ſic poſſint aliquantò breviùs illos reconciliare. Hæc enim indicant verba illa: ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις προσήκει ἐξετάζειν τὴν προαίρεσιν, καὶ τὸ εἶδος τῆς μετανοίας, &c. *In his autem omnibus examinare convenit conſilium & ſpeciem pœnitentiæ. Quicumque enim & metu, & lacrymis, & tolerantiâ, & bonis operibus, converſionem & opere & habitu oſtendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quòd liceat etiam Epiſcopo humanius aliquid de eis ſtatuere.* Vides qualiter peccatores multorum annorum ſpatio deberent ſeveriſſimam illam pœnitentiam agere priuſquam abſolverentur, licèt juſtis ex cauſſis breviari poſſent ab Epiſcopo, aut prolongari, juxta fervorem aut negligentiam ipſorum.

163. Similiter in Concilio Carthaginen. IV. Can. LXXV. ſtatuitur, *ut negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur.* S. Innocentius I. Papa Epiſt. I. cap. 7. *De pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletum atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti* (nimirum reconciliari) *cùm viderit congruam ſatisfactionem.* Similiter S. Leo Papa Epiſtolà LXXIX. aliàs cap. 6. *Ea cuſtodienda eſt moderatio, quæ in ſocietatem noſtram NON NISI PER POENITENTIÆ REMEDIUM, & per impoſitionem Epiſcopalis manûs, communionis recipiant unitatem, TEMPORIS POENITUDINIS HABITA RATIONE, TUO CONSTITUENDA JUDICIO, PROUT CONVERSORUM ANIMOS PERSPEXERIS ESSE DEVOTOS.* Itaque priſcis iis ſæculis præcedebat per annos diuturna & graviſſima ſatisfactio: ac juxta majorem aut minorem illius fervorem differebatur aliquantò minùs aut magis abſolutio, ſive reconciliatio, ſacerdotis arbitrio.

164. Verùm cùm ea ſeveritas abolita fuerit contrariâ tot ſæculorum conſuetudine, nec audemos, nec poſſumus illam inſtaurare: ſed ſolùm hortari ut ex aliqua parte, & interdum, uſurpetur cum reis gravium criminum, præſertim duris, aut relapſis, quoties Confeſſario prudenti viſum fuerit neceſſarium aut utile ad ſalutem pœnitentis, prout nuper monuimus. Licèt enim per ſe loquendo, ac generatim, ſive ex inſtitutione divina, non ſit neceſſarium ut ſatisfactio in re exhibeatur ante abſolutionem (ut declaravit Alexander VIII. contra propoſitionem XVI. inter XXXI.) ex peculiari ac miſerrima conditione eorum delinquentium ſæpè opus eſt, ut partem aliquam pœnalium operum præmittant antequam confiteantur, vel ſaltem antequam abſolvantur, prout ſuprà diximus.

165. Porrò doctrinam præjactam, veluti certam & communem in ſenſu explanatò, legere eſt paſſim apud cordatos quoslibet Theologos antiquos & recentes. Plurimorum generatim fidem facit, eoſque ſequitur D. Cardinalis de Lugo diſputatione quartadecima *De Pœnitentia*, ſectione decima, numero centeſimo ſeptuageſimo juxta editionem, Lugdunenſem anni MDCXXXVI. pag. 279. ubi teſtatur eſſe *COMMUNEM THEOLOGORUM SENTENTIAM, QUOD CONFESSARIUS POSSIT ALIQUANDO OBLIGARE POENITENTEM AD IMPLENDUM POENITENTIAM ANTE ABSOLUTIONEM, QUANDO JUDICAT ID NECESSARIUM VEL UTILE POENITENTI.* Et ſtatim num. 171. ſubjungit:

git: *Quum Confeſſarius judicat expedire dilationem abſolutionis ad hoc ut pœnitens reddatur magis cautus, nec ita facilè relabatur*, POTEST CERTE, ET DEBET ALIQUANDO, UT MEDICUS, HOC REMEDIUM ADHIBERE. Hactenus ille.

166 Sed huic receptiſſimæ doctrinæ, ac maximè obſervandæ ab omnibus Confeſſariis erga peccatores multorum criminum reos, relapſos, aut duros, de quorum vera converſione aut ſufficienti diſpoſitione dubitatur, addidimus ſuprà à num. 145. & nuper num. 161. accipiendam eſſe, non de tota pœnitentia præmittenda abſolutioni ſub præcepto in iis circunſtantiis; ſed ſolùm de aliqua illius parte, qualis & quanta judicabitur ſufficiens à prudenti Confeſſario, ut pœnitens ſit ſatis diſpoſitus ad recipiendam ritè & convenienter abſolutionem. Et in hoc ſenſu accipimus ac probamus verba illa Cardinalis de Lugo: *Quòd Confeſſarius poſſit aliquando obligare pœnitentem* AD IMPLENDUM POENITENTIAM ANTE ABSOLUTIONEM, &c. Implendam, nimirum, non ex toto, ut olim juxta ſacros Canones; ſed ex parte aliqua in gradu convenienti, judicio Confeſſarii docti, prudentis, ac pii. Nimirum hoc ſenſu doctrina illa communis Theologorum laudata à D. Cardinali de Lugo, diſtat longiſſimè à propoſitione Petri Oxomenſis rejecta in Bulla XVII. Xyſti IV. quâ ajebat: *Non peractâ pœnitentiâ confitente; abſolvi non debere*. Etenim præter ea quæ monui num. 146. erravit auctor ille in tradēda ea doctrina generatim erga quoslibet pœnitentes, contra praxim communem Eccleſiæ jam tum receptam à pluribus ſæculis. Cardinalis autem Lugus, & communiter alii Theologi, non loquuntur generatim, ſed in certis caſibus. Deinde Oxomenſis nolebat quemquam abſolvi, niſi *peractâ pœnitentiâ*, id eſt, integrè expleta. Cardinalis verò & alii, adhuc in iis certis caſibus nolunt pœnitentem obligari ad præmittendam totam pœnitentiam in re, ſed ſolùm in ea parte aut menſura, quam Confeſſarius doctus, prudens, ac pius, cenſuerit neceſſariam aut utilem ipſius ſaluti. Quod ipſum ferè circa communionem Euchariſticam monet expreſsè S. Anſelmus Oratione XXV. (juxta ordinem à nobis ſervatum in editione Romana Orationum ipſius pag. 142.) verbis illis: *Si peccata ſacerdotis ſunt criminalia, utilius eſt ei ab immolatione ſacrificii humiliter ceſſare, quàm per præſumptionem immolando majorem damnationem incurrere*, DONEC INCHOATA, VEL PERACTA POENITENTIA, *poſſit ad altaris ſervitium ſecurus accedere*. Si vel ad celebrandum divinum illud & maximè tremendum ſacrificium, non exigitur omnino ex præcepto, ut pœnitentia à Confeſſario impoſita ſit jam *peracta*, ſed ſatis eſt quòd *inchoata* vel *peracta* fuerit; quantò minùs ad abſolutionem de peccatis recipiendam requiretur omnino ex præcepto ut illa jam *peracta*, id eſt, integrè acta, ſit?

167. Videtur autem doctiſſimus Cardinalis Lugus eam regulam deſumpſiſſe, non ſolùm ex communi Theologorum ſenſu, ſed etiam ex ſanctiſſimorum virorum doctrina ac praxi, & nominatim ex S. Franciſco Xaverio Orientis Apoſtolo, apud Turſellinum libro ſexto Vitæ ipſius cap. 17. ubi ita de illo loquitur: *Si quando locupletes atque opulenti negotiatores, magiſtratus, aut præſides vitæ ſolutioris ad confeſſionem accederent, ante omnia cenſebat eos eſſe ſedulo admonendos, ut ſumpto ſpatio bidui, triduive, intentiùs anteactam vitam ſuam inquirentes, delicta omnia, ſi diffiderent memoriæ, mandarent literis*, DOLORISQUE SENSUM CONTRITIONEMQUE A DEO SUPPLICITER PETERENT, &c. *Neque tamen à confeſſione abſolvendos illicò, ſed poſteaquam ea quæ deberent, perſolverint. Itaque Patri Gaſpari de talibus hominibus præcipit in hunc modum*: CONFESSIONEM NON CONTINUO SEQUETUR ABSOLUTIO: *ſed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus, certarum rerum meditatione præparandis, ut interim, primò* ANIMORUM MACULAS VOLUNTARIIS ELUANT POENIS: *ſecundò ſi quid debent, reſtituant: tertiò, ſimultates, ſi quas habent, deponant; quartò redeant cum inimicis in gratiam: quintò, à libidinis conſuetudine: ſextò & à cæteris flagitiis, quibus impliciti ſunt, expediantur*. HÆC OMNIA ABSOLUTIONEM PRÆCURRANT RECTIUS, QUAM SEQUANTUR. *Namque iſtiuſmodi homines in ipſa confeſſione promittunt ſe cuncta facturos: poſt abſolutionem fidei datæ immemores, promiſſa irrita cadere patiuntur*. PROINDE ELABORANDUM EST, UT ABSOLVENDI REPRÆSENTENT. QUOD PRÆSTARE DEBENT ABSOLUTI, &c. Hæc ille de differenda abſolutione, & præmittendis aliquot operibus ſive fructibus pœnitentiæ dignis.

168. Eodem ferè tempore quo Xaverius hæc in Oriente conſulebat, in Occidente quoque S. Thomas de Villa-nova, PATER PAUPERUM, Sermone feriæ ſextæ poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ, præſcribebat hunc ordinem peccatori gravium ſcelerum reo: ut poſtquam in corde contrito & humiliato peccata ſua aperuerit Confeſſario, quædam opera ſalutaria & veræ pœnitentiæ exhibeat, & tandem abſolutionem accipiat à Confeſſario. PRIUS (inquit) *vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur, & veniam petat*, ET TUNC AD CONFESSARIUM REDEAT ET ABSOLVATUR. HUNC ORDINEM NE TRANSGREDIARIS. *Væ! qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, &c. Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi Confeſſariorum & Paſtorum blandiens adulatio? deliniens demulcenſq; aſſentatio? Væ miſeris*, &c. Hæc ibi, & plura alia eodèm ſpectantia doctiſſimus & ſanctiſſimus Præſul.

169. Idipſum ferè tradit S. Carolus Borromæus in Tractatu De ratione adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ, cum tanto fructu recepto, & ſpeciatim laudato apud Antonium Poſſevinum Bibliothecæ ſelectæ Sectione I. lib. tertio cap. 23. dicens: *Eſt præterea conſultum abſolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametſi dicant ac polliceantur quod ſe eximent à*

pec-

peccato; tamen Confeſſario probabilem faciunt metum ne contrarium contingat. Idipſum tradit in Enchiridio pag. 766. præſertim dum ait, differendam eſſe abſolutionem, donec aliqua correctio appareat, iis pœnitentibus, quos veriſimile ſit ad eadem peccata redituros, *QUICQUID CONTRA AFFIRMENT*. Statimque exemplum adhibet eorum, quibus oportet abſolutionem differre, ſubdens: *Cujuſmodi ſunt præſertim juvenes otio et plurimùm dediti, qui majorem vitæ ſuæ partem inſumunt in ludis, comeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitiis, blaſphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumeriſq; id genus vitiis, qui ſemel tantùm quotannis ſub finem Quadrageſimæ ſeſe ſacerdoti ſiſtunt ad confeſſionem: SICUT ET UNIVERSIM OMNES, QUI PER PLURES ANNOS IN EISDEM PECCATIS PERSEVERANT, ABJECTO OMNI CORRECTIONIS STUDIO. Sciant denique non poſſe ſe iis impendere beneficium abſolutionis, qui peccati mortalis occaſionem omnem fugere ſeriò non propoſuerint.* Mitto plurima alia ejuſdem S. Cardinalis teſtimonia in citato Enchiridio, atque alibi ſæpè, quorum nonnulla variis locis hujus Operis laudo & exſcribo.

170. Paucìs poſt illius obitum annìs eandem doctrinam variis locis tradidit doctiſſimus & piiſſimus Cardinalis Bellarminus, præſertim Concione VIII. in Dominicam IV. Adventûs, ubi ita invehitur adverſus Confeſſarios parum cautos in exploranda diſpoſitione pœnitentium, & nimiùm faciles in abſolvendo, quaſi eſſent domini, & non diſpenſatores, ac miniſtri dumtaxat. *Illi* (inquit) *ſe miniſtros & diſpenſatores* (myſteriorum Dei) *non agnoſcunt, qui quaſi non eſſent rationem Domino reddituri, ſumma facilitate omnibus manum imponunt; & tam contritos quàm non contritos; tam plenè & perfectè confitentes, quàm peccata ſua quadam confuſa generalitate involventes; TAM SATISFACERE PARATOS, QUAM NON PARATOS, quaſi propria poteſtate & auctoritate abſolvunt. Iſti ſuâ imperitiâ & ſuperbiâ corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. NEC ENIM ESSET HODIE TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ETIAM TANTA FACILITAS ABSOLVENDI.*

171. *Veniunt homines onuſti peccatis, & qui millies in eadem ceciderunt; & veniunt ſæpè ſine ullo ſigno doloris, VEL PRIDIE, VEL IPSO DIE SUMMÆ CELEBRITATIS, ET STATIM ABSOLVI, & ad ſanctorum myſteriorum communionem accedere volunt. Et nos judices inconſiderati, diſpenſatores infideles, omnibus manum imponimus, omnibus dicimus: Ego te abſolvo; vade in pace!*

172. *SED VÆ NOBIS, quum Dominus rationem ponet cum ſervis ſuis! ſervi ſumus, diſpenſatores ſumus, non domini ſumus: cauſſam Dei, non noſtram agimus: offenſas Dei, non noſtras remittimus; bona Dei, non res noſtras diſpenſamus* &c.

173. *Hinc videlicet B. Auguſtinus in Epiſt. CXLIX.* Nihil eſt (*inquit*) in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi & presbyteri officio, ſi perfunctoriè & adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. *Et B. Joann. Chryſoſtomus. Homil. 3. in Acta*: Non temerè (*inquit*) dico; ſed ut affectus ſum, ac ſentio: non arbitror inter ſacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant; ſed multò plures qui pereant; *unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione poſſit æſtimari.*

174. *Paſſim videbitis euntes homines ad confeſſionem; & licèt neque dolorem peccatorum, neque verum propoſitum non ampliùs peccandi; neque DESIDERIUM SATISFACIENDI pro præteritis habeant; tamen omnino cupiunt abſolvi. Et ſi caſu aliquo Confeſſarium ſapientem inveniant, qui eis apertè dicat: Frater, ego hic ſedeo, non ut Rex, ſed ut judex...... Ego, qui ſervus ſum, non ex liberalitate, ſed ex juſtitia bona Domini mei diſpenſare debeo; ſi inquam, talem Confeſſarium fidelem & prudentem nacti fuerint; quærunt ſibi alium, & ab eo abſolutionem quoquo modo extorquent; & tum verè ſe liberos & abſolutos putant, cùm ſint miſeri, duplici vinculo colligati.*

175. Præterea Concione IX. in eandem Dominicam ſic carpit incuriam multorum ex Confeſſariis, & facilitatem nimiam abſolvendi pœnitentes, horumque duritiam & nimiam aliunde teneritudinem ad opera pœnalia: *Unde tantus torpor in nobis? tanta ſegnities? tanta teneritudo? niſi ex eo quòd non intelligimus quid ſit Deum offendere? Et quid inde ſequitur, niſi UT QUAMPLURIMI TURMATIM IN INFERNUM DESCENDANT, NON SOLUM EX IIS QUI NON CONFITENTUR, SED ETIAM QUI CONFITENTUR?* Unde & concludit: *VERE DICO VOBIS: DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM, ET DESCENDUNT AD EUM SINE NUMERO.* Hactenus Bellarminus.

176. Paucis annis poſt obitum illius, ac S. Franciſci Saleſii, habita eſt ab hujus ſucceſſore, diſcipulo, & imitatore, Synodus Gebennenſis: in cujus 4. parte, titulo 9. cap. 5. habentur hæc verba: *Varii presbyteri ſe faciles præbent in danda peccatorum remiſſa, modò peccatores ſpondeant emendationem & elongationem à peccandi occaſione proxima. Diligenter inquirendum eſt, num idem non ſæpiùs promiſerint. Nam ſi idipſum promiſerint identidem, nec promiſſum adimpleverint, presbyter illorum verbis non debet credere, SED DIFFERRE ABSOLUTIONEM, quoad uſque ab iſtis occaſionibus peccandi receſſerint, ET QUOADUSQUE PER ALIQUOD TEMPORIS SPATIUM AD EAS NON REDIERINT. Nam ſi detur abſolutio ſine ſpe probabili quòd pœnitens ſtabit promiſſis, ſanguis Chriſti profanationi exponitur, & presbyteri iteratarum prolapſionum, & illorum malorum ſe reos conſtituunt, quæ ex falſis naſcuntur abſolutionibus, QUIBUS PERIT TUM PRESBYTERORUM, TUM POENITENTIUM MULTITUDO INFINITA.* Licèt autem hæc verba fortaſſis non exſtent [illegible] in libris hactenus editis S. Franciſci Saleſii; credi poteſt juxta mentem & ſpiritum ipſius, ſcripta fuiſſe ab eo Epiſcopo, quem ille vivens monitis & exemplis

Collect. Max. Concil. Hiſp. Tom. II.

inſtruxit, ac jam ritè formatum ſibi coadjutorem elegit.

177. In Concilio Pragenſi Provinciali anni MDCV. poſtea recuſo anno MDCL. juſſu D. Archiepiſcopi Cardinalis de Harrach, titulo *De Pœnitentia*, pag. 78. ita admonetur Confeſſarius: *Quos in graviora crimina frequenter ex prava conſuetudine incidiſſe animadverterit, IIS AD ALIQUOT DIES, ATQUE ADEO MENSES, PROUT MORBI GRAVITAS EXEGERIT, ABSOLUTIONEM DIFFERAT: ita tamen, ut illos ſanare, non autem in deſperationem aut confuſionem inducere, piè prudenterq; procuret.* Quod ferè monitum nos jam præmiſimus ſuprà num. 160. Mitto plurimos alios Theologos magni nominis ita loquentes: quorum quiſpiam non dubitavit dicere, hoc uno remedio differendi prudenter abſolutionem, & hortandi interea peccatores ad exhibendum aliquandiu opera veræ pœnitentiæ, ſperari poſſe ingentem fructum in Eccleſia, & correctionem morum in pleriſque hominibus gravium ſcelerum reis, ac præſertim relapſis.

EXCURSUS QUARTUS.

Patres Hiſpanos, tum in hoc Concilio, tum in aliis, plurimùm commendâſſe clericis, præſertim ſacerdotibus, ſtudium accuratum, & obſervantiam Canonum pœnitentialium. Idipſum curæ fuiſſe poſtremis hiſce ſæculis S. Carolo, aliiſq; Præſulibus, ſed præcipuè Concilio Tridentino, cujus illuſtria loca expenduntur pro praxi hodierna Canonum antiquorum, cum aliquali proportione.

178. VIDIMUS in hoc Concilio c. 1. 11. 12. & 25. Patres Hiſpanos nihil ferè aliud clamare, quàm Canones, præſertim Pœnitentiales, ut omnino inſtaurentur. *Sciant* (inquiunt dicto Canone XXV.) *ſacerdotes Scripturas ſanctas & Canones: ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam Fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ.* Quod ipſum ferè apparebit in Conciliis ſequentibus. Sed ne quis exiſtimet illos prorſus antiquatos fuiſſe, oportet imprimis habere præ oculis doctrinam illam S. Thomæ Quodlibeto 9. art. 15. loquentis de antiquis Canonibus, quibus pluralitas Beneficiorum prohibetur (ac proinde de aliis ſimilibus, cùm eadem ratio ſit) hiſce verbis: *Quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non poſſunt per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc quod ſolùm de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata: præcipuè, ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare, intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare.* Idipſum dici debere circa antiquos Canones pœnitentiales, eadem auctoritas & ratio manifeſta extorquent. Verùm præterea exhibebo nonnulla teſtimonia graviſſima, noſtro tempori proximiora, quibus eorum ſtudium, conſideratio, & obſervantia accomodata hiſce ſæculis, laudatur & commendatur, etiam circa pœnitentiam ſive ſatisfactionem prudenter ac proportionatè imponendam.

179. S. Carolus Borromæus, clariſſimum Eccleſiæ lumen, ac ſingulare decus ſacri Collegii Cardinalium, curans obſervantiam ſacrorum Canonum in Eccleſia ſua Mediolanenſi, & illorum auſteritatem (quodammodo ſolùm, ſive quantum circumſtantiæ perſonarum temporis & loci patiebantur) indignationem multorum ſubiit. Unde ipſe in Oratione ad Concilium Mediolanenſe VI. inquit: *Exulcerantur animi quorumdam dictitantium: Non ferunt hæc tempora veterum Canonum & antiquæ Eccleſiæ medicamenta.* Sed reponit ſtatim S. Præſul: *Immo ardentiùs proſequamur: quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maximeq; opportunum id remedium: ut quibus olim rationibus diſciplina Eccleſiaſtica ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtauretur & propagetur.*

180. Similiter in Oratione, ſive Concione habita ad Concilium II. Mediolanenſe, ejuſmodi refractarios, ſive contradicentes ſacrorum Canonum obſervantiæ, appellat *filios perditionis*, dum ajunt: *Non ferunt hæc tempora veterum Canonum ſeveritatem: ſic jam diu viximus: ſic vixerunt, ita egerunt qui ætate anteceſſerunt: vitæ inſtitutum nihil eſt quod mutemus.* Deinde verò eos ſic refellit: *At nos hæc, atque adeò alia ejuſmodi, contemnamus, proponamuſq; nobis ob oculos libertatem illam ſpiritûs, & virtutem quâ armati Patres noſtri Apoſtoli, quâ muniti Martyres, quâ inſtructi noſtri Ordinis ſanctiſſimi homines, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, hujus Eccleſiæ Antiſtes, quâ affecti alii religioſi viri Apoſtolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis minis, non hominum clamoribus, non furoribus quaſi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commiſſi ſalute, forti conſtantique animo adhibuerunt illam quaſi cenſoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem.* Nimirum, juſtitiam vindicatricem peccatorum juxta ſeveros illos pœnitentiæ Canones.

181. Idem quoque variis locis ſequens veſtigia antiquorum Patrum & Conciliorum, graviſſimè injungentium ſacerdotibus ſtudium ſacrorum Canonum pœnitentialium, pariter illud commendat hiſce verbis: *Patres docuerunt quàm NECESSARIA ADMODUM ſit ſacerdotibus Canonum Pœnitentialium ſcientia. Etenim ſi omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia ſolùm ac pietate, ſed juſtitiâ etiã metienda ſunt; certè norma hæc è Canonibus Pœnitentialibus ſumatur oportet. Sunt namque ii quaſi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commiſſæ gravitatem rectè digneſcendam, tum ad imponendam pro illius ratione VERAM POENITENTIAM ſacerdotes Confeſſarii ita dirigantur, ut ubi ſingula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis ſtatum, conditionem, ætatem, intimumq; cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint; tum demum pœnitentiam judicio ac prudentiâ ſuâ moderentur.*

182. Præterea regulam iſtam præſcribit valdè

dè notandam: *Confeſſarius Canones Pœnitentiales ſciat oportet: nam quamvis illi poſſint & debeant ſecundùm prudentis & timorati Confeſſarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diverſaq; conditio, aliæque circumſtantiæ exigent; utiliſſimum tamen eſt, SEMPER CANONES ISTOS PRÆ OCULIS HABERE, ET AD EOS TANQUAM AD REGULAM RESPICERE, QUANTUM EXPEDIRE VIDEBITUR.* Alio item loco: *Confeſſarius ſibi ob mentis oculos proponet Canones Pœnitentiales, qui lumen ſibi & pœnitenti quoque afferant, quò videant, quemadmodũ pro peccati ratione pœnitentia ei imponenda ſit.* Deinde in Concilio Mediolani celebrato anno MDLXV. Conſtitutionum Parte II. titulo 6. inquit: *Confeſſores Canones pœnitentiales benè noverint.* Et in alio Concilio an. MDLXXIX. Conſtit. Parte III. §. 2. titulo *De examinandi ratione*, præcipitur ut examinandi interrogentur: *An Canones Pœnitentiales rectè teneant.*

183. Eodem ferè tempore S. Caroli, ſtudium, conſideratio, & obſervantia prudens Canonum Pœnitentialium in Catechiſmo Romano *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. 13. commendabatur Confeſſariis, hiſce verbis: *Ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes ſcelerum ſuorum gravitatem magis agnoſcant, opera pretium erit eis ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis ex veterum Canonum præſcripto, qui Pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint.* Similiter Concilium Bituricenſe Provinciale in Galliis celebratum anno MDXXXIV. titulo XXI. cap. 8. inquit: *Sacerdotes diſcant Canones Pœnitentiales, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ meliùs intelligant.*

184. Quin & hoc ipſo ſæculo in Synodo Archidiœceſana Pragenſi, celebrata anno MDCV. & recuſa poſtea anno MDCL. juſſu Eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopis de Harrach, titulo *De Pœnitentia* dicitur: *Confeſſarii Canones Pœnitentialis memoriæ mandent, ut ſingulis criminibus congruam ſatisfactionem injungere valeant.* Mitto plurima alia hujus generis obvia in graviſſimis Conciliis utroque hoc poſtremo ſæculo celebratis, præſertim in Gallia & Germania, quale etiam fuit Oſnaburgenſe anni MDCXXVIII. ubi cap. 17. §. 8. dicitur inter plura alia: *Requiritur in ſacerdote ſcientia Canonum Pœnitentialium.*

185. Sed quomodo non loquantur ita Epiſcopi, ac Theologi graves, præſertim in Conciliis recentibus; quum ſubit memoria Patrum ac Conciliorum veterum, in quibus tam ſæpè, tam ponderosè ſacerdotibus ſtudium & obſervantia Canonum Pœnitentialium commendatur? Certè vel inclinante jam ſæculo decimo tertio, quando illorum uſus extenuatus admodùm fuerat, ajebant duo Cardinales graviſſimi, Bona-ventura in Confeſſionali, & Hoſtienſis lib. quinto titulo *De pœnitentiis & remiſſ. Vix nomen ſacerdotis conſtabit in eo, qui Canones Pœnitentiales ignorat.* Unde fortaſſe Andreas Hiſpanus Epiſcopus Civitatenſis, & S. Romanæ Eccleſiæ Pœnitentiarius, in ſuo *Modo confitendi*, edito Argentinæ anno MDVIII. accepit dictum illud: *Qui Canones Pœnitentiales ignorat, vix meretur dici ſacerdos.*

186. Quamvis verò priſcorum Canonum obſervatio admodùm friguiſſet ab aliquot ſæculis; præſertim poſt celebratum Concilium Viennenſe Generale ſub Clemente V. poſtea illos magna ex parte inſtaurãdos curârunt Patres Tridentinę Synodi, præſertim Seſſione XXII. celebrata die 17. Septembris an. MDLXII. ſub Pio IV. Etenim in ordine ad reformationem clericorum ita ſtatuitur cap. primo: *Statuit ſancta Synodus, ut quæ aliàs à ſummis Pontificibus, & à ſacris Conciliis* (quorum uberrimam allegationem legere eſt, ac ſubinde Canonum plurimorum, apud explanatores ejus loci) *de clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum eiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si quæ verò ex iis in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quamprimum in uſum revocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeant: NON OBSTANTIBUS CONSUETUDINIBUS QUIBUSQUE, NE SUBDITORUM NEGLECTÆ EMENDATIONIS IPSI CONDIGNAS, DEO VINDICE, POENAS PERSOLVANT.* Evolvant, rogo, & particulatim conſiderent clerici quique, ſed maximè ipſorum Præſules, gravitatem, & minas eorum verborum; nec excuſationem prætendant inani illa cõtrariæ conſuetudinis exceptione, quam ſancta illa & ſapientiſſima Synodus tam apertè rejicit & damnat. Unde adhuc permiſſo quòd aliqua aut multa ſtatuta antiqua Pontificum, & Conciliorum, ſive Canonum præcedentium circa clericos in illis materiis, jam tum antiquata omnino fuiſſent; & non haberent vim obligandi in conſcientia propter longam deſuetudinem, aut conſuetudinem contrariam; eæ exceptiones de cætero præcluſæ fuiſſe videntur novo ſtatuto ejuſdem Concilii, obligantis quoslibet Ordinarios ad illorum inſtaurationem.

187. Præterea Seſſione XXV. decreto *De Reformatione*, inſtaurat nonnullos ſacros Canones in ſingulari, & generatìm omnes capite decimo octavo illis verbis: *Sciant univerſi, ſacratiſſimos Canones exactè AB OMNIBUS, & quoad ejus fieri poterit, indiſtinctè obſervandos*, &c. Unde videtur colligi; quamlibet deſuetudinem, vel etiam conſuetudinem contrariam ſacratiſſimis Canonibus (inter quos valdè præcipui ſunt Pœnitentiales) rejectam & abrogatam, fuiſſe in Concilio Oecumenico Tridentino; ac proinde neminem ſub eo prætextu aut exceptione ab iis obſervandis ſe excuſare potuiſſe de cætero. Videtur, inquam, ita colligi ex utroque illo Concilii loco.

EXCURSUS QUINTUS.

Qualiter deſervire poſſit Confeſſariis notitia priſcorum Canonum erga pœnitentes. An ii per Concilium Tridentinum inſtaurati fuerint circa ſatisfactiones pœnales juxta gravitatem & numerum peccatorum imponendas. Porrò obligationem earum oriri ex jure divino, quo urgemur ad agendum dignos pœnitentiæ fructus. Locus vulgatiſſimus S. Gregorii in eum ſcopum. Expenditur doctrina ejuſdem Concilii, illuſtrata conſiderationibus Cardinalis Bellarmini, & Ritualis, ac Catechiſmi Romani, & Sacramentalis Ambroſiani. Loca quædam illuſtria ejuſdem Gregorii & Auguſtini in eundem ſcopum.

188. QUICQUID verò ſit de ſolennitate illa & diuturnitate ſatisfactionum priſcis Canonibus præſcripta in vindictam variorum criminum (quæ jam à multis ſæculis in deſuetudinem abiit uſque modò, & privata cujuſpiam auctoritate inſtaurari nequit, ut ſæpè monui) ſaltem exacta illorum notitia deſervire in praxi poteſt Confeſſariis, tum ad aliqualem proportionem ſervandam in pœnitentiis imponendis; tum præterea, ut ipſis pœnitentibus repræſentent malitiam & gravitatem quorumlibet peccatorum mortalium, quibus non ſolùm inimicitia cum Deo contrahitur, & æterna mors; ſed etiam in hac vita mortali, tam longa, tam terribilis, tam formidanda vindicta imponebatur per ſacros Canones. Illam olim Chriſtiani poſt baptiſmum lapſi exactè ſubibant, & humillimè tolerabant, non ſolùm in foro externo, ſed interno quoque, ut loquitur doctiſſimus Archipræſul Antonius Auguſtinus in Præfatione ad ſuam Collectionem Canonum Pœnitentialium, præſertim verbis illis: *Quos falsò nonnulli putant ad forum judiciale tantùm pertinere*. Addit tamen illicò: *Non tamen negamus, & illos, & magnam eorum partem, quæ hoc volumine continentur, vix poſſe extra judicium ab iis qui occulta crimina audiunt, & ſatisfactiones indictas exſequi. TAMEN ADMONERE POENITENTES POSSUNT* (addiderim ego cum aliis, ET DEBENT) *quanta pro iis vindicta & pœna juxta ſacros Canones deberetur*. Nimirum, id deſerviet, ut ipſi pœnitentes exhorreant ſuorum ſcelerum gravitatem, & ultrò eligant opera pœnalia ad Deum placandum.

189. Quamvis autem communis ferè jam diu perſuaſio ſit, nec Confeſſarios modò teneri in conſcientia imponere, nec pœnitentes acceptare in ſacramento Pœnitentiæ ſolennes illas, & tam diuturnas, ac valdè acerbas ſatisfactiones, priſcis Canonibus taxatas, & jure Eccleſiaſtico inductas, quoniam penitùs in deſuetudinem abierunt jam à multis ſæculis; ſemper tamen, ut modò dixi, notitia exacta eorundem Canonum, & veteris diſciplinæ, deſervire plurimum poteſt Confeſſariis in ſatisfactionibus imponendis, ad normam quandam, & aliqualem regulam, atque exhortationem lapſorum, ut dignos pœnitentiæ fructus faciant, Ad hoc enim tenemur omnes jure divino, ſæpè in ſacris literis expreſſo de faciendis dignis fructibus pœnitentiæ; immo & forſan jure naturali, quod dictat Deo graviter offenſo deberi dignam ſatisfactionem, juxta gravitatem & numerum peccatorum. Itaque tam in primo lapſu gravi poſt baptiſmum, quàm in aliis ſequentibus, verus quiſque pœnitens, ſicuti debet habere propoſitum ſerium & efficax non peccandi de cætero; ita etiam dignè ſatisfaciendi Deo. Proptereaque S. Gregorius Magnus Homil. XX. in Euangelia inquit: *Per hoc quod dicitur, FACITE FRUCTUS DIGNOS POENITENTIÆ, uniuſcujuſque conſcientia convenitur; ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora ſibi intulit damna per culpam*. Id præceptum divinum perſtat adhuc, & nulla deſuetudine aut conſuetudine oppoſita abrogari poteſt, quamvis Canones Pœnitentiales, inducti ſolo jure Eccleſiaſtico & humano, potuerint per deſuetudinem antiquari, vel ab ipſa Eccleſia abrogari: ut monuimus ſuprà num. 178. ex illuſtri teſtimonio S. Thomæ.

190. Permanent ſimiliter adhuc, & æternùm permanebunt, decreta illa & dogmata Eccleſiæ circa pœnitentiã à ſacerdotibus adminiſtrandam, & à lapſis poſt baptiſmum agendam, quæ videntur ſpectare ad jus divinum, & continentur in allegata ac lectu digniſſima Seſſione XIV. Concilii Tridentini. Tale imprimis eſt, quòd ſive in primo poſt baptiſmum lapſu gravi, ſive in ſequentibus, non concedatur abſolutio peccatori, niſi ritè diſpoſito ad veniam accipiendam. Non licet enim ſanctum dare canibus, ut ſacris literis admonemur.

191. Qualis verò ſatisfactio pro gravibus peccatis imponi debeat, & quantum oporteat ut illa ſit in vindictam ſcelerum, atque ipſorum gravitati & numero proportionata; exponit luculenter idem Concilium Seſſione citata cap. octavo, cujus teſtimonium longiuſculum hîc exſcribere placuit: *Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata remittantur, ut occaſione acceptâ peccata leviora reputantes, veluti injurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ.*

192. *Proculdubio enim magnopere revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendã imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*, &c. *FACIENTES FRUCTUS POENITENTIÆ DIGNOS*, &c.

193. Statim verò poſtea ſubdit monitum iſtud venerandum ac tremendum: *DEBENT ERGO*

SACER-

SACERDOTES DOMINI, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis indulgendo, ALIENORUM PECCATORUM PARTICIPES EFFICIANTUR. Adjungit illicò: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, SED ETIAM AD PRÆTERITORUM VINDICTAM ET CASTIGATIONEM*, &c.

194. Exſcripſi verba hæc Concilii Tridentini (quamvis omnibus obvia in ejus Actis) ut etiam hoc loco legerentur. Magnus enim mihi timor eſt, plurimos Confeſſarios, aut ea non legere, aut non conſiderare, dum experimento conſtat, ab iis abſolvi ſæpè, impoſita leviſſima ſatisfactione, multos reos graviſſimorum ſcelerum, quorum ipſi participes efficiuntur, teſte Concilio. Nequeunt enim non communicare peccatis alienis, nec vitare poſſunt indignationem juſtam Dei, quando tam exiguo, tam nullo ferè zelo divini honoris tanguntur, ut graviſſimas divinæ majeſtatis injurias minimè vindicandas curent acri quodam ſupplicio, & quodammodo injuriæ proportionato. Videntur quoque, tum Confeſſarii ipſi, tum pſeudo-pœnitentes, qui eorum debilitatem agnoſcunt, pro nihilo reputare offenſas graves illatas Deo, quaſi perfunctoriâ quadam & nullius penè momenti ſatisfactione expiari poſſint. Inſuper & pœnitentibus tribuunt Confeſſarii prædicti anſam relabendi, tam levi ſatisfactione injuncta, *Ut occaſione acceptâ, peccata leviora reputantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ.* Ut nuper ex ipſo Concilio audivimus. Vide doctiſſimum Joannem Morinum lib. 3. *De Pœnitentia*, cap. 5. 6. & 7.

195. Rogo ego ſacerdos nimiùm indignus, & olim ac diu forſan minùs cautè verſatus in excipiendis confeſſionibus multorum, & remiſſos in ſatisfactionibus imponendis: rogo, inquam, per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, quoſvis alios Confeſſarios, ut reflectamus omnes ad præjacta verba Concilii Tridentini, immo Spiritus ſancti in ea dogmatica Seſſione loquentis. Conſideremus identidem illorum gravitatem: & ſi fortè in ea parte deliquimus, ac peccatorum alienorum participes facti fuimus ob imbecillitatem aut deſidiam noſtram; faciamus dignos pœnitentiæ fructus, ſtudeamuſque de cætero ut & alii pariter illos faciant. Alioqui & ipſi pſeudo-pœnitentes ob deſidiam noſtram relabentur, diceturque de nobis multò potiori jure, quàm de ſacerdotibus quibuſdam Hiſpaniæ in hoc Canone XII. Concilii Toletani III. *Sæpiùs laïcis tribuendo deſidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.*

196. Poteſt hoc ipſum urgeri graviſſimis teſtimoniis Patrum citatis jam à num. 137. ad 146. ac ſpeciatim S. Paciani ſuprà in Paræneſi ad Pœnitentiam pag. 94. & ſeqq. & aliorum quos allegavi in Notis ad illam. Sed hoc loci ſatius viſum fuit exhibere illuſtrem locum doctiſſimi & piiſſimi Cardinalis Bellarmini, Concione nona poſt Dominicam quartam Adventûs, ubi ita loquitur: *Cùm multò meliùs Chriſtiani intelligerent neceſſitatem pœnitentiæ, quàm nos faciamus, cumque apud ſe cogitarent & perpenderent, quantò faciliùs hic in terris, quàm in Purgatorio ſatisfieri poſſit pro peccatis; pœnitentias longiſſimas ſeptem, quindecim, viginti, triginta annorum, interdum etiam totius vitæ, libentiſſimè admittebant, & explebant: ut ex libro Tertulliani* De Pœnit. *& aliis vetuſtis auctoribus cognoſci poteſt. At verò hodie ita delicati, ita teneri effecti ſumus, ut vix paucorum dierum jejunia pro multis ſceleribus atque delictis ſuſtineri poſſint: cilicia verò & cineres, vigiliæ, humi-cubationes, flagella, & alia carnis afflictiones, non ſolùm in moribus noſtris, ſed vix jam in libris reperiuntur.*

197. *In Concilio Toletano X. legimus:* Potamium *quendam, qui cùm Epiſcopus eſſet, & ſemel tactu fœmineo ſorduiſſet, ipſe ſe primùm, nullo cogente, in ergaſtulo quodam concluſit, atque ibi novem menſium pœnitentiam egit; deinde ad Concilium literas dedit, quibus peccatum ſuum ſponte ſua prodidit. Patres verò Concilii illius, pœnitentiam ei perpetuam quò uſque viveret, injunxerunt; ut perpetuò in humilibus & abjectis officiis deſerviret; & nihilominus affirmârunt, humaniùs & miſericordiùs multò cum illo actum eſſe, quàm antiquorum regula & ſeveritas patiantur.*

198. *Et quantum, obſecro, nos ab hoc genere pœnitentiæ abſumus? Sed quid ait Scriptura?* Qui timet pruinam, cadet in eum nix. Job. 6. *Nos exiguæ & brevis pœnitentiæ auſteritatem formidamus, & longiſſimas Purgatorii vel gehennæ incurremus? Unde tantus torpor in nobis? tanta ſegnities? tanta teneritudo? niſi ex eo quòd non intelligimus quid ſit Deum offendere? Et quid hinc ſequitur, niſi ut quam plurimi turmatim in gehennam deſcendant; non ſolùm ex iis qui non confitentur, ſed etiam qui confitentur?* Nimirum, quia non bene, nec ſicut oportet, confitentur. Unde & concludit hiſce verbis horrorem incutientibus: *VERE DICO VOBIS. DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM, ET DESCENDUNT AD EUM SINE NUMERO.* Uſque adeò grande malum oritur ex eo quòd Confeſſarii tam molliter, tam indulgenter ſe habeant ergà peccatores gravium ſcelerum reos; neque illos hortentur, urgeant, ſuadeant, ac perſuadeant ad faciendum fructus pœnitentiæ dignos.

199. Quæ omnia ferè breviùs tradiderat S. Auguſtinus Homiliâ 50. cap. ult. dicens: *Non enim ſufficit mores in melius mutare, & à malefactis recedere, niſi etiam de iis quæ malè geſta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.* Et S. Gregorius Papa lib. 6. in 1. Regum: *Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio pœnitentiæ? Tunc namque bene converſum peccatorem cernimus, quum digna afflictionis auſteritate delere nititur quod loquendo confitetur.* Lege Mo-

Morinum libro primo *De Pœnitentia*, cap. 14.

200. Huc etiam ſpectat quod legitur apud Catechiſmnm Romanum titulo *De ſacram. Pœnit.* cap. 13. inter plura alia huc ſpectantia ad remedium & vindictam peccatorum imponendam & ſuſcipiendam: *Alterum eſt, ut ejuſmodi opera ſuſcipiantur, quæ naturâ ſuâ dolorem & moleſtiam afferant. Cùm enim præteritorum ſcelerum compenſationes ſint, atque, ut S. Cyprianus ait, redemptrices peccatorum, OMNINO NECESSE EST UT ALIQUID ACERBITATIS HABEANT. Maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent. Hortari etiam eos oportet, ut ſæpè eadem ſatisfactionis opera à ſacerdote indicta ultrò ſuſcipiant ac repetant; atque iis omnibus quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum pertinent diligenter abſolutis, tamen virtutis pœnitentiæ opera non prætermittant.*

201. Capite quoque decimo ejuſdem tituli hoc monitum Catechiſmi datur Confeſſario: *Diligenter providendum eſt, ut ea remedia ægroto adhibeantur. quæ ad illius animam ſanandam, & in poſterum contra vim morbi muniendam, aptiora eſſe videntur. Ex quo poterunt fideles colligere, cuivit maximo ſtudio curandum eſſe, ut eum ſibi ſacerdotem eligat, qui (inter alia requiſita) quæ cuique ſceleri pœna conveniat, optimè nôrit.* Sic certè unuſquiſque ad curandas corporis ægritudines quærit peritiorem medicum. Quod ipſum ferè habetur in Rituali Romano, dum juxta præjacta monita Concilii Tridentini ita hortatur Confeſſarium: *Curet, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia*, &c. Juxta qualitatem vitiorum. Similiter Sacramentale Ambroſianum ſic monet parochnm ac Confeſſarium: *Pro prudentia charitateq; ſua ſpectabit, tum verò maximè videbit, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat. Id quod & confeſſoribus & pœnitentibus periculoſum eſt, cùm id à ſacris literis, & à Conciliorum decretis, & à ſanctorum Patrum ſententia alienum ſit. NAM DIVINÆ LITERÆ AB IIS, QUI POENITENTIAM AGUNT, HOC EFFLAGITANT, UT DIGNOS POENITENTIÆ FRUCTUS FACIANT, ATQUE AD DOMINUM CONVERTANTUR IN JEJUNIO, ET FLETU, ET PLANCTU. Et verò qui pro peccatis gravibus leves quoſdam pœnitentiæ modos imponunt, hi, Canon XXXVIII.* (Concilii Cabilonenſis II. anno DCCCXIII. celebrati) *inquit, conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manûs; & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.*

202. Et poſt aliqua: *In peccati gravitate perpendet* (ſacerdos) *quoties* (id confitens) *admiſerit. Nam ſi quis in eodem genere ſæpiùs offenderit, dignus eſt qui graviori pœnitentia afficiatur. Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à ſanctis viris accepta pro peccatorum ratione adhiberi poterunt: ut egentibus hominibus cibum ſuppeditet ac miniſtret, pedes item lavet. Ut peregrinos pro facultatum ratione hoſpitio excipiat. Ut aliquot diebus carne aut vino item abſtineat. Ut certis diebus, præſertim feriâ IV. VI. & ſabbatho, jejunet; vel etiam veſcatur ſolùm pane. & aqua potu utatur. Ut, ſi facultates ſuppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemoſynam pauperibus Chriſti conferat. Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve. Ut flagella certis præſcriptis diebus ſibi adhibeat. Ut cilicium aliquot dies induat. Ut ſtatos pſalmos pœnitentiales, aliaſq; pœnitentiales preces piè recitet aliquot dierum ſpatio*, &c.

203. Ex dictis toto hoc Excurſu conſtabit, qualiter Confeſſarii in praxi debeant uti notitiâ priſcorum Canonum, & illos quodammodo ſervare aut imitari in pœnitentiis imponendis, juxta doctrinam Concilii Tridentini, Catechiſmi, Ritualis Romani, Sacramentalis Ambroſiani, & Cardinalis Bellarmini. Quorum auctoritatibus eo libentiùs uſus ſui, quò minùs antiquæ ſunt, & proximiores noſtris temporibns: quas proinde nemo poſſit dicere proprias ſæculorum veterum, ant longiſſimo temporis curſu antiquatas. Quin & hæc exceptio frivola erit loquendo de Canonibns antiquis, quatenus continent aliquid præceptum jure naturali ant poſitivo divino: qualia ſunt pleraqne contenta in locis Tridentini citatis à num. 191. ad 195. & in hoc Canone XI. Toletano, quatenus inquit: *Sæpiùs laïcis tribuendo deſidioſè pœnitentiam ad lamentanda rurſus facinora, poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.*

204. Inquires: Cur Eccleſia olim ab homine, etiam perfectè contrito, ac proinde juſtificato in oculis Dei, exegerit diuturnas illas tot annorum & adeò acerbas pœnalitates, ſacris Canonibus præſcriptas. Non enim videntur neceſſariæ fuiſſe ad impetrandam veniam peccatorum, quæ jam ſupponitur obtenta per contritionem totius cordis. Reſpondeo, imprimis eas macerationes diuturnas ab Eccleſia injnnctas fuiſſe, ut iis mediantibus peccatores impetrarent à Deo remiſſionem peccatorum, ſive (quod perinde eſt) nova auxilia gratiæ, quibns converterentur, & omnino placarent majeſtatem Dei offenſam. Deinde, ſive jam eſſent perfectè contriti, ſive non, Eccleſia jure ab his exigebat pœnalitates illas, nt Deo offenſo ſatisfacerent, ducta ratione illâ pulcherrimâ, quam reddit S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. aureis hiſce verbis: *In actione pœnitentiæ ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris.* Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. *Verùm quia plerumq; dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo cui dicitur:* Gemitus meus à te non eſt abſconditus; *rectè conſtituuntur ab iis qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata.*

DISSER-

DISSERTATIO NONA.

De pœnis relapſorum inſtauratis in hoc Concilio, & de vario genere aut modo pœnitentiæ.

AMPLAM Nobis materiam diſſerendi dederunt Canones XI. & XII. bujus Concilii circa illos peccatores, qui vel durante tempore pœnitentiæ, vel poſt illam canonicè actam, relapſi ſunt in aliquod ſcelus. Dum enim damnantur boc loco ſecundùm ſeveritatem priorum Canonum, oportet inquirere quas de cætero pœnas ſive pœnalitates ſubirent, & an omni actione pœnitentiæ interdicerentur. In quibus examinandis non leves difficultates occurrunt, pariter prætermiſſæ ab iſtorum Conciliorum interpretibus.

EXCURSUS PRIMUS.

In quibuſnam pœnis ſita eſſet ſeveritas priſcorum Canonum inſtaurata à Patribus hujus Concilii, adverſùs illos qui actâ pœnitentiâ canonicâ, relabebantur in ſcelera. Porrò eos non fuiſſe privatos communione in fine vitæ, uti tertio ſæculo mediante, & initio quarti obſervabatur; ſed potiùs admiſſos, juxta indulgentiam Concilii Nicæni, ac decreta Pontificum Innocentii & Syricii; quæ in eum ſcopum expenduntur & illuſtrantur. Semper itaque fuiſſe iis relapſis locum, non quidem pœnitentiæ ſolennis, ſed alterius diverſæ, utilis tamen & fructuoſa ad ſalutem.

205. QUAMVIS Patres Toletani hoc loco hominibus primò lapſis in ſcelus aliquod poſt baptiſmũ concedant actionem pœnitentiæ taxatæ juxta Canones; non tamen relapſis poſt canonicã pœnitentiam actam, vel ea durante. *Hi verò* (ajunt Can. XI.) *qui ad priora vitia, vel intra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, SECUNDUM PRIORUM CANONUM SEVERITATEM DAMNENTUR.* Oportet autem modò inquirere aliquantò diligentiùs, in quonam ſita eſſet ejuſmodi ſeveritas; non quidem universè loquendo (id enim eſſet longiſſimum veſtigatu, juxta multitudinem Canonum pœnitentialium) ſed ſolùm prout ſpectat ad ſenſum præſentis Canonis.

206. Imprimis ſeveritas major priorum Canonum circa relapſos ejuſmodi, videtur in eo ſita fuiſſe, ut ne in fine quidem vitæ communionem reciperent aliqui illorum. Id patet ex Concilio Eliberitano, pariter Hiſpano, in cujus Canone III. dicitur de Flaminibus poſt canonicam pœnitentiam lapſis: *Si poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs non eſſe illis dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Deinde Canone VII. dicitur generatim de omnibus in carnis peccatum lapſis poſt pœnitentiam: *Si quis fortè fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta, acceptâ* (ſive *actâ*, ut habent quædam exemplaria) *pœnitentiâ, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine babere communionem.* Idemque ferè habetur Can. XLVII. de maritis in mœchiam relapſis, poſtquam evaſerunt mortis periculum. Dicitur enim: *Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpè fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus. quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus, rurſus fuerit mœchatus; placuit ulteriùs non edere* (aliàs *ludere*) *de communione pacis.*

207. In quæ verba ita loquitur doctiſſimus Aurelianenſis Epiſcopus Albaſpineus: *Abſolutio ei in morte deneganda. Ex iis liquet unicam olim poſt baptiſmum fuiſſe pœnitentiam: & eum perpetuâ pœnitentiâ puniendum, qui impetratâ veniâ, rurſus ad eadem relaberetur.* Deinde ſtatim ea verba, *communio pacis*, ita interpretatur: *Communio pacis, communio fraternitatis, abſolutio, ſimplex reconciliatio, & ſimilia, ejuſdem ſunt ſignificationis.* Itaque ſicuti juxta tot Canones antiquos, iis relapſis poſt pœnitentiam canonicam ſemel actam, negabatur omnino communio de cætero; ita etiam (juxta ſententiam Albaſpinei) *abſolutio, ſive ſimplex reconciliatio*. De quo ultimo poſtea.

208. At quicquid ſit de auſteritate extrema ferè eorum Canonum apud Eliberim conditorum, non facilè mihi perſuadere poſſum, Patres Toletanos in hoc Concilio tribus circiter ſæculis celebrato poſt illud Eliberitanum, adeò ſeveros fuiſſe, ut relapſis poſt canonicam pœnitentiam ſemel actam, negarent in fine vitæ communionem, tum intellectam de abſolutione, ſive ſimplici reconciliatione, tum de Euchariſtica communione. Ducor imprimis benignitate Eccleſiæ Catholicæ erga quoslibet lapſos, quæ duobus ſæculis anteà in Concilio Nicæno Canone XIII. aliàs XII. generatim ſtatuerat ὥστε εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. Id eſt, juxta

ta interpretationem S. Iſidori Hiſpalenſis, *ut ſi fortè quis recedit ex tempore* (aliàs *ex corpore*) *neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur*. Juxta verſionem autem Dionyſii Exigui: *ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & maximè neceſſario viatico ne privetur*. Ac deinde clariùs in fine ejuſdem Canonis, & interpretationis Dionyſianæ. *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui* (Græcè *μετασχεῖν εὐχαριστίας*) *Epiſcopus probabiliter* (aliàs, *poſtquam probaverit*) *ex oblatione dare debebit*.

209. Porrò hoc piiſſimum magni illius Concilii decretum ab anno Chriſti CCCXXV. quo editum eſt, ſervatum fuiſſe videtur in tota ferè Eccleſia, uſque ad annum CCCXLVII. Tunc autem in Concilio Oecumenico Sardicenſi aliquot Canones auſteriores conditi ſunt, quibus ob tranſitum ambitioſum ab una Eccleſia in aliam negabatur Epiſcopis communio, etiam laïca, in fine vitæ. Sed & auſteritas hæc Canonum eam pœnam indicentium, antiquata fuit poſtea, aut etiam abrogata, ſaltem à tempore Innocentii I. Papæ, ineunte ſæculo quinto, in celebri illa Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, ubi capite ſeptimo, quod eſt *De pœnitentibus*, inquit: *De pœnitentibus verò, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romana Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſcha relaxandum, NE A SÆCULO ABSQUE COMMUNIONE DISCEDAT*.

210. Itaque auſteritas illa priſcorum Canonum, tam Eliberitanorum erga relapſos, quàm Sardicenſium circa Epiſcopos ambitioſos, ut ne in fine quidem vitæ communionem acciperent, videtur jam extincta, primùm à tempore Concilii Nicæni in Canone illo XII. aliàs XIII. tum poſtea decreto præjacto Innocentii. Idipſum videtur dicendum de auſteritate erga relapſos tempore S. Cypriani, memorata ab ipſo in Epiſt. LII. ad Antonianum, ubi ait: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, PROHIBENDOS ESSE CENSUIMUS A SPE COMMUNICATIONIS ET PACIS, ſi in infirmitate & periculo cœperint deprecari: quia rogare illos, non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*, ubi planè iis negabatur communio in fine vitæ, ſicut & ab aliis quibuſdam Epiſcopis, nullatenus de Novatianiſmo ſuſpectis. Quapropter dum PP. Toletani in hoc noſtro Canone volunt ut relapſi *ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur*, non videtur id intelligendum ita, ut etiam in fine vitæ communione careant; quemadmodum antea fieri ſolebat: ſed ita, ut communio & pax iis uſque ad mortem differatur. Hoc nimirum eſt quod antiqui Canones, prout jam correcti à Concilio Nicæno, & Innocentio I. Papa, fieri jubent: ut & illorum auſteritas toto decurſu vitæ ſit in vindictam ſcelerum, & reconciliatio ac communio in obitu manifeſtet pietatem ac miſericordiam Eccleſiæ piiſſimæ matris.

211. Unde ab initio ſaltem quinti ſæculi, quo Innocentius I. regere Eccleſiam cœpit, licèt poſt publicam pœnitentiam actam relapſis in eadem ſcelera, aut alia quælibet ex atrocioribus, non eſſet locus ad ſecundam pœnitentiam canonicam ſive ſolennem; erat tamen ad reconciliationem & communionem per modum viatici neceſſarii in mortis articulo. Quare ab eo tempore vix allegari poterunt Canones aliqui Conciliorum id ſolatium & ultimum ſubſidium negantes relapſis, ſi invenirentur jam receſſiſſe à peccatis, & totius cordis contritione ad Deum converſi fuiſſe. Propterea enim Innocentius loco citato monet, *Sacerdotis eſſe judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti* (hoc eſt, reconciliari, & ex hoc ſæculo in pace dimitti ad Dominum) *cùm viderit congruam ſatisfactionem*. nimirum aut in re, aut ſaltem in voto. Neque enim qui paullò ante mortem convertitur in corde contrito & humiliato, poteſt (communiter loquendo) in tam exiguo tempore congruam ſatisfactionem pro magnis ſceleribus reipſa exhibere; ſed in voto ſolùm, ſeu vera præparatione animi.

212. Immo & ante tempus ejuſdem Innocentii, inclinante quarto ſæculo, Syricius Papa in celebri illa Epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem (quam ſuprà exſcripſimus pag. 133.) loquens de peccatoribus quibuſdam extremè improbis, nimirum de Chriſtianis apoſtatis à Fide, ait cap. tertio: *Quos à Chriſti corpore & ſanguine* (attendant rogo quicumque ex heterodoxis realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam negant, & ſolùm figurativam admittunt) *quo dudum redempti fuerant renaſcendo, jubemus abſcindi. Et ſi reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta converſi, HIS QUAMDIU VIVUNT AGENDA POENITENTIA EST, ET IN ULTIMO FINE SUO RECONCILIATIONIS GRATIA EXHIBENDA: quia, dicente Domino, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*. Vides Syricium Papam, ductum imitatione quadam miſericordiæ divinæ, hominibus exſecrando apoſtaſiæ crimine maculatis, poſt ſpatium vitæ reliquæ in pœnitentia tranſactum, indulgere reconciliationis gratiam in obitu. Et tamen iis ipſis, tam circa medium tertii ſæculi in quibuſdam Eccleſiis ſub Epiſcopis Catholicis, teſte Cypriano, quàm poſtea initio quarti in Concilio Eliberitano, fuit communio negata prorſus (immo & reconciliatio ſimplex, juxta Albaſpineum alioſque) etiam in vitæ exitu. Nihil itaque mirum ſi poſtea ſæculo quarto & quinto, relapſis poſt pœnitentiam canonicam ſemel actam, & jam converſis ad Deum ex toto corde, in fine vitæ communio indulgeretur.

213. Sed illuſtris eſt locus cap. quinto ejuſdem

Syri-

Syricii Epiſtolæ, ac maximè opportunus, hiſce verbis: *De his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, QUI ACTA POENITENTIA, TANQUAM CANES AC SUES AD VOMITUS PRISTINOS ET VOLUTABRA REDEUNTES, & militia cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivêre concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, QUIA SUFFUGIUM JAM NON HABENT POENITENDI, id duximus decernendum, ut ſolâ intra Eccleſiam fidelibus orationi jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominica autem menſa convivio ſegregentur: ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent; & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) VIATICO (aliàs, VIATICI) MUNERE, CUM AD DOMINUM COEPERINT PROFICISCI, PER COMMUNIONIS GRATIAM VOLUMUS SUBLEVARI. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.*

214. Ex iis Syricii verbis palam conſtat quod paullò antea dicebamus de lapſis poſt actã publicè pœnitentiam canonicam. Licèt enim hæc nullatenus iteraretur, adhuc erat locus ut ii alio pœnitentiæ genere peccata ſua luerent, mores corrigerent, & Dei miſericordiam implorarent. Nimirum ſupererat locus, ut orantes (ex privilegio ſive benignitate Eccleſiæ) ſimul cum aliis fidelibus, & ſacris myſteriis intervenientes, atque in aſſiduo luctu ac mortificatione verſantes, tandem inſtante mortis periculo viaticum ſaluti neceſſarium acciperent. Hoc autem ſitum erat in duobus: nimirum, reconciliatione, ac communione Euchariſtica. Reconciliationem expreſſerat Syricius cap. tertio verbis illis: *Si reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta converſi, his quamdiu vivunt agenda pœnitentia eſt, ET IN ULTIMO FINE SUO RECONCILIATIONIS GRATIA TRIBUENDA.* Communionem verò Euchariſticam per modum viatici declaravit cap. quinto mox citato, dum dixit: *Cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſublevari.*

215. Itaque quantumvis ingrati Deo eſſent, & veniâ indigni, qui poſt actam pœnitentiam canonicam, & abſolutionem à peccatis acceptam, redibant ad eadam aut alia ſcelera; adhuc Eccleſia erga illos viſcera miſericordiæ exhibebat. Non enim omnino à toto cœtu fidelium eos ſeparabat, veluti membra putrida à corpore ſano; ſed hortabatur ſemper ad pœnitentiam. Eo fine indulgebat iis, ut intra Eccleſiam oratione fidelibus jungerentur. Præterea nova benignitate, ut ſacris myſteriis intervenirent, quamvis communione privati. Hæc autem duplex indulgentia includit aut ſupponit aliam, quâ admitterētur veluti privatim, & ſine ſolennitate ulla, inter Audientes: ut ex ſacra concione & exhortatione publica ad exhibendos pœnitentiæ fructus dignos, ipſi excitarentur pariter cum aliis aut præ aliis canonicam pœnitentiam agentibus. Unde antequam in obitu reconciliarentur & communionem acciperent, præmittebant dignam quidem pœnitentiam, non tamen canonicam, ſive ſolennem, aut judicialem juxta ſacros Canones, qualem antea egerant; ſed alterius generis, & veluti extrajudicialem, uſque ad finem vitæ: quo inſtante, pariter extrajudicialem, ſive extraordinariam (ut ita loquamur) reconciliationem & communionem, veluti viaticum ſaluti neceſſarium, accipiebant, juxta decreta allegata Concilii Nicæni, ac Pontificum Innocentii & Syricii.

EXCURSUS SECUNDUS.

Eadem doctrina de loco relicto peccatoribus relapſis in hoc & aliis Conciliis ad pœnitentiam ſalutarem, quamvis non canonicam, nec ſolennem, confirmatur illuſtribus Patrum teſtimoniis; præſertim Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, Iſidori, ac S. Thomæ, & variis conſiderationibus.

216. EX Dictis patet quàm ſapienter & piè loquutus fuerit S. Auguſtinus Epiſtolâ LIV. aliàs CLIII. jam ſuprà à nobis allegatâ, in reſponſione ad Macedonium (quem Africæ vicarium appellat Poſſidius cap. 20.) dicens, lapſis poſt actam pœnitentiam illam (ſolennem) quam *humillimam* vocat, locum adhuc eſſe utaliam, eamque fructuoſam & ſalutarem, agant. Neque enim inſultari, aut ſpes veniæ impediri poteſt homini cuiquam poſt actam pœnitentiam lapſo, & inquirenti: *Dicite utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſima voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi, etiam licita & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementiùs excruciavero, ſi miſerabiliùs ingemuero, ſi flevero uberiùs, ſi vixero meliùs, ſi pauperes ſuſtentavero largiùs, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentiùs. Quis noſtrûm ita deſipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi iſta proderunt in poſterum: vade, ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegamque dementiam.*

217. Subdit autem ſtatim Auguſtinus reſponſionem, & valdè ad rem noſtram: *Quamvis ergo cautè ſalubriterque proviſum ſit ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga iſtos non agi quod Apoſtolus ait:* Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Aut iſtis exceptis eſſe definitum quod ſcriptum eſt Pſalmo 2.* Beati omnes qui confidunt in eum? *Aut ad illos non pertinere quod dicitur Pſalmo 30.* Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Dominum?

218. Hactenus Auguſtinus palam confirmans

quod in ſuperioribus dicebamus. Licèt enim lapſis poſt ſemel actam pœnitentiam canonicam, ſive ſolennem, quam S. Doctor appellat *humillimam*, Ambroſius verò *publicam*, nullus eſſet locus illam iterandi; erat tamen exercendi aliam valdè laborioſam, nec parum utilem ad ſalutem; quam exponit, & colligit ex iis Scripturæ locis quibus declaratur patientia Dei hortantis quoslibet peccatores ad pœnitentiam, & ad ſpem in ipſo collocandam. Neque enim durante hac vita mortali, & uſu expedito rationis, alicui peccatori, quamvis relapſo, præcluditur omnino locus quærendi ſalutem ſuam cum divino adjutorio: ut ſæpè legitur in SS. Patribus, & nominatim in ipſo Auguſtino lib. 2. *De ſermone Domini in monte*, cap. 15. ubi ait, *nullam eſſe animam, quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt; in cujus conſcientia non loquatur Deus*. Loquitur autem Deus excitando intellectum, & movendo voluntatem ad pœnitentiam.

219. Immo non ſolùm de relapſis, ſed de excæcatis loquens S. Doctor, non omnino præcludit iis locum pœnitentiæ per auxilia divina dum degunt in carne mortali, Nam in Commentario Pſalmi ſexti, poſt medium loquens de iis, inquit: *Dedit eos Deus in reprobum ſenſum, nam ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur: SED NONDUM PENITUS, DUM IN HAC VITA EST*. Et in libro *De prædeſtinatione & gratia*, edito nomine S. Auguſtini ipſius cap. 14. legitur: *Si piè ſentiamus de Deo, etiam Pharaoni non denegavit miſericordiam ſuam*. Nimirum, aliquas excitationes mentis, & motiones voluntatis, quibus poſſet, quamvis difficulter, & inſerendo ſibi magnam vim, impetrare ſibi majora ac majora auxilia gradatim ad pœnitentiam agendam, & remiſſionem peccatorum comparandam. Quin & antea Origenes in illa verba ad caput nonum Epiſtolæ ad Romanos, *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, idipſum ſenſerat, nimirum, ne ipſi quidem Pharaoni indurato negâſſe omnino Deum facultatem pœnitendi.

220. Conſonat Auguſtino fidelis ipſius diſcipulus S. Proſper ad objectiones Vincentianas Reſp. 25. dum ait: *Nemini Deus correctionis adimit viam, neque boni poſſibilitate ſpoliat*. Fulgentius quoque caſtiſſimus Auguſtini ſectator & interpres, Epiſt. VII. ad Venantium, in illa verba Hierem. 8. v. 4. *Numquid qui cadit non reſurget?* ita loquitur: *Nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina. Ideo ipſe medicus* (Deus nimirum) *ſemper ſe poſſe converſo ſalutem donare teſtatur*. Nunquid qui cadet, &c. Quis ergo excludat relapſos ab auxiliis divinis, quibus poſſint converti?

221. Unde communis Patrum vox eſt, in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. confirmata in cap. *Firmiter. De ſumma Trinitate*, ſemper in hac vita dari locum pœnitentiæ. Et cap. *Talis. De pœnitentia*, dicitur: *Etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen reverti velit ad ſalutis viam, ſuſcipit & libenter amplectitur Deus*. Quin & S. Iſidorus, qui jam erat adultus tempore hujus Concilii Toletani, & poſtea illud cum aliis collegit, libro 2. *Sententiarum*, cap. 11. loquens generatim de omnibus, etiam peccatoribus magnis, ait: *Nulla eſt etiam de reatu excuſatio: quia lex Dei aures noſtras quotidie pulſat, & factorum documenta bonorum cordis noſtri intima provocant*.

222. Certè S. Thomas, adhuc loquens de obſtinatis (qui ſunt deterioris conditionis quàm relapſi poſt canonicam pœnitentiam actam) Quæſt. XIV, *De veritate*, art. 11. corpore, ita exponit rationem propriam hominis obſtinati, ut ſit, *qui non de facili poſſit cooperari ad hoc quod exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ: dum ſcilicet aliquis habet voluntatem ita firmatam in peccato, quòd non ſurgunt motus ad bonum, niſi debiles*. Si vel ipſi obſtinati in hac mortali vita tanguntur inſpirationibus & motibus ad bonum, licèt debilibus, & poſſunt cooperari ad exeundum de ſtatu peccati, ut loquitur Angelicus Doctor; quantò magis ii, qui poſt canonicam pœnitentiam actam lapſi ſunt abſque obſtinatione ulla in malo, poterunt cooperari ſuæ ſaluti, & accipere à Deo motus minimè debiles ad bonum?

223. Mitto plurima alia huc ſpectantia ex ſacris literis, hiſtoria Eccleſiaſtica, & teſtimoniis Patrum, quæ latè congeſſi Tomo III. Theologiæ S. Anſelmi, Diſp. CXXV. oſtendens, Deum hominibus quibuslibet lapſis, etiamſi magni peccatores ſint, & extremè impii, dum in via ſunt, ex miſericordia ſua infinita ob merita Chriſti conferre, nec ſolùm offerre auxilia neceſſaria ex parte intellectûs & voluntatis, ad ſalutem ſuam quærendam, licèt non æqualiter omnibus, neque cum æquali facilitate aut difficultate ad malum vitandum & bonum agendum, quod non eſt hujus loci examinare. Quantò ergo magis peccator poſt canonicam pœnitentiam lapſus ſemel aut iterum priſcis ſæculis in peccatum, mœchiæ verbi gratiâ, ex infirmitate, ſive urgenti tentatione, capax erat auxiliorum Dei, tam ex parte intellectûs, quàm voluntatis, quibus poſſet ſalutem ſuam quærere, & dignos pœnitentiæ fructus facere, licèt abſque ſolennitate illa, quâ exhibebatur pœnitentia canonica?

224. Concluditur itaque, lapſos in crimina magna poſt canonicam pœnitentiam actam, ita damnari in hoc Concilio *ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem*, ut nullus eſſet iis iterandæ ejuſdem ſolennis pœnitentiæ locus: eſſet tamen alterius extrajudicialis, aut privatæ, quâ dignos fructus converſionis ſuæ exhiberent, in jejunio aſſiduo, fletu, & planctu magno, humilitate profunda, mortificatione exacta, eleemoſynis largis, oratione jugi, humi-cubationibus, aliiſque exercitiis ſuprà ab Auguſtino indicatis: quæ nemo, niſi inſanus, improbare potuit, aut diſſuadere iis hominibus, veluti inutilia ad ſalutem.

225. Equidem earum mortificationum exercitia divino auxilio facta, & diu continuata ad veniam impetrandam, credibile non eſt nihil profutura in eum finem. Conſequens etiam eſt, ut homo tam dignos pœnitentiæ fructus faciens, iis ip-

ſis impetraret à Deo majora & majora auxilia ad dilectionem ipſius ſuper omnia, & contritionem perfectam de peccatis. Dilectioni autem & contritioni ejuſmodi palam promiſſa eſt in ſacris literis quorumlibet criminum venia abſque exceptione ulla, tam in Veteri; quàm in Novo Teſtamento. Aliunde quoque in Bulla celebri Beati Pii V. & Gregorii XIII. confirmata per Urbanum VIII. damnatæ fuerunt tres illæ propoſitiones, XXXI. XXXII. ac XXXIII. quibus aliqui docebant, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, poſſe exiſtere charitatem perfectam & ſinceram, de corde puro, & de Fide non ficta, ſine remiſſione peccatorum. Non itaque dubitare licet, hominem illum poſt actam pœnitentiam canonicam lapſum, & deinde facientem tam dignos pœnitentiæ fructus, ex dilectione Dei ſuper omnia, & contritione perfecta de peccatis, accepturum illicò veniam peccatorum. Aliàs enim hæc exiſterent ſimul cum charitate perfecta. Quod Pontifices damnant in iis theſibus.

226. Et ſanè non propterea vileſceret venia, aut homines juſtam occaſionem haberent ad relabendum, aut Deus ſe gereret minùs decenter conceſsâ ſæpiùs veniâ peccatorum. Nam ſecutâ de iis pœnitentiâ tam verâ, tam ſeriâ, tam feraci dignorum fructuum, nullum eorum inconvenientium ſequeretur. Quin potiùs haberet locum graviſſima illa conſideratio Tertulliani (ſeu potiùs S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis) libro *De Pœnitentia*, cap. ſeptimo, quâ oſtendit, nullum eorum abſurdum ſequi ex eo quòd crimina poſt baptiſmum cõmiſſa remittantur ſemel per unam & veram pœnitentiam. Huc enim ſpectat quod ille ait: *Piget ſecundæ, immo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem: ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur. Abſit ut aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis. NEMO ICCIRCO DETERIOR SIT, QUIA DEUS MELIOR EST, TOTIES DELINQUENDO, QUOTIES IGNOSCITUR.*

227. Certè hæc conſideratio (quâ & prædictus S. Pacianus uſus fuit ſcribens contra Sympronianum Novatianum, & præterea initio ſuæ Parænesis ad pœnitentiam) non modò habet locum in primo lapſu poſt baptiſmum, ſed etiam in ſecundo poſt actam ſemel canonicam pœnitentiam: immo & in tertio, quarto, &c. Cùm enim adeò ſeria & ardua pœnitentia, licèt privata, exigeretur in iis relapſis ad veniam impetrandam, etiam per confeſſionem ſecretam, ſpes veniæ non eſſet incentivum peccandi, nec vileſceret venia, quamvis poſt tot pœnitentiæ labores iteraretur: ſemperque verè dici poſſet: *Nemo iccircò deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* Dum autem tempore hujus Concilii introductus fuerat abuſus ille repetendi pœnitentiam (nimirum ſolennem) contra ſacros Canones, illam unicam eſſe ſtatuentes, quæque nunquam antea iterata fuerat, meritò ii timuerunt vilipendendam fuiſſe; ac propterea repetitionem illam cenſuerunt *exſecrabilem præſumptionem*, & fœdiſſimum pœnitendi genus.

EXCURSUS TERTIUS.

Præter pœnitentiam ſolemnem, quæ nunquam iterabatur, fuiſſe aliam publicam ſine ſolennitate, aliamque privatam & ſecretam in foro conſcientiæ coram ſacerdote ſolo. Hanc porro de peccatis internis & externis minùs gravibus, licèt mortiferis, iteratam fuiſſe, tum tempore hujus Concilii, tum antea & poſtea. Oſtenditur id multipliciter adverſus quoſdam negantes olim relapſis poſt baptiſmum pœnitentiam fuiſſe pluſquam ſemel conceſſam.

228. UT autem quæ modò dicebamus de repetitione pœnitentiæ non ſolennis, tam tempore hujus Concilii, quàm antea & poſtea, pleniùs confirmentur & exponantur, notandum eſt, licèt priſcis iis ſæculis, neque in hoc Concilio, nec fortaſſis in alio quopiam, legatur expreſſa diſtinctio inter pœnitentiam publicam ſolennem, & publicam non ſolennem, legi tamen apud ſcriptores poſterioris hujus chiliadis annorum, præſertim à duodecimo ſæculo, & deinceps. Petrus Pictavienſis, quem Joannes Morinus lib. 5. *De pœnitentia*, cap. 25. num. 5. laudat, veluti fidum diſcipulum Magiſtri Sententiarum, memorat quandam pœnitentiam publicam non ſolennem, præſertim iis verbis: *In die Cineris ejecti de Eccleſia, cum certa æqui forma in die Cœnæ recipiuntur: ET HÆC POENITENTIA DICITUR PUBLICA NON SOLENNIS.*

229. Hinc Scholaſtici ſequentes diſtinxerunt palam tres ſpecies ſive formas pœnitentiæ. Harum præcipua dicta olim fuit antonomaſticè *publica*, & ita nominatur à S. Ambroſio lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 10. verbis illis: *Reperiuntur qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto: nam ſi verè in Chriſto pœnitentiam agerent, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum eſt baptiſma, ita & unica eſt pœnitentia.* Addit verò illicò: *QUÆ TAMEN PUBLICÈ AGITUR.* Porrò Hugo de S. Victore Tract. VI. *Summæ*, cap. 12. & S. Thomas 3. par. quæſt. 84. art. 10. (ubi inquirit, *an ſacramentum Pœnitentiæ debeat iterari.*) allegant verba præjacta S. Ambroſii: & quam ille dixit pœnitentiam publicam, ſive *quæ publicè agitur*, ipſi interpretantur *ſolennem*, & ita palam appellant. Nec tamen Hugo admittit pœnitentiam aliquam publicam quæ non ſit ſolennis, ſed ſolennem & publicam pro una & eadem uſurpare videtur ſub iis duabus appellationibus, & negat illam iterari unquam potuiſſe, aut poſſe. Unde palam loquens ibi de illa pœnitentia, quam S. Ambroſius publicam dixerat, ſubdit: *Nec injungitur illa ſolennis pœnitentia iterum criminaliter peccanti, ſed datur aliquod conſilium.* Et, ut addit auctor libri cujuſdam *De pœnitentia*, ſcripti tempore ejuſdem Hugonis intra ipſam Abbatiam S. Victoris, *multoties conſilium pœnitentiâ ſolenni gravius indicitur.* Ac jure quidem: nam relapſus in crimen quodlibet,

majo-

majori pœna dignus eſt, cæteris paribus, quàm ſemel dumtaxat lapſus.

230. At enim tam Petrus Pictavienſis nuper allegatus, quàm plures alii ab inclinante eodem ſæculo duodecimo, & deinceps, palam diſtinxerunt tres illas pœnitentiæ formas, penes ſolennem, publicam, & privatam. Inter eos Robertus de Flammesburg citatus à Morino, in Pœnitentiali ſuo ait: *Pœnitentia alia ſolennis, alia publica, alia privata. Solennis eſt quæ fit in capite jejunii: quoniam cum ſolennitate ejiciuntur pœnitentes ab Eccleſia in cinere & cilicio. Hæc etiam eſt publica, quia publicè fit. Publica & non ſolennis eſt quæ fit in facie Eccleſiæ ſine ſupradicta ſolennitate, ut peregrinatio. Privata eſt illa, quæ privatim quotidie fit coram ſacerdote. Solennem pœnitentiam non injunget aliquis, niſi Epiſcopus, vel aliquis ejus auctoritate, niſi in neceſſitate. Tunc etiam poterit laïcus eum reconciliare, arg. De Conſecrat. diſt. IV. Sanctum eſt.* (ne exiſtimes ſermonem eſſe de reconciliatione ſacramentali: hæc enim à ſolo prorſus ſacerdote dari poteſt) *Publicam pœnitentiam, ſicut & privatam, injungit ſimplex ſacerdos, & quolibet tempore.*

231. Deinde S. Raymundus de Pennafort (quem Eccleſia in ſolenni Officio ad diem 23. Januarii celebrat, tanquàm inſignem ſacramenti Pœnitentiæ miniſtrum) inclinante ſæculo tertiodecimo, libro tertio *Summæ*, cap. *De pœnitentiis & remiſſ.* §. VI. inquit: *Species pœnitentiæ ſunt tres. Nam alia eſt ſolennis, alia publica, alia privata. Solennis eſt quæ fit in capite Quadrageſimæ cum ſolennitate, quæ eſt diſt. 50. In capite. Dicitur etiam ſolennis, quamvis non ita propriè, quando aliquis invitus ad pœnitentiam agendam mittitur in monaſterium, diſt. 50. Si ille. Hæc debet imponi ab Epiſcopo tantùm, vel de mandato ejus à ſacerdote: & debet pro crimine publico & vulgatiſſimo, quod totam commoverit urbem.* Subdit ſex notiones, ſive proprietates pœnitentiæ ſolennis. I. Quòd non imponatur clericis. II. Quòd laïci eâ functi nequeant promoveri ad Ordines. III. Quòd nequeat iterari. Tempore tamen hujus Concilii iterabatur de facto, & contra jus, in quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniæ. Immo & ineunte ſæculo quarto decimo antiquus gloſſatur S. Raymundi, & ferè ipſius ſynchronos, ad verba illa de pœnitentia ſolenni, *non debet iterari*, literâ h. ita ea exponit: *ſecundùm conſuetudinem quarundam Eccleſiarum: contrarium tamen in aliis obſervatur.* IV. Quòd eâ peractâ non poſſit matrimonium contrahi. V. Quòd militia ſit deſerenda. VI. Quòd pœnitens jam non ampliùs ſe ingerat negotiis ſæcularibus.

232. Ulteriùs loquens de ſecunda ſpecie, ait: *Publica dicitur quandoque quæ ſuprà dicta eſt ſolennis, idcircò quia publicè fit. Propriè tamen dicitur illa quæ fit in facie Eccleſiæ, non cum prædicta ſolennitate: ſeu quum injungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & ſcapulari, vel veſte aliqua ad hoc conſueta. Hanc poſſet imponere quilibet ſacerdos ſuo parochiano: quia non invenio ſibi prohibitum, niſi conſuetudo eſſet contraria in aliqua Eccleſia. Item non debet imponi clerico, niſi depoſito: nec debet imponi, niſi pro crimine enormi & manifeſto. De pœn. diſt. 6. Sacerdos.* Hactenus ille, loquens de pœnitentia publica propriè uſurpata, quatenus diſtinguitur à ſolenni & privata, veluti à duobus extremis, quibus interjecta eſt.

233. Denique ſtatim addit (quod maximè ad rem noſtram eſt) *Item ſolennis pœnitentia non debet iterari: ALIA QUÆLIBET* (nimirum publica illa nuper explanata, & inſuper privata) *ET DEBET ET POTEST ITERARI QUOTIES HOMO PECCAT. De pœn. diſt. 3. Reperiuntur*, &c. Quod ipſum ferè poſtea docuit S. Thomas loco allegato ex 3. par. quæſt. 84. art. 10. ac Cardinalis Turre-cremata in cap. *Si quis poſt remiſſionem.* 50. diſt. ubi & enumerat alias pœnitentiæ formas, quæ ad tres prædictas reduci poſſunt: ac denique recentiores ferè omnes; eandem diviſionem pœnitentiæ tradentes in ſolennem, publicam, & privatam; quarum ſola prima iterari nequeat, duæ reliquæ poſſint repeti. Legantur ſpeciatim ea de re Suarez & Martinon initio tractatuum *De Pœnitentia*, Rouſſel lib. 1. *Hiſtor. Pontif. juriſdict.* cap. 6. num. 15. Cellotius lib. 3. *De Hierarch.* cap. 18. & plures alii quos allegat ac ſequitur doctiſſimus, ac mihi quondam multis nominibus conjunctiſſimus, D. Emmanuel Gonzalez Tellez in librum quintum Decretalium titulo XXXVIII. qui eſt *De pœnitentiis & remiſſionibus*. Ubi plura alia huc ſpectantia invenies; quamvis nec apud illum, neque apud quenquam alium ſcriptorem, invenerim aliquem, qui reflexerit animum ad Canonem XI. Concilii III. Toletani, in quo verſamur, & tamdiu laboramus, cùm tamen doctrina ipſius valdè exotica, & ſumma difficultas, ſtatim ferè in oculos incurrat.

234. Quamvis autem certum ſit, in hoc Canone improbari uſum introductum in quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniæ circa iterandam pœnitentiam, nimirum ſolennem, cum certis cæremoniis juxta ſacros Canones ſtatutam pro criminibus gravioribus, ſive exitioſis, aut capitalibus, vel principalibus, juxta ſtylum Tertulliani, Paciani, & aliorum veterum; non tamen conſtat hoc loco reprehendi aut damnari pœnitentiam iteratam, quæ & ſecreta, & auricularis dicitur. Immo & jam oſtenſum fuit toto ferè Excurſu præcedenti, locum fuiſſe ad illam repetendam, ſaltem pro peccatis purè internis, aut minùs gravibus, licèt mortiferis.

235. Quod ipſum confirmare licet teſtimonio Concilii Tridentini Seſſ. XIV. Can. VI. ubi ita definit: *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; AUT DIXERIT MODUM SECRETE CONFITENDI SOLI SACERDOTI, QUEM ECCLESIA CATHOLICA AB INITIO SEMPER OBSERVAVIT ET OBSERVAT, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.* Itaque non ſemel ſolùm, aut bis, ſed ſemper in Eccleſia fuit uſus confitendi ſecretò peccata ſoli ſacerdoti. Quod ſaltem ac præcipuè de peccatis ſecretis & minùs gravibus, quamvis mortiferis, intelligi debet. Nam publica & enormiora confeſſione præſertim publicâ, &

pœnitentia ſolenni expiabantur. Unde & conſequens eſt, ut quoties ante actam pœnitentiam ſolennem, ſive poſt illam, labebantur & relabebantur homines in peccata minùs gravia ac ſecreta, toties illa ſecretò confiterentur ſoli ſacerdoti, & ab eo acciperent reconciliationem, licèt non ita facilè ac modò, ſed poſt præparationem illam diuturnam & laborioſam, in jejunio, fletu, planctu, orationibus, & eleemoſynis, quæ iis ſæculis melioribus in more erat, etiam pro peccatis mortiferis inferioris notæ.

236. Urgetur ex eadem Seſſ. XIV. cap. ſecundo, ubi palam definitur adverſus Novatianos, & alios errones, Eccleſiam habere poteſtatem ad abſolvendum pœnitentes, ut *NON SEMEL, SED QUOTIES ab admiſſis peccatis ad ipſum* (tribunal ſacerdotum) *confugerint, poſſint liberari*. Itaque poteſtas Eccleſiæ ad abſolvendum, NON SEMEL, SED QUOTIES pœnitentes confugerint ad tribunal ſacerdotale, certa eſt ſecundùm Fidem: ac proinde in uſum & functionem reducta fuiſſe cenſenda eſt omni tempore, quo Eccleſia conceſſit, aut non prohibuit ſacerdotibus ut eâ uterentur ſemel & ſæpiùs circa quoslibet lapſos ac relapſos. Atqui nulla ejuſmodi prohibitio fuit, aut ſaltem nulla invenitur exſtitiſſe, in ordine ad peccata purè interna, aut etiam externa, ſed ſecreta & minùs gravia, licèt mortifera. Cenſendum itaque eſt in uſu fuiſſe iteratam abſolutionem de iis peccatis erga quoslibet lapſos & relapſos & conſequenter hanc in Concilio Toletano III. ac Canone XI. nec vetitam, nec reprehenſam fuiſſe, ſed ſolùm illam aliam, quæ durante pœnitentia ſolenni, aut poſt illam, ob crimina publica, aut atrociora, contra jus & fas iterabatur.

237. Non ſum neſcius, doctiſſimum Albaſpineum firmiter ac multis locis negâſſe uſum ſive functionem ſecundæ pœnitentiæ poſt baptiſmum, priſcis ſæculis. Nimirum lapſis poſt baptiſmum unicam fuiſſe pœnitentiam contendit, ductus præcipuè teſtimonio Tertulliani (ſeu potiùs S. Paciani) lib. *De Pœnitentia*, cap. 7. Sed enim, ut obſervat Pamelius in eundem locum, ſemper Eccleſia peccatoribus veniam indulſit per reconciliationem publicam, aut ſecretam; & quicquid apud veteres legitur de ſecunda & ultima pœnitentia, dumtaxat de ſolenni intelligi debet. Quod ipſum tradit Petavius in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LIX. quæ eſt Novatianorum, paginâ mihi 239. & ante utrumque tradiderat S. Thomas 3. p. q. 84. art. 10. cum aliis toto hoc Excurſu indicatis. Quin & S. Ambroſius apertiſſimè videtur idem ſenſiſſe verbis ſuprà exſcriptis num. 227. Cùm enim præmiſiſſet: *Sicut unum eſt baptiſma, ita & unica eſt pœnitentia*; ſtatim addidit: *QUÆ TAMEN PUBLICE AGITUR*: qualis profectò erat eo tempore ſola pœnitentia ſolennis. Alia igitur pœnitentia tunc iterari poterat. Nimirum illa quæ ſecretò pro peccatis purè internis, aut externis quidem, ſed minùs gravibus, quamvis mortiferis, agebatur. Quod ipſum luculenter indicâſſe videtur Origenes multò antea Homiliâ XV. in caput 25. Levitici, verbis jam ſuprà allegatis Diſſert. VIII. num. 119. ubi loquens de peccatis minùs gravibus, quamvis mortiferis (ut patet ex toto contextu) ait: *Semper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur*. Hæc & plura alia ille ſcribens ineunte tertio ſæculo, quo diſciplina Eccleſiaſtica erat valdè ſevera. Sed & S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis, qui inclinante quarto ſæculo floruit, & graviſſimam illam Parænesin ad pœnitentiam ſcripſit, ſuprà à nobis recuſam pag. 94. & ſeqq. numero marginali illius 101. ita exaggerat aut ponderoſam oſtendit gravitatem trium peccatorum, idololatriæ, homicidii, & fornicationis (propter quæ olim ſolennis pœnitentia, eaque ſolùm ſemel, agebatur) ut tamen reliqua peccata minora, licèt mortifera, faciliùs redimerentur. *Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur*, &c. Quia, nimirum, verè pœnitentibus de iis in jejunio, fletu, planctu, contritione totius cordis, aliiſque auſteritatibus tunc ſolitis, & humiliter confitentibus, ſacerdotes ſecretò donabant veniam.

238. Itaque pœnitentia privata, ſecreta, & ſacramentalis, tam tempore hujus Concilii, quàm antea, de peccatis internis, & externis venialibus, ac mortiferis minoris notæ, iterabatur, quamvis cum magna circumſpectione, & auſteritate, juxta ſeveram diſciplinam illorum temporum. Idque vel ipſe Tertullianus, cujus verbis innititur Albaſpineus pro opinione contraria, idipſum indicare videtur libro citato *De Pœnitentia*, cap. 7. & 8. dum ait de lapſis poſt baptiſmum acceptum: *Verùm non ſtatim ſuccidendus, aut ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecunda pœnitentia debitor fuerit. Pigeat ſanè peccare rurſus: ſed rurſus pœnitere non pigeat*, &c. *Iterata valetudinis iteranda medicina eſt*.

239. Quod exemplis è Scriptura ſacra petitis, præſertim ex Apocalypſi, confirmare pergit, & ex Evangelio: qualia ſunt drachmæ perditæ, ovis amiſſæ, & filii prodigi. Hinc erigit animum hominis quantumlibet lapſi, in ſpem veniæ per veram pœnitentiam accipiendæ à Deo, ſicuti illam accepit filius prodigus à patre: immo multò ampliùs, quantò Deus magis propriè pater, & abundantiùs miſericors eſt. *Deus, ſcilicet, tam pater, nemo: tam pius, nemo. Is ergo te filium ſuum, etſi acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, quia rediiſti; magiſque de regreſſu tuo, quàm de alterius ſobrietate lætabitur*. Hæc autem omnia æquè locum habent in relapſibus ſequentibus, ac in primo poſt baptiſmum lapſu, ubi intervenit perfecta peccatoris in Deum converſio. Ideoque, aut Tertullianus cenſuit locum eſſe iterandæ pœnitentiæ privatæ ſemel & ſæpiùs poſt baptiſmum (uti ex prædictis verbis colligit Pamelius) aut ſaltem id colligitur ex ipſius ratiocinio.

240. Præterea S. Leo Papa Epiſt. XCII. aliàs LXII. ad Ruſticum Narbonenſem palam docet, quædam peccata minùs gravia, convivandi cum Gentilibus, & veſcendi idolothytis, poſſe remitti jejuniis & manuum impoſitione; nimirum abſolutione ſecreta: idololatriam verò, homicidium, & fornicationem, *nunniſi per pœnitentiam publi-*

publicam. Sed & antea S. Auguſtinus Tomo VI. libro *De Fide & Operibus*, cap. 48. & 49. manifeſtè diſtinguit delicta atrociora eorum, qui propriè Pœnitentes vocabantur, & minùs gravia illorum, quibus adhibebantur quædam alia remedia. Ab hiſce peccatis abſolvebantur homines quotannis feriâ ſextâ Paſchæ (ac proinde iteratò) ut patet ex Canone VII. hujus Concilii, & ex pluribus aliis locis.

241. Hoc ipſum urgentiùs confirmatur in iis omnibus Chriſtianis, qui primis ſex Eccleſiæ ſæculis (immo & pluribus poſtea) à tempore baptiſmi recepti nunquam commiſerant ſcelera capitalia, ſive aliquod ex gravioribus, ob quod deberent pœnitentiam ſolennem agere; ſed dumtaxat peccata venialia, & mortalia prorſus interna, vel externa, ſed ſecretò, & minùs gravia. Nec dubitare licet plurima hominum millia fuiſſe iis ſæculis in Eccleſia, quibus id contingebat. Inquiro modò, quodnam remedium adhiberent ii ad impetrandam veniam eorum peccatorum, in quæ ſæpè labebantur, & relabebantur, alio atque alio tempore? Certum eſt non fuiſſe auſos ad communionem accedere ſine prævia pœnitentia cordis, operis, & confeſſionis ſecretæ coram ſacerdote: ut conſtat ex traditione totius Eccleſiæ, à primis ſæculis uſque modò. Quam veritatem illuſtrat poſt plures alios Dionyſius de Sancta Martha, monachus Congregationis S. Mauri Gallicanæ, in egregio Opere adverſus Dallæum inſcripto: *Traitè de la Confeſſion contre les erreurs des Calviniſtes*. Oportet igitur fateri, omnes homines prædictos ſæpiùs ac ſæpiùs lapſos poſt baptiſmum in ea peccata interna, & mortalia minùs gravia variis temporibus vitæ ſuæ, iteratò confugiſſe ad pœnitentiam cordis, operis, & confeſſionis ſecretæ coram ſacerdote; nimirum, ſaltem quoties ſe præparabant ad communionem Euchariſticam, vel ad ſacrum celebrandum. Non igitur negari poteſt iis ſæculis iteratam fuiſſe ſæpiùs ac ſæpiùs pœnitentiam ſecretam & privatam coram ſacerdotibus, licèt illa alia ſolennis nonniſi ſemel ageretur.

242. Semper, nimirum, verum fuit quod inquit S. Leo Papa Epiſt. LXXXII. aliàs XCI. *Multum utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur*. Ac præterea Epiſt. CXXXVI. aliàs LXXX. *Cùm reatus conſcientiarum* (nimirum peccata quælibet interna & occulta) *ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta*. Vide plurima & ſelecta Patrum & ſcriptorum veterum loca de neceſſitate & uſu confeſſionis ejuſmodi apud laudatum Dionyſium de S. Martha in eo libro pag. 95. 140. 148. 163. 164. 178. 181. 218. 221. 222. 224. 226. 243. 427. & 526.

243. Itaque non conſtat ſatis, nec credibile videtur, Patres Toletanos in hoc Canone XI. prohibuiſſe, ac reprehendiſſe pœnitentiam iteratam, ſive repetitam coram ſacerdote, de peccatis minoris notæ, licèt mortiferis, & de interiùs ſolùm commiſſis. Dumtaxat ergo iraſci videntur hoc Can. XI. adverſus repetitionem pœnitentiæ ſolennia, cœptam in quibuſdam Hiſpaniæ Eccleſiis contra ſacros Canones; & ſummùm adverſus repetitionem pœnitentiæ, ſive confeſſionis privatæ abſque debitis requiſitis, & ſine injunctione juſta ac proportionata pœnalium operum in vindictam ſcelerum. Quod ultimum ſatis indicant prædicti Patres poſtremis illis verbis: *Sæpiùs enim laïcis tribuendo deſidioſè pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora, poſt acceptam pœnitentiam relabuntur*.

244. Inſuper cùm certum ſit Chriſtum D. dediſſe Petro, & reliquis Apoſtolis, ac ſubinde Epiſcopis, & ſacerdotibus, poteſtatem remittendi quæcumque peccata, abſque reſtrictione ulla ad certum numerum, gravitatem, aut tempus, intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ, & ſub ejus directione; conſequens eſt, ut quibuslibet ſæculis ii unumquemque peccatorem lapſum & relapſum poſt baptiſmum ſæpiùs ac ſæpiùs potuerint abſolvere, quamdiu ipſa Eccleſia non limitâſſet iis poteſtatem juriſdictionis ad abſolvendum. Atqui relatè ad peccata purè interna, licèt mortifera, non conſtat Eccleſiam priſcis illis ſæculis limitâſſe ſacerdotibus poteſtatem juriſdictionis ad abſolvendum. Poterant igitur abſque reſtrictione ulla ad certum numerum aut tempus, à peccatis purè internis, quamquam mortiferis, abſolvere. Eadem autem ferè ratio apparet de aliis peccatis occultis minoris notæ, licèt lethiferis, quibus non erat impoſita per Canones pœnitentia ſolennis. Ab iis enim abſolvere poterat unumquemque iis ſæculis ſacerdos proprius ipſius, ſive parochus, niſi fortè poteſtas juriſdictionis fuiſſet ipſi limitata ab Eccleſia circa aliqua ex iis peccatis; ſicut certum eſt limitatam fuiſſe circa crimina graviora & atrociora, à quibus ſolus abſolvebat Epiſcopus, ut jam alibi explicuimus. Sic & hodie Epiſcopi reſervant ſibi plures caſus gravioris notæ, à quibus ne quidem ipſi parochi abſolvere poſſunt.

245. Ac certè (quod maximè obſervari velim) quicquid ſit de uſu ſive exercitio abſolvendi lapſos poſt baptiſmum, & relapſos poſt actam pœnitentiam, quod Eccleſia juſtis ex cauſſis reſtringere aut ampliare poteſt, ac ſemper potuit; de poteſtate tamen abſolvendi ſæpiùs ac ſæpiùs relapſos exiſtentes in ipſa Eccleſia, nullatenus dubitare licet, ut ſuprà monuimus, & S. Thomas 3. parte, quæſt. 84. art. 10. indicat Fide divina certum. Idque confirmatur: quoniam in Concilio Tridentino Seſſ. XIV. non ſolùm definitum eſt cap. 1. contra Novatianos, Eccleſiam habere poteſtatem abſolvendi lapſos poſt baptiſmum, ſed etiam relapſos: *UT PER SACERDOTUM SENTENTIAM, NON SEMEL, SED QUOTIES AB ADMISSIS PECCATIS AD IPSUM* (tribunal pœnitentiæ) *POENITENTES CONFUGERENT, POSSENT LIBERARI*. Ita ibi capite ſecundo. Plura alia huc ſpectantia vide ſuprà Diſſert. VIII. Excurſu II. ubi eandem doctrinam firmavimus.

CONCILIUM NARBONENSE HISPANO-GALLICUM,

Reccaredi Gotthorum in Hiſpania Regis tempore celebratum, ſub die Kalend. Novembrium, Erâ DCXXVII. ideſt anno CHRISTI DLXXXIX.

Ex Ms. inſignis & antiquiſſimi monaſterii S. Æmiliani in Rivogia, unde illud exſcripſit clariſs. vir Joannes Baptiſta Perez, computatum inter Hiſpanienſia: quia tunc Narbona ſubjacebat Gotthis Hiſpaniæ Regibus, & Narbonenſis Metropolitanus cum aliis Epiſcopis ſubſcribebat Conciliis Hiſpanienſibus.

TITULI CANONUM.

I. *Ut clerici purpureis veſtibus non induantur.*
II. *Ut in fine cujuſque pſalmi, & per intervalla majorum Gloria dicatur.*
III. *Ut clerici per plateas non ſedeant, nec confabulentur.*
IV. *Ut dies Dominicus ab omnibus obſervetur, & nulla eo die fiant opera.*
V. *Ut clerici à conſpirationibus abſtineant, & qui inferioris ſunt gradûs, in ſuperiorem ne inſurgant.*
VI. *Ut cum clericis, qui ob culpas in monaſterium retruduntur, ſic agat Abbas, ut ab Epiſcopo fuerit conſtitutum.*
VII. *Ut clericus, qui adversùs Eccleſiæ utilitatem egerit, gradu dejiciatur.*
VIII. *Ut clericus, qui de rebus Eccleſiæ fraudem fecerit, reſtituat, & pænitentiæ ſubjiciatur.*
IX. *Ut Judæis mortuos ſuos pſallendo deducere non liceat.*
X. *Ut clericus Epiſcopo non obediens ſtipendio careat, & communione privetur.*
XI. *Ut abſque literis qui eſt idiota non ordinetur.*
XII. *Ut nullus clericus dum Miſſa celebratur, de altario ante finem egredi audeat.*
XIII. *Ut clerici omnes ſenioribus ſuis ſubjaceant, & illis exeuntibus atque ingredientibus vela ſublevent.*
XIV. *Ut qui ſortilegos conſulunt, excommunicentur, & pecuniâ multentur: qui verò ſortes faciunt, venundentur, & pretium pauperibus erogetur.*
XV. *Ut quintâ feriâ, niſi aliqua feſtivitas in eam incidat, feriari & ceſſare non liceat.*

PRÆFATIO.

IN nomine DOMINI noſtri JESU CHRISTI. Anno feliciter quarto regni domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi Regis Narbonæ, Migetius, Sedatius, Bene-natus, Boëtius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergius, Epiſcopi Galliæ provinciæ, Concilia ſanctorum antiquorum Patrum, vel decreta obſervare cum Dei timore cupientes; nos in urbe Narbona, ſecundùm quod ſancta Synodus per ordinationem glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis in urbe Toletana definivit, die Kalendarum Novembris Deo auſpice in unum convenimus, & aliquanta, quæ juſtè & piè ſunt edita, & per patrocinationis poteſtatem non ſupplebantur, ad memoriam nunc temporibus domini noſtri ſub præfationibus deducentes, recapitulare fecimus: & quæ pro regula, & Fidei Catholicæ diſciplina adhuc viſa communi tractatu elegimus conſcribenda, & Canonibus definivimus adjungenda: quæ tenore capitulorum ſubſequenter evidenti jure declarantur.

CANONES.

I.

1. HOC regulariter definitum eſt, ut nullus clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem; ut ſicut eſt devotio in mente, ita & oſtendatur in corpore: quia purpura maximè laïcorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quod ſi quis non obſervaverit; velut tranſgreſſorem legis coërcendum.

II.

2. Hoc itaque definitum eſt, ut in pſallendis ordinibus per quemque pſalmum Gloria dicatur omnipotenti Deo: per majores verò pſalmos, prout fuerint, prolixiùs pauſationes fiant, & per quamque pauſationem Gloria Trinitatis Domino decantetur.

III.

3. Nam & hoc ſecundùm priſcorum cenſuram Canonum finitum, ut nullus clericus, ſubdiaconus, diaconus, vel presbyter, in plateis reſideat: certè nec in plateis & ſtare & fabulis diverſis commiſceri. Quòd ſi quis facere præſumpſerit; repellendum omnino ab officio, & exſecrandum: ſi non emendaverit; & à communione & ab officio privetur.

IV.

Vide Concil. Coyacenſe anni ML. cap. 6.

4. Ut omnis homo, tam ingenuus quàm ſervus, Gotthus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Judæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boves jungantur, excepto ſi in mutando neceſſitas incubuerit. Quod ſi quiſquam præſumpſerit facere; ſi ingenuus eſt, det Comiti civitatis ſolidos ſex; ſi ſervus, centum flagella ſuſcipiat.

V.

** Immo potiùs Chalc. c. 18.*

5. Secundùm Concilium * Nicænum ſanctiſſimum, conciliabula vel conjurationes non fiant clericorum, quæ ſub patrocinio ſolebant fieri laïcorum. Nec unuſquiſque de inferiori gradu ſeniorem ſibi elatus aut increpet aut injuriet. Quòd ſi quis prætermiſſo tam juſtæ cenſuræ ordine, auſus fuerit facere, diſtrictione ſæviſſima corrigatur, ut ſub pœnitentiæ nomine vitia recedant: ideſt, anno uno in monaſterio ſciat abjicere ſuperbiam unde inflatur, quod eſt diabolus; & addiſcat humiliationem Chriſti, quia per ipſam mortem guſtare dignatus eſt.

VI.

6. Secundùm Concilia, priſcorum orthodoxorum decrevit fraternitas, ut quicumque fuerit culpabilis inventus clericus, aut honoratus de civitate, & ad monaſterium fuerit deputatus; ſic Abbas, qui eſt Præfectus, cum illo, qui dirigitur, agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatum. Aliter ſi Abbas facere elegerit, pro correctione tempus aliquod ſuſpendatur: quia ob hanc cauſſam dirigitur, ut emendetur, non paſſim ferculis diverſis ſaturetur.

VII.

7. Quicumque clericorum, à maximo uſque ad infrà, contra ſanctæ Eccleſiæ utilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, meritò dejiciatur, qui fidem ſervare minimè cognoſcitur.

VIII.

8. Quicumque clericus, ſubdiaconus, diaconus, presbyter, ſine conſcientia Epiſcopi, aliquid de poſſeſſionibus, vel de domo Eccleſiæ tulerit, aut fraudem fecerit; non ſolùm cum omni dedecore conſtrictus reſtituat quod fecerit; ſed etiam non debet ibi in Eccleſia eſſe, ubi fraudem viſus eſt operâſſe: duobus jaceat ſub pœnitentia annis, & cùm defleverit factum, revertatur ad officium.

IX.

9. Hoc ante omnia decretum eſt, ut Judæis non liceat corpus defuncti deducere pſallendo; ſed ut eorum habuit mos & conſuetudo antiqua, corpus deducant & deponant. Quod ſi aliter facere præſumpſerint, inferant Comiti civitatis uncias ſex.

X.

10. Hoc maximè definitum eſt, ut nullus audeat clericorum, ordinationem ſui Epiſcopi contemnere; ſed ubi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia & obedientia, & quæ injuncta fuerint, agere. Quod ſi ſub cothurno ſuperbiæ neglexerit implere, non ſolùm à ſtipendio, ſed uno anno à communione privetur.

XI.

11. Amodò nulli liceat Epiſcoporum ordinare diaconum, aut presbyterum literas ignorantem: ſed ſi qui ordinati fuerint, cogantur diſcere. Qui verò diaconus aut presbyter fuerit literis ineruditus, & deſidiosè legere vel implere officium diſtulerit, & in Eccleſia ad omnia utilis non fuerit; ab ſtipendio rejiciendum, & inclinandum, quoad uſque curvatus impleat & defendat quod eſſe cognoſcitur. Ad quid erit in Eccleſia Dei, ſi non fuerit ad legendum exercitatus? Et ſi perſeveraverit deſidiosè, & non vult proficere; mittatur in monaſterium, quia non poteſt ædificare populum.

XII.

12. Hæc maximè pro Dei timore, & modo diſciplinæ canonicæ, elegimus cuſtodienda vel tenenda, ut dum Miſſa celebratur, nullus presbyter aut diaconus, abſque aliqua infirmitate, dum Miſſa perſi-

perficitur, egredi de altario audeat. Nec diaconus, aut ſubdiaconus, certè vel lector, antequam Miſſa conſumetur, albâ ſe præſumat exuere. Quòd ſi quiſquam non impleverit conſtitutum, presbyteri increpentur ut redeant, diaconos & exſecrandos & ſtipendio privandos, reliquos diſtrictione ſtrictiſſima condemnandos.

XIII.

13. Hoc regulariter ſecundùm priorum ſtatuta Canonum definitum eſt, ut tam ſubdiaconus, quàm Oſtiarius, & reliqui, ſervitium ſanctæ Eccleſiæ conſuetum abſque ulla deſidia impleant, & ſenioribus vela ad oſtia ſublevent. Qui contempſerit facere, & adimplere, ſubdiaconos verbis corripiendos, & ſi non emendaverint, ſtipendio privandos, reliquos flagris coërcendos.

XIV.

14. Hoc itaque propter ampliandam Fidei Catholicæ diſciplinam elegimus definiendum vel tenendum; ut ſi qui viri ac mulieres divinatores, quos dicunt eſſe caragios, atque ſorticularios, in cujuſcumque domo Gotthi, Romani, Syri, Græci, vel Judæi, fuerint inventi, aut quis auſus fuerit amodò in eorum vana carmina interrogare, & non publicè hoc voluerit annunciare; pro hoc quod præſumpſit, non ſolùm ab Eccleſia ſuſpendatur, ſed etiam ſex auri uncias Comiti civitatis inferat. Illi verò qui tali iniquitate repleti ſunt, & ſortes & divinationes faciunt, & populum prævaricando ſeducunt; ubi inventi vel inventæ fuerint, ſeu liberi, ſeu ſervi, vel ancillæ ſint, graviſſimè publicè fuſtigentur, venundentur, & pretia ipſorum pauperibus erogentur.

XV.

15. Ad nos pervenit, quoſdam de populis Catholicæ Fidei exſecrabili ritu diem quintam feriam, qui & dicitur Jovis, multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore exſecrantes & blaſphemantes; quicumque ab hac die, præter feſtivitates in eo die venientes, auſus vel auſa fuerit vacare, & operam non facere; ſi ingenuus eſt aut ingenua, de Eccleſia repellendus, & ſub pœnitentia mittendus anno uno, & eleemoſynâ & fletu ſatisfaciat, ut ei Dominus ignoſcat: ſi ſervus aut ancilla fuerit, flagellis correcti Domino conſignentur, & ultrà talia eos obſervare non permittat.

Subſcriptiones.

16. Migetius in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Narbonenſis Epiſcopus, has conſtitutiones, ſecundùm quod nobis cum fratribus noſtris Deo conſpirante placuit, relegi & ſubſcripſi.

Sedatius in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ Biterrenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui & ſubſcripſi.

* Boëtius in Chriſti nomine Eccleſiæ Magalonenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

* Benenatus in Chriſti nomine Eccleſiæ Elnenſis Epiſc. h. c. i. & ſub. ex *Ms. Cod. inſerendus.*

Pelagius in Chriſti nomine Eccleſiæ Nemauſenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Tigridius in Chriſti nomine Eccleſiæ Agathenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Sergius in Chriſti nomine Eccleſiæ Carcaſſonenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Agrippinus de civitate Loteva in Chriſti nomine Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

17. CONCILIUM NARBONENSE, &c.] Appellamus illud complexo vocabulo *Hiſpano-Gallicum*: quoniam celebratum fuit ſub Reccaredo Rege Hiſpaniæ, cui tunc ſubjacebat Gallia Narbonenſis. Unde & Metropolitani Narbonenſes paſſim iis temporibus intererant Conciliis in media Hiſpania celebratis, quibus eorum nomina ſubſcripta inveniuntur. Quin & Migetius Metropolitanus Narbonenſis, qui anno Chriſti DLXXXIX. quarto loco inter Præſules ſubſcribit in Concilio Toletano III. coacto die octavo Iduum Majarum; poſtea eodem anno Kalendis Novembris præfuit huic Concilio Narbonenſi. Immo & pluribus poſtea ſæculis, exeunte prima chiliade annorum Chriſtiana, & ſecunda inchoante, ideſt, ſæculis decimo & undecimo, in plurimis conventibus Epiſcoporum, & Synodis intra Hiſpaniam coactis, interveniſſe leguntur Archiepiſcopi Narbonenſes ſimul cum Epiſcopis Hiſpanienſibus. Vide varia monumenta à nobis proferenda Tomo III. Annus itaque utriuſque ejus Concilii celebrati fuit Chriſti DLXXXIX. Era DCXXVII. Pelagii II. Papæ duodecimus, Reccaredi Hiſpaniæ Regis quartus, imperante Conſtantinopoli Mauricio.

18. Porrò termini Narbonenſis Metropoleos, ſicut & aliarum intra dominia Regum Hiſpaniæ Gotthorum, deſcripti inveniuntur tempore Wambæ ſive Wambanis Regis glorioſiſſimi, in continuatione S. Ildephõſi Toletani ad Chronicon S. Iſidori apud Lucam Epiſcopum Tudenſem, his verbis: *Diviſio autem ſedium Narbonenſis Metropolis hæc eſt. Beterris teneat de Scalath uſque Barcinonam, de Macay uſque Riboſora. Agatha teneat de Ruſa uſque Riberam, de Gallar uſque Nurlam. Magalona teneat de Nurla uſque Ribogar, de Caſtello uſque Sambiam. Loteva*

teneat de Sambia uſque Ribanal, de Anges uſque Montem-rufum. Carcaſſona teneat de Monterufo uſque Angeram, de Angoſa uſque Montanam. Elna teneat de Angera uſque Roſmalam, de Latorſa uſque Lamaſam. Hæ ſunt octo ſedes immediatè ſubditæ Archiepiſcopo Narbonenſi provinciæ Galliæ, vel Hiſpaniæ quæ citerior dicitur. Et ſunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub dominio Gotthorum, tam Archiepiſcopales quàm Epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, qui à Romano Papa accipiunt communionem Catholicæ veritatis, ut in Fide Chriſti ſecundùm traditionem & doctrinam ſanctorum Patrum, animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra diviſio, quæ de aſſenſu omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum dictarum ſedium auctore Deo facta eſt, firma permaneat in æternum.

19. *Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Wamba in Concilio Toletano: ubi omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi Hiſpaniarum convenerunt. Quæ ſubſcriptione omnium confirmata ſunt, Quirico Toletano Archiepiſcopo, & primatiæ dignitate & Fide Catholica conſiſtente.*

20. Hactenus ibi. Concilii autem hujus manuſcriptum exemplar antiquiſſimum, ſimul & aliorum Hiſpaniæ celebratorum intra primam chiliadem annorum Chriſtianam, deſumptum fuit ex chartulario regii & venerandi monaſterii S. Æmiliani in Caſtella-veteri (in quo ad ſacrum D. Benedicti Ordinem miſeratione divina admiſſus fui) unde Philippus II. Hiſpaniarum Catholicus Rex illud tranſtulit in bibliothecam exquiſitam S. Laurentii in Scoriali, ſicuti & plurima alia ſacra antiquitatis monumenta ex eodem aliiſque monaſteriis & tabulariis Eccleſiarum, ubi multis ſæculis delituerant, ut jam alibi monui. CARD. DE AGUIRRE.

21. *Concilium.*] In hoc Concilio de diſciplina Eccleſiæ reformanda, ab octo Epiſcopis provinciæ Narbonenſis in Gallia ſexdecim Canones editi reperiuntur. Deſcriptum eſt ex vetuſto Codice Gotthico monaſterii S. Æmiliani in regiam bibliothecam translato. Manuſcriptum Idibus Novembris anni Domini MDLXXVI. Romam ad Gregorium XIII. ejus nominis Pontificem, tranſmiſſum eſſe, ſcribit Baronius prædicto loco; cujus auctoritate illud huic Conciliorum editioni inſeruimus.

22. *Narbonenſe.*] Sic dictum à *Narbone*, quæ, teſte Hadriano Romano in ſuo *Theatro urbium*, eſt Metropolis Languedociæ, ſita ad ripam fluvii Audæ. Antiquitus fuit Romanorum colonia contra barbaros: nunc verò eſt locus munitiſſimus contra Hiſpaniam. De eadem urbe in ſuo *Theſauro Geographico* hæc Ortelius: *Narbo colonia Tectoſagum in Gallia Narbonenſi urbs, ut Ptolemæus eam deſcribit. Decimanorum coloniam eſſe, ait Plinius.* Et paullò infrà: *Narbone hodie vulgò indigetatur. Juniores hanc urbem ſæpiùs Narbonam nominant, ſed perperam: Narbona enim in Illyrico iſt. Nec quiſquam veterum, præter Ammianum (quod ſciam) Narbonam nuncupat Galliæ urbem.* BINIUS.

23. Nequeo oblviſci honoris mihi collati ab eadem nobiliſſima urbe Narbonenſi. Venienti per illam ex Hiſpania Romam, ineunte Majo MDCLXXXVII. quamvis occulto habitu, & familiaribus nihil de Cardinalitia dignitate muſſitare juſſis, cùm jam penè inde exirem, occurrit innumera ferè multitudo civium omnis ſexûs cum plauſu, & numeroſa ſchola lectiſſimorum adoleſcentium, urbaniſſimè ſalutans: quorum omnium unus ſuo & aliorum nomine mihi offerens ſertum roſarum, hoc diſtichon adjecit:

Hos Narbona tuis flores virtutibus offert:
Virtutum fructus conſcia Roma dabit.

Hæc obiter indicata ſint in ſignum grati animi erga celeberrimam urbem: cui ex tempore reſpondimus quod opportunum videbatur, & ipſa cum gratulatione excepit. CARDINALIS DE AGUIRRE.

24. *Reccaredi Gotthorum in Hiſpania Regis tempore.*] Reccaredus fuit filius Leuvigildi Regis, frater germanus Hermenegildi, quem pater Arianus, inſtigante uxore Goſvinda, poſt multos alios fideles relegatos, diverſiſque ſuppliciis affectos, obtruncari mandavit; ideo quòd oblatam ſibi communionem ab Ariano Epiſcopo conſtantiſſimè rejeciſſet. Hermenegildus operâ Leandri Epiſcopi ad Fidem Catholicam traductus, offenſionem patris incurrerat, ita ut ſe invicem bello peterent. Sed cùm filius ſe patri viribus imparem fore ſentiret, impetrato ſubſidio Tiberii Imperatoris facilè palmam victoriæ obtinuiſſet, ſi à Græcis militibus, quos pater pecuniâ corruperat, deſertus non fuiſſet. Fraude patris circumventus, eidem ſub juramento ſecuritatem promittenti ſeſe tradidit: qui promiſſæ fidei parum memor, filium in carcerem miſit, & eâ cauſâ, quam ſuprà allegavi, coronâ martyrii inſigniri procuravit. Hac nece filii peracta, parens Arianus pœnitentiam agens, in Catholicam religionem propendens, è vita migravit. Reccaredus filius non tantùm patri ſuccedit, ſed etiam ſanguine fratris Hermenegildi Martyris pro eo interpellante, factus eſt Catholicus, totumque regnum Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis, operâ Leandri Gotthorum Apoſtoli ad Fidem Catholicam perduxit. Gotthorum Epiſcopos, populum, & Magiſtratus ad idem faciendum adhortatus, effecit Dei gratiâ, ut cùm annis pluſquam ducentis, à temporibus Conſtantii Imperatoris, Arianæ perfidiæ adhæſiſſent; omnes prope eandem cum Rege Fidem Catholicam profiterentur. Hæc ex Gregorio Papa *Dial.* lib. 3. cap. 21. &c. item ex Gregorii Turon. *Hiſt.* Baronius anno DLXXXIII. & DLXXXIV.

25. Quibus temporibus iſta contigerint, quove anno Chriſti incarnati initium regni Reccaredi collocari debeat, inter ſcriptores hujus ſæculi celeberrimos non ſatis convenit. Ad annum V. Mauricii Imperatoris, qui eſt Chriſti DXC. & Gregorii I. Gotthorum converſionem, & initium Reccaredi, referendum eſſe, putat Baronius: tum quòd S. Gregorius lib. 1. Epiſt. XLI. ad S. Leandrum de converſione Reccaredi ſcribens, illius non ſecus meminerit, quàm ſi noviter exordio ſui Pontificatûs contigiſſet; tum etiam quòd Joannes Biclarenſis & Lucas Tudenſis, hujus ſæculi ſcripto-

ptores recenter inventi, expreſſis verbis ſcribant, obitum Leuvigildi quinto anno Mauricii, exordio Pontificatûs S. Gregorii, Erâ DCXX. contigiſſe, eodemque tempore Reccaredum filium parenti in regno ſubrogatum fuiſſe. Hæc eadem in fine anni Chriſti DLXXXIX. ſub Tiberio Imperatore geſta fuiſſe, multorum Conciliorum Hiſpanicorum Acta teſtantur, in quibus annus quartus Reccaredi cum Era DCXXVII. quintus cum Era DCXXVIII. conjunctus reperitur. Quæ ſi vera ſunt, neceſſum eſt, primum Reccaredi cum Era DCXXIV. Chriſtique Redemptoris noſtri DLXXXV. coïncidere, niſi chronologiam Eræ Hiſpanicæ in omnibus Conciliis ſub Reccaredo in Hiſpania celebratis, mendacem & erroneam eſſe ſuſtinueris. Utrius ſententiæ rationes præponderent, doctiores hîc dijudicent. Vide Baronium an. DLXXXIV. num. 1. & 2. item DLXXXV. num. 5. & 12. anno DLXXXIX. num. 9. item anno DXCI. Binius.

26. *Reccaredi Gotthorum Regis.*] Ejecti è Gallia Gotthi à Clodoveo Rege, compulſique in Hiſpaniam; provinciæ Narbonenſis oram maritimam, quæ ipſis olim à Romanis conceſſa fuerat, & Gotthia de illorum poſtea nomine dicta eſt, in poteſtate ſua retinuerunt, quoad tandem Caroli Martelli armis recepta, Francorum regno adſcita eſt. Hoc igitur tempore, quia in Gotthorum erat imperio, Reccaredi Regis nomen huic Concilio præfixum eſt, qui primus Hiſpaniæ Regum ex Ariana hæreſi converſus, Catholicam Fidem amplexus eſt.

27. *Anno Chriſti DLXXXIX.*] Huic enim anno congruit quartus annus Reccaredi, Era DCXXVII. ut eſt in Præfatione Concilii Toletani III. quod hoc ipſo anno celebratum fuerat menſe Majo. Cui & iidem qui hîc adſunt, provinciæ Narbonenſis Epiſcopi, aut præſentes ipſi, aut per vicarios, interfuerant.

28. *Sedatius.*] Rectiùs opinor, *Sedatus*, ut in Concilio Toletano, & in Agathenſi, *Sedatus Epiſcopus Nemauſenſis*. Exſtat in veteribus libris Sedati Epiſcopi Homilia, cujus exordium: *Fratres, rogo ut de ſalute animæ veſtra attentiùs cogitetis.* Utri autem iſtorum potiùs tribuenda ſit, an tertio cuipiam, non liquet.

29. *Bene-natus.*] Hunc Elnenſem in eadem provincia Epiſcopum fuiſſe, docent vetera exemplaria Concilii Toletani III. Nam in vulgatis ejus Concilii ſubſcriptionibus mendum irrepſit ex nominum trajectione. Joannes enim, qui Elnenſis ibi Epiſcopus dicitur, Epiſcopus fuit Egabrenſis, ut conſtat ex Synodo Spalenſi ſequentis anni. Bene-natus verò non Egabrenſis, ut ibidem appellatur, ſed Elnenſis fuit Epiſcopus, ut teſtantur Codices antiqui. Quare inter Epiſcopos, qui huic Synodo ſubſcribunt, Bene-nati ſubſcriptio tertio loco reſtituenda videtur, in hunc fortaſſe modum: *Bene-natus in Chriſti nomine Eccleſiæ Elnenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui & ſubſcripſi.* Sirmondus.

30. Ad Can. I. *Ut nullus clericorum veſtimenta purpurea induat.*] Jam inſederat animis nonnullorum clericorum id vanitatis genus, ut præ reliquis modeſtioribus inſigniri affectarent aliquo coloris fulgentioris privilegio, ſive prava conſuetudine uſurpato, ſive à ſuprema ſede emendicato. Conformatur huic diſpoſitioni Can. XVI. Nicænæ Synodi poſterioris, ac Oecumenicæ, hoc præcipiens: *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena eſt à ſacro ordine. Eos ergo Epiſcopos, vel clericos, qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornant, emendari oportet. Quòd ſi in hoc permanſerint; pœnis afficiantur. Similiter & ii qui unguentis inunguntur.* Similiter Concilium Carthaginenſe IV. Can. XLV. edicit: *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat.* Alia prætermitto innumera his recentiora Concilia.

31. Ad Can. III. Concilium Carthaginenſe IV. pari ſolicitudine conſtituerat Can. XLVII. *Clericus per plateas & andronas, niſi ex certa & maxima officii ſui neceſſitate, non ambulet.* Ejuſmodi circumforaneis clericis illud ex Euangelio exprobrari poteſt: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Cabassutius.

32. Ad Can. IV. *Si ſervus, centum flagella ſuſcipiat.*] Hæc ita ſtatuta ſub finem ſæculi ſexti in Hiſpania, obſervabantur adhuc mediante undecimo. Nam in Concilio Coyacenſi celebrato anno Chriſti ML. cap. 6. ita legitur: *Sexto verò titulo admonemus, ut omnes Chriſtiani die ſabbathi adveſperaſcente ad Eccleſiam concurrant, & die Dominica matutinas: Miſſas, & omnes horas audiant, opus ſervile non exerceant, nec ſectentur itinera, niſi orationis cauſâ, aut ſepeliendi mortuos, aut viſitandi infirmos, aut pro Regis ſecreto, aut pro Sarracenorum impetu. Nullus etiam Chriſtianus cum Judæis in una domo maneat, nec cum eis cibum ſumat. Si quis autem hanc noſtram conſtitutionem fregerit; per ſeptem dies pœnitentiam agat. Quòd ſi noluerit; ſi major perſona ſit, per annum integrum communione careat. SI INFERIOR PERSONA FUERIT, CENTUM FLAGELLA ACCIPIAT.* Vide quàm inſignia veſtigia eximiæ religionis antiquæ circa celebritatem feſtorum, & diſciplinam Eccleſiaſticam, ac pœnitentiam canonicam, exſtarent in Hiſpania poſt primam chiliadem annorum Chriſtianum. Card. de Aguirre.

33. Ad Can. V. & VI. Multis ſæculis obſervatum in Eccleſia fuit, ut pravi ac delinquentes clerici in monaſteria ad pœnitentiam amandarentur: perfectiores verò monachi ex monaſteriis ad obeunda miniſteria educerentur. Hinc Hieronymus Epiſt. IV. Ruſticum monachum ſic adhortatur: *Ita ergo age & vive in monaſterio, ut clericus eſſe merearis, ut adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules.* Cabassutius.

34. Ad Can. VIII. Vides qualiter hoc loci clerico, ſubdiacono, diacono, ac presbytero, ſine conſenſu Epiſcopi uſurpanti aliquid aut fraudanti de bonis Eccleſiæ, non modò indicatur cum omni dedecore onus reſtituendi, & pœna excommunicationis ab Eccleſia, ſed etiam pœnitentia duorum annorum. Attamen ſubditur poſtea: *Et cùm defleverit factum, revertatur ad officium.* Unde palam conſtat, ſaltem in hoc caſu & crimine, poſt

pœni-

pœnitentiam canonicam fuiſſe locum tempore hujus Concilii, ut clerici, ſubdiaconi, diaconi, ac presbyteri, ad exercitium ſui ordinis regrederentur. Hinc fortaſſe lux aliqua eſſe poteſt ad exponendum difficilem illum Canonem V. Concilii Ilerdenſis ſuprà exſcripti, cujus explanationem remiſimus in opportuniorem locum, ubi de diſciplina Eccleſiæ Hiſpanæ veteris circa lapſos, præſertim clericos, differeremus. CARDINALIS DE AGUIRRE.

34. AD CAN. XIII. De velis ſermo eſt quæ appendi ſolent ad oſtia, tum in Eccleſiis, ut ex Epiphanii Epiſt. ad Joann. Hieroſolymitanum: *Inveni ibi velum pendens in foribus Eccleſiæ*. Et in Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice: *Deusdedus præ velo eſt, & petit ingredi*: tum etiam in cubiculis, ut apud Athanaſium Apolog. I. *αὐτὸς τὸ ἐνεχθὲν πρὸς τῷ βήλῳ*, de Eugenio magiſtro ad velum adſtante, cùm Athanaſius Conſtantem alloqueretur. Et Lampridius de Alexandro Severo ſcribit: *Cum amicis tam familiariter vixit, ut ſalutaretur quaſi unus de Senatoribus, patente velo, admiſſionalibus remotis*. Prætendebantur etiam vela ſecretariis atque auditoriis Magiſtratuum: ideoque acta proconſularia de Chriſtianorum Martyribus à Baronio collecta Tom. II. Annal. anno CCLXXXV. num. 8. referunt: *Lyſias Proconſul obducit velum introgreſſus, & poſt exiens, ex tabella recitavit ſententiam*. Quam judiciorum ex velo conſuetudinem Baſilius quoque commemorat Epiſt. LXXIX ad Euſtachium. Edicitque Conſtantinus l. r. Cod. Theod. De officio rectoris provinciæ: *Non ſit venale judicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretarium*. CABASSUTIUS poſt SIRMONDUM.

CONCILIUM SPALENSE PRIMUM

Erâ DCXXVIII. Anno CHRISTI DXC.

Incipit Epiſtola Epiſcoporum de Concilio Spalenſi ad Pegaſium Epiſcopum miſſa.

Alias Pagaſium.

T I T U L I.

I. *De mancipiis Eccleſiæ ab Epiſcopo manumiſſis.*
II. *De mancipiis Eccleſiæ ab Epiſcopo proximis ſuis collatis.*
III. *De clericis, cum quibus mulieres cohabitant.*

DOMINO ſancto & reverenter à nobis honorando, chariſſimo fratri Pegaſio Epiſcopo, Leander, Joannes, Agapius, Stephanus, Baſilius, Velatus, Sintitius, & Petrus, Epiſcopi, qui in unum in urbe Spalenſi adfuimus, ſanctitatem tuam charitatis ſtudio ſalutantes; precamur Dominum, qui nos de ſalute tua vel viſione lætificare dignetur.

I. *De mancipiis Eccleſiæ ab Epiſcopo manumiſſis.*

1. Interea conſidentibus nobis in Eccleſia Spalenſi, ſancta Hieruſalem, brevem mancipiorum Eccleſiæ, a quos libertâſſe viſus fuerat deceſſor tuus, ſanctæ recordationis Gaodentius Epiſcopus, veſtri nobis diacones obtulerunt: & non ſolùm b quos libertaverat ibidem relegimus; ſed etiam quos proximis ſuis de familiis Eccleſiæ donaverat, c in eodem breve recenſuimus adnotatos. Qua de re Canonum inſtituta conſuluimus, ſi talis libertas aut tranſactio potuiſſet eſſe ſtabilis: comperimus autem in Canone, ut Epiſcopus, qui res proprias, excepto filiis & nepotibus, alteris, & non Eccleſiæ ſuæ dimiſerit, quicquid de Eccleſiæ rebus, aut donavit, aut vendidit, aut d quoquomodo ab Eccleſia tranſtulit, irritum haberetur. Et ideo, ſi res præceſſoris tui Gaudentii Epiſcopi Eccleſia veſtra non poſſidet; liberi qui ab eo facti ſunt, non ſunt e abſoluti. Cæterùm ſi res illius in compenſationem Eccleſiæ veſtræ deſerviunt; illi prorſus maneant liberi: nam ſi (ut dictum eſt) præſitum de ſuis rebus non fecit Eccleſiæ; damnum utique inferre non debuit. Propterea ergo de uno conſenſu omnes ſignificamus, magis humaniùs quàm ſeveriùs cogitantes, ut hi, quos conſtat tali conditione fuiſſe a libertos, in jure Eccleſiæ maneant, ut idonei; & peculium ſuum non aliis perſonis, ſed tantùm ſuis filiis derelinquant: ipſis quoque filiis & nepotibus cum peculio ipſorum, quaſi idoneis, in jure Eccleſiæ permanentibus, in extraneam eis perſonam non liceat quippiam b tranſmutare: ſed ſi qui eorum ſine herede diſceſſerunt, peculium eorum c veſtræ proficiat Eccleſiæ.

a Quæ liberâſſe. Exc.
b Quæ liberaverat. Exc.
c In eodem brevi invenimus annotata. Exc. Concilio Agathenſi Can. 7. Sic ſuprà Concil. Bracarenſi 3. Can. 7. Pro exceptis, & alibi.
d A.C. Quod commodum.
e Legitimè abſ. A. C. legitimum liberti.
a Liberatos. Exc. C. A. libertatis.
b Transmittere. Exc.
c. Sanctæ. Exc.

II. *De mancipiis Eccleſiæ ab Epiſcopo proximis ſuis collatis.*

3. Ea verò mancipia, quæ memoratus Epiſcopus de jure Eccleſiæ ſublata, ſuis proximis contulit, ſi ſimilia de proprio ſuo Eccleſiæ ipſius non compenſavit, Eccleſia veſtra d abſque alia oppoſitione recipiat. Hanc formam non ſolùm veſtra, hoc eſt * Aſtigitana, ſervabit Eccleſia; ſed & ſi qui per omnem Bæticam provinciam tali conditione vel ſorte de jure Eccleſiæ commeàrunt, pari ſententiæ ſubjacebunt. Durum eſt enim atque irreligioſum, ut Epiſcopus, qui Eccleſiaſticis ſtipendiis vivit, & proprietatem ſuam lucris Eccleſiæ minimè confert, aliorum oblationes à jure Eccleſiaſtico privet.

d Aliqua. *A.C.*

* Accitana. *Sed* Aſtigitana *legendum. nam Pegaſius Aſtigitanus ſubſcribit in 3. Tolet. num. 65.*

III. *De clericis, cum quibus mulieres cohabitant.*

3. Inter cætera verò cognoſcite à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis clericorum; quia quidam Epiſcoporum non obſervantes nuper e editum Concilii Toletani decretum, minùs ſoliciti in ſubjectis exiſtunt; proinde placuit, ut ſi presbyteri, diacones, vel clerici, conſortia extranearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem, per ſacerdotis ſui admonitionem à ſe minùs removerint, in ſecundis judices eaſdem mulieres, cum voluntate & permiſſu Epiſcopi comprehenſas, in ſuis lucris uſurpent: ut vitium hoc dum ſacerdos inhibere non prævalet, poteſtas judicialis coërceat: dato tamen ab iiſdem judicibus ſacramento Epiſcopis, ut eas clericis nulla arte reſtituant. Quòd ſi reſtituerint, ipſi Judices ſententiâ excommunicationis feriantur: f mulieres verò illæ, juxta priores Canones, à ſacerdotibus diſtractæ, in monaſterio Deo votarum tradantur ſervituræ.

Concil. Tolet. 2. cap. 3. & Tolet. 4. cap. 42. de hac re ſcripſimus.

e *In A.C.* edictum *& deeſt vox* decretum.

Tol. 3. cap. 5. Tol. 4. cap. 42. Tol. 8. cap. 5. Carthagin. 3. cap. 17.

f Mulieribus verò illis juxta prio. Can. à Sacerdote diſtractis, pretium earum indigentibus diſpenſetur. *& ſic ferè legitur in cap. 5. Tol. 3. ex C. A.*

4. Quæ ſtatuta manu noſtra ſubſcripſimus, data ad ſanctitatem veſtram die primo Nonarum Novembrium, anno quinto regni glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis, Erà DCXXVIII.

Leander Eccleſiæ ſanctæ Spalenſis Epiſcopus, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Joannes Epiſcopus a Egabrenſis, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Agapius Eccleſiæ ſanctæ Cordubenſis Epiſcopus, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Stephanus Epiſcopus Eliberitanus, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Baſilius Epiſcopus b Eliplenſis, hanc conſtitutionem ſignavi & ſubſcripſi.
Velatus Epiſcopus Tuccitanus, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Sinticius Epiſcopus Italicenſis, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.
Petrus Epiſcopus Abderitanus, hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

a *Aliàs* Agabrenſis.

Benenatus *in 3. Tolet. num. 21.*

b *Aliàs* Ilipenſis.

F R A G M E N T A,

Quæ ex Concilio Hiſpalenſi citantur.

EX CONCILIO HISPALENSI Cap. I.

5. Ne paſſim Epiſcopus multitudinem clericorum faciat, ſed ſecundùm meritum vel reditum Eccleſiarum numerus moderetur.

Burch. lib. 1. cap. 115. Ivo part. 5. cap. 215.

EX CONCILIO HISPALENSI Cap. II.

6. Ut nullus Epiſcopus, vel infrà poſitus, die Dominico cauſſas judicare præſumat. *

Burch. lib. 1. cap. 102. Ivo part. 5. cap. 204.
* *Hadr. cap. 64.*

EX CONCILIO HISPALENSI Cap. III.

7. Accuſationes adverſus doctorem nemo ſuſcipiat: quia non poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo judicio reſervavit. *

Burch. lib. 1. cap. 166. Ivo part. 5. cap. 166.
* *Hadr. cap. 71.*

EX CONCILIO HISPALENSI Cap. IV.

8. Ut ſinguli annis quiſque Epiſcopus parœciam ſuam circumeat, populumque confirmet, ac doceat, & ea quæ vitanda ſunt prohibeat, & ea quæ agenda ſunt, viriliter agere ſtudeat.

EX

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. V.

Burch. lib. 1. cap. 214. Ivo p. 5. cap. 328. Gratian. 12. q. 5. Fixum. Habes integrum hoc caput in Concil. Pariſ. ſub Ludovico Pio lib. 1. cap. 14. unde potius eſſe judicandum eſt. Vide cap. v. 176.

Quoniam multi Epiſcoporum amore propinquorum ſuorum de rebus ſibi commendatis ſuo aut quolibet amicorum nomine prædia & mancipia emunt, & ut in propinquorum ſuorum jus cedant, ſtatuunt; & ob hoc jura Eccleſiaſtica convelluntur, & miniſterium ſacerdotale fuſcatur, immo à ſubditis detrahitur & contemnitur; placuit omnibus, ut deinceps avaritiæ hoc genus caveatur, fixomque abhinc & perpetuò manſurum eſſe decrevimus, ut Epiſcopus res ſui juris, quas aut ante Epiſcopatum, aut certè in Epiſcopatu hæreditaria ſucceſſione acquiſivit, ſecundùm auctoritatem canonicam quicquid vult faciat, & cui vult conferat. Poſtquam autem Epiſcopus factus eſt, quaſcumque res de facultatibus Eccleſiæ, aot ſuo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſiæ, cui præeſt, jura deveniant.

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. V.

*Burch. lib. 1. cap. 245. Ivo part. 5. cap. 258. * Conc Africanum cap. 122.*

Si quis Epiſcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæſtionem retulerit; per Epiſcopos judices cauſſa finiatur, ſive quos eis primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu elegerint. *

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. VIII.

Burch. lib. 1. cap. 287.

Epiſcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco ſuo conſtituere ſucceſſorem. Si quis autem hoc uſurpare tentaverit; talis conſtitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, niſi cum conſilio & judicio Epiſcoporum; qui poſt exitum præceſſoris, poteſtatem habent dignum eligere.

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. IX.

*Burch. lib. 1. cap. 146. Ivo p. 5. cap. 259. * Conc. Afric. cap. 122.*

Judices autem Epiſcopos, quos communis conſenſus elegerit, non liceat quemquam provocare: & quiſquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus; cùm hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet Epiſcoporum, donec obtemperet. *

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. X.

*Burch. l. 1. cap. 50. * Arelatenſe 11. cap. 19.*

Si quis autem Epiſcoporum Synodo adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum antequam Concilium diſſolvatur crediderit deferendum; * alienum ſe à fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus.

EX CONCILIO HISPALENSI CAP. X.

Burch. lib. 1. cap. 213. Ivo p. 5. cap. 327.

Ut Epiſcopi in rebus Eccleſiæ circa propinquus ſuos exponendis reprehenſionem caveant, & ut diſcretionis modum teneant.

EX CONCILIO HISPALENSI.

Ivo p. 2. cap. 174.

Malachiæ 3.

Ut unicuique Eccleſiæ manſus integer abſque ullo ſervitio attribuatur. Omnes primitias & decimas, tam de pecoribus quàm de frugibus, dives ſimul & pauper Eccleſiis ſuis rectè offerant. Dicit enim Dominus per Prophetam: *Apportate omnem decimam in horreo meo, ut cibus ſit ſervientibus in domo mea.* Omnis ruſticus & artifex quiſque de negotio juſtam decimationem faciat. Sicut enim Dominus omnia dedit, ita de omnibus decimam exigit; ut de fructibus agri, ita de nutrimento omni; ut de apibus, ita de melle; ut de agnis, ita de velleribus & caſeis; ut de porcellis, ita de capris, de bubus, & equis; ut de minoribus, ita de majoribus exigimus, & cæteris. Si quis autem hæc omnia non decimaverit; prædo Dei eſt, & fur, & latro, & maledicta quæ intulit Dominus Cain non rectè dividenti, congeruntur. De his verò omnibus nullus ſit qui de ſacerdotibus requirat cenſum, vel aliquod ſervitium, præter Eccleſiaſticum,

NOTÆ VARIORUM.

Concilium Hiſpalenſe &c.] De Hiſpali, ſeu Spali, ut Gotthi efferunt, Bæticæ provinciæ urbe clariſſima, habes apud Plinium lib. 3. cap. 1. Et Strabonem lib. 3.. Ptolemæum lib. 2. cap. 4. Fuit hoc Concilium congregatum anno quinto Reccaredi Regis. Exiſtimo hoc Concilium non exſtare integrum, ſed eſſe tantùm Epiſtolam ex Concilio miſſam Pegaſio Aſtigitano Epiſcopo: alia verò plura in Concilio fuiſſe decreta, quæ non exſtant.

Leander, Agapius, Stephanus, Baſilius, Velatus ſubſcribunt in tertio Concilio Toletano, Joannes, & Sintitius, & Petrus poſt tertium Toletanum ſedibus præfecti ſunt.

Ad Hiſpalenſem Metropolim pertinent ex his

Hiſpalis.	Elipla.
Egabro.	Tucci.
Corduba.	Italica.
Eliberis.	Abdera.

Additur antiquæ partitioni Tucci, & Abdera, & deficiunt Aſidona, Malaca, Aſtigis. Loaisa.

Abſoluto feliciter Concilio III. Toletano, abjurata hæreſi Ariana per totam Hiſpaniam, & ſtabilita Religione Catholica, curà præſertim ac ſtudio S. Leandri Præſulis Hiſpalenſis; habita eſt anno *ejuſdem* ſequenti DXC. Nonis Novembribus Synodus Provincialis Hiſpali. Concedo facilè in ſententiam Illuſtriſſimi Loaïſæ, quòd hoc loco non exhibeantur Acta integra ejuſdem Concilii. Neque enim credibile apparet, Leandrum Metropolitanum Præſulem, virum doctiſſimum, & zelantiſſimum divini honoris, cum aliis ſeptem Epiſcopis, non ſtatuiſſe aut prohibuiſſe plura alia ſpectantia ad bonum regimen, & correctionem morum in ea ampliſſima provincia, tamdiu euſque Catholicis Prælatis deſtituta, ſaltem magna ſui parte, ob perſecutiones Arianorum.

Itaque tria illa capita quæ exhibentur, ſolùm videntur pars Actorum miſſa per Epiſtolam ad Pegaſium Epiſcopum Aſtigitanum, quem par eſt credere legitimo obſtaculo impeditum, non potuiſſe intervenire. Præſertim quia quicquid in iis continetur, ſpectat privatim ad Eccleſiam Aſtigitanam: ut legenti palam erit. Quapropter putandum, plura alia in hoc Concilio fuiſſe ſtatuta, licèt Acta non exſtent. Aut fortaſſe in eo fuerunt conſtituta nonnulla ex iis quæ leguntur inter fragmenta nuper exſcripta nomine Concilii Hiſpalenſis, præſertim illud in quo legitur: *Si quis autem Epiſcoporum Synodo adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum antequam Concilium diſſolvatur crediderit deſerendum; alienum ſe à fratrum communione cognoſcat: nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus.* Quid enim ſi fortè Pegaſius neglexerat intervenire huic Concilio, aut inde receſſerat antequam diſſolveretur; ac propterea occaſionem dedit Patribus illius ſeverè ſtatuendi in eos qui talia de cætero agerent?

Porrò S. Fulgentius frater SS. Leandri & Iſidori, tempore hujus Concilii nondum factus fuerat Epiſcopus Aſtigitanus, cùm adhuc tunc eam Eccleſiam regeret Pegaſius. Nimirum ambo glorioſiſſimi fratres Leandri, Fulgentius & Iſidorus, fuerunt minores natu, ac poſt ipſum adepti ſunt, alter Aſtigitanæ, alter Hiſpalenſis Eccleſiæ regimen. Nunc verò oportet, ut ea quæ ad ipſum Leandrum, hujus Concilii Præſidem, ſpectant, in ſynopſin redacta proferamus ex Bollando & ſociis, præter ea quæ apud Mabillonem Sæculo I. Benedictino pag. 378. & ſeqq. videri poſſunt. Card. de Aguirre.

SYNOPSIS RERUM

S. LEANDRI PRÆSULIS HISPALENSIS,

Præſertim geſtarum in his Conciliis.

Ex Bollando & ſociis ad diem XIII. Martii.

L E C T O R I.

SANCTUS LEANDER Archiepiſcopus Hiſpalenſis non ſolùm utrique huic Concilio interfuit, ſed & potiores in iis partes habuit, ac velut ingenium & lingua fuit, ut ajebat Proſper de S. Auguſtino in Conciliis Africanis. Præterea poſt illa celebrata, accepit plures Epiſtolas à S. Gregorio Papa, poſtea exhibendas, quæ ſpectant ad Collectionem noſtram. Denique hoc tempore inter alios Hiſpaniæ Præſules fulgebat velut ſol inter ſidera. Viſum igitur res illius in ſynopſin redactas ab eruditiſſimo Bollando & ſociis hoc loco repræſentare, ut uno velut intuitu innoteſcant.

§. I.

S. LEANDRI memoria ſacra in Martyrologiis, & celebris apud ſcriptores, maximè apud S. Iſidorum Hiſpalenſem.

2. AD diem 27. Februarii, ut tunc monuimus, S. Leander Epiſcopus Hiſpalenſis inſcriptus eſt Martyrologio Romano, itemque Bedæ excuſo, Uſuardi, Adonis, Wandelberti, Notkeri, aliiſque recentiorum quamplurimis: noſque pro eo die res ab eo geſtas ex S. Gregorio & Iſidoro, & aliis ſolidæ fidei ſcriptoribus colligere ſtatueramus. Sed poſtea deprehendimus ab nulla Hiſpanienſi Eccleſia eo die coli. Verùm ab Eccleſia Hiſpalenſi, cujus Antiſtes fuit, hoc die 13. Martii officio duplici ſecundæ claſſis; à Carthaginenſi, unde erat oriundus, eodem die duplici item officio celebratur. *Miſſale miſtum ſecundùm ordinem almæ primatis Eccleſiæ Toletanæ*, Lugduni excuſum anno MDLI. in Kalendario præfixo ita habet ad 13. Martii: *Leandri Epiſcopi, Confeſſoris, & Doctoris IV. Capparum*. Conſentit *Breviarium ſecundùm regulam B. Iſidori, dictum Moz-arabes*, excuſum Toleti auctoritate Franciſci Ximenez Archiepiſcopi, anno MDII. & *Miſſale miſtum ſecundùm regulam B. Iſidori dictum Moz-arabes*, excuſum Toleti anno MD. ejuſdem Ximenez auctoritate. Sequuntur hæc recentiores quidam in ſuis faſtis ac Martyrologiis.

3. Quamobrē & nos quoque illius vitam diſtulimus in hunc 13. Martii: uti ea omnia inter prætermiſſos, & in alios dies rejectos die 27. Februarii indicavimus. His addi poſſunt Flos-Sanctorum, ſeu Legenda, Hiſpanico ſermone Hiſpali anno MDXXXII. apud Joannem Crombergerum recuſa: item Flos-Sanctorum ab Alphonſo Villegas, ſæpiiis excuſus, tum in hiſtoria & antiquitatibus Hiſpalenſibus Alphonſus Morgadus & Paullus de Eſpinoſa, qui tradunt *S. Leandrum hoc 13. Martii ex hac vita in cælos migrâſſe*. Reperimus Romæ in bibliotheca Vallicellenſi Patrum Congregationis Oratorii, *vitam S. Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, ex pervetuſto Breviario Romano* deſcriptam, in qua dicitur, *mortalis vitæ terminum clauſiſſe die tertia Idus Martii*: pro qua ſuſpicamur alibi ſcriptum fuiſſe, die tertia Kalend. Martii, quæ eſt memorata 27. dies Februarii.

4. Errorem forſan fovit S. Leander Martyr, quem ex antiquiſſimis Martyrologiis ad illum diem retulimus cum SS. Serviliano & Daciano Smyrnæ coronatum. Conſtat præterea ex vita in Breviario Romano reperta, antiquam hujus in Eccleſia Romana venerationem exſtitiſſe diu ante ducentos annos: quia penes nos eſt Breviarium Romanum Venetiis apud Franciſcum Tennerum anno MCDLXXIX. excuſum: in quo tamen memoria S. Leandri non recolitur. Habemus etiam antiqua Breviaria, aliud Eccleſiæ Burgenſis in Hiſpania, anno MDII. impreſſum, aliud Eccleſiæ Eborenſis in Luſitania, anno MDXLVIII. editum: in quo ſolennis cultus S. Leandri exhibetur ad hunc 13. Martii cum propriis de illo lectionibus; in quarum ultima legitur in Breviario Eborenſi *quieviſſe tertio Idus Martii*. Denique Thomas de Truxillo in *Theſauro Concionum*, & Joannes Marietta lib. 5. *De Sanctis Hiſpaniæ*, cap. 19. ejuſdem vitam referunt ad hunc 13. Martii, quo eum mortuum ſcribit Truxillo. Et hæc de die obitûs & veneratione ſufficiant.

5. Leandri frater, & in Epiſcopatu Hiſpalenſi ſucceſſor fuit S. Iſidorus, qui libro *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, cap. 28. iſtud de ejus vita & doctrina elogium habet: *Leander genitus patre Severiano, Carthaginenſis provinciæ Hiſpaniæ, profeſſione monachus; & ex monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ, provinciæ Bæticæ conſtitutus Epiſcopus: vir ſuavis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, vitâ quoque tantùm atque doctrinâ clariſſimus, ut etiam*

ſilo ejus atque induſtriâ populi gentis Gotthorum ab Ariana inſania ad Fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in exſilii ſui peregrinatione compoſuit duos adversùs hæreticorum dogmata libros, eruditione ſacrarum Scripturarum ditiſſimos: in quibus vehementi ſtylo Arianæ impietatis confodit atque detegit pravitatem; oſtendens ſcilicet, quid contra eoſdem habeat Catholica Eccleſia, vel quantum diſtet ab eis religione vel Fidei ſacramentis. Exſtat & aliud laudabile ejus Opuſculum adverſus inſtituta Arianorum: in quo prepoſitis eorum dictis ſuas reſponſiones opponit. Præterea edidit unum ad Florentinam ſororem De inſtitutione virginum & contemptu mundi *libellum, titulorum diſtinctionibus prænotatum. Siquidem & in Eccleſiaſticis officiis idem non parvo elaboravit ſtudio. In toto enim Pſalterio duplici editione orationes conſcripſit. In ſacrificii quoque laudibus atque pſalmis multa dulciſonè compoſuit. Scripſit & Epiſtolas multas ad Papam Gregorium.* De baptiſmo *unam, alteram ad fratrem, in qua præmonet cuiquam mortem non eſſe timendam. Ad cæteros quoque Coëpiſcopos plurimas promulgavit familiares Epiſtolas; etſi non ſatis ſplendidas verbis, acutas tamen ſententiis. Floruit ſub Reccaredo, viro religioſo ac Principe glorioſo: cujus etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clauſit.*

6. Hæc S. Iſidorus ejus frater junior, ab ipſo & S. Florentina ſurore educatus, uti ad hujus vitam 4. Aprilis diſcutietur: alius horum frater fuit S. Fulgentius, Epiſcopus Aſtigitanus & Carthaginenſis: cujus vitam dedimus 14. Januarii. At S. Florentina colitur 20. Junii, ad quem diem edidit in Martyrologio Hiſpanico Tamajus Salazar memoratum libellum S. Leandri *De inſtitutione virginum & contemptu mundi*: quem etiam Lucas Holſtenius inſeruit parti III. Codicis Regularum, in qua ſanctorum Patrum Regulæ ad Virgines continentur. Utinam alia ejus opera atque Epiſtolæ exſtarent: ex quibus ejus contra Arianos exantlati labores innoteſcerent.

7. De his in pervetuſto Breviario Romano iſta leguntur: *Cùm Arianæ hæreſis fervorem tempore Leovigildi Regis Gotthorum confutare B. Leander radicitus nequiſſet; pro confirmandis ſanctæ Trinitatis capitulis, ad Conſtantinopolitani Præſulis cœtum tranſmeavit: ubi aderat Gregorius, tunc vice Romani Pontificis agens, cum quo ipſe Leander amicitiæ fœdus pepigit, & ab eo poſtulavit, ut moralia Jobi ſibi exponeret.* In Breviario Ebnrenſi dicitur *B. Leander de Fidei negotiis legatus à Wiſegotthis illuc miſſus.* Cum dicto Breviario Romano conſentit Lucas Tudenſis in Chronico mundi: at quæ in Eborenſi leguntur, eadem ſolùm habet S. Gregorius in Epiſtola expoſitioni libri Jobi præfixa, his verbis: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri ſuo Leandro Coëpiſcopo Gregorius S.S.D. Dudum te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana urbe cognoſcens, cùm me illic Sedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringerent, & te illuc injuncta pro cauſſis Fidei Wiſi-gotthorum legatio perduxiſſet; omne in tuis auribus, quod mihi de me diſplicebat, expoſui.* Eo legatio Leandri *pro cauſſis Fidei.* Non tamen eo tempore ullum ſcitur Conſtantinopoli fuiſſe Concilium; multò minùs, ut aſſerunt Truxillo & alii, Oecumenicum ſive Univerſale Conſtantinopolitanum II. quòd anno DLIII. *De tribus Capitulis habitum eſt.*

8. Hic autem congreſſus SS. Leandri & Gregorii fuit tempore Pelagii II. Romani Pontificis, & Tiberii Imperatoris, poſt annum DLXXX. quo anno, teſte Gregorio Turonenſi lib. 5. *Hiſtor. Franc.* cap. 39. *magna Chriſtianis in Hiſpaniis perſecutio fuit.* At pergit S. Gregorius in dicta Epiſtola: *Tunc eiſdem fratribus, etiam cogente te, placuit, ſicut ipſe meminiſti, ut librum Beati Job exponere importuna me petitione compellerent.* Et pluribus interpoſitis iſta habet: *Quam expoſitionem recenſendam tuæ beatitudini, non quia velut dignam debui, ſed quia te petente memini promiſiſſe, tranſmiſi: in qua quicquid tua ſanctitas tepidum incultumque repererit; tantò mihi celerrimè indulgeat, quantò hoc me ægrum dicere non ignorat.*

§. II.

Converſio S. Hermenegildi, dein Reccaredi Regis cum gente Gotthorum, & Synodus Toletana III. prædicatione imprimis atque hortatu S. Leandri.

9. REGRESSUS in Hiſpanias Sanctus Leander, omnem induſtriam impendit in populo gentis Gotthorum ab Ariana veſania ad Fidem Catholicam convertendo. Duxerat S. Hermenegildus Rex adhuc Arianus uxorem Ingundam, filiam Regis Auſtraſiorum Sigeberti, & Brunechildis amitæ ſuæ, huic circa annum DLXV. nuptæ. Inguoda, etſi admodùm juvenis foret, in Fide tamen Catholica adeò fuit ſtabilita, ut nec blandimentis, nec minis, aut verberibus potuerit perverti. *Tunc Leuvigildus* (ut ſuprà citatus Gregorius Turonenſis tradit) *dedit eis unam de civitatibus, in qua reſidentes regnarent. Ad quam cùm abiiſſent, cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, ut relictâ hæreſis fallaciâ, Catholicæ legis veritatem agnoſceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem, converſus eſt ad legem Catholicam.*

10. Hæc Turonenſis. At S. Gregorius lib. 3. *Dialog.* cap. 31. totam hanc converſionem attribuit S. Leandro his verbis: *Sicut multorum, qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenegildus Rex, Livigildi Regis Wiſi-gotthorum filius, ab Ariana hæreſi ad Fidem Catholicam viro reverendiſſimo Leandro, Hiſpalitano Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto, prædicante, converſus eſt. Quem pater Arianus, ut ad eandem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere, & minis terrere conatus eſt. Cumque ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquam ſe veram Fidem poſſe relinquere, quam ſemel agnoviſſet; iratus pater eum privavit regno, rebuſque exſpoliavit omnibus.* Hæc ibi, in quibus converſio nuper facta, & amicitia dudum contracta, indicant, poſt S. Leandri ab urbe Conſtantinopolitana reditum, S. Hermenegildum Fidem amplexum Catholi-

cam. Quæ ad ejus diem natalem 13. Aprilis accuratiùs deducentur: quo die in vigilia Paſchatis interemptum arbitramur, ſaltem ſub noctem præviam Paſchalis feſtivitatis, cùm nocte præcedenti recusâſſet communionem ſacrilegæ conſecrationis ab Epiſcopo Ariano oblatam. Annus is eſt DLXXXVI. quo cyclo lunæ XVI. Solis VI. & litera Dominicali G. incidit Paſcha Dominicæ Reſurrectionis in diem 14. Aprilis. Exſul tunc ſecundo aut tertio anno S. Leander ſcripſit duos contra Arianam hæreſin libros.

11. Superfuit Leuvigildus ad annum ſequentem DLXXXVII. ſive Eram Hiſpanicam DCXXV. uti aſſerit in Chronico Gotthorum S. Iſidorus, qui initium regni ejus ſtatuit Erâ DCVIII. additque, *obiiſſe anno regni XVIII.* Hìc, teſte S. Gregorio Papa, *quia vera eſſet Catholica Fides, agnovit; ſed gentis ſuæ terrore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui oborta ægritudine ad extrema perductus eſt: & Leandro Epiſcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Richaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi reliquerat, commendare curavit: ut in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exhortationibus feciſſet. Qua commendatione expleta, defunctus eſt.* Gregorius Turonenſis lib. 8. *Hiſt. Franc.* cap. ultimo, jam tum in ea ſcribenda impeditus, ait: *Aliquos aſſerere, eum in legem Catholicam tranſiiſſe ſeptem ante obitum diebus: & tum filium Richaredum pro eo regnâſſe anno Childeberti XII. Guntbramni* XXVI. qui eſt jam ſtatutus annus DLXXXVII. Sed pergit S. Gregorius Papa: *Richaredus Rex non patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus eſt; totam quoque Wiſe-gotthorum gentem ita ad veram perduxit Fidem, ut nullum in ſuo Regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret.*

12. Tamajus Salazar ad diem 13. Aprilis pag. 615. adfert antiquam inſcriptionem dedicatæ Toleti Eccleſiæ Cathedralis, ex qua conſtat eam ſub initium regni Reccaredi factam fuiſſe; quæ eſt ejuſmodi. *In nomine Domini conſecrata eſt Eccleſia S. Mariæ in Catholico, die 1. Idus Aprilis, anno feliciter primo regni D. N. glorioſiſſimi Flav. Reccaredi Regis, Erâ DCXXV.* Erat eo ipſo die annus elapſus ab Hermenegildi Regis martyrio, ac cadebat dies ille 13. Aprilis dicto anno DLXXXVII. in ſecundam Dominicam poſt Paſcha, die 30. Martii celebratam. Tunc ergo, ut ſuprà Iſidorus tradit, *Fide S. Leandri atque induſtriâ, populi gentis Gotthorum ab Ariana inſania ad Fidem Catholicam ſunt reverſi.*

13. Secuta eſt Synodus Toletana III. Epiſcoporum LXII. in qua Gotthi abjuratâ Arianæ hæreſeos perfidiâ, orthodoxam Fidem profeſſi ſunt, ſcriptique anathematiſmi XXIII. ac capitula totidem, quibus ſubjicitur edictum Reccaredi Regis de confirmatione Synodi, ac poſtea omnia concluduntur illuſtri S. Leandri Homilia in laudem Eccleſiæ ob converſionem gentis Gotthorum, quam infrà integram damus. Subſcripſerunt *Flavius Reccaredus Rex, Maſſona Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus, Euphemius Eccleſiæ Toletanæ Metropolitanus.* Dein quarto loco & hac formula legitur: *Leander in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis Metropolitanus provinciæ Bæticæ, his conſtitutionibus, quibus in urbe Toletana interfui, annuens ſubſcripſi.* De anno hujus Synodi aliqua ob Eram Hiſpanicam & annum regni Reccaredi controverſia exoritur. Ita quippe incipit Synodus: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno IV. regnante glorioſiſſimo domino Reccaredo Rege, die octavo Iduum Majarum, Erâ DCXXVII. hæc ſancta Synodus habita eſt in civitate regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ vel Galliæ, qui infrà ſcripti ſunt.*

14. Quia verò ſuprà Erâ DCXXV. menſe Aprili fuit primus annus regni Reccaredi, neceſſariò jam Era DCXXVII. debet convenire in annum regni tertium, ut videatur loco puncti, poſt numerum 3. collocati, quarta unitas acceſſiſſe, atque ita IV. annus ſuccreviſſe apud amanuenſes: & ſic habita foret Synodus an. Chriſti DLXXXIX. aut contrà, ſi quartus annus regni detineatur; conſtituenda foret Era ſequens DCXXVIII. & habita foret Synodus anno Chriſti DXC. in cujus menſe Auguſto annum regni octavum inchoavit Mauricius Imperator: ad quem annum Synodum hanc confert Joannes Biclarenſis ſub finem Chronici his verbis: *Anno VIII. Mauricii Imperatoris, qui eſt Reccaredi Regis IV. annus, ſancta Synodus Epiſcoporum totius Hiſpaniæ, Galliæ, & Gallæciæ, in urbe Toletana præcepto Principis Reccaredi congregatur, Epiſcoporum LXXII. In qua Synodo intererat memoratus Chriſtianiſſimus Reccaredus, ordinem converſionis ſuæ, & omnium Sacerdotum, vel gentis Gotthicæ confeſſionem tomo ſcriptam manu ſua Epiſcopis porrigens, & omnia quæ ad profeſſionem Fidei orthodoxæ pertinent, innoteſcens: cujus tomi ordinem decrevit ſancta Epiſcoporum Synodus canonicis applicare monumentis. Summa tamen ſynodalis negotii penès S. Leandrum, Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium monaſterii Servitiani Abbatem fuit.* Hæc ibi.

15. Interim optaremus ſervare præfixum Synodo annum quartum regni Reccaredi & Eram DCXXVII. Baronius eam ob cauſſam rejicit mortem Leuvigildi, & initium regni Reccaredi in annum Chriſti DLXV. immo apud Iſidorum corrigit Eram DCCXXV. & vult ſubſtitui Eram DCCXIII. quod fecit Jacobus du Breul in editione Operum S. Iſidori, facta anno MDCI. Sed quidni correxit initium regni ejuſdem Leuvigildi? aut quorſum *obiiſſe* tradit *anno regni XVIII.* cùm mortuus eſſet *anno regni XVI.*? Iterum annus regni Reccaredi IV. non côveniſſet in Erâ DCXXVII. ſed præcedentem DCXXVI. Præterea Reccaredus non deceſſiſſet è vita anno XV. regni, & Erâ DCXL. quia duorum iterum annorum diſcrepantia exoritur, & ita in ſequentibus Regibus foret faciendum. Interim favent ſequentia Concilia, *Hiſpalenſe* (Præſide etiam S. Leandro habitum) *anno quinto regni Reccaredi, Erâ DCXXVIII. primo Nonarum Novembrium, & Cæſaraugustanum II.* ſignatum *ſub die Kalendarum Novembrium Erâ DCXXX. anno regni VII.* Quid ergo ſtatuendum? Reccaredum arbitramur poſt martyrium

tyrium

tyrium S. Hermenegildi aſſumptum in conſortem regnî à patre Leuvigildo, ſaltem ante diem VIII. Iduum Majarum, atque ita in Conciliis numerari annos ejus: quos à morte patris ſolùm cœpit digerere S. Iſidorus, ne Chronicon Gotthorum interturbaretur.

§. III.

Epiſtola S. Gregorii Papæ ad S. Leandrum. Hujus obitus, ſepultura, translationes.

16. HACTENUS relata contigerunt, antequam ad ſummum Pontificatum aſſumeretur S. Gregorius Magnus, ad quem circa initium hujus dignitatis, indicatam à S. Iſiduro Epiſtolam *De baptiſmo* ſcripſit S. Leander: cui reſpondit ſanctus Papa *Indictione IX. menſe Maio*, anno DXCI. Eſt ea Epiſtola XLI. libri 1. Regiſtri, ex qua quid S. Leander ei ſcripſerit colligimus. Ita illa incipit: *Reſpondere Epiſtolis veſtris tota intentione voluiſſem*, &c. Vide infrà cum Notis pag. ſeq.

17. Altera S. Gregorii ad S. Leandrum Epiſtola ſcripta Indictione XIII. anno DXCIV. aut ſequente, eſt XLV. libri 4. quam hîc ulterioris amoris teſſeram adjungo, & eſt ejuſmodi: *Quanto ardore videre te ſitiam*, &c. Vide infrà cum Notis pag. 399.

18. At quales repoſuerit S. Leander literas, indicat S. Gregorius Epiſtolâ CXXIII. lib. 7. cujus illud eſt exordium: *Sanctitatis tuæ ſuſcepi Epiſtolam, ſolius charitatis calamo ſcriptam.* &c. Vide infrà, quam cum Notis exhibemus. pag. 404.

19. Datæ notantur hæ Epiſtolæ Indictione 2. anno DXCVIII. aut ſequente. Sed creduntur à nonnullis loco ſuo motæ, neque voluiſſe S. Gregorium tamdiu differre, aut miſſionē pallii ad eum, quem *præ cæteris omnibus & magis ſe dilexiſſe* teſtatur: aut gratulationē Regi Reccaredo factam ob converſionem ad Fidem Catholicam, de qua ſcripſerat ad S. Leandrum in priore Epiſtola anno DXCI. Accedit quòd videatur S. Leandro vitâ functo ſucceſſiſſe S. Iſidorus frater anno DXCVI. quem S. Ildephonſus libello *De viris illuſtribus*, cap. 8. aſſerit ex certa notitia, *annis ferè quadraginta tenniſſe Pontificatûs honorem*. At Redemptus ejus clericus addit, *finem ſuum conſummaviſſe in pace pridie nonas Aprilis lunâ XIX. Erâ DCLXXIV.* hoc eſt anno DCXXXVI. cui ſi demantur anni quadraginta, neceſſe eſt ut Epiſcopatum ſuſceperit adhuc anno DXCVI. quo anno ex hoc calculo è vita diſceſſiſſet S. Leander: non videtur autem potuiſſe fieri, ut ejus obitus & ſucceſſio S. Iſidori latuiſſent S. Gregorium poſt tres quatuorve annos. Obitus iterum S. Iſidori confirmatur per ſucceſſionem Honorati Epiſcopi, qui *quinto Idus Januarii anni Cintbilani Regi; ſecundo Erâ DCLXXVI.* ſubſcripſit Concilio Toletano VI. unde certum eſt S. Iſidorum antè obiiſſe, ſaltem anno DCXXXVII. ad cujus diem natalem diſcuti iſta accuratiùs poterunt. Jam ſufficit hæc indicâſſe, & obitum S. Leandri aſſignare ſub finem ſæculi ſexti.

20. In ſuprà indicato perveruſto Breviario Romano iſta adhuc de virtutibus, obitu, & ſepultura S. Leandri memorantur: *Sanctus verò Leander corpus ſuum in Dei ſervitio quotidie macerabat: propter quòd celebre nomen per totam Hiſpaniam obtinuit. Fuit enim vir Dei timore plenus, prudentiâ ſummus, eleemoſynis deditus, in judiciis æquus, in ſententia parcus, in oratione jugis, & divinis laudibus mirabilis, in dubietate divinorum officiorum ad corrigendum facillimus, omnium Eccleſiarum defenſor eximius, in comprimendis ſuperbis erectus, in pietate multùm affluens, in rivis charitatis ita ſe charum exhibens, quòd ex charitate nulli poſtulanti aliquid denegavit. Floruit ſub Reccaredo viro religioſo ac præcipuè glorioſo, cujus temporibus mirabili obitu mortalis vitæ terminum Hiſpali clauſit die tertia Idus Martii, Erâ DCXL. atque intra Eccleſiam SS. Juſtæ & Ruffinæ, in qua diu Deo deſervierat, tumulatur: ubi multa beneficia ipſius, & beatarum Virginum meritis præſtantur.* Hæc ibi. Coluntur SS. Juſta & Ruffina die 19. Julii: in quarum Eccleſia res præclaræ à S. Leandro geſtæ partim depictæ viſuntur, partim verſibus deſcriptæ leguntur, teſte Antonio de Quintana-dueñas in libro *De Sanctis Hiſpalenſibus*. Tradit verò idem auctor corpus S. Leandri ex dictâ SS. Juſtæ & Ruffinæ Eccleſia, ad Cathedralem fuiſſe olim translatum, ejuſque Translationis memoriam in perveruſto Breviario Hiſpalenſi annotari ad 6. Aprilis: & dein cùm eſſet in ſacello veteri navis templi, tranſportatum fuiſſe anno MDXLIII. die 11. Novembris in feſto S. Martini ad aliud ſacellum clauſtri verſus Occidentem: unde iterum cum corporibus Regum, anno MDLXXVIII. illatum eſt in ſacellū Deiparæ Virginis à Regibus cognominatæ, ubi ſub altari majori depoſitum aſſervatur. Aſt ejus Eccleſia gaudet ſe poſſidere ſacrum caput argenteæ ſtatuæ medii corporis incluſum. Hæc dictus Quintana-dueñas. Meminit & Rodericus Carus lib. 2. *Antiquitatum Hiſpalenſium*, fol. 54. dictum S. Leandri corpus adſervari in ſacello regio unâ cū corpore ſanctiſſimi Regis Ferdinandi, glorioſi conqueſtoris illius regionis.

21. Hæc præcipua ſunt, quæ de S. Leandro ut Fide digniora reperimus. Eſt aliqua ejus vita à Prudentio Sandovalio ſcripta, & à Joanne Horione latinè translata, & à Chriſtophoro Brovvero edita: quam omittimus, quòd multa ex Maximo ſuppoſititio deſumpta ſint. Inter alia *è conſtanti apud Hiſpanos fama* refertur, *à S. Gregorio miſſam ad Leandrum imaginem Virginis Dei parentis, quæ hodie Guadalupi viſitur, ſingulare in his Caſtellæ regnis priſcæ ſanctimoniæ monumentum*. De ea imagine nonnulla attigimus ad diem 11. Martii inter prætermiſſos, ubi de Simone Rolando, aliis Simone Vela, actum eſt. De monachatu ejus, cujus meminit S. Iſidorus, varii varia inquirunt, quæ non judicamus operæ prætium eſſe ut referantur.

SAN-.

S. GREGORII MAGNI PAPÆ

Epiſtolæ ad Hiſpanos cum Notis brevioribus Cardinalis de Aguirre.

EPISTOLA I. AD SANCTUM LEANDRUM EPISCOPUM HISPALENSEM.

De Reccaredo Rege, & de trina merſione baptiſmi.

Vide Can. Ap. Græcolat.

Gregorius Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi.

Habetur lib. 1. Epiſt. 41. Regiſtri.

1. RESPONDERE Epiſtolis veſtris tota intentione voluiſſem, niſi paſtoralis curæ ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod veſtra quoque reverentia in ipſo literarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetuſtam ac putreſcentem navem, quam regendam occulta Dei diſpenſatione ſuſcepi, ad portum dirigere nullatenus poſſim.

Reſcribit Leandro, expendens ærumnas ſuas in regimine Eccleſiæ laborantis & afflictæ.

2. Nunc ex adverſo fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli ſpumoſi maris intumeſcunt, nunc à tergo tempeſtas inſequitur. Interque hæc omnia turbatus cogor, modò in ipſam clavum adverſitatem dirigere, modò incurvato navis latere, minas & impetum fluctuum ex obliquo declinare. Ingemiſco, quia ſentio quòd negligente me creſcit ſentina vitiorum, & tempeſtate fortiter obviante, jamjamque putridæ naufragium tabulæ ſonant. Flens reminiſcor, quòd perdidi meæ placidum litus quietis, & ſuſpirando terram conſpicio, quam tamen, rerum ventis adverſantibus, tenere non poſſum. Si ergo me, frater chariſſime, diligis; tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende, ut quo laborantem me adjuvas, ex ipſa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior exiſtas.

Gaudet de converſione Reccaredi Regis Hiſpaniæ ad Fidem Cathol.

3. Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Reccaredum glorioſiſſimum Regem ad Catholicam Fidem integerrima agnovi devotione converſum. Hujus dum mihi per ſcripta veſtra mores exprimitis, amare me etiam quem neſcio feciſtis. Sed quia antiqui hoſtis inſidias ſcitis, quoniam bellum durius contra victores proponit; nunc erga eundem ſolertiùs ſanctitas veſtra evigilet, ut bene cœpta perficiat, nec ſe de perfectis bonis operibus extollat, ut Fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat: & quia æterni regni civis ſit operibus oſtendat: quatenus poſt multa annorum curricula, de regno ad regnum tranſeat.

Conc. IV. Tolet. cap. 5. Grat. De conſec. diſt. 3. cap. 8. Ivo p. 1. cap. 132. Pan. lib. 1. capite 60. De merſione una, aut tribus in baptiſmo.

4. De trina verò merſione baptiſmatis, nil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis: quia in una Fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri; neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizando ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantē in baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hucuſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant: dumque quod faciebant faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.

Mittit Leandro Commentarios in Job, quos ipſius rogatu ſcripſerat.

5. Dulciſſimæ autem mihi fraternitati veſtræ codices direxi, quorum notitiam ſubter inſerui. Ea autem quæ in beati Job expoſitione dicta fuerant, & vobis dirigenda ſcribitis; quia hæc verbis ſenſibuſque petentibus per homilias direxeram, utcumque ſtudui in librorum ductum permutare, quæ nunc adhuc à librariis conſcribuntur. Et niſi portitoris præſentium me feſtinatio coanguſtâſſet, cuncta vobis tranſmittere ſine aliqua imminutione voluiſſem: maximè quia & hoc ipſum opus ad veſtram reverentiam ſcripſi, ut ei, quem præ cæteris diligo, in meo judicer labore deſudâſſe. Præterea ſi vobis indulgeri tempora ab Eccleſiaſtica occupatione cognoſcitis; quid ſit jam faciendum ſcitis, quamvis etiam abſentem corpore, præſentem mihi te ſemper intueor, quia vultus tui imaginem intra cordis viſcera impreſſam porto. Data menſe Maji.

NOTÆ

N O T Æ.

6. PLACET hoc loci exſcribere verba magni viri Antonii Auguſtini, Tarraconenſis Archiepiſcopi, lib. primo *Dialogorum*, dial. ſecundo, ubi ejuſdem Epiſtolæ Gregorianæ, ſimul & Leandri, meminit his verbis: *Alter locus eſt ex Epiſtula quadam Gregorii ad eundem Leandrum Epiſcopum* De trina merſione baptiſmatis, *quæ exſtat, ut notat Demochrares, lib. 1. Epiſt. quadrageſimâ primâ Regiſtri. Ejuſdem mentionem invenies in Concilio Toletano IV. Canone V. & in Concilio Wormacienſi item Can. V. & apud Ivonem, & Anſelmum Lucenſem, & alios Collectores. C. Quis hic Leander fuit? A. Tres fratres germanos inſignes pietate & eruditione viros habuit Hiſpania, Reccaredo Rege, Leandrum, Iſidorum, & Fulgentium. Duo illi Hiſpalenſes Epiſcopi fuerunt: hic tertius Aſtigitanus. Leandro acceptam ferimus Gotthorum Arianorum in Catholicam Fidem converſionem. Cum hoc Gregorius amicitiam inivit Conſtantinopoli. Venerat enim illuc alter Pelagii Pontificis, alter Regis ſui legatus ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, &c.* Plura de laudibus ejus ſuprà.

7. *Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt. infantem in baptiſmate in aquam vel ſemel vel ter immergere.*] Utrumvis ſufficere ad validam baptiſmi collationem docet Gregorius. Quod idem habetur in Concilio Toletano IV. cap. 5. Neque obſtat Canon XLIX. Apoſtolorum, ubi dicitur: *Siquis Epiſcopus vel presbyter, non tria unius myſterii baptiſmata perfecerit, ſed unum baptiſmum, qui datur in mortem Domini; deponatur.* Sermo enim ibidem eſt contra errorē illorum, qui baptizabant in nomine Chriſti mortui pro nobis, & ad ritum ejuſmodi introducendum unica merſione utebantur. Alioqui verò, ſive una, ſive tres adhibeantur, juxta ſenſum Catholicæ Eccleſiæ de unitate eſſentiæ & trinitate perſonarum, baptiſmus validè confertur. Vide Notas ad citatum Concilium.

S. GREGORII EPIST. II. AD S. LEANDRUM

Libros in Expoſitionem Beati Job, & librum Regulæ Paſtoralis tranſmittit.

Gregorius Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi.

8. QUANTO ardore videre te ſitiam, quia valdè me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum ſpatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit charitas, feci, ut librum Regulæ Paſtoralis, quem in Epiſcopatus mei exordio ſcripſi, & libros quos in Expoſitionem Beati Job jamdudum me feciſſe cognoviſti, ſanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero veniente tranſmitterem. Et tuæ quidem charitati in eo opere tertiæ & quartæ partis codices non tranſmiſi, quia eos ſolummodo invenio, quos ex ejuſdem partibus codicis, quos jam monaſteriis dedi, excerpſi. Hos itaque ſanctitas tua ſtudiosè percurrat, & peccata mea ſtudioſiùs defleat, ne mihi culpæ gravioris ſit, quòd quaſi ſcire videor quod agere prætermitto. In hac verò Eccleſia quantis cauſſarum tumultibus premor, ipſa charitati tuæ Epiſtolæ meæ brevitas innoteſcit, quando ei parum loquor, quem magis omnibus diligo. *Habetur lib. 4. Regiſt. Epiſt. 46.*

N O T Æ.

9. IN quodam Ms. Dominicanorum Bayonenſium inſcriptio, hujus Epiſtolæ eſt: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Leandro Epiſcopo, Gregorius ſervus ſervorum Dei.*

10. Ex utraque porrò Epiſtola præjacta videtur ſatis conſtare, Gregorium non habuiſſe ad manum integram ſuam Expoſitionem in libros Job, ut eam mitteret ad Leandrum. In priore enim earum id palam denotant verba illa ſub finem: *Niſi portitoris præſentium me feſtinatio coanguſtâſſet, cuncta vobis tranſmittere ſine aliqua imminutione voluiſſem, &c.* Similiter in poſteriore Epiſtola id indicatur verbis iis: *In eo opere* (Expoſitionis prædictæ) *tertiæ & quartæ partis codices non tranſmiſi, &c.*

11. Hinc faciliùs intelligitur, qualiter eadem Expoſitio Gregorii in libros Job non inveniretur integra apud Hiſpaniam quinquaginta circiter annis poſt obitum ejuſdem Magni Doctoris: ut proinde opus fuerit Eccleſiis Hiſpaniarum Romam mittere circa medium ejuſdem ſæculi ſeptimi Tajonem Epiſcopum Cæſaranguſtanum ad eam quærendam: ut ſuo loco dicemus, exhibitâ ejuſdem Tajonis Epiſtolâ, in qua rem totam ſcitu digniſſimam, & cœleſtibus ſignis confirmatam, narrat.

SANCTI GREGORII MAGNI

EPISTOLA III.

Præfixa Commentariis in librum Beati Job, ad eundem Leandrum.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri ſuo Leandro Coëpiſcopo, Gregorius ſervus ſervorum Dei.

Io. Diac. lib. 1. cap. 27. De vita S. Gregorii.

12. DUDUM te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana urbe cognoſcens, cùm me illic Sedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringerent; & te illuc injuncta pro cauſſis Fidei Wiſi-gotthorum legatio perduxiſſet; omne in tuis auribus, quod mihi de me diſplicebat, expoſui; quoniam diu longeque converſionis gratiam diſtuli: & poſtquam cœleſti ſum deſiderio afflatus, ſæcularem habitum contemnere melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam tunc de æternitatis amore quod quærerem; ſed inolita me conſuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus, præſenti mundo quaſi ſpecie tenus deſervire; cœperunt multa contra me ex ejuſdem mundi cura ſuccreſcere, ut in eo jam non ſpecie, ſed, quod eſt gravius, mente retinerer.

Io. Diac. lib. 1. cap. 4. S. Ant.

13. Quæ tandem cuncta ſolicitè fugiens, portum monaſterij petii: & relictis quæ mundi ſunt, ut fruſtra tunc credidi, ex hujus mundi naufragio nudus evaſi. Quia enim plerùmque navem incautè religatam, etiam de ſinu tutiſſimi litoris unda excutit, quum tempeſtas excreſcit; repentè me ſub prætextu Eccleſiaſtici ordinis, in cauſſarum ſæcularium pelago reperi: & quietem monaſteri, quam habendo non fortiter tenui, quàm ſtrictè tenenda fuerit, perdendo cognovi. Nam cùm mihi ad percipiendum ſacri altaris miniſterium obedientiæ virtus opponitur, hoc ſub Eccleſiæ colore ſuſceptum eſt: quod ſi inultè liceat, iterum fugiendo deflectitur.

Math. 9. Marc. 7. Sap. 10. Num. 22.

14. Poſt quæ nolenti mihi atque renitenti, cùm grave eſſet altaris miniſterium, etiam pondus eſt curæ paſtoralis injunctum. Quod tantò nunc graviùs tolero, quantò me ei imparem eſſe ſentiens, in nulla fiduciæ conſolatione reſpiro. Quia enim mundi jam tempora, malis crebreſcentibus, termino propinquante turbata ſunt; nos qui internis myſteriis deſervire credimur, curis exterioribus implicamur: ſicut eo quoque tempore, quo ad miniſterium altaris acceſſi, hoc de me, ignorante me, actum eſt, ut ſacri ordinis pondus acciperem: quo in terreno palatio licentiùs excubarem. Ubi me ſcilicet multi ex monaſterio fratres mei, germana vincti charitate, ſecuti ſunt.

15. Quod divina factum diſpenſatione conſpicio, ut eorum exemplo ſemper ad orationis placidum litus, quaſi ancoræ fune reſtringerer, cùm cauſſarum ſæcularium inceſſabili impulſu fluctuarem. Ad illorum quippe conſortium, velut ad tutiſſimi portus ſinum, poſt terreni actus volumina fluctuſque fugiebam: & licèt illud me miniſterium ex monaſterio abſtractum, à priſtinæ quietis vita mucrone ſuæ occupationis extinxerat; inter eos tamen per ſtudioſæ lectionis alloquium quotidianæ me aſpiratio compunctionis animabat.

16. Tunc eiſdem fratribus, etiam cogente te, placuit, ſicut ipſe meminiſti, ut librum Beati Job exponere importuna me petitione compellerent: & prout veritas vires infunderet, ut eis myſteria tantæ profunditatis aperirem. Qui hoc quoque mihi in onere ſuæ petitionis addiderunt, ut non ſolùm verba hiſtoriæ per allegoriarum ſenſum excuterem; ſed allegoriarum ſenſum protinus in exercitium moralitatis inclinarem: adhuc aliud gravius adjungentes, ut intellecta quæque teſtimoniis cingerem: & prolata teſtimonia, ſi implicita fortaſſe viderentur, interpoſitione ſuperadditæ expoſitionis enodarem.

CAPUT II.

17. Mox verò, ut in obſcuro hoc opere, atque ante nos hactenus indiſcuſſo, ad tanta me pertrahi actalia agnovi, ſolo auditùs pondere victus, fateor, laſſatuſque ſuccubui. Sed repentè inter formidinem devotionemque deprehenſus, cùm in largitorem munerum oculos mentis attollerem, cunctatione poſtpoſita, illicò certus attendi: quia impoſſibile eſſe non poterat quod de fraternis mihi cordibus charitatis imperabat. Fore quippe idoneum me ad iſta deſperavi: ſed ipſa me à deſperatione robuſtior; ad illum ſpem protinus erexi, per quem aperta eſt lingua mutorum, qui linguas infantium facit diſertas, qui immenſos brutoſque aſinæ ruditus per ſenſatos humani colloquii diſtinxit modos. Quid igitur mirum, ſi intellectum ſtulto homini præbeat, qui veritatem ſuam, cùm voluerit, etiam per ora jumentorum narrat?

18. Hujus ergo robore conſiderationis accinctus, ariditatem meam ad indagandum fontem tantæ profun-

profunditatis excitavi. Nam & quamvis eorum, quibus exponere compellebar, longè me vita tranſcenderet; injuriofum tamen eſſe non credidi, ſi fluenta uſibus hominum plumbi fiſtula miniſtraret. Unde mox eiſdem coràm poſitis fratribus priora libri ſub oculis dixi: & quia tempus paullò vacantius reperi, poſteriora tractando dictavi. Cumque mihi ſpatia largiora ſuppeterent, multa augens, pauca ſubtrahens, atque ita ut inventa ſunt, nonnulla derelinquens; ea quæ me loquente excepta ſub oculis fuerant, per libros emendando compoſui: quia & cùm poſtrema dictarem, quo ſtylo prima dixeram, ſolicitè attendi. Egi verò, ut & ea quæ loquutus ſum, ſtudioſa emendatione tranſcurrens, quaſi ad ſimilitudinem dictatûs erigerem: & ea quæ dictaveram, non longè à colloquentis ſermone diſcreparent: quatenus dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo diſſimili res non diſſimilis formaretur: quamvis tertiam hujus operis partem, ut colloquendo protuli, penè ita dereliqui: quia cùm me fratres ad alia pertrahunt, hanc ſubtiliùs emendari noluerunt.

19. Quibus nimirum multa jubentibus, dum parere modò per expoſitionis miniſterium, modò per contemplationis aſcenſum, modò per moralitatis inſtrumentum volui, opus hoc per triginta & quinque volumina extenſum in ſex codicibus explevi. Unde & in eo ſæpè quaſi poſtponere ordinem expoſitionis invenior; & paullò diutiùs contemplationis latitudini ac moralitatis inſudo. Sed tamen quiſquis de Deo loquitur, curet neceſſe eſt, ut quicquid audientium mores inſtruit, rimetur; & hunc rectum loquendi ordinem deputet, ſi quum opportunitas ædificationis exigit, ab eo ſe, quod loqui cœperat, utiliter derivet.

20. Sacri enim tractator eloquii morem fluminis debet imitari. Fluvius quippe dum per alveum defluit, ſi valles concavas ex latere contingit, in eas protinus ſui impetus curſum divertit; cumque illas ſufficienter impleverit, repentè ſe in alveum refundit. Sic nimirum, ſic divini verbi eſſe tractator debet, ut quum de qualibet re diſſerit, ſi fortaſſe juxtà poſitam occaſionem congruæ ædificationis invenerit, quaſi ad vicinam vallem linguæ undas intorqueat; & cùm ſubjectæ inſtructionis campum ſufficienter inſuderit, ad ſermonis propoſiti alveum recurrat.

CAPUT III.

21. Sciendum verò eſt, quòd quædam hiſtorica expoſitione tranſcurrimus, & per allegoriam quædam typica inveſtigatione perſcrutamur, quædam per ſola allegoricæ moralitatis inſtrumenta diſcutimus, nonnulla autem per cuncta ſimul ſolicitiùs exquirentes, tripliciter indagamus. Nam primùm quidem fundamenta hiſtoriæ ponimus, deinde per ſignificationem typicam, in arcem Fidei fabricam mentis erigimus, ad extremum quoque per moralitatis gratiam quaſi ſuperducto ædificium colore veſtimus. Vel certè quid veritatis dicta, niſi reficiendæ mentis alimenta credenda ſunt? Quæ modis alternantibus multipliciter diſſerendo, ferculum ori offerimus, ut invitati lectoris quaſi convivæ noſtri faſtidium repellamus, qui dum ſibi multa oblata conſiderat, quod elegantius decernat aſſumat. Aliquando verò exponere aperta hiſtoriæ verba negligimus, ne tardiùs ad obſcura veniamus.

22. Aliquando autem intelligi juxta literam nequeunt, quia ſuperficie tenus accepta nequaquam
inſtructionem legentibus, ſed errorem gignunt. Ecce etenim dicitur: *Sub quo curvantur qui portant* Job 9.
orbem. Et de tanto viro quis neſciat, quòd nequaquam vanas poëtarum fabulas ſequitur, ut mundi
molem ſui vehi giganteo ſudore ſuſpicetur? Qui rurſum preſſus percuſſionibus dicit: *Elegit ſuſpendium* Job 7.
anima mea, & mortem oſſa mea. Et quis rectum ſapiens, credat virum tanti præconii, quem videlicet conſtat ab æterno judice præmia pro patientiæ virtute recipere, decreviſſe inter verbera ſuſpendio vitam finire?

23. Aliquando etiam, ne fortaſſe intelligi juxta literam debeant, ipſa ſe verba literæ impugnant.
Ait namque: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: conceptus eſt homo*. Et paullò Job 3.
poſt ſubjicit: *Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine*. Atque in ejuſdem noctis maledictione ſubjungit: *Sit nox illa ſolitaria*. Qui nimirum nativitatis dies, ipſo impulſu temporis evolutus, ſtare non poterat.

CAPUT IV.

24. Quo igitur pacto hunc involvi caligine optabat, qui elapſus jam non erat; & tamen ſi in natura rerum temporalium ſubſiſteret, ſentire amaritudinem nequaquam poſſet? Conſtat ergo quòd nullo modo de die inſenſibili dicitur; qui ſenſu percuti amaritudinis optatur. Et ſi conceptionis nox reliquis noctibus conjuncta diſceſſerat, quo pacto hanc fieri ſolitariam exoptat? Quæ ut à lapſu temporis figi non potuit, ita etiam nec à reliquarum noctium conjunctione ſeparari.

25. Qui rurſum dicit: *Uſquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam?* Job 3.
Et tamen paullò ſuperiùs dixerat: *Quæ priùs tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Job 7.
Quis autem neſciat ſalivam faciliùs poſſe glutiri, quàm cibum? Qui itaque ſe ſumere cibum denunciat, incredibile eſt valdè, quo ordine glutire poſſe ſalivam negat.

26. Atque iterum dicit: *Peccavi, quid faciam tibi ò cuſtos hominum?* Vel certè: *Conſumere me* Job 6.
vis peccatis adoleſcentiæ meæ? Et tamen alia reſponſione ſubjungit: *Nec enim reprehendit me cor meum* Job 7.
in omni vita mea. Quo ergo pacto à corde ſuo minimè in omni vita ſua reprehenditur, qui peccâſſe ſe Job 13. Job 27.
publica voce teſtatur? Neque enim ſimul unquam conveniunt culpa operis & irreprehenſibilitas cordis.

Sed nimirum verba literæ dum collata ſibi convenire neqneunt, aliud in ſe aliqoid, quod quæratur, oſtendunt: ac ſi quibuſdam vocibus dicant: dum noſtra nos conſpicitis ſuperficie deſtrui, hoc in nobis quærite quod ordinatum, ſibique congruens apud nos valeat intus inveoiri.

27. Aliquando autem qoi verba accipere hiſtoriæ juxta literam negligit, oblatum ſibi veritatis lumen abſcondit. Cumque laborioſè invenire io eis aliud intrinſecùs appetit, hoc quod foris ſine Job 31. difficultate aſſequi poterat, amittit. Sanctus namque vir dicit: *Si negavi quod volebant pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci; ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea; ſi deſpexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem; ſi non benedixerint mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt.* Quæ videlicet ſi ad allegoriæ ſenſum violenter inflectimus, cuncta ejus miſericordiæ facta vocamus. Divious etenim ſermo ſicut myſteriis prudeotes exercet, ſic plerumque ſuperficie ſimplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, ſervat in ſecreto onde mentes ſublimium in admiratione ſuſpeodat. Quaſi quidam quippe fluvius, ut ita dixerim, planus & altus; io quo & agnus ambulet, & elephas oatet. Ut ergo uniuſcujuſque loci opportunitas poſtulat, ita ſe per ſtudium expoſitionis ordo immutat; quatenus tantò veriùs ſenſum divinæ locutioois inveniat, qoantò ut res quæque exegerit, ſe per cauſſarum ſpecies alternat.

28. Quam videlicet expoſitionem receoſendam tuæ beatitudini, noo qoia velot dignam debui, ſed quia te petente, memini promiſiſſe, tranſmiſi. Io qua qoicquid tua ſanctitas tepidum incultumque reperit; tantò mihi celerrimè indulgeat, quantò hoc me ægrum dicere non ignorat. Nam dum moleſtiâ corpus atteritur, afflicta mente etiam dicendi ſtudia langueſcunt. Multa quippe annorum jam curricula devolvuntur, quòd crebris viſcerum doloribus crucior; horis momentiſque omoibus fracta ſtomachi virtute laſſeſco: lentis quidem, ſed tamen contionis febribus anhelo. Inter quæ dum ſolicitos Heb. 12. penſo quia ſcriptum eſt: *Omnis filius qui à Deo recipitur, flagellatur*; qoò malis præſentibus duriùs deprimor, eò de æterois certiùs præſumptione reſpiro. Et fortaſſe hoc divioæ providentiæ conſilio fuit, ut percuſſum Job percuſſus exponerem, & flagellati mentem meliùs per flagella ſentirem.

CAPUT V.

29. Sed tamen rectè conſiderantibus liquet, qoia adverſitate non modica, laboris mei ſtudiis io hoc moleſtia corporalis obſiſtit: quòd carnis virtus cum locutionis miniſterium exhibere vix ſufficit, mens dignè noo poteſt intimare quod ſentit. Quid namqoe eſt officium corporis, niſi organum cordis? Et quamliber peritus ſit cantandi artifex, explere artem noo valet, oiſi ad hanc ſibimet miniſteria exteriora concordent: quia nimirum canticum quod docta manus imperat, quaſſata organa propriè non reſultaot; nec artem flatus exprimit, ſi ſciſſa rimis fiſtula ſtridet. Quantò itaque graviùs expoſitionis meæ qualitas premitur; in qua dicendi gratiam ſic fractura organi diſſipat, ot hanc peritiæ ars nulla componat?

30. Quæſo autem ot hnius operis dicta percurrens, in his verborum folia noo requiras: qnia per ſacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuoſæ loquacitatis levitas ſtudioſè compeſcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio ſcimos, quia quotiens in ſoliis malè lætæ Proſp. De vit. ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt. Unde & ipſam artem loquendi, cont. lib. 3. cap. quam magiſteria diſciplinæ exterioris ioſinuant, ſervare deſpexi. Nam, ſicut hujus quoque epiſtolæ ult. tenor enunciat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitus motuſque præpoſitionum caſuſque ſervare contemno: quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Neque enim hæc ab aliis interpretibus io Scripturæ ſacræ auctoritate ſervata ſunt. Ex qua nimirum quia noſtra expoſitio oritur, dignom profectò eſt, ut qoaſi edita ſoboles ſpeciem ſuæ matris imitetur.

31. Novam enim translationem diſſero: ſed, ut comprobationis cauſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo: ut quia Sedes Apoſtolica, cui auctore Deo præſideo, utràque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur.

NOTÆ.

32. DUDUM *te*, &c.] Memorat Gregorios quæ ſibi contigerunt Conſtantinopoli, ubi Apocriſarius erat Sedis Apoſtolicæ eodem tempore qoo S. Leander ibidem verſabatur tanquam legatus *pro cauſſis Fidei Wiſi-gotthorum*; id eſt, Catholicorum natioois Gotthicæ, qui tunc diram Arianorum perſecutionem patiebantur. Leovigildos enim Hiſpaoiæ Rex tam altè imbiberat & cordi impreſſerat hæreſin Arianam, ut noo modò illam longè ac latè propagandam curaret, ſed etiam Catholicos omoes crudeliter perſequeretur, præſertim Hermenegildom ſuom primogenitum, poſtquam inſtructione ac prædicatione ſua Sanctos Leander illum ab eadem hæreſi ad ſinum Eccleſiæ traxit. Unde & idem Leander, ſimol cum fratre ſuo Fulgentio poſtea Epiſc. Aſtigitano, damnatus exſilio, Conſtantinopolim adiit, quæſiturus auxiliom aliquod Catholicis Hiſpanis apud Imperatorem Tiberium: eaque occaſione amicitiam ſtrictiſſimam contraxit cum Gregorio, ibidem pariter verſante.

33. *Tunc eiſdem fratribus, etiam cogente te, placuit, ſicut ipſe meminiſti, ut librum beati Job exponere importuna me oratione compellerent.*] Erat Gregorius jam tum præſtantiſſimus, non ſolùm pietate, ſed & doctrinâ, præſertim myſticâ, & præditus dono altiſſimæ contemplationis. Id experimento ſcientes ejus fratres (id eſt, monachi, qui ex urbe venerant Conſtantinopolim, & cum ipſo habitabant, ac Leander iis profeſſione monaſtica & familiaritate conjunctus) inſtanter hortati ſunt Gregorium, ut librum Job difficillimum, myſteriis plenum, & eouſque à nemine explanatum, Commentariis illuſtraret. Quod ille adeò eximiè ac feliciter, ſpecialiſſimâ Dei gratiâ, præſtitit, ut nullum ſcriptum auctoris peculiaris poſt libros revelatos hactenus prodierit in Eccleſia ſublimius, profundius, aut utilius, vel in quo magis apertè detegatur, potiùs illuſtratione divina, quàm ingenio aut eruditione humana ſcriptum fuiſſe.

34. Unde & elogium illud ſingulare meruit à S. Iſidoro libro *De viris illuſtribus*, cui initium: *Gregorius Papa, Romanæ Sedis Apoſtolicæ Præſul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate ſummus, tantoq; per gratiam Spiritûs ſancti ſcientiæ lumine præditus, ut non modò illi præſentium temporum quiſquam Doctorum, SED NEQUE IN PRÆTERITIS QUIDEM ILLI PAR FUERIT UNQUAM, &c. Idem etiam, flagitante Leandro Epiſcopo, librum beati Job myſtico ac morali ſenſu diſſeruit: totamq; prophetiæ ejus hiſtoriam in triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit. In quibus quidem quanta myſteria ſacramentorum aperiantur, quantaq; in amorem vitæ æternæ præcepta tradantur, quantis etiam claruerit ornamentis verborum, nemo ſapiens explicare valebit, etiamſi omnes artus ejus vertantur in linguas*. Sed & S. Ildephonſus in Additione ad eundem Iſidori librum cap. 1. (juxta pleraque Mss.) pari hyperbole ait de ipſo Gregorio: *Vicit ſanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, ſapientiâ Auguſtinum.*

35. Hæc familiaritas S. Leandri, jam pluribus antea annis monachi, cum S. Gregorio, & fratribus ſive ſociis pariter monachis apud CP. verſantibus, potuit eſſe cauſſa aut occaſio, ut Leander inde poſtea rediens in Hiſpaniam, majori affectu & ſolicitudine quàm antea, coleret Religionem S. Benedicti, eamque propagaret in Hiſpalenſi diœceſi, ac ſubinde aliis locis; fortè adductis ex Italia monachis ſimilibus iis, quos apud Conſtantinopolim novit ſocios S. Gregorii. Nimirum traditione antiquiſſima, plurimis ſæculis continuatâ, monumentis fidelibus, & incorruptis Mss. innixa, quorum aliqua indicabo in progreſſu, & teſtimoniis veterum quorundam ſcriptorum, creditur in Hiſpania introductam fuiſſe obſervantiam Regulæ S. Benedicti poſt medium ſæculi ſexti, aut non multis annis poſtquam recepta fuerat in vicinis regnis. Etenim jam antea, circa an. DXXXVI. introducta fuerat per S. Placidum ac ſocios in Sicilia, & per S. Maurum in Gallia anno DXLIII. ſubindeque in aliis Italiæ locis.

36. Verùm non multò poſtea, intra idem ſæculum ſextum, antiquiſſima traditione creditum fuit & eſt, ſaltem tempore Concilii Toletani III. id eſt, circa an. Chriſti DLXXXIX. jam introductam fuiſſe Regulam S. Benedicti in Hiſpania: veluti in monaſteriis S. Æmiliani, S. Petri de Cardeña, S. Vincentii Legionenſis, S. Benedicti Hiſpalenſis, &c. Unde Ambroſius Morales, ſcriptor ingenuus, & omnium opinione graviſſimus, libro duodecimo *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, capite tertiò, folio 95. à tergo, loquens de hoc Concilio III. Toletano celebrato anno Chriſti DLXXXIX. inquit: *In eo fit mentio monaſteriorum, in quibus jam vigebat regula fixa & peculiaris. Hanc ego certum habeo fuiſſe illam S. Benedicti, quæ jam tum ſatis publicata & propagata erat*. Nec mirum quòd ſubacto vir judicio, & plurimæ lectionis, præſertim omnium penè archivorum & Mss. veterum Hiſpaniæ, id certum haberet, quod omnes eouſque ſcriptores aut palam aſſeruerant, aut veluti inconcuſſum poſuerant, ſicuti & monachatum Benedictinum eorundem Sanctorum Gregorii & Leandri. Ut proinde inter paradoxa computatum fuerit, quòd poſt tempus ejuſdem Ambroſii Moralis nonnulli circa ea dubitare cœperint. quos tamen ſapienter ac modeſtè ſimul impugnârunt ex eadem Religione plures inſignes viri, & in iis nuper Joannes Mabillon, ac Magiſter Joſephus Perez, Diſſertationibus egregiis.

SANCTI GREGORII PAPÆ
E P I S T O L A IV.
AD EUNDEM S. LEANDRUM.

De laude charitatis. De onere ſuæ prælationis. Quantum laudat Gregorius Leandrum, tantumdem demittit ſeipſum, humilitate mira. De doloribus podagræ, quos ambo patiebantur. De pallio ad ſacra tantùm Miſſarum ſolennia tranſmiſſo.

Gregorius Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi.

37. SANCTITATIS tuę ſuſcepi epiſtolam, ſolius charitatis calamo ſcriptam. Ex corde enim lingua tinxerat qood in chartæ pagina refundebat. Boni autem ſapienteſque viri, cùm legeretur, adfueront, qoorum ſtatim viſcera in compunctione commota ſunt. Cœpit quiſqoe amoris manu in ſuo corde te rapere; quia in illa epiſtola tuæ mentis dulcedinem non erat aodire, ſed cernere. Accendebantur & mirabantur ſinguli, atque ipſe ignis aodientium demonſtrabat qui fuerit ardor dicentis. Niſi enim priùs in ſe faces ardeant, aliom non ſuccendunt. Ibi ergo vidimus quanta charitate tua mens arſerit, quæ ſic & alios accendit.

38. Vitam verò rectam, cujus ego ſemper cum magna veneratione reminiſcor, minimè noverant, ſed eis altitudo veſtri cordis patuit ex homilitate ſermonis. Vitam aotem meam cunctis eſſe imitabilem illa veſtra epiſtola loquitur. Sed quod non eſt ita ut dicitur, ſit ita quia dicitur; ne qui non ſolet, *Ruth. 1. 20.* mentiatur. Ad hæc autem breviter cujuſdam bonæ mulieris verba loquor: *Nolite me vocare Noemi, id eſt pulchram; ſed vocate me Mara, quia amaritudine plena ſum*. Neqoe enim, bone vir, hodie ego ſum ille quem nôſti. Multum, fateor, exteriùs proficiendo, ioteriùs cecidi, meque de eorum numero *Pſalm. 72.* eſſe pertimeſco, de quibus ſcriptum eſt: *Dejeciſti eos dum allevarentur*. Cùm enim dejicitor qui honoribus proficit, & moribus cadit.

39. Ego enim vias mei capitis ſequens, ſummopere eſſe decreveram opprobrium hominum & *Pſalm. 83.* abjectio plebis, atque in ejus ſortem currere, de qoo rurſus per Pſalmiſtam dicitur: *Aſcenſus in corde ſuo diſpoſuit in convalle lacrymarum*. ut videlicet tantò veriùs intus aſcenderem, quantò per convallem lacrymarum foris homiliùs jacerem. At me multum nuoc deprimit honor oneroſus, curæ ioouneræ perſtrepunt, & quum ſeſe ad Deom animus colligit, hunc ſuis impulſibus qnaſi qoibuſdam gladiis ſcindunt. Nulla cordis qnies eſt. Proſtratum in infimis jacet ſuæ cogitationis pondere depreſſum. Aut rara valdè, aut nulla hoc in ſublime penna contemplationis levat. Torpet ignaviâ mens, & circumlatrantibus curis temporalibus jam pene ad ſtoporem deducta, cogitur, modò terrena agere, modò etiam quæ ſunt carnalia diſpenſare.

40. Aliquando verò faſtidio exigente compellitor quædam etiam cum culpa diſponere. Quid molta loquar? Victa ſuo pondere ſanguinem ſudat. Niſi enim ſanguis nomine culpa cenſeretur, Pſal- *Pſal. 50. Oſee 4.* miſta non diceret: *Libera me de ſanguinibus*. Cùm verò culpas culpis injungimus, hoc quoque quod per alium Prophetam dictum eſt implemus: *Sanguis ſanguinem tetigit*. Sanguis eoim ſanguinem tangere dicitur, cùm culpa culpæ adjungitur, ut iniquitatis cumulus multiplicetur.

41. Sed inter hæc per omnipotentem Deum deprecor, ut io perturbationis fluctibus lapſum tuæ orationis manu me teneas. Quaſi enim proſpero flatu navigabam, cùm tranquillam vitam in monaſterio ducerem. Sed procelloſis ſubitò motibus tempeſtas exorta, in ſua perturbatione me rapuit, & proſperitatem itineris amiſi: qoia quiete perdita quietis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis verſor, & tuæ interceſſionis tabulam quæro; ut qoi navi integra dives pervenire non merui, ſaltem poſt damna ad litus per tabulam reducar.

42. De podagræ verò moleſtia ſanctitas veſtra, ut ſcribit, affligitur, cujus dolore aſſiduo & ipſe vehementer attritus ſum. Sed facilis erit conſolatio, ſi inter flagella quæ patimur, quæcumque facimos ad memoriam delicta revocamus; atque hæc non flagella, ſed dona eſſe conſpicimus, ſi quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgemus.

43. Præterea ex benedictione beati Petri Apoſtolorum principis pallium vobis tranſmiſimus, ad ſola Miſſarum ſolenoia utendum. Quo tranſmiſſo, valdè debui qualiter vobis eſſet vivendom admonere. Sed locutionem ſupprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens Deus ſua vos protectione

custo-

cuſtodiat, atque ad cœleſtis remnneratinnem patriæ cum multiplici animarnm fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor, ex debilitate brevis atteſtatur epiſtnla, in qua ei, quem multum diligo, parum loquor.

NOTÆ.

44. HACTENUS Gregorius Magnus in literis variis ad S. Leandrum ſibi amiciſſimum. Nunc autem exhibeamus Epiſtolam aliam illius ad Reccaredum Hiſpaniæ Regem, qui exhnrtatione ac prædicatione aſſidua ejuſdem Leandri Arianam impietatem deteſtatus fuit, & ſimul cum viris principibus nationis Gotthicæ abjuravit pnblicè in Concilio III. Toletano celebratn anno Chriſti DLXXXIX. ut ibidem latiùs videri poteſt.

SANCTI GREGORII MAGNI PAPÆ

EPISTOLA V.

AD RECCAREDUM REGEM HISPANIÆ.

Laudat ejus ope gentem Gotthorum ad Catholicam Fidem converſam. Agit de muneribus Sancto Petro tranſmiſſis; commendans ejus animum, quòd licèt ſumma pecuniarum à Judæis offerretur, conſtitutionem in eos editam mutare noluerit. Denique crucem tranſmittit, in qua de ligno Domini erat, & de capillis S. Joannis Baptiſtæ.

Gregorius Reccaredo Regi Wiſi-gotthorum.

45. EXPLERE verbis, excellentiſſime fili, non valeo, quantum tuo opere, tuâ vitâ delector. Auditâ qnippe novi diebus noſtris virtute miraculi, quòd per excellentiam tuam cuncta Gotthorum gens ab errore Arianæ hæreſis in Fidei rectæ ſoliditatem translata eſt; exclamare cum Propheta libet: *Hæc eſt immutatio dexteræ excelſi*. Cujus enim vel ſaxeum pectus tanto hoc opere cognito, non ſtatim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ excellentiæ amore molleſcat? Hæc me, fateor, quæ per vos acta ſunt, ſæpè convenientibus filiis meis dicere, ſæpè cum eis pariter admirari delectat. *Pſal. 76.*

46. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quòd piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cœleſtis patriæ Reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine judici venienti dicturus ſum, ſi tunc illuc vacuus venero, ubi tua excellentia greges poſt ſe fidelium ducet, quos modò ad veræ Fidei gratiam per ſtudioſam & continuam prædicationem traxit? Sed eſt mihi, bone vir, hoc eſt Dei munere, in magna conſolatione, quia opus ſanctum quod in me non habeo, diligo in te. Cumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua ſunt, per charitatem mea fiunt. *Mira modeſtia & humilitas tanti Pontificis.*

47. De converſione igitur Gotthorum in veſtro opere, & in noſtra exultatione libet cum angelis exclamare: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Nos enim, ut exiſtimo, gratiarum ampliùs omnipotenti Domino debitores exiſtimus: quia etſi vobiſcum nihil egimus, veſtro tamen operi congaudendo participes ſumus. Beatus verò Petrus Apoſtolorum princeps quàm libenter munera excellentiæ veſtræ ſuſceperit; ipſa cunctis liquidò vita veſtra teſtatur. Scriptum quippe eſt: *Vota juſtorum placabilia*. Neque in omnipotentis Dei judicio quid datur, ſed à quo datur, aſpicitur. Hinc eſt enim quod ſcriptum eſt: *Deſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain autem & ad munera ejus non reſpexit*. Dicturus quippe, quia Dominus reſpexit ad munera, præmiſit ſolicitè, quia reſpexit ad Abel. Ex qua re patenter oſtenditur, quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt. Veſtraque oblatio quàm ſit grata oſtenditis, qui daturi aurum, priùs ex converſione gentis ſubditæ animarum munera dediſtis. *Luc. 2.* *De converſione Gotthorum.* *Prov. 15.* *Gen. 4.* *Reccaredi dona Romam miſſa.*

48. Quòd verò tranſmiſſos Abbates, qui oblationem veſtram Beatro Petro Apoſtolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipſo itinere ad Hiſpanias remeâſſe; non munera veſtra repulſa ſunt, quæ poſtmodùm pervenerunt; ſed eorum qui tranſmiſſi fuerant conſtantia eſt probata, an ſcirent ſancto deſide-

deſiderio objecta pericula vincere, & in fatigatione corporis mente minimè laſſari. Adverſitas enim quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Quis enim neſciat quàm
Act. 27. proſperum fuit, quòd Beatus Paullus Apoſtolos prædicaturus ad Italiam veniebat? & tamen veniens naufragium pertulit. Sed navis cordis in marinis fluctibns integra ſtetit.

49. Præterea indico, qnia crevit de veſtro opere in laudibus Dei hoc quod dilectiſſimo filio meo Probino presbytero narrante cognovi: quia cùm veſtra excellentia conſtitutionem quandam contra
Ejus ſtatutum contra Judæos, commendatur.
Judæorum perfidiam dediſſet; hi de qoibns prolata fuerat, rectitudinem veſtræ mentis inflectere pecuniarum ſummam offerendo moliti ſunt: quam excellentia veſtra contempſit, & omnipotentis Dei placere judicio reqnirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi David Regis factum ad memoriam venit, cui dum concopita aqua de ciſterna Bethlehemitica, quæ inter hoſtiles cuneos habebatur, ab obſequentibus militibus fuiſſet allata, protinus dixit: *Abſit à me, ut ſanguinem juſtorum hominum bibam.*
1. Paralip. 11. Quam quia fudit & bibere noluit, ſcriptum eſt: *Libavit eam Domino*. Si igitur ab armato Rege in ſacrificium Dei verſa eſt aqua contempta; penſemus quale ſacrificium omnipotenti Deo Rex obtulir, qui pro amore illius non aquam, ſed aurum accipere contempſit? Itaque, fili excellentiſſime, fidenter dicam, quia libâſti aurum Domino, quod contra eum habere noluiſti.

50. Magna ſunt hæc & omnipotentis Dei laudi tribuenda. Sed inter hæc vigilanti ſunt ſtudio antiqui hoſtis inſidiæ cavendæ, qui quantò majora in hominibus dona conſpicit, tantò hæc auferre ſubtilioribus inſidiis exquirit. Nec enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, ſed eos qui auri vaſcula vel argenti ferunt. Via quippe eſt vita præſens. Et tantò quiſque neceſſe eſt ut inſidiantes ſpiritus caveat, quantò majora ſunt dona quæ portat. Oportet ergo excellentiam veſtram in tanto hoc de converſione gentis ſubditæ munere quod accepit, ſummopere cuſtodire priùs humilitatem cordis,
Luc. 14. & 8. ac deinde munditiam corporis. Cùm enim ſcriptum ſit: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*; profectò liquet quia ille veraciter alta amat, qui mentem ſuam ab humilitatis radice non deſecat.

Utilia monita contra ſuperbiam.
51. Sæpè namque malignus ſpiritus, ut bona deſtruat quibus priùs adverſari non valuit, ad operantis mentem poſt peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibuſdam ſuis laudibus excutit, ita ut decepta mens admiretur ipſa quàm ſint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud ſemetipſam extollitur, ejus cui donum tribuit, gratiâ privatur. Hinc eſt enim quod
Ezech. 16. per Prophetæ vocem contra ſuperbientem animam dicitur. *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Fiduciam quippe animam in pulchritodioe ſua habere, eſt in ſemetipſa de juſta actione præſumere. Quæ in ſuo nomine fornicatur, quando in hoc quod rectè egir, non conditoris laudem dilatari appetit, ſed ſuæ opinionis gloriam requirit.

Ezech. 32. 52. Hinc rurſum per Prophetam ſcriptum eſt: *Quò pulchrior es, deſcende*. Anima etenim unde eſt pulchrior, inde deſcendit, qnando ex virtutis decore, quo exaltari apud Deum debuit, ab ejus gratia per ſuam elationem cadit. Quid ergo in his agendum eſt, niſi ut malignus ſpiritus cùm nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos ſemper ad memoriam mala nuſtra revocemus; quatenus & noſtra cognoſcamus eſſe quæ peccando fecimus, & ſolius omnipotentis Dei munera, cum peccata declinamus?

53. Cuſtodienda eſt quoque munditia corporis in ſtudiis bonæ actionis: quia juxta vocem prædi-
Contra luxuriam. *1. Cor. 3.* cantis Apoſtoli: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Qui rurſus ait: *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*. Quam ſanctificationem quid dixerit, oſtendens protinus adjunxit: *Ut abſtineatis*
1. Theſſ. 4. *vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrûm ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, & non in paſſionibus deſiderii.*

54. Ipſa qooque regni gubernacula erga ſubjectos magno ſunt moderamine temperanda, ne poteſtas mentem ſurripiat. Tunc enim regnum bene regirur, qoum regnandi gloria animo non dominatur.
Contra Iram. Curandum quoque eſt, ne ira ſurrepat, ne fiat citiùs omne quod licet. Ira quippe, etiam cùm delinquentium culpas exſequitur, non debet menti quaſi domina præire, ſed poſt rationis tergum, velut ancilla famulari, ut ad faciem juſſa veniat. Nam ſi ſemel mentem poſſidens cœperit, juſtum eſſe de-
Jacob. 1. putat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim ſcriptum eſt: *Ira viri juſtitiam Dei non operatur*. Hinc
Ibidem. rurſus dicitur: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

55. Hæc autem vos auctore Deo omnia ſervare non ambigo. Sed occaſione admonitionis exorta, bonis veſtris actibus me furtivè ſubjungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis & admooens additur, jam oon ſoli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus veſtris cœleſtis brachii extenſione vos protegat, vobiſque & præſentis vitæ proſpera, & poſt multa annorum curricula gaudia concedat æterna.

56. Clavim verò parvulam à ſacratiſſimo Beati Petri Apoſtoli corpore vnbis pro ejus benedictione
Reliquias mittit. tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat. Crucem quoque dedi latori præſentium vobis offerendam, in qua lignom Dominicæ crucis ineſt, & capilli Beati Joannis Baptiſtæ: ex qua ſemper ſolatium noſtri Salvatoris per interceſſionem Præcurſoris ejus habeatis.

Laus S. Leandri. 57. Reverendiſſimo aotem fratri & Coepiſcopo noſtro Leandro pallium à Beati Petri Apoſtoli Sede tranſmiſimus, quod & antiquæ conſuetudini, & noſtris moribus, & ejus bonitati atque gravitati debeamus.

58. Item in anagnoſtico ante longum tempus dulciſſima mihi veſtra excellentia, Neapolitano quodam juvene veniente, mandare curaverat, ut piiſſimo Imperatori ſcriberem; quatenus pacta in

char-

chartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Juſtinianum principem, & jura regni veſtri fuerant emiſſa; ut ex his colligeret, quid vobis ſervare debuiſſet. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obſtiterunt. Una, quia chartophylacium prædicti piæ memoriæ Juſtiniani principis tempore ita ſurripiente ſubitò flamma incenſum eſt, ut omnino ex ejus temporibus penè nulla charta remaneret. Alia autem, quia, quod nulli dicendum eſt, ea quæ contra te ſunt apud temetipſum debes documenta requirere, atque hæc pro me in medium proferre. Ex qua re hortor ut veſtra excellentia ſuis moribus congrua diſponat, & quæque ad pacem pertinent ſtudioſè peragat, ut regni veſtri tempora per longa ſint annorum curricula in magna laude memoranda. Præterea tranſmiſimus clavim aliam à ſacratiſſimo Beati Petri Apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vós inveniret benedicendo multiplicet.

N O T Æ.

59. HACTENUS ſanctiſſimus Pontifex in literis ſuis, ſapientiâ, modeſtiâ, humilitate, & circumſpectione plenis ad Reccaredum Hiſpaniæ Regem: de quo idem S. Doctor lib. 3. *Dialogorum*, cap. 31. inquit: *Reccaredus Rex non patrem perfidum* (Leovigildum) *ſed fratrem Martyrem* (Hermenegildum) *ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus eſt, totamq; Wiſi-gotthorum gentem ita ad veram perduxit Fidem, ut nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret. Nec mirum quòd veræ Fidei prædicator factus eſt, qui frater eſt Martyris: cujus hunc quoque merita adjuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat.*

60. Nimirum in Concilio Toletano III. non ſolùm Reccaredus ipſe Arianam hæreſim abjuravit, ſed etiam plurimi alii ex primaria nobilitate ac ſtatu ſublimi totius Hiſpaniæ. Imprimis Baddo, ſive Badda Regina, uxor Reccaredi, ac filia, ut tradunt, Aſturi Regis Britanniæ. Porrò Reccaredi ſubſcriptio eſt: EGO RECCAREDUS REX FIDEM HANC SANCTAM (ſcilicet, ad longum exhibitam initio ejuſdem Concilii ſuprà pag. 338. & ſeqq.) ET VERAM CONFESSIONEM, QUAM UNAM PER TOTUM CATHOLICA CONFITETUR ECCLESIA, CORDE RETINENS, ORE AFFIRMANS, MEA DEXTERA, DOMINO PROTEGENTE, SUBSCRIPSI. Reginæ autem ſubſcriptio eſt: EGO BADDO, GLORIOSA REGINA, HANC FIDEM, QUAM CREDIDI ET SUSCEPI, MANU MEA DE TOTO CORDE SUBSCRIPSI.

61. Porrò eadem Regina poſt Concilium iſtud parum vixiſſe invenitur. nam paullò poſtea idem Reccaredus (teſte S. Gregorio Turonenſi ejus temporis ſcriptore) petiit in uxorem à Childeberto Francorum Rege Clodoſindam ejus ſororem, filiam Regis Sigiberti, pariterque ſororem Ingundæ, quæ fuerat uxor S. Hermenegildi Martyris, & ipſa jam obierat: idque obtinuit, licèt difficulter. Itaque duo fratres, Hermenegildus & Reccaredus, ſucceſſivo tempore duas ſorores acceperunt in uxores, Ingundam & Clodoſindam, filias Sigiberti, & ſorores Childeberti, Regum.

62. Obiter nota, Regem noſtrum CAROLUM II. cum ſuis glorioſiſſimis majoribus Hiſpaniæ Monarchis, non modò rectam originem ducere à Reccaredo (in quo omnes conſentiunt) ſed etiam à S. Hermenegildo ipſius fratre, & filio Leovigildi Regis primogenito. Hunc enim ex prædicta Ingunda uxore certum eſt habuiſſe filium, qui Conſtantinopoli apud Imperatorem educatus fuit. Ex hoc, poſt aliquot generationes interjectas, prodierunt Hiſpaniæ Reges. Ita colligitur ex variis veterum monumentis in Diſſertatione peculiari ea de re elaborata à Cl. V. & eruditiſſimo Conſiliario Regio D. Joanne Luca Corteſio; quamvis ille, uti valdè modeſtus & cunctator, nondum illam publici juris fecerit. Vide Moralem lib. 12. cap. 59. pag. 82.

63. Statim verò ac Reccaredus cum Regina Badda ſubſcribunt formulæ Fidei, incipiunt acclamationes publicæ, primùm ad ſanctiſſimam Trinitatem verſu illo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, &c. quo jugulatur Ariana hæreſis: deinde ad ipſum Regem Reccaredum, verbis illis honore & obſequio plenis: *Cui à Deo æternum meritum, niſi vero CATHOLICO RECCAREDO REGI?* Vides jam ab anno Chriſti DLXXXIX. titulum glorioſiſſimum CATHOLICI tributum RECCAREDO, ac ſubinde Hiſpaniæ Regibus ejus poſteris uſque modò.

64. Hujus verò tam præcellentis, tam ſingularis tituli ratio eſt, quòd à tempore Reccaredi uſque modò Hiſpaniæ Reges non ſolùm profeſſi fuerint apertè & conſtanter, abſque interruptione ulla, Religionem Catholicam; ſed nec unquam paſſi fuerint intra idem florentiſſimum regnum habitare homines eidem Religioni contrarios, ut ſuprà de tempore Reccaredi indicavit Gregorius. Quæ duo ſunt ſingulariſſima in Regibus Hiſpaniæ præ aliis quibuslibet totius Orbis Chriſtiani.

65. Et dignum ſanè memoratu eſt quod de eodem Reccaredo indicat S. Gregorius, & commendat verbis illis: *Cùm excellentia veſtræ conſtitutionem quandam contra Judæorum perfidiam dediſſet; hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem mentis veſtræ inflectere pecuniarum ſummam offerendo moliti ſunt: quam excellentia veſtra contempſit; & omnipotentis Dei judicio placere requirens, auro innocentiam prætulit*. Sic certè Hiſpaniæ Reges, non modò ſanguinis Reccaredi, ſed & Catholicæ Fidei per divinam gratiam hæredes, ſæpè ex Hiſpania ejecerunt plura centena millia Judæorum, Maurorum, & hæreticorum, è quorum

tri-

tributis, obſequiis, & laboribus, immenſam ferè pecuniæ ſummam percipiebant. Nimirum, ſatius judicârunt hanc ingentem divitiarum jacturam ſubire, quàm periculum aliquod Catholicæ Religionis in Hiſpania labefactandæ ex habitatione eorum infidelium intra illam.

66. Habita ſuerunt in Hiſpania plura Concilia ſub Reccaredo ab anno Chriſti DLXXXIX. quarto regni ipſius, uſque ad DCI. in quo obiit plenus meritis, & coronatus pluribus victoriis. Præter alia pietatis ac virtutum decora, narrat S. Iſidorus ipſum ante mortem feciſſe publicam peccatorum confeſſionem, ut impetraret à Deo veniam: idque maximè in eo Rege laudat, & in aliis ejuſdem ſucceſſoribus, quibus ipſe Iſidorus ſupervixit. Plura alia de Reccaredo lege apud Moralem lib. duodecimo, ab initio uſque ad caput nonum.

SANCTI GREGORII MAGNI PAPÆ

E P I S T O L A VI.

AD CLAUDIUM IN HISPANIIS DEGENTEM.

Ei familiariter Regibus Gotthorum uſo Cyriacum monachum commendat.

Gregorius Claudio in Hiſpaniis.

67. QUIA unguenti more bonorum fragrat opinio veſtræ gloriæ, de Occidentibus partibus hucuſque odor tetendit. Cujus profectò auræ ſuavitate reſperſus, multùm, fateor, quem neſciebam dilexi, atque intra ſinum cordis amoris manu te rapui; nec jam eum neſciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, ſed corporis viſione manet incognitus, de eo proculdubio veraciter dicere poſſum, quia perſonam illius ſcio, ſed domum neſcio.

68. Magna autem veſtrę laudis datur aſſertio, quòd excellenti Gotthorum Regi veſtra gloria ſedulò adhęrere perhibetur: quia cùm malis boni ſemper diſpliceant, bonos vos eſſe certum eſt, qui bono placuiſtis. Propterea debitum ſalutationis alloquium ſolvens, opto vos in his, quæ cœpiſtis exerceri, ut in

Prov. 4. vobis compleatur veridica Salomonis illa ſententia quæ ait: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.* Nunc enim quum lux nobis veritatis inſulget, quum ſeſe regni cœleſtis ſuavitas mentibus aperit, jam quidem dies eſt, ſed adhuc perfectus non eſt. Tunc autem dies perfectus erit, quando jam quicquam de nocte peccati in mente noſtra non erit. Vos autem uſque ad perfectum diem creſcite; ut quouſque patria æterna videatur, bonorum hîc operum augmenta dilatentur, quatenus tantò pòſt in retributione major ſit fructus muneris, quantò nunc ſtudium creverit laboris.

69. Propterea dilectiſſimum filium noſtrum Cyriacum, monaſterii noſtri patrem, veſtræ gloriæ commendamus, ut peractis quæ ei injuncta ſunt, nulla illum remeandi mora præpediat. Omnipotens Deus cœleſtis vos brachii protectione tueatur, & nunc glorioſos inter homines, & poſt longa annorum curricula inter angelos eſſe concedat.

N O T Æ.

70. CLAUDIUS iſte videtur fuiſſe egregius ille gubernator urbis Emeritenſis, & in Luſitania generalis Præfectus militiæ Reccaredi Regis, cui plures victorias de perduellibus intra Hiſpaniam, & de hoſtibus extra illam, dedit, memoratas præſertim à Paullo Diacono Emeritenſi ejuſdē temporis ſcriptore. Nimirum, Epiſcopus quidam Arianus Sunna nomine, ſimul cum quodam alio Segga dicto, adversùs Regem ipſum rebellârunt, & ſanctiſſimum Præſulem Emeritenſem Mauſonam interimere voluerunt, ſimul & Claudium, veluti egregios Fidei Catholicæ cultores, & Arianiſmi juratos hoſtes. Quin & armatam plurium Arianorum manum conduxerunt ad id immane facinus exſequendum: ſed fruſtrà. Witricus enim, tunc domeſticus ejuſdem Claudii, mittens manum ad evaginandum enſem ut Mauſonam interimeret, nullatenus potuit, quamvis ſemel id, atque iterum, & tertiò tentâſſet. Unde attonitus miraculo, poſtea corruit ad Mauſonæ pedes, & ab ipſo veniam peccati obtinuit.

71. Porrò Claudius plenè conſcius traditionis adhuc continuatæ Arianorum, inſtructâ acie eos ador-

adorſus, nonnullos reſiſtentes occìdit, reliquos carcere incluſit, donec Reccaredus quid de illis agendum eſſet deliberaret. Ipſe verò Rex præcipuos rebellium arcto carcere & bonorum confiſcatione multavit: Witrico (qui poſtea Gotthorum Rex fuit) veniam dedit: eandemque promiſit Sunuæ Epiſcopo Ariano, licèt præcipuo ejus conjurationis auctori, ſi vellet ad Catholicam Religionem converti: alioquin Hiſpaniæ finibus excederet. Hoc ille ſatius habuit, & in Africam contendit.

72. Inſuper cùm Gutheramnus Francorum Rex, volens vindicare necem illatam nepti ſuæ Ingundæ, quondam uxori S. Hermenegildi Martyris, miſiſſet Boſſonem ducem cum exercitu ſexaginta millium hominum ad deſtruendam Galliam Gotthicam, ſive Narbonenſem, tunc ſubjacentem Reccaredo; hic miſit prædictum Claudium ad eam tuendam. Qui illuc accedens, habito apud Carcaſſonam prælio, adeò inſignem de Gallis victoriam reportavit, ut S. Iſidorus audeat dicere, nullam eouſque majorem ab Hiſpanis obtentam fuiſſe: & Abbas Biclarenſis, pariter eo tempore florens, afferat, Claudium cum tercentis ſuorum electis fugâſſe ſexaginta Francorum millia, ac majorem ipſorum partem occidiſſe.

73. Reccaredus in memoriam adeò inſignis victoriæ, & honorem Claudii, ac militum Emeritenſium, qui potiores in ea partes habuêre, monetam auream cudit: in qua apparet vultus & nomen ipſius Reccaredi ab utraque parte: in circuitu autem legitur: EMERITA VICTOR. Paullus Diaconus ait, Claudium fuiſſe illuſtrem genere, & parentibus Romanis ortum. Hunc igitur ipſum laudare videtur in Epiſtola hac S. Gregorius Papa, quantum ex illa conjici poteſt.

SANCTI GREGORII MAGNI

EPISTOLA VII.

AD JOANNEM DEFENSOREM

CAPITULARE.

Gregorius Joanni Defenſori in nomine Domini eunti in Hiſpaniam.

74. *INSTRUIT S. Pontifex Joannem Defenſorem in Hiſpaniam euntem, circa cauſſam gravem, quæ agitabatur inter Januarium Epiſcopum Malacbitanum, è Sede ſua deturbatum, & alium quendam intruſum, ſive ſuperordinatum loco ipſius. Præſcribit regulas & cautiones ad proceſſum ritè formandum, tam circa res prædicti Januarii, quàm Stephani Epiſcopi, & aliorum qui novum illum Antiſtitem in loco Januarii ordinârunt. Vide Chriſtianum Lupum Tomo I. in Concilium Sardicenſe ad Can. IV. ubi tangitur controverſia ferè eadem quæ hoc loci diſcutitur.*

75. IMPRIMIS requirendum eſt de perſona presbyteri dilectiſſimi fratris Coëpiſcopi noſtri Januarii; & ſi ita ſe veritas habet, ſicut ejuſdem Epiſcopi petitio continet, in Eccleſia atque in loco ſuo modis omnibus idem presbyter revocetur.

76. Si autem dictum fuerit, quia contra ipſum cauſſa aliqua mota ſive probata eſt, ſubtiliter ipſo præſente, & pro ſe rationem reddente, quærendum eſt, & genus cauſſæ, & modus probationis: ut ex hoc colligere valeas, utrum adhuc in exſilio demorari, an certè in Eccleſia ſua & officio ſuo debeat revocari.

77. De Epiſcopi ſupradicti perſona hoc ſtatuendum eſt, ut ſi nulla contra eum criminalis cauſſa, quæ exſilio vel depoſitione digna eſt, mota ſive probata eſt; is qui eo ſuperſtite Epiſcopus perversè ac contra Canones in Eccleſia ejus ordinari præſumpſit, ſacerdotio privatus, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur. Qui etiam eidem dilectiſſimo Januario fratri & Coëpiſcopo noſtro tradendus eſt, ut ab ipſo aut in cuſtodia habeatur, aut certè ab eo ad nos per omnia tranſmittatur.

78. Epiſcopi verò qui eum ordinaverunt, vel ordinationi ejus conſentientes interfuerunt, ſex menſibus Dominici corporis & ſanguinis communione privati agere pœnitentiam decernantur in monaſterio: & ſupraſcriptus Januarius loco & ordine ſuo modis omnibus reformetur.

79. Si verò communione privatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis viatici non negetur.

80. Si autem Epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati Epiſcopi, ſe metu judicis conſenſiſſe ac talia feciſſe, non ſua ſponte, falſi fuerint; & tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.

81. Si verò ille qui locum ejus invaſit, de hac fortaſſe luce migraverit, & alter eſt ordinatus; quia levior culpa videtur, cùm non quaſi iſti ſuperſtiti, ſed ſucceſſiſſe defuncto videatur; Epiſcopatus illi officium ab illa Eccleſia tantummodo interdicatur, ut in alia Eccleſia, quæ ſacerdote vacaverit, ſi electus fuerit, poſſit eſſe Epiſcopus: ad Malachitanam tamen Eccleſiam nunquam aliquo modo reverſurus.Glorioſus autem Comitiolus quicquid prædictus Epiſcopus per violentiam atque inſecutionem ipſius expendiſſe, vel damnum pertuliſſe dato ſacramento firmaverit, eidem Epiſcopo reſtituere condemnetur.

82. Si autem aliter quàm antefati Epiſcopi petitio continet actum eſſe forſitan perhibetur; ſubtiliter quærendum eſt, & veritate cognita, cum Dei timore quod juſtitiæ ordo ſuaſerit judicandum.

83. Quia ergo Stephanus Epiſcopus in odio ſuo quædam ficta, & de falſis ſe capitulis quæritur accuſatum, neque aliquid ordinabiliter factum; ſed injuſtè ſe aſſerit condemnatum; diligenter quærendum eſt, primò ſi judicium ordinabiliter eſt habitum, id eſt, ſi alii accuſatores, alii teſtes fuerunt.

84. Deinde cauſſarum qualitas eſt examinanda, ſi digna exſilio vel depoſitione fuit, aut ſi eo præſente qui accuſatus eſt, ſub jurejurando contra eum teſtimonium dictum eſt, ſeu ſcriptis actum eſt, vel ſi ipſe licentiam reſpondendi & defendendi ſe habuit.

85. Sed & de perſonis accuſantium ac teſtificantium ſubtiliter quærendum eſt, cujus vitæ, cujus conditionis, cujuſque opinionis, aut ne inopes ſint, aut ne fortè aliquas contra prædictum Epiſcopum inimicitias habuiſſent, & utrum teſtimonium ex auditu dixerunt, aut certè ſe ſcire ſpecialiter teſtati ſunt: ſi ſcriptis judicatum eſt, & partibus præſentibus ſententia recitata eſt. Quòd ſi fortè hæc ſolenniter acta non ſunt, nec cauſſa probata eſt, quæ exſilio vel depoſitione digna ſit, in Eccleſiam ſuam modis omnibus revocetur.

86. Hi verò qui eum contra Dei timorem & Canonum ſtatuta condemnaverunt, excommunicati in monaſterium ad agendam pœnitentiam ſex menſibus mittendi ſunt: ita ſanè ut ſi cuiquam eorum mortis contigerit imminere periculum, viatici benedictio non negetur.

87. Ipſe autem qui eo vivente locum ejus temerariè ambivit, privatus ſacerdotio ab omni miniſterio Eccleſiaſtico repellatur, atque eidem dilectiſſimo fratri & Coëpiſcopo noſtro tradatur, ut eum aut ipſe ad nos tranſmittat, aut apud ſe in cuſtodia habeat.

88. Epiſcopi verò qui eum ordinare præſumpſerunt, vel perverſæ ipſius ordinationi præbuere conſenſum, iidem communione privati, ſex menſibus ad agendam pœnitentiam in monaſterio deputentur.

89. Si autem Epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati Stephani ſe metu judicis conſenſiſſe, ac talia feciſſe, non ſua ſponte, profeſſi fuerint; tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.

90. Si igitur is qui prædicti Stephani locum invaſit, fortaſſe defunctus eſt, atque alius in Eccleſia ejus Epiſcopus ordinatus eſt; illud de eo ſtatuendum eſt, quod ſuperiùs de cauſſa fratris & Coëpiſcopi noſtri Januarii diximus.

91. Quòd ſi fortè aliqua de objectis contra memoratum Stephanum Epiſcopum probata ſunt, aliqua verò doceri minimè potuerunt; cauta omnino conſideratione penſandum eſt, utrum leviora capitula, an certè graviora probata ſint; ut ex eis qualiter diffinitionem tuam formare debeas, poſſis ſcire.

92. Glorioſus verò Comitiolus, ſi ſupraſcriptus Epiſcopus innocens eſſe claruerit, quicquid de rebus ejus vel Eccleſiæ ipſius tulit, ei ſine aliqua reſtituat dilatione.

93. Sed & quæque ſe in perſecutionem ac violentiam ejus expendiſſe, vel damnum idem Epiſcopus pertuliſſe juraverit; idem memoratus Glorioſus Comitiolus reddat ac ſatisfaciat.

94. Si autem talem culpam antedictum Epiſcopum commiſiſſe conſtiterit (quod abſit) ut conſtet eum non irrationabiliter fuiſſe depoſitum; eadem ejus depoſitio confirmetur, & Eccleſiæ res ſuæ omnes reſtituantur quæ ablatæ claruerint: quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ non eſt convertendum. Si enim, ut dicunt, Comitiolus defunctus eſt; ab hærede ejus, quæ ab illo injuſtè ablata ſunt, ſine excuſatione reddantur.

SANCTI GREGORII MAGNI
EPISTOLA VIII. *

* Alias 56. lib. 11.

AD EUNDEM JOANNEM DEFENSOREM EUNTEM IN HISPANIAM.

Inſtruit illum circa eandem cauſſam ritè examinandam & dirimendam, juxta Capitulare legum Imperialium.

95. DE perſona presbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſſam habuit, non ab alio teneri, ſed Epiſcopus ipſius adiri debuit, ſicut novella conſtitutio manifeſtat, quæ loquitur de ſanctiſſimis & Deo amabilibus ac Reverendiſſimis Epiſcopis, clericis, & monachis. *Imperator Juſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſimo Præfecto Prætorio. Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconiſſam, aut monaſtriam, aut aſcetriam, habet aliquam actionem; adeat priùs ſanctiſſimum Epiſcopum, cui horum unuſquiſque ſubjaceat: ille verò cauſſam inter eos dijudicet. Et ſi quidem utraque pars his quæ judicata ſunt non acquieverit; jubemus per loci judicem hæc executioni perfectè mandari*, &c. Ne verò objiciatur, quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero; ſciendum eſt, quia in eadem Conſtitutione lib. C. 1. legitur, appellatione clericorum etiam presbyteros & diaconos contineri. Verba autem legis iſta ſunt: *Presbyteros autem, & diaconos, & ſubdiaconos, cantores, & lectores, quos omnes clericos appellamus*, & reliqua.

Novell. 123. §. Si quis contra. apud Julianum cap. 32.

Authent. De Sanctiſs. Epiſc.

96. De perſona Januarii Epiſcopi ſciendum eſt graviter omnino & contra leges eſſe actum, ut violenter de Eccleſia traheretur: dum ſi quamlibet aliam injuriam à quocumque Epiſcopus paſſus fuerit in Eccleſia, injuriantem lex capitali pœna percutiat: & ſicut majeſtatis reum, omnibus det accuſandi illum licentiam, ut hujus legis ſeries loquitur Codicis libro primo, titulo ſexto, conſtitutione decima. *Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Theodoro Præfecto Prætorio. Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas irruens, ſacerdotibus, & miniſtris, vel ipſi cultui locoq; aliquid importet injuriæ; quod geritur à provinciæ Rectoribus animadvertatur: atque ita provinciæ moderator, ſacerdotum & clericorum & Catholicæ Eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius, & divini cultus injuriam capitali in convictos ſeu confeſſos reos ſententia noverit vindicandum.* Et poſt pauca: *Sitque cunctis laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris injurias veluti publicum crimen inſequi, atque de talibus reis ultionem mereri*, &c. *Dat. VII. Kalendas Maji, Mediolani, Honorio Auguſto quater & Eutychiano Conſulibus*. Libri ſupraſcripti tit. 15. conſt. 11. *Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Ionio Præfecto Prætorio. Fideli ac devota præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes * adducere: ſub hac videlicet definitione, ut ſi quiſpiam contra hanc legem venire tentaverit; ſciat ſe majeſtatis crimine eſſe retinendum. Data Kalendis Aprilis, Honorio ſepties & Theodoſio tertiò Conſulibus*. Idem ejuſdem tit. conſt. 5. *Imperator Leo Auguſtus * Erythiano Præf. cto Prætorio. Præſenti lege decernimus per omnia loca valitura, excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quotiens uſus exegerit invocati, ſingulis cauſſis atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus, nullos penitùs cujuſcumque conditionis de ſacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ Fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas.* Et poſt pauca: *Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda cogitatione ſaltem atque tractatu auſi fuerint tentare; capitali & ultima ſupplicii animadverſione plectendi ſunt.* Ex his ergo *locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præſcripta ſanxerunt, nullos ejici aut expelli aliquando patimur, nec in ipſis Eccleſiis reverendis ita quemquam detineri atque conſtringi, ut ei aliquid aut victualium rerum, aut veſtis negetur, aut requies*, &c. *Data pridie Kalendas Martii, Conſtantinopoli, Leone Auguſto tertiùm Conſule*.

C. De Epiſc. & cler. lib. S. qui. & C. Theod. l. 16. tit. 2. cap. 31.

De his qui ad Eccl. confug. C. lib. 1. l. Fideli.

* Abducere.

Ibidem l. Præſenti

* Eutropio.

97. De perſona Stephani Epiſcopi hoc attendendum eſt, quia nec invitus ad judicium trahi, nec ab Epiſcopis alieni Concilii debuit judicari, ſicut prædicta novellarum conſtitutio continet, quæ de Epiſcopis loquitur. Ait enim: *Sed neque pro qualicumque pecuniaria vel criminali cauſſa ad judicem civilem ſive militarem invitum Epiſcopum producere vel exhibere citra imperialem juſſionem permittimus: ſed judicem qui tale aliquid, ſive ex ſcripto, ſive ex non ſcripto præſumpſerit imperare; poſt cinguli privationem viginti librarum auri pœnam exſolvere jubemus Eccleſiæ cujus Epiſcopus produci aut exhiberi juſſus eſt: exſecutorem ſimiliter poſt cinguli privationem, & verberibus ſubdendum, & in exſilium deportandum.* Item poſt multa: *Si autem & à clerico aut laïco quocumque aditio contra Epiſcopum fiat propter quamlibet cauſſam; apud ſanctiſſimum ejus Metropolitam, ſecundum ſanctas regulas & noſtras leges, cauſſa judicetur.*

tur. Et ſi quis judicatis contradixerit; ad beatiſſimum Archiepiſcopum & Patriarcham diæceſeos illius referatur cauſſa, & ille ſecundùm Canones & leges huic præbeat finem. Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit nec Patriarcham, dicendum eſt, quia à Sede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſſa hæc audienda ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus Epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilii habuit omnino ſuſpectos. Quia ergo ſententia non à ſuo judice dicta nihil firmitatis obtineat, lectionis hujus tenor oſtendit lib. 7. cap. tit. 48. conſtitut. 4. *Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Auguſti ad Potitum Vicarium. Et in privatorum cauſſis hujuſmodi forma ſervetur, ne quemquam litigatorum ſententia non à ſuo judice dicta conſtringat. Data duodecimo Kalendas Octobris, Romæ, Auſonio & Olybrio Conſulibus.*

Si à non compet. jud. C. lib. 7. l. Et in privatorum.

98. Illud autem quòd dicitur à ſervis ſuis accuſatus, ſciendum eſt, quia audiri minimè debuerunt, ut hæc conſtitutio patefacit ſic dicens C. lib. 9. tit. 1. conſtit. 20. *Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Eutychiano Præfecto Prætorio. Si quis ex familiaribus vel ex ſervis cujuslibet domûs, cujuſcumque criminis delator atque accuſator exſtiterit; ejus æſtimationem, caput atque fortunas petiturus, cujus familiaritati vel dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, ante examinationem judicii, in ipſa expoſitione criminum, atque accuſationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funeſtam intercidi oportet potiùs quàm audiri: majeſtatis autem crimen tantùm excipimus. Data quinto Idus Novembris, Cæſario Atticoque Conſulibus.*

De his qui accuſare non poſs. C. l. 9. l. Si quis.

99. Si verò dictum fuerit, quia de hoc accuſatus eſt, quod majeſtatis crimen intendit; nec ipſum de eo credendum fuit, ſi vita vel opinio ejus talis antè non exſtitit, ſicut lib. Pandectarum 48. ad legem Juliam majeſtatis ſcribit Modeſtinus, lege *Famoſi*, paullò poſt principium. Hoc tamen crimen à judicibus non in occaſione ob principalis majeſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate rei judicatæ. Nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & antè quid fecerit, & an cogitaverit.

100. Quod autem dicit idem Epiſcopus, quia ſe abſente aliqui viliſſimi ſint teſtes exhibiti: hoc ſi verum eſt, nullius eſſe momenti lege noſcendum eſt, conſtitutione novella quæ de teſtibus loquitur cap. 16. *Hoc quoque ſæpiùs agnovimus, quoniam quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos provinciarum judices, aut etiam, ut aſſolet, hoc apud virum clariſſimum magiſtrum cenſûs ingrediuntur, & queruntur tamquam ab alio paſſi aliquid contra leges, aut aliter læſi, aut damnificati, teſtes volentes producere. At ne poſtea obiciatur eis quia per unam partem geſta confecta ſunt; oportet & illum qui impetitur, in ipſa civitate conſtitutum ubi teſtimonia dantur, admonitum à judice ſive à defenſore advenire, & audire atteſtationes. Si verò noluerit advenire, ſed contempſerit, ut ex hoc ab una parte teſtimonia adverſus eum inutilia ſint; ſancimus huc uſque teſtimonia ita valere, ac ſi non ex una parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente fuiſſent facta. Si enim recuſaverit, & venire noluerit, & audire quæ dponuntur, cùm utique in publico ſit, & non ex inevitabili quadam neceſſitate venire non poſſit; ſimilis advenienti erit, & nulla utilitas ex contemptu ſuo ei adhibebitur, ſed videbuntur quidem in utriuſque præſentia probationes facta.* Ecce admonendus eſt ſemper adverſarius, ut ad audiendos teſtes adveniat. Quod quia hìc omiſſum eſt, neceſſe eſt, ut quod contra leges actum eſt, firmitatem non habeat. Quales autem teſtes, vel cujus opinionis ad teſtimonium admittendi ſint, plurimæ leges oſtendunt, quæ penè nulli habentur incognitæ, quæ etiam & illud ſanciunt, ut viliſſimis teſtibus ſine corporali diſcuſſione credi non debeat. Quod autem dicitur, quia nihil ſcriptis judicatum eſt, legendus eſt titulus 44. libri 7. Codicis, quia ſcriptis debuit judicari. Nam ibi inter alia dicitur atque præcipitur, ut ſententia quæ ſine ſcripto dicta fuerit, ne nomen quidem ſententiæ habere mereatur.

Authen. De teſt. §. Et hic verò.

Ubi ſuprà §. Teſtes.

SANCTI GREGORII MAGNI
EPISTOLA IX.*
AD VITALEM DEFENSOREM.

* Alids 53. lib. 12.

De conſiliariis excommunicatis Januarii Epiſcopi.

Gregorius Vitali Defenſori Calaritano.

101. QUID de fratre noſtro Januario Epiſcopo agnovimus, & lator præſentium, & exemplaria ſcriptorum noſtrorum te poterunt informare: atque ideo excommunicationem quam ſuper perverſos ejus conſiliarios dari decrevimus, tua experientia ſolerter exſequatur, ut cadentes diſcant quatenus incautè ambulare non debeant. Præterea pretium tritici quod nobis xenii nomine fuerat tranſmiſſum, per latorem præſentium Redemptorem Defenſorem tranſmiſimus. Videat experientia tua, ne vel tu, vel ipſe qui detulit, aliquid ex eo in pretio commodi participare præſumat; ſed totum ſingulis vel ſimul omnibus illibatum reſtituat, eorumque mihi ſcripta de eodem * pretio tranſmittat: quia ſi aliter quàm admoneo factum cognovero, vindictam ex eadem cauſſa non mediocriter exercebo.

* Al. præmio.

SAN-

SANCTI GREGORII MAGNI EPISTOLA X.*

* Aliàs 54. lib. 11.

De monachis Capricanæ inſulæ.

AD JOANNEM DEFENSOREM.

Gregorius Joanni Defenſori.

102. UBI Canonicam diſtrictionem culparum contra ſe qualitas excitat, poſtponere quæ corrigenda ſunt non debemus, ne diſſimulatione vires dare pravis actibus, quos falce diſciplinæ reſecare nos convenit, videamur. Quia ergo pervenit ad nos, monachos monaſterii in * Capricana inſula, quæ juxta Majoricam inſulam eſt poſita, ita perversè agere, ac vitam ſuam diverſis facinoribus ſubmiſiſſe, ut non omnipotenti Deo, ſed antiquo hoſti (quod cum gemitu dicimus) oſtendantur potiùs militare; experientia tua præſenti auctoritate commonita, ad prædictum monaſterium accedere, & vitam moreſque illic converſantium ſubtili ſtudeat inveſtigatione perquirere, & ita quæ reſecatione digna repererit, ſicut canonicus ordo deſiderat, congrua ultione corrigere, atque eos quæ obſervare debeant ſtudeat informare, quatenus emendationis tuæ modus, & iſtos ad viam rectæ converſationis reducere, & te apud nos nullo modo valeat accuſare culpabilem.

* Diverſa eſt tum à Capreis tum à Capracia.

EPISTOLA XI.*

* Aliàs 55. lib. 11.

SEU POTIUS SENTENTIA JOANNIS DEFENSORIS.

De cognitione, de qua inter Epiſcopos reſedit, & de Januario Malachitano, quem abſolvit.

In nomine Domini, Imperatore illo, illa die, illa indictione.

103. ILLE cui officium cognitoris injungitur, ita ſe pura ac intemerata conſcientia debet in omnibus exhibere, ut ex his quæ in aliis judicat, ipſe ultionem æterni examinis non incurrat. Dum igitur ex deputatione & juſſione beatiſſimi atque Apoſtolici domini mei Papæ Gregorii, ego Joannes Defenſor inter Januarium Epiſcopum Malachitanæ civitatis, atque inter illos Epiſcopos cognitor reſediſſem, neceſſe habui hujuſmodi cauſſam prædicti Januarii interna inquiſitione diſcutere, & à partibus ſubtiliter quærere veritatem; ſi, ut petitio ejus continet, tranſmiſſis clericis à memoratis Epiſcopis unà cum hominibus Glorioſi Comitioli de Eccleſia fuerit violenter abſtractus. Qui dum multa contra ſe invicem, ſicut geſta teſtantur, objicerent, ad concluſionis hunc utræque partes aliquando terminum pervenerunt, petentes me de agnitis debere judicare. Unde ſolicitè relegens quæ acta ſunt, veritatem diligenti inveſtigatione perquirens, nullam in antedicto Januario culpam, quæ exſilio vel depoſitione digna eſſet puniri, ſed magis illum ejectum de Eccleſia violenter, inveni. Et quanquam hujuſmodi temeritatem legum cenſura diſtrictiſſimè feriat; ego tamen legum vigorem ſacerdotali moderatione temperans, mediis ſacroſanctis Euangeliis, quibus præſentibus ab initio in hoc cognitor reſedi judicio, ea quæ contra eum ſtatuta ſunt, licèt jure non teneant, nec alicujus ſint momenti; injuſta tamen & infirma eſſe pronuncio, atque illos & illos memoratos Epiſcopos, quì poſtpoſita conſideratione ſacerdotali in fratris ſui præjudicium atque condemnationem injuſtè & contra Dei timorem verſati ſunt, condemnans, in monaſterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam ſtatuo atque decerno. Illum verò, qui locum antedicti ſanctiſſimi Januarii contra ſacrorum Canonum ſtatuta nequiter præſumpſit invadere, condemnans, privari ſacerdotio, & ab omni Eccleſiaſtico ordine removeri ſtatuo: ut & hoc quod malè eſt adeptus amittat, nec ad officium quod antè indignè geſſerat revertatur. Sæpedictum autem ſanctiſſimum Januarium Epiſcopum abſolutum, loco ſuo in Epiſcopatus gradu Deo auctore reverti, ac modis omnibus reformari conſtituo.

CON-

CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM II.

Celebratum Erâ DCXXX. anno VII. Reccaredi Regis, ſub Gregorio Papa I.

ANNO CHRISTI DXCII.

PRÆMONITIO D. MICHAELIS CERCITO

Epiſcopi Barbaſtrenſis.

*Concilium hoc Cæſarauguſtanum tranſcriptum eſt ex Codice Ms. D. Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, in quo habetur ut hic ſubjicitur, cum Notis marginalibus, quibus addantur aliæ à me literâ * C. ſignatæ. Deſcriptum eſt ex Codice Gothico S. Æmiliani: eritq; Cæſarauguſtanum II. Cùm verò habitum dicatur anno VII. Reccaredi; neceſſe eſt ut ſit Erâ DCXXX. id eſt, anno Chriſti DXCII.*

* Id eſt Cercito. Cum A. verò ſignantur quæ ſunt Ant. Auguſtini.

CUM in Dei nomine, in urbem Cæſarauguſtanam [a] provinciæ Tarraconenſis, ex præmiſſo glorioſi atque ſanctiſſimi Principis Reccaredi Regis, in anno ſeptimo regni ejus congregati fuiſſemus, pro Dei [b] timore tractantes;

a *Loaiſa*, urbem: ſine in.
b *Loaiſa*, amore.

CANONES.

I.

2. Id placuit ſanctæ ac venerabili Synodo, ut presbyteri qui ex hæreſi Ariana ad ſanctam Catholicam Eccleſiam converſi ſunt, qui ſanctam & puram Fidem, atque caſtiſſimam tenuerint vitam, [c] acceptam dennò benedictionem [d] presbyteratni ſanctè & purè miniſtrare debeant. Cæteri verò qui hanc ſupraſcriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depoſiti ſint in clero. Ita [e] de diaconibus, ſicut & de presbyteris conſtitutum eſt.

c *Fortè*, acceptâ denuò benedictione. C.
d *Loaiſa*, presbyterii *ſed meliùs*, presbyteratui. A.
e *Loaiſa*, & de diacon.

II.

3. Statuit ſancta Synodus, ut reliquiæ, in quibuſcumque locis de Ariana hæreſi inventæ fuerint, prolatæ à ſacerdotibus, in quorum Eccleſiis reperiuntur, Pontificibus præſentatæ igne probentur. Quòd ſi à quibuslibet occultatæ fuerint, & deteguntur, à ſacroſancto Catholicæ Eccleſiæ cœtu ſegregentur.

III.

4. Statuit ſancta Synodus, ut Epiſcopi de Ariana hæreſi venientes, ſi quas Eccleſias ſub nomine Catholicæ Fidei conſecraverint, [f] necdum benedictione à [g] Catholico ſacerdote percepta, conſecrentur denuò.

Sub die Kalendarum Novembrium, [h] anno quo ſuprà.

f *Loaiſa addit*: conſecraverint.
g *Loaiſa refert alio ſenſu*: necdû benedictione percepta, à Catholico ſacerdote conſecrentur denuò.
h *Loaiſa addit*: Erâ DCXXX.

Subſcriptiones.

1. Artemius in Chriſti nomine Epiſcopus, Tarraconenſis provinciæ Metropolitanus, hanc conſtitutionem ſubſcripſi.
2. Sophronius in Chriſti nomine Epiſcopus, hanc conſtitutionem ſubſcripſi.
3. Stephanus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
4. Julianus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
5. Simplicius in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
6. Aſterius in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
7. Mumius in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
8. Liliolus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
9. Magnus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
10. Joannes in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
11. * Gajanus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
12. Julianus in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſcripſi.
13. Antedius in Chriſti nomine diaconus, agens vicem domini mei [i] Ganini Epiſcopi ſubſcripſi.
14. Stephanus in Chriſti nomine diaconus, agens vicem domini mei [k] Aquitini Epiſcopi ſubſcripſi.

* *Loaiſa*, Galanus.
i *Loaiſa*, Gavini.
k *Loaiſa*, Aquilini.

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM IN HOC CONCILIUM.

5. CONCILIUM.] Hoc Concilium fuit actum an. VII. Reccaredi Regis, Erâ DCXXX. Toletanum verò III. Erâ DCXXVII. Unde ferè omnes Epiſcopi qui in Toletano, in hoc etiam ſubſcribunt. Præfuit Artemius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Stephano, deinde Sophronius Egarenſis, Stephanus Tyraſſonenſis, Julianus Dertoſanus, Simplicius Cæſarauguſtanus, vel potius Urgelitanus, Aſterius Aucenſis, Mumius Calagurritanus, Liliolus Pampilonenſis, Joannes Menteſanus, Gavinus Oſcenſis, Aquilinus Auſonenſis, Galanus in Barcinonenſi Empuritanæ Eccleſiæ Epiſcopus.

6. *Magnus.*] Lego *Maximus*, qui fuit Cæſarauguſtanus, de quo infra in Concilio Barcinonenſi, & Simplicius eſt Urgelitanus. LOAISA.

7. *Artemius.*] Præſes hujus Concilii fuit Artemius, qui Epiſcopus erat Tarraconenſis, ut Metropolitanus. Sophronius Epiſcopus Egaræ prope Barchinonem, Stephanus Epiſcopus Tyraſſonæ in Aragonia, qui ſubſcribit etiam Concilio III. Toletano. Julianus Epiſcopus Dertuſenſis, Simplicius Epiſcopus Urgelitanus, Aſterius Epiſcopus Occæ, Mumius, ſeu Munius, Epiſcopus Calagurritanus, Liliolus Epiſcopus Pampilonenſis, Magnus, ſeu Maximus, Epiſcopus Cæſarauguſtanus, Joannes Epiſcopus Helenenſis, Gajanus, ſeu Galanus (ut Loaïſa legit, & communiter) Epiſcopus Empuritanus. Juliani Epiſcopi Abbas Carrillus ignorat Epiſcopatum. Loaïſa facit eum Epiſcopum Menteſanum, id eſt, *de Jaen*. Sed nec Davila, nec Ruſpuerta, nec Ximeno, nec Tamajus de Salazar, ponunt talem Epiſcopum in catalogis, nec nomen Epiſcopi Menteſani, ſeu Giennenſis, ſonat illo tempore in ulla inſcriptione. Ganinus Epiſcopus Oſcenſis, Aquitinus Epiſcopus *de Vique*. DIDACUS DORMER Archidiaconus Superarbenſis in Eccleſia Oſcenſi.

DE FISCO BARCINONENSI

Erâ DCXXX.

Dominis ſublimibus, & magnificis filiis, aut fratribus numerariis, Artemius Epiſcopus Tarraconenſis, vel omnes Epiſcopi ad civitatem Barcinonenſem fiſcum referentes.

8. QUONIAM ex electione domini & filii ac fratris noſtri Scipionis Comitis patrimonii, in anno feliciter ſeptimo glorioſi domini noſtri Reccaredi Regis, in officium numerarii in civitatem Barcinonenſem provinciæ Tarraconenſis electi eſtis, & à nobis, ſicut conſuetudo eſt, conſenſum ex territoriis, quæ nobis adminiſtrare conſueverunt, poſtulâſtis; iccircò per hujus conſenſus noſtri ſeriem decrevimus, ut tam vos, quàm agentes, ſive adjutores veſtri, pro uno modio canonico ad populum exigere debeatis, hoc eſt ſiliquas VIII. & pro laboribus veſtris ſiliquam unam, & pro inevitabilibus damnis, vel interprecia ſpecierum ſiliquas IV. quæ faciunt in uno ſiliquas XIV. Inibi hordeo, quod pro noſtra definitione, ſicut diximus, tam vos quàm adjutores atque agentes exigere debeant, nil ampliùs præſumant vel exigere vel auferre. Si quis ſanè ſecundum conſenſum noſtrum acquieſcere noluerit, vel tibi inferre minimè procuraverit in ſpecie quod tibi convenerit; fiſcum ſuum inferre procuret. Quòd ſi ab agentibus veſtris aliqua ſuperexacta fuerint, quàm conſenſus noſtri tenor demonſtrat; vos emendare & reſtituere cui malè ablata ſunt ordinetis.

9. In quo conſenſu ſubter qui conſenſimus manibus noſtris ſubſcripſimus factum conſenſum, ſub die pridie Nonas Novembris, Erâ DCXXX. anno ſeptimo regni domini noſtri.

Subſcriptiones.

10. Artemius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.
Sophronius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.
Galanus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.
Joannes in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

NOTÆ

NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

11. COMITIS *patrimonii.*] Comes ſacri patrimonii erat qui Regis patrimonium, poſſeſſiones, & menſam procurabat: unde *procurator* à Lampridio in Commodo dictus: & meminit de hoc Caſſiodorus, ad Julianum Comitem patrimonii ſcribente Theoderico lib. 1. *Variar.* & 4. 6.

12. *Numerarii.*] Sub arte ſupputandi *Numerarii* continentur, qui à Juſtiniano *Tabularii* dicti ſunt, eo quòd in tabulis tota ratio ærarii amplecteretur, lib. 2. *De numerariis & actuariis*, lib. 12. Cod. titul. 50. & *calculatores*, eo quòd calculis ſupputatio fiat: olim & nunc lapillis; ideſt, calculis numeratum, nemo eſt qui ambigat: unde titulus eſt: *De errore calculi.* Perſius.

[illegible] diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Iſidorus lib. 8. *Etymol.* cap. 4. *Numerarii* (inquit) *vocati, qui publicum nummumærariis inferunt.*

13. *Modio canonico.*] De modio vide Iſidorum lib. 16. *Etymol.* cap. 25. Eſt menſura librar. XLIV. Plinius lib. 18. cap. 7.

14. *Siliquas.*] Ex eodem cap. 24. viceſima quarta pars ſolidi eſt, ab arboris nomine vocabulum tenens.

15. *Artemius.*] Artemius erat Metropolitanus Tarraconenſis, Sophronius Egarenſis, Joannes Gerundenſis, in Barcinonenſi, Galanus Empuritanæ Eccleſiæ Epiſcopus, etiam in Barcinonenſi.

CONCILIUM TOLETANUM
SUB RECCAREDO

Anno XII. regni ejus, Era DCXXXV. anno CHRISTI DXCVII. habitum ſub Gregorio Papa I.

1. IN nomine DOMINI, conſtitutio Synodi Epiſcoporum, numero decem & ſex, qui convenerunt in urbem Toletanam, in Eccleſiam Apoſtolorum SS. Petri & Paulli, ſub die ſexto decimo Kalendas Junias, anno feliciter duodecimo regni Chriſtianiſſimi & amatoris Dei glorioſiſſimi domini Reccaredi Regis.

CANONES.

I.

2. PRISCORUM Patrum ſequentes monita, id præcipiunt Dei ſacerdotes, ut quæ ſanctæ Trinitati conveniunt, operibus Fidei Catholicæ in omnibus conjungantur: ita ut ſanctam & amicam Dei obſervantes caſtitatem, non ſolùm retinendã Pontifices ſuo corpore cenſeant, ſed & presbyteris & diaconibus miniſtrantibus Dei altaribus modis omnibus obſervandam conſtituant: ut ex his qui caſtitatis voluerit patientiam violare, tali ſorte coërceatur, ut ultimus à quo eſt gradu dejectus, Deo ampliùs non miniſtret, ſed ſacerdotis ſui electione ſit tali clauſtro conſeptus, ut cæteros ſuo exemplo corrigat, & ille ex pœnitentia reviviſcat.

II.

3. Id etiam placuit Dei ſacerdotibus, ne quiſquam Antiſtes infra ſuam parœciam Dei aulam inquirat; & munificus ille, qui ſanctam Dei ædificaverit Eccleſiam, quod ibidem pro ſuo hærede largitus eſt, eodem loco presbyter ſecundùm priorum Canonum inſtituta deſerviens, habeat. Et ſi presbyterum ea facultas habere non permittit, vel diaconus inſtituatur. Certè ſi minor eſt cenſus, Oſtiarius à ſacerdote ſit electus, qui nitorem infra ſinus ſanctæ Eccleſiæ faciat; qui & ſanctarum reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendat.

Subſcriptiones.

1. Maſſona in Chriſti nomine Emeritenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
2. Migetius in Chriſti nomine Narbonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
3. Adelphius in Chriſti nomine Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
4. Motto in Chriſti nomine Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
5. Petrus in Chriſti nomine Arcavicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
6. Aſterius in Chriſti nomine Aucenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

7. Eleutherius in Chriſti nomine Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
8. Joannes in Chriſti nomine Oxomenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
9. Baddo in Chriſti nomine Eliberitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
10. Licerius in Chriſti nomine Egitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
11. Gineſius in Chriſti nomine Magalonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
12. Stephanus in Chriſti nomine Oretanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
13. Joſimus in Chriſti nomine Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

4. TOLETANUM.] Hoc Concilium, & nonnulla alia Toleti celebrata, in nullo Codice edito, aut manuſcripto, videtur ſervare ordinem numerorum. Præſedit verò in illo Maſſona Præſul Emeritenſis, tanquam Metropolitanus antiquior, ſicuti eodem titulo præſederat octo annis retrò, id eſt an. Chr. DLXXXIX. in Concilio Toletano III. Non eſt Nationale, nec Provinciale propriè loquendo: cùm intervenerint Metropolitani tres tantùm, cum ſolis decem Epiſcopis.

5. Porrò primus Canon illius, prætermiſſus à D. Loaïſa, & aliis Conciliorum explanatoribus, difficillimus intellectu eſt: ac proinde à nobis explanatur ex inſtituto Diſſertatione X. ſimul cum Canone V. Concilii Ilerdenſis, & nonnullis aliis Canonibus Conciliorum Toletanorum III. & IV. Vide ibi. CARDINALIS DE AGUIRRE.

6. *Adelphius.*] Qui ſucceſſit Euphemio viro ſancto, qui III. Toletano interfuit.

7. *Motto.*] Lege Mutto, ex ſubſcriptionibus III. Toletani: *Mutto* (inquit) *Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus.*

8. *Petrus.*] Subſcribit in III. Toletano, ſicut Aſterius, & Migetius, & Maſſona.

9. *Joſimus.*] Elbora an ſit Talavera, quæ nunc eſt in Carpetana provincia inſigne oppidum, an in Luſitania Ebora, diſceptant viri doctiſſimi Reſendius & Bartholomæus Alboruoz, & Quevedo Toletanus portionarius. LOAISA.

CONCILIUM OSCENSE

Anno tertio decimo regni domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi Regis,

Erâ DCXXXVI. anno CHRISTI DXCVIII. celebratum.

CANONES.

I.

10. IN nomine DOMINI noſtri JESU CHRISTI, convenientes omnes in unum Concilio Oſcẽſi, hoc Synodus ſancta fieri elegit, ut annuis vicibus unuſquiſque noſtrûm omnes Abbates monaſteriorum, vel presbyteros & diaconos ſuę diœceſis, ad locum ubi Epiſcopus elegerit, congregare pręcipiat, & omnibus regulam demonſtret ducendi vitas, cunctoſque ſub Eccleſiaſticis regulis adeſſe præmoneat; quoſque etiam parſimoniæ & ſobrietatis, atque veridicæ caſtimoniæ honeſtorum virorum teſtimonio fama commendet.

II.

11. Solicitum etiam pro hac re unumquemque noſtrûm eſſe convenit, ut curioſa indagine perquiramus, ſi presbyteris & diaconibus, atque ſubdiaconibus, & clericis pudica & caſta ſit vita. Quòd ſi (quod abſit) quicquam malum de quoquam fama dictaverit; per veram & certiſſimam clericorum probationem, vel virorum amanuenſium, vel certè illarum fœminarum de quibus fama percurrit, atque etiam diverſis argumentis, ex quibus adulterorum indicia certiſſimè ſuſpicari ſolent, omnia argutiſſimè perquirantur: ut neque per falſitatis obumbrationem quiſquam notetur, neque per quaſdam excuſationes admiſſum facinus operiatur; dum per publicam probationem minimè reconvinci garriant, ſed probatæ vitæ ſe vixiſſe, honeſtorum clericorum teſtimonio clarere demonſtrent.

NOTA CARDINALIS DE AGUIRRE.

12. OSCENSE.] Oſca, vulgò *Hueſca*, urbs eſt Hiſpaniæ citerioris in regno Aragoniæ. Hic Sertorius Academiam educationi juventutis inſtituit, atque è vita migravit, ut refert Plutarchus in *Sertorio*. Vellejus: *Sertorium inter cœnam Etoſcæ interemit*. Ubi legendum *Oſcæ*. Strabo lib. 3. de eodem Sertorio, ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκᾳ. ita enim egregiè emendavit Cl. Puteanus, ubi olim corruptè ... Florus 3. 22. Oſcam inter urbes recenſet, quæ Sertorio occiſo in poteſtatem Romanam venêre. Locus ille ita ſcribendus eſt: *Ipſa quoque in Romanam fidem venêre urbes, Oſca, Thermes, Tutia, Valentia, Uxama*. Olim urbs Illergetum in Vaſcitaniæ tractu, ad Iſuelam fluvium, novem leucis à Cæſaraugoſta. Epiſcopatus eſt ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi olim, nunc Cæſaraugustano. Patriam fuiſſe S. Vincentii Martyris, omnium, Aragonenſium præcipuè, animis altè infixum hæret; quamvis nonnulli contrarium mordicus teneant; præſertim Valentini, qui eum propriæ civitati vendicare ſatagunt. De Sancto Laurentio autem, nemo hactenus in dubium vocavit Oſcenſem fuiſſe.

CONCILIUM BARCINONENSE

Erâ DCXXXVII. anno XIV. Regis Reccaredi, anno CHRISTI DXCIX. habitum.

PRÆFATIO.

1. CUM duce DOMINO JESU CHRISTO, die Kalendarum Novembris, anno feliciter XIV. regni Chriſtianiſſimi & piiſſimi domini Reccaredi Regis, Tarraconenſis provinciæ Epiſcopi in urbem Barcinonenſem in Eccleſia ſanctæ Crucis fuiſſent congregati, hoc ſancta Synodus ſtatuere elegit.

CANONES.

I.

2. UT cùm ad officia Eccleſiaſtica clerici provehuntur, nil pro benedictione, aut ſubdiaconii vel presbyterii collata, quicquam, vel ſub obligationis nomine à quocumque Epiſcopo, vel ab ejus clero inquiratur: illud Domini Jeſu meminentes edictum quod ait: *Gratis accepiſtis, gratis date*. *Matth. 10.*

II.

3. Simili etiam ſtatutum conditione eſt, ut cùm chriſma presbyteris diœceſanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, ſimoniacum interitum ementibus vendentibuſque aſſociet.

III.

4. Hoc etiam innovandum cuſtodiendumve in omnibus ſancta ſtatuit Synodus, ut ſecundùm priſcorum Canonum conſtituta, vel ſynodalium Epiſtolas Præſulum, præmonentes; nulli deinceps laïcorum liceat ad Eccleſiaſticos ordines, prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per ſacra regalia, aut per conſenſionem cleri, vel plebis, vel per electionem aſſenſionemque Pontificum, ad ſummum ſacerdotium aſpirare ac provehi; ſed cùm per Canonum conſcripta tempora, Eccleſiaſticos per ordines, ſpeciali opere deſudando, probatæ vitæ adminiculo comitante, conſcenderit grados, ad ſummum ſacerdotium, ſi dignitati vita reſponderit, auctore Domino provehatur. Ita tamen, ut duobus, aut tribus, quos antè conſenſus cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejuſque Coëpiſcopis præſentatis, quem ſors, præeunte Epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante, monſtraverit, benedictio conſecrationis accumulet. Aliter deinceps (quod abſit) præſumptum, & ordinatores, & ordinatos proprii honoris depoſitio ſubſequatur.

IV.

5. Pari etiam conſideratione ſancientes, ut ſi qua virgo propria voluntate, abjectâ laïcali veſte devotarum more induta, caſtitatem ſervare promiſerit; vel ſi qui hominum utriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à ſacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint, aut violenter abſtractæ fœminæ à pudicitiæ violatore ſe ſequeſtrare noluerint; utrique ab Eccleſiarum liminibus expulſi, ita ab hominum Catholicorum communione ſint ſeparati, ut nulla prorſus eis vel colloquii conſolatio ſit relicta.

Subſcri-

Subſcriptiones.

Aſiaticus in Chriſti nomine Epiſcopus Tarraconenſis Metropolitanæ civitatis, his conſtitutionibus interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Ugnus Barcinonenſis Epiſcopus, hunc conſenſum ſubſcripſi.

Simplicius in Chriſti nomine Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, hanc conſtitutionem conſentiens ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Aquilinus Auſonenſis Eccleſiæ, hanc conſtitutionem conſentiens ſubſcripſi.

Julianus in Chriſti nomine Eccleſiæ Dertoſanæ Epiſcopus annuens ſubſcripſi.

Mumius in Chriſti nomine Eccleſiæ Calahorritanæ Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Galanus in Chriſti nomine Eccleſiæ Empuritanæ Epiſcopus, his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Froiſclus in Chriſti nomine Eccleſiæ Dertoſanæ Epiſcopus annuens ſubſcripſi.

Joannes peccator de Gerunda in his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Maximus Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ miniſter, in his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Amelius in Chriſti nomine Eccleſiæ Ilerdenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Ilergius in Chriſti nomine Eccleſiæ Egarenſis Epiſcopus, in his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

6. CONCILIUM.] Cùm S. Gregorius per Cyriacum Abbatem ad præcipuos Galliarum Epiſcopos ſcripſiſſet epiſtolas plures lib. 7. indictione 2. exſtantes, ut ſimonia, aliaque nefanda crimina corrigerentur, eaque ibidem peracta fuiſſent; videtur idem Abbas juſſu ſancti Gregorii in Hiſpanias profectus eſſe, ut ad exſtirpandam ubique ſimoniacam hæreſin idem fieret in Hiſpaniis, quod in Galliis factum fuerat. Nam ſecundùm argumentum illarum Epiſtolarum S. Gregorii, quas in Gallias detulit Cyriacus, hoſce quatuor Canones patres Barcinonenſis Concilii edidiſſe reperiet quiſquis prædictas Epiſtolas legerit. CARDIN. BARONIUS ad annum DXCIX. num. 23.

7. *Provincia.*] Nimirum, quamvis Barcino non eſſet caput provinciæ, ſed Tarraco; cùm hujus Præſul intervenerit, ejuſque ſuffraganei undecim, nihil deeſt huic Concilio ut cenſeatur Provinciale, quamvis non in urbe Metropolitana, ſed in alia ejuſdem provinciæ fuerit celebratum. CARD. DE AGUIRRE.

8. *Subſcriptiones.*] Aſiaticus Metropolita Tarraconenſis ſucceſſit Artemio, qui ſubſcribit in Cæſarauguſtano II. Ugnus Barcinonenſis ſubſcribit in III. Toletano, ſimiliter Simplicius Urgelitanæ, & Aquilinus Auſonenſis in II. Cæſarauguſtano, & Julianus Dertoſanæ in utroque etiam & Mumius: Galanus in II. Cæſarauguſtano ſine titulo Eccleſiæ. In III. Toletano ſubſcribit Froiſclus, non adjecto nomine Epiſcopatûs. Jam diximus ſuprà qua ratione duo ejuſdem Eccleſiæ haberent titulum, Julianus Dertoſæ in II. Cæſarauguſtano & III. Toletano, & Mumius ſimiliter. Maximus Cæſarauguſtanus fuit vir eruditione & pietate conſpicuus: ſcripſit *De rebus Gotthorum in Hiſpania*, ut refert S. Iſidorus. LOAISA.

9. *Joannes peccator de Gerunda*, &c. *ſubſcripſi.*] De hoc inſigni & celebri Abbate, ac poſtea Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopo, accipe teſtimonium, ſive elogium S. Iſidori Hiſpalenſis, ferè ipſius σύγχρονος, libro *De viris illuſtrib. Joannes Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, natione Gotthus, provinciæ Luſitaniæ Scalabitanus. Hic cùm eſſet adoleſcens, Conſtantinopolim perrexit, ibiq; Græca & Latina eruditione nutritus, ſeptimo demum anno in Hiſpanias reverſus eſt, eodem tempore quo incitante Leuvigildo Ariana fervebat inſania. Hunc ſupradictus Rex, cùm ad nefanda hæreſis credulitatem compelleret, & hic omnino reſiſteret, exſilio truſus, Barcinonam relegatus, per decem annos multas inſidias & perſecutiones ab Arianis perpeſſus eſt: qui poſtea condidit monaſterium, quod nunc Biclaro dicitur: ubi congregata monachorum ſocietate, ſcripſit Regulam ipſi monaſterio profuturam, ſed & cunctis Deum timentibus ſatis neceſſariam. Addidit in libro* Chronicorum, *ab anno primo Juſtini Junioris Principatus, uſque in annum octavum Mauricii Principis Romanorum, & quartum Reccaredi Regis annum, hiſtorico compoſitoq; ſermone valdè utilem hiſtoriam. Et multa alia ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam noſtram non pervenerunt.* Hactenus S. Iſidorus. Poſtea Chronicon ejuſdem Abbatis adjungemus, quòd rebus hujus temporis exactiùs dignoſcendis magno adjumento ſit, quamvis vitiatum videatur ab Arianis.

10. *Maximus Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ miniſter*, &c.] Hic ille ipſe eſt, de quo idem S. Iſidorus libro *De viris illuſtribus*; inquit: *Maximus Cæſarauguſtanæ civitatis Epiſcopus, multa verſu proſaq; componere dicitur. Scripſit & brevi ſtylo hiſtoriam de iis quæ temporibus Gotthorum in Hiſpaniis acta ſunt, hiſtorico & compoſito ſermone. Sed & multa alia ſcribere dicitur, quæ nondùm legi hactenus.*

11. Sed tamen ab eo tempore quo pſeudochronica illa famoſa Toleti excogitata fuerunt, ſub finem ſæculi præcedentis, FICULNEO au-

auctore (qui Hiſpanicè HIGUERA cognominabatur) prodigioſa mendacia de hoc Maximo ſcripta & ubique divulgata ſunt in Chronico illo edito ſub nomine *Marci Maximi Epiſcopi Cæſarauguſtani*. Et licèt Bivarius in Commentariis illius longè poſtea editis exeruerit omnes ingenii atque eruditionis minimè vulgaris nervos ad illud tuendum & explanandum, nullatenus obtinere potuit ab eruditiſſimis viris intra aut extra Hiſpaniam, ne irriderent Chronicon ipſum, veluti meram congeriem farraginum & fictionum, qualia pariter fuiſſe cenſent, & invictis rationibus demonſtrant, illa alia nomine Dextri, Luitprandi, Helecæ, ac Juliani Perez, ab eodem fabularum architecto obtruſa, quibus fœdavit apud imperitos hiſtoriam antea germanam & puram rerum Hiſpaniæ.

12. Sanè quòd Ficulneus Maximo huic præponeret nomen Marci, ipſumque complexè *Marcum Maximum* diceret, in cauſſa fuit quòd legiſſet verba illa paullò antè exſcripta Iſidori de Maximo Epiſcopo Cæſarauguſtano: *Multa verſu proſaq; componere dicitur*. Cumque aliunde nôſſet, eodem circiter tempore floruiſſe Marcum quendam diſcipulum S. P. Benedicti, Poëtam apud multos celebrem, qui res geſtas Patriarchæ & Magiſtri ſui verſibus enarrâſſet; voluit ex duobus hominibus unum eundemque facere, quaſi primùm fuiſſet monachus Benedictinus, deinde verò Epiſcopus Cæſarauguſtæ: ac proinde complexa appellatione illum *Marcum Maximum* denominavit.

13. Sed enim quemadmodum hippo-centaurus & hirco-cervus cenſentur chimæræ; quoniam licèt extrema cujuſque ſeorſum conſiderata ſint vera, complexio tamen ſive unio ſubſtantialis utriuſque extremi eſt fabuloſa & ficta; ita ſimiliter in Hiſtoria *Marcus-Maximus* chimæra eſt. Quamvis enim eodem circiter tempore floruerint, in Italia Marcus monachus Caſinenſis, qui vitam & res geſtas Sancti Benedicti verſibus edidit, atque in Hiſpania Maximus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui verſus compoſuiſſe dicitur, & huic Concilio Barcinonenſi interſuit; chimæra Higueriana eſt prædictos Marcum & Maximum conflare in unum eundemque hominem.

14. Nimirum, ut alia taceam, nemo veterum dixit, nemo ſomniavit uſque ad tempus Higueræ, Marcum illum S. P. Benedicti diſcipulum veniſſe in Hiſpaniam, aut fuiſſe Epiſcopum, aut habuiſſe præterea nomen Maximi. Conſtat id ex Paullo Diacono lib. 1. *De geſtis Longobardorum*, cap. 26. cujus verba exſcribit Adrevaldus lib. 1. *De miraculis S. Benedicti*, cap. 4. Petro Diacono in libello *De viris illuſtrib. Caſinenſibus*, cap. 3. Leone Marſicano, ſive Hoſtienſi, lib. 3. *Hiſtoriæ Caſinenſis*, cap. 21. & Aimoino Floriacenſi in Sermone quodam *De S. Benedicto*, laudantibus carmen prædictum Marci: ut mittam plures alios recentiores de eodem Marco loquentes, quorum tamen, licèt Benedictinorum, nemo vel leviter indicavit illum veniſſe poſtea in Hiſpaniam, aut Cæſarauguſtæ Epiſcopum fuiſſe. Nec Joannes Boſco in *Bibliotheca Floriacenſi*, aut Proſper Martinengus in ſuo Tomo III. nec Illuſtriſſ. Angelus à Nuce in *Commentariis ad Chronicon Caſinenſe*, exſcribentes carmen illud Marci de S. P. Benedicto, quicquam de illius Epiſcopatu Cæſarauguſtano inſinuârunt. Unde ſolus Higuera Marcum poſt mille circiter annos ab obitu Epiſcopum fecit.

15. Aliunde quoque fabula eſt quòd Maximus Epiſcopus Cæſarauguſtanus huic Synodo ſubſcribens, fuiſſet antea monachus. Nemo enim veterum id dixiſſe invenitur. Imprimis altum ſiluit de tali monachatu S. Iſidorus σύγχρονος, in ejus elogio ſuprà no. 10. cùm tamen loquens de aliis Epiſcopis aſſumptis è ſtatu monaſtico, ſemper iſtud expreſſerit, ut patet quando loquitur de S. Leandro fratre ſuo, Martino Dumienſi ſeu Bracarenſi, Joanne Biclarenſi, & Eutropio. Idipſum imitatione Iſidori præſtitit poſtea S. Ildephonſus ipſius diſcipulus, loquens de Donato, Joanne Cæſarauguſtano, Maximi fratre & deceſſore, Helladio, Juſto, & duobus Eugeniis Præſulibus Toletanis, ac Nonnito Epiſcopo Gerundenſi. Dum igitur nec Iſidorus & Ildephonſus ſcribentes de Maximo, nec alius quiſpiam eorum qui vixêre eodem ſæculo, ac ſequentibus uſque ad tempus Higueræ, monachatum ipſi tribuerit; reputandum id omnino eſt inter merces Higuerianas, nullum apud quoslibet ſolidè eruditos pretium habentes, ne quidem apud Bollandianos, quamvis ejuſdem inſtituti ſocios. Hi enim amorem veritatis præferentes amori & honori ſodalis ſui, ſæpè ac palam invehuntur adversùs illũ, tanquam artificem & *inventorem infinitarum fabularum*, ut tandem loquuntur Tomo VII. *Sanctorum Maji*, pag. 393.

16. Denique ejuſdem pſeudo-chronici inventor non ſatis habuit Maximum binominem facere, & monachum fingere, niſi & adderet *Benedictinum*; fortaſſe ut demereretur profeſſores ejuſdem inſtituti, ut aliàs ſæpiſſimè fecit, etiam cum Auguſtinianis & Carmelitanis. Ad aſſequendam enim earum trium graviſſimarum Religionum gratiam (quæ certè non egent fabuloſis laudibus, nec fœtibus ſuppoſitis virorum ſanctitate & doctrina illuſtrium) ſingulis earum ſæpè tribuit præſtantiſſimos filios, quos non genuerunt; aut ſi genuerunt, id aliunde, quàm ex iis pſeudo-chronicis, certum habent. Idipſum ferè præſtitit cum Eccleſiis Hiſpaniæ, præſertim Cathedralibus, & cum urbibus aut oppidis ipſius, tribuens iis Epiſcopos, aut Sanctos utriuſque ſexus, qui vel nunquam in rerum natura fuerunt, vel alibi omnino habuerunt ſedem ſuam, ſive originem. Nimirum, ut facetè dixit Magiſter Quintanilla Salmanticenſis Profeſſor in ſuo *Tabernaculo fœderis*, Higuera in ſcribendis & ubique diſſeminandis cum plauſu fabulis ſuis, perinde ferè ſe geſſit ac Mahometus in ſcribendo & evulgando feliciter Alchorano. Ut enim omnium gentium & ſectarum, ſive religionum gratiam obtineret, quædam delibavit ex Judæis, quædam ex Gentilibus, quædam ex Chriſtianis, multa ex Arabibus, non pauca ex Perſis, nonnulla ex Ægyptiis. Sic factum eſt ut homines innumeros ex omni ſecta & natione deluſos abduceret, & in errores ſuos traheret; ſed imperitos tamen aut incautos: non autem recto judicio aut ſapientiâ præditos. CARDIN. DE AGUIRRE.

CHRO-

CHRONICON

JOANNIS PRIMUM FUNDATORIS ET ABBATIS MONASTERII BICLARENSIS, POSTEA EPISCOPI GERUNDENSIS,

Qui ſubſcribit in Concilio Barcinonenſi anno DXCIX.

Ex variis Mſs. editum ab Henrico Caniſio Noviomago J. C. & Profeſſore ſacrorum Canonum in alma Academia Ingolſtadienſi.

PRÆFATIO HENRICI CANISII AD LECTOREM.

17. DE auctore hujus Chronici Iſidorus libro *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, & ex eo Illuſtriſſ. Cæſar Baronius Tomo VII. anno Chriſti DLXXXIV. *Joannes Gerundenſis* (inquit) *Eccleſiæ Epiſcopus, natione Gotthus, provinciæ Luſitaniæ Scalabitanus. Hic cùm eſſet adoleſcens, Conſtantinopolim perrexit, ibiq; Græca & Latina eruditione nutritus, ſeptimo demum anno in Hiſpanias reverſus eſt, eodem tempore, quo incitante Leovigildo Rege, Ariana fervebat inſania. Hunc ſupradictus Rex, cùm ad nefandæ hæreſis credulitatem compelleret, & hic omnino reſiſteret, exſilio truſus, Barcinonam relegatus, per decem annos multas inſidias & perſecutiones ab Arianis perpeſſus eſt: qui poſtea condidit monaſterium quod nunc Biclaro dicitur: ubi congregata monachorum ſocietate, ſcripſit Regulam ipſi monaſterio profuturam, ſed & cunctis Deum timentibus ſatis neceſſariam. Addidit & in libro Chronicorum, ab anno primo Juſtini Junioris Principatûs, uſque in annum octavum Mauricii Principis Romanorum, & quartum Reccaredi annum, hiſtorico compoſitoq; ſermone valdè utilem hiſtoriam. Et multa alia ſcripſiſſe dicitur. quæ ad noſtram notitiam non pervenerunt.* Eadem ferè Trithemius. Quibus lucem adferunt ea quæ Joannes Mariana Societatis Jesu ſacerdos lib. 5. *De rebus Hiſpaniæ*, cap. 13. memoriæ prodidit. Ita ergo hic: *In ea urbe* (Conſtantinopoli) *Joannes Biclarenſis Abbas Scalabi in Luſitania natus, decem & ſeptem ætatis annos ſtudiorum gratiâ junior conſumpſerat: inde utriuſque linguæ, aliarumq; artium cognitione inſtructus, in patriam ex longinqua peregrinatione redux, communi Eccleſiæ tempeſtate actus, Barcinonem exſilii cauſâ miſſus, ad Pyrenæi montis radices, ubi hodieq; eodem nomine viſitur, Biclarenſe monaſterium conſtituit, optimis legibus atque inſtitutis ad Divi Benedicti Regulam conformatum. Unde Reccaredo quidem Rege ad Gerundenſis Eccleſiæ procurationem, Suinthila autem ætate ad cælum morte migravit, meritis debitum præmium, Nonnito ſucceſſore.* Hæc Mariana, qui Biclarenſis Chronicon ſæpè teſtem laudat.

18. Circa ipſum Chronicum nihil admonendum occurrit, niſi quòd locus ille de Leovigildo Rege Ariano admodùm obſcurus ſit; ſed ut videas, integrum adſcribere placet: *Leovigildus Rex in urbem Toletanam Synodum Epiſcoporum ſectæ Arianæ congregat, & antiquam hæreſin novello errore emendat, dicens: De Romana religione ad noſtram Catholicam Fidem venientes non debere baptizari, ſed tantummodo per manûs impoſitionem, & communionis perceptione ablui, & gloriam Patri per Filium in Spiritu ſancto, dare. Per hanc ergo ſeductionem plurimi noſtrorum cupiditate potiùs impulſi, in Arianum dogma declinant.* Alia lectio habet: *de Ariana hæreſi venientes.* Sed quomodo factum hoc multos ad Arianam fidem pertraxit? An ægrè ferentes quòd qui tranſiliant ab Ariana hæreſi non rebaptizarentur, ipſi Ariani fiebant ex indignatione? Probabilior eſt lectio altera, ut Rex ille Arianus veram religionem vocet *Romanam*, & ſuam hæreſin, *Catholicam Fidem*. Hoc enim edixit, ut qui ex orthodoxis ad Arianiſmum migrarent, non rebaptizarentur (jam enim eſſe baptizatos in Eccleſia). & hac fraude multos orthodoxos ad perfidiam Arianam pertraxit. Primum enim anabaptiſmum metuentes, non facilè transfugiebant ad illa impietatis caſtra. At poſtea, reciſo hoc retinaculo, plures invenire erat, qui Deo deſerto, Arium ſequerentur. Hunc ſenſum eſſe Biclarenſis noſtri declarant cùm alia, tum illud quod ex antiquioribus Hiſpaniæ monumentis ſcribit Mariana lib. 5. cap. 12. Leovigildi juſſu Arianorum Præſulum conventum Toleti habitum, & in eo ſublatum eſſe rebaptizandi morem, Arianis familiarem, cùm ad eorum ſectam Catholici confugiſſent. Sed quare factum hoc Regis nominat Biclarenſis *novellum errorem*? an quia aliis occaſio errandi fuit? Cæterùm ut Chronicum hoc eò melius lector intelligat, proderit evolviſſe Chronicum Iſidori *De rebus Gotthicis*, & ea quæ in ſua Hiſtoria ſcribit Mariana, maximè lib. 5.

NOTÆ

NOTÆ ET OBSERVATIONES CARD. DE AGUIRRE
IN CHRONICON ISTUD

Proculdubio vitiatum ab Arianis in dedecus S. Hermenegildi.

CHRONICON iſtud à nobis recuditur juxta editionem Henrici Caniſii: cujus exemplar proculdubio vitiatum fuiſſe videtur quoad omnia illa, in quibus gravat Hermenegildum Principem, & minus dignè de eo loquitur: ſimiliter & in iis quibus exaltat Leovigildum, planè Arianum, & hoſtem juratum Catholicorum, atque ipſius Hermenegildi eam ob cauſſam. Neque enim alia fuiſſe invenitur, ut ille princeps nobiliſſimæ indolis ſubiret patris diras, & internecinam perſecutionem. Accedit, Abbatem ipſum Biclarenſem ab eodem Leovigildo crudelem perſecutionem paſſum, & decennale exſilium propter Fidem Catholicam. Itaque incredibile eſt Biclarenſem ipſum, conſcium perſecutionis Hermenegildo illatæ ob defenſionem ejuſdem Fidei, tam indignè de illo loquutum. Certè exemplaria hujus Chronici, quibus uſi fuerunt Morales, Joannes Mariana, Cardinalis Baronius, & alii quique veterum Hiſpanorum, veluti Rodericus Toletanus & Lucas Tudenſis, nihil videntur habuiſſe eorum quæ in exemplari Caniſiano tanti Principis famam denigrant; nec apud Gregorium Turonenſem, aut Gregorium Magnum, vel alium quempiam ſcriptorum ejus temporis leguntur, ſed potiùs alia omnia. Quare in antiquiſſimis quibuſque Martyrologiis memoria Hermenegildi ſacra habetur, veluti indubitati Martyris, ad diem 13. Aprilis: uti legere eſt in Martyrologiis Uſuardi, Adonis, Notkeri, & Wandelberti, qui ſub Lothario Imperatore circa annum DCCCL. hæc carmina ſcripſit ad idus Aprilis:

Idibus Hermingilde patrem, Rex alme, furentem
Perſentis, verum referens de morte triumphum.

Nobis certè locus non eſt, nec modus exquirendi facilè in Hiſpania nunc exemplar aliquod eorum quibus Mariana aliique uſi fuerunt: ac proinde non poſſumus recudere Chronicon ipſum exactum ad ea manuſcripta. Itaque donec ea habeamus viſum fuit exhibere illud prout exſtat apud Caniſium, atque in Tomo IV. *Hiſpaniæ illuſtratæ*, pag. 155. Verùm religioni duximus prætermittere admonitionem iſtam, aut notas ad marginem, quibus monemus lectorem, ne offendat, aut verum arbitretur, vel ſcriptum à Biclarenſe Abbate quod variis locis habetur contra honorem ac decus ſancti Principis Hermenegildi. Aliunde verò minùs decens viſum eſt verba quædam ſupprimere, vel ſubſtituere ex conjecturâ. Denique nobis dubium non eſt verba calumnioſa, ſive injurioſa adverſus ſanctum Hermenegildū fuiſſe obtruſa & aſſuta autographo ipſi, ſive prototypo Abbatis jam mortui impia manu cujuſpiam Arianorum, qui eo tempore Hiſpaniam infeſtabant, regnante adhuc Reccaredo, tum Abbate ipſo vitâ functo. Videmus enim adhuc eo tempore in multis Hiſpaniæ Eccleſiis perſeveràſſe duos Epiſcopos; alterum Catholicum, Arianum alterum, immo & ſimol in Conciliis ſubſcripſiſſe. Quid ergo mirum quòd quiſpiam illorum in odium religionis Catholicæ, propter quam Hermenegildus occiſus eſt, & Joannes Biclarenſis exſilium decennii paſſus fuit, hujus ſcripta conſpurcaverit, & illius famam, centonibus quibuſdam aſſutis Chronico? Hæc noſtra ſententia eſt, quam eruditos quoſque & pios æqui boniq́ue conſulturos ſperamus. Auctoribus jam citatis adjungo teſtimonium Paulli Warnefridi Diaconi Aquilegienſis lib. 3. *De geſtis Longobardorum* cap. 21. ubi ita loquitur de rebus Hermenegildi longè aliter quàm in eo Chronico habeatur:

Interea Childebertus Rex Francorum, bellum adverſum Hiſpanos gerens, eoſdem acie ſuperavit. Cauſſa autem hujus certaminis iſta fuit. Childebertus Rex Ingundem ſororem ſuam Herminigildo, Leuvigildi Hiſpanorum Regis filio, in conjugium tradiderat: Qui Herminigildus prædicatione Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, atque adhortatione ſuæ conjugis, ab Ariana hæreſi, quâ pater ſuus languebat, ad Catholicam Fidem converſus fuerat, quem pater impius, in ipſo ſacrato Paſchali die ſecuri percuſſum interemerat. Ingundis verò poſt mariti & martyris funus de Hiſpaniis fugiens, dum Gallias repedare vellet, in manus militum incidens, qui in limite adverſum Hiſpanos Gothoſq́; reſidebant, cum parvo filio capta, atque in Siciliam deducta eſt, ibiq́; diem clauſit extremum. Filius verò ejus Imperatori Mauricio Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus.

Hucuſque Warnefridus, qui circa annum Chriſti DCCLXXX. hæc ſcripſit, prorſus cohærentia iis quæ leguntur apud S. Gregorium Magnum, & alios antiquos ſcriptores de S. Hermenegildo: ut propterea nobis firma perſuaſio ſit, Chronicon Biclarenſis Abbatis fuiſſe ab aliquo nebulone fœdatum in ea parte. Circa filium autem ejuſdem Principis S. Hermenegildi tranſmiſſum Conſtantinopolim ad Imperatorem Mauriciū vide quæ diximus ſuprà pag. 407. num. 61. & 62.

CHRO-

CHRONICON JOANNIS BICLARENSIS, POSTEA EPISCOPI GERUNDENSIS.

19. POST Euſebium Cæſareenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Hieronymum toto Orbe notum preſbyterum, necnon & Proſperum virum religioſum, atque Victorem Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ Epiſcopum, qui hiſtoriam omnium penè gentium ſumma brevitate & diligentia contexere viſi ſunt, & uſque ad noſtram ætatem congeriem perduxerunt annorum, & quæ acta ſunt in mundo ad agnitionem noſtram tranſmiſerunt; nos ergo in adjutorio D. N. JESU CHRISTI, quæ temporibus noſtris acta ſunt, ex parte quod oculata fide pervidimus, & ex parte quæ ex relatu fidelium didicimus, ſtuduimus ad poſteros noteſcenda brevi ſtylo tranſmittere.

20. Quinta decima ergo indictione, ut dictum eſt, Juſtiniano mortuo, Juſtinus Junior, nepos ejus, Romanorum efficitur Imperator.

21. Romanorum LIII. regnat Juſtinus Junior annos XI. qui Juſtinus anno primo regni ſui, ea quæ contra Synodum Chalcedonenſem fuerant commentata deſtruxit, Symbolumque ſanctorum CL. Patrum Conſtantinopoli congregatorum, & in Synodo Chalcedonenſi laudabiliter receptorum, in omni Eccleſia Catholica à populo concinendum intromiſit, priuſquam Dominica dicatur Oratio. Armeniorum gens & Iberorum, qui à prædicatione Apoſtolorum Chriſti ſuſceperant Fidem, dum à Coſdra Perſarum Imperatore ad culturam idolorum compellerentur, renuentes tam impiam juſſionem, Romanis ſe cum provinciis ſuis tradiderunt: quæ res inter Romanos & Perſas pacis fœdera rupit.

22. Anno II. memorati Principis in regia urbe Ætherius & * Additus patricii dum Juſtino mortem vellent veneno potiùs quàm ferro per medicos inferre, detecti, capitali ſententia puniri juſſi, prior à feris devoratus, ſecundus incendiis concrematus interiit. Juſtinus filius Germani patricii, conſobrinus Juſtini Imperatoris, factione Sophiæ Auguſtæ in Alexandria occiditur. His temporibus Athanaildus Rex Gotthorum in Hiſpania vitæ * finem ſuſcepit, & * Luiva pro eo in regnum provehitur.

* Addeus.
* Terminum.
* Luiba.

23. Anno III. Juſtini Imp. Garamantes per legatos pacē, Romanæ Reipublicæ & Fidei Chriſtianæ ſociari deſiderantes, poſcunt, qui ſtatim utrumque impetrant. Theodorus Præfectus Africæ à Mauris interfectus eſt. Mauritarum gens his temporibus Chriſti Fidem recipit. Hujus Imperii anno III. Leonegildus germanus Luibani Regis, ſuperſtite fratre, in regnum citerioris Hiſpaniæ conſtituitur, Goſvintham, relictam Athanaildi, in conjugium accipit, & provinciam Gotthorum, quæ jam rebellione diverſorum fuerat diminuta, mirabiliter ad priſtinos revocat terminos.

24. Anno IV. Juſtini Imperatoris, qui eſt Leonegildi Regis ſecundus annus, Theodiſtus, Magiſter militum provinciæ Africanæ, à Mauris bello ſuperatus interiit. Leonegildus Rex loca Baſtitaniæ, & Malacitanæ urbis, repulſis militibus, vaſtat, & victor ſolio redit. Juſtinus Imperator per Tiberium excubitorum Comitem in Thracia bellum genti barbarorum ingerit, & victor Tiberius Conſtantinopolim redit. In provincia Gallæciæ Miro, poſt Theodomirum, Suevorum Rex efficitur.

25. Anno V. Juſtini Imperatoris, qui eſt III. Leonegildi Regis annus, Juſtinus Imp. Armeniam & Hiberiam, repulſis Perſis, Romanas provincias facit, & bellum Perſarum Imp. per duces parcit. Amabilis Magiſter militiæ Africanæ à Mauris occiditur. Leonegildus Rex Aſinodam, fortiſſimam civitatem, proditione cujuſdam Framidanei nocte occupat, & militibus interfectis, memoratam urbem ad Gotthorum revocat jura. Donatus Abbas monaſterii Servitani, mirabilium operator, clarus habetur.

26. Anno VI. Juſtini Imp. qui eſt Leonegildi Regis IV. annus, Gepidarum regnum finem accepit, qui à Longobardis prœlio ſuperati, Cunicmundus Rex campo occubuit, & theſauri ejus per Traſaricum Arianæ ſectæ Epiſcopum, & Reptilanem Cunicmundi nepotem, Juſtino Imp. Conſtantinopolim ad integrum perducti ſunt. Leonegildus Rex Cordubam civitatem diu Gotthis rebellem nocte occupat, & cæſis hoſtibus propriam facit, multaſque urbes & caſtella, interfecta ruſticorum multitudine, in Gotthorum dominium revocat. Miro Suevorum Rex bellum contra Arragones movet. Domnus Helenenſis Eccleſiæ Epiſcopus clarus habetur.

27. Anno VII. Juſtini Imp. qui eſt Leonegildi V. annus, Alboinus Longobardorum Rex factione conjugis ſuæ à ſuis nocte interficitur. Theſauri verò ejus cum ipſa Regina in Reip. Romanæ ditionem obveniunt, & Longobardi ſine Rege & theſauro remanſere. His diebus Luiba Rex vitæ finem accepit, & Hiſpania omnis in regno & poteſtate Leonegildi, Galliaque Narbonenſis concurrit. Juſtinus Imp. gravi infirmitate concutitur, quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. In regia urbe mortalitas inguinalis plagæ exardeſcit, in qua multa millia hominum vidimus defuiſſe. Leonegildus Rex Sabariam ingreſſus Sapos vaſtat, & provinciam ipſam in ſuam redigit ditionem, duoſque filios ſuos ex amiſſa conjuge, Hermenegildum & Reccaredum, conſortes regni facit. Legati gentis Mauritarum Conſtantinopolim veniunt, dentes elephantinos & * Camelos Pardalim Juſtino Principi munera afferentes, ſibi cum Romanis amicitiam collocant. Poſt Joannem Rom. Eccleſiæ Benedictus ordinatur Epiſcopus, præfuit annos IV. Mauſona Emeritenſis Eccleſiæ Epiſcopus in noſtro dogmate clarus habetur.

* Camelo-pardalim.

28. Anno

28. Anno VIII. Juſtini, qui eſt Leonegildi VI. annus, Perſæ cum Romanis pacis fœdera rumpunt, & congreſſione facta; Daras civitatem fortiſſimam bello ſuperant, & cæsâ multitudine Romanorum, memoratam urbem ingreſſi, depopulati ſunt. His diebus Leonegildus Rex Cantabriam ingreſſus, provinciæ pervaſores interficit, * Amajam occupat, opera eorum pervadit, & provinciam in ſuam revocat ditionem.

* *Al.* Amoya.

29. Juſtinus Imp. Tiberium, quem ſuperiùs excubitorum Comitem diximus, Cæſarem facit, & non multò pòſt Imperiali faſtigio provehit, & Reipub. Principem deſignat. Hujus Tiberii Cæſaris die prima in Regia urbe inguinalis plaga ſedata eſt.

30. Anno IX. Juſtini Imp. qui eſt Leonegildi Regis VII. annus, Coſdroes Perſarum Imp. cum nimia multitudine exercitus ad vaſtandos Romanorum terminos promovet. Cui Juſtinianus Dux Romanæ militiæ, & Magiſter militum Orientis à Tiberio deſtinatus, bellum parat, & in campis, qui inter Daras & Nozinios ponuntur, forti pugna congreſſus; habens ſecum gentes fortiſſimas, quæ barbaro ſermone Hermam nuncupantur, memoratum Imperatorem bello ſuperat, quo cum ſuo exercitu in fugam verſo, caſtra ejus pervadit, & provinciæ Perſidæ fines victor Juſtinianus vaſtat, excubiaſque eorum pro triumpho Conſtantinopolim dirigit, XXIV. elephantos inter cætera, qui magnum ſpectaculum Romanis in urbe regia exhibuerunt: prædæ verò de manubiis Romanorum, Perſarum multitudo ad nimiam utilitatem nummo publico venundatæ ſunt.

31. *Leonegildus* Rex Aregenſes * montibus ingreditur, Aſpidiſi loci * ſeniores cum uxore & filiis captivos ducit, opeſque ejus & loca in ſuam redigit poteſtatem. Aramundarus Saracenorum Rex Conſtantinupolim venit, & cum ſtemmate ſuo Tiberio Principi cum donis Barbariæ occurrit: qui à Tiberio benignè exceptus, & donis optimis exornatus, ad patriam abire permiſſus eſt.

* *F.* Montes.
* *Locus corruptus.* Mariana lib. 5. cap. 11. legit *Seniorem*, hoc eſt principem.

32. Anno X. Juſtini Imp. qui eſt Leonegildi Regis VIII. annus, Bandarius gener Juſtini Principis à Longobardis prœlio vincitur, & non multò poſt vitæ finem accipit. Romanus filius Anagaſti patricii, Magiſter militiæ gentis Suëvorum, Regem vivum cœpit, quem cum ſuo theſauro, uxore, & filiis Conſtantinopolim adducit, & provinciam ejus in Romanorum dominium redigit. Leonegildus Rex in Gallæcia Suëvorum fines conturbat, & à Rege Mirone per legatos rogatus, pacem eis pro parvo tempore tribuit. Selanini in Thracia multas urbes Romanorum pervadunt, quas depopulatas vacuas reliquere. Abares litora maris captioſè obſident, & navibus litora Thraciæ navigantibus ſatis infeſti ſunt.

33. Poſt Benedictum Romanæ Eccleſiæ Pelagius Junior ordinatur Epiſcopus, præeſt annis XI.

34. Anno XI. regni ſui Juſtinus diem clauſit extremum, & Tiberius ſingulare obtinuit Imperium. Romanorum LIV. Tiberius regnavit annis VI.

35. Anno ergo I. Imperii Tiberii, qui eſt Leonegildi annus IX. Abares Thracias vaſtant, & regiam urbem à muro longo obſident. Leonegildus Rex Oroſpedam ingreditur, & civitates atque caſtella ejuſdem provinciæ occupat, & ſuam provinciam facit, & non multò pòſt inibi ruſtici rebellantes à Gotthis opprimuntur, & poſt hæc integra à Gotthis poſſidetur Oroſpeda.

36. Anno II. Tiberii Imp. qui eſt Leonegildi Regis X. Gennadius Magiſter militum in Africa Mauros vaſtat. Gaſmulem fortiſſimum Regem, qui jam tres duces ſuperiùs nominatos Romani exercitus interfecerat, bello ſuperat, & ipſum Regem gladio interficit.

37. Tiberius Mauricium excubitorum Comitem, Magiſtrum militiæ Orientis inſtituit, & ad repugnandum Perſis direxit. Romani contra Longobardos in Italia lacrymabile bellum gerunt. Leonegildus Rex extinctis undique tyrannis, & pervaſoribus Hiſpaniæ ſuperatis, ſortitus requiem propriam cum plebe reſedit, & civitatem in Celtiberia ex nomine filii condidit, quæ Reccopolis nuncupatur, quam miro opere & mœnibus, & ſuburbanis adornans, privilegia populo novæ urbis inſtituit. Joannes presbyter Eccleſiæ Emeritenſis clarus habetur.

38. Anno III. Tiberii Imperatoris, qui eſt Leonegildi XI. annus, Abares à finibus Thraciæ appelluntur, & partes Græciæ atque Panoniæ occupant. Leonegildus Rex Hermenegildo filio ſuo filiam Siſberti Regis Francorum in matrimonium tradit, & provinciæ partem ad regnandum tribuit. Leonegildo ergo quieta pace regnante, adverſariorum ſecuritatem domeſtica rixa conturbat. Nam eodem anno filius ejus Hermenegildus, factione Goſvinthæ reginæ * tyrannidem aſſumens in Hiſpali civitate, rebellione facta, * recludit; & alias civitates atque caſtella ſecum contra patrem rebellare fecit. Quæ cauſſa in provincia Hiſpaniæ, tam Gotthis quàm Romanis, majoris exitii, quàm adverſariorum infeſtatio fuit. . . . .

* *Locus depravatus ab Arianis.*
* *Videtur hoc loco aliquid deeſſe.*

39. Nonellus Complutenſis Epiſcopus clarus habetur.

40. Anno IV. Tiberii, qui eſt Leonegildi XII. an. Mauricius Magiſter militum Orientis contra Perſas bellum movet, & repulſa Perſarum multitudine, in Oriente hyemavit. Leonegildus Rex in urbem Toletanam Synodum Epiſcoporum ſectæ Arianæ congregat, & antiquam hæreſim novello errore emendat, dicens: De Romana religione ad noſtram Catholicam Fidem venientes non debere baptizari, ſed tantummodo per manûs impoſitionem, & communionis perceptione * ablui, & gloriam Patri per Filium in Spiritu ſancto * dare. Per hanc ergo ſeductionem plurimi noſtrorum cupiditate potiùs impulſi, in Arianum dogma declinant.

Locus obſcurus.
* Ab Ariana ablui
* Dari.

41. Anno V. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIII. annus, Longobardi in Italia Regem ſibi ex ſuo genere eligunt, vocabulo Antharich, cujus tempore & milites Romani omnino ſunt cæſi, & terminos Italiæ Longobardi ſibi occupant. Sclavinorum gens Illyrium & Thracias vaſtant. Leonegildus Rex partem Vaſconiæ occupat, & civitatem, quæ Victoria nuncupatur, condidit.

42. Tibe-

42. Tiberius Imp. Magiſtro militum Orientis filiam ſuam in conjugium tradit.

43. Anno VI. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIV. annus, Tiberius vitæ terminum dedit, & Mauricius pro eo Rom. Imp. efficitur. Romanorum LV. Mauricius regnat annos XX. Leonegildus Rex exercitum ad expugnandum tyrannum * filium colligit. Anno ergo I. Mauricii Imp. qui eſt Leonegildi Regis XV. annus. Leonegildus Rex civitatem Hiſpalenſem congregato exercitu obſidet, & rebellem filium gravi obſidione concludit, in cujus ſolatio Miro Suevorum Rex ad expugnandam Hiſpalim devenit, ibique diem clauſit extremum, cui Eburicus filius in provincia Gallæciæ in regnum ſuccedit. Interea Leonegildus Rex ſupradictam civitatem nunc ferro, nunc fame, nunc Bætis concluſione omnino conturbat.

** Locus alius depravatus ab Arianis, contra honorem S. Hermenegildi.*

44. Anno II. Mauricii Imp. qui eſt Leonegildi XVI. an. Leonegildus muros Italicæ antiquæ civitatis reſtaurat, quæ res maximum impedimentum Hiſpalenſi populo exhibuit. His diebus Andeca in Gallæcia Suevorum regnum cum tyrannide aſſumit, & Siſeguntiam relictam Mironis Regis in conjugium accepit. Eboricum regno privat, & Monaſterii monachum facit.

45. Leonegildus Rex, filio Hermenegildo ad Rempublicam commigrante, Hiſpalim pugnando ingreditur, civitates & caſtella, quas filius occupaverat, cœpit, & non multò pòſt memoratum filium in Cordubenſi urbe comprehendit, & regno privatum in exſilium Valentiam mittit.

46. Mauricius Imp. contra Longobardos Francos per conductelam movet: quæ res utrique genti non parva intulit damna. Eutropius Abbas monaſterii Servitani, diſcipulus S. Donati, clarus habetur.

47. Anno III. Mauricii, qui eſt Leonegildi XVII. annus, Mauricius per duces bellum infert. Leonegildus Rex Gallæcias vaſtat. Andecanim Regem comprehenſum regno privat. Suevorum gentem, theſaurum, & patriam, ſuam in poteſtatem redigit, & Gotthorum provinciam facit. Hermenegildus in urbe Tarraconenſi à * Sisberto interficitur. Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes, cum exercitu ingreſſi: in quorum congreſſionem Leonegildus Reccaredum filium obviam mittens, & Francorum eſt ab eo exercitus repulſus, & provincia * Gallatiæ ab eorum eſt infeſtatione liberata. Caſtra verò duo cum nimia hominum multitudine, unum pace, alterum bello occupat. Caſtrum verò, quod * Hodierno vocatur, tutiſſimum valdè in ripa Rodani fluminis ponitur, quod Reccaredus Rex fortiſſimâ pugnâ aggreſſus, obtinuit, & victor ad patrem patriamque redit. Andeca verò regno privatus tondetur, & honore presbyteri poſt regnum honoratur. Non dubium, quod in Eborico Regis filio, Rege ſuo, fecerat, patitur, & exſilio Pacenſi urbe relegatur. Maluricus in Gallæcia tyrannidem aſſumens, quaſi regnare vult, qui ſtatim à ducibus Leonegildi oppreſſus, comprehenditur, & Leonegildo vinctus præſentator. Leander Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopus clarus habetur.

Alius locus depravatus.
** Sisbertus eſt carnifex, non Rex*
* Galliæ.
* *Al.* Ugerno.

48. Anno IV. Mauricii Imp. qui eſt Leonegildi Regis XVIII. Anthane Longobardorum Rex cum Romanis congreſſione facta, ſuperat, & cæſa multitudine militum Romanorum, Italiæ fines occupat. Hoc anno Leonegildus Rex diem clauſit extremum, & filios ejus Reccaredus in tranquillitate regni ejus ſumit ſceptra.

49. Anno V. Mauricii Imp. Romanorũ, qui eſt Reccaredi Regis primus feliciter annus, Mauricius Theodoſium filium ſuum, ex filia Tiberii Imperatoris natum, Cæſarem facit. Pelagio Juniore mortuo, Romanæ Eccleſiæ Gregorius in Epiſcopatum ſuccedit: præeſt annis XV. Romani per Francorum adjutorium Longobardos vaſtant, & provinciæ Italiæ partem in ſuam redigunt poteſtatem. Sisbertus interfector Hermenegildi morte turpiſſima perimitur *.

** Hinc confirmatur honor S. Hermenegildi.*

50. Reccaredos primo regni ſui anno, menſe 10. Catholicus, Deo juvante, efficitur, & ſacerdotes ſectæ Arianæ ſapienti colloquio aggreſſus, ratione potiùs quàm imperio converti ad Catholicam Fidem facit, gentemque omnium Gotthorum & Suevorum ad unitatem & pacem revocat Chriſtianæ Eccleſiæ: ſectæ Arianæ, gratiâ divinâ, in dogmate veniunt Chriſtiano.

51. Deſiderius Francorum dux, Gotthis ſatis infeſtus, à ducibus Reccaredi Regis ſuperatur, & cæſa Francorum multitudine in campo moritur. Reccaredus Rex aliena à prædeceſſoribus direpta, & ſuo ſociata, placabiliter reſtituit. Eccleſiarum & monaſteriorum conditor & ditator efficitur.

52. Anno VI. Mauricii, qui eſt Reccaredi ſecundus annus, quidam ex Arianis * Sunna Epiſcopus, & Segga, cum quibuſdam tyrannidem aſſumere cupientes, deteguntur: convicti, Sunna exſilio traditur, & Segga manibus computatis in Gallæciam exſulans mittitur. Mauricius Theodoſium filium, quem ſuprà Cæſarem diximus, Romanorum Imperatorem facit.

* Sunia.

53. Anno VII. Mauricii, qui eſt Reccaredi Regis III. annus, * Uldila Epiſcopus cum Goſvintha Regina inſidiantes Reccaredo manifeſtantur, & Fidei Catholicæ communionem, quam ſub ſpecie Chriſtiana quaſi ſumentes, projiciunt, publicantur. Quod malum in cognitionem hominum deductum, * Uldila exſilio condemnatur, Goſvintha verò Catholicis ſemper infeſta, vitæ tunc terminum dedit. Francorum exercitus à Gottheramno Rege tranſmiſſus, Boſone duce, in Galliam Narbonenſem obveniunt, & juxta Carcaſſonenſem urbem caſtra metati ſunt, cui Claudius Luſitaniæ Dux à Reccaredo Rege directus obviam, inibi occurrit, cum quo congreſſione facta, Franci in fugam vertuntur, & direpta caſtra Francorum, & exercitus à Gotthis cæditur. In hoc ergo certamine gratia divina & Fides Catholica, quam Reccaredus Rex in Gotthis fideliter adeptus eſt, eſſe noſcitur operata. Quemadmodum non eſt difficile Deo noſtro ſive in paucis ſive in multis detur victoria. Nam Claudios dux cum CCC. viris, LX. millia fermè Francorum noſcitur inſugâſſe *, & maximam eorum partem gladio trucidâſſe. Non immeritò Deus laudatur. temporibus noſtris in hoc prœlio eſſe operatus, qui

* Uldila.
* Uldida.
** Ita etiam S. Gregor. Turonenſis.*

ſimiliter ante multa temporum ſpatia per manum docis Gedeonis in trecentis viris multa millia Madianitarum, Dei populo infeſtantium, noſcitur extinxiſſe.

54. Anno VIII. Mauricii Imp. qui eſt Reccaredi Regis IV. an. ſancta Synodus Epiſcoporū totius Hiſpaniæ, Galliæ, & Gallæciæ, in urbe Toletana, præcepto Principis Reccaredi congregatur, Epiſcoporum numero LXXII. in qua Synodo intererat memoratus Chriſtianiſſimus Reccaredus, ordinem converſionis ſuæ, & omnium ſacerdotum, vel gentis Gotthicæ confeſſionem tomo ſcriptam manu ſua Epiſcopis porrigens, & omnia quæ ad profeſſionem Fidei orthodoxæ pertinent, innoteſcens: cujus tomi ordinem decrevit ſancta Epiſcoporum Synodus canonicis applicare monumentis. Summa tamen ſynodalis negotii penes S. Leandrum Hiſpalen. Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium monaſterii Servitiani Abbatem fuit. Memoratus verò Reccaredus Rex, ut diximus, ſancto intererat Concilio, renovans temporibus noſtris antiquum Principem Conſtantinū Magnum * ſanctā Synodum Nicænam ſuâ illuſtrâſſe potentiâ. Necnon & Marcianum Chriſtianiſſimum Imp. cujus inſtantiâ Chalcedonenſis Synodi decreta formata ſunt. Siquidem & Nicæna orbe hæreſis Ariana & initium ſumpſit & damnationem meruit radicibus non amputatis. Chalcedone verò Neſtorius & Eutyches, unà cum Dioſcoro ipſorum patrono, & hæreſibus propriis condemnati ſunt. In præſenti verò ſancta Toletana Synodo Arii perfidia, poſt longas Catholicorum neces atque innocentium ſtrages, ita radicitus comp-putata eſt, inſiſtente Principe memorato Reccaredo Rege, ut ulteriùs non pullulet, Catholica ubique pace data Eccleſiis. Hæc ergo nefanda hæreſis, ſecundum quod ſcriptum eſt: *De domo Domini exiet tentatio*; ab Alexandrina Eccleſia, detegente S. Alexandro ejuſdem urbis Epiſcopo, per Arium presbyterum inolevit, qui in Nicæna Synodo CCCXVIII. Epiſcoporum judicio viceſimo Imperii Conſtantini Senioris anno, ſynodaliter damnationem cum proprio errore ſuſcepit. Quæ poſt hæc non ſolùm Orientis & Occidentis partem maculavit, ſed & Meridianam, & Septemtrionis plagam, & ipſas Inſulas ſuâ perfidiâ irretivit. A viceſimo ergo Conſtantini Principis anno, quo tempore hæreſis Ariana initium ſumpſit, uſque in octavum annum Mauricii Principis Romanorum, qui eſt Reccaredi quartus regni annus, anni ſunt CCLXVI. quibus Eccleſia Catholica hujus hæreſis infeſtatione laboravit, ſed favente Deo vicit, quoniam fundata eſt ſupra petram.

* *Videtur aliquid deeſſe.*

55. In his ergo temporibus, quibus omnipotens Deus proſtrato veternoſæ hæreſis veneno, pacem ſuæ reſtituit Eccleſiæ, Imp. Perſarum Chriſti ſuſcepit Fidem, & pacem cum Mauricio Imperatore firmavit. Reccaredo ergo orthodoxo quieta pace regnante, domeſticæ inſidiæ prætenduntur. Nam quidam ex cubiculo ejus, etiam provinciæ dux, nomine Argimundus, adverſus Reccaredum Regem tyrannidem aſſumere cupiens, ita ut ſi poſſet, eum & regno privaret & vitâ: ſed nefandi ejus conſilii detecta machinatione, comprehenſus, & in vinculis ferreis redactus, habitâ diſcuſſione, ſocii ejus impiam machinationem confeſſi, condigna ſunt ultione interfecti; ipſe autem Argimundus, qui regnum aſſumere cupiebat, primùm verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, poſt hæc dextrâ amputatâ, exemplum omnibus in Toletana urbe, aſino ſedens, pompizando dedit, & docuit famulos domini non eſſe ſuperbos.

ADMONITIO AD LECTOREM.

1. ANIMUS olim fuerat hoc loci exhibere quaſdam Epiſtolas Bulgarani Comitis à nemine editas, quas penes me habeo exſcriptas è Codice Oveteoſi. Sed cùm eas diligentiùs examinâſſem, uti mox edendas, adeò mendis depravatas, & errorum caligine obvolutas deprehendi (ſive id exſcriptorum oſcitantiâ & inſcitiâ, ſive Codicum defectu acciderit) ut ſatius duxerim minimè eas in lucem emittere, quàm ex conjectura emendare, ne fidem exemplaribus detrahere viderer. Quare tam has Epiſtolas, quàm plurimas alias, Martini Bracarenſis, Cæſarii Patricii, Siſebuti Regis, Auraſii Epiſcopi, Tarræ monachi, aliorumque, ex Mss. Toletanis tranſcriptas, eâdemque peſte afflatas, cum aliis monumentis non dum prælo editis, in aliud tempus differre curavi, quoad, exemplaribus collatis, medicinam illis adhibere licuerit, ac in priſtinum nitorem reſtituere.

2. Cùm autem editio hujus voluminis huc-uſque perveniſſet, caſu incidimus in Tomum II. Spicilegii Cl. ac religioſiſſimi viri Lucæ D'Acherii pag. 368. ubi exſcribit Epiſtolam quandam nomine *Sancti Liciniani Epiſcopi de libro Regularum ad S. Gregorium Papam*. Præmiſerat verò in Præfatione ejuſdem tomi, eam Epiſtolam fuiſſe mutuatam è duobus Mss. bibliothecæ Floriacenſis, quorum varietatem notat ad marginem. Cùm verò nos ejuſdem Epiſtolæ exemplar haberemus è Ms. Eccleſiæ Toletanæ, in nonnullis varians ab utroque illo, voluimus hoc loco illam edere, notatis ad oram diverſis lectionibus, præſertim exemplaris Toletani.

3. Porrò quis fuerit Licinianus iſte Epiſcopus, & cujuſnam Eccleſiæ, jam in ſuperioribus indicatum fuit, præſertim paginâ 159. Nunc accipe quid de illo loquitur S. Iſidorus libro *De ſcriptoribus Eccleſ.* cap. 29. *Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, in ſcripturis doctus, cujus quidem nonnullas Epiſtolas legimus; de ſacramento denique Baptiſmatis unam, & ad Eutropium Abbatem, poſtea Valentiæ Epiſcopum, plurimas. Reliqua verò induſtriæ, & laboris ejus ad noſtram notitiam minimè pervenerunt. Claruit temporibus Mauricii Auguſti*. Nimirum eodem tempore quo S. Leander, & S. Gregorius Magnus, quorum illum ſibi notum laudat, & hunc alloquitur præſenti Epiſtola.

4. No-

4. Nomine nonnullarum Epiſtolarum Liciniani, quas S. Iſidorus ait ſe legiſſe, intelligi potiſſimùm credo hanc ad S. Gregorium Papam, & aliam ſubinde ad Vincentium Epiſcopum Ebuſitanæ inſulæ, contra quoſdam qui credebant nonnullas Epiſtolas de cœlo cecidiſſe, ac denique aliam nomine ipſius ac Severiani ſcriptam ad Epiphanium Diaconum, in qua oſtendit Angelos eſſe totius corporis expertes. Quapropter hoc loci eas tres Epiſtolas, quarum ſaltem duæ poſteriores nunquam hactenus editæ fuerunt, viſum exhibere; tum quòd occaſio ita poſtulet, tum etiam quòd earum minùs depravatum exemplar nacti ſimus: relictis pluribus aliis monumentis hujus generis, donec ea conferre liceat cum exemplaribus correctioribus, unde noſtra plurimum vitiata emendari poſſint.

5. Porrò Licinianus iſte fuit amicus intimus & ſocius Severi Epiſcopi Malacitani, ſuo tempore celeberrimi in Hiſpania, qui librum *De virginitate* ad ſororem ſuam edidit, & alium Epiſtolarum ad diverſos, ſicuti & Licinianus, teſtante id Iſidoro de utroque. Ambo etiam ii ſcripſerunt adverſus Vincentium Epiſcopum Cæſaraugustanū miſerabiliter lapſum in apoſtaſiam, ſicuti & Epiſtolam inferiùs edendã ad Epiphanium Diaconū. Teſtatur porrò Ambroſius Morales ſe vidiſſe librū ea de re antiquiſſimum Liciniani literis Gotthicis ſcriptum in Academia Complutenſi. Addit S. Iſidorus, eundem Licinianum Conſtantinopoli mortuum fuiſſe, non abſque veneni ſuſpicione. Creditur autem eò perrexiſſe cum pluribus aliis Catholicis, ac S. Leandro in iis, ob crudelem perſecutionem Leovigildi Hiſpaniæ Regis Ariani adverſus Catholicos omnes. CARDINALIS DE AGUIRRE.

EPISTOLA I. LICINIANI

Epiſcopi Carthaginis Spartariæ in Hiſpania.

De libro Regularum.

AD S. GREGORIUM PAPAM URBIS ROMÆ.

Domino beatiſſimo Gregorio Papæ Licinianus Epiſcopus.

6. LIBRUM regularum à ſanctitate tua editum, & ad nos divina gratia opitulante perlatum, tantò libentiùs legimus, quantò in eo ſpiritales regulas ineſſe cognoſcimus. Quis non libentiùs legat, ubi jugi meditatione medicinam animæ ſuæ inveniat? ubi contemptis hujus ſæculi rebus caducis in ſua mutabilitate variantibus, ad æternæ vitæ ſtationem oculos mentis aperiat? Liber hic tuus omnium eſt aula virtutum. Illic prudentia inter bonum & malum diſcretionem limitis figit: juſtitia unicuique ſua tribuit, dum Deo animam, corpuſque animæ ſubdit. Illic fortitudo etiam in adverſis & in proſperis reperitur ſemper æqualis, quæ nec in contrariis frangitur, nec in proſperis exaltatur. Illic temperantia furorem libidinis frangit, diſcreteque voluptatibus modum imponit. Illic cuncta quæ ad vitæ æternæ participium pertinent comprehendis: & non ſolùm Paſtoribus regulam vivendi deſcribis, ſed etiam his qui regiminis officium nullum habent, vivendi regulam tribuis. Habent enim Paſtores in quadripartita tua diſtributione quales ad hoc officium veniant; qualem vitam gerant cùm venerint; qualiter vel qualia doceant; & ne in tanto ſacerdotali culmine extollantur, quid agant.

7. Adteſtantur huic eximiæ doctrinæ ſancti antiqui PP. Doctores, defenſoreſque Eccleſiæ, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus: hi omnes teſtimoniū tibi præbent, ſicut Apoſtolis præbuerunt Prophetæ. Hilarius ſanctus dicit, exponens verba Apoſtoli Doctoris Gentium. Ita etenim quæ propriæ diſciplinæ & morum ſunt, ad ſacerdotii meritum utilia eſſe ſignificat; ſi etiam hæc quæ ad docendæ ac tenendæ fidei ſcientiam neceſſaria ſunt, inter reliqua non deerunt: quia non ſtatim boni atque utilis ſacerdotis eſt, aut tantummodo [a] ſcienter agere, aut tantummodo ſcienter prædicare; cùm & innocens tantùm ſui [b] ſufficiat ſi doctus ſit, & doctus [c] niſi doctrina vivendo.

8. Adteſtatur huic libro tuo Sanctus Ambroſius in illis libris quos fecit de officiis. Adteſtatur Sanctus Auguſtinus dicens: *In actione non amandus eſt honor in hac vita ſive* [d] *potentia, quoniam omnia vana ſub ſole. Sed opus ipſum quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque utiliter fit, ideſt, ut valeat ad eam ſalutem ſubditorum quæ ſecundùm Deum eſt.* Propter quod ait Apoſtolus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, opus bonum deſiderat.* Exponere voluit quid ſit Epiſcopus, quia nomen eſt operis, non honoris: Græcum eſt enim, & inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens: [e] Epiſcopus quippe intentio eſt. Ergo Epiſcopum, ſi velimus Latinè, [f] ſuperintendere poſſumus dicere. Ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe [g] dixerit, non prodeſſe. Ita enim ab ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur, atque admini-

a Innocenter. *Ms. Tolet.*
b Sibi proficiat niſi. *Ms. Tol.*
c Si doctrinam vivendo non adjuvet, omnino ſibi nihil proſit. Atteſtatur huic &c. *Ms. Tol.*
d Sive in. *Ms. Tol.*
e Epiſcopatus Epiſcopi. *Ms. Tol.*
f Superintendentem. *Ms. Tol.*
g Dilexerit. *Ms. Tol.*

ſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas: h percipiendæ ac tuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodo i veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimatur iſta neceſſitas.

h Veritatis negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: *Ms. Tol.*
i Veritati.

9. Adteſtatur Gregorius ſanctus, cujus ſtylum ſequeris, cujus exemplo deliteſcere cupiebas, ut pondus ſacerdotii declinares, quod quale ſit in toto libro tuo liquidè declaratur; tamen portas quod metuebas. Pondus enim tuum furſum fertur, non deorſum: non quod te ad ima premat, ſed quod ad aſtra ſuſtullat; dum per Dei gratiam, & obedientiæ meritum, operiſque boni efficientiam, fit ſuave quod per imbecillitatem humanam videbatur habere gravedinem. Dicis enim ea quæ conſonant Apoſtolis & Apoſtolicis viris: pulcher enim pulchra dixiſti, & in his pulchrum te eſſe oſtendiſti. Nolo ergo te ſimilare indecoro pictori pulchra pingenti; quia ſpiritalis doctrina à ſpiritali mente proficiſcitur. Plus pleriſque æſtimatur pictor homo, quàm inanimata pictura: ſed hoc non adſentationi aut adulationi reputes, ſed veritati; quia nec me decet k mentiri, nec te decet l falſum laudare. Ergo planè licèt m fidus, & te, & omnia tua pulchra conſpexi, & memet in cõparationem tui ſatis indecorum vidi.

k Oportet. *Ms. Tol.*
l Falsò laudari. *Ms. Tol.*
m Fædus. *Ms. Tol.*

10. Unde precor per gratiam Dei, quæ in te exuberat, ut non reſpuas deprecantem; ſed libenter doceas quæ me fateor ignorare. Compellimur enim neceſſitate facere quod n doceas. Peritus enim dum non reperitur qui ad officium ſacerdotale veniat, quid fiendum eſt, niſi ut imperitus, ut ego ſum, ordinetur? Jubes ut non ordinetur imperitus. Sed pertractet prudentia tua, ne fortè ad peritiam o ſufficiat ei ſcire JESUM Chriſtum, & hunc crucifixom: ſi autem non ſufficit, nemo erit in hoc p libro, qui peritus eſſe dicatur; nemo erit utique ſacerdos, ſi niſi peritus eſſe non debet. Bigamis enim aperta fronte reſiſtimus, ne ſacramentum utique corrumpatur. Quid ſi unius uxoris vir ante uxorem, mulierem tetigerit? Quid ſi uxorem non habuerit, & tamen ſine mulieris tactu non fuerit? Conſolare nos ſtylo tuo, ut non puniamur nec noſtro nec alieno peccato. Valdè enim metuimus, ne per neceſſitatem ea faciamus quæ non debemus. Ecce obediendum eſt præceptis tuis, ut talis fiat, qualis q Apoſtolica docet auctoritas: & non reperitur qualis quæritur; ceſſabit ergo fides quæ conſtat ex auditu. Ceſſabit baptiſmus, ſi non fuerit qui baptizet. Ceſſabunt illa ſacroſancta myſteria, quæ per ſacerdotes fiunt & miniſtros. In utroque periculum manet; aut talis ordinetur qui non debet, aut non ſit qui ſacra myſteria celebret vel miniſtret.

n Dicis non fieri. *Ms. Tol.*
o Non. *Ms. Tol.*
p Loco. *Ms. Tol.*
q Qualem. *Ms. Tol.*

11. Ante paucos annos LEANDER Epiſcopus Spalenſis remeans de urbe regia, vidit nos preteriens, qui dixit nobis habere r homilias à veſtra Beatitudine editas de libro Sancti Job. Et quia feſtinans pertranſiit, minimè eas petentibus nobis oſtendit. Poſtea verò ſcripſiſti ei de trina tinctione; in qua Epiſtola memoras diſplicuiſſe vobis illud opus, ſed hoc ſalubriori conſilio ſtatuiſſe, ut in librorum ductu s eas tranſponeres. Habemus ſanè libellos ſex Sancti Hilarii Epiſcopi Pictavienſis, quos de Græco Origenis in Latinum vertit; ſed non omnia ſecundùm ordinem libri Sancti Job expoſuit. Et ſatis miror, hominem doctiſſimum & ſanctum, ut de ſtellis nænias Origenis transferret. Mihi, ſanctiſſime Pater, nullo pacto ſuaderi poteſt, ut credam aſtra cœli ſpiritus t rationales, quæ neque cum angelis, neque cum hominibos facta eſſe, Scriptura ſancta declarat. Dignetur ergo Beati:udo veſtra Opus ipſum de libro Sancti Job; ſed & alios libros Morales, quos feciſſe te memoras in hoc libro Regularum, exiguïtati u tranſmittere. Tui enim ſumus, tua legere delectamur. Optabile namque eſt mihi & præclarum, ſicut tuus Gregorius ait, uſque ad ultimam diſcere ſenectutem. Incolomem coronam veſtram ad erudiendam Eccleſiam ſuam ſancta Trinitas Deus conſervare dignetur, ſicut optamus, beatiſſime Pater x.

r Se. *Ms. Tol.*
s Ductus. *Ms. Tol.*
t Habere. *Ms. Tol.*
u Noſtræ. *Ms. Tol.*
x Papa. *Ms. Tol.*

EPISTOLA II. LICINIANI

AD VINCENTIUM EPISCOPUM

EBOSITANÆ INSULÆ.

Contra eos qui credebant epiſtolas de cœlo cecidiſſe in memoriam S. Petri Romæ.

Nunc primùm edita ex Ms. Eccleſiæ Toletanæ.

12. INTER varias tribulationum anguſtias non nos piguit, cogente charitate Chriſti, hæc qualiacumque ſunt, ad ſanctitatem veſtram verba dirigere, inſinuantes accepiſſe nos literas tuas, & de veſtræ ſoſpitatis bono gaviſos. Sed in id non minimè contriſtati ſumus, quòd literas cujuſdam, quas ad nos direxiſtis, ſicut tuæ indicant literæ, ſuſceperis, & de tribunali populis

eas

eas feceris adnunciari. Ego enim mox à te tranſmiſſas accepi, in præſentia ipſius perlatoris exordium literarum ipſarum legens, & non patienter ferens, nec dignum ducens nænias ipſas perlegere, ſtatim ſcidi, & eas in terram projeci, admirans quòd his credulus fueris, & poſt Prophetarum vaticinia, & Chriſti Euangelia, Apoſtolorumque ejus Epiſtolas, neſcio cujus hominis literas ſub nomine Chriſti factas, ejus eſſe credideris; ubi nec ſermo elegans, nec doctrina ſana poterit reperiri.

13. In principio ipſius epiſtolæ legimus, ut dies Dominicus colatur. Quis enim Chriſtianus, non propter ipſum diem, ſed propter Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, eò quòd in ipſo à mortuis reſurrexit, reverendiſſimum non habeat? Sed, quantum ſentio, ideo novus iſte prædicator hoc dicit, ut nos judaïzare compellat, ut nullus ſibi in eodem die neceſſaria victûs præparet, aut viam ambulet. Sed hoc quàm peſſimum ſit, ſanctitas tua perpendat. Utinam populus Chriſtianus ſi die ipſo Eccleſiam non frequentat, aliquod operis faceret, & non ſaltaret. Meliuſque erat viro hortum facere, iter agere, mulieri colum tenere, & non, ut dicitur, ballare, ſaltare, & membra à Deo bene condita ſaltando malè torquere, & ad excitandam libidinem nugatoribus cantionibus proclamare.

14. Abſit ergo à ſanctitate tua hoc credere, ut epiſtolæ nunc nobis mittantur à Chriſto. Sufficiat enim quod loquutus eſt in Prophetis per ſe ipſum, & per ſuos Apoſtolos. Nam & his non literas tranſmittebat è cœlo, ſed Spiritu ſancto eorum corda replebat. Exceptis enim decem præceptis, quæ in tabulis lapideis mirabiliter data ſunt, ad nullum Prophetarum aut Apoſtolorum epiſtolæ miſſæ ſunt de cœlo. Non igitur credas quæ nunquam facta leguntur: quæ etſi facta eſſent, poſt prædicationem Euangelii jam neceſſaria non ſunt. Et ſi fortè ipſum nomen novum te delectavit; quia ipſa epiſtola, ſicut ſimulator ſcripſit, de cœlo deſcendit ſuper altare Chriſti in memoria S. Petri Apoſtoli; ſcito diaboli eſſe figmentum, & omnem ſcripturam divinam, epiſtolam, aut epiſtolas eſſe cœleſtes, & ad nos de cœlo fuiſſe tranſmiſſas.

15. Emendet ergo quod temerè credidit ſanctitas tua, & in præſentia populi ipſam epiſtolam, ſi eſt penes te, reſcinde: & hoc te pœniteat quòd de tribunali eam feceris recitari, beati Apoſtoli ſequens doctrinam, quòd inter cætera ad Galatas ſcripſit: *Si quis euangelizaverit vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Sed & illud Euangelium omnis lex & Prophetæ uſque ad Joannem prophetaverunt. Deinceps ſi qua nova vel inuſitata divulgata fuerint; omnino abjicienda & deteſtanda ſanctitas tua noverit. Ora pro nobis domine ſancte & in Chriſto chariſſime frater.

E P I S T O L A III.

LICINIANI ET *SEVERIANI. *Severi.

AD EPIPHANIUM DIACONUM.

In qua oſtenditur Angelos & animas rationales eſſe ſpiritus, ſive totius corporis expertes.

Ex Ms. Eccleſiæ Toletanæ.

Domino ſancto fratri Epiphanio diacono, Licinianus & Severus exigui.

16. LECTIS literis tuis, frater chariſſime, grandi ſumus admiratione permoti, eò quòd quendam virum in tanto ſacerdotali culmine conſtitutum, cujus nomen ob reverentiam ejus dicere nolumus, ſentire dicas creaturarum nihil eſſe quod ſpirituali nomine cenſeatur, omnemque naturam quæ non eſt quod Deus eſt, corporali modo tantùm finiri; & excepto Trinitate * Deo, non ſolùm irrationalium ſpiritus jumentorum, ferarum, vel avium, vel reliquorum, in quibus eſt ſecundùm Scripturas ſpiritus vitæ, verùm etiam rationalium ſpiritus Angelorum vel hominum, non debere dici ſpiritus, ſed corpora, tanquam homines non jam ex ſpiritu & corpore, ſed ex duobus ſubſiſtant corporibus, & Angeli tantummodo corporei eſſe credantur. Hoc etiam in præjudicio animarum adducens, quòd ſi locales forent, profectò & corporales forent.

17. Unde ſubitò præventus, nonnulla teſtimonia Scripturarum contra hoc oppoſuiſſe ſcriptis tuis inſerta cognovimus, quod quantò congruenter reſponderis, omnis qui Scripturas ſanctas legere & credere ſtudet, intelligit. Addis etiam, ut tibi libros B. Auguſtini, ſed & cæterorum qui de hac re diffinierunt, quantoſcumque habere videmur, ad convincendum virum, qui reſponſionibus tuis nullatenus adſentire dignatur, tranſmittere debeamus: vel certè nobis ſi aliquid divinitus fuerit inſpiratum, ut ſcribamus

mus hortaris. Unde ſciat ſanctitas veſtra, ſi otium noſtrum non perturbaret temporis qualitas, & liceret ut libros eoſdem, quos memoras, haberemus in promptu, voluntati tuæ voluiſſe parere. Sed quia non poſſumus quod volumus, id ſaltem volumus quod poſſumus: & tibi non quæ nos ipſi voluntatem ſequentes noſtram diffinire potuerimus,* quodque in memoriam noſtram ex ſeniorum noſtrorum definitionibus colligentes coacervavimus, ſcribere profectò curabimus.

* *Videtur legendum*, ſed quod.

18. Sed nunc jam videamus quid de Angelis Pſalmographus dicat. *Qui facit* (inquit) *Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*: Advertat igitur qui dicit Angelos corporeos eſſe, quia dixit: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. non corpora. Angelus enim Græcè, Latinè *Nuncius* dicitur, id eſt, qui facit ſpiritus ſuos nuncios. Propterea & Apoſtolus Paullus ad Hebræos ait: *Nonne omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?* In Angelo enim nomen officii intelligit, in ſpiritu ſcilicet nomen naturæ. Similiter etiam in Actis Apoſtolorum Lucas de Philippo refert quòd Angelus ſit ei loquutus, ut deſcenderet in occurſum Æthiopi eunucho: & poſt paullulum dicit, prætermiſſo nomine Angeli: *Dixit autem ſpiritus Philippo: accede, & adjunge te ad currum iſtum*. Videat profectò quem ſuperiùs dixerat Angelum, poſtea ſpiritum nuncupari.

19. Sed & de Angelis malis, quamvis de ſocietate bonorum Angelorum deſciverint, tamen quia unius ſunt naturæ, ſancta Scriptura multis locis non eos corpora, ſed ſpiritus eſſe refert. Paullus Apoſtolus ait: *Quòd non ſit nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs Principes & Poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum: contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Si igitur corpora eſſent, non ſpiritus; non dixiſſet: *contra ſpiritualia nequitiæ*; ſed, contra corporalia nequitiæ. Et Dominus in Evangelio, *Cùm ſpiritus* (inquit) *immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniet, & deinde vadet & adſumet ſeptem ſpiritus nequiores ſe*. Et in Regnorum libris ſcribitur: *Egrediar* (inquit) *& ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Et alibi: *Spiritus fornicationis decepit eos*. En habet non ſolùm Angelos bonos, verùm etiam Angelos malos ſpiritus nuncupari.

20. Et quia multa, de theſauro Scripturarum propter brevitatem ſermonis pauca inde decerpentes, prætermittimus; ne faſtidium ſcilicet legentibus generemus: ipſe qui Angelos ſpiritus non eſſe credit, ſaltim unius teſtimonii paupertate lætetur. Proferat ſi uſpiam Scripturarum reperiri potuerit Angelos non debere ſpiritus appellari. Veruntamen quia hoc invenire nullatenus poterit, credat multifariè multiſque modis dici ſpiritus. Dicitur ſpiritus Deus, quod eſt tota Trinitas, ſecundùm quod legitur in Evangelio Joannis: *Quum Deus ſpiritus eſt*. Dicitur & Spiritus Deus, qui eſt tertia in Trinitate perſona, qui propriè appellatur *Spiritus ſanctus*, dicente Apoſtolo: *Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas*. Et iterum: *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Dicitur & ſpiritus Angelus: *Qui facit* (inquit) *Angelos ſuos ſpiritus*. Unde jam ſuperiùs teſtimonia redhibuimus.

21. Dicitur & ſpiritus anima hominis, ſecundùm illud Geneſis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Et Salomon ait: *Quis ſcit ſi ſpiritus Domini aſcendit ſurſum?*

22. Dicitur & ſpiritus mens, quæ eſt veluti oculus animæ; id eſt intellectus, unde cuncta intelligibilia intelligit, vel ratiocinatur, ſecundùm quod dicit Apoſtolus: *Teſtis eſt enim mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo*. Quem dixit hic ſpiritum, alibi mentem appellat, dicendo: *Ego autem mente ſervio legi Dei*. Et iterum: *Nos autem* (inquit) *ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deo ſervimus*.

23. Dicitur & ſpiritus vis quædam animæ mente inferior, ubi cunctas imaginatur ſimilitudines corporum, ſecundum illud Apoſtoli: *Orabo ſpiritu, orabo & mente*.

24. Dicitur & ſpiritus omnium animalium irrationalium, ſecundum illud Geneſis. *Univerſaque* (inquit) *jumenta in genus ſuum, & omne quod movetur in terra in genere ſuo, cunctumque volatile ſecundum genus ſuum, univerſæ aves, omneſque volucres ingreſſa ſunt ad Noë in arcam, bina & bina, ex omni carne in qua erat ſpiritus vitæ*. Et paullò pòſt: *Conſumpta eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium quæ reptant ſuper terram, univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt*.

25. Videat igitur qui nullam creaturam dicit eſſe ſpiritum, quantis teſtimoniis ſacrarum Scripturarum convincatur, & deſinat dicere præter Trinitatem Domini, omne quod eſſe poteſt, corpus eſſe. Omne videlicet corpus, & altum, & latum, & longum eſt, inveniat, & dicat utrum tripedalis an quatripedalis ſit anima hominis vel ſpiritus Angeli, dicat etiam ex quo elemento habeat ſubſtantiam: exceptis quatuor elementis, terrâ ſcilicet, & aquâ, aëre, vel igne, unde alia compacta ſunt corpora, dicat quintum aliquod elementum unde Angelo vel animæ ſubſtantiam det: ſed quia invenire non poteſt, fortaſſis quia in elementis excellentior aër vel ignis eſt, aërem aut ignem allegat naturam animæ eſſe hominis, vel ſpiritum Angeli, & non pudet ut credatur inde eſſe animam hominis, aut ſpiritum Angeli, unde eſt corpus pecoris vel hominis. Omne igitur corpus quod vivit, ex quatuor elementis ſubſiſtit: corpus enim propriè pertinet ad terram, humor ad aquam, aër ad pulmones, quem accipiunt & reddunt tanquam folles, ignis ad oculos.

26. Nec moveat quod diximus, *omne corpus quod vivit*, cùm & arbores vivant, & oculus non habeant, nec unde aërem accipiant & reddant. Certum eſt ſcilicet quòd iſta non habeant; verumtamen & ipſæ ex quatuor elementis conſtare videntur. Quantacumque ſit proceritas arboris, niſi fixa radicibus continetur à terra, arbor eſſe non poteſt, & niſi aqua ab aëre adtracta per medullas arboris uſque ad ſummitatem fuerit perducta, vivere nullatenus poteſt: & niſi aër ab igne fuerit calefactus, aquam levare

non

non poteſt. Denique ideo autumni frigore lapſa cadunt folia, quia aër non ſicut vernò aut æſtivo tempore calefactus tantam vim habet, ut aquam ad ſuperiora arboris elevet, & viriditatem foliis ſervet; ſed paullatim hiberno tempore ſuccedente frigefactus, aqua ad inferiora deſcendens arbor areſcit.

27. Ergo non improbabiliter diximus omne corpus vivens ex quatuor elementis ſubſiſtere. Quocirca abſurdum eſt, & à veritatis regula alienum, ut anima de aliquo elementorum horum credatur ſubſiſtere. *Si omne peccatum* (dicente Apoſtolo) *quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt*; anima quæ peccare poteſt utique corpus non eſt, ſicut Apoſtolus ipſe ait: *Corpore abſens, ſpiritu autem præſens*, judicat hominem in tanta terrarum longitudine diſparatum: proculdubio anima localis non eſt. Si corpus occîdi poteſt; anima, ſecundùm quod Dominus in Evangelio ait, occîdi non poteſt; profectò anima quæ occîdi non poteſt, corpus non eſt. Si anima imago Dei eſt (ipſe quippe dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*) & fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, & Deus incorporeus eſt; profectò anima, quæ imago Dei eſt, corpus non eſt. Porrò ſi anima corpus eſt, imago Dei non eſt. Sed quia verum eſt imaginem Dei eſſe animam, & contrarium Scripturæ ſanctæ dici non poteſt, anima corpus non eſt.

28. Sed in defenſione animarum corporeatum illud maximè adſtruere videtur, quòd anima contineatur in loco. Rogamus itaque reſpondeat à quo loco contineri animam poſſe. Si à corpore ſuo, ergo melius eſt corpus quod continet, quàm anima quæ continet corpus. Verumtamen quia melius eſſe corpus animâ abſurdum eſt dicere; ergo non anima continetur à corpore, ſed anima continet corpus. Si ab anima regitur, ſi vivificatur, quantò magis & continetur? Nec enim ſic implet corpus quod continet, ſicut uter impleri videtur aquâ, ut tantùm interiùs ſit, non exteriùs. Tota igitur anima interiùs eſt, tota exteriùs, tanta eſt in minore corporis parte, quanta in majore. Si enim extrema corporis pars vel digito tangatur, tota ſentit. Et cùm ſenſus corporis quinario numero diſpertiti ſint, illa diſpertita non eſt in ſenſibus: tota itaque videt, tota audit, tota odorat, tota tangit, tota guſtat: & quum corpus movet ipſa per locum, non movetur ipſa in loco.

29. Quocirca valdè veraciter tres intelliguntur motiones naturarum: una Dei, quæ nec in tempore eſt, nec in loco: alia ſpiritûs rationalis, quæ tantùm in tempore eſt. Sed forſitan reſpondebit: ut quid requiritur à me quantâ anima magnitudine extendatur, cùm veraciter pateat extra corpus ſuum eſſe non poſſe, & ſecundum magnitudinem corporis animæ quantitate finiri? Ergo ſi juxta quantitatem corporis quantitas eſt animæ, tantò quiſque debeat eſſe ſapientior, quantò fuerit corpore grandior. At verò cum plerumque cernamus ſapientiores eſſe minores, quàm corpore grandiores; non eſt animæ ſecundum corporis quantitatem quantitas. Porrò autem, ſi tantam magnitudinem habeat anima, quantam corpus; quomodo in parvum corpus tantas corporum granditates imaginum continet? An non omnes magnitudines civitatum quas novimus, montium, fluminum, cœli, & terræ, vel reliquarum ſpecierum animo continemus? Quis etiam locus tam grandis animæ, quem tanta ſpatia locorum continet? Sed quia ipſa corpus non eſt, omnia loca inlocaliter continet. Si vas igitur à vaſe contineatur, illud profectò minus eſt quod interius, illud majus eſt quod exterius. Quomodo ergo anima, ſicut dicitur parvum corpus, tantas magnitudines corporum continet? Et iccircò ritè creditur anima quantitatem nullam, qualitatem habere ullam, Deum nec quantitatem nec qualitatem habere. Quia igitur æqualis Deo non eſt, qualitatem habere; quia corpus non eſt, quantitatem non habere.

30. Quum etiam cogitet, ſi poteſt, quid ſit in Geometriæ diſciplina punctum, quid in linea, quæ nullam habet latitudinem, nullam altitudinem, ſed ſolùm habet longitudinem; auferat etiam cogitationem ab * omnium rerum corporearum, quamvis minutiſſimarum, uſque ad filum araneæ, quod pro modulo ſuo & latitudinem & altitudinem habere dignoſcitur. Et quum intellexerit hanc lineam, quam diximus non eſſe corpoream, intelligatque rem incorpoream, intelligat corpus non eſſe; intelligat rem, quæ regi in corpore confirmatur, corpus eſſe non poſſe. Apoſtolus enim ait: *Quos præſcivit prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ejus*. Intelligat igitur quod Apoſtolus ait: *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur; qui autem adhæret Domino unus ſpiritus eſt*.

* *Nomnihil deeſt.*

31. Quapropter ſecundum rectæ Fidei Catholicæ veritatem, credimus Dominum incorporeum feciſſe aliqua incorporea, aliqua corporea, præpoſuiſſe in genere corporearum rerum rationalia irrationabilibus, intelligibilia non intelligentibus, juſta injuſtis, recta pravis, immortalia mortalibus. In genere igitur rerum corporearum, ſenſibilia inſenſibilibus, viventia non viventibus, cœleſtia terreſtribus, maſculinum fœminino, maximè valentem minùs valentiori.

32. Sed hæc dicimus oſtendentes quid habeat ordo naturæ, non quid noſtrum adferat commodum. Quis non etiam malit habere panem, quàm ſorices gemmam, quàm famulam? & plerumque etiam ampliùs appenditur equus quam ſervus, dum ſcilicet utilitas appenditur, non ordo creantis.

33. Sed jam vel nunc accipiat, chariſſime frater, qui te minimè audire detractat, ſanctum atque egregium prædicatorem Antiſtitem Auguſtinum: & licèt penè in omnibus Opuſculis ſuis, ubi eum cauſſa exegit, animam vel Angelum inſtruat incorporeũ; veruntamen quia anguſtia temporis (ſicut jam diximus) coarctat libros ejus nec vobis tranſmittere, nec nobis legere vacat; pauca etiam quę nobis ex libris ejus ad incorporalitatem animæ aut Angeli adſtruendam in mentem veniunt, ſcribere curavimus. In libro igitur qui titulum habet, *De ſummo bono*, ſuprà memoratus Antiſtes, *Omnis natura* (inquit) *aut ſpiritus aut corpus eſt: ſpiritus incommutabilis Deus eſt, ſpiritus commutabilis facta natura, ſed corpore melior*. In libro etiam *De virginitate ſanctæ Mariæ*, quem ad Voluſianum ſcripſit, *Si autem* (inquit) *quidam rationem reddi ſibi flagitant, quomodò Deus homini permiſtus ſit, ut una fieret perſona Chriſti; cùm hoc ſimul fieri oportue-*

oportuerit, quaſi rationem ipſi reddant de re quæ quotidie fit, quomodo miſceatur anima corpori, ut una perſona fiat hominis. Nam ſicut in unitate perſonæ anima utitur corpore, ut homo ſit; ita in unitate perſonæ Deus utitur homine, ut Chriſtus ſit. Et poſt paullulùm dicit: *Perſona hominis miſtura eſt animæ & corporis, perſona autem Chriſti miſtura eſt Dei & hominis.* Et poſt paullulum: *Verumtamen duarum incorporearum rerum commiſtio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporea & alterius corporea. Nam ſi anima in ſua natura non fallitur, incorpoream ſe eſſe comprehendit. Multò magis incorporeum eſt Verbum Dei, ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debet eſſe commiſtio, quàm animæ & corporis. Sed in nobis ipſis experimur illud, in Chriſto credere jubemur: ſi autem utrumque nobis inexpertum credendum præciperetur; quid horum citiùs crederemus? Quomodo non fateremur duo incorporea, quàm unum incorporeum alterumque corporeum faciliùs potuiſſe miſceri?* Hæc diſputatio vera ratione pleniſſima magni Antiſtitis incredulos provocans ad Fidem ducet: ut ſcilicet ſicut credunt animam incorpoream corpori, ut una perſona fiat hominis, potuiſſe miſceri; multò faciliùs credere debent Verbum Dei incorporeum, incorporeæ animæ potuiſſe miſceri.

34. In libro etiam *De origine animæ*, quem ad Sanctum Hieronymum presbyterum ſcripſit, incorpoream quoque eſſe animam inquit: *& ſi difficile tardioribus perſuaderi poteſt, mihi tamen fateor eſſe perſuaſum.* Hæc verba B. Auguſtini oſtendunt illos non poſſe intelligere animæ incorporalitatem, qui ingenio puſillo non valent ſejungere corporea ab incorporeis rebus: quia ſcilicet tantùm corporis ſenſibus dediti, nihil eſſe exiſtimant quod non per ſenſus corporis percepiſſe meminerint. Scripſit autem idem egregius Doctor librum *De quantitate animæ*, multis & multiplicibus diſputationibus refertum, in quo inter cætera de incorporalitate animæ diſputat. *Non enim* (ait) *nullo modo, aut longa, aut lata, aut quaſi valida ſuſpicanda eſt anima corporea.* Iſta ſunt, ut mihi videtur, & de conſuetudine corporum ſic animam quærimus, ideoque bene præcipitur etiam in myſteriis, ut omnia corpora contemnat, univerſoque huic mundo renunciet, qui, ut videmus, corporeus eſt: quiſquis ſe talem reddi deſiderat, qualis à Deo factus eſt, id eſt ſimilis Deo. non enim alia ſalus animæ eſt, aut renovatio, aut reconciliatio auctori ſuo.

35. Claudianus, vir diſertiſſimus, edidit libros *De incorporalitate animæ* tres, omni eloquentiæ ſplendore fulgentes: in quibus inter cætera ingenii ſui documenta præclariſſima, *Omne* (inquit) *inlocale incorporeum quoque eſt. Porrò vita corporis anima eſt, & in corpore vivit; & tam vivit anima in parte corporis, quàm in toto corpore: tantum ergo vita in parte corporis eſt, quantum in toto corpore, & vita hæc anima eſt: nec locale eſt quod tam magnum eſt in toto quàm in aliquo, & tam magnum in parvo quàm in magno. Non igitur localis eſt anima. Et quicquid inlocale eſt, corporeum non eſt. Igitur anima corpus non eſt.* Item ratiocinatur: *Anima rationalis eſt, & ſubſtantialiter ineſt animæ ratiocinari, & ratio incorporalis atque inlocalis eſt: igitur incorporalis eſt anima. Item voluntas animæ ſubſtantia ejus eſt, & ſi tota vult anima, tota voluntas eſt, & voluntas corpus non eſt. Igitur anima non eſt corpus. Item memoria inlocalis quædam capacitas eſt, quæ nec multitudine recordabilium diſtenditur, nec paucitate tenuatur, & incorporabiliter etiam corporalium reminiſcitur. & quum meminit animus, totus meminit, & totus memoria eſt, qui meminit totus: & memoria corpus non eſt. Non igitur corpus eſt animus. Item corpus nec appropinquat Deo, nec recedit à Deo; animus autem & proximat & longinquat inlocaliter, igitur animus localis non eſt.* Et hactenus de incorporalitate animæ diſputatum ſit.

36. Videamus deinceps utrum aſſertio noſtra eò quòd Angelorum natura ſit incorporea, aliquo teſtimonio roboretur. Beatus certè Auguſtinus, licèt in multis Opuſculis adſtruat Angelos incorpoream eſſe naturam; veruntamen in libro Trinitatis non ſolùm ex incorporeo, verùm etiam ex corporeo, id eſt ex duplici ſubſtantia, eos eſſe aſſeverat, ut ex uno ad Dei contemplationem non recedant, ſecundum quod Dominus in Euangelio cùm de non condemnandis parvulis ageret: *Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Ex alia ad aliqua agenda in conſpectu hominum veraciter appareant. Sic enim in libro ejuſdem Operis ſecundo: *Aſſumentes* (inquit) *Angeli corporalem ſpeciem à creatura corporea in uſum miniſterii ſui, ſicut cuique opus eſſet, aut ipſum corpus ſuum cui non ſubduntur, ſed ſubditum regunt, in ſpecies quas volunt accommodatas atque aptas actionibus ſuis immutantes, atque vertentes, ſecundum attributam ſibi à Creatore potentiam.* Item in libro tertio ſuprà memoratorum librorum. *Non ſolùm malos* (inquit) *ſed nec bonos Angelos fas eſt putari creatores. Si pro ſubtilitate ſui ſenſus & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt.* Et paullò pòſt: *Quæ in cælis ſunt* (inquit) *non inveſtigamus, quos & rerum genere, & corpora Angelica ſecundum propriam dignitatem, & eorum quædam corporalis actio continetur.* In octavo etiam libro, docens Dominum non eſſe corpus, nec ſicut cogitatur, inquit: *Angeli mundi ſpiritus cæleſtia corpora inſpirantes, atque ad arbitrium quo ſerviunt Deo mutantes, atque ſe vertentes. nec ſi omnes cùm ſint millia millium in unum collecti unus fiant, nec tale aliquid Deus eſt, nec ſi eoſdem ſpiritus ſine corporibus cogites, quod quidem carnali cogitationi difficillimum eſt.*

37. Memores, frater, dilectæ ſententiæ Domini, quia duorum aut trium hominum teſtimonium verum ſit, labori noſtro in arcto tempore providentes, hos duos excellentiſſimos tractatores, ut faciliùs credat, in quantum quivimus ex Opuſculis eorum memoriâ retinere, ſcripta per vos noteſcenda mandavimus. Quòd ſi his noluerit aſſentire, nec plurimorum teſtium, ſi producti fuerint, aſſentire curabit.

SYNODUS TOLETANA SUB GUNDEMARO,

Era DCXLVIII. anno CHRISTI DCX.

In nomine Domini noſtri JESU Chriſti : Conſtitutio Carthaginenſium ſacerdotum in Toletana urbe apud ſanctiſſimum Eccleſiæ ejuſdem Antiſtitem.

1. CONVENIENTIBUS Nobis in unum pro religione & Fide quam Chriſto debemus, placuit, ne quid ultrà in nobis abſurdum vel illicitum oriatur, alterna collatione decretum juſtiſſimæ promulgare ſententiæ; quo perſpicuè clareat inter nos ordo ac diſciplina Eccleſiaſticæ dignitatis, & agnoſcatur fraternæ concordia pacis.

2. Tali ergo diſpoſitione neceſſarium contuentes, ob ſtudium noſtri ordinis, communi electione decrevimus, congruum eſſe provida diſpoſitione judicium, fatentes hujus ſacroſanctæ Toletanæ Eccleſiæ ſedem Metropolitani nominis habere auctoritatem, eamque noſtris Eccleſiis & honoris anteire poteſtate & meritis.

3. Cujus quidem principatus nequaquam collationis noſtræ conniventia nuper eligitur, ſed jam dudum exiſtere antiquorum Patrum ſynodali ſententiâ declaratur; eâ dumtaxat Concilii formâ, quæ apud ſanctum Montanum Epiſcopum in eadem urbe legitur habita. Proinde ergo diſpoſitionem noſtram inſtructæ collationis definitione celebrantes, elegimus, ne quis ultrà comprovincialium ſacerdotum inani ac perverſa contentione obnitatur hujus ſacroſanctæ Eccleſiæ Toletanæ primatum contemnere: neque pervicaci ſchiſmatum ſtudio ad ſummos ſacerdotalium infularum ordines, remota hujus ſedis poteſtate, à nobis quempiam, ſicut hactenus factum eſt, provehere. Talem itaque ſpecialiter à nobis ac ſucceſſoribus noſtris deferri dignitatis honorificentiam huic Eccleſiæ pollicemur, qualem in decretis ſanctorum Conciliorum beatiſſimi Patres Metropolitanis Eccleſiis decreverunt. Hujus ergo & nos reverentiæ obſervationem fideli cuſtodiâ pollicemur: hujus honorificentiam conſervari diligenti proſpectu à ſucceſſoribus noſtris per metas ſequentium ætatum volumus. Sanè quicumque ex nobis vel ſucceſſoribus noſtris hæc ſtatuta tranſcenderit, anathema ſit Domino noſtro Jeſu Chriſto; atque culmine ſacerdotali dejectus, perpetuæ excommunicationis ſententiâ prædamnetur.

4. Facta Conſtitutio ſacerdotum in urbe Toletana, ſub die 10. Kalendarum Novembrium, anno regni primo piiſſimi atque glorioſiſſimi Gundemari Regis, Erâ a DCXLVIII. a DCCXLIX.C.4

1. Protogenes ſanctæ Eccleſiæ Segontienſis Epiſcopus, hanc decreti noſtri profeſſionem pro firmitate ſubſcripſi.
2. Theodorus ſanctæ Eccleſiæ Caſtulonenſis urbis Epiſcopus, ſubſcripſi.
3. Minitianus ſanctæ Eccleſiæ ſegobienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
4. Stephanus ſanctæ Eccleſiæ Oretanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
5. Jacobus Menteſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
6. Magnentius ſanctæ Eccleſiæ Valerienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
7. Theodoſius ſanctæ Eccleſiæ Arcavicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
8. Marinus ſanctæ Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
9. Conantius ſanctæ Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
10. Poſcarius ſanctæ Eccleſiæ Segobrienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
11. Vincentius ſanctæ Eccleſiæ Bigaſtrenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
12. Ætherius ſanctæ Eccleſiæ Baſtitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
13. Gregorius ſanctæ Eccleſiæ Oxomenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
14. Præſidius ſanctæ Eccleſiæ Complutenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
15. Sanabilis ſanctæ Eccleſiæ Elotanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

NOTÆ D. LOAISÆ.

5. TOLETANA *Synodus.*] In his duobus Toletanis Conciliis à me additis in hoc volumine numerum conſultò non poſui, ne antiquorum ordinem à Patribus & Generalibus Conciliis citatum everterem & confunderem: unde conſultiùs exiſtimavi, ea ſine ſerie ponere, ſervatâ tantùm annorum antiquitate. Erant enim aliqua Concilia in Canone poſita, alia non: priora ſunt quæ citantur certis numeris, alia ſine numeris traduntur. Unde apud

Rodericum Archiepiſcopum invenies: *Hoc Concilium eſt in Canone, hoc non eſt in Canone.*

6. *Sub Gundemaro.*] Hic fuit tertius à Reccaredo Rege optimo & ſancto, cui Luiba filius natu major Victericus, deinde Gundemarus, ſeu Gundemiros ſucceſſit Erâ DCXLVIII. Vixit in regno annos duos; in principio hanc Synodum coëgit.

7. *De Primatu, &c.*] Quænam hujus Concilii celebrandi cauſſa præceſſerit, ex Actis Concilii, nec non ex conſtitutione Gundemari Regis hoc anno edita colligitur. Cùm enim Toletanæ Eccleſiæ primatum aliqui labefacere ſtuderent, quaſi ipſa non totius Carthaginenſis, ſed tantùm Carpetaniæ provinciæ Metropolis eſſet, hac de cauſſa hoc Concilium congregari oportuit. Euphemius Toletanus Epiſcopus Concilio Toletano III. ſubſcribens, ex modeſtia ſe nominavit Metropolitanum provinciæ Carpetanię. Ne quid ergo juris Toletanę Eccleſiæ per hoc factum Euphemii decideret, hoc ſynodali & ſequente regio decreto opus erat. Hæc ex edicto Gundemari Baronius anno DCX. num. 12.

8. *Sanctum Montanum.*] Montanus Præſul Toletanus Erâ DLXV. prefuit ſecundo Concilio Toletano, ut Metropolita, in eoque ſubſcripſit.

9. *Subſcriptiones.*] Subſcriptio Toletani Epiſcopi deeſt: nam cùm de ejus primatu & auctoritate ageretur & decerneretur, non erat æquum ut ipſe ſubſcriberet; quamvis præſens adeſſet, ut in principio Concilii dicitur. Erat his temporibus Epiſcopus Toletanus Auraſios, virtute, eruditione, & vitæ ſanctitate clarus, & illibatæ Catholicæ doctrinæ acerrimus defenſor. Vixit in ſacerdotio XII. annos, regnante Victerico & Gundemaro, & initiis Siſebuti, ex S. Ildephonſo.

10. *Stephanus,*] Solus hic Epiſcopus ex omnibus hujus Concilii ſubſcribit in altero Toletano ſub Reccaredo Rege anno XII. Sedes quæ ad Carthaginenſem provinciam pertinebant, ex hoc Concilio etiam animadvertere licet: erant enim.

Segontia.	Valeria.	Bigaſtrum.
Caſtulo.	Arcavica.	Baſtitana.
Segobia.	Valentia.	Oxoma.
Oretum.	Palentia.	Complutum.
Menteſa.	Segobrica.	Elotana. *De quibus ſuprà diximus.*

Suggeſtio ſervi veſtri Seſuldi.

a De cætero autem 4. C.
b Per humilem veſtrum dominum Emilanem, 4. C.

11. MEAM extremitatem ad ſanctitatis veſtræ deduco memoriam: & ut ſæpè pro extremitate ſervi tui orare jubeas inſtanter ſuggero. a De cætero ad relatus ſanctitatis veſtræ deduco, quòd convenientia ſervorum veſtrorum fuit b pro humili veſtro domino Emiliano; ut per voluntatem Dei & veſtram in Eccleſia veſtra ſacerdotio fungatur. Et quia in ipſa diœceſi talis, nec melior invenitur; pro eo domino ſuas ſuggeſtiones miſerunt: ut ſi Deus domino aditum dederit, jubeatis venire: ut per manus veſtras & illud perficiatur, & aliud quod adhuc inſuper ſuſpenſum eſt: & deſiderantes dominum, de vultu veſtro læti efficiamur. Si verò aliter eſt veſtra præviſio, cui vultis ordinationem veſtram dirigite, qui cauſſam veſtram perficiat: & ordo veſter incolumis perſiſtat.

Alia proprii vernuli veſtri Sunilani ſuggeſtio.

c Per humilem veſtrũ dominum Emilanem.
d Ut per Dei & veſtram ordinationem.

12. Ad relatum ſanctitatis veſtræ deducimus, quòd per Dei electionem, omnes ſacerdotes veſtri, & cuncti filii Eccleſiæ in unum convenientes, requiſierunt à me c pro humili veſtro domino Emiliano: d ut prædictus veſtra ordinatione in Eccleſiam Menteſanæ civitatis Pontifex ordinetur. Et quia eum humilitas cum ſanctitate adornat, & origo generis reddit inluſtrem, ſuggero clientulus tuus, ut ſi Deus beatitudini veſtræ aditum dederit, ob reſtaurandas Eccleſias veſtras, ad veſtros uſque humillimos non dedigneris accedere: quatenus famulorum veſtrorum electio veſtris ſacris manibus compleatur: ſi tamen caſus ſæculi in aliquid excellentiæ veſtræ obviaverit, ordinare, cui juſſeritis, ex fratribus veſtris ſcribere, qui veſtra compleat juſſa, & ampliùs Eccleſia veſtra in deſolatione non permaneat. Sic Chriſti gratiam eximietas veſtra ſine fine percipiat.

Alia ſuggeſtio ſervorum Joannis, Vivendi, Ermegeldi, vel omnium ſervorum veſtrorum.

e Fortè, veſtræ beatitudini innot.

13. Per Seſuldum filium e veſtræ beatitudinis notuit, humilem veſtrum dominum Emilanem, ut ſi Deo & Domino placitum fuerit, in Eccleſiarum ordine Pontifex ordinetur: ita & nos ſervi veſtri ſuggerimus, ut ſi Deus aditum dederit domino, jubeatis eum hoc faſtigium pati, ut per manus veſtras ſit completum: ſi verò, quod abſit, aliqua occaſio ſæculi domino obviaverit, ſuggerimus, ut cui vult ſanctitas veſtra domino e veſtros noteſcat: quia perſona veſtra electionem veſtrorum impleat. Sic vitæ æternæ præmium accipiatis.

NOTÆ

NOTÆ D. LOAISÆ.

14. SUGGESTIO *ſervi veſtri Seſuldi*.] Erant in Cod. antiquo Ms. poſt hoc Concilium hæ tres ſuggeſtiones, quas libenter poſui: ſunt enim libelli ſupplices, & poſtulationes populi, vel Eccleſiæ vacantis ad Concilium, vel Metropolitanum; ut in Epiſcopatu vacanti Paſtor præficeretur: unde inquit: *Quòd convenientia ſervorum veſtrorum fuit*. Habebatque hæc commendatio maximum pondus apud Concilium in nominando Antiſtite: debebat enim eſſe poſtulatus ad honorem ſacerdotii, ex IV. Concilio Toletano cap. 19. & eligi ibidem, cum omni clericorum vel civium voluntate, ab univerſis comprovincialibus Epiſcopis.

DECRETUM

PIISSIMI ATQUE GLORIOSISSIMI PRINCIPIS NOSTRI GUNDEMARI REGIS,

ERA DCXLVIII.

Flavius Gundemarus Rex, venerabilibus Patribus noſtris Carthaginenſibus ſacerdotibus.

15. LICET Regni noſtri cura in diſponendis atque gobernandis humani generis rebus promptiſſima eſſe videatur; tunc tamen majeſtas noſtra maximè glorioſiori decoratur famâ virtutum, quum ea quæ ad divinitatis & religionis ordinem pertinent, æquitate rectiſſimi tramitis diſponuntur: ſcientes, ob hoc pietatem noſtram, non ſolùm diuturnum temporalis Imperii conſequi titulum, ſed etiam æternorum adipiſci gloriam meritorum. Nonnullam enim in diſciplinis Eccleſiaſticis, contra Canonum auctoritatem, per moras præcedentium temporum, licentiam ſibi de uſurpatione præteriti Principes fecerunt: ita ut quidam Epiſcoporum Carthaginenſis provinciæ non revereantur, contra canonicæ auctoritatis ſententiam, paſſim ac liberè, contra Metropolitanæ Eccleſiæ poteſtatem, per quaſdam fratrias & conſpirationes, inexploratæ vitæ omnes Epiſcopali officio provehi, atque hanc ipſam præfatæ Eccleſiæ dignitatem, imperii noſtri ſolio ſublimatam, contemnere; perturbantes Eccleſiaſtici ordinis veritatem, ejuſque ſedis auctoritate, quam priſca Canonum declarat ſententia, abutentes. Quod nos ultrà amodò uſque in perpetuum fieri nequaquam permittimus: ſed honorem Primatûs, juxta antiquam ſynodalis Concilii auctoritatem, per omnes Carthaginenſis provinciæ Eccleſias, Toletanæ Eccleſiæ Sedis Epiſcopum habere oſtendimus: eumque inter ſuos Coëpiſcopos, tam honoris præcellere dignitate quàm nominis: juxta quod de Metropolitanis per ſingulas provincias antiqua Canonum traditio ſanxit, & auctoritas vetus permiſit. Neque eandem Carthaginenſem provinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine, contra Patrum decreta permittimus dividendam; per quod oriatur varietas ſchiſmatum, quibus ſubvertatur Fides, & unitas ſcindatur. Sed hæc ipſa Sedes, ſicut prædictum eſt, antiqua, nominis ſui, ac noſtri cultu imperii, ita & totius provinciæ polleat Eccleſiæ dignitate, & præcellat poteſtate.

Majeſtas) Titulus Majeſtatis perantiquus eſt Regibus Hiſpaniæ.

16. Illud autem, quod jam pridem in Generali Synodo Concilii Toletani, à venerabili Euphemio Epiſcopo manûs ſubſcriptione notatum eſt, Carpetaniæ provinciæ Toletanam eſſe ſedem Metropolim, nos ejuſdem ignorantiæ ſententiam corrigimus: ſcientes procul dubio Carpetaniæ regionem non eſſe provinciam, ſed partem Carthaginenſis provinciæ, juxta quod & antiqua rerum geſtarum monumenta declarant. Ob hoc, quia una eademque provincia eſt, decernimus, ut ſicut Bætica, Luſitania, vel Tarraconenſis provincia, vel reliquæ ad regni noſtri regimina pertinentes, ſecundùm antiqua Patrum decreta ſingulos noſcuntur habere Metropolitanos; ita & Carthaginenſis provincia unum eundemque, quem priſca ſynodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes comprovinciales ſummum honoret Antiſtitem; neque quicquam contempto eodem ultrà fiat, qualia hactenus arrogantium ſacerdotum ſuperba tentavit præſumptio. Sanè per hoc auctoritatis noſtræ edictum, amodò & vivendi damus tenorem, & religionis vel innocentiæ legem; nec ultrà poſtmodòm inordinatâ licentiâ ab Epiſcopis ſimilia fieri patimur: ſed per noſtram clementiam præteritæ negligentiæ, pietatis intuitu, & veniam damus, & indulgentiæ opem concedimus; & dum ſit magna culpa hactenus deliquiſſe, majoris tamen, ac inexpiabilis cenſura tenebit obnoxios, qui hoc noſtrum decretum, ex auctoritate priſcorum Patrum veniens, temerario auſu violare tentaverint, nec ultrà veniam delicti faciemus admiſſi, adempti, ſi dehinc honorem ejuſdem Eccleſiæ quilibet Carthaginenſium ſacerdo-

In Concilio Toletano III. ubi ſubſcribit Euphemius inter Metropolitanos.

tum contempſerit; ſubiturus proculdubio inobediens tam degradationis vel excommunicationis Eccleſiaſticæ ſententiam, quàm etiam noſtræ ſeveritatis cenſuram. Nos enim talia in divinis Eccleſiis diſponentes, credimus fideliter regnum imperii noſtri ita divino gubernaculo regi, ſicut & nos cultum ordinis, zelo juſtitiæ accenſi, & corrigere ſtudemus, & in perpetuum perſeverare diſponimus.

17. Flavius Gondemarus Rex, hujus edicti conſtitutionem pro confirmatione honoris ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, propria manu ſubſcripſi.

1. Ego Iſidorus Hiſpalenſis Eccleſiæ provinciæ Bæticæ Metropolitanus Epiſcopus, dum in urbem Toletanam pro occurſo regio advenissem, agnitis his conſtitutionibus adſenſum præbui, atque ſubſcripſi.

2. Ego Innocentius Emeritenſis provinciæ Luſitaniæ Metropolitanus Epiſcopus, dum in orbem Toletanam pro occurſu Regio advenissem, agnitis his conſtitutionibus adſenſum præbui, & ſubſcripſi.

3. Ego Euſebius Tarraconenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
4. Ego Sergius Narbonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
5. Ego Joannes Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
6. Ego Ilergius Egarenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
7. Ego Licerius Eccleſiæ Egeditanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
8. Ego Maximus Eccleſiæ Cæſaraguſtanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
9. Ego Mumius Eccleſiæ Calagurritanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
10. Ego Fluridius Eccleſiæ Tyraſſonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
11. Ego Elias Eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
12. Ego Goma Eccleſiæ Olyſſipponenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
13. Ego Fulgentius Eccleſiæ Aſtigitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
14. Ego Emila Eccleſiæ Barcinonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
15. Ego Theudorus Eccleſiæ Auſaſinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
16. Ego Joannes Pampilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
17. Ego Beniamin Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
18. Ego Agapius Tuccitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
19. Ego Gundemarus Eccleſiæ Veſeenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
20. Ego Argebertus Portucalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
21. Ego Teveriſtus Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
22. Ego Vitulatios Eccleſiæ Laverricenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
23. Ego Leontianus Eccleſiæ Lotobenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
24. Ego Piſinus Eccleſiæ Eliberritanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
25. Ego Juſtinianus Eccleſiæ Abelenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
26. Ego Venerius Eccleſiæ Caſtulonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

NOTÆ D. LOAISÆ.

18. FRATRIAS.] Fratriæ apud Ariſtotelem in *Politicis*, dicuntur hominum conventus, propria & peculiaria ſibi ſacra colentium: ii enim homines communi puteo utebantur, quod Græcè dicitur φρέαρ. Hæc Budæus ad tit. *De officio quæſt.* Inde fraternitates pro Collegiis chriſtianorum apud Cyprianum, Hieronymum, Tertull. lib. *De velandis virginibus*, & lib. *Ad Martyres*. Quandoque etiam pro conjuratione & ſodalitate factioſa uſurpatur; ut in Concilio Chalced. Can. XVIII. & XI. quæſt. 1. cap. *Conjurationum*.

De ſubſcriptionibus.

19. Subſcribunt in hoc Decreto Gundemarus Rex, Iſidorus Hiſpalenſis, Innocentius Emeritenſis, qui ſucceſſit Maſonæ; Euſebius Tarraconenſis, qui Aſiatico; Sergius Narbonenſis, qui ſucceſſit Migetio, in tertio Toletano; Joannes Gerundenſis, Ilergius Egarenſis, in Barcinonenſi; Egeditanæ Licerius, in Toletano, Era DCXXXV. Maximus Cæſaraguſtanæ in Barcinonenſi; Mumius Calagurritanæ, in tertio Toletano, & Cæſaraguſtano ſecundo, & Barcinonenſi; Fluridius Tyraſſonenſis, Elias Caurienſis, Goma Olyſſiponenſis, Fulgentius Aſtigitanæ, frater Leandri & Iſidori, ex genere regio, ſapientia & ſanctitate clariores; Emila Barcinonenſis, qui Ugnos Theudorus Auſeſinæ, qui Aquilino; Joannes Pampilonenſis, Beniamin Dumienſis, Agapius Tuccitanæ, Gundemarus Veſeenſis, Argebertus Portucalenſis, in tertio Toletano; Teveriſtus Salmanticenſis, Vitulatius Laverricenſis, Leontius Lutobenſis, Piſinus Eliberritanæ, qui Baddo; Juſtinianus Abelenſis, Venerius Caſtulonenſis, qui ſucceſſit Theodoro.

20. In his duobus decretis Reccaredi & Gondemari, opportunus ſe offert locus de Primatu Eccleſiæ Toletanæ in Hiſpania & Gallia Narbonenſi differendi: de qua re, dum Toleti agerem, ſequentem Commentarium feci.

TRACTATUS

CLARISS. V. D. GARSIÆ LOAISÆ

De Primatu Eccleſiæ Toletanæ.

21. QUI accuratiùs Eccleſiæ Toletanæ Primatum proſequuti ſunt, Romæ à Divo Petro Apoſtolorum Principe, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ Pontifice, ſummoque ſacerdote inſtitutum ortumque affirmant. [a] Nam cùm primùm Petrus in urbem venit, ibique cœleſtis vitæ ſemina fundamentaque jecit, Dionyſium in Galliam, Eugenium in Hiſpaniam miſit, viros doctrinâ & ſapientiâ excellentes, qui Paullum ex Græcia fuerant ſequuti; eoſque Primates in prima provinciarum diviſione inſtituit, ut faciliùs & ardentiùs muneri Apoſtolico incumberent.

[a] Rodericus Archiepiſcopus Tolet. in defenſione Primatiæ in Concil. Lateranenſi: eſt etiam diviſio provinciarum facta ab Apoſtolis, ut cõſtat ex Anacleto PP. & habetur d. 99. cap. *Provinciæ*, & apud Ivonem 5. par. cap. 35.

§. I.

22. Factam autem fuiſſe ab Apoſtolis totius Orbis & provinciarum partitionem, ad Evangelii faciliorem propagationem, teſtatur Anacletus Pont. Max. ad Epiſcopos Italiæ, his verbis: *Provinciæ* (inquit) *multo ante Chriſti adventum tempore diviſæ ſunt maxima ex parte: poſtea ab Apoſtolis, & B. Clemente, prædeceſſore noſtro, ipſa diviſio eſt renovata: & in capite provinciarum, ubi dudum Primates legis ſæculi erant, ac prima judiciaria poteſtas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis neceſſe erat, qui ad aulam Imperatoris vel Regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus vel injuſtitiis ſuis, ipſoſque appellabant quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat: ipſis quoque in civitatibus vel locis noſtris Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licèt diverſa ſint nomina, leges divinæ & Eccleſiaſticæ poni & eſſe juſſerunt: ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, confugerent, eoſque appellarent: & ipſi Primatum nomine fruerentur, & non alii. Reliquæ verò Metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant (licèt majores Comitibus eſſent) haberent Metropolitanos ſuos, qui prædictis juſtè obedirent Primatibus: ſicut in legibus ſæculi olim ordinatum erat; qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerentur.* Hæc Anacletus. Quam ſententiam libenter poſui, ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Primatis diſcrimen, diſcrepanteſque functiones intelligas ab Apoſtolis acceptas, diſtinctaſque. Idem enim teſtatur Anicetus Papa ad Epiſcopos Galliæ. *Nulli* [b] (inquit) *Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi qui primas tenent civitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli, & ſucceſſores Apoſtolorum, regulariter Patriarchas & Primates eſſe conſtituerunt.*

[b] 99. *Diſt.* Nulli Archiep. *& in Decretis Stephani I.* apud Ivon. lib. 4.

23. Eugenius igitur ut in Hiſpaniam venit, elegit primam & præclaram ejus regionis urbem, in qua cultum religionis Chriſtianæ collocaret, [c] in medio totius provinciæ ſitam; à qua velut à corde, ſpiritus vitalis & ſanguis Chriſti in totum corpus diffunderetur, & membra cœleſti pabulo augerentur; indeque ſummi conſilii gubernatio in reliquas civitates faciliùs propagari effundique poſſet. Nam Anacletus Pontifex ad Epiſcopos Galliæ, in capite provinciarum eſſe Primates collocandos, ex decreto Apoſtolorum decrevit; & vocem Primatis à primis ſedibus uſurpatam arbitratur: & ita ſupremum & altum cœleſteque munus in ſuprema & prima inſtituit civitate, & jura cœleſtia in eo hominum conventu, qui jure & libertate inter alios eminet Hiſpaniæ populos, collocavit.

[c] Nam in capite provinciarum ponebantur Primates ex decreto Apoſtolorum, ex Anacleto in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, & habetur diſt. 99. cap. *Provinciæ*: & ubi erat primò judiciaria poteſtas ibidem: & Anicetus PP. inquit *Illi Primates vocentur, qui primas tenent Sedes*, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & habetur d. 99. cap. *Nulli*.

24. Hic ſanctus vir, verè homo Dei, primus Eccleſiæ Toletanæ Præſul fuit, totiuſque Hiſpaniæ Primas. A quo fonte ampliſſimi doctrinarum rivuli deducti, uberrimum pietatis incrementum reddiderunt. Is enim Eccleſiam, quam plantaverat, ſtudioſiuſque regeneratione ſacroſancta baptiſmatis genuerat, ſanguine proprio fuſo rigavit & auxit. Nam poſtquam gentem Toletanam convertit ad Chriſtum, & fonte baptiſmatis, & Fidei ſacramentis, & doctrinâ imbuit, ad Dionyſium prædicationis gratiâ revertens, in territorio Pariſienſi, in perſecutione ſæva Domitiani, conſummato martyrii curſu, coronam beatæ paſſionis glorioſè à Domino accepit. Corpus ejus poſtea ſub Philippo II. Rege clementiſſimo fuit Toletum translatum: ibique magna populi veneratione & pietate colitur. Eugenio vitâ functo, ſacerdotii dignitas in [a] Melanthium derivatur. Et inde perpetua quædam Præſulum ſucceſſio ſtirpem Primatus in milleſimum quingenteſimum & nonageſimum annum produxit, hoc ordine, ut ex Annalibus Eccleſiæ Tolet. accepimus. S. Eugenius, Melanthius, Pelagius, Patruinus, Toribius, Quintius, Vincentius, Paullatus, Natalios, Olympius, Audentius, Aſturius, Iſicius, Majorinus, Caſtinus, Campejus, Sintitius, Palmatius, Petrus I. Celſus, Montanus, Julianus I. Bacaudus, Petrus II. Euphemius, Exuperius, Adelphius, Auraſius, Helladius, Juſtus, Eugenius II. Eugenius III. Sanctus Ildephonſus, Quiriacus, S. Julianus II. Sigebertus, Felix, Guntericus, Sinderedus, Urbanus: quo Pontifice Toletum à Sarracenis oppugnatum, dolo captum eſt. Quibus imperantibus, dum miſera ſervitute oppreſſa civitas tenetur, hoc ordine ſequuti ſunt: Cixilla, Petrus Pulcher, Sunicredus, Concordius, Elipandus, Weſtremirus, S. Eulogius electus, martyr, Gumeſindus, Bonitus, Joannes. Re-

[a] Ex Conc. Eliberit. in ſubſcriptionibus.

ſtitutâ

ſtitutâ deinde urbe in priſtinam Chriſtianæ religionis dignitatem, Primatus Bernardo datus eſt. Quem ſubſequuti ſunt Raymundus, Joannes, Zerebrunus, Gundiſalvus I. Petrus Cardona, Martinus, Rodericus, Joannes II. Gutierus II. Sanctius Infans, Paſchalis, Sanctius II. Infans, Gundiſalvus II. S. R. E. Cardinalis, Joannes Aragoniæ Infans III. Rodericus Ximenius, Gundiſalvus III. Gunterius III. Gilius de Albornoz Card. Vaſcus de Toledo, Gometius Manrichius, Petrus Tenorius, Petrus de Luna, Sanctius de Rojas III. Joannes de Contreras III. Joannes de Cerezuela IV. Gutierius de Toledo, Ildephonſus Carillo, Petrus Gonzalez Mendoza Cardinalis, Franciſcus Ximenius Cardinalis, Guillelmus de Croy Cardinalis, Ildephonſus de Fonſeca, Joannes Tavera Cardinalis V. Joannes Martinus Siliceus Cardinalis VI. Bartholomæus Carranza, Gaſpar Quiroga Cardinalis. In hac verò longa ſacerdotum ſerie non ſimilis dignitatis ſplendor atque felicitas fuit. Nam Romanorum Imperio, à Nerone uſque ad Conſtantinum Magnum, ejus amplificatio, [a] perſecutione fervente, nequiſſimi temporis calamitate oppreſſa, radices potiùs egit, quàm trunco, ramis, & foliis in altum dilatata in hominum conſpectu creſceret. At poſt divinæ memoriæ Magni Conſtantini baptiſmum, poſtquam veritatis lux menti ejus infulſit, & propulſatis tenebris, lumen clariſſimum doctrinæ & cœleſtis conſilii, mundo univerſo refragante, gentibus luxit, officia Primatûs, quæ parum antea ſplendoris dederant, uſque ad Gotthicæ gentis in Hiſpaniam adventum, magnum nitoris ac dignitatis ornamentum Chriſtianis hominibus attulerunt: quamvis Gotthorum & Romanorum inteſtinum de Imperio bellum, & Ariana Priſcillianaque hæreſis religionis incrementum debilitavit atque impedivit; quouſque ſanctiſſimus Rex Reccaredus, abjurata & exſtirpata in tota Hiſpania hæreſi Ariana, removit omnia quæ impedimentum poterant afferre ad Fidem augendam & amplificandam. Tandem Rodericus Rex turpis & effœminatus, uno prœlio à Sarracenis miſerè dejectus & victus, regiam & Eccleſiaſticam majeſtatem funditus evertit. Gens enim arrogans, victoriiſque ſuperba, ſine cultu veræ religionis, barbaricâ inſolentiâ fervens, inhumanè cuncta vaſtavit, civitates ſuccendit & templa; Pontifices, ſacerdotes ſine delectu trucidati, corpora Sanctorum ſecundo igni & gladio tradita, virgines, & matronæ ludibrio expoſitæ; ferum tandem & funeſtum ſpectaculum Hiſpania toti Orbi fuit. Imperialis etiam regiaque civitas, quæ libertate & jure Imperiali florebat, in oppreſſionem ſervitutemque immanem data, per trecentos, & ſeptuaginta octo annos miſerè, velut in ergaſtulo ſuccubuit. Quo tempore non tantùm Primatûs amplitudine, verùm Metropolis ſplendore ſpoliata, informem quandam dignitatem ſuſtinuit: ita ut caput totius cleri, & ſex parœciarum Chriſtianorum, qui cum Arabibus miſti vitam in ſervitute degebant, ſacerdos ſimplex eſſet: indeque Mixt-arabi appellati. Summa ergo illa auctoritas coarctata & imminuta, veluti terra inculta & ſylveſtris horridaque, noxiam & veneficam illam Elipandi [b] plantam produxit, quæ juſtè eradicata, ſummorumque virorum ſcriptis tanquam falce præciſa, radices non egit.

[a] De perſequutionibus Eccleſiæ Ang. lib. 8. *De civitate Dei*, cap. 52. & Paull. Oroſius lib. 7. cap. 7.

[b] Hæreſin Elipandi primò refutavit Etherius Epiſcopus Oxom. & Beatus presbyter Hiſpanus, & Jonas Epiſcopus Aurel. poſtea Conc. Francfort. eam damnavit.

25. At divina hæc Chriſtianæ religionis lux, quæ tot annos extincta penè fuerat, emicuit iterum quando Ildephonſus ſextus Rex, cœleſti adjuvante numine, Sarracenos profligavit, urbemque expugnavit, & reducto in eam divino cultu, Primatum reſtituit, & ut erat in more Gotthorum tempore, Pontificem deſignavit. Nam expiato templo, quod impia Sarracenorum ſuperſtitione, & exſecrando ritu fuerat inquinatum, Bernardum præfecit. Is enim poſt hanc temporis inſtaurationem primus Pontifex creatus fuit: à quo continua Pontificum ſeries uſque ad noſtra tempora derivata eſt.

26. Perſequar ergo hujus Primatûs hiſtoriam, quæ quatuor rerum viciſſitudinibus, quas Eccleſia Toletana Hiſpaniarum Primas experta eſt, continetur; & quam in his commutationibus retinuerit dignitatem, ut ex antiquis Annalibus potui colligere, aperiam; ut prudens lector intelligat, inanes fuiſſe noſtrorum hominum cogitationes, & effrænatam audaciam eorum qui adducti cupiditate dominandi, ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ jus Primatûs negant, & in ejus majeſtatem diplomatibus & privilegiis ſummorum Pontificum & Regum tam longa annorum ſerie ſtabilitam, variè invehuntur. Qui Primatûs titulus à ſanctiſſimis illis priſcis viris egregiiſque Pontificibus tanti ſemper habitus fuit, ut ad ejus auctoritatem retinendam & conſervandam, ſumptui & labori non parcerent, ſolerentque potiùs de ea, quàm de Archiepiſcopatûs jure gloriari; cujus defendendæ aut augendæ ergô, coram Romano Pontifice per ſe ipſos cauſſam egerunt.

§. II.

27. Sanctus Eugenius primam Eccleſiaſticæ dignitatis ſedem Toleti collocavit: quo jacto fundamento ſuperædificari cœptum eſt: eoque Eccleſiæ Toletanæ auctoritatis culmen pervenit, ut ſecundum à Romana Sede, quæ caput & magiſtra totius Catholicæ religionis eſt, videatur locum obtinere. Templum verò, in quo primò litatum Deo Chriſto eſt, dum ſanctiſſimus vixit Eugenius, non ædificii pulchritudine operiſque magnificentiâ floruit, ſed miniſtrorum ſanctitate & excellentiâ; in quibus conſcientiæ puritas, ingens deſiderium propagandæ Euangelicæ veritatis vigebat, adeò ut eo tempore ceſſaverit Primatus in coërcendo Actio, Epiſcopique munus fuerit in puniendo veluti otioſum. Quippe cùm ea eſſet vivendi conſtituta ratio, tam incorrupti omnium & inculpati mores, ut nihil eſſet quod Eccleſiaſticâ deberet poteſtate coërceri, falceve amputari: immo nec ullū erat inter Eccleſias commercium; cuncta namque in anguſtias maximas inſanus ſæviendi in Chriſtianos furor adduxerat: qui innoxio, & religioſo, ſanctoque ſanguine effuſo, Chriſtianam religionem radicitùs exſtirpare conabatur. Quicumque tamen in Hiſpania fuerunt illis temporibus, Epiſcopi omnes, & reliqui Chriſtiani, Toletanum

num templum ab Eugenio ædificatum, velut omnium caput venerati ſunt. Cujus fundamenta, licèt parva, ibi tamen ſunt jacta, ubi nunc eſt pulcherrimè magnificeque inſtructum. Sed in illa adhuc humilitate, hodiernæ altitudinis & magnificentiæ certa ſigna apparuerunt, conſpicuumque fuit multis argumentis, quàm grata Deo eſſent in eo templo oblata ſacrificia. Præterea omnium civitatum Epiſcopi, templi Toletani Antiſtitem, veluti unicum [a] Metropolitanum ſuſpiciebant. Cùm enim adhuc non eſſet provinciarum Hiſpaniæ ſingularis facta diſtributio, omnis auctoritas, & Patriarchalis Metropolitanaque juriſdictio ad unicam Sedem Toletanam referebatur. Quam formam & ſpeciem Eccleſia Hiſpanica uſque ad Magnum Imperatorem Conſtantinum retinuit: cujus tempeſtate ſummam religio Chriſtiana tranquillitatem & pacem aſſequuta, longè lateque diffuſa eſt. Dilatatis verò Chriſtianæ religionis finibus, ſubſequitur provinciarum [b] diſtributio, in quinque Metropolitanas Eccleſias, Carthaginenſem, Bæticam, Luſitanam, Tarraconenſem, & Gallæciam, quæ Bracarenſis eſt. Sed primaria ſuper his ſedibus auctoritas Carthaginenſi provinciæ, quæ Toletana Eccleſia eſt, ſemper delata fuit. Athanaricus Gotthorum Rex, qui primus omnium [c] anno quinto Imperii [d] Valentis in Hiſpania dominari cœpit, Eccleſiæ ordinem in quinque Metropolitas diſtinctum reperit: quas hîc expugnavit provincias, & impia Arianorum hæreſi, quam Valentis Imperatoris operâ didicerat, infecit. Ad hæc, cùm eſſent aſſidua dimicatione à Romanis Gotthi laceſſiti, eſſetque incertus belli exitus, pax, qua religionis cultus & morum integritas continetur, omnino turbata ſublataque eſt. Immo & Epiſcopi regiâ potentiâ timidi, eorum gratiam adulatione & mendaci aſſentatione aucupantes, omnia ad voluntatem, nihil ad veritatem audentes loqui, ut canes muti, ſectas & hæreſes impias animo & ſermone ſequebantur. At Gotthi poſtquam ſecundis uſi prœliis Romanam potentiam fregiſſent, provinciam univerſam, Ataulpho regnante, inter ſe partiti ſunt. Alanis Carthaginenſis, Luſitanaque Wandalis, qui etiam Silingui dicuntur, Bætica contigit Suevis, & Wandalis nonnullis Gallæcia: Celtiberia verò, quæ Tarraconenſis eſt, in Romanorum ditione permanente.

28. Sæculari Hiſpaniæ Imperio in provincias hac ratione veluti in partes ſciſſo, ſimili partitioni Eccleſiaſticus ordo ſubjacuit. Nam unuſquiſque Rex in regni ſui nobiliori urbe Primatûs & Metropolitæ ornamentum erigendum, ad Imperii ſæcularis auctoritatem retinendam, utile judicabat. Præterea ut ſumma Pontificis auctoritate ſuffulta hæreſis, quam ſequebantur, altiùs fixa hominum mentibus inhæreret, latiſſimeque nullo alio judice propagaretur. A Wandalis ergo Hiſpalis, Bæticæ caput, Primatûs nomine decoratur, ab Alanis in Carthaginenſi provincia Toletum, Tarraco à Romanis, Bracara & Luco à Suevis.

29. Primatus igitur Toletani curſum ab Eugenio uſque ad Athanaricum Gotthorum Regem, trecentis & ſexaginta novem annis à Chriſti Domini Paſſione comprehenſum, utcumque narravimus. Quo tempore [e] Eliberitana Synodus celebrata eſt ſub Conſtantino Magno: qui poſt baptiſmum Eccleſiæ patrocinium ardenter ſuſceperat. Concilium hoc Nationale fuit, cui Melanthius Toletanus Epiſcopus interfuiſſe creditur: qui tamen in ſerie Archiepiſcoporum ſuprà januam ſacrarii Toletani inſcriptus non refertur. Ex [f] quo apertè efficitur, inter Eugenium & Pelagium quoſdam alios Antiſtites hujus ſedis gubernacula tot annorum intervallo rexiſſe.

[a] Ex antiquo jure in una provincia non poterant eſſe duo Metropolitani. Ex Conc. Chalcedonen. Can. XII & apud Ivonem 5. part. cap. 146.

[b] De hac diviſione exſtat in Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ proceſſus quidam factus in lite ordinationis Eccleſiæ Valentinæ, ubi dicitur ex ſententia Ruffi, & Abi Capaza, temporibus Conſtantini Magni fuiſſe Hiſpaniam in quinque provincias & Metropoles diſtinctam: Id Joannes Gerundẽſis in Cõcil. Eliberitan. fuiſſe factum exiſtimat lib. 2. Paralip. in diviſione Hiſpaniæ, ex ſententia Apii, quamvis nos hanc diviſionem, ſine auctoritate poſitam exiſtimavimus ſuprà.

[c] Era CDVII.

[d] Roderic. in Chron. lib. 2. cap. 1.

[e] Era CCCLXII.

[f] In Topographia Sanctorum ponitur Honoratus in dictione.

§. III.

30. Progreſſus Toletani Primatus ab Athanarico uſque ad Rodericum ultimum Gotthorum Regem continenter pervenit. Cùm primùm enim Reges Gotthi in Hiſpaniam irruerent, ſæcularis principatus tranquillitate & otio, quo fruebantur Romani, perturbato, Eccleſiaſticus etiam ordo unà immutatus eſt, & magnas ſubivit calamitates & infortunia; unde plures provinciæ Eccleſias ſuas primas Primatûs auctoritate extulerunt. Conatus tamen iſte tanquam violentus diu permanere non potuit, [g] Nam poſtquam Leovigildus Rex totius Hiſpaniæ atque Narbonenſis Galliæ principatum pacificè tenuit, Eccleſia etiam Hiſpanica ad unitatem reducta, incredibiles dignitatis & gloriæ progreſſus fecit; priùs enim res univerſæ Hiſpaniæ militari furore, ferro, & flamma, impiiſque Arii & Priſcilliani hæreſibus perturbatæ, atque ferè penitùs fuerant everſæ. Et licèt nonnulla ea tempeſtate eſſent celebrata Concilia, tamen abſque ea majeſtate qua agi deinceps conſueverunt. Primò namque Toletana Synodus adversùs Priſcillianum Toleti coacta eſt, imperantibus Arcadio & Honorio, & Toletanam Eccleſiam regente Patruino, qui ordine quartus numeratur Archiepiſcopus. Poſt hanc Synodum inter Romanos & Gotthos maximi bellorum impetus excitantur; nonnunquam tamen de Eccleſiaſtica dignitate ſtabilienda atque reſtauranda agebatur: eaque de cauſſâ peculiaria quædam Concilia coacta ſunt, nimirum Tarraconenſe, Ilerdenſe, Valentinum, Gerundenſe, & Cæſarauguſtanum. Similiter in Bætica quædam alia ſunt celebrata; ex quibus quæ nunc habentur edita, ſive manuſcripta, nullius Toletani Præſulis ſubſcriptione conſignantur. Nam ſpiritalis Præſulum congreſſus impediebatur aſſiduis bellorum motibus, quibus de regno certantes Principes agitabantur. In Concilio [h] Tarraconenſi impreſſo hæc eſt appenſa ſubſcriptio: *Epiſcopus Carthaginenſis Metropolitanus*; licèt in Codicibus Mss. literis Longobardis, qui aſſervantur in Bibliotheca Toletana & D. Laurentii, ſubſcribat Hector Epiſcopus Carthaginenſis Metropolis. Unde quidam docti ſuſpicantur, hunc Hectorem urbis Carthaginis Epiſcopum Metropolitanum fuiſſe, cùm ea civitas provinciæ Tarraconenſis Primatum illis temporibus obtineret; idque eâ ſibi ratione perſuadent, quòd Hectoris appellatio inter nomina Toletanorum Præſulum ſculpta in ſacrario minimè reperiatur. Ego verò Magiſtri Alvari Gometii [i] viri doctiſſimi

[g] Rodericus lib. 2. cap. 14. Era DCX. & Joannes Magnus lib. 16. cap. 19. Nam antè diram perſequutionem movit adversùs Chriſtianos, ex Roderic. lib. 2. cap. 4. & D. Greg. lib. 3. *Dialogor*, cap. 31. Sed poſtea ſignis & miraculis Martyris Hermenegildi filii commotus animo, ſecretè hæreſio revocavit.

[h] Conc. Tarraconenſe celebratum fuit Era DLIV. ſub Theoderico Rege, & Joanne Epiſc. & habet magnam auctoritatẽ: nam ferè totum in *Collectione Decretor*. Gretiani ponitur.

[i] In vita Eugenii Martyris primi Præſulis Toletani.

(quem

(quem honoris cauſsâ nomino, propter intimam mihi cum eo viro amicitiam cùm Toleti agerem) auctoritate in contrariam ſententiam adducor. Cujus hiſtoriam de Archiepiſcopis Toletanis nondum editam, in hoc de eorum Primatu brevi Commentario ſequi decrevi, & D. Iſidori, qui Carthaginem etiam illis temporibus funditus à Gotthis, in Romanorum odium, everſam affirmat.

31. Secunda [c] Toletana Synodus, Amalarico Gottho regnante, aſſiduiſque jam bellorum tumultibus inter Romanos & Gotthos nonnihil pacatis, coacta eſt; cùm jam centeſimus & triceſimus quintus annus à primo Concilio Toletano verteretur. Neque celeriùs potuit Concilium Toleti celebrari. Cùm enim inter Romanos & Gotthos de pulcherrimæ provinciæ Carpetanæ, cujus caput Toletum erat, dominio ageretur, civitas illa armis aſſuefacta, ac de religionis incremento parum ſolicita, omnem curam & ſtudium ad imperii fines tuendos & propagandos contulerat. Amalaricus tandem Rex Concilium convocari juſſit: cui [d] Montanus undeviceſimus Præſul, admirandæ ſanctitatis vir, & ſingularis doctrinæ, miraculis clarus ac conſpicuus, interfuit. Deinde verò Romanis ſuperatis, de pace & otio conſtituendo decernitur; quo Gotthorum Imperium ita eſt auctum, ut multorum partito dominatu, ad unius tandem poteſtatem pervenerit. Inde illa ſanctitatis & ſapientiæ lumina excitata, nimirum Leander, Iſidorus, & Fulgentius, qui omnem ſuam operam & induſtriam ad extinguendam exſtirpandamque Arianam, validam hæreſin, adhibuerunt. Ad [e] quam etiam funditus avertendam, inclytum Hermenegildi martyrium, cujus profuſus ſanguis ſemper clamabat, vehementer profuiſſe credendum eſt; & ut eleganter ſcripſit vir pius de ſceleribus adversùs Chriſtianos avitam & Catholicam pietatem ſervantes perpetratis,

Felices animæ, quorum per funera, Chriſti
Creſcit Evangelium: veſter pro ſemine ſacro
Eſt cruor; ille piis inoleſcit mentibus ultrò:
Et quantò magis innocuus profunditur uſquam
Sanguis, eò vernat magis, augeſcitque premenda
Sancta Fides, viresque novas calcata reſumit.

c Era DLXV. in Codicibus Mss. Era DLXII. an. quinto Amalarici Regis.

d De Montano Toletano Antiſtite ſcribit Ildephonſus in *Ad Yſiionib. virorum illuſtrium* Iſidori.

e Greg. eſt auctor lib. 3. *Dial.* cap. 31. & Iſidor. *De viris illuſtribus*: & de Hermenegildo id tradit D. Greg. eodem lib. cap. 1. & Greg. Turon.

32. Tandem magnorum virorum ſupplicationibus aſſiduiſque precibus divina iracundia & in mortales juſtè concepta indignatio, placata eſt, eaque mens Spiritus ſancti magiſterio univerſo populo injecta, ut abnegatis impiis erroribus, veritatem Catholicam profiteretur, & ex animo amplecteretur.

§. IV.

33. Octavo deinde anno regni Reccaredi, qui etiam fuit octavus Imperii Mauritii, cùm Toletanæ ſedi præeſſet Euphemius, vir pietate celebris, [a] III. Toleti Concil. Nationale celebratum eſt; adſtantibus omnibus Metropolitanis Epiſcopis primæ ſedis, & aliis totius Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis, populoque omni Gotthorum, licèt in ea hiſtoria, quam Rodericus Toletanus edidit [b], non Euphemius, ſed Elladius corruptè legatur. In eo Arianam hæreſin, quam per CCXIII. annos pertinaciter & obſtinatè defenderant, Gotthi omnes deteſtati ſunt. Huic [c] Synodo Leandrum Hiſpalenſem Archiepiſcopum Sedis Apoſtolicæ legatione functum, præfuiſſe, non abſque ratione docti aſſerunt. Nam licèt Toletum regiæ civitatis nomine ornaretur, & Gotthorum Imperii caput eſſet, in eaque Regis curia, & ſupremus Senatus, conventuſque juridicus eſſet conſtitutus, diſtributio munerum, & magiſtratuum ſæcularium & Eccleſiaſticorum, hæcque in omni re tam ſancta quàm profana ſummam teneret auctoritatem; erat tamen rationi maximè conſonum, ut ſanctiſſimus Leander ſanguinis propinquitate cum Rege conjunctiſſimus, cujus avunculus erat qui ſplendorem generis, & nobilitatis gloriam, admirabilis vitæ ſanctimonia doctrinæque præſtantia illuſtraverat primas in Hiſpania partes, ſingulari ſummi Pontificis conceſſione, inter Præſules ageret. His [d] enim animi dotibus & virtutibus egregiis gratiſſimum ſe Romanis Pontificibus præſtiterat, atque digniſſimum qui hoc maximo munere, aliiſque majoribus in dies ſingulos augeretur. In quam ſententiam libenter ingredior, etiam propter homiliam quæ in calce prædicti Concilii affixa eſt: ubi nomine totius Concilii S. Leander, tanquam ejus caput & Præſes, ingentes gratias Deo agit, qui gentem Gotthicam veritati repugnantem, in ſui nominis cognitionem adduxerit. Iiſdem prorſus rationibus S. Iſidorus, Leandri frater, [e] ſucceſſor hujus dignitatis fuit. Ab hoc igitur tempore Gotthi omnes Catholicis documentis informati, cœleſti pace, otioque diutino perfrui cœperunt. Unde effectum eſt, ut candidi & ſinceri mores Chriſtianæ religionis, aptiores animos, purioreſque mentes ad divinas humanaſque artes addiſcendas redderent. Celebrato Toleti hoc III. Concilio, quantus pietatis fervor & ſanctitatis amor continuò ſubſequutus ſit, vel inde licet conjectari, quòd brevi temporis ſpatio plura ſint Toleti aggregata Concilia, quæ ſatis apertè Toletanæ ſedis majeſtatem auctoritatemque indicant & exprimunt. Quippe quæ veluti mater filiorum incolumitati diligenter providebat, & tanquam omnium aliarum magiſtra, in univerſa Gotthorum ditione & Imperio divinum cultum, Eccleſiaſticos ritus, & reliqua omnia quæ ad componendos hominum mores, & ſummi Dei honorem in debito officio retinendum pertinent, ſedulò docebat. Id verò apparebit manifeſtiùs, ſi ſingula repetamus Concilia. [a] Quarto namque præfuit [b] Juſtus Primas Toletanus, in re monaſtica S. Helladii diſcipulus, & dignitatis ſucceſſor. Non deſunt qui affirment Iſidorum Apoſtolicæ Sedis legationem in hoc Concilio obiiſſe, eidemque præfuiſſe.

34. Primo deinde anno regni Cinthilæ [c] Regis quinta Synodus Toletana cogitur, in qua Eugenius II. Helladii etiam diſcipulus, primum locum & ſummam tenuit poteſtatem. Interfuit etiam huic

a Era DCXXVII.

b Lib. 2. cap. 15.

c De hac abjuratione extat Epiſt. Gregor. Magni ad Reccaredum Regem lib. 7. Regiſt. 127.

d Ut ex epiſtolis Greg. Magn. liquet lib. 1. *Regiſt.* epiſtola 41. & lib. 4. epiſt. 50. & lib. 7. epiſt. 125. & 126. ad Leandrum & Reccaredum Regem & vocat eum Epiſcopum Hiſpaniarum, eò quòd toti Hiſpaniæ præeſſet.

e Id affirmat S. Ildephonſus in *Additione ad Chron. Iſidor.* in *Præfatione*, & ideo vocatur à Braulione Epiſcopor. ſumm. in epiſtol. lib. 1. *Etymol.*

a Era DCLXXI. ſub Rege Siſenando.

b De Juſto vide Ildephonſum *De viris illuſtribus*.

c Era DCLXXIV. anno primo Cinthilæ Regis.

huic Concilio Braulius Cæſarauguſtanus cum magna ſui nominis gloria & celebritate. Hujus Eugenii temporibus, regnanto Cindaſvintho, [d] ſextum [e] ſeptimumque Concilium actum eſt. Hic enim Rex Leandro & Iſidoro vitâ functis, Apoſtolicæ Sedis auctoritate Primatûs dignitatem Eccleſiæ Toletanæ iterum reſtituit. Unde in ſeptimo Concilio ſancitum [f] eſt ut pro reverentia ac regiæ ſedis honore, vel Metropolitanæ civitatis ipſius conſolatione, convicini Toletanæ ſedis Epiſcopi, juxta quod ejuſdem Pontificis admonitionem acceperint, ſingulis per annum menſibus in eadem urbe debeant commorari. [g] Quæ ſanctio ita eſt ſingularis, ut nulla Metropolis eâ utatur apud Hiſpanos. Marianus, Societatis Jeſu, doctiſſimus Theologus, & diligens & elegans rerum Hiſpanic. ſcriptor, lib. 6. *De rebus Hiſp.* ait ſe auctorem habere in quo ſcriptum eſt, in hoc VII. Concilio controverſiam de Primatu inter Toletanam & Hiſpalenſem Eccleſiam exortam, fuiſſe compoſitam.

35. Celebrantur deinde alia Concilia, regni poteſtate Receſvintho à Gotthis tradita, octavum nempe, nonum, & decimum, quibus is qui D. Ildephonſum Eugenius III. anteceſſit, præfuiſſe ſcribitur. Hiſce verò temporibus Primatûs auctoritatem Toletana ſedes abſque ulla controverſia & diſceptatione obtinebat. Cujus reì certiſſimum exſtat argumentum in duodecima Synodo Toletana, cui, Ervigio regnante, [h] divus præfuit Julianus [i]: capite enim ſexto conceſſa eſt à toto Concilio facultas Archiepiſcopo Toletano creandi & præficiendi Epiſcopos in univerſa Hiſpania, & Narbonenſi Gallia, qui in defunctorum locum ſuccederent; ne vacante ſede, & legitimo Paſtore diù orbata, quicquam detrimenti Eccleſiaſtica juriſdictio caperet, jacturamque ordo Eccleſiaſticus & perturbationem [a] ſuſtineret. Quam ſanctionem, ut juſtam ſanctamque, Gratianus inter alia collegit, & inſeruit Conciliorum & Patrum decretis. Quia non potuit veri Primatûs primæque dignitatis apertius teſtimonium deſiderari: in eaque condenda Julianus Hiſpalenſis Epiſcopus, Luiba Bracarenſis, Stephanus Emeritenſis intereſfuerunt, & cum his triginta quinque alii Epiſcopi, multique in abſentium locum ſuffecti vicarii: Abbates præterea, virique plures illuſtres ex officio Palatino. Qui omnes pari animorum conſenſione decretum à ſe ſancitum in omnibus provinciis promulgari, ſervarique juſſerunt. Itaque quod antè totius Provincialis Concilii fiebat auctoritate in creandis præficiendiſque provinciæ Epiſcopis, Toletanæ ſedi adjudicatum eſt, illique ſoli tributum. Deinde verò magnus cœpit Epiſcopo Toletano honos ab omnibus clericis haberi; cùm propter primæ ſedis auctoritatem, tum etiam quòd in inſtituendis Epiſcopis ejus eſſet opus ſuffragio. Idem etiam Julianus ſanctitatis opinione conſpicuus, ac literarum gloriâ clarus, [b] tertio decimo, [c] quarto decimo, & quinto decimo Conciliis præfuit. Felix autem nomine & re, qui innocentiâ vitæ, ac literarum ſacrarum cognitione, futuræ felicitatis argumentum præſeferebat, [d] decimi ſexti [e] & decimi ſeptimi Concilii Præſes fuit. In hoc decimo ſexto Concilio acta cauſſa eſt Siſiberti Præſulis Toletani, qui adversùs Egicam Regem temerè conſpiraverat, cujus imperium antea ſacroſancto confirmaverat jurejurando: dignuſque optima ratione viſus eſt univerſo Concilio, ut læſæ majeſtatis reus, ut è ſublimi dignitatis faſtigio [f] dejiceretur atque deturbaretur. In hujus locum ſuffectus eſt [g] Felix, qui etſi tunc denuò & recenter electus; in ſubſcriptione tamen Concilii omnibus in ſubſcribendo [h] præponitur antiquioribus Metropolitanis, Fauſtino nempe Hiſpalenſi, Maximo Emeritenſi, Veræ Tarraconenſi, & Felici Bracarenſi: ſiquidem Felix ad Toletanam ſedem ex Hiſpalenſi, veluti minori, fertur conſcendiſſe.

36. Hæc ſufficient ex Actis Conciliorum Hiſpaniæ, quæ Primatum Toletanæ ſedis probant. Sunt & alia argumenta non infirmiora, quæ idem manifeſtant, nimirum [i] unctio Regum: nam ungebantur illis temporibus oleo ſancto qui ex Gotthis aſſumebantur in Reges. Unctum enim fuiſſe Wambam, teſtatur Concilium Toletanum XII. in quo Ervigii aſſumptio ad regiam amplitudinem, ab omnibus Eccleſiaſtici ordinis & Palatinis viris eſt confirmata, Wamba Rege in id conſentiente & jubente, cùm abjecta regali potentia, pauperem & monaſticam decreviſſet vitam agere. Nam à Juliano Toletano Antiſtite Wamba Rex enixè efflagitavit, cùm ſe regno abdicaret, ut ſtudioſè curaret Ervigium in Regem ungi. Qua ratione conſtat, munus ungendi Reges, plenum honoris & dignitatis, cui reliqui Epiſcopi, & equites, primoreſque Palatini intereſſe debebant, ad Toletanum tantùm ſpectare Præſulem. Qui etiam eundem, quem ungebat Regem, ſacramento aſtringebat, ut juſtitiam coleret inviolatam, regnumque ſumma fide & æquitate adminiſtraret: ſicut in Toletana Synodo [a] ſexta, & [b] octava legitur.

§. V.

37. His ergo gradibus Eccleſia Toletana eò perducta eſt, ut inter magnificas & celeberrimas totius Orbis Chriſtiani Eccleſias, inſignem dignitatis & auctoritatis locum occuparet. Nam erat in ea civitate ſita, quæ Gotthici regni caput tenebat: ejuſque Præſuli jus erat omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis præficiendi Epiſcopos: ejuſque conſilio ſæpè Reges ad res pacis & belli gerendas utebantur, & ad munera hominibus Gotthis conferenda. Cùm verò miniſtrorum copiâ & multitudine, cultuque pietatis, & Regum præſentiâ, multiſque aliis nominibus celeberrimum eſſet templum Toletanum, tum præcipuè, ut D. animadvertit [c] Ildephonſus, quòd cùm terrorem omnibus & quaſi formidinem incuteret, à piis & improbis magna religione colebatur, ejuſque dignitati omnis cultus videbatur inferior. Quibus verbis tacitè innuit cœleſte pignus, quod à ſanctiſſima angelorum hominumq; Regina accepit, & templum Toletanum, quod unâ virgineo divinoque conſpectu, atque genitricis Dei præſentia fuit amplificatum, & ſummè auctum. Tunc enim cœleſti amictu Ildephonſus indutus, ad peragendam

d Era DCLXXVI.
e Era 654.
f Propter hæreſin Theodiſcli Hiſpalenſis Præſulis, qui Leandro ſucceſſit, in quo ſpecialis privilegium extinguitur, & ad ordinariam poteſtatē reducitur. Vide S. Ildephon. in *Additione ad Concil. Iſidor.* in *Præfat.* & Alvarum Gometium in *Vita Eugenii.* Vaſæum tomo 1. an. 641.
g Zacharias PP. inſtituit, ut ſingulis annis Apoſtolor. limina viſitent Epiſcopi, qui ordinationibus Apoſtolicis ſubjacent: habetur diſtin. 93. c. *Cyprian.* Greg. Magn. lib. 6. *Epiſtolar.* epiſt. 19. ad quinquennium id redegit.
h Era DCCXIX.
i Sic etiam erat in Africa, in qua factæ ſunt ſex provinciæ, ut loquit Sext. Rufus, Carthago proconſularis, Numidia Conſularis, Byzacena, Tripolis, Mauritaniæ duæ, Sitiphenſis, ac Cæſarienſis. Quot autem erant provinciæ, tot erant in Africa Primates, ſive primæ ſedis Epiſcopi, ut patet in diſtin. 63. cap. *Cum longè lateque.*
a Cùm ad Primatem ſpectet electorem Epiſcopi approbare ex epiſtola Leonis Papæ ad Anaſtaſium ep. 84. & habetur diſtinct. 65. cap. *De perſonis.* & apud Ivonem 5. p. c. 348. Concil. Carthag. 6. & 7. item Africano c. 52. 53. & 57. 92. Horum omnium primus erat Epiſc. Carthaginenſis, ut patet ex dicto Concilio Africano, & apud illum ſumma erat poteſtas in creationibus Epiſcoporum quos vellet per Africam: unde vocatur à D. Aug. ep. 162. Carthago Africæ caput. Patet ex Concil. Niceno cap. 4. & Antiochen. c. 19. & Cabilon. 16 c. 10. Quæ habetur hæc & alia d. 65. per totam diſtinctionē, & apud Ivonem, p. 5. c. 137. & c. 17. aſſertur decretum Niceni Concilii.
b Era DCCXXII. anno V. Ervigii.
c Era DCCXXVI. anno I. Egicani, ſub Juliano.
d Era DCCXXXI. ſub Felice urbis

ſulennioribus diebus rem ſacram, ſpeciem toti populo, civis Sanctorum & domeſtici Dei, potiùs quàm terreni habitaculi præ ſe ferebat. Addo etiam alios Præſules ſanctiſſimos, qui eximiis virtutum ornamentis ſedem hanc illuſtrârunt, Eugenium Martyrem, Patruinum, Montanum, Julianum I. Euphemium, Helladium, utrumque Eugenium II. & III. Felicem, Ildephonſum, Julianum II. Gundericum, quorum mores integri & ſanctiſſimi, virtuteſque excellentes & ſingulares, eos ſegregârunt ab omni conſuetudine mortali; ita ut miracula in hominum conſpectu vivi & mortui ederent. Concilia tandem in ea ùrbe coacta, admirabili & penè divinâ ſapientiâ, à ſummis Pontificibus & Oecumenicis Conciliis magno conſenſu approbata, illi celebritatem frequentiſſimam ſplendoremque per univerſum Orbem attulerunt.

38. Pervenerat jam Toletana Eccleſia ad ſummum auctoritatis & majeſtatis culmen. Verùm ita eſt inconſtans rerum viciſſitudo, ſtatuſque rerum humanarum labilis, ut illicò ægrotare cœperit, & ab avita religione, & optimis gravibuſque moribus, veluti floſculi ſolent ex arboribus, deciderit. Witiza namque & Rodericus, Reges Gotthi, luxuriâ diffluxerunt: quorum turpi vita homines Gotthi cœperunt emolleſcere atque effœminari, religioniſque candorem, & morum integritatem ſceleris contagione polluere. Quæ vitia teterrima in ſacerdotes etiam derivata, indigniſſimam calamitatem toti populo attulerunt. Nam provocato flagitiis ad iracundiam divino numine, miſeriæ ſtatim & ærumnæ, inſtar flagelli, ſunt facinorum & ſcelerum vindices. Invadunt igitur in Hiſpanicam provinciam Mauri, brevi tempore depopulantur urbes, vaſtant agros, diripiunt domos, munitiones expugnant, ſæviunt miſerè in omnes, divina & humana violant & vexant; Reges ipſos, à quibus juſta vindicta ortum habuit, de opulentiſſima poſſeſſione deturbant, totuſque populus in ſervitutem ex libertate dejectus, capitur à barbaris. Neque tam ſævæ vaſtationis alia eſt ſtudioſiùs perquirenda ratio, quàm ubertatis provinciæ abuſus, libidiniſque effrænatę luxus, cui optima quæque molles animi inſervire fecerunt. Et licèt Rodericus Rex adversùs irruentium Maurorum furorem delectus habere, equitatum parare, arma & ſtipendia populis contribuere, ut faciliùs tantus impetus ſuſtineretur, curavit; tandem miſerè, ut mollis, profligatus, & funditus everſus eſt, anno [a] Domini ſeptingenteſimo decimo quarto, poſtquam Imperium Gotthicum ab Athanarico uſque ad eum per trecentos & quadraginta quatuor annos fuit productum. Improbi enim Witizæ Rodericique mores, vita eorum infamis, effœminata, & crudelis, multò antè luctuoſum hunc interitum ſummamque ruinam videbantur quaſi prædicere præſagireque. Nam primò ad imperium ſunt provecti morte aliorum: deinde totum ſuum ſtudium ad opprimendos populos contulerunt; nulla fanis adhibitâ reverentiâ, neque ſacerdotibus obſervantiâ; divina omnia profanata ab ipſis & everſa ſunt, viaque ad omnem turpitudinem aperta: exemploque ſuo iniqui & ſcelerati gratia & auctoritate aucti, totam Reipublicæ effigiem & animum deformârunt.

§. VI.

39. Tertius Toletani Primatûs ſtatus nihil aliud quàm funeſtam complectitur ruinam. Nam fuſo atque deleto turpiter Roderico, in Maurorum ditionem, poſt varias expugnationes, civitas intra annū venit. Urbanus Præſul, eò quòd Sinderedus abeſſet, Primatis honorem ſuſcepit. Qui, ut erat vir ſanctus, conſtantiâ forti animo invictoque inſignem illam ſuſtinuit calamitatem. Cui multum adjumenti ad pondus miſeræ ſervitutis ferendam attulit [b] Evantius Archidiaconus Toletanus. Erant enim ambo preclarâ docti diſciplinâ, & eâ cognitione Eccleſiaſtica informati, quâ Toletanā Eccleſiam ſanctiſſimus inſtruxerat Ildephonſus. Urbanus igitur in tanta rerum commutatione non deſtitit quibus potuit rebus providere: libros complures, ſacras divorum reliquias, atque corpora ſtudiosè & accuratè collecta, & in [a] capſam ſumma cum veneratione incluſa, in Montanos Aſtures diligenter deportanda curavit. Hæc verò beata capſa in Eccleſia Oveti poſtea, cum multis aliis reliquiis ſanctè collocata, magnà cum pietate hodie colitur; & ubi illa aſſervatur, Cameræ ſanctæ nomen eſt inditum. Miſerandis Urbani temporibus divini cultus & ſacramentorum uſus cœpit Toleti magna ex parte immutari imminuique: illa namque amplitudo ſummaque auctoritas Præſulis Toletani ad ſex tantùm parœcias, [c] & exiguum fidelium numerum redacta, iniquis admodùm finibus incluſa eſt. Neque ſatis fuit paucitate eſſe imminutos, verùm qui ſuperfuerunt fideles, aſſiduâ Maurorum familiaritate & conſuetudine uſi, & ſæviſſima perſecutione deterriti, in religione Chriſtianiſque inſtitutis turpiter fluctuare cœperunt. Quos, ut firmos in Fide efficerent, & ad pericula ſubeunda excitarent, curam & ſtudium maximum adhibuerunt Urbanus, Evantius, aliique pii & officioſi ſacerdotes. Idem munus Cixila non minori diligentia præſtitit, qui Urbano vitâ functo, Toletanæ ſedis Epiſcopus ab univerſo clero renunciatus eſt. Is erat pietate & diſciplina Spiritûs ſancti conſpicuus. Cùm verò Toletani templi dignitas miſerè rueret, aliis in partibus (ut eſt Dei Opt. Max. bonitas) cœpit cultus Eccleſiaſticus oriri augerique. Nam Compoſtellanum D. Jacobi templum, & Ovetenſe alterum in montanis Aſturum ſitum, attributa illis Metropolitana dignitate, vigere cœperunt. [b] Compoſtellanæ enim Baſilicæ tantum venerationis & cultûs propter ſanctiſſimi Jacobi corpus, quod ibi religiosè quieſcit, delatum eſt, ut in ejus honorem Iriæ-Flaviæ Epiſcopatus, ex Bracarenſi juriſdictione exemptus, eò fuerit translatus. Cui [c] poſtea Calliſti II. temporibus honos Metropolitanæ acceſſit, & Emeritenſis primæ ſedis illi auctoritas eſt data. Is enim Pontifex Compoſtellanam Eccleſiam omni officio proſecutus, Archiepiſcopatus titulo & Legati decoravit: tum quòd in ea ejus pater fuerat conditus; tum etiam quòd ibi Alphonſum Hiſpaniæ Imperatorem

regiæ Primate & Egica Rege.

e Era DCCXXXII ſub Felice & Egica.

f Ut cautum erat in Conc. Tol. IV. Can. LXXV.

g Qui erat Epiſcopus Hiſp. Roderic. lib. 4. cap. 3.

h Id patet ex Ms. Codice Eccl. Toletanæ, & S. Æmiliani: præterea ordo ſedendi & ſubſcribendi præcedentiam indicant, unde cautum eſt in multis Côciliis ut poſterior priori Epiſcopo non præponatur, ſed priùs ordinatus Epiſcop. priorē habeat locū Agath. Ca. XXIII. I. Bracar. cap. 24. & Lucius Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ in VI. Synodo Conſt. act. 4. Agat. Papa I. ſubſcribit; & Imperator in Côciliis poſt Epiſcopos ſubſcribit, nam nulla dignitas, licet Imperialis, honori & dignitati Epiſcoporum adæquatur ex Greg. in Epiſt. ad Hermanū Metenſem Epiſcopū. Similis ratio eſt de Rege, ut patet in Conciliis Toletanis, & ex ſubſcriptionibus præeminentiarum Primatū. Caſſaneus collegit p. 4. conſ. 19. in VIII. Synodo, quæ fuit IV. Conſtantinopol. poſt Epiſcopos ſubſcripſerunt Imperatores, Baſilius, Conſtantinus, & Leo perpetui Auguſti, &c. quod adnotavit Otius lib. 19. *De legitimis judicibus.*

I De unctione Regum vide tit. *De ſacra unctione.*

a Anno Domini DCCXIV.

b Julianus in *Vita Ildephonſi*, quam apud me habeo. & Rodericus lib. 4. cap. 3.

c Cap. *De viris illuſtribus.*

d Rodericus lib. 4. cap. 3. Urbanus Sinderedi ſucceſſor arcam reliquiarū, & ſcripta B. Ildephonſi, & Juliani Pomerii, & veſtem ſacram, quam B. Virgo dederat Ildephonſo, ad Aſturias dicitur detuliſſe.

d De Compoſtellana Eccleſia extat Opus, quod dicitur *Hiſtoria Compoſtellana*. Roder. lib. 4. c. 17. & 18.

f Id conſtat ex literis Calliſti Papæ.

totem Urracæ filium ſacro fonte laverit, oleoque deinde conſecrato in Regem unxerit. Quas potiſſimùm ob cauſſas Compoſtella exempta ſibi nomen vendicavit, & ex poteſtate Toletani Primatis ſe illis temporibus cœpit ſubtrahere. Ovetum ortum habuit à Gotthorum calamitate. Vagantes namque primi ſedem ibi collocârunt, [d] regnante Froila in pretio habita, ab eoque condita urbis titulo & Epiſcopali dignitate exornatur; Hermegildumque primò in Epiſcopali ſede conſtituit. Alphonſus verò cognomento, ut ro, Caſtus, templum magnificentiſſimè extruxit, [e] ad illius inſtar quod erat Toleti in Maurorum poteſtate; ut triſtitia de amiſſi templi jactura, imitatione novi, aliquo pacto leniretur. Labente tempore Alphonſus III. ex decreto Joannis Papæ VIII. [a] Ovetenſem ſedem in Metropolitanam extulit auctoritatem. Fuit [b] hæc civitas domicilium certum, & portus tutiſſimus multorum Epiſcoporum, qui amiſſis in vaſtatione Hiſpaniæ ſedibus, Fidem & religionem amplexi, auxilium commeatumque regium experti; in eam appulſi tanquam ex procelloſo enatârunt naufragio: ibique ſanctiſſimam agentes vitam, tandem fato functi, cœleſtibus copulati in cathedra perennis gloriæ ſedent. Toletum verò licèt in Maurorum ditione eſſet, Primatûs jure & auctoritate utebatur. Nam in defuncti Cixilæ locum, Petrus, qui propter elegantem corporis formam, Pulcher cognominatur, cooptatus eſt. Fuit hic vir literis apprimè eruditus, & in religionis obſervantiam & pietatem ita accenſus, ut non modò in urbis ſuæ curam ſolicitè incumberet, omnibuſque periculis diligenter provideret; verùm & aliorum Hiſpaniæ Præſulum neceſſitatibus conſolendum eſſe arbitraretur. Nam cùm ad eum perveniſſet, Paſchatis computum ritè & canonicè Hiſpali non obſervari; ad Epiſcopum & Hiſpalenſem clerum ſuper ea re ſcripſit qoid tenendum eſſet. [c] Quod verò attinet ad Paſchatis computum, ex Conciliorum decretis, nemini licebat, præter quàm primis Epiſcopis, quid conſtans & firmum eſſet, decernere. Petrus Pulcher Elipandum habuit, poſt alios quoſdam ſucceſſorem, qui tantum munus ſibi demandatum, non ſolùm negligenter, verùm & iniquè admodùm explevit. Uſus enim frequenti Maurorum commercio; cùm longè abeſſet ab illorum temporum felicitate, in quibus Eccleſiaſtica ſinceraque doctrina vigebat; parumque accuratè in ſacris literis verſatus eſſet; in hæreſin de adoptione Chriſti Servatoris noſtri arroganter & ignoranter impegit: quæ poſtea fuit Francofordienſi Concilio damnata. [d] Cùm verò quibuſdam Epiſcopis, & Hiſpaniæ urbibus per literas impietatem ſuam perſuadere conaretur, rejectus eſt elegantibus ſcriptis Heterii Epiſcopi Oxomenſis & Beati presbyteri, qui literis ſacris apprimè eruditi, adversùs Elipandum præclara edidere monumenta. Sublato Elipando, Toletana ſedes [e] Wieſtrimiro Præſuli egregio atque optimo commiſſa eſt; de quo Eulogius Martyr hæc literis conſignata reliquit:

40. Poſt qointum diem Toletum reverti, ubi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem noſtrum, faculam Spiritûs ſancti, & lucernam totius Hiſpaniæ Wieſtrimirum Epiſcopum comperi: cujus vitæ ſanctitas totum Orbem illuſtrans, hactenus honeſtate morum celſiſque meritis Catholicum gregem refovet: multis apud eum diebus degimus, ejuſque angelico contubernio hæſimus.

41. Vitâ functo Wieſtrimiro, idem Eulogius ſufficitur; qui ad illud excellentiùs munus vocatus, antequam Toletum venire potuiſſet, conſtanti animo ſubiit Cordubæ martyrium, in ea perſecutione quam barbari Mauri in religionem Chriſtianam excitârunt. Quibus hoc cordi erat, ut eas, quæ ſuperfuerant, Chriſtiani cultus & doctrinæ ſcintillas, omnino delerent & extinguerent. Inde furentes univerſas Hiſpaniæ urbes, pagos, & domos, puriſſimo Martyrum ſanguine complevêrunt. De Cordubenſibus [a] Martyribus adhuc exſtat particularis hiſtoria ab Eulogio Martyre conſcripta. Sanguis iſte innocentiſſimus, qui impiè & immaniter fundebatur, ſine intermiſſione clamabat ad Deum, debitamque pœnam, & tanto ſcelere digniſſimam, repetebat; ut afflictum deſolatumque populum Catholicum in libertatem vendicaret. In hac perſecutione non modò Toleti, verùm etiam in reliquis civitatibus ex Maurorum ditione, univerſa ferè religio & auctoritas Eccleſiaſtica ſublata eſt. Fuerunt namque plures Epiſcopi, qui ambitione capti, Sarracenorum Regum aulas ſequebantur; & in id potiſſimùm enixè operam dabant, ut dignitatum & opum acceſſionibus in dies augerentur, novoſque honores, & ſacerdotia ampliora obirent. Quod cùm aſſequi non poſſent niſi Maurorum gratia & auctoritate, à quibus acceſſiones pendebant, ad eam habendam, ea calliditate malignitateque utebantur, ut ſtudioſè animadverterent, quo pacto Dei populum acerbiſſimis exactionibus & vectigalibus minimè ferendis vexarent. Turpiſſimam hanc infidelitatis notam ſubiit Hoſtigeſius [b] Malacitanus Epiſcopus. Joannes verò Dei ſervus vita & miraculis clarus, qui eiſdem ferè temporibus, quibus martyrium ſuſtinuit Eulogius, primam Toleti ſedem, conſentientibus clero & populo, tenuit, in tanta rerum permutatione & aperto diſcrimine ſuas partes ſtrenuè atque viriliter egit. Nam & furori indomito, ſanctiſſimiſque moribus immanitati reſtitit, impotentemque tyrannidem inſtitutis vitæ præclaris oppugnavit. Quamobrem Joanne uſurâ vitæ privato, deſignari ſucceſſorem Mauri non ſunt paſſi. Fuit ergo Joannes ferè ultimus Epiſcoporum, qui Toleto in Maurorum ſervitute præfuit. Unde Paſtore centum & quinquaginta caruit annos, donec ab Alphonſo ſexto Rege civitas oppugnata eſt. Chriſtiani autem Moz-arabi, quamvis carebant publico primoque Paſtore; in ſpiritualibus veluti Epiſcopum Sanctæ Juſtæ parochum conſtituebant, quem electum ſumma cum obſervantia ſuſcipiebant & venerabantur. Hæc fuit Primatûs ſeries in tertio ſtatu Toletanæ Eccleſiæ; quæ ex amplitudine illa & inſigni majeſtate, quâ Gotthorum Regum temporibus floruit, in tantas eſt redacta anguſtias, ut antiqua illius Præſulis dignitas in privatum quendam ac peculiarem ſacerdotem inciderit. In hac igitur paucitate & inopia religionis, divini cultus nimis erat immutata auctoritas ac debilitata, quum Alphonſus ſextus Rex, die ſacro D. Urbani Papæ &

d Rodericus lib. 4. cap. 6.

e Rodericus lib. 4. cap. 8.

a Rodericus lib. 4. cap. 18. ubi agitur de ſublimatione Ovetenſis urbis.

b Unde vocatur civitas Epiſcoporum, & ita cautum erat in Côc. Sardic. cap. 21. ex decreto Oſii Epiſcopi Cordubenſis, ut Epiſcopi à ſuis ſedibus pulſi, in aliis civitatibus reciperentur benignè & humanè.

c Contendebatur olim quo die foret Paſchæ celebrandum, unde cautum eſt, ut Eccleſia major minori præſcribat diem. III. Conc. Carth. Can. I. & XLI. I. Arelat. Canon. I. & IV. Carthag. LXV. V. Carth. VII. IV. Aurel. I. IV. Tol. IV. II. Bracar. IX.

d De hæreſi Elipandi Præſulis Toletani vide Conc. Francf. & Jonam Epiſc. Aurelian. in libello *De cultu imaginum*. Exſtat apud me liber Etherii Epiſc. Oxomæ & Beati adversùs Elipandum.

e Eulogius in ep. ad Wiliſindum Pampilonenſem.

a Quam in lucem nunc primùm edidit doctiſſimus Ambroſius Morales, & ſcholiis illuſtravit.

b De hac re ſcripſit Sampſon libro adversùs Hoſtigeſium Epiſcopum, quem apud me habeo.

Martyris Toletum expugnavit, & ex Maurorum poteſtate eripuit. a anno milleſſimo octogeſimo tertio à virgineo partu, cùm Toletum per trecentos & ſexaginta octo annos ſervitutem miſerè pertuliſſet.

§. VII.

42. Toletum in Maurorum poteſtate fuit per LXVIII. annos ſupra CCC. Quo tempore Religio Chriſtiana eam habuit jacturam, quam paullò antè memoravimus. Labente jam Religione, ab Alphonſo Rege, die feſto S. Urbani expugnata civitas, & ex Maurorum ditione erepta fuit: ſtatim, ut erat in Religionem Chriſtianam ejus animus propenſus, egit de reſtituenda antiqua Archiepiſcopali dignitate. Quod ut libentiùs efficeret, totius regni Præſulum ac virorum Principum conventum indixit; ex quorum ſententia & conſilio b Bernardum monachum ex inſtituto D. Benedicti, virum optimum, rerùm ſcientiâ & exemplo vitæ inſignem, Religioni præfecit, & Archiepiſcopi titulo decoravit. Deinde verò Bernardi & Reginæ operâ, Rege invito, Eccleſia S. Dei genetrici Mariæ, D. Petro Apoſtolorum Principi, & Protomartyri Stephano dicata eſt. Rex autem c prædia & oppida, & alia magni pretii munera, regali magnificentia Divæ Virgini in dotem aſſignavit; ut ex ejus literis lectione dignis conſpicitur, quæ in archivo Toletano hodie religioſè aſſervantur. d Dum hæc agerentur in Hiſpania, Apoſtolicam ſedem Romæ tenebat Gregorius ſeptimus.

43. Bernardus ad tantam evectus dignitatem, in id potiſſimùm cœpit incumbere, ut Fidem Catholicam, & Chriſtianos mores antiquos & ſinceros in Metropolim ſuam revocaret: qua in re omnem ſuam operam collocabat. Verùm ab hoc inſtituto legatione Ricardi Abbatis S. Victoris retardatus eſt, & emergentibus difficultatibus coactus Romam proficiſci ad Pontificem Maximum, à quo tanquam ab oraculo de dubiis quæ in tantæ dignitatis inſtitutione exoriebantur, ſanctiſſima acciperet reſponſa. Romam tandem per Alphonſum Regem Pontifici commendatus pervenit, quum ſanctiſſimam illam ſedem regebat e Urbanus. Fuit ergo Bernardus perhumanè exceptus à Pontifice, qui rebus cum ipſo actis, electionem ejus libenter confirmavit, & in priſtinam auctoritatem, ut Gotthorum tempore, & juriſdictionem reſtituit, & Primatûs auctoritatem, quam olim in Hiſpania & Narbonenſi Gallia obtinuerat, iterum erexit. Ut ex ejus diplomate liquidò conſtat.

URBANI II. RESCRIPTUM.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri Bernardo Archiepiſcopo Toletano, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum.

44. CUNCTIS ſanctorum decretales ſcientibus inſtitutiones liquet, quantæ Toletana Eccleſia dignitatis fuerit ex antiquo, & quantæ in Hiſpanis & Gallicis regionibus auctoritatis extiterit, quantæque per eam in Eccleſiaſticis negotiis utilitates accreverint. Sed peccato populi in latitudine promerente, à Sarracenis eadem civitas capta, & ad nihilum Chriſtianæ Religionis illic libertas redacta eſt; adeò ut per annos CCC. penè LXX. nulla illic viguerit Chriſtiani Pontificis dignitas. Noſtris autem temporibus divina populum ſuum reſpiciente clementia, ſtudio Ildephonſi glorioſiſſimi Regis, & labore populi Chriſtiani Sarracenis expulſis, Chriſtianorum viribus Toletana civitas eſt reſtituta. Igitur voluntate & conſenſu unanimi comprovincialium populorum, Pontificum, atque Principum, & Ildephonſi excellentis Regis, te frater chariſs. Bernarde, primum illius urbis, poſt tanta tempora, Præſulem eligi divinæ placuit examini majeſtatis. Et nos ergo miſerationi ſupernæ gratiæ reſpondentes, quia per tanta tempora mariſumque diſcrimina, Romanæ auctoritate Eccleſiæ, ſuppliciter expetiſti, auctoritatem Chriſtianam Toletanæ Eccleſiæ reſtituere non negamus. Gaudemus, & etiam corde lætiſſimo magnas, ut decet, Deo gratias agimus, qui tantam noſtris temporibus dignatus eſt Chriſtiano populo donare victoriam; ſtatumque ejuſdem urbis, quoad noſtras etiam facultates, ſtabilire atque augere, ipſo adjuvante, præoptamus. Tamen benevolentiâ Romanæ Eccleſiæ, ſolitâ & dignâ Toletanæ Eccleſiæ reverentiâ, tum chariſſimi filii noſtri præſtantiſſimi Regis Ildephonſi precibus invitati, pallium tibi, frater venerabilis Bernarde, ex Apoſtolorum Petri & Paulli benedictione contradimus; plenitudinem ſcilicet omnis ſacerdotalis dignitatis, teque ſecundùm quòd ejuſdem urbis antiquitus conſtat extitiſſe Pontifices, & in totis Hiſpaniarum regnis Primatem privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus, &c. Primatem te univerſi Præſules Hiſpaniarum reſpicient, & ad te, ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent: ſalva tamen ratione, Eccleſiæ auctoritate, & Metropolitanorum privilegiis ſingulorum. Toletanam ergo Eccleſiam jure perpetuo tibi tuiſque, ſi divina præſtiterit gratia, ſucceſſoribus canonicis, tenore hujus privilegii confirmamus, &c. dati Anginæ, per manus Joannis Diaconi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & præſignatoris domini Urbani II. Papæ, Idibus Octobris, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII. indictione XI. anno Pontificatûs ejuſdem domini Urbani Papæ primo.

45. Bernardum etiam, cujus prudentiam & mores probaverat, legati munere auxit; ut ex ſecundo

a Rodericus lib. 6. cap. 23. capta eſt civitas Era 1123. quod eſt ann. Domini MXCV. ſed in Codice Ms. Eccleſiæ Toletanæ eſt Era MCXXIII. quod eſt annus Dom. MLXXXV. In cod. Ms. Cœnobii D. Joannis ex familia Franciſcanâ, eſt Era MCXXI. Quod eſt annus Domini MLXXXIII. & in Chronico perantiquo Eccleſiæ Toletanæ eſt: Capta eſt Civitas Era MCXXI. Quod eſt annu Dom. 1083. Urbanus Pontifex in privilegio Primatiæ Bernardo concesſo, inquit, quod per 300. ferè & 70. annos nulla illic viguerit Chriſtiani Pontificis dignitas. & in donatione Alphonſi Regis Toletan. Eccleſiæ facta dicitur, quod abſcondito Dei judicio CCCLXVI. annos poſſeſſa fuerit à Mauris.

b De Bernardo ſermonem longū inſtituit Rod. lib. 6. cap. 25.

c Extat in lib. Privilegii Eccleſiæ Toletanæ, & in hiſtoria Roderici lib. 6. cap. 24.

d Civitas in deditionem venit ſub Gregorio VII. Pontifice Maximo, inquit id Roderic. lib. 6. cap. 26.

e Urbanus PP. Bernardo duobus privilegiis Primatûs honorem conceſſit: alterum datum eſt anno Domini 1088. Pontif. ſui anno I. alterum anno D. MXCIX. Pont. ſui ano. XII. Unde ex primo diplomate liquidò conſtat, temporibus Gregorii VII. Toletū ſuiſſe cultui Chriſtiano reſtitutam. id etiam conſtat ex Platina in vita Urbani ſecundi.

do

do ejus reſcripto conſtat, in ea provincia, cujus Primas jam erat; ut curam ſuſciperet condendi templa, amplificandi & conſervandi univerſam Hiſpanicam Eccleſiam, in eiſque civitatibus Epiſcopos conſtitueret, quæ ex Maurorum poteſtate eriperentur. (nam Chriſtiani ſub barbarorum dominatu ferè omnes rudes & ignari doctrinæ Catholicæ erant, & earum rerum quas & cognoſcere & ſervare ex ritu Eccleſiaſtico tenebantur) quod & ſtrenuè fecit. Nam prudentia ſua & judicio errata correxit, & depravatos mores emendavit, atque ritus ſacramentorum, & divini cultus cæremonias docuit. In qua re ſtabilienda Eccleſiæ Romanæ doctrinam & mores ſequutus eſt: nam eam ſemper coluit ut magiſtram Chriſtianæ pietatis, & ut radicem atque matricem, ut D. Cypriani [a] verbis utar, totius Eccleſiæ Catholicæ. Quam operam Tarraconæ Eccleſiæ potiſſimùm navavit. Nam illa civitas, quæ apud Gotthos Metropolis fuerat & caput religionis, à Mauris everſa, poſtea virtute Comitis [b] Barcinonenſis expugnata, orbata religione & civibus, diligentiâ Bernardi rurſus erigitur: & in Gallia Gotthica Synodo coacta, Pyrenæis ſuperatis, Tarraconam pervenit, [c] templum conſecravit, Præſulem conſtituit Berengarium Epiſcopum Auſonenſem, quam diœceſim in Tarraconenſem tranſtulit Eccleſiam. Itaque eodem ferè tempore Toletana & Tarraconenſis Eccleſiæ, quæ regnantibus Gotthis fuerant præclariſſimæ, operâ Bernardi Chriſtiano cultui & antiquæ celebritati redditæ ſunt: & eodem quaſi partu in lucem veritatis editæ, ab uno patre ſpiritualibus ſunt auctæ divitiis. Verùm Tarraconenſis Epiſcopus dignitate elatus, Bernardo obſervantiam Primatûs debitam præſtare recuſavit, & primò à ſummo Pontifice Urbano pallii honorem atque ſuffraganeos antiquos impetravit: deinde, ut Metropolita, Primatis juriſdictionem modis omnibus refugit: quod ut conſequeretur, nihil non tentavit. Tamen Pontificis Maximi [d] Urbani decreto & auctoritate rejectus eſt, qui his literis ejus conatus repreſſit.

a Sic eam vocat Cyprianus, Epiſtola 45. ad Cornelium: Eccleſiæ Catholicæ radicē & matricem.
b Zurita in annalibus lib. 1. cap. 28.
c Tarraco fuit in captivitate Maurorum an. 390. & Urbanus ſecundus Auſonenſem ſedē in eam tranſtulit: id cōſtat ex diplomate Urbani II.
d Id conſtat ex ſequenti diplomate Urbani, quod eſt in archivo Eccleſiæ Toletanæ.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo, Tarraconenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

46. NOVIT Dilectio tua, frater in Chriſto venerabilis, quo tenore, quâ conditione pallium tibi privilegiumque conceſſimus, &c. Memineris tamen ita te Archiepiſcopum conſtitutum, ut tam tu, quàm univerſi provinciæ Tarraconenſis Epiſcopi, Toletano tanquam Primati debeatis eſſe ſubjecti: ſic ei à nobis in Toletanæ Eccleſiæ privilegio conſtitutum eſt; quod nos omnino ratum volumus permanere. Nunc autem multò amplius, quia noſtræ ſollicitudinis vices in Hiſpania univerſa & Narbonenſi provincia miniſtrandas injunximus, &c. Datum Kalendis Maji.

Primatus Bernardo confirmatus.

47. Pontifices Romani qui Urbano ſucceſſerunt, Bernardum in Primatu confirmârunt: [e] ut Paſchalis & [f] Gelaſius ſecundus, qui eidem jus conceſſit [g] Mauricium Bracarenſem deponendi, alio ſuffecto Præſule. Is enim Mauricius unitatem univerſalis Eccleſiæ ſcidit, ſummi Pontificis nomine uſurpato; ſupremaque auctoritate arroganter uti cœpit, non ritè & canonicè in ſede locatus, ſeu potiùs ſine ſede & cathedra à vero Chriſti Vicario disjunctus. [h] Calliſtus deinde eidem Primatum confirmavit & legationem, ſuffraganeoſque adſcripſit, Ovetum, Legionem, & Palentiam. Maximus tamen hic Pontifex, quâ erat animi propenſione & reverentia in ſacrum ac venerandum B. Jacobi corpus, quod Compoſtellæ in Gallæcia ſumma cum religione & pietate colitur, [i] & honorificè aſſervatur; & quod ibidem Remondus Comes ejus pater ſitus eſſet; ſedem illam magnis quoad potuit honoribus decoravit, & Didacum ejus Epiſcopum ad Legati auctoritatem in provinciis Emeritenſi & Bracarenſi provexit, & ex univerſali Bernardi in Hiſpania Primatu exemit. Quâ de re multis inter eos Epiſtolis actum eſt, & uterque ſuas partes diligenter egit. Uſus eſt Bernardus auctoritate Primatis, multis coactis Nationalibus [k] Conciliis & Provincialibus, [l] inſtituens atque conſecrans cunctos ferè Hiſpaniæ Archiepiſcopos & Epiſcopos: in qua re liberam Primatûs exercuit poteſtatem. Quo officio uſque ad [m] Honorium Pontificem functus eſt. Hic verò Honorius [n] Raymundum Bernardi ſucceſſorem Romæ Primatem inſtituit, quò, ut debitâ obſervantiâ ſupremam illam & ſanctiſſimam ſedem veneraretur, ſe contulerat. Idem præſtiterunt Innocentius, Cœleſtinus, & [o] Lucius, qui ſingulari ſanxit diplomate, ut Toletano Præſuli omnes Epiſcopi Hiſpaniæ Primatis honorem deferrent, his verbis.

e Paſchalis anno Domini MC.
f Gelaſius anno MCXIX.
g Roderic. lib. 6. cap. 28. Hic Mauricius fuit in ſchiſmate electus & vocatus Greg. VIII. & fuit clericulus primò in Eccleſia Toletana, deinde Epiſcopus, poſtea Archiepiſcopus Bracarenſis, ultimò Antipapa.
h Calliſtus anno Dom. MCXXII.
i Id conſtat ex hiſtoria Compoſtellana.
k Legionenſi, & apud S. Facundū, & Palentino, & Toloſano, ex Cōpoſtellana hiſtor.
l Ut Giraldū Bracarenſem, Petrum Oxomenſem, Bernardum Seguntinum, & poſtea Compoſtellanum, Petrum Secobienſem, Petrum Palentinum, Raymundum Oxomēſem, Roder. lib. 6. cap. 27. & Burdinum Combricenſem, & poſtea Bracarenſem.
m Honorius II. an. D. MCXXV.
n Raymundus in Concil. Palentino vocatur Primas & legatus: in Compoſtellana.
o Lucius an. Domini MCXLIV.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Raymundo Toletano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Diploma Lucii PP. de primatu Toletano.

48. SACROSANCTA Romana & Apoſtolica Eccleſia, &c. *ut ſuprà*. Per præſentis ergo privilegii paginam auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, ut per univerſa Hiſpaniarum regna Primatûs obtineas dignitatem, &c. Primatem te univerſi Hiſpaniarū Præſules recipiént, &c. Egò Lucius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcribo. *Deinde ſubſcribunt viginti Cardi-*

nales

nales & Epiſcopi. Datum Laterani per manum Varonis capellani & ſcriptoris; tertio Idus Martii, Indictione ſeptima, Incarnationis Domini anno milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, Pontificatûs Domini Lucii Papæ II. anno primo.

Raymundo Joannes ſucceſſit.
p Id conſtat ex diplomate Eugenii III. quod eſt in archivo Eccleſiæ Toletanæ.
q Platina in vita Alexandri III.
r Titulo de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatum, lib. 1. tit. 12.
s Antonius Contius & Antonius Archiep. Tarracon. in collectaneis decret. & codex manuſcriptus antiquus Eccleſiæ Tolet. legit Colon. Archiepiſcopus.
Legatio Jacinthi quando habita.

49. Raymundo vitâ functo Joannes ſucceſſit, qui cauſſam egit coram Eugenio III. adverſus Joannem Archiepiſcopum Bracarenſem, compulitque p ut Toletum veniens Præſuli Toletano Primatûs publicè auctoritatem deferret, quam ſolenni confirmavit jurejurando. Hic Joannes Toletanus partes Alexandri III. adverſus Imperatorem Fridericum q ſequutus, Concilio Turonenſi interfuit, ut ſchiſmati Victoris Anti-papæ conſuleretur. Joanne ſublato, Toletanam Sedem Cerebrunus obtinuit, à magnitudine cerebri nomen ſortitus: qui in templo Toletano unà cum Joanne jacet. Ii duo Præſules Alexandri tempora attigerunt, neque Archiepiſcopatu unquam ſe abdicârunt. Unde conjecturam facio, titulum r Decretalis, *Requiſivit*, corruptè legi *Toletano*, pro *Toloſano*, aut Colonienſi; s ut à viris doctis diligenter animadverſum eſt. Alexander non tantùm Primatum Cerebruni peculiari decreto ſtabilivit; ſed quod Anaſtaſius Papa Pelagio Conpoſtellano conceſſerat, ut à Primatu Toletano immunis eſſet, irritum fecit.

50. His temporibus nobilis illa Cardinalis Hyacinthi in Hiſpaniam legatio habita eſt, qui inter alia magni momenti negotia, de controverſia excitata ſuper Primatu inter Epiſcopos Toletanum & Compoſtellanum dirimenda atque ſedanda egit: cauſsâ cognitâ & rationibus perpenſis, adverſus Compoſtellanum ſententiam tulit, quem juſſit ſimul cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis Cerebrunum tanquam Primatem ſuſpicere atque colere. Quod præceptum Bracarenſi potiſſimùm Epiſcopo impoſitum eſt; cui cùm dies eſſet dicta, judicio adeſſe recuſavit. Sententia Cardinalis Hyacinthi ſic ſe habet.

Hyacinthus Dei gratiâ diaconus Cardinalis, venerabili dilectoque fratri, eâdem gratiâ Archiepiſcopo Toletano & Hiſpaniarum Primati, ſalutem & veram in Chriſto Jeſu benedictionem.

a Anno Domini MCLXXXVII.
b Albarracin caput Eccleſiæ Segobricenſis fuit à Joanne XXII. adjudicata Archiepiſc. Cæſaraug. in ejus creatione, & à juriſdictione Archiepiſcopi Tolet. liberata: doctiſs. Zurita lib. 6. ann. cap. 33.
Gundiſalvus Cerebrunum conſecutus eſt.
c Anno Domini MCXCII. Poſt Gundiſalvum & Martinum Rodericus.
d In bello Navarum de Toloſa, & in Concil. Lateranenſi.
e Innocentius anno Dom. MCCIX. Honorius an. Domini MCCXVIII. Greg. anno Domini MCCXXXI.
f Lib. 1. decretalium cap. *Coram*. *De reſtitutione in integrum*.
Concilium Lateranenſe IV. quando celebratum. Qui, quales, & quot Epiſcopi interfuerint.
Excell. Marchio Mon[...] lat[...] multipliciter [...] narrationem hanc ex [...] Archiep. D. Roderici in Concilio Lateranenſi.

51. OFFICII Noſtri debitum nos admonet, & affectio paterna compellit, Eccleſiarum tranquillitatem ſatagere, & earum lites ac omnimodas vexationes de medio tollere, &c. Cùm igitur à Romanis Pontificibus literas impetraveris ad venerabilem fratrem noſtrum Joannem Bracarenſem Archiepiſcopum, ut vel tibi uſque ad terminum aſſignatum, vel deinceps ſuſpenſus maneret, &c. ipſe autem ſicut contumax & rebellis, nec venit, nec canonicam excuſationem prætendit. Nos itaque de rigore canonico procedentes, eum à Pontificali officio ſuſpendimus, & ſuffraganeos ſuos à perſonæ ſuæ obedientia abſolvimus, &c. quouſque de contemptu ſatisfaciat dignè, &c.

52. Cerebrunum conſecutus eſt Gundiſalvus primus, qui ab Urbano III. Primatûs confirmationem a obtinuit, ſuffraganeoſque ei ſignavit Palentinum, b Segobrienſem, Oxomenſem, Conchenſem Epiſcopos. Poſt Gundiſalvum c Martinus cognomento Piſverga Præſul efficitur, qui à Cœleſtino tertio Alphonſi Regis & Imperatoris Hiſpaniæ patruo in Primatu confirmatus eſt. Qui cùm Cardinalis honore fungeretur, ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ cultum & majeſtatem mirificè auxit, impetratâ gratiâ à Pontifice Romano, ut in Pontificalibus Præſulis Toletani dignitates tiaris uterentur, & poſtquam ipſe ad apicem Pontificatûs pervenit, idipſum theſaurario & ſcholæ præfecto conceſſit. Poſt Martinum Rodericus Ximenius, belli & literarum gloriâ conſpicuus, ſedem occupat, qui prœlio d Navarum de Toloſa inſigni, & poſtea celeberrimo Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio interfuit: in altero maximi Præſulis, in altero verò militis excellentiſſimi illuſtria documenta dedit. Fuit enim acerrimus propugnator atque defenſor Primatûs, & in Romanis archivis & tabulariis omnia diplomata à Romanis Pontificibus data Toletanis Præſulibus, diligenter conquiſita in unum volumen collegit, & nova alia ad ejuſdem Primatûs confirmationem à Pontificibus Innocentio e tertio, Honorio tertio, Gregorio nono impetravit. Hujus temporibus acta cauſſa eſt Archiepiſcopi Bracarenſis, de qua fit mentio in f Decretalibus. Cùm autem ex parte Epiſcopi Bracarenſis non eſſet qui cauſſam tueretur, præfixaque ad reſpondendum dies elapſa eſſet; Honorius Roderici Primatum confirmavit, & ipſum Legati Hiſpanici honore auxit; ut populi Sarracenorum ad Fidem converſi ſaluti aut exſtirpationi diligentiùs incumberet. Interfuit Romæ celeberrimo Concilio Lateranenſi IV. in quo Primatûs antiqua jura adverſus Hiſpaniæ Archiepiſcopos egregiè tutatus eſt. Quæ tamen ibi fuerunt acta, quoniam ſcitu digna ſunt, ex libro manuſcripto, qui aſſervatur in bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ exſcripta huic narrationi libenter atque fideliter annectam.

53. Anno Domini ducenteſimo ſupra milleſimum, quinta decima die menſis Novembris celebrata eſt ſancta & Univerſalis Synodus Romæ in Eccleſiæ S. Salvatoris; præſidente Domino Innocentio Papa III. pontificatûs ejus anno decimo octavo. In qua fuerunt Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus. Antiochenus Patriarcha gravi morbo oppreſſus venire non potuit. Secundum miſit pro ſe Vicarium Antadorenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò Patriarcha ſub dominio Sarracenorum conſtitutus ſimiliter venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Petrum diaconum,

ger-

germanum ſuum. Unus & ſeptuaginta Primates & Archiepiſcopi huic Concilio interfuerunt, Epiſcopi verò CDXII. Abbates autem & alii Religioſi, Decani, Priores, Præpoſiti, Archidiaconi, & alii clerici computari ferè non poterant. Deinde procuratorum Principum, communitatum, & civitatum, qui ex univerſis mundi partibus eò confluxerunt, incredibilis fuit numerus. In hac Generali Synodo Rodericus Archiepiſcopus Toletanus & Hiſpaniarum Primas, de facultate Pontificis Latinè concionatus eſt. Sed quia ex diverſis mundi provinciis tam clerici quàm laïci convenerant, ut omnibus ſatisfaceret, rationes & teſtimonia Latino ſermone prolata, laïcis maternis linguis ſingulis exponebat, Romanis videlicet, Theutonicis, Francis, Anglis, Navarris, & Hiſpanis. Hujuſmodi autem prædicationis expoſitio valdè placuit; utpote quæ admirationem omnibus, propter concionatoris acumen & ingenii ſubtilitatem attulit: cùm ab Apoſtolorum tempore auditum non ſit, aut ſcriptum reperiatur, quemquam ad populum eandem concionem habuiſſe tot ac tam diverſis linguis cuncta exponendo. In eodem autem Concilio obtinuit, ut per decennium Legati munere in Hiſpania fungeretur. Sed ultrà permiſſum eſt illi, ut cum trecentis illegitimè natis diſpenſare poſſet; ut ex his ad ſacros ordines quidam, alii verò ad beneficia, etiam animarum curam habentia, reliqui ad dignitates & honores ejus voluntate promoverentur: & ut cum aliquibus excommunicatis, ſacrilegis, irregularibus, & concubinariis diſpenſaret. Eſt etiam conſecutus, ut quamprimùm civitas Hiſpalenſis redderetur cultui Chriſtiano, ſine ſtrepitu judicii, jure Primatûs Eccleſiæ Toletanæ ſubeſſet. Obtinuit etiam ut omnes Eccleſias, tam Cathedrales quàm alias quæ in omnibus Hiſpaniarum regnis ex Maurorum poteſtate in Chriſtianorum ditionem pervenirent, poſſet pro ſuo libito canonicè ordinare, & non ſolùm clericos, ſed canonicos & Prælatos in eiſdem recenter creare. Et quoniam velut umbra cuncta prætereunt, & quæ geruntur in tempore, cum tempore dilabuntur; non abs re priſcis noſtriſque temporibus ſtatutum eſt, quæ æterna digna ſunt propagatione ſcriptis mandentur & monumentis æternis, ut nullâ poſſint oblivione deleri. Ideoque notum ſit omnibus hominibus præſentem paginam inſpecturis, quod in eodem Concilio apud Lateranum præfatus dominus Rodericus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Primas, impetratâ audientiâ ab eodem Papa, propoſuit in pleno conſiſtorio coram ipſo & Cardinalibus, & pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Abbatibus, & canonicis, & aliis clericis querimoniam de Bracarenſi, & Compoſtellano, & Tarraconenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis; quòd nollent ei, tanquam Primati ſuo, debitam obedientiam præſtare. Et ut probaret illorum ſe Primatem eſſe, oſtendit privilegia, & legit, Honorii, Gelaſii, Lucii, Hadriani, & ejuſdem Innocentii III. Romanorum Pontificum, quibus continebatur, & manifeſtiſſimè probabatur, Toletanum Archiepiſcopum Hiſpaniarum eſſe Primatem. Addidit etiam idem Archiepiſcopus Toletanus, habere ſe alia plura privilegia, & monimenta, & ſcripta, quibus oſtendebatur eſſe ſe Hiſpaniarum Primatem. Oſtendit etiam eadem die, & legit ibi ſententiam Hyacinthi Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati, latam in Archiepiſcopum Bracarenſem, quâ jubebatur ut Toletano Archiepiſcopo, tanquam Primati ſuo, obediret. Legit etiam exſecutionem ejuſdem Hyacinthi miſſam ſuffraganeis Eccleſiæ Bracarenſis, in qua eis præcipiebat, ut Toletano Archiepiſcopo, tanquam Primati ſuo, debitam reverentiam & obedientiam exhiberent: Unde obnixè petebat ut jus ſuum ſibi redderetur.

Acta Concilii Lateranenſis.

Rodericus Tolet. Epiſc. in hac Synodo multa privilegia eſt conſecutus.

Rodericus in Concilio Lateranenſi de Primatu contendit.

54. Cui reſpondit Archiepiſcopus Bracarenſis, qui fuerat ad hoc ſpecialiter citatus, ſicut fuit poſtea per ipſum Papam & teſtes legitimos ſufficienter probatum, conteſtari ſe litem in præſentia ejuſdem Papæ, propterea quod non fuerat ad hoc citatus, & ideo ſe non debere reſponſum dare: & ſententiam prædicti Hyacinthi penitùs ſe ignorare affirmavit. Dominus autem Toletanus, impetratâ à domino Papa audientiâ, reſpondit:

Exceptio Bracarenſis Epiſcopi contra Primatum Tolet.

55. Pater ſancte mirum non eſt ſi Bracarenſis, qui præſens eſt, citationem Apoſtolicam, & Toletanæ Eccleſiæ Primatum, & domini Hyacinthi ſententiam hac de re latam deneget, ſeu non erubeſcat ſupprimere: cùm olim prædeceſſor ſuus Burdinus Archiepiſcopus Bracarenſis, non ſolùm contra Romanam Eccleſiam, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non erubuit recalcitrare; ſed tanquam alter Arius viſus ſit inter Catholicos ſempiternam ſchiſmatis diſcordiam ſeminare. Cujus rei talem affero probationem. Cùm dominus Bernardus quondam Archiepiſcopus Toletanus Romanam curiam viſitâſſet, & ad propria rediens per Lemovicenſem civitatem tranſiſſet; deduxit ſecum inde clericos & pueros in Toletana Eccleſia collocandos & nutriendos: inter quos Burdinum, de quo fit ſermo: quem non ſolùm bonis ditavit, ſed etiam literis erudiendum curavit: quem deinde creavit Archidiaconum Toletanum. Hic verò cooptatus in Conimbricenſem Epiſcopatum, antiquum nomen mutavit, & pro Burdino Mauricius appellari voluit. Progreſſu temporis ad inſtantiam domini Bernardi, cujus alumnus exſtiterat, in Archiepiſcopum Bracarenſem aſſumptus eſt. Cùm autem videret dominum Bernardum ſenio confectum, immemor acceptorum beneficiorum, depoſitâ ovinâ pelle, non erubuit lupinam induere. Acceſſit itaque ad curiam, & à domino Paſchali Papa II. obnixè petiit, domino Bernardo ſene jam & inutili amoto, in ejus locum ſe ſubſtitueret in Toletana Eccleſia. Cujus preces dominus Papa tanquam frivolas & inanes nihil fecit. Interim orta eſt diſcordia inter Paſchalem Papam II. & * Othonem Imperatorem. Hic autem Mauricius, ſive Burdinus, exiſtimans notam ſibi eſſe injuſtam, quòd in petitione Eccleſiæ Toletanæ repulſam ſit paſſus; acceſſit ad Imperatorem, & modis omnibus ad ſummum Pontificatum aſcendere conatus eſt: & validiſſimo Imperatoris inſtructus exercitu, urbem Romanam ingreſſus, tanquam ſacrilegus & apoſtata, non erubuit Paſchalis veri Pontificis Apoſtolicam uſurpare ſedem; & ſumpto Gregorii Octavi nomine, commentitiis & falſis bullis per univerſum Orbem Apoſtolicas, immo apoſtaticas literas dirigebat. Interim vitâ functus

Replica Roderici Tolet. Epiſcopi, pro Tolet. Primatu.

* Henricum V. dicere debuerat.

ctus

ctus eſt Paſchalis, in cujus locum ſuffectus eſt Gelaſius II. permanente adhoc diſcordia mortuus etiam eſt. Huic ſucceſſit Alexander III. * qui cum Imperatore Othone in gratiam rediit, & pacem inter Imperium & Eccleſiam Romanam conſtituit. Deinde Burdions, ſeu Mauricius, tanquam ſacrilegus & excommunicatus, incluſus eſt in perpetuum in Calabria in quandam caveam, in monaſterio ſanctæ Trinitatis Scapile. Hoc non ſolùm authentica hiſtoria teſtatur, verùm etiam laïcorum pictura hoc aſſerit & proteſtatur. Si quis aſtantium hac de re dubitat, tollat oculos ad præſentes loci hujus parietes, & videbit hujuſmodi hiſtoriam picturatam. Erigentes autem oculos, omnia, ut dixerat, viderunt: & domini Toletani ſubtilitatem & peritiam collaudantes, cœperunt tum admurmurare, tum etiam in domini Bracarenſis faciem iotendere, quæ magno jam erat rubore perfuſa.

56. Compoſtellanus ſimiliter eâdem die in pleno Conſiſtorio reſpondit:

Pater ſancte certè deriſoria videtur petitio domini Roderici, quòd Eccleſia Compoſtellana tam antiqua & nobilis, condita in honorem Apoſtoli Jacobi Domini conſanguinei, qui primò in Hiſpania verbum Domini ſeminavit, & infinitos ad Fidem Chriſti convertit, cujus corpus in eadem Eccleſia requieſcit, nunc (quod abſit) obediat Eccleſiæ Toletanæ.

57. Dominus autem Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, petitâ & obtentâ à domino Papa facultate, reſpondit:

Pater ſancte, ò utinam cauſſa iſta in rationibus reverendi Archiepiſcopi Compoſtellani nunc propoſitis remaneret, & aliæ undique allegationes ceſſarent, maximè ſi per prædicta credat ſe poſſe defendere Toletanæ Eccleſiæ nullam ſe debere obedientiam: ad quod breviter reſpondeo. Cauſſa mea deriſoria fortaſſe videbitur, non tamen ſapientibus, ſed inſipientibus. Si antiquitatem Compoſtellanæ Eccleſiæ pro te facere exiſtimas, antiquitas iſta centum & novem annorum ſpatio continetur: quod ſic perſuadeo. Dominus Calliſtus Papa, ad inſtantiam Principis, cleri, & populorum Hiſpaniæ, Metropoliticum jus antiquæ & celeberrimæ civitatis Emeritenſis Compoſtellam tranſtulit anno Domini MCXXIV. tum quia civitas Emeritenſis erat ſub dominio Sarracenorum conſtituta, tum quia peregrinantium devotio, qui ob reverentiam B. Jacobi, cujus corpus ibidem creditur eſſe ſepultum, in melius ſemper creſceret. Nam uſque ad hæc tempora oratorium quoddam admodùm parvum erat locus ille, in quo nunc ſita eſt Compoſtellana Eccleſia. Antiquior eſt ergo Eccleſia Toletana, quæ fundata eſt à tempore Eugenii, qui Paulli Apoſtoli fuit diſcipulus. Si nobilitate Eccleſiæ ſuam tueri cauſſam nititur, propter invocationem B. Jacobi; licèt Apoſtolorum appellatio nobilis ſit & illuſtris, nobilior tamen eſt & illuſtrior B. Virginis, cujus invocatione & nomine Eccleſia quæcumque auguſtiſſima & celeberrima efficitur, & potiſſimùm Toletana, quam ipſa Virgo ſanctiſſima præſentiâ ſuâ viſere voluit atque dignata eſt, cùm quondam B. Ildephonſo Archiepiſcopo Toletano ſacrificium Domino offerenti, & omnibus præſentibus, qui divinum audiebant officium, ſe viſibilem præbuit. Si præterea in ſuæ cauſſæ confirmationem conſanguinitatem Domini inducit; certè nemo ſanæ mentis ignorat, arctiori conſanguinitatis vinculo beatam Virginem Domino copulatam eſſe, quem concepit, peperit, nutrivit, & uſque ad Crucis patibulum & ſepulcrum ſecuta eſt.

58. Si inducat etiam primam divini verbi promulgationem & plurimorum converſionem ad Fidem Chriſti in Hiſpania; qui divinam paginam noverunt, teſtimonium perhibeant. Ego tantùm legi datam ai fuiſſe poteſtatem prædicandi ª in Hiſpania: ſed interim, cùm per Judæam & Samariam divinam legem ſeminaret, ſub Herode Hieroſolymis truncato capite exhalavit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quò nondum ingreſſus eſt? * Aut ſine prædicatione quos obſecro convertit ad Dominum? Memini bene in primis me annis accepiſſe à quibuſdam ſanctis monialibus & religioſis viduis paucos admodùm ejus prædicatione ad Fidem converſos eſſe; in qua cùm tam exiguos progreſſus effici videret, in patriam reverſus fato functus eſt. Si nobilitatem etiam ſepulturæ inducant, quòd ibi Divus jaceat Jacobus; libenter aſſentior cum his qui iſtud aſſerunt, licèt quidam affirment corpus ejus Hieroſolymis requieviſſe, poſtea raptum à diſcipulis, delatum eſſe & ſepultum apud Compoſtellam. Abſit autem, ut propter gloriam hujus Primatûs aſſeram corpus Beatæ Virginis, quod firmiter credimus in cœleſtibus cum Domino glorioſum eſſe, in Eccleſia Toletana fuiſſe aliquando ſepultum, pedibus humanis quotidie conculcandum. Membratim enim dilaniari me potiùs paterer, quàm ad hoc affirmandum animum adjicere. Videat ergo dominus Compoſtellanus, an debeat Eccleſiæ Toletanæ faſces ſubmittere. Sed omiſſis rationibus, ſi placet, reſpondeat propoſitæ quæſtioni. Dominus autem Compoſtellanus reſpondit, quòd licèt Toletanus eſſet Hiſpaniarum Primas, quod falſiſſimum erat, non tamen ejus ſuffraganei deberent ei in aliquâ re obedire: quâ reſponſione multi crediderunt Compoſtellanum conteſtatum eſſe litem.

59. Pro Tarraconenſi autem Archiepiſcopo, qui non aderat, reſpondit Epiſcopus Vicenenſis, ſuffraganeus ejus, pro ſe & pro aliis ſuffraganeis ejus abſentibus, Toletanum Archiepiſcopum nec eſſe Primatem, nec ſe debere illi in aliquo obedientiam præſtare:

60. Narbonenſis, qui tunc aberat, ſequenti die in pleno Conſiſtorio reſpondit, ſe ad hoc citatum non fuiſſe. Acta ſunt hæc apud Lateranum octavo Idus Octobris, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo decimo quinto, Pontificatûs domini Innocentii Papæ III. anno decimo octavo. Hæc ex libro manuſcripto Eccleſiæ Toletanæ.

61. ¹ Quæ omnia peregit publicè Rodericus Ximenius Romæ in ſui Primatûs cauſſa, quam obtinuit. Nam ſummus Pontifex Primatûs honorem eidem coràm omnibus detulit; ſicut antè in diplomate conceſſerat: idemque Honorius & Gregorius ejus ſucceſſores probaverunt. ᵇ Alteram etiam ſedavit

* Hæc quoque falſiſſima.

Exceptio Compoſtellani Epiſcopi contra Primatem Toletanum.

Replica Roderici contra Compoſtel. pro Primatu.

a Beatus Jacobus Apoſtolus, filius Zebedæi in Hiſpaniam venit, & ibi prædicavit Chriſti Evangelium, & in tota provincia novem tantùm ad fidẽ aſſerunt converſiſſe. Verùm Beatus Calliſtus Papa in Epiſtola tranſlationis ipſius, dicit illum plures feciſſe diſcipulos, ſed duodecim habuiſſe ſpeciales, quorum novem dum adhuc viveret, in Gallæcia elegiſſe, præterea dum Cæſarauguſtæ prædicationis gratiâ moratur, Virginis Mariæ admonitu templum erexiſſe ipſi dicatum, quod nunc dicitur, *Nueſtra Señora del Pilar*. Atque hæc fuit prima in toto orbe Chriſtianorum Eccleſia, in qua ſemper cultus divinus viguit, eſtque innumeris nobilitata miraculis. Jacobus verò relictis duobus in Hiſpania diſcipulis, cum reliquis in Judæam rediit, ibique martyrium primus omniũ Apoſtolorũ ſubiit anno primo Tiberii Cæſaris: occiſus eſt 25. die Martii: corpus à diſcipulis navigio impoſitũ ab Joppe ſolventibus in Hiſpaniam appulit, VIII. Kalendas Auguſti, quo die præcipuũ ejus feſtum ab Eccleſia colitur, & in civitate Iria ſitũ, deinde in Compoſtellam tranſlatũ tertio Kal. Januarii; quo die in tota Hiſpania tranſlatio ejus celebris eſt.

* *Non eſt veriſimile, Rodericum ita loquutum in Concilio illo Lateranenſi, contra traditionem antiquiſſimam & certiſſimam totius Hiſpaniæ, de qua egimus Tomo I. Diſſert. IX.*

Exceptio Tarraconenſis & Narbonenſis Epiſc. contra Primatum Tolet. Primatus Roderico adjudicatus.

b Hanc controverſiam vide apud Zuritam lib. 6.

davit Rodericus controverſiam in Aragonia cum Petro de Albalate Archiepiſcopo Tarraconenſi, ortam [c] ex conſtitutione quadam adverſus Toletanum Primatem in illa diœceſi lata, quam Gregorius Papa nonus irritam fecit. Rodericus igitur Ximenius jus Primatûs Toletani acerrimè tutatus eſt, ſuiſque ſucceſſoribus ſummam in hac parte auctoritatem moriens reliquit, nimirum Joanni ſecundo, & Gutierio, qui ab Innocentio IV. confirmationem horum omnium conſecuti ſunt. Gutierio Sanctius Caſtellæ Infans, [d] filius Regis Ferdinandi III. ſucceſſit, qui à prima ætate omni fuit in Eccleſia Toletana officii genere informatus, & ex canonico in Archiepiſcopum aſſumptus: qui, ut ſtrenuus miles, in prœlio Sarracenorum occubuit. In hujus locum ſuffectus eſt Sanctius Jacobi primi Aragoniæ Regis filius. Eo Præſule ſancta Synodus Lugdunenſis [e] coacta eſt, in qua procuratores habuit qui ab * Alexandro IV. primatus confirmationem obtinuerunt. Demum Archiepiſcopi omnes, qui à Sanctio Aragonio uſque ad Joannẽ Aragoniæ Infantem, Jacobi II. Regis filium, continenter proceſſerunt, Primatus munere pacificè functi ſunt. Joannes verò Infans in Aragonia, ubi creatus fuit Præſul Toletanus, cum Archiepiſcopis Ximenio & Petro de Luna utroque, illo Tarraconenſi, hoc verò Cæſarauguſtano, inteſtina diſſenſione, quòd ſublatam crucem ante ſe ferret, invicem contenderunt; quam Joannes Toletanus regio fretus adjumento ſuſtinere potuit. Nam pater Rex ægrè tulerat injuriam à Petro de Luna Archiepiſcopo Cæſarauguſtano illatam filio, quem percuſſerat anathemate ob erectam ante ſe crucem Cæſarauguſtæ, ut inſigne Primatûs, filioque auxilium dedit, quo poſſet ſe à vinculo anathematis enodare, injuriamque illatam propulſare. Fuit hæc res maximi momenti; quippe quæ ad regiam dignitatem ſpectare videbatur, in cujus & Archiepiſcopi Toletani conſpectu injuria filio irrogata eſt: neque aliter Regis animus placari potuit, quàm Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ad quam cauſſam veluti rem magni ponderis, deferre voluit. Neque Cæſarauguſtano & Tarraconenſi eſt data unquam facultas cohibendi Toletanis Præſulibus jus Primatûs in ſuis diœceſibus: irritum enim eſt & inane quod fit ab Epiſcopis adverſus auctoritatem Romani Pontificis, à qua Primatus Hiſpanici dignitatis Toletana ſedes ortum habet; quandoquidem ipſemet Ximenius à Luna, cùm ſedem Tarraconenſem pro Toletana cum eodem Joanne Infante commutâſſet, jure Primatûs in Tarraconenſi ditione eſt uſus. Idem aliqui poſteriores præſtiterunt, nimirum Joannes Contreras, Petrus Gonzalez de Mendoza, Frater Franciſcus Ximenius, quemadmodum ſuis locis dicemus. Compoſitis autem his motibus & controverſiis, aliiſque compluribus, quæ Joannem Infantem ad deponendum ultrò Archiepiſcopatum Toletanum compulerunt. Cùm Sanctius de Rojas inclytus & egregius Præſul è vita migrâſſet, cooptatur in ejus locum Joannes Contreras, qui à Martino Papa V. diploma impetravit, quo poſteriores controverſiæ, futuraque diſſidia omnino ſublata ſunt. Nam illo Pontificis decreto cautum eſt, ut in omnibus ſacellis Pontificiis, in conventibus & Conciliis Generalibus, Archiepiſcopo Toletano, veluti Patriarchæ, ſupra omnes Archiepiſcopos ſedes ſuperior decerneretur, & ut in tota Hiſpania, tanquam in provincia ſua, Primatis titulo & poteſtate decoraretur, & ut ab omnibus ut Primas veneraretur, ut Primatûs & Patriarchæ inſigna ante ſe ſemper ferret, abſque cujuſpiam repugnantia aut contradictione. Conceſſione hac & privilegio uſus eſt in Concilio Baſileenſi: ubi Cardinalis Jacobatius refert, & ſedendo, & ſententiam dicendo Primatem egiſſe Hiſpaniarum. Quâ etiam poteſtate eſt uſus in regnis Caſtellæ, Aragoniæ, & Navarræ, ut apertè conſtat ex Epiſtola Joannis II. Regis ad civitatem Burgenſem miſſa, in qua Rex teſtatur ſe vidiſſe Archiepiſcopum Joannem Riazam tam in hoc regno quàm in aliis cruce præcedente, etiam in ipſius Regis præſentia, incedere ſolitum eſſe, & præcipuè Tyraſſonæ, in qua aliquot commoratus dies, cauſſas ad Regem ſpectantes abſolvit. Efficitur ergo ex his, Primatûs dignitatem tantæ auctoritatis eſſe, & in Regis majeſtatem ita cedere, ut nullus debeat de ejus propagatione eſſe ſolicitior quàm Rex ipſe. Et licèt regium ex more vexillum Regem antecedat, non tamen ideo pati debet, ut Archiepiſcopi Toletani crux, quod Primatûs eſt inſigne, è medio tollatur, ſed potiùs ut erecta ſemper maneat. Exemplo nobis ſunt excellentiſſimi & invictiſſimi Reges, Chriſtianæ Religionis lumina, & firmiſſima propugnacula, uterque Alphonſus, qui in difficillimis magniſque prœliis Navarum & Tariſæ, ſocios certaminis Archiepiſcopos præſtantes habuerunt, cruce eorum erecta, Rodericum Ximenium, & Gilium Albornoz: ſicut etiam maximi Reges Catholici Archiepiſcopos Alphonſum Carrillo, & Petrum Gonzalez de Mendoza. Decet ergo regiam majeſtatem Primatis crucem præſeferre, ſub cujus tutela ac ſumma potentia ampliſſimas victorias ac triumphos de religionis Chriſtianæ immaniſſimis hoſtibus reportârunt, & quò propenſiùs ad Primatis crucem exaltandam animum adjecerunt, eò excellentiorem ſuis vexillis & inſignibus gloriam contulerunt; in cruce Primatûs eum venerantes, qui chirographum decreti adverſus nos ſtabilitum abrupit & delevit.

[c] Hanc Conſtitutionem edidit Petrus de Luna Archiepiſc. Cæſarauguſt. in qua continebatur, ut nullus Archiepiſcopus crucẽ efferret in provincia Cæſaraug. ſub anathematis pœna, & ceſſatione divinorum officiorum: id patet ex diplomatibus Eccleſ. Tolet. & Zurita.

[d] Filius Ferdinandi III. ex prima uxore.

[e] Concil. Lugdunenſe de proceſſione Spiritus ſancti anno Domini MCCXLVI. Joannes Infans Epiſc. Tolet. defendit Tolet. Primatum.

* Multa hic falſa aut dubia.

Joannes Contreras Epiſc. Tolet. Primatûs defenſor.

62. In locũ Joannis Contreras cooptatus eſt Joannes Cerezuela frater Alvari de Luna, militiæ Divi Jacobi ſupremi Magiſtri, qui confirmationem Primatûs à Martino V. obtinuit. Deinde ad Alphonſum Carrillo ſedes derivata eſt, virum certè ſpiritu erecto & cerebroſo præditum, quo uſus eſt, non tantùm in regni regimine, verùm etiam in hac dignitate tuenda & conſervanda: ipſe namque diſſidia omnia & controverſias ſuper hac re excitatas non modò compreſſit, ſed penitùs extinxit. Nam Alphonſus Carthagena Epiſcopus Burgenſis, divinis & humanis literis eruditus, omni ſtudio conatus eſt, ne Toletanus præcedente cruce Burgos veniret: quem nihilominus urbem ingreſſum Burgenſis ſacris interdixit. Immo & civitas ipſa, cùm ſibi perſuaſiſſet ab antiqua illa auctoritate ſe dejici (qua veluti Caſtellæ caput Toleto nititur in omnibus Comitiis præire) ſi Primati Eccleſiæ Toletanæ ſe ſubderet, ingreſſum urbis Archiepiſcopo intercluſit, idque armis impedire conata eſt. Nihil tamen profecit: nam Toleta-

Joannes Cerezuela Epiſcopus Tolet. Quid pro primatu Toletano.

nus coram Joanne II. Rege de vi & civitatis oppreſſione conqueſtus, ad ſupremum ſenatum cauſſam remiſit: quo etiam Burgenſis ſe contulit: ibique omnia ſunt exhibita diplomata Romanorum Pontificum ſuperiùs memorata, & ultimum etiam Martini V. Joanni Contreras conceſſum. Quibus conſi-

a Anno Domini MCCCCXLVIII.

deratis, Epiſcopo a Burgenſi præceptum eſt, ne Toletani Archiepiſcopi antiqnum jus perverteret. Cumque Burgenſis cauſſa caderet, ſacrorum prohibitiones atque interdicta ſublata ſunt: etiam ſenatui civitatis in mandatis datum eſt, ne veteri Præſulem Toletanum poſſeſſione dejiceret; quod & fecerunt Epiſcopus & civitas. Et Alphonſus Carrillo facultate uſus, poſſeſſione recuperata, ſublata cruce Burgos iterum ingreditur, luſtratque omnia ejus diœceſis oppida. Cauſſa nihilominus vehementiùs agitabatur, donec compoſita per arbitros in hunc modum eſt; videlicet, ut Toletanus Antiſtes Epiſcopum Burgenſem immediatum Sedi Apoſtolicæ cognoſceret & fateretur: Burgenſis verò Toletanum, ut Primatem Hiſpaniarum, qui poſſet in univerſa Burgenſi diœceſi ſublatam crucem præſeferre, & populum benedicere, & publicè & privatè ſacra peragere. Hoc autem decretum inviolabili utriuſque jurejurando ſtabilitum eſt. Qua in re Alphonſus Carrillo præſtantioris animi atque majoris virtutis documen-

b Anno Domini MCCCCXLVIII. die 27. Auguſti.

ta dedit, quàm Gundiſalvus ſecundus, qui amicitiæ cauſâ, b cum Petro Burgenſi, crucem publicè, dum Burgos ingrederetur, non erexit, licèt coram notario profeſſus ſit, nolle ſe præjudicium aliquod Primatui inferre, ſed tantùm amicitiæ priſtinæ conſulere. Etiam Gometius Manrichius reprehenſione non caret: nam Epiſcopatu Burgenſi vacante, cùm ipſe unà cum Enrichio ſecundo Rege Burgos ingreſſus eſſet, iniquam cum Burgenſibus de Primatu pactionẽ fecit; ut apertè conſtat ex ejus proteſtatione, ab eadem civitate exhibita, cùm Petrus Tenorius Archiepiſcopus ad regalia Comitia eſſet vocatus, quæ Joannes primus Rex Burgis haberi inſtituerat: qui etiam reclamante populo Burgenſi, nonniſi cruce elata civitatem ingredi voluit, ut in archivis Eccleſiæ Toletanæ latiùs teſtatum reperitur. Et quoniam literis Joannis Regis, in gratiam Alphonſi Carrillo datis multa continentur animadverſione digna, quippe quæ complectantur ea quæ ad jus Primatûs & auctoritatem ſpectant, non abs re fore putavi, ſi eas hîc insererem, non verſas in Latinum idioma, ſed eodem quo datæ fuerunt vernaculo, in quo eſt ſumma gravitas & auctoritas.

DON JUAN Por la gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Toledo, de Galicia, de Sevilla, de Cordova, de Murcia, de Jaën, del Algarve, de Algezira, Señor de Vizcaya y de Molina. A vos el Reverendo Padre Don Alonſo, Obiſpo de la Igleſia de la muy noble ciudad de Burgos, cabeza de Caſtilla, mi Camara, Oidor de la mi Audiencia, è mi Referendario, è del mi Conſejo, como aquel que precio, è de quien mucho fio.

63. YA Sabedes el debate y queſtion que hà ſido entre el Reverendo Padre en Chriſto Don Alfonſo Carrillo Arçobiſpo de Toledo, Primado de las Eſpañas, è Chanciller mayor de Caſtilla, è del mi Conſejo de la una parte, y vos de la otra: ſobre razon que el dicho Arzobiſpo metiò en eſſa ciudad la cruz infieſta al tiempo que en ella entrò, è el entredicho que por la dicha cauſſa vos puſiſtes y mandaſtes guardar en la dicha vueſtra Igleſia, y en las otras Igleſias de eſſa ciudad; è en como el dicho Arzobiſpo embiò à mi ſobre ello ſus menſageros; è anſi meſmo vos veniſtes por vueſtra perſona à las coſas que ante mi, y en el mi Conſexo fueron propueſtas è allegadas por ambas las dichas partes, cada uno en guarda de ſu derecho: y lo que por mi fue mandado è acordado que por entonces ſe fizieſſe; de que mas largamente ſe face mencion en ciertos mis autos que ſobre ello yò mandè dar.

64. E agora por parte del dicho Arzobiſpo fue propueſto y alegado ante mi, y en el mi Conſejo, que ſu derecho en eſta parte, è de ſu dignidad è primacia eſtà muy claro, ſegun ſe contiene en ciertas bulas que ſobre ello ſueron halladas en el ſagrario de la ſanta Igleſia de la muy noble ciudad de Toledo: los tranſumptos y copias de las quales autorizados è autenticados le fueron embiados por el cabildo de la dicha ſu Igleſia: por las quales ſe contiene expreſſamente, que los Arzobiſpos de Toledo ſon Primados, no ſolo de las Igleſias de mis reynos, mas de todas las otras Igleſias de los reynos de las Eſpañas, ſegun que lo fueron antiguamente, antes que los Moros, enemigos de nueſtra ſanta Fee, ganaſſen eſtos mis reynos, è los otros reynos de las dichas Eſpañas, è que eſpecialmente ahora en nueſtros tiempos el Papa Martin V. de bienaventurada recordacion, diò ſus bulas à Don Juan de Riaça, Arzobiſpo que fue de Toledu, primadu de las Eſpañas, Chanciller mayor de Caſtilla: por el tenor de las quales, por la authoridad Apoſtolica dicerniò, y declarò, è eſtableciò, que el dicho Arzobiſpo de Toledo, è ſus ſucceſſores en las capillas del dicho Papa Martin, è de los otros Papas ſus ſucceſſores, y en los generales Conſiſtorios è Concilios, y en otros qualeſquier lugares publicos è privados, tuvieſſen lugar, y fueſſen antepueſtos è preferidos allende de los Protonotarios de la Sede Apoſtolica, è allende de todos los otros Arzobiſpos que antes dellos avian ſido promovidos, que Primados è electores del Imperio non fueſſen.

65. E otroſi, que el dicho Arzobiſpo de Toledo è ſus ſucceſſores, libre y licitamente puedan uſar è gozar de todas è qualeſquier prerogativas, è privilegios, è inſignias que en qualquier manera puedan competer à los venerables Patriarcas, à ſemejanza de los quales ſon los Primados: è han eſſa meſma dignidad, è ſon de enſalzar igualmente por adminiculos de eſſa meſma preeminencia è honor, aunque hayan diverſos nombres. Lo qual todo el dicho Papa Martin conſtituyò, è decerniò, è declarò, è mandò que ſe guardaſſe aſsì irrefragable y perpetuamente en todos los tiempos advenideros, no embarganb-

tes qualeſquier conſtituciones Apoſtolicas, è eſtatutos è coſtumbres de qualeſquier Iglaſias è lugares, aunque fueſſen confirmados por la Sede Apoſtolica, ò por qualquier juramento, ò en otra qualquier manera; ni otras qualeſquier coſas que en contrario fueſſen: è diputò ciertos executores, à los quales mandò que lo fizieſſen aſſi guardar, è dieſſen para ello toda ayuda; è non permitieſſen que el dicho Arzobiſpo de Toledo, ni ſus ſucceſſores, ni alguno dellos, fueſſen moleſtados dende en adelante en alguna manera contra lo ſuſo dicho; ò que compelieſſen por toda cenſura Eccleſiaſtica à qualeſquier contraditores: ſegun que eſto y otras coſas mas largamente ſe contiene en las dichas bulas.

66. Segun lo qual fue viſto en el mi Conſejo, que el dicho Arzobiſpo Don Alfonſo Carrillo, como primado de las Eſpañas, igual do Patriarcha, puede infieſta è alçada traher la dicha cruz, non ſolamente en vueſtra Igleſia y dioceſi, y en todas las otras Igleſias y dioceſis de mis reynos, anſi de Arzobiſpos como de Obiſpos, quandoquier que ſedes eſſentos, mas aun en todas las Eſpañas, como en provincia de ſu Primacia ò Patriarcado. E que pues el Papa otorgò eſto à los Arzobiſpos de Toledo, lo qual redunda en gran ſervicio mio, è honor de la Corona real de mis reynos, no eſtà en razon que le ſea embargado por vos, ni por los Prelados, Arzobiſpos, ni Obiſpos, ni otros qualeſquier de las Igleſias de mis reynos: è que no ſolo yò devo mandar que en mis reynos ſe faga y guarde anſi, mas procurar con todas mis fuerzas que en los otros reynos de las Eſpañas ſea guardada eſta prerogativa è preeminencia à los Arzobiſpos de Toledo, como Primados ò Patriarchas de las dichas Eſpañas.

67. Lo qual no es ſin cauſſa, pues como vos bien ſabedes, la muy noble ciudad de Toledo es Metropolitana en todas las Eſpañas, è la ſanta Igleſia della es una de las quatro mayores de todo el Mundo. Por lo qual con gran razon los ſantos Padres de la Igleſia de Dios antiguamente dieron y otorgaron la primacia ò patriarcado de las Eſpañas à los Arzobiſpos de Toledo: è deſpues que la tierra ſe ganò del poder de Moros, gela reſtituyeron è tornaron, ſegun y en el eſtado que antiguamente la tenian. E ahora poſtrimera è nuevamente ga la renovò, è conſtituyò, è decernìò, è declarò el dicho Papa Martino V. por las dichas ſus bulas. Mayormente que yo sò bien cierto; que el dicho Arçobiſpo Don Joan de Riaza, todo el tiempo que anduvo con migo en mi corte traxo la cruz infieſta por qualeſquier ciudades, villas, è lugares, à dioceſis de qualeſquier Arzobiſpados è Obiſpados de los dichos mis reynos, quantoquier que ſe digan ſer eſſentos, donde yo iva, y el conmigo: eſpecialmente nor villas y lugares de la dioceſi de vueſtro Obiſpado. E aun sò informado por perſonas dignas de creer, que deſpues que el dicho Papa Martin le diò y concediò las dichas bulas, ſiempre traxo cruz infieſta por qualeſquier partes fuera de mis reynos do quier que anduvo: è ſpecialmente, que el è los otros por mi diputados ſobre los debates que eran entre mi è los Reyes de Aragon è de Navarra, hovieron de entrar en Aragon; y ſeñaladamente en Taraçona, el dicho Arzobiſpo ſiempre metiò ò traxo la cruz alzada è infieſta ante sì: è que le fue tolerado por los Prelados, non ſolò de mis reynos, mas fuera dellos.

68. Segun lo qual grave coſa ſeria, que ahora le fueſſe impedido por vos, ni por otro Prelado, Arzobiſpo, ni Obiſpo de mis reynos; nin ſeria coſa razonable, prejudicaſſe al dicho Arzobiſpo nin à ſu dignidad, è Igleſia, qualeſquier aotos que algunos ſus predeceſſores contra eſto huviſſen fecho ò conſentido: mayormente pues deſpues de todo aquello el dicho Papa Martin V. conſtituyò, è decerniò, è declarò que el dicho Don Juan Arzobiſpo de Toledo; y ſus ſucceſſores igualmente, ſin otra differencia nin diſtincion real, pudieſſen gozar è gozaſſen de las inſignias è prerogativas è privilegios que à los Patriarchas en qualquier manera pueden competer.

69. Porque vos ruego è mando que veades los dichos tranſumptos è copias de las dichas bulas autorizadas, que en eſta razon vos ſeran monſtradas: è conformandovos con ellas, como de razon lo devedes fazer, è anſi miſmo con mi voluntad en eſta parte eſpecialmente por eſto redundar tanto en ſervicio mio è honor de la Corona real de mis reynos, como ſuſo es dicho: è porque ſi por vos les fueſſe contradicho, ſeria dar exemplo à los otros Prelados, nò ſolo de mis reynos, mas aun de fuera dellos, para fazer ſemejantes contradicciones, dedes lugar que el dicho Arzobiſpo, como Primado de las Eſpañas, ſin embargo ni contradiccion vueſtra libremente pueda fazer traer ante ſi infieſta è alzada la cruz por eſſa ciudad y vueſtra dioceſi, pues ſe halla por las dichas bulas, que licita y libremente le compete lo ſuſo dicho, como inſignias de ſu Primacia ò Patriarcado, è lo puede bien fazer: è luego alcedes de todo el entredicho, que por la dicha cauſſa hoviſtes pueſto, ò publicado, ò declarado en eſſa ciudad: en lo qual me faredes ſingular plazer è ſervicio: è por coſa alguna non cumple que fagades ende al; ca por eſta miſma via entiendo mandar, que lo guarden todos los otros Prelados de mis reynos, aſſi Arzobiſpos como Obiſpos, è otros qualeſquier; è procurar, è trabajar porque ſe guarde en ſien todas las Eſpañas. E por eſto no es mi intencion de prejudicar, ni que ſe faga prejudicio alguno à vos, ni à vueſtra Igleſia è dignidad en otras coſas algunas tocantes à la ingenuidad è eſſencion de vueſtra Igleſia è dignidad: mas que vos queden ſiempre à ſalvo en todas otras qualeſquier coſas, como dicho es. Dada en la villa de Navarrete, veynte dias de Agoſto, año del nacimento de nueſtro ſeñor Jeſu Chriſto de mil y quatrocientos è quarenta y ocho años. Yo el Rey. Yo el Doctor Farnando Diaz de Toledo, Oidor è refrendario del Rey, è ſu ſecretario, lo fize eſcrivir por ſu mandado.

70. Demum Alphonſus Carrillo eodem jure Primatûs uſus eſt in regalibus Comitiis habitis in oppido *Fontidueña*, quo Epiſcopi omnes Hiſpaniæ congregati ſunt, illiſque præfuit, & primum locum in ſedendo & dicendo inter omnes obtinuit; cùm tamen adeſſet ibi Petrus Gonzalez de Mendoza Epiſcopus Seguntinus, & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. Et non ſolùm Archiepiſcopi ipſi Tolet. quoties conven-

Alfonſus Carrillo uſus eſt primatu.

tus Eccleſiaſtici fiunt, cæteris, etiam Cardinalibus, dum Epiſcopi ſint, & antiquioribus Archiepiſcopis præferuntur; verùm etiam ſi fortè Toletana ſedes Apoſtolico gubernatore regatur, ipſe rector reliquis Hiſpaniæ Epiſcopis præeminet, ut [a] Joanne Secundo regnante evenit: nam Petro Tenorio vitâ functo ſedes Toletana per aliquot annos Præſule caruit; verùm Petro à Luna conceſſione Benedicti Papæ patrui ſui Pontificium adepto, non ſuffragante capitulo adduci Rex non potuit ut illum in ſedem admitteret, niſi capituli Toletani præceſſiſſet electio. Dum hæc agebantur, octo fermè annos rexit & adminiſtravit Eccleſiam Toletanam Joannes Epiſcopus Seguntinus, qui in regalibus Comitiis Toleti habitis, in conventu Eccleſiaſtico Epiſcoporum primus ſedit, & primus ſententiam dixit; non pro ſe tantùm, verùm etiam pro omnibus Epiſcopis qui aderant & aberant. Immo &, quod majus eſt, teſtamentum à Rege [b] Henrico factum, ſigillo muniri voluit gubernatoris Epiſc. Seguntini, ut referentis Hiſpaniæ Primatis auctoritatem.

[a] In Chronico Joannis Secundi Regis Caſtellæ.

[b] Hiſtoria Henrici cap. 16.

Petrus Mendoza Epiſc. Tolet.

71. Petrus Gonzalez de Mendoza, qui Alphonſo Carrillo ſucceſſit (ambo genere illuſtres, & ex nobilibus Hiſpaniæ familiis orti) ſupremam hanc auctoritatem tueri & augere curavit: quod & re fecit: nam in omni Hiſp. & Narbonenſi Gallia crucem erectam, ut Primatis inſigne, præ ſe tulit; quam argenteam & deauratam, in teſtimonium juris atque dignitatis hujuſmodi, ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ legavit his verbis.

Legatum Mendozæ.

72. Otroſi, porque la nueſtra cruz, que en ſeñal de Primado havemos traido ante nos por las provincias de Sant-Jago, Sevilla, Granada, Zaragoça, Valencia, Taraçona, Narbona, y por las dioceſis de las Igleſias que ſe dizen eſſentas de los Metropolitanos ſuſo dichos, adonde nos havemos eſtado, es la primera cruz que ſe puſo ſobre la mas alta torre de la Alhambra de la ciudad de Granada, al tiempo que fue ganada è quitada del poder de los Moros infieles, enemigos de nueſtra ſanta Fee Catholica; adonde en la toma de las mas principales ciudades del dicho reyno de Granada nos hallamos con la dicha cruz en ſervicio de Dios nueſtro ſeñor, è del Rey, è de la Reyna mis ſeñores, con nueſtra gente y eſtado; mandamos que la dicha nueſtra cruz, con ſu haſta guarnida de plata, aſſi como la nos trahemos, ſea pueſta en el ſagrario de la dicha nueſtra ſanta Igleſia, en memoria de tan gran victoria, è por decor è honor della è de los Prelados della: è alli queremos que eſtè perpetuamente, è que no pueda ſer ſacada dende, ſino à las proceſſiones.

Franciſcus Ximenius quid pro Tolet. Primatu.

73. Franciſcus Ximenius Ciſneros Cardinalis, acerrimè etiam tutatus eſt dignitatem ſuam: nam cùm iter ageret per Caſtellam, & Aragoniam, ſemper cruce eſt uſus; & de Primatu contendit cum Alphonſo Fonſeca Archiepiſcopo Compoſtellano: adverſus quem, ut Primas, inhibitorias literas dedit: quod ægerrimè Compoſtellanus ferens, cauſſam defendit libello exhibito eleganti ſatis & acuto, ſed à veritate alieno.

Joannes Tavera defenſor Primatus Tolet.

74. Poſtea Joannes Tavera Cardinalis eâdem uſus eſt auctoritate in Comitiis Toleti habitis juſſu Imperatoris Caroli V. Ibi enim Eccleſiaſticæ Congregationi totius regni coactæ cum magna ſui nominis gloria præfuit. Inter alios qui in eum locum convenerunt, fuit Garſias Loaïſa, Cardinalis & Præſul Hiſpalenſis, qui in [a] Cardinalitiæ dignitatis antiquitate Toletano anteerat. Inter eos, ut erant viri ſapientiâ præſtantes, urbaniſſima contentio & comitatis pleniſſima de priori loco exorta eſt. Dicebat enim [b] Cardinalis Tavera, primum locum Cardinali Loaïſæ, non ſibi deberi, propter Cardinalatûs antiquitatem. Econtrà verò Cardinalis Garſias Loaïſa, primam in omnibus congregationibus ſedem Toletano Præſuli, quòd Hiſpaniarum Primas eſſet, jure conferri aſſerebat: cujus tandem ſententia ut æquior vicit, amboque in capite ſederunt, licèt digniorem tenuit locum Joannes Tavera, qui jure Primatûs auctoritatem præſidis in omnibus ſemper exercuit. Exteri etiam doctores juriſconſulti Primatum Eccleſiæ Toletanæ comprobant, præſertim Alexandrinus ex cap. *Cùm longè*. 63. d. & *Speculator*, titul. *De diſpenſ.* §. *Sunt quoque nonnulli*. & Alberic. in rubric. §. ff. *De ſtatu homin.* Quam ſententiam Alberici Felicinus maximè probat in rubric. *De maior. & obed.* Noviſſimè etiam in Concilio Tridentino inter Petrum Guerrero Archiepiſcopum Granatenſem & Bartholomæum à Sanctis Bracarenſem orta eſt quæſtio, Patribus Concilii judicantibus Granatenſi antiquitatem conſecrationis eſſe ſervandam, præferendumque Bracarenſi in loco & voce.

[a] Onuphrius de Cardinalibus, Garſias creatus in quinta creatione Clementis VII. anno D. MDCXXIX.

[b] Eodem anno, ſed poſtea Joannes Tavera.

Primatus Tolet. defenditur à juris conſultis.

Epilogus Auctoris de Primatu Tolet.

75. Hunc igitur curſum Eccleſiæ Toletanæ Primatus ab Eugenio Primo Præſule uſque in hanc ætatem habuit: & licèt (ut ſunt res humanæ) viciſſitudinibus variis & commutationibus, veluti procellis, agitatus fuerit; ſemper tamen in tam longa continuataque ſerie tot Pontificum Maximorum, tot Imperatorum, & Regum Gotthorum, Wandalorum, Suevorum, Caſtellanorum, illibatus firmuſque permanſit. Tametſi temporum injuriâ aut hominum ſtudio labi cœpit; quam primùm reſtituta eſt Toletana urbs cultui Chriſtiano, primatus eſt iterum erectus reſtitutuſque. Ex quo conjectari licet, divino afflante ſpiritu ex Apoſtolis manâſſe, radiceſque egiſſe, & eodem ſancto numine curante, beataque Virgine Maria, ſub cujus tutela militat, deprecante, reliquum temporis curſum, uſque ad extremum judicii diem, beato feliciique progreſſu acturum.

APPEN-

APPENDIX

AD TRACTATUM ILLUSTRISS. D. GARSIÆ LOAISÆ De Primatu Eccleſiæ Toletanæ,

Ex Ludovico Thomaſſino Oratorii Gallicani presbytero, Tomo I. De Beneficiis, *lib. 1. cap. 38.*

56. CUM ſibi Chriſtianoque nomini profligatis Mauris Toletanam civitatem recuperâſſet Alphonſus ejus nominis ſextus toletanus Rex, poſtquam in hoſtium poteſtatem ea venerat annis CCCLXVIII. tum verò ille multis apud Urbanum II. exoravit, ut antiquiſſima Hiſpaniæ Metropolis in illam. Ipſam reſtitueretur amplitudinem, quâ quondam fruebatur, antequam Maurica colluvies in Hiſpanias exundaret. Cauſſæ æquitatem juvabat recens Regis victoria. Itaque Toleto redintegrata eſt antiqua Primatia, quâ pollebat in omnes Hiſpaniæ Metropolitanos. *Tuis exhortationibus invitati, Bernardo Toletanæ urbis Præſuli pallium contradentes, privilegium quoque Toletanæ Eccleſiæ antiquæ majeſtatis indulſimus. Ipſum enim in totis Hiſpaniarum regnis Primatem ſtatuimus, & quicquid Toletana Eccleſia noſcitur antiquitus habuiſſe, nunc quoque ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate in poſterum habere cenſuimus. Tu illum ut Patrem chariſſimum exaudias, & quæque tibi ex Domino nunciaverit, obedire curato.* Ipſiſſima ſunt Urbani II. Epiſtolæ verba ad Regem Alphonſum, qui in Hiſpaniæ Primate habiturus deinceps erat, & parentem optimum, & ſapientiſſimum monitorem. Scripſit & ad Archiepiſcopum Tarraconenſem Urbanus, Primatum à ſe Toletano conceſſum ea ratione, ut Metropolitanis illibata ſua conſtarent privilegia. *Salva Apoſtolicæ ſedis auctoritate, & Metropolitanorum privilegiis ſingulorum.* nimirum ut ne toties emetiendo Romano itinere fatigarentur poſthac Hiſpani, apud Primatem cauſſas difficiliores deinceps acturi. *Si quid igitur inter vos grave contigerit, quia ab Apoſtolica ſede procul eſtis, ad eum velut ad Primatem veſtrum omnium recurretis, ejuſque judicio quæ vobis ſunt gravia terminabitis.* Si qua verò tantis eſſent vallata difficultatibus, ut iis enodandis impar eſſet Primas; tum verò adiri Pontificem Romanum oportere. *Quod ſi fortè ipſius quoque judicio nequiverit definiri, ad Apoſtolicam Sedem, ut dignum eſt, velut ſedium omnium Principem referetur.* Itaque non ex provocationibus tantùm cauſſæ vel ad Primatem vel ad Papam referebantur: ſed quoties ſpinoſior implicatiorque incidebat quæſtio, quàm ut ſatis eã extricare poſſet vel Epiſcoporum inferiorum cœtus, vel Primas ipſe. Præcipit denique Pontifex, ut Epiſcopi qui nullis hactenus paruere Metropolitanis, pareant deinceps Primati, ut Metropolitano proprio. *Qui veſtrûm ſine Metropolitanis propriis ſunt, ipſi interim velut proprio ſubeſſe debebunt.*

77. Vix poterat tamen non animo ſuo præſagire Pontifex, quàm non facilè Metropolitanis, quorum cauſſa agebatur, perſuaderi poſſet, non novam tunc creari, ſed antiquam renovari Primatiam Toletanam. Itaque ad Tarraconenſem ſcribens, conteſtatus eſt ea lege ſe pallium ei contuliſſe ipſi, ut Primati Toletano ſubeſſet. *Memineris ita te Archiepiſcopum inſtitutum, ut tam tu, quàm univerſi provinciæ Tarraconenſis Epiſcopi, Toletano tanquam Primati debeatis eſſe ſubjecti.* Denique ut inducerent animum inſueſcerentque Epiſcopi parere Toletano Primati, Pontificia hunc communivit legatione in Hiſpaniam univerſam, & in provinciam Narbonenſem. *Nunc autem multò ampliùs, quia ei noſtræ ſolicitudinis vices in Hiſpania univerſa, & in Narbonenſi provincia miniſtrandas injunximus.*

78. Nihil reſidebat dubitationis in animo Urbani quidem, quin Toletanus quondam pleniſſima hac Primatûs auctoritate in omnes Hiſpaniæ provincias excelluiſſet, cùm tam diſertis verbis ea de re ad Archiepiſcopum Bernardum ſcriberet. *Te ſecundùm quod ejuſdem urbis conſtat exſtitiſſe Pontifices, in totis Hiſpaniarum regnis Primatem privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus, & Primatem te univerſi Præſules Hiſpaniarum reſpicient, & ad te, ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent.*

79. Sed longè alia mens erat Archiepiſcopi Tarraconenſis, qui imperio parebat alterius Regis, nec neſciebat forſan tam effuſa poteſtate nunquam ſuperioribus ſæculis potitos eſſe Toletanos Antiſtites. Itaque Caſtellano Præſuli Aragonius ſubeſſe detrectavit, cauſſatus obreptum eſſe Pontifici. Narbonenſis Archiepiſcopus animi ſui ægritudinem querelaſque in aures effudit Pontificis ipſius: graviſſimo quippe affectum ſe damno, tum Primatis Toletani, tum Metropolitani Tarraconenſis inſtitutione; ſanctiſſimè affirmans ab annis quadringentis Epiſcopis provinciæ Tarraconenſis nec Metropolitanum præfuiſſe alium, nec Primatem, quàm Antiſtitem Narbonenſem. *Cùm eos per annos quadringentos ſine alterius reclamatione Narbonenſis Metropolis poſſederit.* Pontifex miſſo in Hiſpanias Legato, delinire ſtuduit Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos, ut Narbonenſi interim Metropolitano ſubeſſent lubentiùs, dum reſtauraretur, quæ complanata fuerat civitas & Eccle-

Eccleſia Tarraconenſis: at Toletanum Primatem Legatum à latere pronunciavit, ejuſque poteſtatem in ipſam effudit Narbonenſem provinciam, ut eo temperamento allicerentur ad obedientiam Toletano Primati dependendam, tum Tarraconenſis, tum Narbonenſis Metropolitani.

80. Oppreſſa certè jacuerat annis admodùm quadringentis Tarraconenſis provincia ſub barbarica Sarracenorum dominatione. Simile veri eſt per ea tempora pleroſque ejus regionis Epiſcopos in vicinam ſe recepiſſe provinciam Narbonenſem, & Narbone moras traxiſſe. Quippe tum civitas, tum provincia hæc olim Gotthorum Hiſpaniæ Regum imperio continebatur. Cùm nec Epiſcopalium civitatum, nec ipſius Metropolis niſi rudera ſupereſſent; non illibentes ſuberant Narbonenſi, qui prolixiore in eos beneficentia, ſuam hanc in eos alebat confirmabatque dominationem.

81. Legatio ab Urbano II. demandata Primati Toletano, perſonæ hærebat, nec ad ſucceſſores transfundenda erat; quocirca nec iis quicquam reverentiæ ab aliis exhibebatur Metropolitanis. Hadrianus & Anaſtaſius minis ſævierunt in Bracarenſes Archiepiſcopos, ut eorum ſeu contumaciam ſeu conſtantiam in Toletanos Primates frangerent. Paſchalis II. Gelaſius II. Calliſtus II. & Eugenius III. Reſcriptis ſuis roborârunt univerſalem eundem Primatum Eccleſiæ Toletanæ in Hiſpanias. Eugenio III. cedere compulſus Bracarenſis paruit. Ejuſdem exſtant ea de re urgentiſſimæ ad Tarraconenſem Epiſtolæ. Ex literis Adriani IV. ad Archiepiſcopum Bracarenſem facilè intelliges, ſi quàm iſte nunquam Toletano obedientiam exhibuit, ab ea confeſtim reſiliiſſe. Innocentius III. anno MCCIX. novis reſcriptis vallavit Primatum Toletanum *per Hiſpaniarum regna*: teſtificatus ſe prædeceſſorum legere veſtigia, quorum nomina ſaltem decem recenſet. Verùm proximo pòſt anno non tacuit idem Pontifex intricatiſſimam eſſe hujus Primatûs cauſſam, nec poſſe impræſentiarum eam à ſe diffiniri, quòd bellum à Mauris immineret, nec Chriſtiana res interim his diſſidiorum procellis eſſet committenda.

82. Concilio Lateranenſi IV. præſto fuit ſub eodem Pontifice Innocentio III. eruditione & fama clariſſimus Rodericus Archiepiſcopus Toletanus. Nec mora, in cauſſam ille & jus vocavit Archiepiſcopos Bracarenſem, Compoſtellanum, Tarraconenſem, & Narbonenſem, quòd Primatui ſuo tot Pontificum reſcriptis munito non aſſurgerent. Triumphos agere maximè viſus eſt Toletanus Rodericus de Compoſtellano, patefacto non potuiſſe transferri Compoſtellam Emeritenſem Metropolin, niſi poſt annum MCXXIV. & quicquid de Jacobi Apoſtoli profectione in Hiſpaniam vulgi ſermonibus circumferebatur, haud ſatis firmis niti documentis. Denique auctor eſt Mariana, accepiſſe quidem Bracarenſem Archiepiſcopum, & nomine Tarraconenſis Archiepiſcopi Epiſcopum ab eo delegatum, harum Eccleſiarum cauſſam actitare, & oſtentare privilegia: at cùm alii quorum æquè intererat, abeſſent, *lite integra diſceſſum eſſe, neutrò inclinatis ſententiis*. Idem

Eam narrationē rejiciunt alii ut fabuloſam, & multipliciter refellit D. Marchio Mondexarenſis.

perhibet Surita: idque ipſum conſtat ex duabus Epiſtolis ab Honorio III. Innocentii III. ſucceſſore, datis ad Toletanum & Bracarenſem Archiepiſcopos. Claret indidem litem ſub hoc ipſo Pontifice innovatam, rurſum fuiſſe Romæ, & ne tum quidem deciſam. Quin immo Honorius hic ipſe III. etſi id Mariana Innocentio III. adſcribat, ut lenimenti aliquid adferret Toletano Archiepiſcopo Roderico, Primatum illi contulit in provinciam Hiſpalenſem. Et quidem Hiſpalis ipſa jugo Arabicæ dominationis tunc premebatur adhuc: ſed cùm primùm vindicata eſſet, & proprium Metropolitanum nacta, tum verò huic Primas Toletanus Pontificio decreto imminere jubebatur.

83. Multum igitur operæ induſtriæque poſuit Rodericus quidem, ut non ſplendorem ſolùm & auctoritatem, ſed etiam antiquitatis laudem Toletanæ ſuæ Primatiæ adjungeret. Hoc quoque uſus eſt argumento, quòd Toletana in Synodo XVI. Archiepiſcopus Hiſpalenſis tranſlatus ſit in Toletanam Eccleſiam, tamquam in ſedem ſuperiorem. At nihilò tamen minùs à vero propiùs abeſt quod tradit Mariana, & ſatè probat, ante Urbanum II. Epiſcopos Toletanos nihil unquam exercuiſſe ejus juriſdictionis ac poteſtatis, quæ propria Primatum eſt. In Eliberitano Concilio, immo & in Toletanis, advertit Mariana, non ſubſcripſiſſe Toletanos Præſules niſi poſt complures alios. Illud quidem certò liquet, inter antiquioris Eccleſiaſticæ diſciplinæ monumenta Hiſpanica, quinque hos Archiepiſcopos, Tarraconenſem, Bracarenſem, Emeritenſem, Hiſpalenſem, & Toletanum, longè aliis omnibus antecelluiſſe Epiſcopis, & Metropolitani nomine uſos eſſe, ſeu Primatis, quòd ea tunc duo nomina idem ſonarent: *diverſo nomine, ſententiâ non aliâ*. Id porrò proficiſcebatur aut ab antiquiſſima ſub Romanis diviſione provinciarum Hiſpanicarum: ſcilicet in Bæticam, Luſitanicam, Tarraconenſem, Carthaginenſem, & Gallæcicam: aut potiùs à complurium varia partitione regnorum, poſtquam eò irruperunt barbaricæ ab Aquilone gentes. Invaſerunt enim Wandali Hiſpalin & Bæticam, Alani Emeritam & Luſitaniam, Suevi Bracaram & Gallæciam, Gotthi Toletum & Carthaginem, Romanis ſeſe in Tarraconenſem recipientibus. Gotthi has omnes gentes ſuæ tandem ditioni ſubegerunt: ita Toletum, quod illis antè caput erat, Hiſpaniæ totius caput evaſit; eaque regia deinceps civitas à Gotthorum Regum aula & præſentia incredibilem ſplendorem & opulentiam adepta eſt. Et tamen mirabilis iſta Pontificum Toletanorum gloria & poteſtas, etiam poſtquam credita eſt illis facultas eligendorum Epiſcoporum, his valdè anguſtis cancellis cohibita eſt, ut primi ante alios omnes ſederent ac ſubſcriberent, nulla prorſus freti ejuſmodi juriſdictione, quam ſeu Primates, ſeu Patriarchæ in alios Metropolitanos exercent. *In ſubſequentibus Conciliis Toletani Præſulis prima ſemper auctoritas eſſe, primumque ſedendo ſubſcribendoque locum occupare; atque his ſe finibus Toletani Epiſcopi auctoritas continuit. Cætera Primatuum jura, qui iidem Patriarchæ ſunt, ſolo nomine diſcre-*

pantes,

pantes, ut leges Eccleſiaſticæ docent, haud quaquam obtinuit. Poſt accifas autem Chriſtianorum res, everſaſque à Mauris Eccleſias, vix Toleti ſuperfuit Epiſcopus. Dux ergo auctorque fuit Bernardus Primatiæ Toletanæ, is qui eam tunc primùm impetravit, cùm ab Alphonſo Rege expugnata eſſet Toletum. Româ ille *in Hiſpaniam cùm rediret* (ut ait Mariana) *Toloſæ vicinorū Epiſcoporum conventum habuit, facileſq; homines, minimè males, ingenii dexteritate & Gallicæ linguæ commercio, qua ab infantia uſus erat, ut imperium agnoſcerent, adegit.* Infeſtis ſemper animis hunc Primatum ſpectârunt Metropolitani Hiſpaniæ. Nonnihil eos quandoque demulcebant & deliniebant Romani Pontifices, alumno ſuo ſemper propitii. Calliſtus II. Metropolin Emeritenſem Compoſtellam tranſtulit, ſubduxitque provincias Emeritenſem & Bracarenſem Toletano Primati, ut eas Compoſtellano ſubjiceret. Habrianus IV. Primatiam Compoſtellanam extinxit, adegitque Bracarenſem Archiepiſcopum, ut Toletani Primatis imperio ſubeſſet. Anaſtaſius IV. emiſit reſcriptum, quo Compoſtellana Metropolis Toletano Primati ſubducebatur. Illud Alexander III. revocavit. Quæ geſta ſunt in Concilio Lateranenſi IV. jam prælibavimus: & rata haberi debent quæ ibi dicta ſunt, quanquam colludi & pugnare ſecum Mariana videatur, cùm ait conteſtatam & finitam fuiſſe litem, viciſſe Toletanum, ut deinceps ſupra Metropolitanos Hiſpaniæ omnes eminuerit. *Lite conteſtata reliquos Hiſpaniæ Metropolitanos vicit.* Non poteſt hæc Toletano victoria decus ullum peperiſſe, niſi ut ſupra alios ſederet: cùm eodem ipſo loco teſtatum faciat Mariana, Toletanos impræſentiarum Archiepiſcopos ſola Primatis appellatione fulgere, cùm ejus nominis rem, vel poteſtatem ne minimam quidem adrogare poſſint, ſive judicandis appellationum cauſſis, ſive edendis conſtitutionibus. *Ac ne nunc quidem præter nomen, ullam ejus poteſtatis partem exercent in alias provincias Hiſpaniæ, neque componendis litibus, neque ſontibus plectendis, neque legibus promulgandis.*

84. Hoc uno ſibi blandiebatur Toletanus eximio honoris inſigni, quòd ſolus per omnes Hiſpanias crucem circumgeſtare poſſet. Joannes Aragoniæ Regis filius, & Toletano Archiepiſcopatu auctus, Cæſarauguſtam paternum in regnum profectus, ſuo quaſi jure crucem Primatiæ propriam explicari juſſit. Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus audaciam ejus ut reprimeret, nec jura ſua impunè violari ſineret, illum incunctanter anathemati, Eccleſiam interdicto ſubjecit. Jacobus Rex Aragonum patriis primùm indulſit affectibus, mox antiquiores charioreſque ſibi eſſe debere intellexit regni ſui rationes. Pontifex quoque ſolatus eſt illum per literas, multa animi moderatione, & ſingulari quadam ſapientia conditas, quibus monebat, conducibilius quidem optatiuſque fuiſſe, ut de jure priùs inter ſe vel de conſuetudine, communicato conſilio, tractarent Archiepiſcopi, quàm ſe inexplicabiles in hos laqueos conjicerent: ſed ſolatio illud eſſe debere, quòd uterque Pontifex uno & eodem abreptus eſſet æſtu, & amore tuendorum Eccleſiæ ſuæ privilegiorum. *Cauſſam reperies zelum quendam Eccleſiarum iura tuendi, & ipſa illibata ſervandi, &c. Cùm tam ex parte portantis, quàm ex parte reſiſtentium, zelus conſervandi juris Eccleſiarum ſibi commiſſarum fuerit, non injuriam alicui irrogandi.* Denique idem Pontifex vibratam revocavit excommunicationem, evocavit cauſſam totam ad Apoſtolicæ ſedis judicium; vetitis interim Toletanis Archiepiſcopis, ne extra propriam provinciam ſibi ſinerent crucem prægeſtari.

85. Non debet juſtiſſimis fraudari laudibus Romanorum Pontificum incredibilis hîc quædam indulgentia, ſapientiæque regulis accommodata clementia, in Metropolitanos Hiſpaniæ, antiquæ ſuæ libertatis retinentiſſimos, & tamdiu totieſque iteratis eorum reſcriptis conſtantiſſimè repugnantes. Stimulabat primæ ſedis dignitas, tot Pontificum conſpiratio, tot inculcatio reſcriptorum, ut nequis impunè hæc aſpernaretur. Stimulabat & Caſtellæ Regum majeſtas, victoriæque de infeſtiſſimis Chriſtiani nominis tam frequentes inſigneſque. Sed retundebat hos ſtimulos, animumque ad mitiora conſilia reflectebat hæc nimirum contemplatio: quòd non faſtum non dominationem redoleat poteſtas Eccleſiaſtica quantalibet: quòd principatus Apoſtolicæ ſedis, principatus ſit ſapientiæ & charitatis: quòd unus ſit ſcopus, unus fructus omnium Eccleſiaſticarum dignitatum, ut utilitati, paci, & concordiæ Eccleſiarum inſerviatur, non Præſulum cupiditatibus. Inde eſt quòd is ipſe qui antè novis reſcriptis roboraverat Primatum Toletanum; is ipſe, inquam, Innocentius III. ubi poſtea oculatus ipſe teſtis vidit conſtantem & unanimem Metropolitanorum Hiſpaniæ conſpirationē, ſecundum eos pronunciavit, nil pronunciando, & nihil illis imponendo novi jugi. Quòd enim Toletano Primati ſubjecit Hiſpalenſē provinciam, necdum à Sarracenorū poteſtate recuperatam, necdum è ruderibus ſuis excitatam, necdum Metropolitano ullo donatam, quod & ab Innocentii ſucceſſore confirmatum eſt; eo commendabatur magis magiſque reliquorum Metropolitanorum libertas. Gregorius IX. exſcribi juſſit & ad Toletanum miſit diplomata Urbani II. cæterorumque Pontificum ad ejus Primatiæ confirmationem; ſed nullo ſuo ipſe diplomate novo ea confirmavit.

86. Revocanda nunc oratio eſt ad intermiſſam narrationem contentionum inter Archiepiſcopos pridem excitatarum pro crucis geſtatione. Martinus Pontifex ejus nominis V. ut Primates verè æquaret Patriarchis, id privilegii indulſit Primatibus Toletânis, ut ſederent ſupra Metropolitanos omnes non Primates, tametſi ætate & promotione hi priores eſſent. *Cùm Patriarchæ & Primates unum ſint, & ſolùm nomine differant; declaramus Joannem Toletanum, qui Hiſpaniarum Primas eſt, Archiepiſcopos non Primates, etiamſi ætate & promotione priores fuerint, præcedere debere: quemadmodum Patriarchæ illos hactenus præceſſerunt.* Numeratur & iſtud non poſtremum inter Patriarcharum privilegia, quòd crucem ſibi ſublimem præferri jubeant, toto

Pa-

Patriarchatûs ſui ambitu. Toletanus eâ juris ſui fiduciâ fretus totâ Hiſpaniâ crucem circumgeſtavit, obſtrepentibus quanquam frequenter Metropolitanis quibuslibet, frequentiſſimè Bracarenſibus, de quibus mox. Affirmat Gomecius in *Vita Cardinalis Ximenii*, eum veſtigiis & exemplis majorum ſuorum inhærentem, crucem totâ ſemper Hiſpaniâ circumtuliſſe.

87. Venio ad Bracarenſem Archiepiſcopum, cujus unius illuſtranda nobis ſupereſt auctoritas. Refert Joannes Vaſæus, quamdiu Arabes ſplendidiſſimis civitatibus Hiſpali & Tuleto potiti ſunt, Primatię per Hiſpanias omnes munia obiiſſe Bracarenſes Archiepiſcopos: teſtes locupletiſſimas ejus rei chartas recondi in tabulario illius Eccleſię: denique his præſidiis fretos Bracarenſes conſtanter interceſſiſſe Urbani II. reſcriptis, quibus Toletana Primatia inſtituebatur. Porrò ea fuerat Bracarenſis civitatis laus, ea felicitas, quòd prima è Sarracenorum dominatione emerſiſſet & Chriſtiano ſe reddidiſſet Imperio. *Quæ prima Metropolitanarum Eccleſiarum à Mahumetiſtarum tyrannide liberata fuit.*

88. Cognatio non mediocris intercedere videtur inter Bracarenſem hanc Primatiam & Narbonenſem, de qua ſuperiùs, in provinciæ Tarraconenſis Eccleſias. Utriuſque enim Primatiæ fundamenta poſita erant in ruinis & vaſtitate cæterarum Metropoleωn à Sarracenis dirutarum: & in beneficiis vigiliiſque & laboribus, quibus has ſolari duo illi Metropolitani, ac relevare ſtuduerant. Si ſeriò perpendas quantum levamenti & præſidii vaſtatis his Metropolibus accedere potuerit per Bracarenſes & Narbonenſes Metropolitanos, ad priſtinum illis ſtatum ſplendoremque reſtituendum; in his ſatis cauſſæ fuiſſe forſan intelliges, ut de Primatu cum Toletanis Præſulibus certarent, qui fucato imaginariæ poſſeſſionis prætextu nitebantur. Nec illud etiam mirum accidet, ſi Bracarenſes Archiepiſcopi, non libertatem tantùm ſuam & immunitatem à Primatis Toletani jure oſtentarent; ſed ipſam vendicarent ſibi Primatiam, ut liquet ex illo Decretalium capite, ubi hæc controverſia attingitur. Hinc eſt quòd Bracarenſes etiam nunc Archiepiſcopi nomen retentant Primatum Hiſpaniæ, crucemque Primatialem præferri ſibi jubent.

89. In uno Bartholomæo Martyrum Archiepiſcopo Bracarenſi luculentiſſimum ſuppetet nobis documentum, quo conſtet non diffidere ab infucatæ humilitatis ſenſu, & à ſumma illa quæ Apoſtolicos maximè Præſules decet, ſupercilii, faſtûs, & dominationis deteſtatione: infractam illam vim conſtantiamque in iſtiuſmodi Eccleſiarum privilegiis & libertatibus defenſandis. Cùm cæterarum omnium virtutum, tum maximè humilitatis & modeſtiæ gloriâ floruit Bartholomæus. Nec potuiſſent tamen ambitionis vehementiſſimæ faces quemquam Antiſtitem inflammare ad flagrantiorem poteſtatis ſuæ juriumque defenſionem. Tridentinam ad Synodum profectus, pervicit ut ante illum ſederet, qui Metropolitanos omnes ordinationis tempore anteibat; atque ideo ut ante Metropolitanos omnes non Primates. Pontifex ipſe, ad quem de eo relatum fuerat, ſanxerat ita fieri debere: quanquam hactenus Romanis à Pontificibus nihil definitum eſſet de controverſia Archiepiſcopos inter Toletanum & Bracarenſem pro Hiſpaniarum Primatu. Sedit ergo tunc in Tridentino Concilio Bracarenſis poſt Patriarcham Hieroſolymitanum. At ubi convolàrunt Tridentum reliqui ex Hiſpania Archiepiſcopi, tum verò iniquis illi animis tulere, haberi Bracarenſem pro Hiſpaniæ Primate: eoque Toletani Pontificis dignitati vehementiſſimè derogari. Nova tunc graviſque conflagravit contentio, de qua Legati ad Pontificem retulere. Reſcripſit Pontifex, ut præirent Patriarchæ Archiepiſcopis, hi Epiſcopis, nec ulla haberetur ratio Primatum, ſive dubias illi, ſive indubias Primatias oſtentarent.

90. Nihil tempeſtivius, nihil tum conſultius diffiniri potuit, nihil præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus accommodatius. Cùm tot ec[i]n ubique Primates ſint in toto Orbe, vel nomine ſolo, vel etiam re & poteſtate conſpicui; ſi horum titulos chartaſque Tridentini Patres excutere adgr[eſ]ſi eſſent, infinitam quandam & ſpinoſiſſimam in cauſſam ingreſſi eſſent, & quæ exitus nullos haberet. Nec elanguit tamen Bartholomæi Bracarenſis vigor in propugnanda Eccleſiæ ſuæ prærogativa, quam ita ſucceſſoribus transfundere illibatam ſtatuerat, ut à prædeceſſoribus acceperat: expreſſitque tandem ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, qui Synodo præerant, authenticum ſcriptum, quo ſignificaretur, nihil poſthac damni aut præjudicii creari poſſe ex hac ſedendi forma in Concilio Tridentino uſurpata, adverſùs priſcam Bracarenſis Eccleſiæ dignitatem, eiſdem deinceps atque antè honoribus & privilegiis potituræ.

91. Quum inaugurari voluit Philippus II. Hiſpaniarum Rex in novum Portugalliæ regnum, & ſolenne ſacramentum præſtare pro more inter manus Archiepiſcopi Bracarenſis; non antè aſſenſus eſt Bartholomæus, quàm ſponderet & in ſe reciperet Rex, præſtaturum ut ſua illi Primatialis crux præferretur in eum locum, ubi Comitia habebantur regni, tametſi coram reclamarent Archiepiſcopi Ulyſſipponenſis & Eborenſis. Cauſſabantur illi, nec immeritò, vetuſtiſſimam de Primatia cum Toletano litem diremptam necdum eſſe: itaque præter fas eſſe, quòd extra provinciam propriam Bracarenſis crucem explicaret. Bartholomæus uno hoc illos refellebat verbo, conſtare ſibi poſſeſſionem, nec poſſe ſine piaculo à ſe commendatæ ſibi Eccleſiæ jura imminui. Denique ſanctiſſimus Præſul accito notario Apoſtolico, acta authentica excipi, & in Eccleſiæ ſuę archivis hęc recondi curavit.

92. Si quo de alio nobis ſermo eſſet Antiſtite, non diſparis in virtutum curriculo glorię, ſed diſparis ſapientię & eruditionis; poſſent hęc omnia zelo adſcribi, cui plus ineſſet ignis quàm luminis, plus ardoris quàm ſapientiæ. Sed cùm perſuaſiſſimum jam penè omnibus ſit, certè eſſe debeat, paucos prioribus & purioribus ſeculis Antiſtites eâ abundâſſe copiâ Eccleſiaſticę eruditionis, quâ

pollebat Bartholomæus, in Scripturis totus, in Patrum Commentariis, in Conciliorum ſtatutis evolvendis verſatiſſimus, in Chriſtianæ pietatis, in Epiſcopalis denique ſanctimoniæ regulis meditandis: hinc illud certè efficitur, ad tanti Præſulis exempla conformari refingique noſtras ratiocinationes, noſtroſque ſermones debere: nec committendum nobis eſſe, ut quod ille approbavit, improbemus.

93. Non ergo ſubtiliùs ſuprà quàm ſolidiùs dicebatur à nobis, has de Primatu aut Principatu Eccleſiaſtico lites, in omnibus olim regnis frequentiſſimas, ſcaturire quandoque potuiſſe à zelo non illaudato, immo & ab officio vinculoque ſtrictiſſimo juxtà & religioſiſſimo ſervandi & in poſteros tranſmittendi depoſiti ſacrarum cujuſque Eccleſiæ dignitatum. Tot Antiſtitum ſapientia ſanctitaſque Orbi perſpectiſſima, quibus ita viſum,à quibus ita ſancitum eſt,non poteſt non & ab ipſis, & à nobis quantamcumque obtrectatorum maledicentiam exſufflare. Docuit nos jam non ſemel Auguſtinus, ſummam eſſe charitatis & cupiditatis, non diſſimilitudinem tantùm, ſed & ſimilitudinem. Idem ardor, eadem vis, eadem animorum contentio & infatigata lucta,ſed ſcopus finiſque longè diverſiſſimus. Et in eo ſunt omnia. Nec alio ſe habet modo religioſus zelus,& meram ſpirans ſanctitatem, ambitioni comparatus. Nihil ſimilius in ſpecie & in cortice: nihil diſſimilius in penetrali. Certiſſimè enim zelus iſte ipſiſſima eſt charitas: & ambitus ille mera eſt cupiditas. Atqui cupiditas ſuperciliosa & inflata eſt, tum etiam cum dejicere ſe & detumeſcere videtur. Charitas humilis & ſincerè modeſta eſt, vel tunc cum magnos gerit animos, & fidentiſſimè pro veritate certat.

94. Barboſa, qui Luſitanus fuit gente, & Ugenti tandem creatus Epiſcopus, Bartholomæi in veſtigia ingreſſos refert fuiſſe tres ejus ex ſucceſſoribus, qui Primatûs inſignia præ ſe tulere, ſolenneſque adepti ſunt honores, an. MDCXVII. MDCXIX. & MDCXXXVIII. præſentibus Catholicis Regibus Philippo III. & Philippo IV. ipſa in aula Toletana, nunc regia, nunc Archiepiſcopali. Faxit tantùm Deus, ut tam bene in eis, quàm in Bartholomæo,conſentiret humilitati conſtantia,modeſtiæ vigor invictus. Eorum quæ geſta ſunt ſub ultimo trium horum Archiepiſcoporum, oculatum ſe teſtem fuiſſe profitetur Barboſa, magni inter canonici Juris Commentatores nominis.

95. Unum mihi ſupereſt obſervandum, ut finem faciam de Primatibus dicendi, quanquam jam obſervatum id ſuprà fuerit. Sed quæ iſtiuſmodi ſunt, inculcari aliquoties expedit. Si Regibus, ſi Metropolitanis tunc idem fuiſſet animi, quod poſtea aliis fuit, ut per Gregorium VII. per Urbanum II. alioſque nonnullos Pontifices Primatiæ inſtituerentur, nec quiſquam illos remoraretur; non poſtea illis ipſis ſeu Regibus, ſeu Metropolitanis doluiſſet, quod ſæpè doluit, cauſſarum omnia genera Romam referri judicanda. Has querelas anteveniebat illa numinis ſapientia, quæ Eccleſiam regit vegetatque, Pontificeſque incitabat ad creandos ſubinde Primates, ut de illis tantùm cauſſis ad Romanum tribunal litigatores accederent, quæ in Archiepiſcoporum vel Primatum curia dirimi nequiſſent. Primatiæ repudiatæ ſtatim aut poſtea obliteratæ ſunt; ſola ſupereſt Lugdunenſis, eaque valdè truncata, abſciſſis quibuſdam provinciis, ejuſque jure ad ſolas appellationum cauſſas coërcito: inde cauſſarum examina Romam perlata: quo dolendæ magis mortalium vices, qui nec mala ferre poſſunt, nec malorum remedia.

CONCILIUM EGARENSE

In Egara, loco provinciæ Tarraconenſis, ſub Sisebuto,

Anno regni ejus tertio, Erâ DCLII. anno Domini DCXIV. ſub Bonifacio IV.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub die Idus Januarias, anno feliciter tertio glorioſiſſimi domini noſtri Siſebuti Regis.

I. CONVENIENTES in unum Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis in locum Egara, id ſancta inſtituit Synodus, ut conſtitutio, quæ dudum in anno tertio decimo regni divæ memoriæ Reccaredi regis, in Concilio Oſcenſi conſtituta quidem, ſed conſcripta minimè fuit confirmata, ut in perpetuum valitura perduret. Et omne quicquid ex caſtimonia presbyterorum, & inferiùs clericorum, conſcriptum fuit, eâdem formâ etiam de omnibus Epiſcopis ſub tali induſtria ſolertiaque omni tempore pepigendo ſcrutetur, ut auxiliante Domino & adminiculante, talis vitæ ſolicitudinem nulla (quod abſit) reprehenſionis occaſio ſubripere aliquando prævaleat.

Subſcriptiones.

1. Euſebius ſubſcripſi.
2. Mumius ſubſcripſi.
3. Joannes ſubſcripſi.
4. Maximus ſubſcripſi.
5. Emila ſubſcripſi.
6. Ruffinus ſubſcripſi.
7. Viſus ſubſcripſi.
8. Vincentius ſubſcripſi.
9. Stephanus ſubſcripſi.
10. Pompedius ſubſcripſi.
11. Sintharius ſubſcripſi.
12. Juſtus ſubſcripſi.
13. Maximus presbyter agens vicem domini mei Stephani Epiſcopi ſubſcripſi.
14. Fructuoſus in Chriſti nomine diaconus, agens vicem domini mei Gomarelli Epiſcopi ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

1. Concilium iſtud Provinciale inventū fuit in Codice illo celebri S. Æmiliani, ut refert Ambroſius Morales lib. 12. cap. 14. Eſt verò habitum ſub dominio Sisebuti Hiſpaniarum Regis celeberrimi, de quo plura lectu digniſſima invenies apud laudatum auctorem. Card. de Aguirre.

2. *Sub Siſebuto.*] Siſebutus Rex ſucceſſit Gundemaro, regnavit annos octo, anno Domini DCXII. Erâ DCL. Eo imperante coactum eſt apud Egaram Concilium. Eſt Egara in provincia Tarraconenſi. In Codice manuſcripto legi Exara. Loaisa.

3. Rodericus Sanchez de Arevalo Epiſcopus Palentiæ in *Hiſtoria* Latina *Regum Hiſpaniæ* cenſet, impulſu ejuſdem Siſebuti Regis habitum fuiſſe Toleti Concilium quoddam, ad conſtringendum Judæos ut converterentur ad Fidem Chriſtianam, prout ipſe deſiderabat. At enim talis Concilii nullum veſtiglum invenitur. Tulit quidem leges Siſebutus adversùs Judæos, quibus ſub pœna mortis cogebantur ad Chriſtianiſmum recipiendum: quæ exſtant in libro illo antiquiſſimo ac celebri Hiſpaniæ noſtræ, cui tirulus, *FUERO JUZGO*, lib. 12. titulo ſecundo. Qua in re S. Iſidorus & alii ajunt, Siſebutum habuiſſe quidem zelum bonum, ſed non ſecundùm ſcientiam. Non enim Fides Chriſtiana Hebræis aut Gentilibus obtrudenda eſt vi, ſed opportunè prædicanda, ſuadenda ſuaviter, & fortiter perſuadenda.

4. Nec veroſimile eſt in quoquam Concilio Toletano aſſenſuros Epiſcopos Hiſpaniæ Siſebuto in ea deliberatione violenta: cùm toto tempore regni ipſius floreret S. Iſidorus Præſul Hiſpalenſis alia omnia docens, qui habebatur ab omnibus inſtar oraculi, à quo reliqui Hiſpaniæ Epiſcopi non auderent recedere. Unde & mortuo Siſebuto idem Iſidorus in Concil. IV. Toletano an. DCXXXIII. cum reliquis Patribus ita edixit Canone LVII. *De Judæis autem hoc præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes; ut integra ſit forma juſtitia: ſicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante gratia Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed libera arbitrii facultate, ut convertantur, ſuadendi ſunt, non potiùs impellendi. Qui autem jam pridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti; quia jam conſtat eos eſſe ſacramentis divinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam percepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini & ſanguinis exſtitiſſe participes, oportet ut Fidem etiam quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur; ne nomen divinum blaſphemetur, & Fides quam ſuſceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.* Itaque nullum aliud Concilium tempore Siſebuti Regis in Hiſpania celebratum fuit, præter Egarenſe,

5. *In Concilio Oſcenſi*, &c.] Quæ in illo Concilio habito Erâ Chriſtiana DXCVIII. anno tertiodecimo Recaredi Hiſpaniæ Regis, ſtatuta fuerunt circa vitam & honeſtatem clericorum, recoluntur hoc loci & inſtaurantur. Ea verò omnia cum aliis Canonibus eodèm ſpectantibus, examinanda recipimus ſuo loco Diſſertatione peculiari *De clericis lapſis*. Interea accipe aliam de loco aut ſitu Eccleſiæ Egarenſis, elaboratam ſtudio clariſſimi viri Stephani Baluzii, quam illicò dabimus abſque illis additionibus quas olim promiſimus in Synopſi Conciliorum Hiſpaniæ, ubi ſuppetebat tempus & otium ad hujuſmodi ſtudia, quod modò nobis vix eſt ad neceſſaria vitæ officia. Card. de Aguirre.

6. *Euſebius.*] Euſebius Epiſcopus Tarraconenſis erat, ut ex epiſtola Gundemari apparet, & provinciæ Tarraconenſis Metropolitanus, Mumius Calagurritanus, Joannes Gerundenſis, Maximus Cæſarauguſtanus, Emila, ſive Emilianus Barcinonenſis, Ruffinus (lege Piſinus) Eliberitanus, Viſus (lege Vitularius) Laverricenſis, Vincentius Bigaſtrenſis, Stephanus Oretanus.

7. *Gomarelli.*] Goma Olyſſipponenſis ſubſcribit in epiſtola Gundemari. Loaisa.

DIA-

D I A T R I B A

CL. V. STEPHANI BALUZII TUTELENSIS

De Epiſcopatu Egarenſi,

AD ERUDITISSIMUM P. PHILIPPUM LABBEUM.

8. DUBITATUM video à viris perquam eruditis, Philippe Labbee, ubinam tandem gentium ſita fuerit Egara, ſedes olim Epiſcopalis, in qua habitum fuit Concilium Egarenſe anno DCXIV. ſub Siſebuto Rege Gotthorum in Hiſpania: ac tametſi omnes conſentiant, id quod notiſſimum eſt, Egarenſem Eccleſiam fuiſſe ſuffraganeam Eccleſiæ Tarraconenſis; Egara diu quæſita, vix tandem reperta eſt. Sanè vir eruditiſſimus, & Hiſpanicarum rerum elegantiſſimus ſcriptor, Joannes Mariana lib. 6. *Rer. Hiſpan.* cap. 15. obſervavit eam fuiſſe ſitam præter Barcinonem & Gerundam, quòd intelligeret, ut ego quidem arbitror, vetuſtas notitias eam ſemper collocare inter Barcinonem, Gerundam, & Auſonam. Quare mirari ſubit, cur Joanni Garſiæ viſum ſit Egaram referri poſſe ad locum quendam Cæſarauguſtæ vicinum, cui nomen eſt *Gea de los Cavalleros*. Laudanda eſt ſapientia Joannis Vaſæi, non contemnendi ſcriptoris: qui cùm Egaram repetire non potuiſſet, ingenuè id faſſus eſt, neque cogitationem ſuam convertit ad conjecturas parum probabiles. Unus Philippus Ferrarius Alexandrinus, vir alienigena, Egara ubinam fuerit, indicavit, Terraciamque eſſe docuit, oppidum haud procul Barcinone ac Minoriſſa, quod hodie *Terraſſa* dicitur ab incolis. *Egara, Terraſſa* (inquit ille in Lexico Geographico) *urbs olim Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi, nunc oppidum Catalauniæ inter Barcinonem & Minoriſſam, à Barcinone IV. leucis; cujus urbis exſtant aliquot veſtigia, &* S. Pedro de Terraſſa *locus nominatur. Ejuſque Epiſcopatus Barcinonenſi copulatus eſt.* Nolim autem mihi tantum arrogare, ut arbiter eſſe velim finium regundorum, litemque componere inter tantos viros. Quia tamen res iſta utilis eſſe poteſt, & non injucunda, diſſertationem edere inſtitui de Epiſcopatu Egarenſi; tibique eam inſcribere imprimis placuit, vir clariſſime, qui reipublicæ cauſsâ magnam illam & nobilem Conciliorum omnium editionem aggreſſus es. Sed antequam deſtinata componam, proponenda eſt brevis deſcriptio oppidi Terraciæ; ubi ſitam olim fuiſſe Egarã manifeſtis, ut arbitror, argumentis evincã.

9. Igitur Terracinenſe oppidum, quod hodie Terraſſa dicitur, in ea provinciæ Tarraconenſis parte ſitum eſt, quæ nunc Catalonia dicitur, XVI. mill. paſs. ab urbe Barcinonenſi, & IV. mill. paſs. à Rubricato fluvio, in regione Vallenſi poſitum, videlicet inter Barcinonem, Minoriſſam, & Auſonam, ad rivulum quendam *Arenas* vulgò dictum, quòd aquâ fere careat, niſi quum hibernis intumuit imbribus. Priſcis autem temporibus ſita hoc loco fuit Egara; quæ proprium habuit Epiſcopum, donec tranſgreſſi ex Africa in Hiſpaniam Sarraceni, quicquid ultra Iberum eſt vaſtavere; eoque tranſito, pars quoque cladis invaſit urbes quæ nunc in Catalonia habitantur. Ad ea enim tempora referendam eſſe everſionem Egaræ, hinc colligitur, quòd nulli ſedis illius Epiſcopi reperiuntur poſt Maurorum in Hiſpanias adventum. Deſtructa itaque Eccleſia Egarenſis, adjecta diœceſi Barcinonenſi, utpote finitimæ, pro more illarum tempeſtatum; quemadmodum provinciæ Tarraconenſis integra, Archiepiſcopo Narbonenſi tum ſubjecta eſt, qui, ſi Galliam ſpectes, omnium vicinior erat Hiſpaniæ Tarraconenſis. Nam Tarraconem ipſam, & quicquid ultra Rubricatum eſt, Sarraceni tenebant; eratque in hoc fluvio conſtitutus limes Hiſpaniarum, & regni Francici; poſtquam ea provincia in jus ac ditionem Regum Francorum tranſiit. Deinceps ergo Egara paruit conſtitutis Epiſcopi Barcinonenſis, & ab eo ſacra petiit, citra omnem controverſiam. Unde factum, ut anno DCCCLXXIV. jus ſedi ſuæ quæſitum retinere cupiens Frodoinus Epiſcopus Barcinonenſis, in Attiniaco palatio conſtitutus, coram Carolo Calvo Francorum Rege conqueſtus ſit, quòd *caſtrum Terracinenſe ſuæ ſubditum poteſtati, factione Baionis per presbyteri inſolentiam ſuo reſultaret miniſterio*, id eſt Epiſcopi Barcinonenſis juſſa detrectaret, neque eum haberet pro Epiſcopo. Sanè Cæſarius Abbas, qui circa an. CMLXX. Tarraconenſis Metropoleos dignitatem reſtaurare tentavit, irrito quamvis conatu, Cathedrales quoque Eccleſias ei ſubjectas reparare cupiebat, & in his Egarenſem; ut patet ex ejus literis ad Romanum Pontificem ſcriptis, quæ nondum editæ ſunt. Fuerat enim illic, ut dixi, ſedes Epiſcopalis ante Maurorum adventum; cujus Epiſcopi variis Hiſpaniæ Conciliis interfuerunt uſque ad annum DCXCIII. ut patebit ex ſequenti Epiſcoporum Egarenſium ſerie.

1. Nebridius Epiſcopus Egarenſis interfuit in Concilio Tarraconenſi ann. DXVI. & Gerundenſi anno DXVII.

2. Taurus Concilio Ilerdenſi anno DXXIV.

3. Sophronius Concilio Toletano III. anno DLXXXIX. & Cæſarauguſtano anno DXCII.

4. Ilergius Concil. Barcinonenſi an. DXCIX. & decreto Gundemari Regis anno DCX.

5. Eugenius Concilio Toletano IV. anno DCXXXIII.

6. Vincentius Concilio Toletano VIII. anno DCLIII. per Servandum Archipresbyterum.

7. Joannes Concilio Toletano XV. anno DCLXXXVIII. & XVI. anno DCXCIII. itemque XIII. anno DCLXXXIII. per Samuelem presbyterum.

10. Sitam fuiſſe Egaram inter Barcinonem, Gerundam, & Auſonam, colligi abunde poteſt ex antiquis notitiis. Sed tamen exſtat diviſio diœceſeon regni Gotthorum à Wamba Rege decreta, quæ edita eſt à Joanne Garſia in Notis ad Concilium Lucenſe ſub Theodemiro, & in *Chronico Lucæ Tudenſis*; ex qua manifeſtè patet contiguam diœceſi Barcinonenſi fuiſſe diœceſin Egarenſem, itemque diœceſi Gerundenſi, ac Dertoſenſi. Nam Rex Wamba jubet eos eſſe limites diœceſeos Barcinonenſis, ut teneat *uſque Bordel*; Egara verò teneat *de Bordel uſque Paladera*; Gerunda autem *de Palada* (quod eſt haud dubiè *Paladera*) *uſque Juſtemate*. At parte ex alia, Egara tenet *de Monteſa uſque Portellam*; Dertoſa verò, *de Portella uſque Deniam*. Qui ſitus omnino congruit oppido Terracinenſi; quod inter Barcinonem, Gerundam, Auſonam, & Dertoſam ſitum eſt, quamvis longo intervallo à Dertoſa & Gerũda disjunctum. Quoniam verò vocabula illa, quæ fines harum diœceſum deſignant, periêre; hinc factum ut difficile ſit, ac fermè impoſſibile limites Egarenſis diœceſeos aſſignare, ſatiſque ſit digitum, ut fieri ſolet, ad fontes intendiſſe.

11. Amiſerat autem Egara nomen ſuum ævo Caroli Calvi, ut patet ex conqueſtione Frodoïni Epiſcopi Barcinonenſis, cujus ſuprà facta mentio eſt. Sed præterea idem Carolus Calvus mentionem caſtri Terracinenſis facit in Precepto dato anno DCCCXLIV. in gratiam Gotthorum, ſive Hiſpanorum *intra Barcinonam vel Terracium caſtellum* habitantium; quorum progenitores, ut Sarracenorum immanitati ſe ſubtraherent, ad ea loca confugerant. Terraciæ quoque meminit Lotharius Rex Franciæ Ludovici Transmarini filius in Præcepto quod ann. CMLXXVIII. confectum eſt in gratiam monaſterii Sancti Cucuphatis in regione Vallenſi.

12. Quamvis autem exciſa Egara fuerit, in cujus ruderibus, ut conjectura ſuadet, ædificatum fuit caſtrum Terracinenſe adversùs Sarracenorum incurſus; non adeò tamen abolitum erat ejus nomen ſub ſecunda Regum noſtrorum ſtirpe, & ſub initia tertiæ, quin interdum revocaretur in memoriam hominum. Quippe in chartulario Eccleſiæ Barcinonenſis exſtant literæ Borrelli Comitis, Petri Epiſcopi, & aliorum quorundam, datæ XII. Kal. Januarii, anno XII. regni Leutharii filii Ludovici, hoc eſt anno CMLVIII. qui fuit duodecimus regni Lotharii, in quibus hi viri donant Eccleſiæ Barcinonenſi *omnes Eccleſias de Terracia & de Egara, cum parochias decimas & primitias, & omne uſum ipſas Eccleſias pertinentium*. Anno dein MXXXV. Guilabertus Epiſcopus Barcinonenſis dedit *canonicæ Barcinonenſi*, id eſt, capitulo canonicorum Barcinonenſium, *Eccleſiam ſanctæ Eulaliæ, quæ eſt ſita in Egara & in Terracia*.

13. Probant hæc quidem Egaram fuiſſe ſitam in Terracia, atque adeò Barcinonis vicinam fuiſſe; ut planè in poſterum dubitari non poſſit de poſitu civitatis Egarenſis. Sed tamen iſtud negotium apertiùs conficietur, adductis literis Raymundi Epiſcopi Barcinonenſis, quæ exſtant in archivo Prioratûs Sancti Petri de Terracia, unde illas deſcribi curaverat Illuſtriſſimus vir Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus, quum viſitatoris generalis munere fungeretur in Catalonia.

14. *Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo duodecimo, Erâ milleſimâ centeſimâ quinquageſimâ, quarto Nonas Januarii, communi utilitati providentes venerabilis Raymundus Dei nutu Barcinonenſium Epiſcopus, & canonicorum ſibi commiſſorum conventus inferiùs annotatus, necnon & aliorum clericorum quàm plurimus occurſus, cum ingenti etiam plebium multitudine, & militum nobilium ibidem advenientium non minor acceſſus, convenerunt ad conſecrationem domûs Dei, in honorem ejuſdem genitricis Dei Mariæ, in Comitatu Barcinonenſi, in termino Terraciæ, juxta Eccleſiam parochialem Sancti Petri, in loco eodem ubi antiquitus* EGARENSIS SEDES *erat constructa. Die ſiquidem conſecrationis confirmaverunt prædictæ Eccleſiæ quicquid poſſeſſionum habebat vel habere debebat ubique, &c.*

15. Hæc ſunt, vir clariſſime, quæ de Epiſcopatu Egarenſi reperiri poſſe arbitror. Tu verò illa recenſebis pro tua ſapientia & eruditione; & ſi quid rectiùs iſtis noveris, candidus imperties, prout ſoles; meumque hunc conatum interim probabis, donec meliora ſuccedant, Lutetiæ XIV. Kal. Auguſti MDCLXIII.

EPI-

EPISTOLA DEUS-DEDIT PAPÆ
A D
GORDIANUM HISPALENSEM EPISC.

Qui proprios filios de ſacro fonte ſuſcipiunt, ab uxoribus ſeparentur: & prohibetur ne quis commatrem ſuam in uxorem accipiat.

Deus-dedit ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Gordiano Hiſpalenſis Eccleſiæ Coëpiſcopo & fratri dilectiſſimo.

16. PERVENIT ad nos diaconus veſter, veſtræ ſanctitatis epiſtolam ferens, quòd quidam viri, etiam & mulieres, præterito ſabbatho, Paſchali die, præ magno populorum incurſu, neſcientes, proprios ſuos filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidente ratione debeant viri & mulieres ad ſuum proprium redire uſum, an non? Nos verò mœſti hac in re inquiſivimus priorum Patrum noſtrorum dicta. Invenimus autem in archivis hujus Apoſtolicæ ſedis jam talia contigiſſe in Eccleſiis Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, & etiam aliarum civitatum. Epiſcopis etiam earum civitatum ab hac Apoſtolica ſede volentibus ſcire, utrum viri & mulieres redirent ad proprium torum; beatæ memoriæ ſanctiſſimi Patres, Julius, Innocentius, & Cœleſtinus, cum Epiſcoporum plurimorum & ſacerdotum conſenſu, in Eccleſia beati Apoſtolorum principis prohibentes talia perſcripſerunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam ſe in conjugium reciperent mulieres aut viri quicumque aliqua ratione ſuſceperunt natos proprios: ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium * peccati inoleſcat per mundum, & univerſorum error accreſcat. Scitis quia quomodo ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ita ſunt ſeptem dona baptiſmi à primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſu ſanctæ Eccleſiæ uſque ad * confirmationem Spiritus ſancti per chriſma. Ab hoc ergo primo Spiritus ſancti dono uſque ad ſeptimum nullus Chriſtianus ſuam commatrem in conjugium ſuſcipere debet: & qui præſumpſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, niſi pœnitentiam egerit dignè. Mulieres verò, cùm ſeparatæ fuerint pro hac illicita re, à propriis viris totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt; & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir uxorem.

* Innoteſcat. Scitis
* Conſummationem.

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE.

17. HÆC epiſtola videtur abſdubio ſuppoſita, aut ſaltem vitiata quoad epigraphen: ſiquidem toto tempore Pontificatûs Deus-dedit Papæ (nimirum anno DCXIV. & duobus ſequentibus) ſolus Iſidorus fuit Archiepiſcopus Hiſpalenſis, idque abſque ullo ſocio, ſive coadjutore. Quin & multis annis, tam ante tempora Deus-dedit Papæ, quàm poſt ejus obitum, permanſit Hiſpalenſis Præſul, uſque ad annum DCXXXVI. ut conſtat ex Redempto diacono in ejus Vita. Obiit enim die quarta Aprilis (non decimâ quartâ, ut habetur in Collectione Regio-Portuenſi Lectionum Euchariſticarum) feriâ quintâ poſt Paſcha, quod eo anno biſſextili DCXXXVI. literis Dominicalibus GF. incidit die 31. Martii. Unde non apparet locus ut Deus-dedit Papa Epiſtolam hanc ſcripſerit ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum.

18. Cùm verò illa in tot antiquis exemplaribus exſtet, non auſim illam prorſus expungere ab albo Decretalium Pontificiarum: & in id propendeo, ut verè ſcripta credatur à prædicto Romano Pontifice ad Gordianum quendam Epiſcopum, non tamen Hiſpalenſem, ſed alterius Eccleſiæ. Faciſè enim eſt ut tot ſæculorum curſu aut exſcribentium incuriâ, legatur epigraphe ad Epiſcopum *Hiſpalenſem*, ubi à principio dictum fuerat *Hiſpanienſem*, aut quippiam ſimile. Sic certè plures Epiſcopi diverſarum Hiſpaniæ Eccleſiarum appellari ſolebant, denominatione potiùs ſumpta à regno, quàm ab Eccleſia uniuſcujuſque peculiari. Certè Epiſtola illa S. Euſebii Epiſcopi Vercellenſis ac Martyris ad Gregorium Epiſcopum Eliberitanum, exſtans inter *Fragmenta S. Hilarii*, edita jampridem à Nicolao Fabro, & noviſſimè à monachis doctiſſimæ Congregationis S. Mauri, columnâ 1356. ſolùm inſcribitur *Ad Gregorium Epiſcopum Spanenſem*. Sic & in Concilio Oecumenico Sardicenſi ſubſcribunt ſex Epiſcopi hoc ordine, ut Spaniam præmittant, & deinde Eccleſiarum ſuarum nomina.

Oſius ab Spannia Cordubenſis.

Annia-

Annianus ab Spanniis de Caſtolona.
Florentius ab Spanniis de Emerita.
Domianus ab Spanniis de Aſturica.
Caſtus ab Spanniis de Cæſaraugusta.
Prætextatus ab Spanniis de Barcilona.

Denique ut plura hujus generis miſſa faciam, apud Gelaſium Gyzicenum lib. 2. *Hiſtoriæ Concilii Nicani*, cap. 5. ubi devenitur ad nomina Præſulum, qui intervenère illi magnæ Synodo, primo loco profertur Oſius, tacito Epiſcopatu Cordnbenſi, & expreſſo dumtaxat nomine Hiſpaniæ hiſce verbis: Αὐτός τε Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου Συλβέστρου. *Ipſe etiam OSIUS EX SPANIS, nominis & famæ celebritate inſignis, qui Sylveſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum tenebat.*

CONCILIUM HISPALENSE II.

Sive Synodus habita in civitate Spali, ſub die Iduum Novembrium, anno nono regnante Siseburo glorioſiſſimo principe.

Erâ DCLVII. ideſt anno CHRISTI DCXIX.

P R Æ S I D E

S. ISIDORO ARCHIEPISCOPO HISPALENSI.

T I T U L I.

I. *De Theodulphi Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopi querimoniis adversùs reliquos Epiſcopos, pro quibuſdam parochiis.*
II. *De querimoniis Fulgentii, & Honorii Epiſcopi, pro quibuſdam parochiis.*
III. *De deſertoribus clericis, ut Epiſcopis ſuis reſtituantur.*
IV. *De bigamis ad presbyterium vel ad diaconatum nou promovendis.*
V. *Ne presbyter diaconum aut presbyterum ordinare præſumat.*
VI. *De presbyteris vel diaconibus ab uno Epiſcopo non deponendit.*
VII. *De his quæ prohibentur presbyteris in Eccleſiaſticis ſacramentis.*
VIII. *De ſuperbis Eccleſiæ libertis, ut ad ſervitium revocentur.*
IX. *De Oeconomis, ne ex laïcis conſtituantur.*
X. *De monaſteriis non convellendis.*
XI. *De monaſteriis virginum, ut à monachis tueantur.*
XII. *De quodam Acephalorum Epiſcopo.*
XIII. *De duabus in Chriſto naturis & una perſona.*

IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Jesu Christi, Iſidorus, Biſinus, Ruffinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Theodulphus, & Honorius Epiſcopi, qui pariter in urbe Spalenſi pro aliquibus Eccleſiaſticis negotiis coadunati ſumus.

Conſedentibus nobis in ſecretario ſacroſanctæ Hieruſalem Spalenſis Eccleſiæ, cum illuſtribus viris Siſiſclo rectore rerum publicarum, atque Suanilane [a] actore rerum fiſcalium, adſtante religioſiſſimo clericorum cœtu.

[a] C. A. Rectore.

I. *De Theodulphi Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopi querimoniis adversùs reliquos Epiſcopos, pro quibuſdam parochiis.*

264.3. Prima act. 1. PRIMA actione Theodulphi Malacitanæ Antiſtitis Eccleſiæ ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis antiquam ejuſdem urbis parochiam militaris quondam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe deciſam, & ex parte aliqua ab Eccleſiis Aſtigitanæ, Eliberitanæ, atque Egabrenſis urbium eſſe retentam, Pro qua re placuit, ut omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſti-

hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam comprobaret, ejus privilegio reſtitueretur. Sicut enim per legem mundialem, his quos barbarica feritas captivâ neceſſitate tranſvexit, poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio; non aliter eſt Eccleſia receptura parochiam quam antè retinuit, cum rebus ſuis, ſive ab aliis Eccleſiis [b] poſſideantur, ſive in cujuslibet poſſeſſionem transfuſa [c] ſunt. Non enim erit objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

Cod. De captiv. & poſtl. l. Si quos & ibidem. l. fin. §. Diverſarum, &c. Ubi dicitur, quos barbarica feritas, &c.
b Grat. Poſſideatur.
c Grat. transfuſa ſunt.

II. *De querimoniis Fulgentii & Honorii Epiſcoporum, pro quibuſdam parochiis.*

2. Secundo examine inter memoratos fratres noſtros, Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem, Epiſcopos, diſcuſſio agitata eſt propter parochiam [d] Baſilicæ, quam horum alter Cœleſticenſem, alter Reginenſem adſeruit. Et quia inter utraſque partes hactenus limitis actio vindicata eſt (cujus, quamvis vetuſta, retentio nullum juris præjudicium afferret) ideòque ne in dubium ultrà inter eos noſtra advocaretur ſententia, prolatis Canonibus ſynodalia decreta perlecta ſunt; quorum auctoritas præmonet, ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos uſurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectionis viros mittendos, ita ut ſit in diœceſi poſſidentis (ſi tamen Baſilicam veteribus ſignis limes præfixus monſtraverit) Eccleſiæ, cujus eſt juſta retentio, æternum dominium. Quòd ſi & limes legitimus eandem Baſilicam non concludet, & tamen longi temporis probatur objecta præſcriptio; appellatio [e] repetentis Epiſcopi non valebit; quia illi tricennalis objectio ſilentium ponit: hoc enim & ſæcularium Principum edicta præcipiunt, & Præſulum Romanorum decrevit auctoritas. Sin verò infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos Baſilicæ injuſta retentio reperitur, repetentis Epiſcopi juri ſine mora reſtituetur.

Burch. lib. 4. cap. 2.
d Baſil. cujuſdam, quòd horum alter Celticenſem. Exc. Burch. Ceſtacenſem. C. R. Celcitenſem.
Vide Conc. Carth. II. cap. 10. & Carth. III. cap. 20. Conc. Emeriten. cap. 3. vocantur inſpectores. De tricennali poſſeſſione, & præſcriptione exſtat Epiſtola Gelaſii ad Silicienſes. capite ſecundo & Concil. Tolet. IV. cap. 34. Legum Wiſigoth. lib. 10. tit. 3. lib. 4. & lib. 10. tit. 2. l. 3.
e Burch. Præſentis.

III. *De deſertoribus clericis, ut Epiſcopis ſuis reſtituantur.*

3. Tertia definitione ad nos oblata precatio eſt à reverendiſſimo fratre noſtro Cambrane Italicenſi Epiſcopo, pro quodam clerico Iſpaſſando, [f] qui deſerens Eccleſiæ cultum ſuæ, in qua dicatus ab exordiis infantiæ fuerat, ad Eccleſiam Cordubenſem ſe contulit. Quem elegimus, ut ſi nihil proponeretur de eo citra dilationis objecta, proprio reformaretur Epiſcopo: ſcribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi eſſe jam quiſque cœpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis, qui in agro Eccleſiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, niſi ut ibi permaneant, ubi cœperunt. Ideòque placuit, ut ſi quis clericus miniſteriis Eccleſiæ propriæ deſtitutis, ad aliam tranſitum fecerit, compellente, ad quem [g] fuerit, ſacerdote ad Eccleſiam quam priùs incoluerat, remittatur. Qui verò eum ſuſceperit, nec ſtatim ſine ullo nixu exceptionis ad propriam Eccleſiam remittendum elegerit, quamdiu eum reſtituat, communione ſe privatum agnoſcat. Deſertorem autem clericum cingulo honoris atque ordinis ſui exutum, aliquo tempore monaſterio deligari convenit; ſicque poſtea in miniſterio Eccleſiaſtici ordinis revocari. Nam non poterit in talibus [h] pervagationibus aboleri licentia, niſi fuerit in eis propter correptionem diſciplinæ ſubſequuta cenſura.

f Qui de Eccleſiæ ſuæ cultu in, &c. Exc.
Cod. de agric. & cenſ. & colon. lib. 11. in pluribus legibus, peculiariter verò l. Cùm ſatis.
21. q. 2. Placuit, ut ſi.
g Fugerit. Grat.
h Propagationis. C. 4.

IV. *De bigamis ad presbyterium vel ad diaconatum non promovendis.*

4. Quarta actione nunciatum eſt nobis, apud Aſtigitanam Eccleſiam quaſdam nuper ordinationes illicitas exſtitiſſe; ita ut quidam viduarum mariti Levitarum miniſterio ſacrarentur: quos quidem convenit à gradu ſuſcepto in irritum devocari, nec ultrà provehi ad diaconii miniſterium, qui contra divina atque Eccleſiaſtica jura inſtituti reperiuntur.

Diſt. 23. c. Quorumdam clericorum, ex Toletano, & Hiſpalenſi II. cap. 5. apud Burch. lib. 3. cap. 3. & Ivon p. 6. cap. 102. Apud Burchar. titulus eſt ex Conc. Bracarenſi.

V. *Ne presbyter diaconum aut presbyterum ordinare præſumat.*

5. Quinto judicio ad cognitionem [i] noſtram Aniani Egabrenſis diaconi relatu deductum eſt, de quibuſdam ipſius Eccleſiæ clericis, quorum, dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm [k] poſuiſſe, & presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem, benedictionem dediſſe. Qui licèt propter tantam præſumptionis audaciam poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præventus; ſed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potiùs [l] eulogium perceperunt; ne ſibi licentiam talis ultrà uſurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu ſacerdotalis vel levitici ordinis, quem perversè adepti ſunt, depoſiti æquo judicio [m] abutantur. Tales enim meritò judicati ſunt removendi, quia pravè inventi ſunt conſtituti.

i Noſtri examinis, Agabrenſis diaconi relatu pervenit, de quibus. Exc. & Burch.
k Impoſuiſſe tantùm. Exc.
l Eloquium. C. 4.
m Abjiciantur. Exc. Burch. & Ivo, ut noſtri.

VI. *De*

VI. *De presbyteris vel diaconibus ab uno Epiſcopo non deponendis.*

6. Sexta actione comperimus n Fragitanum Cordubenſis Eccleſiæ presbyterum à Pontifice ſuo injuſtè olim dejectum, & innocentem exſilio condemnatum. Quem rurſus ordini ſuo o reſtituentes, id denuò adversùs præſumptionem p noſtram decrevimus, ut juxta priſcorum Patrum ſynodalem ſententiam, nullus q noſtrûm ſine Concilii examine dejiciendum quemlibet presbyterum vel diaconom r audeat. Nam multi ſunt qui indiſcuſſos, poteſtate tyrannica, non auctoritate canonica, damnant: & ſicut nonnullos gratiæ favore ſublimant; ita quoſdam odio invidiàque permoti humiliant, & s ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Epiſcopus enim t ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt. Si enim hi qui in ſæculo à dominis ſuis honorem libertatis adepti ſunt, in ſervitutis u uexom non revolvuntur; niſi publicè apud Prætores * ac Præſides tribunali foro fuerint accuſati; quantò magis hi qui divinis altaribus conſecrati, honore Eccleſiaſtico decorantur? Qui profectò, nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegiis exui: ſed præſenti ſynodali judicio, quod Canon de illis præceperit, definiri.

15. q. 7. *Sexta acti. & diſtin.* 64. *Epiſ.*
n Flagitanū *Grat. poſtea in Cod. Gregor. emendatum* Flagitanum.
o Reſtitutum eſſe cõperimus, id denuò, *Grat. Cod. Grego. noſtram lectionem retinet.*
p *Exc.* novam. *Grat.* veſtram *in Cod. Gregor.* noſtram.
q Veſtrum. *Exc.*
r Potet. *Grat.*
15. *q.* 8. *cap.* Epiſcopus, *& diſt.* 67. *cap.* Epiſcopus. *Vide leges Wiſigotth. lib.* 5. *tit.* 7. *per totum, præſertim lib.* 10. Si libertus.
s Levi opinionis aura. *Grat.*
t Presbyteris. *C. A.*
u Jugum non revocantur. *Grat.*
* *Deſunt in A. C. Agapius interfuit III. Conc. Toletan. & I. Hiſpalenſ, Era DCXXVIII. ibique ſubſcribit.*

VII. *De his quæ prohibentur presbyteris in Eccleſiaſticis ſacramentis.*

7. Septimo examine relatum eſt nobis, venerandiſſimum quondam Agapium, Cordubenſis x urbis Epiſcopum, frequenter y presbyteros z deſtinâſſe, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicas conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim à ſæculari militia in ſacerdotale miniſteriom delegatum. Ergo ne oltrà talis à nobis licentia uſurpetur, commuui ſententia ſtatuendum oportuit; ſcientes quia ſicut a presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim literis præcipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit; utique quia ſummus ſacerdos Dei erat: ſicut ſcriptum eſt: *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus.* Ideoque id quod tantùm facere principibus ſacerdotum juſſum eſt, qoorum typum Moyſes & Aaron tenuerunt; presbyteri qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis b miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, c quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint: ſicut presbyterorum, & diaconorum, ac virginum conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel unctio; ſiquidem nec licere eis Eccleſiam vel altarium conſecrare, nec per impoſitionem manûs fidelibus d baptizatis, vel converſis ex hæreſi paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare; ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe e presbyteris, quia Pontificatûs apicem non habent, f quem ſolis deberi Epiſcopis auctoritate Canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur: ſed nec coram Epiſcopo licere presbyteris in baptiſterium introire; nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare; nec pœnitentes ſine præcepto Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti perficere; nec eo coràm poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare; neque plebem utique exhortari.

x Sedis. *C. A.*
y Chorepiſcopos, vel presb. *Exc.*
z Deſtinâſſe (qui tamen juxta Canones unum ſunt) qui abſit. *Exc.*
a Presb. vel Chorepiſcopo. *Exc.*
Exod. 40.
Pſal. 98.
b Myſteriorum. *Exc.*
c Quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novelli. *Exc.*
d Baptizandis. *Exc.*
e Presb. vel Chorepiſcopis. *Exc.*
f Quod. *C. A.*
Ex hoc Canone quidam ſciolus aut falſator occaſionem deſumpſit ſupponendi S. Leoni Papæ Epiſt. 88. quæ tota hinc deflorata eſt, additis quibuſdam initio ſolùm. Vide infrà Notas pag. 474.

VIII. *De ſuperbis Eccleſiæ libertis, ut ad ſervitium revocentur.*

8. Octava diſcuſſio agitata eſt de quodam Eliſeo ex familia g Agabrenſis Eccleſiæ, qui ab Epiſcopo ſuo traditus libertati, de libertate confeſtim ad contumaciæ morbum tranſiliit; ſicque per ſuperbiam non ſolùm ejuſdem Epiſcopi h veneficis artibus ſalutem lædere voluit, ſed etiam patronam Eccleſiam, libertatis immemor i prædamnavit. Adversùs quem ingrati actio, Canonum ac legum auctoritate joſtè dirigitur; ſcilicet, ot immeritæ libertatis damno multatus, ad ſervitii nexum, qoo natus eſt, revocetur. Talium enim ſtatus, qui contra Epiſcopum ſuom vel patronam Eccleſiam nituntur, decidi potiùs quàm conſervari convenit, ut quorum libertas perniciosa eſt, ſit ſalutifera ſervitus; & qui ſuperbire noverunt adepta libertate k præditi, diſcant obedire ſubjecti.

32. *q.* 2. *Octava diſcuſſ. Ivo part.* 16. *cap.* 66.
g Agabinienſ. *Grat.*
h Malis vel inſidioſis art. *Grat. Vide leges Wiſigotth. lib.* 5. *tit.* 7. *l.* 10. Si libertus.
i Damnavit. *C. A.*
k Proditi *Grat.* prædicti. *C. A.*

IX. *De œconomis, ne ex laïcis conſtituantur.*

9. Nona actione didicimus, quoſdam ex l noſtro collegio, contra mores Eccleſiaſticos, laïcos habere in rebus divinis conſtitutos œconomos. Proinde pariter tractantes elegimus, ut unuſquiſque m noſtrûm,

16. *q.* 7. In nona act. *Burch. lib.* 1. *cap.* 89. *Ivo p.* 16. *c.* 66. *Can. XXVI. Chalc. Concil.*
l Veſtro. *Grat.*
m Veſtrum. *Grat.*

ſtrûm, ſecundùm Chalcedonenſium Patrum decreta, ex proprio clero œconomum ſibi conſtituat. Indecorum eſt enim laïcum vicarium eſſe Epiſcopi, [n] & ſæculares in Eccleſia judicare: in uno enim eodemque officio non decet diſpar profeſſio. Quod etiam in lege divina prohibetur, dicente Moyſe: *Non arabis in bove & aſino ſimul*; ideſt, homines diverſæ profeſſionis in officio uno non ſociabis. Unde oportet nos, & divinis libris & ſanctorum Patrum obedire præceptis, conſtituentes, ut hi qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ Pontificibus ſociantur, diſcrepare non debeant, nec profeſſione, nec habitu. Nam cohærere & conjungi non poſſunt quibus & ſtudia & vota diverſa ſunt. Si quis autem Epiſcopus poſthac Eccleſiaſticam rem [o] aut laïcali procuratione adminiſtrandam elegerit, aut [p] ſine teſtimonio œconomi gubernandam [q] crediderit, verè ut contemptor Canonum & fraudator Eccleſiaſticarum rerum, non ſolùm à Chriſto de rebus pauperum [r] judicatur reus, ſed etiam & Concilio manebit obnoxius.

n Et viros Eccleſiaſticos judicare. In uno. *Grat.*
Deut. 22.
o Aut per laïcalē procurationem, *Bu. cb. & Grat.* ad laïcalem procurationem. *Ivo.*
p Si. *Grat.*
q Non cred. *Grat.*
r Judicabitur. *Grat. Ivo, Burch.*

X. *De monaſteriis non convellendis.*

10. Decima actione, poſcentibus monaſteriorum patribus, pari ſententia ſtatuimus, ut cœnobia nuper condita in provincia Bætica, ſicut & illa quæ ſunt antiqua, immobili & inconcuſſa ſtabilitate permaneant ſolidata. Si quis autem (quod abſit) noſtrûm, vel nobis ſuccedentium ſacerdotum, quodlibet monaſterium, aut vi cupiditatis ſpoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis convellendum, vel [s] diſſolvendum, anathema effectus, maneat à regno Dei extraneus; nec proficiat illi bonum Fidei vel operis ad ſalutem, qui tantæ & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem. Super hoc etiam univerſi Bæticæ provinciæ Epiſcopi congregati, [t] eundem ſacri cœtûs everſorem à communione ſuſpendant; convulſum monaſterium cum rebus ſuis reſtaurent, & quod impiè unus ſubverterit, omnes piè reforment.

s Diſs. tentaverit. *Exc.*
t Eundem ſacrilegum cœtûs ſui. *Exc.*

XI. *De monaſteriis virginum, ut à monachis tueantur.*

11. Undecima actione conſenſu communi decrevimus, ut monaſteria virginum in provincia [u] Bætica condita, monachorum adminiſtratione ac præſidio gubernentur: tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus providemus, quando eis Patres [x] Epiſcopi tales elegimus, quorum non ſolùm gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint: eâ tamen circa monachos * diſciplinæ * cautelâ ſervatâ, ut remoti ab earum [y] peculiaritate, nec uſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum; [z] ſed nec Abbati, vel ei qui præficitur, extra eam, quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid quod ad inſtitutionem [a] morum pertinet, licebit; nec cum ſola quæ præeſt frequenter eis loqui oportet; ſed ſub teſtimonio duarum aut trium ſororum; ita ut rara ſit acceſſio, & brevis omnino locutio. Abſit enim ut monachos (quod etiam dictu nefas eſt) Chriſti virginibus familiares eſſe velimus; ſed juxta quòd juſſa regularum vel Canonum admonent, longè diſcretos atque ſejunctos eorum tantùm eaſdem gubernaculis deputamus; conſtituentes, ut unus monachorum probatiſſimus eligatur, cujus curæ ſit [b] prædia earum ruſtica vel urbana intendere, fabricas exſtruere, [c] vel ſi quid ad neceſſitatem monaſterii providere: ut Chriſti famulæ pro animæ ſuæ tantùm utilitate ſolicitæ, ſolis divinis cultibus vivant, operibuſque ſuis inſerviant. Sanè is qui ab Abbate præponitur, judicio ſui Epiſcopi comprobetur. Veſtes autem illæ iiſdem * cœnobiis * faciant, à quibus tuitionem exſpectant; ab eiſdem denuò (ut prædictum eſt) laborum fructus & procurationis ſuffragium recepturæ. [d] Si quis autem monaſteriorum hanc ordinationem aut contempſerint, aut qualibet inertiæ diſſolutione neglexerint; ſciant quòd eorum [e] tepor atque ſuperbia excommunicationis ſit plectenda cenſurâ.

18. q. 2. Undecima.
u Bætica, vel ubique condita. *C. A.*
x Spirituales elig. *C. A.*
* *Deeſt C. A.*
y Familiaritate. *Exc. & Grat.*
z Nec ipſi qui præeſt, cum ſola colloqui debet, ſed ſub &c. *cætera deſunt in Ivone.*
a Mor. vel adminiſtrationem earũ pertinet. *Gratian. Gregor.*
b Prædiis earum ruſticis vel urbanis. *Exc.*
c Et ſi quid aliud eſt. *Exc.*
* *Deeſt in Exc.*
d Si qui autem monachorũ. *Exc.*
e Temeritas. *Exc.*

XII. *De quodam Acephalorum Epiſcopo.*

12. Duodecima actione ingreſſus eſt ad nos quidam ex hæreſi Acephalorum, natione Syrus (ut aſſerit ipſe) Epiſcopus, duarum in Chriſto naturarum proprietatem abnegans, & Deitatem paſſibilem aſſerens: cujus, dum noſtris ſenſibus tanti erroris confuſio patuiſſet, prolatis illi de Incarnatione Domini noſtri *Jeſu Chriſti * teſtimoniis, ſanctorumque Patrum ſententiis recitatis, omni eundem exhortatione ad veræ Fidei rectitudinem ſacerdotali modeſtia invitavimus: qui ſalutaribus monitis pertinaciter per multos diuturnoſque * communionis * conflictus retinens, tandem gratiâ divinâ edoctus, cunctis coram adſtantibus hæreſin propriam abdicavit, duaſque naturas, & unam perſonam, in uno eodemque Domino noſtro Jeſu Chriſto confeſſus eſt; credens impaſſibilem naturam Deitatis, atque in ſola humanitate ſuſcepiſſe infirmitates [h] paſſionum & crucis. Converſus itaque atque receptus, ſuſceptæ Fidei confeſſionem [i] cum ſtipulatione jure jurando protulit, atque ab [k] omnibus purgatus apparuit: talique pro merito gaudentes, Chriſto gratias egimus, quòd eundem poſt pravitatem hæreſis ad rectitudinem Fidei divinâ gratiâ promoviſſet. Quem optamus, ut permanens in Fide Chriſti, purè ac devotiſſimè conſervetur.

* *Deeſt Exc.*
* *Deeſt. C. A.*
h Paſſionis. *Exc.*
i Cum Aſtipul. protulit, atque. *Exc.*
k Omnibus ſuis erroribus. *Exc.*

XIII. *De duabus in Chriſto naturis, & una perſona.*

13. Tertia decima * id eſt ultima * proſecutione breviter narrandum putavimus, ad refutationem eorundem hæreticorum, qui duas naturas Chriſti poſt unionem delirantes confundunt, & paſſibilem in eo Divinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in unam perſonam Chriſti geminæ naturæ proprietatem oſtendere, paſſionemque ejus in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare, ut ſi fortè aliqui ſtultorum hujus l inſcitiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, rectæque Fidei veritatem firmiter teneant. Nam procul dubio multi ſunt * ſtultorum * qui ſecundùm Apoſtoli vocem, *prurientes auribus, à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur.*

* Deſunt A. C.
l Sententiæ. Exc.
* Deeſt. Exc.
2. Ad Tim. 4.

14. Ergo (ſicut immaculata Fides & ſancta Dei Eccleſia docet) confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum intemporaliter ex Patre Deo natum, temporaliter ex utero glorioſæ Virginis Mariæ hominem editum; & ob hoc in una ſubſiſtente perſona duas naturas habentem, Deitatis, quâ ante ſæcula genitus eſt, humanitatis, in qua diebus ultimis editus eſt; in illa, ſecundùm formam Dei; in iſta ſecundùm formam ſervi conſiſtens; in illa Patri manens æqualis; in iſta ſine peccato ſimilis noſtræ conditionis; in illa inviſibilis; in iſta viſibilis; in illa m inviolabilis; in iſta paſſibilis; in illa ex qua mori non potuit; in iſta in qua mortem ſuſcepit.

m Inviolabilis in iſta, paſſibilis in illa ex qua, &c. A.

15. Cujus geminæ naturæ diſtinctio primùm ex literis legis, deinde ex Propheticis, & Evangelicis, atque Apoſtolicis depromenda eſt paginis. Ut ea quæ aſſerimus, non argumentis, ſed exemplis Scripturarum firmemus, lex in una eademque Salvatoris noſtri perſona ſic demonſtrat utramque naturam; divinam loquente Domino ad Moyſen: *Ecce mitto angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat te in via, & introducat ad locum quem * præparavi *: obſerva eum & audi vocem ejus; quia eſt nomen meum in illo.* humanam, loquente eodem Domino ad Abraham: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* ideſt, in carne Chriſti, quæ de Abrahæ ſtirpe deſcendit. n Propheta in pſalmis, ſub una eademque Chriſti perſona ſic oſtendit utramque naturam; divinam, ſecundùm illud: *Ex utero ante luciferum genui te:* humanam, ſecundùm hoc: *Et homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus:* divinam, ſecundùm illud: *Eructavit cor meum verbum bonum.* humanam, ſecundùm hoc: *Speciosus formâ præ filiis hominum.*

Exod. 23.
* Deſunt Exc.
Gen. 22.
n Propheta. C. A.
Pſ. 109.
Pſal. 86. ubi in vulgat. legitur mater, Græcum [illegible] utrumque fert.
Pſal. 44.

16. Prophetia in Proverbiis in una eademque Chriſti perſona ſic declarat utramque naturam; divinam, ſecundùm illud: *Ante colles genuit me.* humanam, ſecundùm hoc: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum.* divinam, ſecundùm illud: *Nec dum erant abyſſi, & ego jam o concepta eram.* humanam, ſecundùm hoc: *Sapientia ædificavit ſibi domum*; corporis utique ſui templum, in quo Filius Dei inhabitaret, dum *Verbum caro factum eſt.* Prophetia in Eſaïa ſub una eademque Chriſti perſona ſic demonſtrat utramque naturam: p Deitatis, ſecundùm illud: *Numquid qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus?* q Humanitatis, ſecundùm hoc: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium.* r Divinitatis, ſecundùm illud: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum.* s humanitatis ſecundùm hoc: *Aperiatur terra & germinet Salvatorem, & juſtitia oriatur ſimul.*

Prov. 8. & 9.
Ibidem.
Prov. 9.
o Conceptus. C. A.
Joan. 1.
Eſai. 66.
p Divinam. C. A.
q Humanam. C. A.
Eſai. 7.
r Divinam. C. A.
s Humanam. C. A.

17. * Item alibi * humanitatis ſecundùm hoc: *Parvulus natus eſt nobis.* Divinitatis ſecundùm illud: *Filius datus eſt nobis.* Parvulus enim t Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus: Filius autem datus, ad u divinitatis, quia Dei Filius. Et ut oſtenderet in utraque natura unam eſſe perſonam x parvuli nati & filii dati, adjecit: *Vocabitur nomen ejus magni conſilii angelus, Deus fortis, pater futuri ſæculi.* In Evangelio quoque in uno eodemque Chriſto divinæ naturæ y ſignificatio: *Ego & Pater unum ſumus.* humanæ naturæ inſinuatio: *Pater major me eſt.* Divinæ naturæ ſignificatio: *Ego ſum via, veritas, & vita.* humanæ naturæ inſinuatio: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* divinæ naturæ ſignificatio: *Omnia per ipſum facta ſunt.* humanæ naturæ inſinuatio: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit z me.*

* Deſunt in C. A.
Eſ. 9.
t Natus. Exc.
u Divinitatē. Exc.
x Per parvulum natum, & filium datum. C. A.
y Sign. eſt. C. A.
Joan. 10.
Joan. 14.
Matth. 26.
Joan. 1.
Joan. 5. & 6.
z Me Patris. C. A.

18. Paullus quoque Apoſtolus in uno eodemque Chriſto naturam Divinitatis exprimit, dum dicit: *Primogenitus omni creaturæ, ipſe eſt ante omnes, & omnia in illo conſtant.* Naturam humanitatis declarat, dum dicit: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Et alibi: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Per hoc enim quod dixit: *Qui cùm in forma Dei eſſet*; naturam in eo divinæ majeſtatis oſtendit: per hoc autem quod adjecit: *Formam ſervi a accipiens,* b naturam in eo humanæ humilitatis ſignificavit. Et iterum inquit: *Cùm eſſet dives, pauper factus eſt, ut illius inopiâ nos divites eſſemus.* Ubi enim dixit: *Cùm eſſet dives*; divinæ naturæ gloria panditur: & ubi adjecit: *Pauper factus eſt*; humanæ infirmitatis c ſuſceptio demonſtratur.

Coloſſ. 1.
Ibidem.
Philipp. 2.
a Accepit. C. A.
b Natur. humanitat. ſignific. Exc.
2. Cor. 8.
c Subjectio. C. A.

19. Item in ipſo initio Apoſtolici Symboli d geminæ ſic oſtenditur e in uno eodemque Chriſto naturæ diſtinctio: Deitatis ex Patre, dum dicit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum,* f *Dominum noſtrum.* humanitatis ex matre dum dicit. *Natum de Spiritu ſancto ex utero Mariæ Virginis.* Ecce ex utroque Teſtamento duæ naturæ in Chriſto; Divinitatis una, altera humanitatis: quæ quidem gemina unam fecit perſonam, quia unus idemque mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Jam verò de Paſſione ejuſdem Salvatoris noſtri & Domini Jeſu Chriſti, quam in ſola humanitate, non in deitate ſuſtinuit (ſicut ſuperiùs) legis & Prophetarum auctoritas, Evangeliorum quoque & Apoſtolorum prædicatio adhibenda eſt. Lex de Paſſione corporis Chriſti

d Geminæ naturæ. C. A.
e In una eademque Chriſti perſona diſtinctio. C. A.
f Deum, & hominem. C. A.

ſic

ſic dicit: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Quid hîc pallium, quid ſtola, niſi caro Chriſti Paſſionis ſangnine decorata? Hæc enim ſola contumelias crucis ſuſtinuit; divinæ verò naturæ majeſtas nihil injuriæ ſenſit.

Gen. 49.

20. [g] Prophetia quoque iu Pſalmis Paſſionem Chriſti in carne ſola ſic aſſerit: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Ubi non Deitatis, ſed tantùm crucifixi corporis injuria intelligitur. Ibi enim in membrorum ſignificatione ſola caro clavis ſuſpenſa in ligno atque [h] ſuffixa pronunciatur. Sicut & apud Hieremiam legitur: *Venite mittamus lignum in pane ejus* [i]. id eſt, crucem in corpore ejus. Neque enim divinitas ligno ſuſpendi potuit, ſed ſola utique humanitas cruce ſuffixa pependit. Cujus etiam caro tolerantiam mortis paſſa ſic oſtenditur alibi, dum dicit: *Caro mea requieſcit in ſpe.* ntique quia ſola iu Chriſto carnis materia mortis fragilitate defuncta, ſpem reſurrectionis ſine exſpectabat, etiam ſine corruptione receptura, dum dicit: *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

g Propheta. C. A. Pſal. 21. h Fixa. C. A. Hierem. 11. i In panem ejus. C. A. Pſal. 15. Ibidem.

21. Salomon autem in Canticis Canticorum Paſſionem carnis Chriſti prædicat, dicens: *Manus meæ* (inquit) *diſtillaverunt myrrham, digiti mei guttam.* Ubi ſpecialiter oſtenditur in manibus ac digitis ſolam carnem Chriſti ſuffixam ſtipite; ſicut in Pſalm. 118. legitur: *Confige clavis timoris tui carnes meas.* Eſaïas autem Chriſtum in ſola humanitate quæ apparuit, Paſſionis injuriam ſuſcepiſſe ita prædixit: *Homo* (inquit) *in* [k] *plaga, & ſciens ferre infirmitates. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Quis ipſe, niſi utique homo? Nam pati & deficere in illo natura Dei non potuit, ſed homo portavit in eo Paſſionem & mortem, in quo & ipſa mors habet conditionem.

Eſaias 53. k Pl. exiſtens, & ſciens. Exc.

22. Nam & cùm de eo ipſe Propheta dixiſſet: *Quis iſte qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra?* Et adjecit: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, tanquam calcantium in torculari?* Quid hîc per indumentum & veſtimentum rubrum voluit oſtendere, niſi ſolam carnis Chriſti Paſſionem, crucis infectam cruore? Unde & ipsâ Paſſione chlamyde coccinea Chriſtus induitur, ut imago ſanguinis iu carne tantùm demonſtraretur. Eſaïas quoque corpus ſolùm obtuliſſe Chriſtum Paſſioni ſic loquitur: *Non ſum* (inquit) *contumax, neque contradico, corpus meum dedi percutientibus.* Non dixit divinitatem, quæ Paſſionem neſcit perferre. Et iterum: *Poſui ſcapulas meas ad flagella, & maxillas ad palmas.* quod & ipſum ad carnis patientiam, non ad Deitatis refertur injuriam. Et Zacharias: *Videbunt* (inquit) *quem confixerunt.* quem alium, niſi indubitanter hominem, quem Judæi crucifixerunt, & in carne judicantem videbunt? Ecce pronunciata eſt Paſſio corporis Chriſti ex lege & Prophetis [l].

Eſai. 63. Matth. 27. Eſai. 50. Ibidem. Zachar. 12.

23. Tranſeamus inde ad Euangelia: ibi quæramus Chriſtum Filium Dei in ſola carne portâſſe valetudines Paſſionis & injuriam crucis; loqoente ipſo diſcipolis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur & conſpuetur; & poſtquam flagellaverint, occident eum, & die tertia reſurget.* Quod totum in Chriſto ſecundùm hominem dictum, non ad ſubſtantiam Deitatis, ſed ad naturam pertinet carnis. Quod etiam in ſequentibus docetur, Judæis dicentibus Chriſto: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Et dixit Jeſus: *Solvite hoc templum, & poſt triduum ſuſcitabò illud: hoc autem dixit de templo corporis ſui.* Nam & in Paſſione ſua, dum corripiens proditorem diceret: *Juda oſculo filium hominis tradis?* Quem [m] interrogat tradere proditorem, niſi hominem? Et comprehenderunt, non Deitatem, quam cæcati perfidiâ nec agnoſcere potuerunt.

l Excuſſi amplius. Cujus quidem Fidei veritas eſt tam efficax, ut eam nec tyranni ſua potueſrint crudelitate confundere, nec hæreticorum ſubdola circumventio perfundare, nec hypocritarum diminuere fallax ſimulatio. Tranſeam. Exc. Matth. 20. Luc. 18. m Significat. Exc.

24. Beatus autem Apoſtolus Paullus Chriſtum in homine ſolo pertuliſſe crucem, ſic aſſerit: *Ut homo* (inquit) *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* qui proinde dixit, *ut homo*, ut nuncupatione hominis, diſtinctio naturæ inſinuaretur paſſibilis: qnod confirmans aliàs ait: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur? Chriſtus* [n] *non infirmatur, ſed potens* [o] *eſt in vobis: nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute Dei.* Paſſus ergo Chriſtus & mortuus; ſed ex noſtra infirmitate: vivit autem impaſſibilis & immortalis; ſed ex ſua virtute, quæ tauta eſt, ut in ſe nec paſſionem recipiat nec mortem admittat.

Philip. 2. 2. Cor. 13. n Loquitur Chriſtus? Qui vos non infirm. Exc. & A. C. o Eſt verbum ejus in vos. C. A.

25. Petrus quoque Apoſtolorum Prioceps, crucis Chriſti ſopplicium ſic prædicat in ſolo corpore conſummatum: *Qui peccata* (inquit) *noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ* [p] *viveremus, cujus livore ſanati ſumus.* Et paullò pòſt: *Chriſto igitur paſſo in carne.* Ergo ſi Chriſtus in carne eſt paſſus, non eſt ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem crucifixus. Ecce perpatuit de Filio Dei, qoòd paſſus eſt, quòd mortuus eſt, corporis hoc tautùm fuiſſe, non Deitatis. Aliena ſunt iſta à Deo, teſtante Propheta de illo: *Deus ſempiternus,* [q] *Dominus creans fines terræ, non laborabit neque deficiet.* Et Pſalmus: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Omnes enim in Chriſto infirmitates humanitas ſola portavit: caro enim habuit vagitus infantiæ, non Divinitas: caro eſt pannis involuta, non deitas: caro habuit alimenta, caro portavit ætatum commercia: nam & quòd fatigatus eſt, quòd eſuriit, quòd dormivit, quòd flevit, quòd Paſſioni proximus triſtis fuit, quòd poſtremò ipſam Paſſionem & mortis conditionem ſuſtinuit; totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis; non ad incomprehenſibilem ſobſtantiam Deitatis.

1. Petri 2. p Vivamus. Exc. 1. Petri 4. Eſai. 40. Luc. 2. q Deus. C. A. Pſal. 101.

26. Unus eſt enim Chriſtus, Deus & homo, caro & Verbum: ſed unde Deus, inde habet immortalitatem: unde homo, inde pertulit Paſſionem: & unde caro, inde mortuus: & unde Verbum, inde æternus, Nec enim poteſt eſſe Deitate paſſibilis, qui eſt virtute, paternæ gloriæ naturæ æqualis. Unde & Patri derogatur, dum natura Deitatis in Filio paſſibilis creditur. Nam ſi una Patris & Filii ſubſtantia eſt; utique ſicut Pater, ita & Filius immortalis eſt. Et ſi, *ego & Pater unum ſumus*; ſicut in Patre non eſt mors, ita nec in Dei Filio mors. Et ſi verum eſt: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*;

Joan. 10. Joan. 17.

ergo immortalitas Patris cum Filio communis eſt. Nam quod ait Apoſtolns de infidelium ignorantia: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; non quaſi Dominus gloriæ ſit crucifixus, ut natura Deitatis videatur eſſe paſſibilis: ſed quia unus in utraque natura eſt Chriſtus, ſecundùm aſſumpti hominis formam, Dominus gloriæ dicitur paſſus.

Joann. 6.

27. Sicut è contrario eſt illud: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis*, dum de cœlo non deſcendiſſet, niſi tantùm Dei Filius, nondum idem factus Filius hominis. Propter perſonæ ergo unitatem, & ad hominem referuntur in Chriſto quæ Dei propria ſunt, & Divinitati adſcribuntur quæ hominis ſunt, Et ideo dum pati ac mori dicitur, non eſt Deitatis, ſed carnis proprium: ſic tamen propter unitatem perſonæ, ipſe Deus, & natus ex Virgine, & paſſus, & mortuus prædicatur: ſed infirmitate carnis noſtræ, non virtute Divinitatis ſuæ.

Ad Rom. 5.

Matth. 10.

Joann. 10.

28. Quod verò idem Apoſtolus ait: *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus*; ſic hic dicitur Dei Filius mortuus, ſicut dicitur de Martyribus paſſis ac mortuis, quorum tamen non ſunt animæ occiſæ in corporis paſſione; ore veritatis teſtamente: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Ubi agnoſci oportet, ſi animæ Martyrum corpore perempto ſuppliciis extingui non poſſunt; Deus, qui conditor eſt animarum, quomodo per crucem carnis pati potuit exitium mortis? Quod etiam alibi apertiùs declaratur, eodem Filio Dei loquente: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem iterum ſumendi eam*. Quòd ſi ipſa Deitas mortua exſtitit; quæro, quis animam ipſius reſumpſit? Stultum eſt ergo crucis paſſionem divinæ applicare naturæ; ſed tantùm creabili & humanæ. Sola enim caro crucis exitium ſenſit, ſola caro lanceam pertulit, ſola caro ſanguine & aquâ manavit, ipſa ſola mortua, ipſa ſola in ſepulchro poſita, ipſa ſola tertia die reſuſcitata: quæ etiam glorificata cœlos adiit, in qua & venturus eſt judicare in gloria Patris, judicaturus de vivis [r] ac mortuis,

r Vivos & Mortuos. *In A. C.*
s Igitur *aliâs.*

29. Prolatis [s] ergo novi ac veteris Teſtamenti teſtimoniis, in quibus duæ naturæ Chriſti patefactæ ſunt in una ſubſiſtentes perſona, in quibus & paſſio ejus apparuit in homine ſolo expleta; deinde oportuit ſententias ſubnecti Sanctorum Patrum, qui in ſacris literis ingenti gloria refulſerunt: ut etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus ex duabus naturis & una perſona ſubſiſtit, & quia mortem & paſſionem in ſola carne ſuſcepit. Sanctus [x] ergo Hilarius in explicatione Epiſtolæ ad Timotheum ſic loquitur: *Nam & cùm dicit Scriptura, homo Chriſtus; & cùm dicit, Chriſtus mortuus eſt; & cùm dicit, Verbum caro factum eſt; non eſt ſpoliandus per fraudulentiam legentis expoſitionibus ſuis ſermo. Nam ubi homo Chriſtus eſt, præcedit mediator Dei atque hominum; ut ex utroque Deo & homine unus ſubſiſtat, ſitq; inter hominem & Deum medius, confeſſione in ſe utriuſque naturæ. Ubi verò Chriſtus mortuus eſt, ſubjicitur*: Qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei. *In morte ejus, carnis noſtra infirmitas eſt, in reſurrectione virtus ejus, in conſeſſu Dei dignitas.*

x *Non extat inter opera D. Hilarii quæ nunc extant. In editione verò noviſſima monachorum S. Mauri ponitur inter Fragmenta, col.* 1366.

Ambroſius lib. 10. cap. 99. ſuper Lucam 22. Idem in eodem lib. cap. 104. ſuper Lucam 23. Idem in eodem lib. cap. 94. ſuper Lucam 23. Matth. 26. & Marc. 14.
y Crucem.
* *Aliàs deeſt.*
z Denique. *Aliàs.*
Matth. 26. & Marc. 14.
a Quæ ſuſcepit. In.

30. Sanctus quoque Ambroſius in expoſitione Euangelii ſecundùm Lucam, ſic aſſerit: *Non enim ſuam, ſed noſtram carnem* [y] *Chriſtus aſcendit: nec mors illa Divinitatis, ſed* * *quaſi* * *hominis fuit*. Et paullò pòſt: *Et enim Chriſtus omnia, & in Chriſto omnia: licèt in ſingulis Chriſtus operetur, caro tamen moritur ut reſurgat*. Item idem in eodem libro exponens inter alia, dicit: *Triſtis eſt anima mea, turbata eſt valdè. Non ergo ſuſcipiens, ſed ſuſcepta turbatur: anima enim obnoxia paſſionibus, divinitas libera.* [z] *Etenim ſpiritus promptus, caro autem infirma. Triſtis autem non ipſe eſt, ſed anima. Non eſt triſtis ſapientia, non divina ſubſtantia, ſed anima.* [a] *Suſcepit corpus meum; non me fefellit, ut aliud eſſet, & aliud videretur.*

Joann. 12.
b Et impaſſibiliter. *A. C.*
S. Athanaſius.

31. Sanctus Athanaſius in tractatu quem ſcripſit de Chriſti nativitate, ſic dicit: *In hoc ſit ergo, fratres chariſſimi, Fides noſtra, in hoc tota ſalus & vita conſiſtat, ut credamus, Deum Dei Filium primùm ante omnia ſæcula à Deo Patre inviſibiliter* [b] *genitum, deinde à Maria Virgine, ſecundùm hominem natum, & ſecundum hunc hominem paſſum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe ab inferis, aſcendiſſe in cælum*. Item idem in expoſitione Fidei: *Verbum* (inquit) *naſcitur de Maria Virgine, accipiens corpus animale: ſed neque ſermo comprehenſus eſt carne, ſed in carne, & ſupra carnem; & ſicut Deus dicitur, ita Dei virtus, Dei veritas: paſſus autem humana carne, ſed ſermo Dei impaſſibilis eſt. In paſſione quidem moritur homo, ut vivificaret protoplaſtum, qui ceciderat per inobedientiam.*

Gregorius Nazianz. Epiſt. 2.

32. Sanctus Gregorius ſcribens ad Celidonium, dicit: *Naturæ enim duæ in Chriſto; Deus & homo; non autem duo filii, nec dii duo.* Item idem in ſermone de Filio, *Uno autem* (inquit) *capitulo moneo, ut altiora quidem adſcribas divinitati, & illi naturæ quæ paſſionibus & corpore probatur eſſe ſuperior: humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis noſtræ aſſumpta eſt*. Item ipſe in quarto libro contra Eunomium: *Et ne aliquis incorruptibili naturæ Deitatis crucem paſſionis applicet, per alia manifeſtiùs talem emendat errorem, mediatorem ipſum Dei & hominum, & Deum ipſum nominans; ut cùm duo de una dicantur, congruum intelligatur circa utrumque; circa Deitatem quidem impaſſibilitas, circa humanitatem autem diſpenſatio paſſionis.*

S. Baſilius.

33. Sanctus quoque Baſilius in quarto libro contra Eunomium ita ſcribit: *Quid eſt, Dominus creavit me, & ante omnes colles genuit me? Ubi intelligendum eſt hoc quod dicit, GENUIT, de Dei Filio: hoc autem, quod dicit, CREAVIT, de ea parte quâ in forma ſervi eſt; ut utramque naturam in una perſona oſtenderet.*

S. Cyrillus.
d *Aliàs* videndum.

34. Sanctus Cyrillus in prima ad Succeſſum Epiſtola dicit: *Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet, & ad* [d] *fidem tantumdem oculis animæ, quemadmodum incarnatus eſt Unigenitus, duas naturas eſſe dicimus, unum autem Filium, & Chriſtum, & Dominum, Deum Verbum incarnatum, & hominem*

minem factum conſitemur. Item in ſecunda ad eundem Succeſſum Epiſtola ſic ait: *Cum unus* (inquit) *ſit, & ſolus Filius Chriſtus, idem ipſe Deus & homo, ſicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Non autem ipſum Unigenitum Filium Dei, ſecundùm quod intelligitur, & eſt Filius Dei, paſſum eſſe in ſua natura dicemus.* [e] *Oportet enim neceſſariò utraque ſervari uni & vero Filio, & non pati ſecundùm Deitatem, & dici paſſum eſſe eundem ſecundum humanitatem; ipſius enim paſſa eſt caro.* Idem in expoſitione Levitici inter alia: *Totum in his iterum circumſpice Salvatoris noſtri myſterium, & emundationem quæ per ſanctum baptiſma fit. Duas enim aviculas ſumi jubetur, vivas, & mundas: ut intelligas per volatilia cœleſtem hominem, ſimul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, dividendum, unicuique convenientem.*

e Sed paſſi in eſſe terrena natura. Unus Ms.

35. Item S. Auguſtinus: *Nec enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum converſum atque mutatum eſt: nec divinitas quippe in creaturam mutata eſt, ut deſiſteret eſſe divinitas; nec creatura in divinitatem, ut deſiſteret eſſe creatura. Nam ſi ſubſtantia hominis* (quod abſit credere) *in divinitatem converſa eſt, augmentavit aliquid Deitatis. Sed abſit ut augmentum recipiat ineffabilis & incomprehenſibilis plenitudo. Manet ergo utraque Filii Dei natura, & una perſona.*

S. Auguſtinus in excerptis.

36. Rurſus ipſe adverſus Maximum: *Si ergo attendas diſtinctiones naturarum, Filius Dei de cœlo deſcendit, & Filius hominis crucifixus eſt in terra.* Idem in ſequentibus: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia. Ubi reſurgit, niſi in eo quòd potuit cadere? Ubi reſurrexit, niſi in eo ubi mortuus? Quare mortem in Verbo; nunquam eſſe potuit: quare mortem in anima; nunquam ibi fuit: quare mortem in carne; planè ibi fuit: & ideo ibi fuit, quia mors vera fuit.* Et paullò pòſt: *Quid miraris? Certè vita eſt Chriſtus: quare mortua eſt vita, nec anima mortua eſt, nec Verbum mortuum eſt? Caro tantùm mortua eſt. Quare? Ut in ea mors moreretur.* Idem in expoſitione Joannis Euangeliſtæ: *Quis ergo eſt per quem factus eſt mundus? Chriſtus Jeſus; ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipſe Jeſus Chriſtus; ſed in forma ſervi.*

Auguſtinus ſuper Joannem.

37. Beatus quoque Leo Apoſtolicæ Sedis Antiſtes in ſua Epiſtola, quam ſcripſit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſic ait: *Salva ergo proprietate utriuſque naturæ, & in unam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, inviolabilis natura eſt unita naturæ paſſibili; ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus totus in ſuis, totus in noſtris.* Et paullò pòſt: *Qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma ſervi factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura. Et ſicut forma ſervi Dei formam non ademit, ita forma Dei formam ſervi non minuit.* Item paullò pòſt: *Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exſequente quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit.*

S. Leo. Epiſt. 10.

38. Sanctus quoque Fulgentius in libro quem de Incarnatione Domini Jeſu Chriſti ſcripſit, inter alia ſic intulit: *Dico itaque vobis juxta ſanctorum Patrum traditionem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus naturis inconfuſis, ideſt, divinitatis & humanitatis, unam perſonam ſive ſubſtantiam confiteri.* Idem poſt alia: *Si quis ergo in Domino noſtro Jeſu Chriſto aut duas naturas, aut unam noluerit, ſive dubitaverit credere aut prædicare perſonam; vel ſi quis noluerit confiteri Deum atque hominem; ideſt, Verbum incarnatum de Maria Virgine, pro noſtra ſalute veraciter natum; tantum à Catholica Fide deprehenditur ac demonſtratur extraneus, ut ſacramento redemptionis humanæ reſiſtat ingratus.* Et paullò pòſt: *Verbum caro factum unus & plenus eſt Chriſtus, unus ex utraque & in utraque, ideſt in humana divinaque natura: in quo ſic utriuſque naturæ prorſus unitio glorioſa perſiſtit, ut ſive divinitati Chriſti humanitatem quis demat, ſive humanitati divinitatem detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate & blaſphema prædicatione diſſolvat.*

S. Fulgentius Ruſpenſis.

39. Item paullò pòſt: *Chriſtus pro nobis carne eſt paſſus, qui de Deo Patre natus ſolus impaſſibilis eſt Deus. Ipſum itaque Chriſtum Filium Dei pro nobis mortem carne guſtâſſe, ſalva immortalitate divinitatis ejus, veraciter credimus.* [g] Iterum poſt hoc: *Quia non eſt alter Deus, alter homo; ſed idem unus eſt Chriſtus, Deus & homo, profectò idem Deus Chriſtus eſt, qui & mortem* [h] *ſua carne ſuſcepit: & idem homo Chriſtus eſt, qui mortem ſua divinitate deſtruxit. Idem quippe Chriſtus Dei Filius, qui divinitate mori non potuit, carne mortuus eſt,* [k] *quia mortalem Deus immortalis accepit,* [l] *& idem Chriſtus Dei Filius carne mortuus reſurrexit, quia immortalitatem ſuæ divinitatis carne mortuus non amiſit. Hinc eſt quòd etiam poſt reſurrectionem ſuam, ſicut in cicatricibus veris, & in vera comeſtione piſcis & mellis, ſoliditatem in ſe veræ carnis edocuit, ita clauſis foribus ingrediens, veram in ſe virtutem ſempiternæ divinitatis oſtendit, ut agnoſceretur, & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe majeſtas.*

g Item. Exc.
h Suam. Exc.
k Quam. In Exc.
l Et ideo. In Exc.
Luc. 24.
Joann. 20.

40. Hæc quidem quæ tam divinæ Scripturæ, quàm etiam ſanctorum Patrum eloquia docuerunt, decretis noſtris breviter inſerta protulimus, demonſtrantes geminam carnis & deitatis naturam in una Domini & Salvatoris noſtri perſona, paſſum quoque eundem in ea natura quæ corporis eſt; non paſſum in ea natura quæ deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus ſecretariis definitis, pro confirmatione ſui, [m] proprias ſubſcriptiones ſubjecimus.

m Propriam ſubſcriptionem. Exc.

1. Iſido-

1. Iſidorus in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
2. Biſinus in Chriſti nomine Eccleſiæ Eliberitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
3. Rufinus in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſidonenſis Epiſcopos, ſubſcripſi.
4. Fulgentius in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſtigitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
5. Cambra in Chriſti nomine Eccleſiæ Italicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
6. Fidentios in Chriſti nomine Eccleſiæ Tuccitanæ Epiſcopos, ſubſcripſi.
7. Theodulphus in Chriſti nomine Eccleſiæ Malacitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
8. Honorios in Chriſti nomine Eccleſiæ Cordubenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

41. QUEMADMODUM S. Leander præſederat Concilio I. Hiſpalenſi ſuprà exhibito; ita & huic II. S. Iſidorus germanus ipſius frater, ac ſucceſſor in eadem ſede Hiſpalenſi, anno Chriſti DCXIX. qui fuit ſecundus aut tertius Bonifacii quinti Papæ, nonus autem Regis Siſebuti, non ſolùm Catholici & piiſſimi, ſed etiam docti, habita ratione temporis. Unde varia ingenii ac pietatis ſuæ monumenta reliquit; ex quibus apud nos exſtant modò ſequentia è Mss. magnæ Eccleſiæ Toletanæ deſumpta. I. Siſebuti Regis Gotthorum Epiſtola ad Epiſcopum Menteſanum, qui ſe recluſit in monaſterio. II. Epiſtola Cæſarii Patricii ad Siſebutum de Cæcilio Epiſcopo capto à militibus. III. Siſebuti ad Cæſarium Epiſtola reſcripta per Anſemundum. IV. Cæſarii Patricii Epiſtola ad Siſebutum miſſa per Aſcellum. V. Alia ejuſdem ad Siſebutum miſſa per Amellium. VI. Epiſtola Siſebuti ad Euſebium Epiſcopum. VII. Alia ejuſdem ad Tudilanem, cùm ex laïco habitum in monaſterio recepiſſet. VIII. Epiſtola Siſebuti ad Advalicaldum Regem Longobardorum & Theudolindam Reginam, pro Fide Chriſti, per Totilanem directa. IX. Pallio S. Deſiderii Epiſcopi Viennenſis, ſcripta à Siſebuto Hiſpaniarum Rege Erâ DCL. id eſt, anno Chriſti DCXII.

42. Horum omnium editionem, ſimul & plurium aliorum quæ nondum lucem viderunt, promiſeramus in Synopſi illa Conciliorum Hiſpaniæ edita anno MDCLXXXVI. Verùm cùm jam Romæ tradenda eſſent typographo, inventa fuerunt exemplaria vitio exſcriptorum tot erratis & nævis plena, ut poduerit ea prælo ſubjicere, donec aliquando liceat ea accuratiùs conferre cum Mss. Gotthicis bibliothecæ Toletanæ. Aliunde verò religioni duxi ea immutare aut corrigere ex conjectura. CARD. DE AGUIRRE.

43. *Siſebuti Regis.*] Siſebuti Regis exſtat nunc memoria in nummis, ut auctores ſunt Reſendius Luſitanus, & Ambroſius Morales, cum hac inſcriptione, D. N. SISEBVTVS. In reverſo: CIVITAS EBORA. DEVS ADIVTOR MEVS. Etiam in lapide fracto hæc leguntur: SACERDOS OCCVRRIT AMATOR. ÆTATIS SVÆ XLIII. DIE ID. FEBR. ÆRA DCLII. FELICITER II. SISEBVTI REGIS EPISCOPATUS. AN. I. ET MEN. X. T. IN PACE AMEN. Unde conſtat Siſebutum regnare cœpiſſe Erâ DCXLIX. quod cum anno hujus Concilii optimè convenit. Situs fuit Siſebutus Rex io Baſilica divæ Leocadiæ Tago impoſita, in ſuburbio.

44. *In civitate Spalenſi.*] Anno nooo regni Siſebuti celebratum eſt ſub divo Iſidoro Metropolitano ſecundum Concilium Hiſpalenſe, pro Eccleſiaſticis negotiis, & contra Acephalos hæreticos, negantes temerè in Chriſto duas naturas in una divina perſona. *Acephali ſine capite dicti, quia nullus reperitur erroris hujus auctor, à quo exorti nomen & ſectam ſibi arrogent*, ut Iſidorus inquit lib. *Etymol.* 8. cap. 5. & Auguſtinus. De his etiam multa tradit Nicephorus lib. 18. *Eccleſiaſt. Hiſtor.* cap. 45. plura infrà. Interfuit huic Concilio Epiſcopus quidam Syrus, ſtolidus hujus hæreſis propugnator; qui poſt longam diſputationem rationibus & argumentis divi Iſidori & aliorom Patrum victus, ad rectam & orthodoxam Fidem converſus eſt, ut ex XII. Actione hujus Concilii conſtat. Eſtque Concilium eruditum & doctum, juris civilis & canonici ſapientiâ refertum; ita ut appareat à viris eruditione divina & ſæculari præſtantibus eſſe editũ. LOAISA.

45. AD CAN. II. *Longi temporis probatur objecta præſcriptio.*] Tricennalis, ſive Tricennaria, hoc eſt triginta annorum præſcriptio hac parte etiam in rebus Eccleſiaſticis aſſeritur, ſecundùm Theodoſii conſtitutionem l. 1. Cod. Theod. *De action. cert. temp. fin.* Concilium quoque Chalcedonenſe Can. XVII. ita decernit: *Per ſingulas Eccleſias parœcias rurales ſive in poſſeſſionibus manere immobiles apud eos qui eas retinent Epiſcopos, & maximè ſi eas ſine violentia jam per triginta annos tenentes gubernaverunt.* Quamvis autem pro diverſorum Imperatorom libidine poſt tempora Theodoſii præſcriptio Eccleſiaſtica fuerit ad uſque centum annos prorogata; deinde ad quadraginta annos reducta; in Hiſpania tamen (ubi civitas Hiſpalenſis inter primarias cenſebatur) edixerat Alaricus Wiſi-gotthorum Rex, Codicem Theodoſianum ubique ſervari. Inſuper Oecumenica Synodus VIII. ſub Adriano Papa II. habita, Can. XVIII. ſubjicit anathemati eos qui litem movent contra Eccleſiam de rebus ab eadem pacificè per annos triginta poſſeſſis. Sanctus tamen Papa Gregorius lib. 1. Epiſt. IX. annos aſſignat quadraginta ad ſubmovendum quemcumque petitorem, etiam ipſam Romanam Eccleſiam, ſi quid juris in eam rem tanto tempore poſſeſſam prætenderet: Eccleſiaſticam quoque præſcriptionem annis quadraginta limitat Carolus Magnus lib. 5. cap. 389.

46. Quod demum attinet ad alienorum Epiſcopa-

ſcopatuum fines, horum invaſionem quocumque prætextu fieri prohibet Concilium Carthaginenſe anni CCCXLVIII. ſub Grato Epiſcopo Carthaginenſi celebratum Can. X. Similiter & aliud Carthaginenſe ſub Genethlio Epiſcopo pariter Carthaginenſi, habitum anno CCCXCVII. Can. XX. His adde Gelaſii primi Epiſtolam X. ad Epiſcopos Siciliæ, de non auferendis bonis ab Epiſcopis triginta annorum poſſeſſione ſubnixis. Cabassutius.

47. Ad Can. III. *Cingulo honoris.*] Sic lib. 3. *De domeſticis & protect.* lib. 12. Cod. Quinquennium enim ſi fuerit divagatus, ipſe jam cingulo ſpoliandus eſt; id eſt, dignitate & magiſtratu privandus & dejiciendus. In omni republica bene conſtituta dignitates & honores magiſtratuſque ſolent peculiaria habere inſignia, quæ, dum munus confertur, illa pariter conferuntur; dum verò exauctorantur qui habent, adimuntur. Habebant apud Romanos Reges & Conſules faſces, & ſecures, & purpuram: Senatores latum clavum, ſeu laticlavium, & calceum lunatum, & veſtem albam: equites annulum: Hiſpani nunc calcar & enſem: milites Romani & aliarum nationum cingulum, à quo enſis pendebat: erat enim zona cum gladio, ex Suïda in Auxentio. Unde Joab in prœlio adverſus Abſalonem promiſit ſe daturum baltheum occiſori. Inde & teſtamentum militare in procinctu factum dicitur, cum milites ad prœlium progrederentur ſe gladiis cingentes, utcumque poterant, de ſuis rebus diſponebant. Hinc per translationem dignitatis & honoris inſignia etiam aliorum quàm militum dicitur cingulum: ita eſt duplex, & militiæ & dignitatis ſive honoris.

48. Ad Can. IV. *Contra divina atque Eccleſiaſtica jura.*] In Concilio Carthaginenſi quarto cap. 69. Epiſcopus pro hac re deponitur. *Simili ſententia* (inquit) *ſubjacebit Epiſcopus, ſi ſciens ordinaverit clericum eum, qui viduam aut repudiatam uxorem habuit, aut ſecundam.* Et in excerptis Martini cap. 26. *Si quis viduam.* Et in Epiſtola Innocentii ad Victorium, cap. 5. & ad Ruffum cap. 1.

49. Ad Can. V. *Depoſiti aquo judicio abntantur.*] Ordinans enim contra Patrum inſtituta & ſanctiones, auctoritatem in ordinationibos vel Conciliis minimè retinebit, & ordinatus ordinis honore privatur. Sic Innocentios Papa primus Epiſt. XXIV. cap. 3. dum ait: *Adverſus formas Canonum ad ordinem venire tentans, ordine & honore privetur unà cum ordinatore.* Idem Zoſimus Papa Epiſt. I. cap. 1. & Concilium Arelatenſe III. Can. III. ab eo die ad annum aufert celebrandi poteſtatem. Idem Hilarus Papa primus Epiſtolâ ad Epiſcopom Tarraconenſem cap. 4. & Simplicius Papa Epiſtolâ III. ad Florentium. Loaisa.

50. Paradoxam quorundam ſuo tempore Epiſcoporum opinionem refert in Sancti Iſaïæ Prophetæ Commentariis Beatus Hieronymus: *Pleriſque noſtrorum Cheirotoniam, id eſt, ordinationem clericorum, quæ non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manûs, ne ſcilicet, ut in quibuſdam riſimus, vocis imprecatio clandeſtina clericos ordinet neſcientes, ſic intelligant, ut aſſumant teſtimonium Paulli ſcribentis ad Timotheum: Manus citò nemini impoſueris.* Eſt opinio verè ridicula, ipſam tamen tenuerunt magni viri. Etenim Sanctus Phædimus Amaſenus Epiſcopus, totius tunc Ponti Metropolita, paganis Neo-Cæſareenſibus volens imponere Epiſcopum, dudum & freqaeoter venatus fuit ſanctum Gregorium Thaomaturgum. Verùm ille perſtitit fugere per ſaltus & latebras, & non potuit comprehendi. Hinc in ipſius encomio ſcribit Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus: *Poſtea quàm nihil non tentatum relinquens ille vir magnus Phadimus, & omni machinatione atque ſolertia utens, non poterat virum ad ſacerdotium adducere, innumeris oculis præcaventem, ne quando ſacerdotis manu caperetur, atque utrique inter ſe ſtudio certarent, illo quidem capere, hoc verò perſequentis manus effugere cupiente; iccircò impetu quodam divino Phadimus ad propoſitum ſtudium provectus, nihil curans interjectum ſpatium quo à Gregorio dirimebatur, quippe ille aberat itinere tridui, ſed ad Deum ſuſpiciens, precatuſque, ut & ipſe & ille pariter in illa hora à Deo reſpicerentur; loco manûs impoſitionis adhibet Gregorio ſermonem, Deo ipſum conſecrans, qui corpore præſens non adeſſet. Et illam ei civitatem deſtinans atque attribuens,* &c. Hanc ſibi intimatam conſecrationem admiſit Gregorius, nec fuit denuò conſecratus. Ejuſdem ſententiæ fuit neſcio quis Agabrenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui ordinatis à ſe clericis, quòd oculis laborans non poſſet legere, manus impoſuit, conſecrationis formulam juſſit à presbytero recitari. Videtur graviter deliquiſſe. Etenim II. Hiſpalenſis Synodus cap. 5. affirmat illum ob tantæ præſumptionis audaciam fuiſſe dignum degradari. Verùm quòd ſanctus Phædimus peccârit mortaliter, quis audeat vel cogitare? Palam contradicet S. Gregorio Nyſſeno. Diſtinguenda ſunt tempora: veritas pedetentim elucidatur. Christianus Lupus Diſſert. *De opinione probabili*, pag. 93.

51. Hic Canon illigatus eſt cum multis aliis ejuſdem ferè argumenti, præſertim cum quinto Concilii Ilerdenſis, octavo Barcinonenſis, octavo Narbonenſis, & quibuſdam aliis Conciliorum Toletanorum III. IV. ac X. ſupra quos omnes excitamus Diſſertationem integram ſuo loco. Card. de Aguirre.

52. Ad Can. VI. *Juxta priſcorum Patrum ſynodalem ſententiam.*] A gradu ſuo dejicitur Epiſcopus, presbyter, aut clericus ex omni ordine, qui poſtquã promotus erat, gravibus reperiebatur criminibus & ſceleribus coopertus. Id conſtat ex Epiſt. I. Gelaſii Papæ cap. 20. & Zachariæ Papæ Epiſtolâ V. ad Bonifacium. Patet etiam ex cauſſa Potamii Concil. Toletano decimo, & in cauſſa Siſberti Concil. Tolet. XVI. qui à tribus Epiſcopis degradatur: & noviſſimè in Concil. Trident. ſeſſ. 3. cap. 4. Loaisa.

53. Ad Can. VII. *Presbytero illicita conſecratio eſt altaris.*] Altare conſecrari à presbytero non debet. Concil. Agathenſi Can. XLIII. Solus Epi-

Epiſcopus conſecrat & ungit. Felix Pspa IV. cap. 1. Epiſtolæ Decretalis, & primo Bracarenſi cap. 19. VIII. Toletano cap. 7. Et conſecratur Epiſcopi benedictione, & chriſmatis unctione.

54. *Formatas cuilibet Epiſtolas.*] Formatæ vocantur canonicæ Epiſtolæ, quæ peregrinaturo clerico dabantur Fidei & religionis ergò. Concil. Antioch. Can. VIII. & Laod. Can. XLI. Et Concil. Milevit. Cao. XX. dicitur: *Placuit ut quicumque clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Epiſcopo ſuo accipiat: quòd ſi ſine formata voluerit pergere, à communione removeatur.* Et infrà: *Formatæ quæ à primatibus vel à quibuſcumque Epiſcopis, clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ.* Concil. Laodic. Can. XLI. *literas canonicas* vocat formatam: *Non oportet miniſtrum altaris, vel etiam laïcum, ſine canonicis literis, id eſt, formata, alicubi proficiſci.* Habetur *De coſecr.* diſt. 5. cap. *Non oportet.* Accipiebant etiam Epiſcopi à Primate, ſi peregrinandum eſſet, formatam vel commendationem. Concil. Carthag. cap. 28. Dicebantur etiam *Communicatoriæ literæ*. Conc. Eliberitano cap. 58. (multiplex enim literarum uſus) ſtudii & officii indices. Erant etiam literæ *Confeſſoriæ*, quæ confeſſoribus, ut munere ſuo poſſent fungi, dabantur, eodem Eliberitauo cap. 25. Erant & *Tractoriæ* Epiſtolæ, in quibus Imperatores & Reges, ſuos Præſides vocabant, vel evectionem aliquam coucedebant; in codice Theodoſiauo lib. 8. tit. 6. *De tractoriis & ſtatutis.* A divo Auguſtino *Vocatoriæ* nominantur. Vide quæ ſunt ootata in cap. *Placuit.* diſt. 8.

55. *Nec ee præſente ſacramentum.*] Concilio Carthaginenſi II. cap. 9. ſic dicitur: *Quiſquis presbyter, præſente & inconſulto Epiſcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.* *Agenda* verò dicitur Miſſæ celebratio, eò quòd in agendo conſiſtat. Eſt enim agere verba, quæ formæ ſacramenti ſuot corporis & ſanguinis Domini effectiva & operativa.

56. *Vel benedicere.*] Concilio Agatheuſi Can. XLIV. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia benedicere presbytero penitùs non licebit.*

57. Ad Can. X. *In provincia Bætica.*] Fuerunt multa virorum & mulierum monaſteria conſtructa in provincia Bætica; quod facilè perſpiciet quiſquis librum divi Eulogii *De Martyribus* legerit. Loaisa.

58. Memorantur hoc loci palam, non modò monaſteria antiqua, ſed etiàm recèns condita *in provincia Bætica*. Multa verò eorum utriuſque ſexus, præcipuè apud Hiſpalim & Cordubam, obſervâſſe regulam S. Benedicti ab iuclinante ſæculo ſexto & deinceps, præſertim intra ſeptimum & octavum, traditio perantiqua eſt, & receptiſſima apud omnes penè ſcriptores rerum Hiſpaniæ, cum Ambroſio Morale ſæpiùs à nobis allegato; donec heri aut nudius tertius cœpere aliqui præpoſtero affectu aut iuvidiæ œſtro incitati, id negare, aut ſaltem vocare in dubium. Sed de hiſce pleniùs Jepes, Epiſcopus Sandovalius, Mabillon, Perez, & alii noſtratum. Card. de Aguirre.....

59. Ad Can. XI. *Familiares eſſe velimus.*] Divus Leander in libello *De inſtitutione virginum*, cap. 2. quem manuſcriptum apud me habeo, ſic inquit: *Jam quali fuga virum fugias, ſoror tu pudica, ſi tam ſolicitè fœminas ſæculi declinabis? Quiſquam vir, ſi ſanctus eſt, nullam tecum gerat familiaritatem; ne virili jugitate aut infametur utrinſque ſanctitas aut pereat, aut decidat à charitate proximi. Quæ etſi malum non agit, opinionis tamen peſſimæ famam nutrit. Diſpar enim ſexus in unum locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur. Et naturalis movetur flamma, ſi quod incendi poſſit, attingitur. Quis colligabit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? Ignis & ſtuppa ſibi utraque contraria, in unum redacta, flammas enutriunt. Viri ſexus & fœminæ diverſa; quæ ſi conjunguntur, ad quod lex naturæ provocat, commoventur.* Loaisa.

60. Hanc doctrinam didicit S. Leander ab antiquis Patribus: inter quos Auguſtinus lib. 1. *De moribus Eccleſiæ*, ait: *Vita etiam fœminarum Deo ſolicitè caſtéque ſervientium, quæ habitaculis ſegregatæ ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, ſi pia tantùm illis charitate junguntur & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum, quamvis graviſſimorum & probatiſſimorum ſenum, niſi ad veſtibulum uſque, neceſſaria præbendi quibus indigent gratià. Lanificio namque corpus exercent atque ſuſtentant, veſteſque ipſas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus eſt recipientes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum ſi laudare velim, non dignè valeo.*

61. Ex hoc decreto præſeutis Concilii, *ut monaſteria Virginum in provincia Bætica condita, monachorum adminiſtratione ac præſidio gubernentur*; videtur proceſſiſſe, ut id ipſum in aliis Hiſpaniæ provinciis fieret, ac præſertim in iis monaſteriis quæ *duplicia* dicta fuerunt. Regulares enim utriuſque ſexûs habebant unam Eccleſiam communem, quamvis choros diſtinctos, & habitationem monialium muris ac portis diviſam ab ea quæ erat monachorum. Nimirum, ejuſmodi diviſione cavebatur familiaritas utrorumque, & vicinitate ad eandem Eccleſiam providebant monachi neceſſitatibus monialium. Fuerunt verò plura ejuſmodi *duplicia* iu Hiſpania, & præſertim illud antiquiſſimum S. Æmiliani, ubi uno ſive eodem circiter tempore ſimul vixiſſe memorantur, inter monachos Sancti Cito-natus, Gerontius, & Sophronius: iuter moniales verò S. Auria, & S. Potamia: quorum corpora ibi ſummo honore coluntur. Card. de Aguirre.

62. Ad Can. XII. *Ex hæreſi Acephalorum.*] De Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. *Eccleſiaſt. Hiſtor.* cap. 45. *Eodem tempore & Acephali, quorum dux Severus Antiochenus fuit, unam Verbi & carnis naturam malè prædicantes.* Et mox: *Acephali autem ob eam cauſſam dicti ſunt, quòd ſub Epiſcopis & ſacerdotibus apud eos defunctis, neque baptiſmus juxta ſolennem & receptum Eccleſiæ morem apud eos adminiſtratus, neque oblatio, aut res aliqua divina facta, miniſteriumve Eccleſiaſticum, ſicuti mos eſt, celebratum eſt.*

eſt. Communionem verò illi à plurimo tempore aſſervatam habentes, feriis Paſchalibus in minutiſſimas inciſam partes, convenientibus ad ſe hominibus dederunt; quo tempore, quam quiſque voluiſſet, placitam ſibi ſumebat poteſtatem. Et propterea quod quilibet quod ſibi viſum eſſet Fidei inſertum volebat, quamplurima defectorum & hereticorum turba exorta eſt, &c. Lege Iſidorum lib. *Etymolog.* 8. cap. 3. Loaisa.

63. *Ex hereſi Acephalorum.*] Longè alio ſucceſſu egreſſus fuit ex hoc Concilio Hiſpalenſi Epiſcopus hic monotheliſmo deditus, quàm alius item Acephalus prodiit è Synodo Conſtantinopolitana ſub Sergio Patriarcha ejus urbis, habita menſe Majo anno DCXXXIII. Nimirum de illo dicitur ibidem: ἐν ᾧ τινι Ἀκεφάλων περὶ θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν τις αὐτοῦ πεῦσιν προσήνεγκεν, &c. *Ubi quidam Acephalorum quæſtionem de voluntatibus & operationibus ſuggeſſit*, &c. Longè, inquam, aliter: quoniam Acephalus hic poſterior videtur pertinaciter hæſiſſe in hæreſi illa Monothelitarum, ſicut Sergius Patriarcha: prior autem, de quo mentio eſt in hoc Cōcilio Hiſpalenſi, hæreſim eandem correxit hortante & perſuadente Iſidoro. Card. de Aguirre.

Biſinus.] In Epiſtola Gundemari ſubſcribit Piſinus Eliberitanæ, non Biſinus. Fidentius ſucceſſit Agapio viro ſancto, Epiſcopo ex monacho. De Iſidoro & Fulgentio Epiſcopis ſanctiſſimis ſuprà, ut potuimus, diximus.

Ex ſubſcriptionibus conſtat ſub Hiſpali eſſe

Eliberim.	Tucci.
Aſidonam.	Malacam.
Aſtigi.	Cordubam.
Italicam.	Ex diviſione antiqua deeſt Elipla & Egabro. Loaisa.

AD CANONEM VII.

Notæ peculiares Paſchaſii Queſnelii Tomo II. in Opera S. Leonis Papæ, pag. 631. & ſeqq.

64. EPISTOLA LXXXVIII. Leonis Magni nihil aliud eſt quàm Canon VII. Concilii Hiſpalenſis II. verbum è verbo translatus, nti jam monuerunt Blondellus & Morinus. Cui Canoni ut Epiſtolæ imaginem indueret, præfixit impoſtor exordium inſulſum prorſus & inconditum, non modò Leone, tam eloquente ſcilicet Pontifice, ſed & quovis cordato viro indignum. Et ne omnia fabulæ pigmenta ſua deeſſent, ſubjunxerat ad calcem pannum neſcio quem, qui nunc etiamnum legitur huic fragmento annexus in Merliniana Iſidori Collectione: at pejori errore à recentiorum editionum Operum S. Leonis procuratoribus in Epiſtolam ejuſdem ad Africanos Epiſcopos (olim octogeſimam ſeptimam) rejectus eſt. Verùm cùm ſibi plerumque vix ſufficiat fraus una, niſi alterius conſortio adjuvetur, ex corruptela Canonis quæſitus eſt impoſturæ color in Epiſtola confingenda: cùm enim de ſolis presbyteris egerint Patres Hiſpalenſes, additum eſt ter in Canone: *vel Chorepiſcopis*. quod & antiquis ac genuinis exemplaribus, ex quibus Garſias Loaiſa Hiſpalenſe iſtud Concilium edidit, & ipſi Canonis ſenſui contrarium eſt. De Choreſpiſcopis quippe ne cogitabant quidem Synodi Patres; ſed de presbyteris ſolis decernebant adverſus Agapium Cordubenſem quondam Epiſcopum, qui ad Synodum delatus eſt, eò quòd frequenter presbyteros delegàſſet, qui munia Epiſcopalia, ordinationes videlicet, confirmationem, conſecrationemque Baſilicarum obirent: quæ omnia ſolos attinere Epiſcopos manifeſtum erat. Harum querelarum occaſione renovat Synodus antiqua Canonum ſtatuta, quibus prohibentur presbyteri, ne ulla Epiſcopalis juris miniſteria uſurpare audeant. At de Chorepiſcopis quoniam lis mota non erat, de his ne apex quidem habetur. Denique alterum adhuc interpolationis caput continent hæc poſtrema Canonis verba: *Quæ omnia eis à Sede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur.* quæ ſubdititia eſſe, Loaïſana prodit editio. Adjecta porrò ſunt vel ex marginali ſtudioſi alicujus annotatione commentitium Epiſtolæ fragmentum cum Canone conferentis, vel eo etiam conſilio, ut ex Canonis interpolati auctoritate ſuffragium Epiſtolæ conciliaretur. Epiſtolam & Canonem lectoris oculis ſubjicimus; ut alterum alteri ipſe componens, alieno exutus præjudicio, judicium ferat.

EPISTOLA LXXXVIII.

De privilegio Chorepiſcoporum, ſive presbyterorum.

Leo Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus, univerſis Germaniarum & Galliarum regionum Epiſcopis ſalutem.

65. CUM in Dei nomine in Romana Eccleſia Synodum Epiſcoporum. ſive cæterorum conſacerdotum, Chriſtique fidelium coadunatum habuiſſemos, & de ordinationibus illicitis, ſuper quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium ſermo pervenerat, atque de aliis neceſſariis Eccleſiaſticis negotiis tractantes, ſacroſque Canones relegentes, ſolerter egiſſemus; à multis lacrymabili vultu relatū eſt nobis. quòd quidam Germaniarum ac Galliarum urbium Epiſcopi, frequenter Chorepiſcopos, qui juxta Canones Neo-cæſareenſes, ſive ſecundùm aliorum decreta Patrum iidem ſunt qui & presbyteri, vel presbyteros deſtinarent, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicaſque conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros, quod eſt canonicæ regulæ contrarium, & ſtatim à ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatos atque promotos. Ergo ne ultrà talis à vobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit, ſcientes, quia ſicut Chorepiſcopo vel presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim literis, præcipiente Domino, ſolus Moſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit, qui utique ſummus Sacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt de eo: *Moſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ideoque id quod tantùm facere Principibus ſacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moſes & Aaron tenuerunt, omnino decretum eſt ut Chorepiſcopi vel presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novæ etiam, Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut presbyterorum & diaconorum, aut virgiουm conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, ac benedictio, vel unctio, Siquidem nec erigere eis altaria, nec Eccleſias vel altaria conſecrare licet, nec per impoſitionem manuum fidelibus baptizandis vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur, vel presbyteris, qui eandem geſtant formam: quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatûs tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus, auctoritate Canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licet presbyteris in baptiſterium introïre, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, niſi illo jubente, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coràm poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.

CONCIL. HISPALENSIS II.

Tempore Siſebuti Regis, anno Chriſti DCXIX. celebrati,

CANON SEPTIMUS.

Ex editione Garſiæ Loaïſæ.

66. SEPTIMO examine relatum eſt nobis, venerandiſſimum quondam Agapium, Cordubenſis urbis Epiſcopum, frequenter presbyteros deſtinâſſe, qui abſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicas conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim à ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatum. Ergo ne ultrà talis à nobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit: ſcientes, quia ſicut presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim literis, præcipiente Domino, ſolus Moſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit: utique, quia ſummus Sacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt: *Moſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ideoque id qood tantùm facere principibus ſacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moſes & Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint: ſicut presbyterorum & diaconorum, ac virginum conſecratio, ſicut altaris conſtitutio, benedictio, vel unctio. Siquidem nec licere eis Eccleſiam vel altaria conſecrare, nec per impoſitionem manûs fidelibus baptizatis vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum tradere, chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare: ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe presbyteris, quia Pontificatûs apicem non habent, atque ſolis deberi Epiſcopis, auctoritate Canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur. Sed neque coram Epiſcopo licere presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentes ſine præcepto Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coràm poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.

67. Ovum

67. Ovum ovo ſimilius non eſt, quàm Epiſtola hæc Canoni Hiſpalenſi, ſi in Agapii locum Germaniarum & Galliarum Epiſcopos ſubſtituas, ac exordium excipias, quod ex Epiſtola IV. vel IX. ſeu vera ſeu fictitia, Agapeti Papæ II. ad Germaniarum & Galliarum itidem Epiſcopos decerptum; vel potiùs quod utriuſque artifex partim ex Epiſtola S. Leonis ad Africanos tranſcripſit, partim de ſuo adjecit. Porrò quod

68. Argumentum erit ſuppoſitionis, non ſolùm in Chorepiſcopos detorquet Synodi verba, quæ ſolos coërcebat presbyteros, ſed & plurimis Germaniarum & Galliarum Epiſcopis impingit, quod de uno Cordubenſi Agapio ſcriptum erat à Concilii Patribus: nimirùm illos fuiſſe viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignaros, & à ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium ſtatim translatos: quaſi verò hoc facilè fidem apud quemquam inveniat, de tot Epiſcopis, quod uni vel alteri fortè contigit; nec hoc Gallicanarum Eccleſiarum ſtatui repugnet, quæ Leonis tempore ſeveriori etiam diſciplina utebantur quàm Romana Eccleſia.

69. Si hæc Epiſtola germanum eſt Leonis opus, qui factum ut in plurimis Synodis, quæ ab Epiſcopis Galliarum & Germaniarum adverſùs Chorepiſcopos celebratæ ſunt, tanti Pontificis auctoritas in medium non ſit adducta? Cur de eadem ſilent Pontifices in ſuis decretis, & Imperatores in ſuis Capitularibur, in quibus frequenter Chorepiſcoporum mentio occurrit: ut in Pariſienſi VI. & Meldenſi Synodis, in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum, & in Epiſtola Nicolai Papæ I. ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum? Adulterinàm profectò Epiſtolam clamat tam conſonum horum omnium ſilentium: quos nec latuiſſe illa potuit, nec ignoràſſe quiſquam crediderit quantum roboris definitionibus ſuis adjecturi eſſent ex tanti tamque antiqui Pontificis auctoritate.

70. Sunt aliqua in ea Epiſtola, quæ cum Eccleſiæ Romanæ conſuetudine conciliari non poſſunt. Quid enim ſibi volunt iſta: *Sed neque coram Epiſcopo licet presbyteris in baptiſterium introïre, nec præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare?*

71. Quod prima enimverò verba illa attinet, an non potiùs coram Epiſcopo, & cum Epiſcopo jubebantur presbyteri in baptiſterium introïre, & ex officio baptizanti Epiſcopo adeſſe? Suſpicantur quidem aliqui *coram* hoc loco poni pro *ante*: ita ut verba Epiſtolæ reducenda ſint ad ſenſum hujus Canonis LIII. apud Martinum Bracarenſem: *Non liceat presbytero priùs Epiſcopo introïre in baptiſterium, ſed cum Epiſcopo; niſi fortè aut abſens fuerit aut ægrotus.* Bene id quidem: & rectè Canoni & conſuetudini Hiſpanicæ Eccleſiæ ex allo ejuſdem Eccleſiæ Canone & ritu lux petitur. Sed nihil tale de Eccleſia Romana uſpiam legitur. Et multò minus crediderim, diſertiſſimum Pontificem Leonem, Romæ ſcribentem, Romanæque linguæ callentiſſimum, tam barbarè eſſe abuſum voce *coram*, ut eam traxerit ad ſenſum prorſus alienum, & à nullo unquam auctore uſurpatum. Quod enim eâ uſi ſunt Hiſpani, ex barbarorum ſocietate & commercio multis tunc linguæ vitiis infecti circa annum DCXIX. quo Concilium II. Hiſpalenſe celebratum creditur, nemini erit mirabile; de Romanis nemini credibile. Quamobrem qui Damaſo Papæ Epiſtolam aliam ſuppoſuit de eadem Chorepiſcoporum materia, hanc Canonis Hiſpalenſis vocem *coram* mutavit in vocem *ante*: ne quid à Romano uſu vel ritu alienum Romano Pontifici affingere videretur.

72. Jam quod auctor Epiſtolæ ſcribit: *Non licere presbyteris præſente Antiſtite infantem tingere aut ſignare*: quomodo intelligi poſſit, neſcire me profiteor. Quod enim præſente Epiſcopo fieri prohibetur, ſubintelligitur licitum eſſe abſente vel annuente Epiſcopo. At abhorrebat hoc maximè ab uſu Eccleſiæ Romanæ, ut presbyteris poteſtas fieret ſignandi baptizatos: quod vel ex uno Innocentii Papæ loco perſpicuum eſt. *Nam presbyteris* (inquit) *ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum: non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, quum tradunt Spiritum ſanctum.* Immo hoc ipſum presbyteris ſuperiùs prohibet Epiſtola: *Nec eis licet chriſmate baptizatorũ frontes ſignare.* Quoniam tamen eadem illa verba, quę in Epiſtola notamus, ſunt Concil. Hiſpalenſis, etiam in emendatioribus Codicibus, explicanda ſunt ut genuina. Quæ ut conciliari poſſint cum ſuperioribus, videntur mihi intelligenda de publica & ſolenni collatione baptiſmatis & Spiritûs ſancti, quæ quotannis in feſto Paſchæ & Pentecoſtes celebrabatur, quamque vetat Canon præſumi à presbyteris, vel eis ab Epiſcopo committi coram ſe præſente celebranda.

73. Opponit Petrus de Marca: *Ultimâ clauſulâ Canonis, EX AUCTORITATE APOSTOLICA SE ILLA DEFINIVISSE, teſtatur, Synodus, Leonis reſcriptum ſignificando.* Non ita legitur in Canone; ſed, quod etiam Marcæ magis favet, hoc modo: *Quæ omnia eis à Sede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur.* Utrovis porrò modo legatur, primò de Leone magis non intelligitur, quàm de alio Pontifice. Deinde ſubdititia eſſe hæc verba ſuperiùs jam oſtendimus ex germana Garſiæ Loaïſæ editione, Canonique ipſi adjecta eſſe ut pſeudo-epiſtolæ auctoritas arceſſeretur. Denique Leonis nomen proculdubio prætermiſſum non eſſet, ſiquidem res, de qua mota controverſia, tam expreſſo ipſe ac ſolenni decreto definiiſſet.

74. Major forſan difficultas oritur ex Leonis Papæ III. ac Synodorum Gallicanarum, nec non & Capitulorum auctoritate, quę Leonis Epiſtolam vel citâſſe vel indicâſſe videntur, dum Chorepiſcoporum cauſſam versârunt.

75. Leonis III. ad Galliæ Epiſcopos reſponſum habetur in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii lib. 7. cap. 187. ubi reſcripſiſſe legitur Pontifex *ſæpiſſimè à prædeceſſoribus ſuis, & à multis ſanctis Epiſcopis, atque ſynodalibus ſanctionibus Chorepiſcopos eſſe probibitos atque damnatos; & ideo non eſſe neceſſe ventilare, ſed definita tenere.* Eoſdem reprimit cap. 328. & 329. ejuſ-

ejuſdem libri, & lib. 6. cap. 119. Verùm dum prædeceſſorum ſuorum, Leoniſque I. decreta commemoravit Leo III. nequaquam Epiſtolam, quam excutimus, præ oculis habuit: omnes enim ordinationes vel conſecrationes à Chorepiſcopis tentatas, eam ob cauſſam in irritum mittit, aſſeritque nihil, *quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſère, eſſe peractum: ſed quicquid ex his ab eis illicitè erat præſumptum, omnia à canonicè ordinatis Epiſcopis debere ritè peragi, & in meliorem ſtatum reformari....... quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam Epiſcopi non erant: quia, nec ad quandam civitatis Epiſcopalem ſedem titulati erant, nec canonicè à tribus Epiſcopis ordinati*. Geminam porrò propoſitionem gemina Leonis noſtri auctoritate confirmat ex ejus Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem ſcripta, codicique Dionyſiano inſerta. Hanc quidem: Chorepiſcopos non eſſe Epiſcopos, quia canonicè non ordinati: ex his cap. 1. verbis: *Unde* (inquit) *cùm ſæpè quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam eſſe tribuendum quod non docetur fuiſſe collatum?* Alteram vero, quæ ex iſta ſequitur; omnia ab Epiſcopis canonicè ordinatis debere ritè peragi, ex cap. 15. (nobis 14.) aſſerit, ubi hoc habetur: *Quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum*. Hæc ſunt quæ Leonis III. oculis obverſabantur.

76. Pariſienſe Concilium VI. nec Meldenſe, nec Metenſe quicquam habent, quod notitiam hujus Epiſtolæ vel minimum indicet. Neminem citat è Pontificibus Pariſienſe, quod in Capitul. lib. 5. cap. 168. tranſcriptum eſt. Meldenſe citat Innocentium, tanquam aſſerentem ſolis Epiſcopis ineſſe facultatem dandi Spiritum ſanctum. Metenſe hæc habet cap. 5. *Et ut Baſilicæ à Chorepiſcopis conſecratæ, ab Epiſcopis conſecrentur; roboratum eſt: quia juxta decreta Damaſi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum eſt atque inane quicquid in ſummi ſacerdotii Chorepiſcopi egerunt miniſterio. Et quod ipſi iidem ſint qui & presbyteri, ſufficienter invenitur*. Ubi ſi attentiùs conſideretur ad quid trium illorum Pontificum decreta laudet, intelligetur hoc uno afferri animo, ut irritum cenſeatur ſi quid Epiſcopalis muneris non ab Epiſcopis canonicè conſecratis tentatum fuiſſet: quod confirmat auctoritate Leonis, non ſecus ac in Capitularium lib. 7. cap. 328. & Innocentii, qui nihil prorſus de Chorepiſcopis habet; & Damaſi, cujus Epiſtolam adulterinam cenſent eruditi.

77. Ex quibus manifeſtum eſt, id omne quod citatis locis habetur de Chorepiſcopis, nihil ponderis addere Epiſtolæ Leoni ſuppoſitæ. Verùm etſi ab aliquot octavi vel noni ſæculi Synodis citata revera eſſet ut à Leone ſcripta, mirum non eſſet ſanctiſſimos Patres inſtaurandæ diſciplinæ, non diſcernendis ſuppoſititiis fœtibus à genuinis, intentos, falſo titulo in errorem eſſe inductos: quod & Aquiſgranenſi Concilio, & aliis nonnullis contigit, cùm libros *De vita contemplativa* Proſpero adjudicârunt, quos Juliani Pomerii eſſe hodie conſtat. Immo & apocrypha ſcripta citata invenimus à ſacris Epiſcoporum Synodis, quæ tamen inter ſinceros fœtus enumerare religio eſſet.

78. Antequam ab iſta diſquiſitione manum referam, monebo mediam quandam poſſe iniri viam inter utramque hanc opinionem; ſi nimirum dicatur, nec Leonis I. Epiſtolam eſſe, nec impoſtoris, ſed potiùs Leonis III. Hujus enim tempore graviſſimæ adversùs Chorepiſcopos querelæ motæ ſunt in Gallia & Germania, deque poteſtatis illorum limitibus acriter diſputatum eſt. Quam ob rem nutantibus hinc inde ſententiis, rem ad Leonem III. tunc Romanum Pontificem referri placuit Epiſcopis. Ejus reſponſi ſummam ſuperiùs ex Capitularibus retulimus; ſed ipſæ ejus Epiſtolæ de hoc negotio ſcriptæ ad nos uſque non pervenerunt, quas tamen plurimas fuiſſe dubitandum non eſt; cùm res & maximi eſſet momenti, & Eccleſias Galliæ Germaniæque inter ſe diu colliſerit. Non abſurdè igitur quis poſſit exiſtimare Leonis III. eſſe hanc Epiſtolam, vel Epiſtolæ fragmentum. Conjecturæ fidem aſtruere videntur Eccleſiarum Galliæ & Germaniæ arctus per illam tempeſtatem nexus, utriuſque regionis legatio ad Leonem decreta, utriuſque in Synodum conventus Ratisbonæ aliiſque in locis eâ de re habiti; in quibus Leonis decretum promulgatum eſt, atque ſynodali ſanctione roboratum; Imperatorem denique de his cura ac ſolicitudo, non ſemel, aut bis, vel ter, ſed ſæpiſſimè, ut ait Capitul. lib. 7. cap. 187. Denique cùm ante Leonis hujus III. tempora ignota ſit hæc Epiſtola omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus, aut Collectoribus Canonum ac Decretalium, argumento eſt vel hujus eſſe, vel huic potiùs eſſe afflictam, quàm Leoni I.

79. Leviculam difficultatem ſi quis moverit ex Gratiani Decreto, ubi Leonis I. nomen præfixum legitur, decerpto ex hac Epiſtola decreto diſtinct. LXVIII. cap. *Quamvis Chorepiſcopis*; nôrunt omnes quàm craſſæ naris jure meritò habeatur Gratianus in diſcernendis legitimis ſcriptis auctorum à ſpuriis. At tamen Gratiano imputanda non eſt Leonis I. inſerta decretis mentio; ſed novellis correctoribus, qui errorem hunc cum aliis innumeris ex Epiſtolarum Pontificiarum interpolatis editionibus hauſerunt. Antiquiores enim Decreti editiones, Pariſienſis an. MDXXXI. Lugdunenſis Hugonis à Porta an. MDXLVIII. & aliquot aliæ, hæc tantummodo habent: *De his ita ſcribit Leo Epiſcopus omnibus Epiſcopis*.

80. Nihil igitur obſtat quominus Leoni III. fœtum hunc, qualiſcumque eſt, adſcribamus. Quæ conjectura ſi minus arridet, propter nimiam ſimilitudinem quam habet Epiſtola cum Canone Hiſpalenſi, ex qua plagiarii magis opus videtur, quàm Pontificis Romani; prioribus argumentis inhærentes, hoc unum, quod inſtituto conſilio ſatis eſt, aſſerimus, Epiſtolam nec Leonis noſtri eſſe, nec ei, niſi putidè admodùm, potuiſſe affingi.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM IV.

EPISCOPORUM LXII.

PROVINCIARUM HISPANIÆ ET GALLIÆ,

Celebratum Erâ DCLXXI. anno CHRISTI DCXXXIII.

TITULI.

I. *De evidenti Catholicæ Fidei veritate.*
II. *De ordine in miniſteriis vel officiis in cunctis Eccleſiis celebrando.*
III. *De qualitate Conciliorum, vel quare aut quando fiant.*
IV. *Formula, qualiter Concilium fiat.*
V. *De Annunciatione Paſchæ ante Epiphaniam inter Epiſcopos exquirenda.*
VI. *De trina & ſimpla in baptiſmo merſione.*
VII. *De celebrando officio in ſexta feria Paſchæ.*
VIII. *De non ſolvendo jejunio in ſexta feria Paſchæ, exceptis languidis, ſenibus, & parvulis.*
IX. *De benedicendo cereo & lucerna in vigiliis Paſchæ.*
X. *De Dominica oratione quotidie patenter pronuncianda.*
XI. *De non decantando in Quadrageſima Alleluia.*
XII. *Quòd laudes non poſt Apoſtolum, ſed poſt Evangelium ſint dicendæ.*
XIII. *De non renuendo pronunciare hymnos.*
XIV. *De hymno trium puerorum in cunctis Miſſarum ſolennitatibus decantando.*
XV. *Quòd in fine Pſalmorum,* Gloria & honor Deo, *ſit dicendum.*
XVI. *De diſcretione Gloriæ in fine reſponſoriorum.*
XVII. *De Apocalypſis libro in omnibus recipiendo.*
XVIII. *Quòd poſt benedictionem populo datam, ſic communicare debent ſacerdotes.*
XIX. *De ordinatione Epiſcoporum.*
XX. *De numero annorum quo ſacerdotes & Levitæ ordinentur.*
XXI. *De caſtitate ſacerdotum.*
XXII. *Ut Epiſcopus in conclavi ſuo idoneum teſtimonium habeat.*
XXIII. *Ut presbyter vel diaconus ſimiliter vitæ ſuæ habeant teſtes.*
XXIV. *De converſatione clericorum, ut in uno conclavi ſint.*
XXV. *Ut ſacerdotes Scripturarum ſacrarum & Canonum cognitionem habeant.*
XXVI. *Quòd parochianis presbyteris quum ordinantur officialis libellus debeat dari; & ideo presbyteri in litaniis ſint de officio quærendi.*
XXVII. *De profeſſione presbyterorum vel diaconorũ Epiſcopo facienda, quum in parochiis ordinantur*
XXVIII. *De ordine quo depoſiti iterum ordinantur.*
XXIX. *De ſacerdotibus, levitis, vel clericis magos aut aruſpices conſulentibus.*
XXX. *De ſacerdotibus ad gentem extraneam nuncios mittentibus.*
XXXI. *De diſcretione cauſſarum, in quibus ſacerdotes judices fieri poſſunt.*
XXXII. *De cura populorum & pauperum, quam Epiſcopi ſibi impoſitam noverint.*
XXXIII. *Ne ex facultatibus Eccleſiarum diœceſis, excepta tertia oblationum, tributorum, aut frugum Epiſcopus aliquid auferat.*
XXXIV. *De tricennii tempore, & propter provincias cauſſarum diſcretione.*
XXXV. *De conventu territorii & Baſilicis noviter conſtructis, ad quem Epiſcopum pertineant.*
XXXVI. *De requiſitione Epiſcoporum per ſingulos annos in parochiis peragenda.*
XXXVII. *De promiſſo pro ſuffragio præſtito, ex rebus Eccleſiæ perſolvendo.*
XXXVIII. *De ſuffragio fundatoribus Eccleſiarum vel filiis eorum ex rebus ab ipſis collatis impertiendo.*
XXXIX. *De diſcretione presbyterorum vel diaconorum, ut in utroque choro conſiſtant.*
XL. *De uno orario diaconibus utendo, nec ornato, ſed puro.*
XLI. *De qualitate tonſuræ à cunctis clericis vel lectoribus communiter habenda.*
XLII. *De remotione mulierum à conſortio clericorum.*
XLIII. *De venditione mulierum quæ clericis conjunctæ noſcuntur.*
XLIV. *De perſonis mulierum quas non convenit clericis copulari, & ſi neſciente Epiſcopo clericus ducat uxorem.*
XLV. *De clericis qui arma ſumpſerint vel ſumpſerunt.*

XLVI. *De*

XLVI. *De clericis ſepulchra demolientibus.*
XLVII. *De abſolutione à laboribus, vel indictionibus clericorum ingenuorum.*
XLVIII. *De inſtitutione œconomorum, id eſt, qui res Eccleſiaſticas tractant.*
XLIX. *De profeſſione monachorum, & devotione parentum eorum.*
L. *De clericis qui monachorum propoſitum appetunt, ut licitum habeant.*
LI. *De diſcretione poteſtatis Epiſcoporum, quam in monaſteriis habere potuerunt.*
C. A. Vagis à monaſterio.
LII. *De monachis [a] vagis, & à monaſteriis egreſſis.*
LIII. *De religioſis vagis, qui nec inter clericos nec inter monachos habentur.*
LIV. *De diſcretione pœnitentium: & qui poſſunt ad honores Eccleſiaſticos provehi, vel qui non poſſunt.*
LV. *De pœnitentibus viris, ac viduis, ſive virginibus, qui divertentes laïci ſunt, aut veſtem mutant, vel conjugiis copulantur.*
LVI. *De diſcretione ſæcularium & ſanctimonialium viduarum.*
LVII. *De diſcretione Judæorum, qui non, vel qui credere vi cogantur.*
LVIII. *De his qui contra Fidem Chriſti Judæis munus vel favorem præſtant.*
LIX. *De Judæis dudum Chriſtianis & poſtea in priori ritu diverſis, ac ſervis vel filiis eorum circumciſis.*
LX. *De filiis Judæorum, ut à parentibus ſeparati, Chriſtianis debeant deputari.*
LXI. *De filiis fidelibus Judæorum, ne prævaricatis parentibus & damnatis, à rebus parentum exſules fiant.*
LXII. *De Judæis baptizatis, qui ſe ſociant infidelibus Judæis, ut Chriſtianis illi donentur, & iſti cædibus deputentur.*
LXIII. *De Chriſtianorum Judæorumque conjugiis communibus, & filiis eorum.*
LXIV. *De Judæis converſis & poſt prævaricantibus, ut ad teſtimonium non admittantur.*
LXV. *Ne Judæi, vel ſi qui ex Judæis ſunt, officia publica agant.*
LXVI. *Ne Judæi quodcumque mancipium Chriſtianum quocumque titulo habeant.*
LXVII. *De libertis ex familia Eccleſiæ factis, ſi nihil ex proprio conferant ſacerdotes qui eos faciunt.*
LXVIII. *De diſcretione ex familia Eccleſiæ manumiſſorum, qualiter manumittantur; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.*
LXIX. *Quid liberti ex familia Eccleſiæ, pro compenſatione acquiſitæ rei à ſacerdotibus poſſint fieri.*
LXX. *De profeſſione libertorum Eccleſiæ & poſteritatis eorum ſacerdotibus facienda; ne longinquitas temporis eos obliteſcere faciat ſplendorem libertatis.*
LXXI. *De libertis Eccleſiæ ejuſdem patrocinium relinquentibus.*
LXXII. *De libertis patrocinio Eccleſiæ commendatis.*
LXXIII. *De diſcretione libertorum, qui ad Eccleſiaſticos honores pervenire poſſunt, vel qui provehi prohibentur.*
LXXIV. *De libertis familiarum Eccleſiæ, qui vel qualiter ad ſacerdotium promoveantur: & de rebus eorum quid fiat: ac ne obvium teſtificent vel accuſent.*
LXXV. *De commonitione plebis, ne in Principes delinquatur, & de electione Principum, & de tranſgreſſione fidei quæ Principibus promittitur, ac de monitione Principum, qualiter judicent, & de ultione Principum inique judicantium, atque de exſecratione Suintilani & conjugis ac prolis ejus, ſimiliter & de Geilane germano ejus, ac rebus eorum.*

GESTA SYNODALIA

In Toletana urbe, [b] in Concilio LXII. Epiſcoporum Hiſpaniæ & Galliæ provinciarum,

b Apud Conciliū. C. A.

Edita anno tertio regnante glorioſiſſimo domino noſtro Principe Siſenando, die nono Decembris, Erâ DCLXXI.

c In uno Ms. LXX.

d Gallæciæ. Exc.
e Salvatori. Exc.
f Martyris. Exc. & C. A.
g Deeſt in Exc.

DUM ſtudio amoris Chriſti ac diligentiâ religioſiſſimi Siſenandi Regis, Hiſpaniæ atque [d] Galliæ ſacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini conveniſſemus, ut ejus imperiis atque juſſis communis à nobis agitaretur de quibuſdam Eccleſiæ diſciplinis tractatus; primùm gratias [e] ſalutari noſtro, Deo omnipotenti egimus; poſt hæc antefato miniſtro ejus excellentiſſimo & glorioſiſſimo Regi, cujus tanta erga Deum devotio exſtat, ut non ſolùm in rebus humanis, verùm etiam in cauſſis divinis ſolicitus maneat. Hic quippe, dum in Baſilica beatiſſimæ & ſanctæ [f] confeſſoris Leocadiæ omnium noſtrorum pariter jam cœtus adeſſet, [g] tali pro merito fidei ſuæ, cum magnificen-

ſcentiſſimis h viris ingreſſus, primùm coram ſacerdotibus Dei i humo proſtratus, cum lacrymis & gemitibus pro ſe interveniendum Domino poſtulavit: deinde religioſa proſecutione Synodum exhortatus eſt, ut paternorum decretorum memores, ad conſervanda in nobis jura Eccleſiaſtica ſtudium k præberemus, & illa corrigere quædum per negligentiam in uſum venerunt, contra Eccleſiaſticos mores licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt. Talibus igitur ejus monitis congaudentes, neceſſarium exſtitit, juxta ejus noſtrorumque votum tractare quæ competunt, ſive in ſacramentis divinis, quæ diverſo atque illicito modo in Hiſpaniarum Eccleſiis celebrantur, ſeu quæ in moribus pravè uſurpata noſcuntur. Et quoniam Generale Concilium agimus; oportet primùm noſtræ vocis ſermonem de Deo eſſe; ut poſt profeſſionem Fidei, ſequentia operis l noſtri vota, quaſi ſuper fundamentum firmiſſimum, diſponantur.

h Ex nobiliſſimis. Exc.
i Humi. Exc.
k Proferremus. C. 4.
l Dei noſtri. C. 4.

I. *De evidenti Catholica Fidei veritate.*

1. Secundùm divinas Scripturas & doctrinam quam à ſanctis Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unius deitatis atque ſubſtantiæ confitemur; in perſonarum diverſitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem prædicantes, nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus. Patrem à nullo factum vel genitum dicimus; Filium à Patre, non factum, ſed genitum aſſerimus; Spiritum verò ſanctum nec creatum nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Ipſum autem Dominum * noſtrum * Jeſum Chriſtum Dei Filium, & creatorem omnium, ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitum, deſcendiſſe ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui nunquam deſiit eſſe cum Patre. Incarnatus eſt enim ex Spiritu ſancto & ſancta glorioſa Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipſa, ſolus idem Dominus Jeſus Chriſtus; unus m de ſancta Trinitate, anima & carne perfectum, ſine peccato, ſuſcipiens hominem; manens quod erat, aſſumens quod non erat; æqualis Patri ſecundùm divinitatem; minor Patre ſecundùm humanitatem; habens in una perſona duarum naturarum n proprietatem: naturæ enim in illo duæ, Deus & homo; non autem duo Filii, & Dei duo, ſed idem una perſona in utraque natura; perferens Paſſionem & mortem pro noſtra ſalute: non in virtute divinitatis, ſed o infirmitate humanitatis. Deſcendit ad inferos, ut ſanctos qui ibidem tenebantur, erueret: devictoque mortis imperio reſurrexit: aſſumptus p deinde q in cœlum venturus eſt in futurum ad judicium vivorum & mortuorum: cujus * nos * morte & ſanguine mundati, remiſſionem peccatorum conſecuti ſumus, reſuſcitandi ab eo in die noviſſima, in ea qua nunc vivimus carne; & in ea qua reſurrexit idem Dominus formâ; percepturi ab ipſo, alii pro juſtitiæ meritis vitam æternam, alii pro peccatis ſupplicii æterni ſententiam. Hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ Fides, hanc confeſſionem conſervamus atque tenemus: quam quiſquis firmiſſimè cuſtodierit, perpetuam ſalutem habebit.

* Deeſt. C. 4.
m In. Exc. Vide Notas.
n Proprietates. in Mſs.
o In. Exc.
p Deeſt in Exc.
q In cœlos. Exc.
* Deeſt alibi.

II. *De ordine in miniſteriis vel officiis in cunctis Eccleſiis celebrando.*

2. Poſt rectæ Fidei confeſſionem, quæ in ſancta Dei Eccleſia prędicatur, placuit, ut omnes ſacerdotes, qui Catholicæ Fidei unitate complectimur, nihil ultrà diverſum aut diſſonum in Eccleſiaſticis ſacramentis agamus; ne quælibet noſtra diverſitas apud ignotos ſeu carnales r ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis exiſtat in ſcandalum varietas Eccleſiarum. Unus igitur ordo orandi atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliam s conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolennitatibus, unus in Veſpertinis t Matutiniſque officiis: nec diverſa ſit ultrà in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, u qui in una fide continemur & regno: hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquæque provincia & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem x contineat.

r Schiſmaticis.
s Galliciam. Exc.
t Deeſt in Exc.
u Quia. Exc.
x Teneat. Exc.

III. *De qualitate Conciliorum, vel quare aut quando fiant.*

3. Nulla penè res diſciplinæ mores ab Eccleſia Chriſti y depulit, quàm ſacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis univerſaliter definitum eſt, ut quia juxta antiqua Patrum decreta, bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur. Ita tamen ut ſi cauſſa Fidei eſt, aut quælibet alia Eccleſiæ communis, Generalis totius Hiſpaniæ & z Gallię Synodus convocetur: ſi verò nec de Fide, nec de communi Eccleſię utilitate tractabitur, ſpeciale erit Concilium a uniuſcujuſque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autem qui cauſſas adversùs Epiſcopos aut judices aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noſcuntur, ad b eundem Concilium concurrunt, & quæcumque examine ſynodali à quibuslibet pravè uſurpata inveniuntur, regii exſecutoris inſtantiâ juſtiſſimè his, quibus jura ſunt, reformentur. Ita ut pro compellendis judicibus vel ſæcularibus viris ad Synodum, Metropolitani ſtudio c idem exſecutor à Principe poſtuletur. d Quinto decimo autem Kalendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia Synodus, propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur.

y Magis. Exc.
z Galliciæ. Exc.
a Prout uniuſcujuſque provinc. Metropol. Exc.
b Gothicæ (?) ſummus.
c Quidem. Exc.
d Quinto decima. Exc.

IV. For-

Ordinem celebrandi Concilium vide tom. 1. pag. 227. & ſeqq. Bracar. V. Can. IV.
e Mane. *Exc.*
f Cunctis. *Exc.*
g Diacones. *Exc.*
h Diaconi. *Exc.*
i Electioni. *Exc.*
k *Gottbicismus.* ſedentibusque in diuturno ſilentio ſacerdotibus. *Exc.*
l Tantum. *Exc.*
m Habentibus: *Exc.*
n In terra proſternenti & orantibus *Exc.*
o Priſcorum. *C. A.*

IV. *Formula qualiter Concilium fiat.*

4. Horâ itaque primâ diei, e ante ſolis ortum ejiciantur omnes ab Eccleſia, obſeratiſque foribus, f cuncti ad unam januam, per quam ſacerdotes ingredi oportet, Oſtiarii ſtent: & convenientes omnes Epiſcopi pariter introëant, & ſecundum ordinationis ſuę tempora reſideant. Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum atque conſeſſum, vocentur deinde presbyteri, quos cauſſa probaverit introïre. Nullus ſe inter eos ingerat diaconorum. Poſt hos ingrediantur g diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe: & coronâ factâ de ſedibus Epiſcoporum, presbyteri à tergo eorum reſideant. h Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent. Deinde ingrediantur laïci, qui i electione Concilii intereſſe meruerint. Ingrediantur quoque & notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit, & obſerentur januæ. k Sedenteſque in diuturno ſilentio ſacerdotes, & cor l totum ad Deum m habentes, dicat archidiaconus: Orate. Statimque omnes in terra n proſtrabuntur: & orantes diutiùs tacitè cum fletibus atque gemitibus, unus ex Epiſcopis ſenioribus ſurgens orationem palam fundat ad Dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione, & reſponſo ab omnibus: Amen; rurſus dicat archidiaconus: Erigite vos. Et confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei & diſciplina, tam Epiſcopi quàm presbyteri ſedeant. Sicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, diaconus albâ indutus codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet. Finitiſque titulis, Metropolitanus Epiſcopus Concilium alloquatur dicens: Ecce, ſanctiſſimi ſacerdotes, recitatæ ſunt ex Canonibus o ſanctorum Patrum ſententiæ de Concilio celebrando. Si qua igitur quempiam veſtrûm actio commovet, coram ſuis fratribus proponat. Tunc ſi aliquis quamcumque querelam quæ contra Canonem agit, in audientia ſacerdotali protulerit, non priùs ad aliud tranſeatur capitulum, niſi primùm quæ propoſita eſt actio terminetur. Nam & ſi presbyter aliquis aut diaconus, clericus ſive laïcus, de his qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ archidiacono cauſſam ſuam intimet, & ille Concilio denunciet. Tunc illi & introëundi & proponendi licentia concedatur. Nullus autem Epiſcoporum à cœtu communi ſecedat antequam hora generalis ſeceſſionis adveniat. Concilium quoque nullus ſolvere audeat, niſi fuerint cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, Epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Tunc enim Deus ſuorum ſacerdotum Concilio intereſſe credendus eſt, ſi tumultu omni abjecto, ſolicitè atque tranquillè Eccleſiaſtica negotia terminentur.

V. *De annunciatione Paſchæ ante Epiphaniam inter Epiſcopos exquirenda.*

Iſidorus De laterculo *lib. 6.* Etymol. *cap. 17.* De cyclo Paſchal.

5. Solet in Hiſpaniis de ſolennitate Paſchali varietas exiſtere prędicationis: diverſa enim obſervantia laterculorum Paſchalis feſtivitatis interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menſes Epiphaniorum Metropolitani ſacerdotes literis invicem ſe inquirant: ut communi ſententia edocti diem Reſurrectionis Chriſti & comprovincialibus ſuis inſinuent, & uno tempore celebrandum annuncient.

VI. *De trina & ſimpla in baptiſmo merſione.*

p Partes diverſæ in baptizandis aliqui contrario modo agunt, ab aliis nõ baptizatos eſſe contendunt. *C. A.*
q Fiendum.

Lib. 1. Regiſt. ep. 41. De conſecr. *diſt. 4. cap.* De trina merſione.

6. De baptiſmi autem ſacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam ſacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, à nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas Fidei ſcindi videtur. (nam dum p Patres diverſo & quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt) Proinde quid à nobis in hac ſacramenti diverſitate q finiendum ſit, Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſię Pontifex, qui non ſolùm partes Italiæ illuſtravit, ſed & longè exiſtentes Eccleſias ſuâ doctrinâ perdocuit, efflagitante ſanctiſſimo Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diverſitate, quid potiùs eſſet ſequendum, inter cætera reſcribens ei, ſic ait: *De trina verò merſione baptiſmatis nihil reſponderi veriùs poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis: quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus; ut dum tertiò ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſumma Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizandum ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter vel ſemel mergere; quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nunc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.* Quapropter, quia de utroque ſacramento, quod fit in ſancto baptiſmo à tanto viro reddita eſt ratio, quòd utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur; propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem; ne videantur apud nos qui tertiò mergunt hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium ſacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari: nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt; & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem divinitatis & Trinitatem perſonarum oſten-

De conſecr. *diſt. 4.* Propter vitandũ. *Et in Decr. Ivon. lib. 1. cap. 124.*

oſtendi; unitatem dum ſemel immergimus; Trinitatem dum [r] nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizamus. Panditur hujus ſingularis baptiſmatis myſterium, etiam ſacrarum Scripturarum exemplis; Paullo Apoſtolo atteſtante: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Meſe baptizati ſunt in nube & mari.* Mare quippe rubrum ſignificat baptiſmum Chriſti ſanguine conſecratum, per quem populus Dei ſemel tranſiit. Ubi tamen tota erat Trinitas, præcedente populum columna ignis & nubis. In igne quippe ſignificatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus ſanctus. Jordanis quoque fluenta, cum arca populus Dei ſemel tranſiit: per quod ſignificatur ſimpla merſio baptiſmatis, cujus ſacramento Eccleſia abluitur, & de ſæculi hujus laboribus per baptiſmum, quaſi per Jordanem, ad terram cœleſtis repromiſſionis ingreditur.

r In nom. Exc.

1. Cor. 10. Exod. 13. 14. & 16. & Num. 9.

VII. *De celebrando officio in ſexta feria Paſchæ.*

7. Comperimus, quòd per nonnullas Eccleſias in die ſextæ feriæ Paſſionis Domini, clauſis Baſilicarum foribus, nec celebratur officium, nec Paſſio Domini populis prædicatur; dum idem Salvator noſter Apoſtolis ſuis præceperit dicens: *Paſſionem & mortem & reſurrectionem meam omnibus prædicate.* Ideo oportet eodem die myſterium crucis, quod ipſe Dominus cunctis nunciandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare: ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur; corporiſque ejus & ſanguinis ſacramentum [s] mundi à peccatis ſumamus.

Marci 16.

s Mundati. C. A.

VIII. *De non ſolvendo jejunio in ſexta feria Paſchæ, exceptis languidis, ſenibus, & parvulis.*

8. Quidam in die ejuſdem Dominicæ Paſſionis [t] ad horam nonam jejunium ſolvunt, conviviis abutuntur, & dum ſol ipſe eodem die tenebris palliatus lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epuliſque inſerviunt. Et quia totum eundem diem univerſalis Eccleſia propter Paſſionem Domini in mœrore & abſtinentia peragit; quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces reſolverit, à Paſchali gaudio repellatur; nec in eo ſacramentum corporis & ſanguinis Domini percipiat, qui diem Paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat.

t Ab hora nona duo Mss.

IX. *De benedicendo cereo & lucerna in vigiliis Paſchæ.*

9. Lucerna & cereus in prævigiliis * Paſchæ * apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius ſacramentum ſolenniter hæc benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti [u] myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur, dignum eſt, ut propter unitatem pacis, in [x] Gallicanis Eccleſiis conſervetur. Nulli autem impunè erit qui hæc ſtatuta contempſerit, ſed Patrum regulis ſubjacebit.

* Deeſt. A. C.

u Miniſterium. C. A.

x Gallicianis. Exc.

X. *De Dominica oratione quotidie patenter pronuncianda.*

10. Nonnulli ſacerdotes per Hiſpanias reperiuntur qui Dominicam orationem, quam Salvator noſter docuit & præcepit, non quotidie, ſed tantùm die Dominica dicunt. Et quia ut ſine intermiſſione oremus Apoſtolus docuit, qualiter autem oremus Chriſtus præcipit, dicens: *Cùm oratis, dicite: Pater noſter qui es in cœlis*; quomodo ergo quotidie non dicitur, quod ſine intermiſſione dici jubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda eſt, quantum & ipſo titulo utitur, dum vocatur oratio quotidiana; ſic enim ſancti Patres nuncupaverunt. Quod etiam apud Doctores [y] quorum doctrina illuſtris eſt, invenitur. Sanctus quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione Dominica panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus: ut qui in Chriſto manemus & vivimus, à ſanctificatione & corpore ejus non recedamus. Sanctus Hilarius dicit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quid enim tam vult Deus, quàm ut quotidie Chriſtus habitet in nobis qui eſt panis vitæ, & panis è cœlo, & quia quotidiana oratio eſt, quotidie quoque ut detur, oratur. Sanctus Auguſtinus dicit: De quotidianis autem brevibus peccatis, ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit: eorum eſt enim dicere: *Pater noſter qui es in cœlis*, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua & ſpiritu. Delet igitur hæc quotidiana oratio minima quotidiana peccata; delet & illa, à quibus vita fidelium etiam ſcelerate geſta pœnitendo in melius redacta diſcedit. Ergo ſicut Chriſtus præcepit, ſicut Apoſtolus admonuit, & quemadmodum Doctores Eccleſiaſtici inſtituerunt, quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conſpectu Dei debemus. Quiſquis ergo ſacerdotum vel ſubjacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut in privato officio præterierit, propter ſuperbiam judicatus, ordinis ſui honore multetur.

1. Theſſal. 5. Matth. 6.

y Quorum in ſacris, loct. eſt. C. A.

In ſermone De oratione Dominica.

In Enchiridio apud Laurentium.

In Enchir. cap. 11. tit. 3.

XI. *De non cantando in Quadrageſima Alleluia.*

a Quod. C. A.
a Ideo non dec. C. A.
b Reliquorũ. C. A.

11. Item cognovimus quoſdam Hiſpaniæ ſacerdotes, a qui in Quadrageſimæ diebus Alleluia decantant, præter in ultima hebdomada Paſchæ. quod deinceps interdicimus fieri: ſtatuentes, ut in omnibus prædictis Quadrageſimæ diebus, quia tempus eſt, non gaudii, ſed mœroris, Alleluia a non decantetur. Tunc enim opus eſt fletibus ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſque veniat tempus reſurrectionis Chriſti, quando oportet Alleluia in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. Hoc enim Eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis terrarum partibus roboravit. Quod & à nobis omnibus ut conſervetur per Hiſpanias Galliaſque provincias, oportebit. In temporibus quoque b reliquis, id eſt, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluia non decantetur. In quibus etiam præter piſcem & olus, ſicuti in aliis quadraginta diebus, à cæteris carnibus abſtinetur, & à quibuſdam nec vinum bibitur. Si quis igitur Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium ſuum huic conſtitutioni exiſtimet præferendum, ordinis ſui officio carere cogatur, & à communione ejuſdem Paſchæ privetur.

XII. *Quòd Laudes non mox poſt Apoſtolum, ſed poſt Euangelium ſint dicendæ.*

12. In quibuſdam quoque Hiſpaniarum Eccleſiis Laudes poſt Apoſtolum decantantur, priuſquam Euangelium prædicetur; dum Canones præcipiunt poſt Apoſtolum non Laudes, ſed Euangelium annunciari. Præſumptio eſt enim, ut antea ponantur ea quæ ſequi debent. Nam Laudes ideo Euangelium ſequuntur, propter gloriam Chriſti, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur ſacerdotes hic ordo deinceps retineatur; excommunicationis pœnam ſuſcepturi qui hunc ordinem perturbaverint.

XIII. *De non renuendo pronunciare hymnos.*

De conſecr. diſt. 1. De hymnis.
Matth. 26.
Ad Epheſ. cap. 5.
Luc. 2.
c Nec ipſi. Grat.
d Canendi ſunt. Grat.
e Inveniuntur. Grat.
f Decantentur. Grat.
1. Ad Tim. 2.
g In Gallicia Hiſpan. celebrentur. Grat.

13. De hymnis etiam canendis, & Salvatoris & Apoſtolorum habemus exemplum: nam & ipſe Dominus hymnum dixiſſe perhibetur, Mattheo Euangeliſta teſtante: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti*. Et Paullus Apoſtolus ad Epheſios ſcripſit dicens: *Implemini ſpiritu, loquentes vos in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus*. Et quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei, atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi, quos beatiſſimi Doctores Hilarius atque Ambroſius ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo quòd de ſcripturis ſanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt; reſpuant ergo & illum hymnum ab hominibus compoſitum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium pſalmorum dicimus: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Chriſto angeli cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Reliqua quæ ibi ſequuntur Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo c nec idem in Eccleſiis d canendus eſt, quia in Scripturarum ſanctarum libris non e invenitur. Componuntur ergo hymni ſicut componuntur Miſſæ, ſive preces vel orationes, ſive commendationes, ſeu manûs impoſitiones: ex quibus ſi nulla f dicantur in Eccleſia, vacant officia omnia Eccleſiaſtica. Admonet hæc fieri atque hortatur Timotheum Apoſtolus dicens: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt*. Sicut igitur orationes; ita hymnos in laudem Dei compoſitos nullus veſtrûm ulterius improbet, ſed pari modo g Gallia Hiſpaniaque celebret, excommunicatione plectendi qui hymnos rejicere fuerint auſi.

XIV. *De hymno trium puerorum in cunctis Miſſarum ſolennibus decantando.*

h Deum. C. A.
i Galliciæ. Exc.
k Publico. Exc.

14. Hymnum quoque trium puerorum, in quo univerſa cœli terræque creatura h Dominum collaudat, & quem Eccleſia Catholica per totum Orbem diffuſa celebrat, quidam ſacerdotes in Miſſa Dominicorum dierum, & in ſolennitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc ſanctum Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ vel i Galliæ in omnium Miſſarum ſolennitate idem in k pulpito decantetur: communionem amiſſuri qui & antiquam hujus hymni conſuetudinem, noſtramque diffinitionem exceſſerint.

XV. *Quòd in fine pſalmorum*, Gloria & honor Deo, *ſit dicendum.*

Pſalm. 28.
Apocal.

15. In fine pſalmorum non, ſicut à quibuſdam hucuſque, Gloria Patri; ſed Gloria & honor Patri dicatur, David Propheta dicente: Afferte Domino gloriam & honorem. Et Joannes Euangeliſta in Apocalypſi: Audivi vocem cœleſtis exercitus dicentem: Honor & gloria Deo noſtro ſedenti in throno. Ac per hoc hæc duo ſic oportet in terris dici, ſicut in cœlis reſonant. Univerſis igitur Eccleſiaſticis hanc obſervantiam damus, quam quiſquis prætererit, communionis jacturam habebit.

XVI. *De*

XVI. *De diſcretione Gloriæ in fine reſponſoriorum.*

16. Sunt quidam qoi in fine reſponſoriorum *Gloria* non dicunt: propter quod interdum inconvenienter [l] conſonat. Sed hæc eſt diſcretio, ot in lætis ſeqoatur Gloria, in triſtioribus repetatur principum.

l Reſonat. *Duo Mss.*

XVII. *De Apocalypſis libro in omnibus recipienda.*

17. Apocalypſim librum moltorum Conciliorum auctoritas, & ſynodica ſanctorum Præſulum Romauorum decreta Joannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter divinos libros recipieodum, atque in Eccleſia Dei prædicare contendont. Si quis eum deinceps, aut non receperlt, aut à Paſcha uſque ad Pentecoſten, Miſſarũ tempore in Eccleſia non prædicaverit; ex commuoicationis ſeotentiam habebit.

XVIII. *Quòd poſt benedictionem populo datam ſic communicare debeant ſacerdotes.*

18. Nonoulli ſacerdotes poſt dictam orationem Dominicam ſtatim communicant, & poſtea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: ſed poſt orationem Domioicam, * & coojunctionem panis & calicis, benedictio in populum ſequatur, & tun demum corporis & ſangoiois Domini ſacramentum ſumatur; eo videlicet ordine, ut ſacerdos & levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

* Deſunt. Exc.

XIX. *De ordinatione Epiſcoporum.*

19. Pernicioſa conſuetudo nequaquam eſt * reticenda, qoæ majorum ſtatuta præteriens, omnem Eccleſiæ ordinem perturbavit; dum alii per ambitum ſacerdotium appetunt, alii oblatis maneribos Pontificatum aſſumunt, nonnulli etiam ſceleribus implicati vel [m] ſæculari militiæ dediti, indigni ad honorem ſummum, ac ſacri ordinis perveneront. De qoorum ſcilicet [n] caſû atque remotione oportuerat quidem ſtatuendum; ſed ne perturbatio quàm plurima Eccleſiæ oriretur, præteritis omiſſis, deinceps qui oon promoveantor ad ſacerdotium ex regulis Canonum neceſſariò credimus inſerendum: id eſt, qui in aliquo crimioe [o] detecti ſunt, qui infamiæ notâ aſperſi ſunt, qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſim lapſi ſunt, qui io hæreſi baptizati aut rebaptizati eſſe noſcuutur, qui ſemetipſos abſciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut [p] deciſione allqoid minus habere noſcuntur, qui ſecundæ uxoris conjunctionẽ ſortiti ſuot, aut numeroſa conjugia frequentaveruot, qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti ſuerunt, qui concubinas [q] ad fornicationem haboeront, qoi ſervili conditioni obnoxii ſunt, qoi ignoti ſunt, qoi neophyti ſunt, vel laïci ſunt, qui ſæculari militiæ dediti ſunt, qui curiæ nexibus obligati ſunt, qui inſcii literarum ſuut, qoi nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus Eccleſiaſticos non [r] acceſſerunt, qui ambitu honorẽ quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à deceſſoribus in ſacerdotium [s] eliguntur. Sed nec ille deinceps ſacerdos erit, qoem uec clerus, uec populos propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani, vel [t] comprovincialium ſacerdotum [u] aſſenſio exquiſivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem ſacerdotii poſtulatus, & iu his quæ prædicta ſunt, exqoiſitus, in nullo horum depreheoſos fuerit, atque examioatus, probabilis vitæ atque doctrinæ exſtiterit; tunc ſecundùm ſyoodalia vel decretalia conſtituta, cum omni clericorum vel civium voluntate ab oniverſis comproviucialibus Epiſcopis, aut certè à tribus, in ſacerdotium die Dominica conſecrabitur; convenieutibus cæteris qui abſentes fuerint literis ſuis, & magis auctoritate vel præſentia ejus [x] qui eſt iu Metropoli couſtitutus. Epiſcopus autem comprovincialis ibi conſecrandus eſt, ubi Metropolitauus elegerit: Metropolitanos autem nonniſi in civitate Metropoli, comproviucialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita Canonum ad gradum ſacerdotii indignus aſpirare contenderit, cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubjacebit.

* Recipienda. *E.*
m Sæcularibus. *C. A.*
n Cauſa. *Exc.*
Diſt. 51. cap. Qui in aliquo.
o Detenti. *Grat.*
p Colonienſis editio: deſectione.
q Aut fornicarias. *Exc. & Grat.* Fornicationes. *Videtur intelligendum de concubinis ad tempus adhibitis: de quibus diſt. 34. cap.* Is qui.
r Aſcenderunt. *Grat.*
s Eug. in Epiſcopos non ordinentur, ſed nec. *Grat.*
t Provincialium. *C. A.*
u Aſſenſus non exquiſivit. *Grat.*
x Qui verè Metropolitanus eſt conſt. *Grat.*

XX. *De numero annorum, quo ſacerdotes & levitæ ordinentur.*

20. In veteri lege ab auuo viceſimo & quinto levitæ tabernaculo ſervire [y] mandaotur: cujus auctoritatem in Canouibus & ſancti Patres ſequuti ſunt. Nos & divinæ legis, [z] & Coociliorom præcepti immemores, infantes & pueros levitas fecimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ: ideoque ue olteriùs fiat à uobis, & divinæ legis, & canooicis admonemur ſenteotiis: ſed à vigioti & quinque auuis ætatis levitæ conſecrentur, & à triginta annis presbyteri ordinentur: ita ut, ſecundùm Apoſtolicum præceptum, *probentur primùm, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.*

Num. 8. Diſt. 77. In vet. leg. *Ivo p. 6. cap. 32. Burch. lib. 2. cap. 12.*
y Præcipiuntur. *Ivo & Burch.*
z Et præceptorum Canonum immem. *Grat.*
1. Ad Tim. 3.

XXI. *De caſtitate ſacerdotum.*

21. Quicumque in ſacerdotio Dei poſiti ſunt, irreprehenſibiles eſſe debent, Paullo Apoſtolo atteſtante: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Iooffenſos igitur & immaculatos decet Dei exiſtere ſacerdotes, uec ullo eos fornicationis contagio pollui: ſed caſtè viventes, mundos ſemetipſos celebrandis

1. Ad Tim. 3.

brandis exhibeant ſacramentis. Abſtineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus: ut mundi corpore, purgati mente, poſſimus ad ſacrificium Chriſti digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

XXII. *Ut Epiſcopus in conclavi ſuo idoneum teſtimonium habeat.*

Rom. 12. & 2. *Cor.* 8.
a *In duob. Mss. eſt.* Dum in accuſatione luxuriæ, in converſat. *In A.C. deeſt*, in converſatione.
b Converſationis & vitæ in concl. *Exc.*
c Per converſat. bonam. *Exc.*

22. Quamvis conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen apud homines famam optimam cuſtodire convenit: ut juxta præceptum Apoſtolicum, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus. Quidam enim hucuſque ſacerdotum non modicum ſcandalum creaverunt, [a] dum in converſatione vitæ non bonæ famæ exiſtunt. Ut igitur excludatur deinceps omnis nefanda ſuſpicio aut caſus, & ne detur ultrà ſæcularibus obtrectandi locus, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum [b] in conclavi ſuo habere; ut & Deo placeant per conſcientiam puram, & Eccleſiæ [c] per optimam famam.

XXIII. *Ut presbyteri vel diaconi ſimiliter vitæ ſuæ habeant teſtes.*

23. Non aliter placuit, ut quemadmodum Antiſtites, ita presbyteri, atque levitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis gravitas in conclavi Epiſcopi manere non ſinit, ut iidem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.

XXIV. *De converſatione clericorum, ut in uno conclavi ſint.*

Prover. 30. *Gen.* 6. & 8.
32. *q.* 1. Omnis ætas. *Anſel. lib.* 7. *cap.* 1. *Idem Concil. Tol.* 10. *cap.* 1.
d Conſtituere. *Grat.*
e Impuberes. *Grat.*
f Et res eorum ab injuria impiorũ. *Grat.*

24. *Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum.* nihil enim incertius, quàm vita adoleſcentium. Ob hoc [d] conſtituendum oportuit, ut ſi qui in clero [e] puberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur: ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem magiſtrum doctrinæ, & teſtem vitæ habeant. Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, à ſacerdotali tutela foveantur; ut & vita eorum à criminibus intacta ſit, [f] & res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis reſultaverint, monaſteriis deputentur, ut vagantes animi & ſuperbi ſeveriori regula diſtringantur.

XXV. *Ut ſacerdotes Scripturarum ſanctarum & Canonum cognitionem habeant.*

Diſt. 38. Ignorantia mater. *Burch. lib.* 1. *cap.* 100. *Anſel. lib.* 6. 114. 1. *ad Tim.* 4. & *Concil. Arel.* 4. *c.* 3.
g Et Can. meditentur. *Exc.*
h Præd. divina. *Exc.*

25. Ignorantia, mater cunctorum errorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas Scripturas admonentur, Paullo Apoſtolo dicente ad Timotheum: *Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ, ſemper permane in his.* Sciant igitur ſacerdotes Scripturas ſanctas & [g] Canones: ut omne opus eorum in prædicatione [h] & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam Fidei ſcientiâ quàm operum diſciplinâ.

XXVI. *Quòd parochianis presbyteris quum ordinantur, officialis libellus debeat dari, & iidem presbyteri in Litaniis ſint de officio quærendi.*

Diſt. 38. Quando presbyt. *Ivo p.* 3. *cap.* 120. *Burch. lib.* 2. *cap.* 157. *Anſel. lib.* 7. *c.* 113.
i Accedant. *Exc.*

26. Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à ſacerdote ſuo accipiant; ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi [i] ſuccedant: ne per ignorantiam etiam divinis ſacramentis offendant; ita ut quando ad litanias vel ad Concilium venerint, rationem Epiſcopo ſuo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrant, vel baptizant.

XXVII. *De profeſſione presbyterorum vel diaconorum Epiſcopo facienda, quum in parochiis ordinantur.*

Diſt. 28. Quando preſ. *Ivo. p.* 3. *cap.* 232. & *p.* 6. *cap.* 248. *Burch. lib.* 2. *cap.* 157. *Anſel. lib.* 7. *cap.* 106. *Pan. lib.* 2. *cap.* 157.
k Eos primum profeſſ. *Exc.*
l Tali profeſſione obligaverit, ſanctam diſciplinam retineant.

27. Quando presbyteri vel diacones per parochias conſtituuntur, oportet [k] eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſtè & purè vivant ſub Dei timore: ut dum eos [l] talis profeſſio religat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

XXVIII. *De ordine quo depoſiti iterum ordinantur.*

Ivo. Quæſt. 3. Epiſcopus, presb. *Ivo. p.* 5. *cap.* 367.
m In ſancta Synodo. *Ivo. Exc.*
n Recip. coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, orarium, anulum, & bac. *Exc.*
o Patenam. *Ivon.*

28. Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ſi à gradu ſuo injuſtè dejectus, [m] in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos [n] recipiat coram altario, de manu Epiſcopi, orarium, anulum & baculum; ſi Presbyter, orarium & [o] planetam; ſi diaconus, orarium & albam; ſi ſubdiaconus, patenam, & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.

XXIX. *De ſacerdotibus, levitis, vel clericis magos aut aruſpices conſulentibus.*

29. Si Epiſcopus, aut presbyter, ſive diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruſpices, [p] aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem [q] aliquam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes, conſulere fuerit deprehenſus; ab honore dignitatis ſuæ [r] depoſitus [s] monaſterii [t] pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegii luat.

> *Quæſt.* 5. Si quis Epiſcopus. *Burch. lib.* 10. *cap.* 48. *Ivo. p.* 11. *cap.* 5. & 34. *Concil. Brac.* 2. *tit.* 77.
> p Aut incantatores, aut ariolos. *Grat.*
> q Magicam. *Grat.*
> r Suſpenſus. *Grat.*
> s Monaſterium ingreſſus, ibique. *Burch.*
> t Curam. *C. A.* cenſuram. *Exc.*

XXX. *De ſacerdotibus ad gentem extraneam nuncios mittentibus.*

30. Confinitimi hoſtium ſacerdotes, præter eos qui à regia poteſtate licentiam acceperunt, [u] quodlibet mandatum [x] à gente extranea occultè accipere vel dirigere non præſumant: qui autem deprehenditur, atque convincitur, denunciatus Principi, apud Concilium condigna animadverſione multabitur.

> u Aut quodlib. *C. A.*
> x Ad gentem extraneam. *C. A. & Exc.*

XXXI. *De diſcretione cauſſarum, in quibus ſacerdotes judices fieri poſſunt.*

31. Sæpè Principes contra quoslibet majeſtatis obnoxios ſacerdotibus negotia ſua committunt. [y] Et quia ſacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi [z] conſentient Regibus fieri judices, ubi jurejurando ſupplicii indulgentia promittatur, non ubi diſcriminis ſententia præparetur. Si quis ergo ſacerdotum contra hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis exſtiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum.

> 23. *q.* 8. Sæpè Princ. *Burch. lib.* 2. *cap.* 140. *Ivo. p.* 6. *cap.* 212.
> y Sed *C. A.*
> z Conſentiant. *Grat. Ivo.*

XXXII. *De cura populorum & pauperum, quam Epiſcopi ſibi impoſitam noverint.*

32. Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam à Deo ſibi curam non ambigant: ideoque dum conſpiciunt judices & [a] poteſtates pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos ſacerdotali admonitione redarguant; & ſi contempſerint [b] emendare, eorum inſolentiam Regis auribus intimene: * ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, regalis poteſtas ab improbitate coërceat. Si quis autem Epiſcoporum neglexerit, Concilio reus erit.

> *Ivo. p.* 16. *cap.* 2. *Burch. lib.* 15. *c.* 1.
> a Potentes. *Exc. ſ. Burch. Ivo.*
> b Emend. anathematizentur.
> * *Cætera deſunt. Burch. & Ivon.*

XXXIII. *Ne ex facultatibus Eccleſiarum diœceſis, exceptâ tertiâ oblationum, tributorum, ac frugum, Epiſcopus aliquid auferat.*

33. *Avaritia radix cunctorum malorum*: cujus ſitis etiam ſacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium [c] in amore Chriſti & Martyrum, in parochiis Epiſcoporum Baſilicas conſtruunt, [d] oblationes conſcribunt, ſacerdotes hæc auferunt, atque in uſus ſuos convertunt. Inde eſt, quòd cultores ſacrorum deficiunt, dum ſtipendia ſua perdunt. Inde labentium Baſilicarum ruinæ non reparantur; quia avaritia ſacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re conſtitutum eſt à præſenti Concilio, Epiſcopos ita diœceſes ſuas regere, ut nihil jure præſumant auferre; ſed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quàm [e] de tributis, ac frugibus tertiam conſequantur. Quòd ſi ampliùs quippiam ab eis præſumptum exſtiterit, per Concilium reſtauretur: appellantibus, aut ipſis conditoribus, aut certè propinquis eorum, ſi jam illi à ſæculo deceſſerunt. Noverint autem conditores Baſilicarum, in rebus quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam poteſtatem habere; ſed juxta Canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere.

> *Ivo p.* 3. *cap.* 255. *Burch. l.* 3. *cap.* 203.
> 1. *Timot.* 6.
> c In honorem. *Exc. Burch. ut noſtri.*
> d Oblat. ſanctas tribuunt. *Exc. Burch. ut noſtri.*
> 16. *q.* 1. Conſtitutum eſt. *Burch. li.* 3. *cap.* 203. *Ivo. p.* 3. *cap.* 255.
> e De decimis tributis. *Exc. Burch. & noſtri.*
> 10. *q.* 1. Noverint. *Burch. lib.* 3. *cap.* 203. *Ivo. p.* 3. *cap.* 255.

XXXIV. *De tricennii tempore, & propter provincias cauſſarum diſcretione.*

34. Quicumque Epiſcopus alterius Epiſcopi diœceſim per triginta annos ſine aliqua interpellatione [f] poſſederit, [g] quia ſecundum jus legis, ejus jam videtur eſſe diœceſis, [h] admittenda non eſt contra eum actio repoſcendi: ſed hoc intra unam [i] provinciam; extrà verò nullo modo: ne dum diœceſis defenditur, provinciarum termini confundantur.

> *Diſt.* 16. *q.* 3. Quicumque. *Ivo. p.* 3. *cap.* 131. *Burch. lib.* 1. *cap.* 67.
> f Poſſeſſam teneat, quia. *Ivo.*
> g Quamvis. *Exc.*
> h Ea adm. *Ivo.*
> i Parochiam. *Exc. Ivo & C. A.* vide *notâ Codicis Gregoriani.*

XXXV. *De conventu territorii, & Baſilicis noviter conſtructis, ad quem Epiſcopum pertineant.*

35. Sicut diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit, ita territorii conventum non [k] adimit. Ideoque Baſilicæ quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procul dubio Epiſcopum pertinebunt, cujus conventus eſſe conſtiterit.

> 16. *q.* 2. Poſſeſſio & 16. *q.* 3. Sicut diœceſim. *Ivo. p.* 3. *cap.* 212. *Burch. lib.* 5. *cap.* 147.
> k Amittit. *Ivo.* admittit. *Burch. C. Gregorid. emendavit* adimit, *ſequutus noſtrorum Codicum lectionem.*

XXXVI. *De requiſitione Epiſcoporum per ſingulos annos in parochiis peragenda.*

20. q. 1. cap. Epiſcopum, Ivo. p. 5. cap. 103. Burch. lib. 1. cap. 87.
l Parœciaſque. Grat.
m Reparationem. C. A.
n Probabilis vitæ. Burch.

36. Epiſcopum per cunctas diœceſes [l] parochiaſque ſuas per ſingulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquæque Baſilica in [m] reparatione ſui indigeat. Quòd ſi ipſe aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequierit, presbyteros [n] probabiles, aut diaconos mittat, qui & reditus Baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

XXXVII. *De promiſſo ſuffragio præſtito, ex rebus Eccleſiæ perſolvendo.*

12. q. 2. Quicumque ſuffrag.
o Utilitatis. C. A. & Grat.
p Commodum. Exc.
q Mercedē ſuam accipere. C. A. 1. Timot. 5.

37. Quicumque Epiſcopi ſuffragio cujuslibet aliquid Eccleſiaſticæ [o] utilitati providerint, & pro eo quodcumque [p] modicum in remunerationem promiſerint, promiſſi ſolutionem eos exſolvere oportebit: ita ut id ad Concilium comprovinciale deductum, eorum conniventiâ confirmetur: quia ſicut Paullus Apoſtolus ait, *dignus eſt operarius* [q] *mercede ſua.*

XXXVIII. *De ſuffragio fundatoribus Eccleſiarum, vel filiis eorum ex rebus ab ipſis collatis impertiendo.*

16. q. 7. Quicumque fideles.
r Retributio. Exc.

38. Præbendum eſt à ſacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus; & maximè his, quibus reſtituenda viciſſitudo eſt. Quicumque ergo fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt; ſi fortè ipſi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant. Si enim clericis, vel monachis, ſeu peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus, pro ſolo religionis intuitu, in uſum res Eccleſiaſticæ largiuntur; quantò magis his conſulendum eſt, quibus [r] retributione juſta debetur.

XXXIX. *De diſcretione presbyterorum, vel diaconorum; ut in utroque choro conſiſtant.*

Diſt. 93. Nonnulli. Ivo p. 6. c. 297. Burch. lib. 1. c. 222. *In vulgaris Gratiani*, in utroque ordine. *Verum in omnibus Mss. CC. Eccleſiæ Toletanæ, & bibliothecæ regiæ D. Laurentii legitur*, in utroque choro. *Præterquam in uno Lucenſi Codic. ubi habetur*, in utroque conſiſtant, *quam lectionem optimè ſequutum eſt Decretum Gregorianum.*

39. Nonnulli diacones in tantam erumpunt ſuperbiam, ut ſe presbyteris anteponant, atque in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, presbyteris in ſecundo chōro conſtitutis. Ergo ut ſublimiores ſibi presbyteros agnoſcant, tam hi quàm illi in utroque choro conſiſtant.

XL. *De uno orario à diaconibus utendo, nec ornato, ſed puro.*

Diſp. 25. Unum orarium.
s Si oraria duo nec Epiſcopo induere quidem licet, nec presbytero utique, multò minus diacono, qui. C. A. & Exc.
* Deeſt Exc.
* Deſunt in Al. C. In quo eſt. & auro orn.
* Deeſt. A. C.

40. [s] Orariis duobus nec Epiſcopo quidem licet, nec presbytero uti, quantò magis diacono, qui miniſter eorum eſt? Unum igitur orarium oportet levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt, prædicat: dextram autem * partem * oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium ſacerdotale diſcurrat. Caveat igitur amodò levita gemino uti orario, ſed uno tantùm, & puro, * nec ullis coloribus *, aut auro ornato.

XLI. *De qualitate tonſuræ à cunctis clericis vel lectoribus communiter habenda.*

41. Omnes clerici, vel lectores, ſicut levitæ, & ſacerdotes, detonſo ſuperiùs toto capite, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant: non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania * hucuſque * hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Eccleſiæ ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & una ſit tonſura, vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, Fidei Catholicæ reus erit.

XLII. *De remotione mulierum à conſortio clericorum.*

42. Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitent; niſi tantùm mater, & ſoror, filia, vel amita. In quibus perſonis nihil ſceleris exſtimari fœdus naturæ permittit. Id enim & conſtitutio antiquorum Patrum decrevit.

XLIII. *De venditione mulierum quæ clericis conjunctæ noſcuntur.*

Diſt. 81. Quidam clerici.
t Quæ conjunctæ taliter cum clericis ſunt. Exc.
u Relegatis, alius Ms.

43. Quidam clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum ſuarum interdicta ſibi conſortia appetunt: ideóque [t] quæcumque clericis taliter adjunctæ ſunt, ab Epiſcopo auferantur, & venundentur, illis pro tempore [u] religatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt.

XLIV. *De perſonis mulierum, quas non convenit clericis copulari: & ſi neſciente Epiſcopo clericus ducat uxorem.*

44. Clerici qui ſine conſultu Epiſcopi ſui, aut viduam, vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, ſeparari eos à proprio Epiſcopo oportebit.

23. q. 8. Clerici *Ivo. p. 8. cap.* 286.

XLV. *De clericis qui arma ſumpſerint, vel ſumpſerunt.*

45. Clerici qui in quacumque x ſeditione arma volentes ſumpſerint, vel ſumpſerunt; reperti, amiſſo ordinis ſui gradu, in monaſterium y pœnitentiæ contradantur.

23. q. 8. Clerici qui. *Anſel. lib.* 7. *cap.* 157.
x Factione. *Grat.*
y Perenniter. *Exc.*

XLVI. *De clericis ſepulchra demolientibus.*

46. Si quis clericus in demoliendis ſepulchris fuerit deprehenſus; quia facinus hoc pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vendicatur, oportet Canonibus in tali ſcelere proditum clericatus ordine ſubmoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

Ivo. part. 13. *cap.* 49. *Burc. lib.* 11. *cap.* 63.

XLVII. *De abſolutione à laboribus, vel indictionibus clericorum ingenuorum.*

47. Præcipiente Domino atque excellentiſſimo Siſenando Rege, id conſtituit ſanctum Concilium, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes; ut liberi Deo ſerviant, nullaque præpediti neceſſitate ab Eccleſiaſticis officiis retrahantur.

XLVIII. *De inſtitutione œconomorum, id eſt, qui res Eccleſiaſticas tractant.*

48. Eos quos œconomos Græci appellant, hoc eſt, qui vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tractant, ſicut ſancta Synodus Chalcedonenſis inſtituit, omnes Epiſcopos de proprio clero ad regendas Eccleſias habere oportet: qui autem deinceps contempſerit, obnoxius ejuſdem magni Concilii erit.

Chalced. Conc. Can. 26.

XLIX. *De profeſſione monachorum & devotione parentum eorum.*

49. Monachum aut paterna devotio aut propria profeſſio facit: quicquid horum fuerit, z alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum.

20. q. 1. Monachũ *Ivo. p.* 7. *cap.* 3. *Burch. lib.* 8. *cap.* 6. *Anſel. lib.* 7. *c.* 136. *& l.* 8. *cap.* 6.
z Allegatum. *In alio.*

L. *De clericis qui monachorum propoſitum appetunt, ut licitum habeant.*

50. Clerici qui monachorum propoſitum appetunt; quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.

19. q. 2. Clerici, qui. *Burch. lib.* 8. *cap.* 21. *Ivo p.* 6. *cap.* 372.

LI. *De diſcretione poteſtatis Epiſcoporum, quam in monaſteriis habere potuerunt.*

51. Nunciatum eſt præſenti Concilio, quòd monachi, Epiſcopali imperio, ſervili opere mancipentur, & jura monaſteriorum contra a conſtituta Canonum illicita præſumptione uſurpentur; ita ut penè ex cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſervitutemque perveniat. Quapropter monemus eos qui Eccleſiis præſunt, ut ultrà non præſumant: ſed hoc tantùm ſibi in monaſteriis vindicent ſacerdotes, b quod præcipiunt Canones, id eſt, monachos ad converſationem ſanctam c præmonere, Abbates, aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere. Quòd ſi aliquid d in monachis Canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quippiam de monaſterii rebus tentaverint; non deerit ab illis ſententia excõmunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſuſtulerunt ab illicitis.

18. q. 2. Hoc tantum ſibi. *Vide Aurelian.* 1. *cap.* 21. *& Arelat.* 3. *apud Grat.* 18. *q.* 2. Monaſteria. *&* 2. *Hiſp. cap.* 11. Epiſcopis hæc jus ademit. 1. *Later. Vide Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *c.* 8. *& ſeſſ.* 24. *c.* 3.
a Inſtituta. *A. C.*
b Quos. Exc.
c Promovere. *Grat.*
d In monachos.

LII. *De monachis vagis, & à monaſterio egreſſis.*

52. Nonnulli monachorum egredientes à monaſterio, non ſolùm ad ſæculum revertuntur, ſed etiam uxores accipiunt. Hi igitur revocati, in eodem monaſterio à quo exierunt, pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina ſua unde deceſſerunt.

Vide Concil. Turon. c. 11. *Ex quo decretum eſt.*

LIII. *De religioſis vagis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur.*

53. Religioſi propriæ regionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, ſive hi qui per diverſa loca vagi fuerint, ab Epiſcopis, in quorum conventu commanere noſcuntur, licentia eorum coërceatur; in clero aut in monaſteriis deputati, præter illos qui ab Epiſcopo ſuo, aut propter ætatem, aut propter languorem, fuerint abſoluti.

LIV. *De*

LIV. *De diſcretione pœnitentium, & qui poſſunt ad honores Eccleſiaſticos provehi, vel qui non poſſunt.*

Concil. Tolet. 12. c. ap. 10.

54. Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſſunt etiam, pro morum probitate, ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetràſſe poblicè fateantur, ad clerum vel ad honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt; quia ſe confeſſione propria notaverunt.

LV. *De pœnitentibus viris, ac viduis, ſive virginibus, qui divertentes laïci fiunt, aut veſtem mutant, vel conjugiis copulantur.*

Ivo. p. 7. cap. 47. Burch. lib. 8. cap. 27.
e Renoventur. *Exc. & Burch.*
f Pœnitentiam. *Exc. Burch.*
g Tonſi collaudantibus parentibus fuerint, ſeipſos relig. *Burch. & Ivo. à quibus interjecta deſunt.*
h Voverunt. *C. A.*
i Quod ſi renoventur, & reverti nolunt. *Burc.*

55. Quicumque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes laïci effecti ſunt; comprehenſi ab Epiſcopo ſuo, ad pœnitentiam, ex qua receſſerunt, e revocentur. Quòd ſi aliqui per f pœnitentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertantur, verè ut apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententiâ condemnentur. Non aliter & hi, qui g detonſi à parentibus fuerint, aut ſponte ſua, amiſſis parentibus, ſeipſos religioni h devoverunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, & iidem à ſacerdote cumprehenſi, ad cultum religionis, actâ priùs pœnitentiâ, revocentur. i Quòd ſi reverti non poſſunt, verè ut apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjiciantur. Quæ forma ſervabitur etiam io viduis virginibuſque ſacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt, aut ad nuptias tranſierunt.

LVI. *De diſcretione ſæcularium, & ſanctimonialium viduarum.*

1. Timoth. 5.

56. Duo ſunt genera viduarum, ſæculares & ſanctimoniales: ſæculares viduæ ſunt, quæ adhuc diſponentes nubere, laïcalem habitum non depoſuerunt: ſanctimoniales ſunt, quæ jam mutato habitu ſæculari, ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis vel Eccleſiæ apparuerint. Hæ ſi ad nuptias tranſierunt, juxta Apoſtolum, non ſine damnatione erunt: quia ſe primùm Deo voventes, poſtea caſtitatis propoſitum abjecerunt.

LVII. *De diſcretione Judæorum, qui non, vel qui credere vi cogantur.*

Diſt. 45. De Judæis. Ivo. p. 1. cap. 276. & p. 13. c. 94. & Pan. lib. 1. cap. 72. Burch. lib. 4. cap. 82.
Ad Rom. 9.
Geneſ. 3.
k Propria. *Exc.*
l Vocante ſc. *Ivo. & Burch.*
m Solvatur. *Exc.*
n Liberi. *Grat.*
o Voluntate, & facult. *Grat.*
p Salvandi. *Ivo. & Burch.* non rectè *Grat.* ut noſtri.
* De ſunt. *Grat.*
q Suſcepiſſe. *C. A. Grat.*

57. De Judæis autē hoc præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat.* Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ: ſicut enim homo k proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic l vocante gratia Dei propriæ mentis converſione homo quiſque credendo m ſalvatur. Ergo non vi, ſed n libera arbitrii o facultate, ut convertantur p ſuadendi ſunt, non potiùs impellendi. Qui autem jam pridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis * Siſebuti, quia jam conſtat eos eſſe ſacramentis divinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam q percepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini * & ſanguinis * extitiſſe participes, oportet ut Fidem etiam, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur; ne nomen divinum blaſphemetur, & Fides quam ſuſceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

LVIII. *De his qui contra Fidem Chriſti Judæis munus vel favorem præſtant.*

Sic legendum ex Chronico Iſidori Era DX Laudi dicis eum æmulationem Dei habuiſſe, ſed non ſecundum ſcientiam. Vide legem Siſebuti in annotatione ad cap. 59. hujus Concil. Mall. Siſenandi. Ivo. & Burch.
Idem habes in ll. Wiſigoth. lib. 12. l. 10. tit. 3.
1. Timot. 6.
Ivo. p. 13 cap. 95.
r Fovent. *C. A.*
s Qui. *C. A.*
t Auxilium. *Ivo.*
u Habeatur. *Exc.*

58. Tanta eſt quorundam cupiditas, *ut quidam eam appetentes* (juxta quod ait Apoſtolus) *etiam à Fide erraverint*: multi quippe hucuſque ex ſacerdotibus atque laïcis accipientes à Judæis munera, perfidiam eorum patrocinio ſuo r fovebant; qui non immeritò ex corpore Antichriſti eſſe noſcuntur, s qui contra Chriſtum faciunt. Quicumque igitur deinceps Epiſcopus, ſive clericus, ſive ſæcularis, illis contra Fidem Chriſtianam t ſuffragium vel munere vel favore præſtiterit, verè ut profanus & ſacrilegus anathema effectus, ab Eccleſia Catholica & regno Dei u efficiatur extraneus: quia dignum eſt ut à corpore Chriſti ſeparetur, qui inimicis Chriſti patronus efficitur.

LIX. *De Judæis dudum Chriſtianis, & poſtea in priori ritu diverſis, ac ſervis & filiis eorum circumciſis.*

De conſ. diſt. 4. Plerique: Burch. lib. 4. cap. 85. Ivo p. 1. cap. 279.
* *Deeſt. Grat. Ivo. & Burch.*
x Noſcuntur. *Burc.*
y Correcti duo *Mſſ. Sicque Grat. Ivo. Burch.*

59. Plerique qui ex Judæis dudum ad Chriſtianam Fidem promoti ſunt, nunc blaſphemantes * in * Chriſtum, non ſolùm Judaïcos ritus perpetràſſe noſcuntur, ſed etiam abominandas circumciſiones exercere x præſumpſerunt: de quibus conſultu piiſſimi ac religioſiſſimi Principis domini noſtri Siſenandi Regis, hoc ſacrum decrevit Concilium, ut hujuſmodi tranſgreſſores Pontificali auctoritate y correpti, ad cultum Chriſtiani dogmatis revocentur: ut quos voluntas propria non emendat, animadverſio ſacerdotalis coërceat: eos autem quos circumciderunt, ſi filii eorum ſunt, à parentum conſortio ſeparentur; ſi ſervi, pro injuria corporis ſui libertati tradantur.

LX. De

LX. *De filiis Judæorum, ut à parentibus ſeparati Chriſtianis debeant deputari.*

60. Judæorum filios vel filias, a ne parentum ultrò involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus; deputatos aut monaſteriis, aut Chriſtianis viris ac mulieribus Deum timentibus: ut ſub a eorum converſatione cultum Fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus quàm in Fide proficiant.

28. q. 1. Judæorum fil. *Burch. lib. 4. cap. 83 Ivo p. 1. cap. 277. Concil. Tolet. 17. cap. 8.*
a Baptizatos, ne. *Exc. Burch. & Ivo.*
a Eorum cura & converſ. *Ivo.*

LXI. *De filiis fidelibus Judæorum, ne prævaricatis parentibus & damnatis, à rebus parentum exſules fiant.*

61. Judæi baptizati, ſi poſtea prævaricantes in Chriſtum, qualibet pœna damnati exſtiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia ſcriptum eſt: *Filius non portabit iniquitatem* b *Patris.*

1. q. 4. Judæi bapt. *Ezech. 18.*
b Pat. & Pater non portabit iniquitatem filii. *Grat.*

LXII. *De Judæis baptizatis qui ſe ſociant infidelibus Judæis, ut Chriſtianis illi donentur, & iſti cædibus deputentur.*

62. Sæpè malorum conſortia etiam bonos corrumpunt, quantò magis eos qui ad vitia proni ſunt? Nulla igitur ultrà communio ſit Hebræis ad Fidem Chriſtianam tranſlatis, cum his qui adhuc in vetere ritu conſiſtunt; ne fortè eorum c participatione ſubvertantur. Quicumque igitur amodò ex his qui baptizati ſunt, infidelium conſortia non vitaverint; & hi Chriſtianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur.

29. q. 1. Sæpè malorum. *Burch. lib. 4. cap. 84. Ivo p. 1. cap. 278.*
c Participio. *A. C.*

LXIII. *De Chriſtianorum Judæorumque conjugiis communibus, & filiis eorum.*

63. Judæi qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo civitatis ipſius, ut ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. quòd ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjugio, d quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt Fidem. Filii autem qui ex talibus nati exiſtunt, Fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Chriſtianam ſequantur religionem, non Judaïcam ſuperſtitionem.

28. q. 1. Judæi, qui Chriſtianas. *legum Wiſigoth. lib. 12. tit. 2.*
d Conjunctione. *C. A.*

LXIV. *De Judæis converſis & poſt prævaricantibus, ut ad teſtimonium non admittantur.*

64. Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo exſtiterit infidelis. Judæi ergo, qui dudum Chriſtiani effecti ſunt, & nunc in Chriſti Fidem prævaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent; quamvis eſſe ſe Chriſtianos annuncient. Quia ſicut in Fide Chriſti ſuſpecti, ita & in teſtimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium qui in fide falſi docentur; nec eis eſſe credendum, qui veritatis à ſe Fidem e abjiciunt.

2. q. 7. Non poteſt *Idem legib. Wiſigoth. lib. 12. tit. 2. l. 9. & 10. Ivo p. 13. c. 96.*
e Abjecerunt. *Grat. Ivo.*

LXV. *Ne Judæi, vel ſi qui ex Judæis ſunt, officia publica agant.*

65. Præcipiente domino atque excellentiſſimo Siſenando Rege, id conſtituit ſanctum Concilium, ut Judæi, aut hi qui ex Judæis ſunt, officia publica nullateons appetant: quia ſub hac occaſione Chriſtianis injuriam faciunt. Ideòque judices provinciarum cum ſacerdotibus, eorum ſubreptiones fraudulenter f elicitas ſuſpendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem judicum hoc permiſerit, velut in ſacrilegum excommunicatio proferatur, & is qui ſubrepſerit, publicis cædibus deputetur.

17. q. 4. Conſtituit ſanct. *Idem eſt lib. Wiſigoth. lib. 12. tit. 3. l. 17. Ivo p. 13. cap. 97.*
f Relictas. *C. A. & Grat. C. Gregor. legit* elicitas, *ex C. Lucenſ.*

LXVI. *Ne Judæi quodcumque mancipium Chriſtianum quocumque titulo habeant.*

66. Ex decreto glorioſiſſimi Principis hoc ſanctum elegit Concilium, ut Judæis non liceat Chriſtianos ſervos habere, nec Chriſtiana mancipia emere, nec cujuſquam conſequi g largitate: nefas eſt enim ut membra Chriſti ſerviant Antichriſti h miniſtris. Quòd ſi deinceps ſervos Chriſtianos vel ancillas Judæi habere præſumpſerint, ſublati ab eorum dominatu, libertatem à Principe conſequantur.

Ivo p. 13. cap. 99.
g Largitatem. *Exc. maiſ.*
h Membris. *Ivo.*

LXVII. *De libertis ex familia Eccleſiæ factis, ſi nihil ex proprio conferant ſacerdotes qui eos faciunt.*

67. Etſi hi qui nulla ex rebus ſuis pauperibus Chriſti diſtribuunt, æterni judicis voce in futurum condemnabuntur; quantò magis hi qui auferunt pauperibus quod non dederunt? Quapropter Epiſcopi, qui nihil ex proprio ſuo i Eccleſiæ Chriſti compenſaverunt, hanc divinam ſententiam metuant, & liberos ex familiis Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim,

12. q. 2. Et ſi illi, qui *Burch. lib. 3. cap. 189. Ivo p. 3. cap. 249.*
i Eccleſiis *A. C.*

ut qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & jus Eccleſiæ alienare intendat. Tales igitur k libertos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad jus Eccleſiæ revocabit; quia eos non æquitas, ſed improbitas abſolvit.

k Liberos. *Grat.*

LXVIII. *De diſcretione ex familia Eccleſiæ manumiſſorum, qualiter manumittantur; & ne adverſa teſtificent vel accuſent.*

12. q. 2. Epiſcopus, qui. *Burch. lib. 3. cap. 176. Ivo p. 3. cap. 237. & p. 16. cap. 65.*
l Commutationis. *Burch.*
m Quia *C. A.*
n Juri. *Grat. Ivo. Legibus namque Imperatoriis accuſandi patronos libertis poteſtas adimitur lib. 44. digeſt. tit. 2. lib. 8.*
o Propriam. *Burch.*

68. Epiſcopus qui mancipium juris Eccleſiæ, non retento Eccleſiaſtico patrocinio, manumitti deſiderat, duo meriti ejuſdem & peculii coram Concilio Eccleſiæ, cui præeminet, per commutationem, ſubſcribentibus ſacerdotibus offerat: ut rata & juſta inveniatur definitio l commutantis. Tunc enim liberam manumiſſionem ſine patrocinio Eccleſiæ concedere poterit: m quia eum, quem libertati tradere diſponit, jam n jure proprio acquiſivit. Hujuſmodi autem liberto adverſus Eccleſiam, cujus juris exſtitit, accuſandi vel teſtificandi denegetur licentia. Quòd ſi præſumpſerit, placet ut ſtante commutatione, in ſervitutem o propriæ Eccleſiæ revocetur, cui nocere conatur.

LXIX. *Quòd liberti, ex familiis Eccleſiæ, pro compenſatione acquiſitæ rei, à ſacerdotibus poſſint fieri.*

p Aut aliquid Eccl. ſuæ. *Decretal. Decret. lib. 3. tit. 13. cap. 3. Burch. l. 3. cap. 177. Ivo p. 3. cap. 238.*
q Liceat. *Burch.*

69. Conſenſus totius Concilii definivit, ut ſacerdotes, qui p ante res ſuas Eccleſiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia, aut familias Eccleſiis ſuis conquirunt; q licebit illis aliquos de familiis ejuſdem Eccleſiæ manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui Canones decreverunt; ita ut cum peculio & poſteritate ſua ingenui ſub patrocinio Eccleſiæ maneant, utilitates injunctas ſibi, juxta quod potuerint, proſequentes.

LXX. *De profeſſione libertorum Eccleſiæ & poſteritatis eorum ſacerdotibus facienda; ne longinquitas temporis eos obliteſcere faciat ſplendorem in libertatibus.*

12. q. 2. Liberti Eccleſ. *Burch. lib. 8. cap. 185. Ivo p. 3. cap. 245.*
r Non ſubtrahat. *Grat. & Exc.*
s Libertos. *Exc.*

70. Liberti Eccleſiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) à patrocinio ejuſdem nunquam diſcedant; nec poſteritas quidem eorum, ſicut priores Canones decreverunt. Ac ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat; ipſaque poſteritas naturali ingenuitate obnitens, ſeſe ab Eccleſiæ patrocinio r ſubtrahat, neceſſe eſt, ut tam iidem liberti quàm ab eis progeniti, profeſſionem Epiſcopo ſuo faciant, per quam ſe ex familia Eccleſiæ s liberos effectos eſſe fateantur; ejuſque patrocinium non relinquant; ſed juxta virtutem ſuam obſequium ei vel obedientiam præbeant.

LXXI. *De libertis Eccleſiæ ejuſdem patrocinium relinquentibus.*

12. q. 2. Liberti Eccleſ. *Burch. l. 3. cap. 154. Ivo p. 3. cap. 244.*

71. Liberti Eccleſiæ, qui à patrocinio ejus diſcedentes, quibuslibet perſonis adhæſerunt, ſi admoniti redire contempſerint, manumiſſio eorum irrita ſit; quia per inobedientiæ contemptum actione ingrati tenentur.

LXXII. *De libertis patrocinio Eccleſiæ commendatis.*

Diſt. 87. Liberti, qui. *Burch. lib. 3. cap. 186. Ivo p. 3. cap. 246. & p. 16. cap. 52.*

72. Liberti qui à quibuſcumque manumiſſi ſunt, atque Eccleſiæ patrocinio commendati exiſtunt, ſicut regulæ antiquorum Patrum conſtituerunt, ſacerdotali defenſione à cujuslibet inſolentia protegantur; ſive in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio, quod habere noſcuntur.

LXXIII. *De diſcretione libertorum, qui ad Eccleſiaſticos honores pervenire poſſunt, vel qui provehi prohibentur.*

Diſtin. 54. Quicumque lib. *Ivo p. 6. cap. 126. Burch. l. 2. cap. 25.*
t Crim. capitali. *Exc. Burch. & Ivo, & C. A.*
u Liberi. *C. A.*
x Patroni ſervit. *Burch. Ivo.*

73. Quicumque libertatem à dominis ſuis ita percipiunt, ut nullum ſibimet obſequium patronus retentet; iſti, ſi ſine t crimine ſunt, ad clericatus ordinem u liberè ſuſcipiantur; quia directa manumiſſione abſoluti noſcuntur: qui verò retento obſequio manumiſſi ſunt; pro eo quòd adhuc x à patrono ſervitute tenentur obnoxii, nullatenus ſunt ad Eccleſiaſticum ordinem promovendi; ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis ſervi.

LXXIV. *De libertis familiarum Eccleſiæ, qui vel qualiter ad ſacerdotium promoveantur; & de rebus eorum quid fiat: ac ne ob vim teſtificent vel accuſent.*

Bernard. Præpoſitus Papienſ. lib. 1. tit. 12. cap. 4.

74. De familiis Eccleſiæ conſtituere presbyteros & diacones per parochias liceat; quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat; ea tamen ratione, ut antea manumiſſi libertatem ſtatus ſui percipiant, & denuò ad Eccleſiaſticos honores ſuccedant: irreligioſum eſt enim obligatos exſiſtere ſervituti, qui ſacri ordinis ſuſcipiunt dignitatem. Quicquid autem talibus, aut per libertatem conceſſum, aut ſucceſſione exſtiterit y debitum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis

y Datum. *Exc.*

quip-

quippiam inde in extraneas perſonas tranſmittere; ſed omnia ad jus Eccleſiæ, à qua manumiſſi ſunt, * oportet * poſt eorum obitum pertinere. His quoque, ſicut & cæteris Eccleſiæ libertis, accuſandi, vel teſtificandi adverſus Eccleſiam aditus intercluditur: ad quod ſi adſpiraverint, non ſolùm libertatis beneficio careant, ſed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, ſed temporis neceſſitate promeruerunt.

* *Deeſt Exc.*

LXXV. *De commonitione plebis, ne in Principem delinquatur, & de electione Principum, & de tranſgreſſione fidei quæ Principibus promittitur; ac de commonitione Principum, qualiter judicent, & de ultione Principum nequiter judicantium; atque de exſecratione Svintilanis, & conjugis, & prolis ejus, ſimiliter & de Geilane germano ejus, ac rebus eorum.*

75. Poſt inſtituta quædam Eccleſiaſtici ordinis, vel decreta quæ ad quorundam pertinent diſciplinam, poſtrema nobis cunctis ſacerdotibus ſententia eſt, pro robore noſtrorum Regum, & ſtabilitate gentis Gotthorum, Pontificale ultimum ſub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut ſama eſt) tanta exſtat perfidia animorum, ut fidem ſacramento promiſſam Regibus ſuis ſervare contemnant, & ore ſimulent juramenti profeſſionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim Regibus ſuis, & fidem quam pollicentur prævaricant; nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio ſuper eos qui jurant in nomine Dei mendaciter.

Quinto Concilio Toletano cap. 7. decernitur, ut hoc decretum in omnibus Synodis perađis publica voce pronuncietur. Hierem. 7. & 27.

76. Quæ igitur ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? quæ fides ultrà cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hoſtibus jurata ſponſio z permanebit, quando nec ipſis propriis Regibus juratam fidem conſervant? Quis enim adeò furioſus eſt, qui caput ſuum manu propria deſecet? Illud notum eſt, immemores ſalutis ſuæ propria manu ſeipſos interimunt, in ſemetipſos ſuoſque Reges proprias convertendo vires; & dum Dominus a dicit: *Nolite tangere Chriſtos meos*. Et David: *Quis* (inquit) *extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus eſt perjurium, nec Regibus ſuis inferre exitium.

z Stabilis perm. Exc.

a Dicat. C. A. *Pſal. 104. 1. Reg. 26.*

77. Hoſtibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quòd ſi in bello fides valet, quantò magis b in ſuis ſervanda eſt? Sacrilegium quippe eſt, ſi violetur à gentibus Regum ſuorum promiſſa fides: quia non ſolùm in eos fit pacti tranſgreſſio, ſed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipſa promiſſio. Inde eſt, quòd multa regna terrarum cœleſtis iracundia ita permutavit, ut per impietatem fidei & morum alterum ab altero ſolveretur. Unde & nos cavere oportet caſum hujuſmodi gentium; ne ſimiliter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Sic enim Deus angelis in ſe prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cœleſte habitaculum perdiderunt. Unde & per Eſaïam dicitur: *Inebriatus eſt gladius meus in cœlo*. Quantò magis nos noſtræ ſalutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem ſævientis Dei gladio pereamus?

b In cæteris. *Exc.*

2. Petri. 2. Eſai. 34.

78. Quòd ſi divinam iracundiam vitare volumus, & ſeveritatem ejus ad clementiam provocare cupimus, ſervemus erga Deum religionis cultum c cum timore; cuſtodiamos erga Principes noſtros pollicitam fidem atque ſponſionem; non ſit in nobis, ſicut in quibuſdam gentibus, infidelitatis ſubtilitas impia, non ſubdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina d: Nullus apud nos præſumptione regnum arripiat; nullos excitet mutuas ſeditiones civium; nemo meditetur interitus Regum: ſed & defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum ſacerdotibus ſucceſſorem regni Concilio communi conſtituant; ut dum unitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentis diſſidium per vim atque ambitum d oriatur.

c Atque timorem. C. A. *in quo amplius*: & uſque ad mortem cuſtod.

d Moliatur.

79. Quòd ſi hæc admonitio mentes noſtras non corrigit, & ad ſalutem communem cor noſtrum nequaquam perducit, audite ſententiam noſtram. Quicumque igitur à nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet conjuratione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gotthorum ſtatu vel e conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, f temeraverit, aut nece Regem attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit; anathema ſit in conſpectu Dei Patris, & angelorum, atque ab Eccleſia Catholica, quam profanaverit perjurio, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus, cum omnibus impietatis ſuæ ſociis: quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimilis error invenerit implicatos.

e Obſervatione. C. A.

f Tentaverit. C. A.

80. Quod iterum ſecundò replicamus dicentes: Quicumque amodò ex nobis, vel cunctis Hiſpaniæ populis, quolibet tractatu vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gotthorum ſtatu, vel conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit; anathema ſit in conſpectu Chriſti, & g Apoſtolorum ejus, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus; & ab omni conſortio Chriſtianorum alienus, & damnatus in futuro Dei judicio habeatur, cum comparticipibus ſuis. Quia dignum eſt, qui talibus ſociantur, ipſi etiam damnationis eorum participatione obnoxii teneantur.

g Angelorum. Exc.

81. Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes: Quicumque amodò ex nobis, vel cunctis Hiſpaniæ populis, qualibet meditatione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ ſalute gentiſque Gotthorum ſtatu, vel incolumitate regiæ poteſtatis pollicitus eſt, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit; ana-

thema ſit in conſpectu Spiritus ſancti, & Martyrum Chriſti, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni commonione Chriſtianorum alienos; neque partem juſtorum habeat, ſed cum diabolo & aogelis ejus æternis ſuppliciis condemnetur, unà cum eis qui eadem conjuratione nituntur: [h] ut par pœna perditionis conſtringat, quos in perniciem prava ſocietas copulat.

h Et. C. A.

82. Et ideo, ſi placet omnibus qoi adeſtis, [i] hæc tertiò reiterata ſententia, veſtræ vocis eam coonſenſo firmate. Ab univerſo clero vel populo dictum eſt: Qui contra hanc [k] veſtram defioitiooem præſumpſerit, anathema, maranatha, hoc eſt, perditio in [l] adventum Domini, ſit, & cum Juda Iſchariot partem habeat, & ipſi & ſocii eorum. Amen.

i Hoc tertio reiteratum ſententiæ veſtræ. *Exc.*
k Noſtram. *Exc.*
l Adventu. C. A.

83. Quapropter nos ipſi [m] ſacerdotes omnem Eccleſiam Chriſti ac populum admonemus, ut tremenda hæc, & totiens iterata ſententia nullum ex nobis præſenti atque æterno condemnet judicio; ſed fidem promiſſam erga glorioſiſſimum dominnm noſtrum Siſenandum Regem cuſtodientes, ac ſincera illi devotione famulantes, noo ſolùm divinæ pietatis clementiam in nobis provocemus, ſed etiam gratiam antefati Principis percipere mereamur, Amen.

m Et ſacerdos omnes ſanctam Eccleſiam. *Exc.*

84. Te quoque præſentem Regem, futuroſque ſequentiom ætatum Principes, humilitate quâ debemus depoſcimus, ut moderati & mites erga ſubjectos exiſtentes, cum juſtitia & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque viciſſitudinem qui vos conſtituit largitori Chriſto [n] reſpondeatis; regnantes [o] cum humilitate cordis, cum ſtudio bonæ actionis. Ne quiſquam veſtrûm ſolus [p] in cauſſis capitum aut rerum ſententiam ferat: ſed conſenſu publico, cum rectoribus, ex judicio manifeſto delioquentium culpa pateſcat, ſervatâ vobis in offenſis manſuetudine, ut non ſeveritate magis in illis, quàm indulgentiâ polleatis: ot dum omnia hæc, auctore Deo, pio à vobis moderamine conſervantur, & Reges in populis, & populi in Regibus, & Deus ln utriſque lætetur. Sanè de futuris Regibus hanc ſententiam promulgamus, ut ſi quis ex eis contra reverentiam legum ſuperba dominatione & faſtu regio in flagitiis, & facinore, ſive cupiditate crudeliſſimam poteſtatem io populis exercuerit, anathematis ſententiâ à Chriſto Domino condemnetur, & habeat à Deo ſeparationem, atque judicium, proptec quod præſompſerit prava agere, & in perniciem regnum [q] convertere.

Hæc omnia de formando optimo Principe, ferè deſumpta ex Auguſt. lib. 5. De civitate Dei, cap. 24. Sed felices eos dicimus (inquit) ſi juſtè imperant; ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, &c. per totum caput, in quo veram Regum felicitatem deſcribit.

85. De Svintilane verò, qui ſcelera propria metuens, ſeipſum regno privavit, & poteſtatis faſcibus exuit, id cum gentis conſultu decrevimus, ot neque eundem, vel uxorem ejus, propter mala quæ commiſerunt, neque filios eorum unitati noſtræ unquam conſociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti ſunt, aliquando [r] promoveamus; quique etiam, ſicut à faſtigio regni habentur extranei, ita & à poſſeſſione rerum, quas de miſerorum ſumptibus [s] hauſerunt, maneant alieoi; præter id quod pietate piiſſimi Principis noſtri fuerint conſequuti. Non aliter & [t] Gelanem memorati [u] Svintilani & ſaoguine & ſcelere fratrem, qui neque in germanitatis [x] fœdere ſtabilis exſtitit, nec fidem glorioſiſſimo domino noſtro pollicitam conſervavit: hunc igitur cum conjuge ſua, ſicut [y] & antefatos, à ſocietate gentis atque conſortio noſtro placuit ſeparari, nec in amiſſis facultatibus, in qoibus per iniquitatem creverant, reduces fieri; [z] præter id qood conſeqouti fueriot pietate clementiſſimi Principis noſtri: cujus gratia & bonos donorum præmiis ditat, & malos à beneficentia ſua [a] non ſeparat.

n Rependatis. *Exc.*
o In. C. A.
p In cauſſa captivum, aut reum ſententia feriat. *Exc.*
q Deducere. *Exc.*
r Provehamus. C. A.
s Auxerant. *Exc.*
t Geilanem. *Exc.*
u Svintilanæ. *Exc.*
x Fide. *Exc.*
y Et ante factum eſt.
z Præt. in id. C. A.
a Congruè non ſ.

86. Gloria autem & honor omnipotenti Deo noſtro, io cujus nomine congregati ſumus. Poſt hæc ſalus, & pax, & diuturnitas piiſſimo & amatori Chriſti domino Siſenando Regi; cujus devotio nos ad hoc decretum ſalutiferum convocavit. Corroboret Chriſti gloria regnum illius, [b] gentiſque Gotthnrum in Fide Catholica: annis & meritis protegat illum uſque ad ultimam ſenectutem [c] ſumma Dei gratia; & poſt præſentis regni gloriam ad æternum regnum tranſeat; [d] ut ſine fine regnet, qui [e] intra ſæculum feliciter imperat; ipſo præſtante qui eſt Rex Regum & Dominus dominantium, cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

b Genteſque. *Exc.*
c Summi. C. A.
d Et. C. A.
e In ſæculo. *Exc.*

87. Defioitis itaque iis quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt, annuente religioſiſſimo Principe, placuit deinde, nulla re impediente, à quolibet noſtrûm, ea quæ conſtituta ſunt, temerari; ſed cuncta ſalubri conſilio [f] conſervare: quæ quia profectibus Eccleſiæ & animæ noſtræ conveniunt, etiam propria ſubſcriptione, ot permaneant, roboramus [g].

f Conſervari. *Exc.*
g *In C. A.* Et ſubſcripſeruntomnes.

1. Ego Iſidorus in Chriſti oomine Eccleſiæ Spalenſis Epiſcopus Metropolitanus, [h] hæc ſtatuta ſubſcripſi.
2. Selva [i] Eccleſiæ Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus, ſubſcripſi.
3. Stephanus Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus, [k] ſubſcripſi.
4. Julianus Eccleſiæ Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus, ſubſcripſi.
5. Juſtus Eccleſiæ Toletanæ Metropolitanus Epiſcopus, ſubſcripſi.
6. Audax Eccleſiæ Tarraconenſis Metropolitanus Epiſcopus, ſubſcripſi.
7. Stephanus [l] Auſenſis Eccleſiæ Epiſcopos, ſubſcripſi.
8. Petrus [m] Veterenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
9. Acutulus [n] Elenenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſobſcripſi.
10. Nonnitus [o] Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
11. Conantius [p] Palentinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
12. Clarentius Accitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
13. Bigitinus Bigaſtrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

h Hæc conſtituens.
i Ego Iſclaa.
k Hæc ſtatuta ſub. C. A.
l Auſonenſis. *Unus Ms.*
m Beterrenſ. C. A.
n C. A. Flenenſis. *Alias* Finenſis.
o Venitus. C. A.
p *Alids* Apalentinæ. *Noſtri bené; vide Ildefonſ. catalogo* De viris illuſtrib.

14. Siſal-

14. Siſaldus Emporitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
15. Bonifacius Caurienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
16. Hilarius Complutenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
17. Euſebius Baſtitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
18. Gabinius Calagurritanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
19. Joannes [q] Ileplenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
20. Siſiſclus Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
21. Marcellus Urcitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
22. Deodatus Egabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
23. Joannes Dertoſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
24. Euſebius Valerienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
25. Leudeficus [r] Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
26. Jacobus Menteſanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
27. Germanus monaſterii Dumienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
28. Samuel Itienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
29. Profuturus Lamicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
30. Servus-Dei [s] Calabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
31. Monteſis Egitanienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
32. [t] Remaſſarius [u] Nemanenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
33. Concordius Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
34. Ranarius Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
35. Eugenius [x] Egarenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
36. Florentius Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
37. Theodoigius Abilenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
38. Abentius Aſtigitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
39. Pimenius Aſidonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
40. Etherius Eliberitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
41. Anatolius [y] Luthuenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
42. Fructuoſus Ilerdenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
43. Perſeverantius Caſtellonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
44. Muſitacius Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
45. [z] Viaricus Olyſſipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
46. Antonius Segobrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
47. Anſiulſus Portugalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
48. Serpentinus Illicitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
49. Suanila Oretanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
50. Metopius [a] Britanienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
51. Anaſtaſius Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
52. Ilpidius Tyraſſonæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
53. Ordulphius Oſcenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
54. Braulio Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
55. Anſericus Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
56. Iſdiſclus Segontienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
57. Epartius Italicenſis Epiſcopus Eccleſiæ, ſubſcripſi.
58. Lauſus [b] Vaſenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
59. [c] Modarius Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
60. Hiccila Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
61. [d] Baſconius Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
62. Egila Oxomenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
63. [e] Contaurus presbyter, vicarius Fidentii Tuccitani Epiſcopi, ſubſcripſi.
64. Renatus presbyter, vicarius Ermulfii Epiſcopi [f] Coimbrienſis, ſubſcripſi.
65. Marcus presbyter, [g] vicarius David Aurienſis Epiſcopi, ſubſcripſi.
66. Joannes presbyter, [h] vicarius Severi Barcinonenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.
67. Domarius archidiaconus, [i] vicarius Carterii Arcavicenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.
68. Stephanus archidiaconus, vicarius Geneſii Magalonenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.
69. Donellus archidiaconus, vicarius Solemnii [k] Carcaſſonenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.

q Ilipenſis. *Exc.*

r Leodeſredus.

s *Exc.* Lacobricenſ.

t Nemeſarius. *C. A.*

u *Supra cap. 3. eſt* Nemauſenſ.

x Egabrenſis. *C. A.*

y Lutiſenſis. *C. A.*

z Ubaricus. *C. A.*

a Britammenſis. *C. A.*

b Veſenſ. *C. A.*

c Moderarius. *C. A.*

d *In C. Lucenſi additur in margine ab amanuenſi:* Cujus anima vivit; eò quòd hic vir fuit ſanctitatis eximiæ.

e Centau. Eccleſiæ Tuccicanæ presbyter, agens vicem domini mei Fidentii. *C. A.*

f Coniembrienſ. *C. A.*

g Eccleſiæ Orienſ. presbyter, agens vicē domini mei David Epiſcopi. *A. C.*

h Agens vicem domini mei Sev. *C. A.*

i Agens vicem domini mei Cart. *C. A.*

k Arcacenſ. *C. A.*

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM
IN CONCILIUM TOLETANUM IV.

88. FUIT celebratum à ſexaginta duobus Epiſcopis, & ſeptem vicariis aliorum Epiſcoporum abſentinm, ex provinciis Hiſpaniæ & Galliæ Gotthicæ, anno tertio regni Siſenandi, Chriſti DCXXXIII. die decimo nono Decembris. Primns omnium ſubſcribit S. Iſidorus Metropolitanus Hiſpalenſis, ſecundus Selva Narbonenſis, tertius Stephanus Emeritenſis, qoartus Juliann Bracarenſis, quintus Juſtus Toletanns, ſextus Audax Tarraconenſis: nnuſquiſque eorum Metropolitanorum juxta antiquitatem ſuæ ordinationis, & nulla alia prælatione vel primatûs ſiguo inter ſe ſervato. Quod ipſum in aliis Hiſpaniæ Conciliis Nationalibus perpetuò factum fuiſſe jam aliàs monuimus, donec inclinante ſæculo hoc ſeptimo ſpecialis dignitas Primatûs conceſſa fuit Archipræſuli Toletano, quamvis recentiùs ordinato: ut ſuo loco oſtendemns. Reliqui Epiſcopi juxta ſuum ordinem ſubſcribunt.

89. Notanda verò eſt, ac perpetuis laudibus celebranda, pietas & humilitas Siſenandi Hiſpaniæ Regis, de quo Patres congregati in ipſa præfatione ajunt: *Dum ſtudio amoris Chriſti ac diligentiâ religioſiſſimi Siſenandi Regis, Hiſpaniæ atque Galliæ ſacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini convenirſſemns, ut ejus imperiis atque juſſis communis à nobis agitaretur de quibuſdam Eccleſiæ diſciplinis tractatus; primùm gratias ſalutari noſtro Deo omnipotenti egimns; poſt hæc antefato miniſtro ejus excellentiſſimo & glorioſiſſimo Regi, cujus tanta erga Deum devotio exſtat, ut non ſolùm in rebus humanis, verùm etiam in cauſſis divinis ſolicitus maneat. Hic quippe dum in Baſilica beatiſſimæ & ſanctæ Confeſſoris Leocadiæ omnium noſtrorum pariter jam cætus adeſſet, tali pro merito Fidei ſuæ, cum magnificentiſſimis viris ingreſſus, primùm coram ſacerdotibus Dei humo proſtratus, cum lacrymis & gemitibus pro ſe interveniendum Domino poſtulavit; deinde religioſa proſecutione Synodum exhortatus eſt, ut paternorum decretorum memores, ad conſervanda in nobis jura Eccleſiaſtica ſtudium præberemus, & illa corrigere quæ dum per negligentiam in uſum venerunt, contra Eccleſiaſticos mores licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt. Talibus igitur ejus monitis congaudentes, neceſſarium exſtitit, juxta noſtrumque votum tractare quæ competunt, ſive in ſacramentis divinis, quæ diverſo atque illicito modo in Hiſpaniarum Eccleſiis celebrantur, ſeu quæ in moribus pravè uſurpata noſcuntur. Et quoniam Generale Concilium agimus, oportet primùm noſtræ vocis ſermonem de Deo eſſe; ut poſt profeſſionem Fidei, ſequentia operis noſtri vota, quaſi ſuper fundamentum firmiſſimum diſponantur.*

90. Porrò cùm Concilium iſtud celebratum fuerit anno Chriſti DCXXXIII. ac proinde ſeptimo Honorii I. Pontificis (quem Honoroſium nominat Codex antiquiſſimus Ms. octingentorum ſeptuaginta circiter annorum Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ) oportet eundem Pontificem intelligamus annuiſſe ut hæc Synodus Nationalis Toleti cogeretur, aut ſaltem ratam poſtea habuiſſe: præſertim cùm Canone III. ipſius ad exponendam quæſtionem de triplici aut ſimplici merſione in baptiſmo, dicant ipſi Patres: *Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis: non noſtram, ſed paternam inſtitutionem ſequentes.* Deinde cùm S. Iſidorus ſummè venerator Sedis Apoſtolicæ ibi intereſſet, & præſideret; non modò ut Metropolitanus antiquior, ſed tanquam magiſter omnium; credendum eſt ipſum antea monuiſſe Papam Honorium de neceſſitate Synodi Nationalis celebrandæ, & ab ipſo licentiam impetrâſſe, aut ſaltem poſtea ratihabitionem confirmationemve. Fortaſſis quoque in hoc Concilio accidit, ut Patres congregati eundem Iſidorum hortarentur ad faciendam Collectionem univerſalem Canonum, Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium: ut dicitur in ejus Præfatione à nobis exhibita, & multis Diſſertationibus vindicata ſub initium Tomi I. in Apparatu hujus Operis. CARD. DE AGUIRRE.

91. *SYNODUS QUARTA.*] Quartum Concilium Toletanum Rodericus lib. 2. cap. 19. affirmat ſub Juſto regiæ urbis Primate fuiſſe celebratum. Joannes Magnus lib. 16. cap. 17. perperam ſub Eugenio. Eſt Concilium Nationale: nam Cinthilæ Regi, qui primus ex omnibus Regibus Gotthis, pulſis Romanis, totum Hiſpaniæ regimen obtinuit, ſucceſſit Siſenandus: qua de cauſſa, ut Imperium obfirmaret, convocavit totius gentis, & omnium provinciarum Synodum.

92. *Erâ DCLXXI.*] Rodericus aliter: nam affirmat Siſenandum regnare cœpiſſe Erâ DCLXXIII. & regnâſſe annos v. menſes XI. Lucas Tudenſis ſic habet: *Erâ DCLXXI. anno Imperii Heraclii xviii. poſt Cinthilanum Regem Siſenandus regnat annis tribus. Iſte Synodos Epiſcoporum egit, patiens fuit regulis Catholicis, orthodoxus exſtitit, Toleto vitam finivit Erâ DCLXXIV.* Verùm ſequor fidem Codd. Mss. qui omnes conſtantiſſimè legunt, tertio anno Siſenandi editum, Erâ DCLXXI. quam computationem amplectitur Joannes Vaſæus. LOAISA.

93. Vide providentiam Dei ſingularem erga ſuam Eccleſiam. Hoc ipſo anno DCXXXIII. Cyrus Epiſcopus Alexandrinus Synodum coëgit, quæ ſub fucato pacis nomine viam latam aperuit hæreſi Monothelitarum eo tempore graſſanti. Nimirum ſub prætextu conjungendi Eccleſiæ Catholicæ hæreticos omnes in Ægypto verſantes, voluit ut voces duarum voluntatum, & duarum

rum

rum in Chriſto operationnm, ſilentio premerentur, ſatiſque eſſet profiteri in Chriſto Theandricam, ſive Dei-virilem voluntatem & operationem, In enm finem edidit decretnm ſynodale, qnod *Satisfactionem* nominavit, conſtans novem capitibus ſuſpectis de Monotheliſmo. Acta ejus Synodi habentur in Synodo VI. Generali Actione XIII. ſimul cum Epiſtola ſynodali tranſmiſſa ad Sergium Patriarcham CP. Inde plnres aliæ Synodi ſecutæ ſunt eâdem lue Monotheliſmi infectæ, qnarum breviter mentio fit apud libellum ſynodicum GL. & in editione Concilior. Labbeana Tomo V. col. 1694. & ſeqq. Similiter eodem anno DCXXXIII. prædictus Sergius aliam Synodum Conſtantinopoli coëgit faventem eidem hæreſi. Verùm eo ipſo anno vidемus Hiſpali congregatam iſtam doctiſſimam Synodnm, Præſide ſapientiſſimo Doctore S. Iſidoro, in qua tot Canones divinâ prudentiâ editi ſunt, & omnes hæreſes circa Chriſtum Dominum anathematizatæ fuerunt Canone I. etiam illa Monothelitarum, quamvis non ſub ea appellatione; ut apparebit conſideranti penitiùs Canonem ipſum, præſertim verbis illis de Chriſto: *Habent in una perſona naturarum duarum proprietatem*, &c. CARD. DE AGUIRRE.

94. *Confeſſoris Leocadia.*] Leocadia fuit Toletana civis, ex nobiliſſimis parentibus orta: virgo pro Fide Chriſti à Daciano, nominis Chriſtiani immaniſſimo hoſte, capta, in carcerem truſa: nbi piè & ſanctè orando, vitam ſquallore & fame finivit. Exſtant in regia urbe tres Eccleſiæ ei dicatæ, duæ collegiatæ, ferè collapſæ, tertia parochialis. In illa verò quæ eſt in ſuburbio Tago impoſita, corpus ejus ſepulturæ honorificè fuit traditum: cujus rei cauſsâ, parva & exilis illa Baſilica, magnorum fuit Conciliorum altrix & mater: altera, quæ eſt in arce regia, ejus carcer fuit: parochialis, nobilium parentum domus, & ſanctæ educationis domicilium. Ejus venerandum corpus, cùm Sarraceni Hiſpaniam invaſiſſent, in Belgas delatum, in monaſterio S. Gisleni apud Monſdehenao, honorificè cultum. Poſtea à Joanna Regina Philippi I. uxore, crus Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ in nave aurea, gemmis ornata, devotionis cauſsâ dicata; tandem Philippo II. Rege clementiſſimo, Alexandro Farneſio Pro-rege apud Belgas, ſtudio & diligentia Petri Martinez Patris Societatis Jesu, corpus ſecretò in Hiſpaniam delatum, honorificè priſtinæ civitati & Eccleſiæ ſolenni pompa reſtitutum; adſtantibus Philippo Rege & Principe, & Maria Augnſta, & Eliſabeth filia natu majore Philippi, qui unà cum Philippo Principe, & Hiſpaniæ proceribus, corpus humeris impoſitum, in Baſilicam majorem piè & humiliter intromiſit die 26. April. an. Dom. MDLXXXVII. Quibus omnibus interfui.

95. *Confeſſoris.*] Martyr & Confeſſor, ſi nominis vim perpendas, & veteris Eccleſiæ uſũ, & hodie Eccleſiaſtica officia, diverſimodè accipiuntur; tamen aliquando in eadem ſignificatione uſurpatas voces reperies. Martyr dicitur qui pro Chriſti Fide conſtans in agone occubuit. Hæc communior acceptio eos quoque amplectitur, qui extrema paſſi, miraculo ſervati, vitam diutiùs protraxerunt; & eos, qui non tantùm ferro, igne, & aliis diris ſuppliciis necati, ſpectaculum mundo facti, ſed fame & ſquallore, inedia, fœtore, carceribus cluſi ultimum ſpiritum læti Deo reddiderunt: nt Cyprianus eſt auctor libri *De duplici martyrio*; ſi ejus eſt. Confeſſor dicitur, qui pro Chriſti Fide captus, coram Fidei hoſtibus publicè & palam Fidem profeſſus, tormentis non potuit adigi ut Fidem abnegaret. Hac ſtrictiori ſignificatione à Patribus hæc vox eſt uſurpata; ut auctor eſt idem Cyprianus epiſtolâ VI. & VII. lib. 2. & Hieronymus epiſtolâ LXXXIV. Fueruntque hi viri in Eccleſia magno honore ſemper habiti, ut ex epiſtolis Cypriani patet, & Conciliis, & ex literis Confeſſoriis, qnibus ab Epiſcopis in peregrinatione magnopere commendabantur. Si verò aliquid tormentorum eſſet expertus, non tamen in martyrio occubuiſſet; tunc Martyr & Confeſſor dicebatur: quamvis Tertulliano libro *Ad Martyres*, hi non ſimpliciter Martyres appellantur. De diverſa harum vocnm acceptione conſule epiſtolas Cypriani. Tamen uſus poſtea obtinuit, ut omnes qui ſanctè & piè vitã traduxiſſent, & ſancto probato fine in Domino quieviſſent, Confeſſorum titulo colerentur. Hîc verò Leocadia vocatur Confeſſor, quia non ferro, ſed carceris ſquallore & fœtore, & inedia extremum diem clauſit. Cod. Albeldenſis addit, *& Martyris*: ſimiliter excuſi: & in peculiari feſto, ei in Eccleſia Toletana dicato, Virgo & Martyr dicitur.

96. AD CAP. I. *Suſcipiens hominem.*] Phraſis eſt Patrum, quam ſcholaſtica Theologia meritò propter hæreſes non ſuſcipit, quin potiùs hac utitur: ſuſcepit humanitatem. Priorem dicendi formulam uſurpat Auguſtinus lib. 83. *Quæſtionum*. quæſt. 9. & *De Fide & Symbolo*, cap. 4. & lib. 9. *De civitate Dei*, cap. 17. Et Ambroſius lib. 5. *De Fide*, cap. 5. Origenes *In Matth.* 13. Hieronymus *Ad Galatas*. Gregorius Nyſſenus in *Sermone Natalis Domini*. Hilarius lib. 9. *De Trinit.* & Concilinm Toletannm VI. Can. I. & D. Thom. 3. part. quæſt. 4. art. 3. ad princ. affirmat, hanc locutionem non eſſe tanquam propriam extendendam, ſed piè exponendam; ut dicamus hominem ſuſceptum, quia ejus natura eſt aſſumpta; & quia aſſumptio terminata ad hoc, nt Filius Dei ſit homo. Concilio Toletano VI. Can. I. dicitur hominem aſſumpſiſſe.

97. CAP. II. *Antiqui Canones.*] Ut Concilium Venetum ſtatuit ſub Leone I. cap. 15. & Bracarenſe I. anno tertio Ariamiri Regis cap. 1. & Epaunenſe ſub Gelaſio I. cap. 4. & Concilium Gerundenſe ſub Hormiſda cap. 1. Atque hæc quidem ſunt antiqna Patrum decreta, quibus præſcribitur, ut unus pſallendi & orandi ordo ſervetur in Miſſarum ſolennibus, & Veſpertinis & Matutinis officiis. Idem etiam poſtea ſtatutum eſt in Concilio Toletano XI. cap. 3. ut is ordo ubique ſervetur qui in Metropolitana Eccleſia noſcitur inſtitutus. Demum in Tridentino Concilio Catechiſmum, Miſſale, & Breviarium fieri decretum eſt, qnibus univerſalis Eccleſia nteretur. Quod à ſancto Pontifice Pio V. confectum, magna

gna

gna Chriſtiani populi unitate obſervatur. Sunt qui affirment curam in hoc Concilio S. Iſidoro Hiſpalenſi hujus rei traditam (utpote qui primas partes in hoc Concilio tenuit) ut Miſſale & Breviarium reformatum ex more Gotthico omnibus Eccleſiis utendum conficeret, quod nunc dicitur *Moz-arabe*; eò quod hanc ſacrorum formam poſtea Chriſtiani inter Arabes in captivitate miſerabili preſſi, religiosè ſervaverint; ipſi Mixt-arabi, officium Eccleſiaſticum Mixt-arabum appellatum. LOAISA.

98. Porrò Breviarium ipſum Mixt-arabum, tam olim manuſcriptum, quàm poſtea editum à Cardinale inſigni Ximenez Præſule Toletano, dicitur à priſcis ſæculis Iſidorianum, veluti ordinatum ſive in meliorem formam redactum à Sancto Iſidoro. In ejus Codice antiquiſſimo Æmilianenſi dicitur (citatis in id Juliano ac Felice Præſulibus Toletanis ſeptimi ſæculi) ſeptem diſcipulos S. Jacobi, Torquatum ac ſocios, in Hiſpaniam attuliſſe ordinem celebrandi Miſſam ibidem contentum, quem ab Apoſtolis acceperant. Fuit ille communis olim in Hiſpania. CARDIN. DE AGUIRRE.

99. *Unus ordo orandi atque pſallendi*, &c.] Priſci certè Canones id decreverant tantùm de Eccleſiis unius provinciæ, & uni obnoxiis Metropoli, ut unam officiorum formam omnes tenerent. Et eorum tamen auctoritate conſultiſſimè hujus Concilii Patres nituntur, ut idem in regni unius provinciis & Metropolibus compluribus decernant. Cùm enim Epiſcopi ii, & Metropolitani jam omnes in unum veluti corpus concreſcant, omneſque in eadem univerſalia conveniant Concilia, eâdem operâ videntur omnes unius regni provinciæ in unam provinciam coaluiſſe. Quòd ſi vel ipſum ſolum Concilium Nationale ſpectes, ubi Metropolitanos & Epiſcopos univerſos neceſſe eſt eiſdem intereſſe officiis, eadem celebrare ſolennia, eidem omnes ſolenniori adeſſe ſacrificio; hæc omnia certè fieri nequaquam poſſunt, ſi ſuum quiſque celebrandi vel canendi ritum habeat. Fecit hujus incommodi ratio, quæ vel ipſa per ſe occurrerit, ut Provincialia Concilia obſervandum in provincia illum officiorum ordinem præſcriberent, quem Eccleſia Metropolitana ſervaret. Videtur & hæc eadem effeciſſe ratio, ut Nationale Concilium idem in regni unius provinciis omnibus vellet obſervari. Id autem quàm neceſſarium ſit faciliùs intelliges, ſi fingas tale aliquid hodie conſtitui, ut omnes qui in eadem ſortè ſunt urbe clerici, divinis interſint cum urbis clero officiis, & communem ſuo quiſque loco & ordine Miſſam celebrent, aut ſacra careant communione. Fecit eadem aliquando ratio, ut inferiùs dicetur, ut de inſtituendo in Eccleſia tota Romano & officio & ordine deliberatum ſit; quæ res jam obtinuiſſet in Hiſpania, ſi uti Bracaræ, ita & Toleti Romani ordo Officii ſuiſſet ſuſceptus. THOMASSINUS *De Benefic.* Tom.I. lib.2. cap.76. num.4.

100. CAP. III. *Bis in anno*.] Antiquum Apoſtolorum decretum fuit, ut bis in anno Concilia haberentur, cap. 38. Idem Concilium Nicænum ſancit, & Hormiſda Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap.3. & Zacharias Epiſt.IV. & Aurelianenſe Concilium III. Can. I. & IV. cap. 36. poſtea decretum fuit, ut ſemel in anno congregarentur, ut in Concilio Toletano III. cap. 18. Idem Gregorius Magnus ad Epiſcopos Siciliæ. Poſtea id ipſum temperatum, ut tertio quoque anno cogerentur Concilia Provincialia. Sic in Concilio Matiſconenſi II. cap.20. & Lateranenſi III. ſeſs.10. & Concilio Tridentino ſeſs.24. cap. 2. Tempus verò congregationi aptum decernitur autumnale; ut liquet ex III. Concilio Toletano cap. 18. vel vernale, ut hîc: vel poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſeu alio denique commodiore tempore fieri id conceditur, pro more cujuſque provinciæ. LOAISA.

101. Sæpè in decurſu Operis hujus monnimus quantum momenti afferant frequentia Concilia, præſertim Provincialia, ad puritatem Fidei & diſciplinam Eccleſiaſticam conſervandam ne cadat, aut reſtituendam ſi labefactari cœpit. Certè hoc ſæculo longè pauciora in Hiſpaniis & novo Orbe celebrata videmus, quàm præcedenti, cum jactura diſciplinæ prædictæ. CARD. DE AGUIRRE.

102. CAP. IV. *Presbyteri à tergo eorum reſideant.*] Nullus presbyterorum vocem deciſivam in Conciliis habebat; quicquid Michaël Thomaſius commentetur; neque laïci, licèt imperiali dignitate præfulgeant: ſolis enim Epiſcopis cauſſa Fidei eſt conceſſa, ut veris judicibus. De qua re vide Oſium lib. 2. adversùs Brentium, De legitimis Eccleſiæ judicibus. Baſilius etiam Imperator in VIII. Synodo id atteſtatur. Et ſi Regum & Imperatorum ſubſcriptiones in Conciliis reperiuntur, perpēde eas diverſas eſſe à verbis ſubſcriptionum Epiſcoporū, neque reperiri niſi in cauſſa communi Fidei, ut eorum auctoritate & imperio decreta Patrum aptiùs cuſtodiantur. Unde Theodericus Rex Catholicus dicebat, nec aliquid ad ſe pertinere de Eccleſiaſticis negotiis, propter reverentiam: cap. *Concilia ſacerdotum*. diſt. 17. LOAISA.

103. *Diaconus albâ indutus Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciat.*] Nimirum, Codicem illum antiquum, quo Eccleſia Hiſpaniæ uſa fuiſſe creditur à tempore Concilii Eliberitani & deinceps, facta ipſi additione recentiorum Canonum, prout decurſu temporis condebantur. Ejus Indicem nunquam hactenus editum, damus initio Tomi III. CARD. DE AGUIRRE.

104. CAP. V. *Archidiaconus*.] Pro officii mei honore & dignitate, non gravabor apponere aliquid de ejus functionis cura. Non inſtituitur archidiaconus, niſi fuerit diaconus: ut Urbanus Papa decrevit in Concilio Arvernæ celebrato, & Calliſtus, & Innocentius II. Debet enim is eſſe, qui prudentia & merito vitæ clareſcat. Eſtque coadjutor Epiſcopi in ordinatione clericorum. De hoc Iſidorus Hiſpalenſis ad Laudefredum ſic inquit: *Archidiaconus imperat ſubdiaconis & levitis: ad quem iſta pertinent miniſteria: ordinatio veſtiendi altaris à levitis; cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſolicitudo; quis levitarum ad populum Evangelium legat; quis preces dicat, ſeu reſponſoria*

in

in Dominicis diebus aut ſolemnitatibus decantet. Solicitudo quoque paræciarum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam; pro reparandis diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit ſacerdoti; ipſe inquirit paræcias cum juſſione Epiſcopi, &c. Quæ habentur diſt. 25. & adducuntur ab Innocentio III. *De officio archidiaconi*, cap. 7. Officium etiam archidiaconorum tradit Iſidorus lib. 2. *De Eccleſiaſt. officiis*, cap. 8. Subſcribunt archidiaconi in Conciliis voce conſultiva & deciſiva; ut patet ex ſubſcriptionibus Concilii XI. Toletani: *Gudila archidiaconus Toletanus hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi*. Rege Wamba Erâ DCCXIII. & Quiricio Archiepiſcopo Toletano. Similiter in XIII. & XV. ſubſcribit Ubiſandus archidiaconus. Cœperuntque ita ſubſcribere archidiaconi in Conciliis Toletanis, à Concilio Toletano VIII. & deinceps. Loaisa.

105. Præter hæc officia à S. Iſidoro indicata habebat olim alia archidiaconus, tondendi comam & profanas veſtes auferendi clericis, quamvis invitis, ut palam ſtatuitur Can. XX. Concilii Agathenſis celebrati anno DVI. Quod poſtea inſtauravit Conc. Londinenſe an. MCCLXXXVI. Can. V. Card. de Aguirre.

106. Cap. VI. *Trinam quidam, quidam ſimplam merſionem faciant.*] Trina merſio cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus ſancti in principio Eccleſiæ celebris, & à Patribus in uſu poſita, ad Fidem ſanctæ & individuæ Trinitatis, unitatem & diſtinctionem ſtabiliendam, & populos docendam. Inſignis eſt locus Ambroſii lib. 2. *De Sacramentis*, cap. 7. *Interrogatus* (inquit) *credis in Deum Patrem omnipotentem? dixiſti: Credo. & merſiſti; hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus? dixiſti: Credo. & merſiſti; ideo & Chriſto es conſepultus. Tertiò interrogatus es: Credis in Spiritum ſanctum? Credo. & tertiò merſiſti: ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis ablueret trina confeſſio*. Hæc Ambroſius. Idem comprobat Canon Apoſtolorum 50. *Si quis Epiſcopus*. Tertullianus lib. *Adversùs Praxeam*, cap. 26. Athan. quæſt. 125. Auguſtin. homil. 3. apud Gratian. diſt. 4. & Hieronym. *Adverſ. Luciferian.* S. Chryſoſtomus hom. 24. *In Joan.* Omnes hi Patres in ea ſunt ſententia, ut trina merſione conferendum ſit baptiſma. Verùm in Hiſpania ſimpla merſione conſertue, infundendo aquam ſupra caput baptizati, ex decreto Gregor. Magni lib. 1. *Regiſt.* epiſt. XLI. ad Leandrum Hiſpalenſem: & habetur *De conſecr.* diſt. 4. cap. *De trina merſione*. De hac re vide quid ſtatuat S. Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 8. Loaisa.

107. Luculenta eſt ad dilucidandum hunc Canonem Epiſtola quædam Martini Epiſcopi Bracarenſis *De trina merſione*, quam ineditam penes nos habemus ex Codice Toletano, cum aliis ejuſdem Præſulis monumentis. Licèt autem alibi monuerimus, nos illa omnia in aliud tempus & locum deſtinâſſe; tamen quia nonnihil lucis affert ad hunc Canonem illuſtrandum; viſum hoc loci eam publicæ luci committere. At quia nimis Notarum ſeriem interrumperet, in earum calcem rejicere decrevimus. Vide ergo lector & fruere. Card. de Aguirre.

108. Cap. VII. *Venerabilem diem.*] Antiquum Eccleſiæ morem obſerva celebrandi hebdomadam ſanctam in Quadrageſima, & prædicandæ crucis myſterium, & confitendi peccata, eaque abſolvendi, accipiendi denique corpus & ſanguinem Chriſti in die ſancto & venerabili Dominicæ Reſurrectionis. Quem morem etiam nunc Catholica Eccleſia ſanctiſſimè & religioſiſſimè colit. Indeque ſtatutum eſt in Concil. Lateranenſi cap. 21. ut omnis utriuſque ſexus ſuſcipiat reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ ſacramentum. Loaisa.

109. *Indulgentiam criminum clara voce, &c.*] Quæſo lector, an omnis populus erat pœnitens, nulluſque fidelis? conſtabant Hiſpaniarum Eccleſiæ ſolis pœnitentibus? Solebant igitur ſacris illis diebus peccatorum remiſſionem non modò pœnitentibus propriè dictis, ſed etiam fidelibus concedere. Criminum ergo minus gravium erat confeſſio pœnitentia, & abſolutio privatim conceſſa: ſed poſtremam non ſecus ac ſi publica fuiſſet, Chriſtiana plebs illis diebus potiſſimùm ſibi procurare ſatagebat, ut non ſemel animadverſum eſt. Huc etiam referri poteſt vulgatum S. Innocentii dictum Epiſt. I. cap. 7. *De gravioribus & levioribus peccatis quæ in Cœna Domini remitti ſolent*. Morinus. *De pœnitentia*, lib. 6. cap. 31. num. 21.

110. Cap. VIII. *Jejunium tanti diei polluunt.*] Ita loquuntur PP. Toletani de iis, qui feriâ ſextâ ante Paſcha veſcebantur ad horam nonam, ſive juxta alia Mss. ab hora nona. Nemini enim tunc in diebus Quadrageſimæ veſci licebat uſque ad veſperam: nimirum uſque ad tranſactas integrè tres horas poſt nonam: id eſt, uſque ad ſex horas poſt meridiem. Multò autem magis id debebat fieri ſextâ feriâ ipſius Dominicæ Paſſionis, quâ, ut inquit Bernardus, *vel ſceleratorum hominum corda ad pœnitentiam provocantur*. Licèt autem poſt ſæculum XII. paullatim magis ac magis anticipata fuerit hora prandii, uti hodie fieri videmus, in diebus Quadrageſimæ; ſemper tamen habetur ratio aliqua diei Veneris ſancti, ut vocant: nam innumeri eo ſacratiſſimo die in pane & aqua jejunant, quamvis horam ſolitam aliis diebus ſervent in veſcendo. Card. de Aguirre.

111. Cap. IX. *Benedicimus.*] In cerei novique luminis benedictione Theodorus PP. 73. ſub Petro, & D. Ambroſius, D. etiam Auguſtinus, & Petrus Diaconus Caſſinenſis elaborârunt. Eam autem, quâ nunc Romana Eccleſia utitur, à D. Gregorio Magno compoſitam, muſiciſque tonis ornatam, ferunt. Loaisa.

112. Præcipit per omnes Hiſpaniæ Eccleſias in pervigilio Paſchæ novum ignem & cereum benedici. Hujuſce ritûs, qui nocte ipſa quæ Dominicam Paſchæ diem antecedit, peragebatur ſolenniter circa dimidium noctis, mentio quoque eſt apud Albinum Flaccum, ſive Alcuinum, libro *De divinis officiis*, ſub titulo *De ſabbatho ſancti Paſchæ*. Meminere pariter Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis lib. *De Eccleſiaſt. officiis*, cap. 118.

& Walafridus Strabo *De rebus Eccl.* cap. 30. Rabanus Maurus lib. 2. *De inſtitutione cleric.* cap. 38. qui omnes auctorem iſtius ritus nominant Zoſimum Papam. CARASSUTIUS.

113. CAP. X. *Quiſquis ergo ſacerdotum.*] Dominicam orationem in ſacrificio Miſſæ, vel publico vel privato, eſſe dicendam, Chriſtus docuit, auctore D. Hieronym. lib. 3. adversùs Pelagianos: *Sic docuit* (inquit) *Chriſtus Apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui: Pater noſter qui es in cœlis.* Gregorius lib. 7. Epiſt. LXIII. *Mos fuit* (inquit) *Apoſtolorum, ad ipſam orationem Dominicam immolationis hoſtiam conſecrare.* Tertullianus idem videtur ſentire lib. *De oratione*, cap. 9. Deinde Eccleſia poſt conſecrationem, & Canonem, Dominicam orationem dici præcepit, ut teſtatur Ambroſius *De ſacram.* cap. 4. Auguſt. ſerm. *De verbis Domini*, 28 LOAISA.

114. *Quiſquis ergo ſacerdotum, &c. orationem Dominicam, &c.*] Cùm magnis rationum momentis conſtituiſſet inſeri divinis officiis orationem Dominicam, abdicationis pœnâ percellit denique eos, qui illam vel publicè vel privatim in recitando curſu canonico prætermiſerint. *Quiſquis ergo ſacerdotum vel ſubjacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut in privato officio, prætererit, propter ſuperbiam judicatus, ordinis ſui officio multetur.* Diſertius nihil optari potuerat. Iſtud enim privatum officium, quod à publico hîc ſecernitur, non poteſt aliud fingi, quàm privata recitatio horarum canonicarum, cui frequens oratio intertexitur Dominica. De celebratione Miſſæ nemo ſobrius id intellexerit, tum quòd non quotidie ea à quolibet recitaretur, ſaltem ex officio; tum quòd hac pœna implicantur, ſicut & hoc ſtatuto, non ſoli presbyteri, ſed clerici prorſus omnes. *vel ſubjacentium clericorum.*

115. Si abdicantur autem gradu & dignitate quicumque deinceps prætererint orationem Dominicam in privata recitatione officii; quid ſi totũ officium prætererint? Si poſſunt enim impunè in tutum ſuperſedere ab officii recitatione, poſſunt & abſtinere à recitanda oratione Dominica. THOMASSINUS *De Benefic.* To. I. lib. 2. cap. 76. n. 8. & 9.

116. CAP. XI. *Alleluia.*] De hujus vocis uſu in Eccleſia Romana & ſignificatione conſule D. Hieronym. Epiſt. VII. & XXVII. & ad Marcellam Epiſt. CXXXVII. & Gregor. in *Regiſt.* lib. 7. Indict. 2. Epiſt. LXIII. Auguſtinus in Pſalm. 106. teſtatur, uti in Eccleſia Alleluiâ eſſe antiquam Eccleſiæ traditionem: & ad Januarium Epiſt. CIX. cap. 17. & lætis dumtaxat temporibus cani jam ab Apoſtolico ſæclo, ut in Paſchate, idem in Epiſt. ad Caſulanum. Erat Alleluia carmen muſicum ruſticorum, & cum operi agreſti incumberent, Alleluia cantabant: inde in tonis muſicis Eccleſiæ uſurpatum. Iſidorus lib. *Etymol.* 6. cap. 19. *Alleluia duorum* (inquit) *verborum interpretatio eſt, hoc eſt, Laus Dei; & eſt Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum jubilo, & lætitia, & cantu: unde in cœlo auditur, ubi omnia cantica ſunt læta, & perpetuum Alleluia.* Apocalypſ. 19. Juſtinus Martyr q. 50. ad Orthodoxos Alleluia collaudare interpretatur. Idem Aug. 2. *De doctrina Chriſtiana*, cap. 10. Et Theodoretus ad Pſalm. 146. Hinc illi Pſalmi qui ad laudem Dei, & lætitiam animi ordinantur, Alleluiatici vocantur à D. Auguſtino Pſalm. 105. Unde aliud ſignificat Alleluia, quàm Laus tibi Domine: nam Alleluia eſt laus Dei cum lætitia & cantico: quare certis diebus canitur, & non omni tempore, ut inquit Auguſtinus Pſalm. 106. Quòd verò Alleluia non cantetur in Quadrageſima, Iſidorus eſt auctor lib. 1. *De Eccleſ. offic.* cap. 13. ubi inquit: *Verùm apud nos, ſecundùm antiquam Hiſpaniarum traditionem, præter dies jejuniorum, vel Quadrageſimæ, omni tempore canitur Alleluia.* Idem Gregorius lib. 7. Epiſt. LXIII. Auguſtinus in *Enarrationibus* in Pſalm. 118. fusè hoc argumentum proſequitur. LOAISA.

117. Tempore hujus Concilii *Alleluia* nondum intermittebatur à Dominica Septuageſimæ, ſed ab initio Quadrageſimæ uſque ad Paſcha. Sic etiam fuiſſe ſervatum ſæculo quinto colligitur ex S. Auguſtino in Pſalmum 110. ac ſæculo ſexto ex S. Benedicto in *Regula* ſua, cap. 15. Alleluia porrò non eſt una aliqua ſimplex dictio, ſed compoſita ex duabus. nimirum הללו *Hallelu*, & יה *Iah*: ſignificatque laudare Deum, non qualitercumque, ſed cum exultatione, lætitiâ, & cantu. Plura de hoc lege apud Sanctem Pagninum in *Theſauro linguæ ſanctæ*, Lorinum in Pſalmum 114. Alcaſarem in Apocal. cap. 19. ac recentiùs apud pliſſimum & eruditiſſimum Cardinalem Bona To. II. Tract. *De divina pſalmodia*, cap. 16. ubi & allegat Canonem hunc pag. mihi 461. CARDINALIS DE AGUIRRE.

118. CAP. XII. *Laudes poſt Apoſtolum.*] Laudes vocat hymnum trium puerorum, de quo infrà cap. 14. Berno Abbas facit Gregorium I. auctorem hymni trium puerorum dicendi in fine Miſſæ. Eſtque hymnus vox Græca, laudes ſignificans; unde illud, *hymno dicto*, Matth. 26. quo laudes Deo decantatas poſt cibum ſignificat. Hodie dicto Evangelio dicitur à ſacerdote: Laus tibi Chriſte. verùm laudes more Romano poſt Epiſtolam leguntur.

119. *Poſt Apoſtolum non laudes, ſed Evangelium annunciari.*] Plerique Miſſæ expoſitores, tam veteres quàm recentiores, de Gradualis antiquitate agentes, gravi ſe difficultate involvunt propter decretum Concilii IV. Toletani, quod celebratum fuit ſub Honor. Papa an. DCXXXIII In eo ſiquidem Canone XII. non obſtante quòd dudum Gregorius Magnus Reſponſorium poſt Epiſtolam cantari ſtatuiſſet; ſancitum fuit ut immediatè poſt Epiſtolam Evangelium legeretur, nulla facta Reſponſorii interpoſitione. Putat Berno Augienſis cap. 1. tempore hujus Concilii Gradualia frequentari cœpiſſe, & Hiſpanos novitate rei perculſos reſtitiſſe: poteſt verò Romanæ Eccleſiæ auctoritate conſtitutum fuiſſe, ut *Reſponſoria & Alleluia* ante S. Evangelium canerentur. Idque ait Walafridus Strabo cap. 22. uſu Romano commendatum, ad omnes deinde Latinorum Eccleſias perveniſſe. Sic omnes ferè ignorantiâ facti

hunc

hunc nodum evadunt, ſed non ſolvunt. Ad ritum enim Moz-arabicum, quo tunc Hiſpania utebatur, & longo pòſt tempore ibidem viguit, pertinet iſte Canon: quem ritum cùm quidam ſacerdotes perverterent, meritò in illos Toletani Concilii Antiſtites, Iſidoro Hiſpalenſi in eo præſidente, animadverterunt. Sunt autem laudes quæ poſt Euangelium priſco more Hiſpaniarum dicuntur, non hymnus trium puerorum, ut ait in Notis ad præcitatum Canonem Garſias Loaïſa, ſed verſiculus cum *Alleluia* ei prorſus ſimilis, qui ritu Romano poſt Reſponſorium cantatur. Ipſum verò Reſponſorium cantabant Hiſpani poſt Lectionem Veteris Teſtamenti, quæ in eodem Miſſali Epiſtolæ præmittitur. At poſt Epiſtolam chorus reſpondet *Amen*, & ſequitur immediatè Euangelium. Eodem ferè ritu utuntur Ambroſiani: nam poſt Lectionem Veteris Teſtamenti ſequitur Pſalmellus quem vocant inſtar Gradualis Romani. At verſum cum *Alleluia* concinunt poſt Epiſtolam. In Liturgia Maronitarum poſt lectam Epiſtolam dicit ſacerdos hæc verba: *Gloria Domino Paulli & Prophetarum & Apoſtolorum. Miſericordia Dei ſit ſuper lectores & ſuper auditores & ſuper civitatem hanc, atque omnes habitatores ejus in ſæcula, Amen. Alleluia, Alleluia. Ferte oblationes, & introite in atria Domini, & adorate eum in templo ſanctitatis ejus, & confitemini ei ac benedicite nomini ejus, à quo vita datur. Alleluia.* Card. Bona lib. 2. *Rerum Liturg.* cap. 6. §. 4.

120. Cap. XIII. *Beatiſſimi Doctores.*] Hymnos componere & canere in Eccleſia, antiquis Chriſtianis in more fuit poſitum: ut teſtatur Philo Judæus libro *De ſupplicum virtutibus.* Euſebius lib. 2. *Hiſtor.* cap. 26. Dionyſius Areopag. *De divinis nominibus*, cap. 4. Sacratiſſimum corpus Beatæ Virginis Mariæ cum hymnis delatum ſcribit Nicephorus lib. 2. cap. 22. In Concilio Antioch. ante annos mille & trecentos, damnatus eſt Paullus Samoſatenus, qui Pſalmos & hymnos in honorem Chriſti decantatos exploſit & ejecit. Hoc conſtat apud Euſebium lib. 7. cap. 24. Hilarius librum hymnorum compoſuit, ut auctor eſt Hieronymus in *Catalogo*. Ambroſius hymnos edidit, ut auctor eſt Auguſtinus lib. 1. *Retract.* cap. 21. Et ipſe Ambroſius hymnorum ſuorum meminit in *Oratione in Auxentium*, & S. Bernardus in *Regula*. Exſtant alii ſanctorum hymnorum auctores, ut Syneſius, Cyrenæus, Theophanes, Coſmas Hieroſolymitanus, & alii. Theodoſius Junior Princeps religioſiſſimus, cujus regia non diſſimilis erat monaſterio, primo diluculo hymnos alternis recitabat. Socrates lib. 7. cap. 22. Nicephor. lib. 14. cap. 13. Berno Abbas *De officio Miſſæ*, cap. 3. ſcribit, hymnum angelorum, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, à Teleſphoro primùm fuiſſe auctum, & à Symmacho completum, Eccleſiæque cantandum traditum. Niceph. lib. 11. cap. 16. rationem modumque hymnorum canendorum tradit ex Joſepho. Dionyſius Areopagita libro *De divinis nominibus*, cap. 4. part. 2. librum Hierothei ſanctiſſimi hymnorum divinorum adfert.

121. Cap. XV. *In fine Pſalmorum.*] De verſu illo: *Gloria Patri, & Filio*, &c. ut ſuprà diximus. Verùm ſunt qui dicant à Flaviano Antiocheno, auditore Chryſoſtomi, compoſitum, ut Nicephor. lib. 9. cap. 24. & 19. cap. 51. & aliter à Catholicis Græcis in fine Pſalmorum decantari, aliter ab Arianis, Sozomenus lib. 3. cap. 20. Theodor. lib. 2. cap. 24. Nicephor. lib. 9. cap. 24. poſtea conſilio Hieronymi in Eccleſia Latina additum finibus Pſalmorum à Damaſo, ipſe refert in Epiſtola ad Damaſ. Et hic mos Romanus prævaluit in Eccleſia, & ita non *Gloria & honor*, ſed *Gloria Patri* dicitur. Loaisa.

122. Cap. XIX. *Pernicioſa conſuetudo*, &c.] Dolent Patres hoc loco iniquitatem quarundam electionum factarum eo ævo ad Epiſcopatus Hiſpaniæ: *Dum alii per ambitum ſacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus Pontificatum aſſumunt, nonnulli etiam ſceleribus implicati*, &c. Vide ibi. Omnia enim impedimenta videntur indicari ſacris Canonibus contenta, ut quiſpiam ordinetur ſacerdos aut Epiſcopus. Uberrimi commentarii occaſio ſeſe offerebat hoc loco. Verùm nobis immorari non vacat, præſertim in re adeò obvia, quam plurimi latè tractant: nemo tamen copioſiùs aut eruditiùs, quàm Franciſcus Hallierius in aureo illo Opere *De ſacris electionibus*. Legendi quoque de eodem argumento eruditiſſimi duo ſcriptores, Sauſſayus in *Panoplia Epiſcopali*, & Thomaſſinus ſparſim tribus juſtis voluminibus *De diſciplina Eccleſiaſtica*. Cardinalis de Aguirre.

123. Cap. XX. *Levitæ conſecrentur.*] Levitas vocat diaconum & ſubdiaconum. Vide Concil. II. cap. 1. & Carthag. III. cap. 4. & Agathen. cap. 16. & 17. Arelat. III. cap. 1. Wormac. cap. 69. & Syricius Papa epiſt. I. cap. 9. & noviſſimè Concil. Trident. de ætate Levitarum ſtatuit.

124. Cap. XXII. *In conclavi ſuo.*] Clericos ſelectos, ad ſanctiorem vitam adſpirantes, ab Epiſcopo adſumptos, manere cum eo in clauſura, paupertate, & Præpoſitorum obedientia, & ad teſtimonium vitæ Epiſcopi, conſtat ex Conc. Tolet. II. cap. 1. & ex Auguſtino in ſermone 22. *De communi vita clericorum*, & ſermone 36. *Ad presbyteros*. Inde ortum habuit canonicorum ordo & regula in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis. Poſſidonius in *Vita D. Auguſtini* refert, communi menſa in conclavi cum presbyteris & clericis uti ſolitum Auguſtinum. Loaisa.

125. Cap. XXIII. *In conclavi Epiſcopi*, &c.] Hinc collige presbyteros & diaconos ſolitos antiquitus in iiſdem habitare cum Epiſcopo ædibus: quæ conſuetudo in Gallia quoque viguit, juxta Aurelianenſis II. Concilii Can. IX. *Nullus presbyterorum ſine permiſſione Epiſcopi ſui cum ſæcularibus habitare præſumat. Quod ſi fecerit, ab officii communione pellatur.* Ea firmatur priſca conſuetudo teſtimonio Auguſtini in ſerm. 22. *De communi vita clericorum*, & ſermon. 36. *Ad presbyteros.* ejuſque in Vita Poſſidius refert cap. 52. *Communi menſa in conclavi cum presbyteris & clericis uti ſolitum Auguſtinum.* His adſtipulantur duo Concilia ſub Pontifice Leone III. & Imperatore Carolo Magno habita: in primis Moguntiacum

Can. IX. ſic ſtatuit: *In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonicè vivant, obſervantes divinæ Scripturæ doctrinam & documenta ſanctorum Patrum. Et nihil ſine licentia Epiſcopi ſui, vel magiſtri eorum compoſitè agere præſumant in unoquoque Epiſcopatu. Et ut ſimul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi ſuppetit. Vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, & in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones ſuis magiſtris exhibeant.* Sub iiſdem pariter celebratum Concilium Turonicum III. paria decernit his verbis: *Canonici & clerici civitatum qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulq; in uno reficiantur refectorio, quo faciliùs poſſint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & converſatione ſua admoneri & doceri: victum & veſtimentum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari, ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur: dimiſſoq; Eccleſiaſtico officio, incipiant indiſciplinatè vivere, & propriis deſervire voluptatibus.*

126. Nec tantùm erat canonicorum ac presbyterorum vita communis, ſed etiam minorum clericorum qui in ſeminariis inſtituebantur: ut ex iſtius Concilii Toletani IV. Canone ſequenti perſpicuum fit. Cabassutius.

127. Cap. XXIV. *Omnes in uno conclavi.*] Inſtitutionem hujus ſeminarii clericorum, primùm ortam invenio in Concil. Toletano II. deinde in conſt. Alex. IV. & in I. Lateranen. cap. 11. demum in exactam formam redegit Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. Loaisa.

128. Cap. XXV. *Ignorantia mater cunctorum errorum.*] Huc refertur Oſeæ 4. verſ. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi.* Et Malach. 2. verſ. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt.* Eccleſia magnopere ſollicitudinem gerit, ut clero addicti ſcientiis Eccleſiaſticis imbuantur. Ideoque approbat ut Beneficiis ac præbendis proviſi ab Eccleſiis ſuis abſint, ut ſtudiis informentur: nec minùs percipiant ſuos fructus præbendarum, cap. *Super ſpecula. De Magiſtris.* Et quod attinet ad Gallicanas Eccleſias, Concordatum Bononienſe in Concilio ultimo Lateranenſi approbatum in gratiam cujuslibet clerici propter ſtudia convenienter abſentis, ſic decernit tit. *De collat.* §. 1. *Et ut liberiùs ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à divinis, habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat.* Quem in locum hoc ſcribit commentator Rebuffus: *Et ſic nec diſtributiones anniverſarias, nec aliud adventitium amittere debent, per hoc verbum, NIHIL PERDAT.* Quod etiam ſuadetur per iſtum textum, qui fingit eum præſentem in divinis. Tantum enim operatur fictio in caſu ficto, quantum veritas in caſu vero, leg. *Filio quem pater. ff. De liberis & poſthu.* leg. *Si filius-familiâs. ff. Si cert. peta.* cap. *Cum dilectus.* & cap. *Ad audientiâ. De cler. non reſid.* Item in Galliâ, ex amore ſcientiæ multæ reſervantur præbendæ, tam ſimplices quàm curatæ, perſonis graduatis, per pragmaticam ſanctionem atque Concordatum. Denique Canon iſte Toletanus citatur cap. *Ignorantia mater.* diſt. 38. Cabassutius.

129. Cap. XXVI. *Libellum officialem.*] Sacramentorum manuale nunc appellatur: & in eo etiam decreta Patrum de ſacramentorum uſu & ritibus contineri apparet ex Concil. Moguntino cap. 22. ubi de libro officiorum fit mentio: & duæ regulæ ex eo *De clericis vagis* adducuntur: Concilio Toletano VIII. vocatur ſupplementum.

130. Cap. XXVIII. *Orarium & annulum.*] Orarii meminit S. Ambroſius in oratione *De obitu fratris Satyri.* Orarium dicitur *ſtola oraria* apud Burch. lib. 6. cap. *Presbyter.* & in ſiniſtro humero à Levita geſtandum ex decreto Sylveſtri Pontificis, & in Concilio Romano, ab eodem coacto cap. 6. & infrà in hoc Concilio cap. 40. dicitur; & quòd non debet Levita illud geſtare coloribus aut auro ornatum. Non erat autem una eademque ratio geſtandi orarium diacono & ſubdiacono conceſſa, ut ex Bracarenſi I. patet cap. 9. *Orarium* (inquit) *habeat ſubdiaconus & diaconus; ſed diaconus infra tunicam abſconſum habeat orarium, ſubdiaconus ſuperpoſito ſcapulæ utatur orario.* De eo vide Waldenſ. libro *De ſacramentis,* tit. 4. cap. 29. & Hugonem lib. 2. cap. 10. 4. part. *De ſacramentis.* Formam ordinandi & conſecrandi Epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi, tradit Concilium Carthaginenſe IV. in principio. Concilio Aurel. I. cap. 21. dicitur: *Monacho orarium in monaſterio, vel zonas habere non liceat.* Eſt apud Gratianum 27. q. 1. Zonæ vocantur quæ à Caſſiano *Rebracatoria* appellantur lib. 1. *De habitu monachor.* cap. 6. Erat verò orarium ſolummodo his perſonis conceſſum, quibus prædicandi munus eſt delegatum: unde cap. 40. infrà dicitur: *Orarium oportet levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quòd orat, id eſt, prædicat.* Beda verò in Collect. cap. *De ſeptem ordinibus.* orarium dicit ab oratione appellatum. *Bene etiam* (inquit) *orationibus convenit orarium, conveniens veſtimentum officio.* De annulo Epiſcopi, qui in ejus conſecratione datur Epiſcopo in ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum, ut refert Iſidorus lib. 1. *De Eccleſiaſt. offic.* cap. 5. multa traduntur in Ritualibus. Loaisa.

131. *Niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcopi.*] Sicut per depoſitionem vel degradationem non adimitur ſacri characteris poteſtas, ita nec per iteratam ordinationem reſtituitur. Nulla igitur hîc decernitur reordinatio, ſed ſolennis quædam cæremonia ſacramento vacua præſcribitur in priſtinum miniſterium reſtitutionis, ei, qui injuſtè fuerat exauctoratus, ſeu gradu motus, qualia diverſa ſuppeditat exempla Eccleſiaſtica antiquitas. Concilium quidem Nicænum in ſuis ſynodicis ad Ægyptios literis, eos qui ordinati fuerint à Meletio Lycopolitano Epiſcopo ſchiſmatis auctore, ſi ad unitatem Eccleſiæ unde ſe ſubtraxerant revertantur, permittit in clero perſiſtere, atque acceptorum ordinum miniſteria

exſequi;

exſequi; hac tamen præmiſſa conditione, *μονονότι χειροτονίᾳ βεβαιωθέντες*. *Dummodo ſanctiore manuum impoſitione confirmati fuerint*. Quo eodem ſenſu Can. VIII. Nicænns de Catharis clericis ad Eccleſiam redenntibus: *χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ*. *Impoſitis eis manibus ſic in clero maneant*.

132. Veruntamen ſacra Eccleſiæ diſciplina neque rebaptizationes, neque reordinationes fieri permittit, ut conſtitutum refert Ambroſius in Epiſt. LXXVIII. & LXXIX. in Capuana Synodo ſub Syricio Papa; & nominatim allegatur & confirmatur à Concilio Carthaginenſi III. Canone XXXVIII. his verbis: *Illud autem ſuggerimus mandatum vobis, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Epiſcoporum*. His conſonat Auguſtinus in lib. 2. *Contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. 13. dicens: *Utrumque ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: ideóque in Catholica Eccleſia utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte etiam præpoſiti, pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt; etſi viſum eſt opus eſſe ut eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi: ſed ſicut baptiſmus in eis, ita & ordinatio manſit integra*.

133. Baſilins his conformatur in Epiſt. I. *Ad Amphilochium*, cap. 1. in fine. Allegatis enim duorum Epiſcoporum exemplis, qui ab hæreticis conſecrationem acceperant, atque ad Pontificium miniſterium ſine nova ordinatione intra Eccleſiam Catholicam fuerant poſt ejuratam hæreſim admiſſi; hoc idem concludit circa alios quoſcumque ab hæreticis ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatos, ſi eos judicet Eccleſia miniſterio idoneos. Idemque Epiſt. CXCVIII. dicit novum prorſus, & horro e dignum eſſe, quòd Euſtathius Epiſcopus etiam manum denuò quibuſdam imponere præſumpſerit. *quam rem* (inquit) *nemo unquam ex hæreticis feciſſe videtur*.

134. Patres ergo Nicæni, per ſanctiorem illam mannom impoſitionem; & Toletani iſti per hanc inſtrumentorum & ſacrorum inſignium ad altare redhibitionem, non reordinationem invehere intendunt, ſed pias cæremonias, per quas ſuſpenſis ab exercitio confertur poteſtas, non quidem validè, ſed tantùm licitè ordinis poſthac exercendi. His accedat Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis præclarè dicens in Epiſt. XXV. quo pacto id in Eccleſia ſuo tempore fieri ſoleret. *Rebaptizationes* (ait) *& reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depoſitum non reordinabitis, ſed reddetis ei ſuos gradus per inſtrumenta & veſtimenta quæ ad ipſos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Oſtiarii in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Noviſſima autem benedictione letificabis eum, ſic concludendo: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſuper te deſcendat, ut ſis reſtitutus in ordine ſacerdotali, & offeras placabiles hoſtias*. His affatim illuſtratur Canon Toletanus. CABASSUTIUS.

135. CAP. XXIX. *Si Epiſcopus.*] Concilium ſecundum Ancyran. capit. 23. idem decernit, & eandem pœnam ſtatuit. Agathenſe cap. 24. prohibet ne fiant ſub nomine fictæ religionis ſanctorum ſortes, aut Scripturarnm inſpectio; ut inde futura promittantur. Fiebant autem ſortes ſanctorum de ligno, aut pane; ut conſtat ex Antiſiodor. Canone IV. & I. Aurel. cap. XXX. In Conc. Lateran. V. ſub Leone X. hujus pœna eſt temperata, relictaque Ordinarii arbitrio. LOAISA.

136. CAP. XXXIII. *Noverint conditores Baſilicarum, &c.*] Hic perſpicis, ut ordinatio fieri non poterat niſi ab Epiſcopo; ita nec proviſionem Beneficii, quæ ab ordinatione tunc non ſejungebatur, niſi ejuſdem auctoritatis interventu fieri potuiſſe. Nec enim unquam vel uſquam aut clerici ſine Eccleſia, vel Eccleſia ſine clericis, id eſt ſine Beneficiariis. Erant tamen in Epiſcoporum maximè poteſtate parochiæ & Abbatiæ. Abbatum certè inſtitutio in hoc eodem Concilio Epiſcopis vendicatur, & quod magis mirere, etiam clauſtralium omnium officiorum. *Abbates aliaque officia inſtituere*. THOMASSINUS *De Benef.* Tom. II. part. 2. lib. 1. cap. 34.

137. CAP. XXXVI. *Presbyteros probabiles.*] Burch. *probabilis vitæ* legit. Nam viſitatores Epiſcoporum debent eſſe viri graves, morum probitate ornati; qui non ſtipendio & lucro ducantur, ſed potiùs pro charitate & gloria Chriſti inſudent. Eorum fit mentio Concil. Laodicen. cap. 57. Et Concilium Bracarenſe II. formam viſitationis Epiſcopi accuratè præſcribit cap. 1. & 2. & Concil. Mogunt. cap. 20. & Concil. Trident. in multis locis, præſertim ſeſſ. 21. cap. 8. & 22. cap. 8. & ſeſſ. 24. cap. 3.

138. CAP. XXXIX. *In primo choro.*] Diviſam eſſe Eccleſiam in ſtationes & choros, patet ex Concilio Turonenſi II. cap. 3. ubi præcipitur, ut laïci ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias quàm ad Miſſas, ſtare penitùs non præſumant; ſed pars illa quæ à cancellis versùs altare dividitur, choris tantùm pſallentium pateat clericorum: ad orandum verò & communicandum, laïcis viris & fœminis, ſicut mos eſt, Sancta Sanctorum pateant.

139. CAP. XLI. *Omnes clerici.*] Iſidorus lib. 2. *De Eccleſ. officiis*: *Omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt, generaliter clerici nominantur*.

140. *Circuli coronam.*] Primus tonſuræ modum decrevit Anicetus Papa in Epiſtola decretali *Ad Epiſcopos Galliæ*. *Comam* (inquit) *clerici non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant*. Habetur diſtinctione 23. cap. *Prohibet*. & Concil. Carthag. IV. cap. 44. Iſidorus libro *De Eccleſ. officiis*. 2. cap. 4. tonſuram ortum habuiſſe à Nazaræis, & hujus exempli uſum ab Apoſtolis in Eccleſiam introductum, auctor eſt. Quod etiam Concil. Aquiſgranen. cap. 1. probat. Adverte in Gallæcia laïcos uti ſolitos prolixis comis. Divus Hieronymus (habetur 12. q. 1. cap. *Duo ſunt.*) ſic inquit: *Coronam* (loquitur de clericis) *habent ab inſtitutione Romana Eccleſiæ, in ſignum regni quod in Chriſto exſpectatur: raſio verò capitis eſt temporalium omnium depoſitio*. LOAISA.

141. *Omnes*

141. *Omnes clerici vel Lectores &c.*] Hunc certè Canonem multis præclaris fœtum documentis, paullò operoſiùs expendere juvabit. Docet enim primò eam fuiſſe diaconotum, presbyterorum, & Epiſcoporum tonſuram, quæ partem ſuperiorem capitis totam aperiret, *detonſo ſuperiùs toto vertice*: idque ſolum relictum eſſe crinium quod eſſet circuli inſtar aut coronæ: *Inferiùs ſolam circuli coronam relinquant*. Et hæc quidem tonſuræ forma fuit ac coronæ clericalis. Secundò, clericos omnes à Lectoribus ad Epiſcopum uſque, tonſuram eandem atque coronam geſtare debuiſſe. Jam enim *ſacerdotum* nomine presbyteri, uti & Epiſcopi, comprehendi cœperant, quemadmodum Lectorum voce inferiores omnes ordines videntur ſignificari. Tertiò, uſos ſemper eſſe Epiſcopos, presbyteros, & diaconos ejuſmodi tonſurâ & coronâ, qualis hîc præſcribitur; immo ipſos etiam provinciarum omnium Hiſpaniæ clericos inferiores, ſi Galliciam unam excipias, ubi Lectores *prolixis ut laïci comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tonderent*. Quartò denique ea re damnata, juſſiſque inferioribus clericis eandem geſtare tonſuram & coronam, quam geſtarent Epiſcopi & presbyteri, decretum eſſe à Synodo, ut pro hæreticis habeantur clerici, qui in retinendo hæreticorum uſu & more fuerint pertinaces. THOMASSINUS *De Benef.* Tom I. lib. 1. cap. 28. num. 4.

242. Conſidera, quæſo, graviſſimam reprehenſionem adverſus clericos minorum ordinum, qui ita utebantur prolixis comis inſtar laïcorum, ut tamen *in ſolo capitis apice modicum circulum tonderent*. Eum abuſum mutuatum ab hæreticis in Gallicia declarant Toletani Patres. nimirum, ut credo, à Priſcillianiſtis. Quapropter de cætero abuſum ipſum ſeveriſſimè prohibent Lecturibus ſub extrema pœna ſeparationis ab Eccleſia. Id palam denotant verba illa poſtrema Capitis hujus: *Qui autem hoc non cuſtodierit, Fidei Catholicæ reus erit*.

143. Quid autem dicemus noſtro tempore de plurimis clericis minorum ordinum, qui non ſolùm utuntur prolixis comis inſtar laicorum, ſed nec in capitis apice exiguum circulum tondent? Si priores illos tam graviter reprehendit S. Iſidorus cum tota hac graviſſima & numeroſiſſima Synodo, quantò magis id faceret cum his poſterioribus? Quid ſi præterea hos videret contortis aut criſpatis crinibus utentes, inſtar fœminarum? Quid ſi cæſariebus alieno crine compoſitis, aut præterea exquiſito pulvere reſperſis ornatos cerneret? Nonne illos ſuſpicaretur cinædos, appellaretque *comatos aut viros cinerarios*, ut loquuntur Patres Concilii Eliberitani cap. 67. vetantes omnino, ut fœminæ Chriſtianæ, immo & catechumenæ, iis nubant, & addentes: *Quæcumque hoc fecerint, à communione arceantur*. Cenſuerunt nimirum Patres illi, homines ita effœminatos non debere cenſeri viros, ac proinde nec idoneos ut fœminæ ipſis nubant. Quanto ergo minus digni ſunt ut clero accenſeantur?

144. Verùm (quod pudet dicere) quàm multos videre eſt, non ſolùm clero adſcriptos, ſed etiam Beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, perſonatus, præbendas, Abbatias, Dignitates, in quorum capitibus nec coronæ veſtigium, nec tonſuræ apparet? ſed ſolùm comæ prolixæ, expolitæ, profanæ; aut etiam cæſaries adſcititiæ, magno pretio emptæ, ex diſſitis regionibus aſportatæ: idque cum magno dedecore ſtatus Eccleſiaſtici, cum injuria tot ſacrorum Canonum, cum ſcandalo bonorum omnium ſæcularium, ac dolore ſacerdotum quorumlibet zelantium honorem domûs Dei. Videant DD. Epiſcopi quomodo tantum malum exſtirpent, cujus ſtrictam Deo rationem reddent. CARD. DE AGUIRRE.

145. CAP. XLII. *Conſtitutio antiquorum Patrum.*] Decrevit Lucius PP. apud Grat. d. 81. cap. *Clericus*. Syricius PP. Epiſt. I. cap. 12. Nicæn. Concilium. cap. 3. Eliberit. cap. 27. ſecund. Arelatenſe cap. 3. prim. Carthag. cap. 3. & 4. ſecund. Turon. cap. 10. XI. Tolet. cap. 3. & alia multa decreta Patrum.

146. CAP. XLVI. *Pro ſacrilegio legibus publicis.*] Sepulchrum dicitur ubi corpus oſſave hominis condita ſunt. lib. 1. D. *De religioſ.* Habeturque locus Ramanis legibus religioſus, quatenus ibi corpus humatum eſt. Pomponius in l. *Locum. De religioſ. & ſumptibus funer.* antiqua pœna diruenti ſepulchrum erat centum aureorum multa lib. 3. D. *De ſepulchro violato*. Ulpian. in hanc lib. 3. ait: Si qui armati more latronum ſepulchra diruunt, pœnâ capitis plecti: ſi ſine armis, in pœnam metalli ex Divi Severi reſcripto damnari. De his vide leges Hiſpaniæ l. 1. tit. 18. lib. 4. *Fori legum*, & par. 7. tit. 9. l. 12. LOAISA.

147. *Quia facinus hoc &c.*] Perpendenda pœnæ ratio: & deponitur, & pœnitentiæ publicæ ſubjicitur, quòd crimen ſanguine ſecundum leges puniendũ perpetraverit. Ratum igitur erat ſecundùm eorũ diſciplinam, depoſitione clericos, & pœnitentiâ publicâ laïcos eſſe purgandos & puniẽdos, qui crimina ſecundũ leges gravi ſupplicio plectenda committebant. Hunc Canonem refert Burchardus lib. 11. cap. 63. MOAINUS lib. 5. cap. 5. *De Punit.*

148. CAP. LIV. *Hi qui in diſcrimine, &c.*] Pœnitentiam publicè accipiunt ſecreta tantùm peccata confeſſi, nulla publica. Clariſſimè Patres illi explicant quid ſibi velint, quum dicunt: *tantùm ſe peccatores prædicantes*. hoc eſt, ut ajunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes. Et paullò pôſt, qui ita pœnitentiam accipiunt, *ut aliquod mortale peccatum perpetrâſſe publicè fateantur*. Mortalia igitur peccata occultè omiſſa fatebantur; ſed quia non publicè, ideo à functionibus Eccleſiaſticis non abſtinebantur, licèt pœnitentiam publicam egiſſent. Quapropter evidentiſſimum eſt ex eorum interpretatione ea verba, *tantùm peccatores ſe prædicantes*, generaliter tantùm ſumi non debere; ita ut in genere tantùm, nullo particulari crimine confeſſo, ſeſe peccatores profeſſi fuerint; ſed ſic intelligendum, ſi tantùm peccatores profeſſi ſunt, nullo edito ſingulari crimine. Quòd cùm Canonis verba tam clarè tam ſplendidè adnotent, fruſtrà in eo adſtruendo immoraremur. Idem inſuper confirmat ejuſdem Concilii Can. XIX. in quo recenſentur qui ad ſa-

cros

cros Ordines admitti non debeant. Hos inter adnumerant Patres, *Qui in aliquo crimine detecti ſunt; qui infamia notâ aſperſi ſunt; qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt.*

149. Sic videtur intelligendus Canon II. Concilii Toletani I. quod ante IV. annis CCXXXIII. celebratum eſt, quum decernit, nullum pœnitentem ad clerum eſſe admittendum. Quid per pœnitentiam intelligat, ſtatim explicat: *De eo verò pœnitente dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſq; peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino reconciliatus eſt altario.* Duplex genus publicè pœnitentium conſtituit: unum eorum qui cum cilicio reconciliantur; aut, ſi mavis, cilicium ad antecedentia referre, quibus cum cilicio pœnitentia imponitur, hoc eſt, quibus publicè diebus ſolennibus inter Miſſarum ſolennia pœnitentia pro criminibus imponitur, aut reconciliatio datur. Alterum, qui publicè quidem pœnitentiam agunt de criminibus ſuis, ſed non ſub cilicio eis imponitur, non ſolenniter, nec ſolenni die, eò quòd nec propria confeſſione ſeſe notârunt, nec aliqua convictione notati ſunt. Quod igitur Patres univerſaliter pronunciaverant: *Pœnitentes non admittantur ad clerum*, interpretantur de eo pœnitente publico, qui ſub cilicio reconciliari ſolet. Huic interpretationi convenit lectio, *de eo pœnitente*, &c. Ita ut nolint Patres ſub eorum decreto pœnitentes omnes complecti, ſed eos tantùm qui ſcelera publica aut occulta publicè confeſſi fuerint. MORINUS *De pœnit.* lib. 5. cap. 7.

150. CAP. LVI. *Sanctimoniales ſunt.*] De viduis Iſidorus agit lib. 2. *Officiorum.* De velo viduarum ſanctimonialium diverſa tradidere antiqui Patres, pro temporum varietate. Gelaſius PP. in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam cap. 15. docuit, viduas non eſſe velandas: & fuſiùs cap. 23. propter periculum incontinentiæ. Idem in Epaunenſi Concilio ſub Gelaſio cap. 21. ubi viduæ conſecratæ diaconiſſæ vocantur. In ſecunda Synodo Turonica exſtat decretum de virginum & viduarum profeſſione, & cœlibatu, ex decreto Innocentii Papæ ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem. Idem ſtatuitur Concilio Triburienſi, ſub Arnulpho Imperatore cap. 25. ubi cavetur: *Si vidua ſponte velamen, quamvis non conſecratum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, ſanctimoniæ habitum ulteriùs habere debere.* Aliis decretis cavetur ne citò velentur viduæ juvenes, ut in Turonenſi Synodo ſub Carolo Magno cap. 27. & Concil. Mogunt. II. cap. 26. & Wormac. cap. 21. ibi poſt probationem conceditur velum. Ita etiam decretum invenio ex ſententia Nicolai Papæ, & habetur. d. 27. cap. *Quod interrogâſti.* & 27. q. 1. cap. *Vidua.* Inde exiſtimo, viduas ſæculares Hiſpaniæ etiam nunc prolixum atque album velum pro capitis tegumento geſtare, quaſi profeſſionis viduitatis antiquæ indicium. Profeſſio autem illa viduarum ſanctimonialium X. Concil. Tolet. cap. 4. in manu ſacerdotis fieri jubetur ſcriptis ſignoque atque ſuſcriptione notarii: jubenturque viduæ pallio purpureo vel nigro caput contegere. Idem ferè in Concilio Arauſicano cap. 27.

151. CAP. LIX. *Plerique qui ex Judæis.*] Legum Wiſigothorum lib. 12. tit. 3. l. 3. *De Judæis*, ita cavetur: *Cùm veritas ipſa petere & pulſare nos doceat, præmonens, quòd regnum cælorum vim patitur; in nullo eſt dubium, quòd ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non feſtinat. Proinde ſi quis Judæorum, de his ſcilicet qui nondum ſunt baptizati, aut ſe baptizare diſtulerint, aut filios ſuos vel famulos nullo modo ad ſacerdotem baptizandos remiſerit, vel ſe ſuoſque de baptiſmo ſubtraxerit, vel unius anni ſpatium, poſt legem hanc editam, quiſpiam illorum ſine gratia baptiſmi tranſierit; horum omnium tranſgreſſor, quiſquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus ſuſcipiat, & debitâ multetur exſilii pœnâ. Res tamen ejus ad Principis poteſtatem pertineant: qualiter ſi incorrigibilem durior eum cuſtodierit vita, perpetua in ejus, cui eas Princeps largiri voluerit, poteſtate permaneant.* Hac lege primò compulſi Judæi, ut baptiſmo obſignarentur, circumciſione rejecta, quam eis exercere reſcripto Antonini Pii permiſſum antea fuerat: ut patet ex lib. *Digeſtorum.* 48. tit. ad legem Corneliam *De Sicariis.* lib. *Circumcidere.* Poſtea eos Rex Cinthila regno ſuo prorſus ejecit: ut conſtat ex VI. Concilio Tolet. cap. 3. Sicut Heraclius Imperator Hieroſolymis: ut conſtat ex libro Juris Orientalis, ab Enemundo Bonefidio digeſto, lib. 1. Quorum exemplum imitati majorum noſtrorum memoriâ Ferdinandus & Eliſabetha, verè Catholici Reges, ab hac colluvie Hiſpaniam purgavere. Egica inclementiori lege uſus, eos in regno manere paſſus eſt, ſervitute oppreſſos, rebuſque omnibus exutos, Concil. XVII. Tolet. cap. 8. Multa alia edicta adverſus Judæos à Regibus Gotthicis edita ſunt; verùm fruſtrà: ſemper enim herba noxia altiùs radices agit.

152. CAP. LXV. *Velut in ſacrilegum.*] Leg. 17. Wiſigotth. lib. 12. tit. 3. ita præcipitur de hac re: *Illi tamen qui hanc eis poteſtatem ſuper Chriſtianos exercere permiſerint; ſi nobilis, qui hoc fecerit, perſona exſtiterit, decem libras auri fiſco coactus exſolvat: minimæ tamen vileſque perſonæ quinque libras auri fiſco perſolvendas amittant. Quòd ſi non habuerint unde componant, centenis decalvati flagellis ſubjaceant.*

153. CAP. LXXV. *De Suinthilane.*] Svinthila præceſſit Siſenando, regnavitque annos X. Chronicon generale Hiſpaniæ, & Rodericus: aliter Iſidorus. LOAISA.

154. Id certum videtur, Svinthilanem primis quinque regni ſui annis optimè ſe geſiſſe, ut teſtatur S. Iſidorus, teſtis eorum quæ tunc gerebantur, in hiſtoria ſui temporis. At reliquis aliis quinque mores in pejus mutavit, & commune Hiſpanorum odium ſubiit, præſertim propter Theodotam Reginam, & Geilanem fratrem, inviſos omnibus. Videns hæc Siſenandus, unus è primoribus Gotthorum, adiit Dagobertum Chlotarii

tarii Francorum Regis filiom, ja.n tum in Burgundia & parte aliqua Franciæ regnantem: ac datis ipſi decem pondo auri (quæ deſervieruot expenſis in templo S. Dionyſii perficiendo) petiit ab eo auxiliares copias adverſus Svinthilanem, ut illum è ſolio deturbaret, ſibiq́ue Hiſpaniæ dominium aſſereret. Annuit Dagobertus, & lectiſſimas Burgundionum ſuorum acies Siſenando dedit, ſub docibus præcipuis Abundantio ac Venerando. Vt autem Siſenandus cum eo exercitu pervenit Cæſaraoguſtam, Gotthi omnes cœperunt Svinthilanem deſerere, & ſub adverſarii vexillis militare, donec tandem in ſolio eum collocârunt. Quanta autem fuerit Svinthilaois mutatio in deterius, quot mala fecerit, ſimol cum uxore ac fratre, ſatis declarant Patres Concilii in hoc capite 75. quod præ manibus habemus, & exponit fuſiùs Ambroſius Morales lib. 12. cap. 17. præſertim ex Sigeberto Gemblacenſi, & Paullo Æmilio.

155. Archiepiſcopus Toletanus D. Rodericus Ximenez de Rada (nobiliſſimæ familiæ Radarum apud Navarram & Caſtellam vicinam eximiom decus) & Lucas Tudenſis Epiſcopos (ambo ferè σύγχρονοι) ajoot Svinthilanem poſt decem regoi annos ex iofirmitate naturali obiiſſe apud Toletum, relictis filiis Siſenando & Cindaſvintho; qui poſtea regnàrunt. Hoc nltimum refellit Morales, veluti volontariè omnino dictum. Veroſimilius eſt qnod addit Rodericus, Siſenandum tyrannicè regnum uſurpâſſe, nimirum, vi auferendo à Svinthilane legitimo Hiſpaniæ Rege, quamvis non bono aut juſto. Eamq́ue iniquam regni nſurpatiooem ſatis indicare videtur caput iſtud LXXV. quoad priorem & potiorem ſui partē, ubi tot diris & exſecrationibus percelluntur quotcumqoe de cætero conſpirarent adverſus vitam aut poteſtatem Regis. Id autem præter rem ſtatueretur ibi, præſertim tot iteratis juramentis, niſi Patres Toletani cenſerent, Siſenandum paullò antea iniqoè uſurpâſſe regoom, & jus non habuiſſe ad compellendum Svinthilanem, ut illud dimitteret, ac ſibi cederet. Noluerunt tamen id palam exprobrare Siſenando jam regnanti cum plaoſu omnium Hiſpanorum, & optimis moribus prædito. Quio & ipſa tyrannidis exſecratione conſuluerunt vitæ & incolumitati, atqoe imperio Siſeoandi, dum vetuerunt tot minis & ſacramentis quamlibet tyrannidem aut rebellionem in ipſum, additis objurgationibus adverſus Svinthilanem: quaſi de hoc timeri poſſet rebellio aut tyraonis aliqua adverſus Siſenandum, jam pacificè regnantem à tribus annis quando Coociliom iſtud congregatum fuit.

156. Qualitercumque aotem ad regnaodum ingreſſus fuerit Siſenandus, ſeu jure, ſive cum injuria Sviothilaois, certè ita prudenter, juſtè, ac piè ſe geſſit poſtea, præſertim erga Eccleſiam & ſacerdotes, ut apud omnes eximiam laodem adeptus fuerit, maximè in ipſa præfatione hujus Concilii. Vide quæ ſoprà num. 89. obſervavimus. Parum autem poſt illud celebratum vixiſſe invenitur, ac ſummùm biennio: ſiquidem ejus obitus refertur ad annum Chriſti DCXXXV. decimo nono die poſtquam Juſtus Præſul Toletanus ob morom aſperitatem à ſuis in lecto ſuffocatus fuit, ut infrà dicemus.

157. Eodem Siſeoando regnante, & intra hoc ipſum Concilium, volont aliquot viri eruditi probatum fuiſſe volumeo illod legum Gotthicarum, quod *Forum Judicum*, ſive *Fuero Juzge*, dici conſuevit. Alii id accidiſſe volunt tempore Cinthilæ in regno ſucceſſoris. Credibilius autem eſt, id volumen multò antea inchoatum, ac ſucceſſu temporum additum, aliqoam majorem auctoritatem oactum fuiſſe intra hoc Conciliom, & poſtea ſub Rege Cinthila pariter novis legibus auctom fuiſſe. Quod ipſom ferè de Collectione Conciliorum, ſive potiùs de Codice Canonum legi ſolito coram Patribus, & ſucceſſu temporum adaucto, jam ſæpè monuimus. CARDINALIS DE AGUIRRE.

In Inſcriptiones.

158. IN hoc IV. Concilio Toletano ſobſcribuot ſexaginta duo Epiſcopi, & ſeptem per procuratores: inter hos omnes vitæ & doctrinæ merito ioſigniores fueront Iſidorus Hiſpalenſis Hiſpaniæ Doctor, Juſtus Toletanus, Stephanus Emeritenſis, Nonnitos Gerundenſis, Conantius Palentious, Braullo Cæſarauguſtanus.

159. *Ego Iſidorus.*] Vitam Iſidori habes apud Ildephonſum Toletanū in lib. *De viris illuſtribus.* his verbis: *Poſt Leandrum Hiſpalenſis ſedit provinciæ Beticæ Cathedram tenuit, vir decore ſimul & ingenio pollens. Illam tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex ea in ſtuporem verteret audientes. Scripſit opera eximia, & non pauca, id eſt, librum De genere officiorum, librum Proœmiorum, librum De ortu vel obitu Prophetarum, librum Lamentationum, quem ipſe Synonyma vocitavit: libellos duos ad Florentinam ſororem, contra nequitiam Judæorum, librum De natura rerum, ad Siſebutum Principem, librum Differentiarum, librum Sententiarum. Collegit etiam de diverſis auctoribus, quem ipſe nominat ſecretorum expoſitiones Sacramentorum. Quibus in unum congeſtis, ipſe liber dicitur Quæſtionum. Scripſit quoq; ultimò ad petitionem Braulionis Cæſarauguſtani Epiſcopi librum Etymologiarum: quem cum multis annis conaretur perficere, inexpleto opere diem extremum viſus eſt concluſiſſe. Claruit temporibus Reccaredi, Gundemari, Siſebuti, Svinthilanis, & Siſenandi Regum, annis ferè quadraginta, tenens Pontificatûs honorem, inſignemque doctrinæ ſanctæ gloriam pariter & decorem: extremum diem clauſit quarto Aprilis, anno Domini DCXXXV.*

160. *Stephanus Eccleſiæ Emeritenſis.*] Maſſonæ ſucceſſit Innocentius, cui Renovatus, cui

Stepha-

Stephanus; viri omnes ſanctitate perſpicui: ut ex Paullo diacono Eccleſiæ Emeritenſis conſtat. Loaisa.

161. *Juſtus.*] De hoc Juſto ſic Ildephonſus in *Viris illuſtribus. Juſtus poſt Helladium, diſcipulus ejus, illiq; ſucceſſor eſt, vir habitudine corporis ingeniiq; meritis decorus, atque ſubtilis; ab infantia monachus, ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtitutus, in Agallienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus. Exſtitit rector annis tribus: tempore Siſenandi obiit: qui Rex poſt hunc die nono decimo defunctus abſceſſit.* Hæc de Juſto S. Ildephonſus, diſſimulans ex modeſtia aut pietate nonnulla reprehenſione digna, quæ alii de ipſo ſcribunt: inter quos Joannes Mariana lib. 6. *De rebus Hiſpaniæ*, cap. 5. ait: *Juſtus Toletanus* (nimirum, *ſubſcribit*) *qui omnibus ſermonibus ſolitus Helladii prædeceſſoris mores actioneſq; carpere, ob morum aſperitatem à ſuis clericis in lecto conſtrictis faucibus ſuffocatus periit tertio Pontificatûs anno, ac fermè poſt ſolutum hoc Concilium Toletanum.* Hæc ille poſt Ambroſium Moralem, qui eoſdem Juſti defectus non tacuit. Card. de Aguirre.

162. *Nonnitus Gerundenſis.*] Ildephonſus de illo: *Nonnitus poſt Joannem in Gerundenſi ſede Pontifex acceſſit: vir profeſſione monachus, ſimplicitate perſpicuus, actibus ſanctus; non hominum diutina deliberatione, ſed Dei per homines celeri diffinitione in Pontificatum adſcitus; adhærens inſtanter obſequiis ſepulchri ſancti Felicis Martyris. Rexit Eccleſiam Dei meritorum exemplis ampliùs quàm verborum edictis. Hic & in corpore degens, & in ſepulchro quieſcens, fertur ſalvationis operari virtutes: ſubſtitit temporibus Suinthilani & Siſenandi Regum.*

163. *Conantius Palentinæ.*] De eo ita Ildephonſus: *Conantius poſt Murilanem Eccleſiæ Palentinæ ſedem adeptus eſt, vir tam pondere mentis quàm habitudine ſpeciei gravis; communi eloquio facundus & gravis; officiorum Eccleſiaſticorum ordinibus intentus & providus: nam melodias ſonis multis noviter edidit, orationum quoque libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate pſalmorum. Vixit in Pontificatu ampliùs triginta annis; dignus habitus fuit ab ultimo tempore Witterici per tempora Gundemari, Siſebuti, Suinthilani, Siſenandi, & Chintilæ.*

164. *Braulio Cæſaraugust.*] De quo ſic Ildephonſus *De viris illuſtribus. Braulio frater Joannis, in Cæſaraugusta decedentis adeptus eſt locum; vir ſicut germanitate conjunctus, ita non nimiùm ingenio minoratus: clarus & iſte habitus Canonibus, & quibuſdam opuſculis. Scripſit vitam Æmiliani cujuſdam monachi: qui & memoriam hujus, & virtutem illius ſancti viri ſuo tenore commendat pariter & illuſtrat. Habuit ſacerdotium fermè viginti annis; quibus expletis clauſit diem vitæ præſentis. Duravit in regimine temporibus Siſenandi, Suinthilæ, Tulganis, & Cinthaſvindi Regum.* Hæc Ildephonſus. Loaisa.

165. Vides in ſubſcriptione hujus Concilii, tot Præſules interveniſſe doctrina & pietate inſignes, omneſque illos eximiè laudatos à ſanctiſſimo Antiſtite Ildephonſo: qui de Braulione Epiſcopo Cæſarauguſtano loquens, teſtatur ipſum ſcripſiſſe *vitam Æmiliani cujuſdam monachi*. Hic autem ille ipſe eſt, quem tota Hiſpania ab antiquiſſimo tempore appellat *S. Æmilianum Cucullatum*, vulgò *San Millan de la Cogolla*. Non enim ſolùm fuit primùm eremita, & deinde presbyter ſive ſacerdos; ſed etiam monachus, ut ipſe S. Ildephonſus teſtatur: & *cucullatus* dictus, ſive quia cucullam monaſticam induit, ſive ad diſtinctionem alterius Æmiliani non cucullati in regno Aragoniæ. Porrò Æmilianus à Braulione impensè laudatus eſt, ille ipſe ab inclinante ſæculo ſexto celeberrimus in Hiſpania, ob inſignem ſanctitatem, & plurima miracula: cujus ſacrum corpus ab eo tempore uſque modò colitur in regio & illuſtriſſimo monaſterio meo S. ÆMILIANI (meo, inquam, quoniam in illo cucullam S. Benedicti ſuſcepi, & profeſſionem monaſticam emiſi) intra arcam auream, gemmis pretioſiſſimis ac plurimis ornatam, dono Garſiæ Regis Navarræ. Hic anno circiter Chriſti milleſimo quinquageſimo tertio transferri juſſit corpus ejuſdem Sancti è monaſterio veteri, ubi habitaverat & requieverat quinque circiter retrò ſæculis, ad præſentem locum, publico & patenti miraculo ſibi deſignatum. Epiſcopi enim, & alii ſacerdotes, qui coram Rege & infinita multitudine illud ſuprà humeros geſtabant, non potuerunt ullo modo id dimovere ab eo ſpatio loci ubi nunc eſt. nimirum in proſpectu veteris monaſterii in diſtantia CC. circiter paſſuum.

Vide Tom. III. pag. 217. ubi Hiſtoriā exhibemus ex Ms.

166. Præterea idem S. Æmilianus eſt, qui ſimul cum Jacobo Apoſtolo Hiſpanis adversùs Saracenos ſæpè opem tulit, præſertim in prœlio Septimancenſi (vulgò, *la batalla de Simancas*) anno Chr. CMXXXIV. aut circiter, occiſis barbarorū ducentis millibus: qua de re to. III. pag. 176. exhibemus ſcripturam Sereniſſimi Caſtellæ Comitis Ferdinandi Gonzalez, qui prœlio adfuit, & S. Æmilianum propterea in patronum ſeu defenſorem Hiſpaniæ elegit. Interea lege Epiſcopum Sandovalium in *Hiſtoria monaſterii S. Æmiliani*, Antonium de Yepes Tomo IV. *Chronici Benedictini*, pag. 457. Mabillonem Sęculo I. 205. & ſeqq. ac deniquè Magiſtrum Joſephum Perez *Diſſertat. Eccleſiaſt.* ubi pulchrè & eruditè admodùm rem tractat.

167. Interea accipe epitaphium ejuſdem S. Æmiliani, à multis ſęculis exſtans literis Gotthicis exſculptum in pulcherrimo marmore ejuſdem monaſterii, quod hoc loco Latinis literis repreſēto.

PURGATISSIMI APOSTOLICIQUE VIRI ÆMILIANI CORPUS HIC HUMATUM JACET. QUI POSTQUAM EREMITICAM VITAM MULTIS ANNIS EGIT, ET CLERICALEM TANDEM MONASTICAM PROFESSUS SUB REGULA ADMIRABILIS BENEDICTI CURAM GERENS ABBATIALEM, OBIIT IN DOMINO CLARUS MIRACULIS ET PROPHETIÆ SPIRITU ERA DCXII.

Nimirum an. Chr. DLXXIV. Expreſſit formā marmoris literarū Gotthicarum Yepius to. I. ſui *Chronici*, valdè ſimilem antiquiſſimo ipſi marmori à me viſo. Card. de Aguirre.

EPISTOLA
MARTINI EPISCOPI BRACARENSIS
AD
BONIFACIUM EPISCOPUM,
De trina merſione.

Nunc primùm edita ex Mſs. Eccleſiæ Toletanæ.

Domino beatiſſimo ac reverentiſſimo, & Apoſtolicæ charitatis perfectione colendo, domino & in Chriſto patri Bonifacio Epiſcopo, Martinus Epiſcopus.

168. GEMINO me ſanctæ illuſtrationis munere optabilis veſtri Apoſtolatus pagina cumulavit, dum & Pontificalis gratiæ ritu abjectiſſimam humilitatis noſtræ viſitas parvitatem, & ardenti puræ charitatis flagrantia benigniſſimum nobis conferendi aditum ſermonis accommodas. Siquidem & hæc .... cis ſeries congruebat, ut exinde à nobis inchoandæ collocutionis ſumeretur initium, à quibus conſummatæ charitatis perfectio jam tenetur. Et iccircò debitum ſacratiſſimo Apoſtolatui veſtro literariæ officioſitatis obſequium reddens, quæſo humilitatis noſtræ memoriam in veſtris ſemper Deo acceptabilibus precibus adnectatis.

* Videtur aliquid deeſſe.

169. Illud antem quod per veſtram nobis ſignificâſtis epiſtolam, quoſdam ex * in illis partibus commeantes, veſtris auribus intuliſſe, ut à ſacerdotibus hujus provinciæ ſacrum baptiſma non in uno Trinitatis *nomine*, ſed in *nominibus* ageretur; falſiſſimum hoc omnimodis agnoſcatis. Nam, ut ego arbitror, qui hoc vobis voluit intimare, aut nunquam vidiſſe baptizantes Epiſcopos, aut certè voluiſſe aliquid referre quod hîc antea geſtum eſt. Sed nam & ego manifeſtiùs hîc cognovi, quòd de inſtitutione baptiſmatis Metropolitanus hujus provinciæ ante hos aliquos annos ab ipſa beatiſſimi Petri cathedra certiſſimæ auctoritatis formulam poſtulavit: cujus etiam exemplar curioſiùs legens, ita reperi ſcriptum, *ut in uno Trinitatis nomine, is qui baptizandus eſt, aut tertiò perfundatur, aut mergatur.*

*Locus corruptus. forte *Nunc age.*

170. Num * agis, tertiò nomen invocari, & tertiò tingui certiſſimè Arianum eſt. Audi ergo. In uno autem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine tertiò tingui, antiqua & Apoſtolica eſt traditio. Quæ ex Romani Antiſtitis auctoritate ſacerdotes hujus provinciæ retinentes ſcripta, & Conſtantinopolitanæ urbis Præſule, præſentibus hujus regni Legatis, qui ad Imperium fuerant deſtinati, in ipſa Paſchali feſtivitate perviſa eſt. Nam & nos Epiſtolam Beati Paulli Apoſtoli, in qua ſcriptum eſt: *unus Deus, una Fides, unum baptiſma,* legimus, & expoſitionem Beati Hieronymi, in qua ſub unius nominis invocatione tertiò tinguendos eſſe confirmat; & ipſum librum jam vetuſtiſſimum * Cartatinm apud virum venerabilem ſanctumque fratrem noſtrum Auſentium presbyterum, ſi requiras, invenies; ſimiliter, & apud Acta S. Sylveſtri conſtantiùs admonitus in viſione ter mergi * juvetur multi, vel audientes in Apoſtolo dicit: unum baptiſma non pro unitate Catholicę, eo quòd ubique uno modo baptiſma celebretur; ſed pro una tinctione intelligere voluerunt, & dum vicinitatem refugiunt Arianam, qui & ipſi tertiò tingunt, ſed in uno nomine; ſicut nos antiquæ traditionis formulam permutârunt, ut ſub uno nomine una etiam fieret tinctio, neſcientes, quia in uno nomine unitas ſubſtantiæ, trina verò merſione diſtinctio trium oſtenditur perſonarum: ut ſicut veriſſimè credimus, unam demonſtremus Deitatis ſubſtantiam, tres verò perſonas: nam ſi ſub uno nomine etiam una ſit tinctio, unitas tantùm Deitatis in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto demonſtrata eſt, perſonarum verò nulla differentia eſt oſtenſa. Ac per hoc dum quaſi vicinitas fugitur Ariana, Sabelliana ignorantibus ſubrepet peſtis; quæ dum ſub uno nomine unam ſolummodo retinet tinctionem, eundem Patrem dicit eſſe quem Filium, eundem quem Filium & Spiritum ſanctum dicit eſſe & quem Patrem; & dum nullam diſtinctionem trium perſonarum in ſacramento Baptiſmi monſtrat, trium vocabulorum unam ſacrilegus confingit eſſe perſonam. Neſcientes ergo quidam ex Hiſpanis, ſicut ſcriptum eſt: *Neque quæ loquuntur, neque de quibus adfirmant*; dum vicinitatem, ut diximus, tinctionis fugiunt * alienæ, in aliam incauti incidunt pravitatem. Numquid quia Ariani Pſalmum, Apoſtolum, Euangelia, & alia multa, ita ut Catholici, celebrant; nos errorum vicinitatem fugiendo, hæc ſumus omnia relicturi? Abſit, quia illi ex nobis, ut ſcriptum eſt, exeuntes, præter minorationem Deitatis Filii Dei, & Spiritus ſancti, cætera ita penes ſe retinent ſicut nos.

* Locus depravatus. Forte *chartaceum.*
*Locus corruptus.
* F. Arianæ.

171. Hanc ergo rationem quidam, ut diximus, minimè prævidentes, unam tinctionem fieri volue-

voluerunt. Et ut ſuæ præſumptionis auctoritatem aliquam darent, dixerunt hoc pro refugienda Arianorum ſimilitudine ab aliquibus Synodis inſtitutum: quod omnino confictum eſt. Nam neque Generalis, neque Localis ulla Synodus de una tinctione aliquando legitur tuliſſe ſententiam. Quòd ſi quis hoc affirmat, oſtendat ſcriptum, vel quibus in locis, & à quibus, vel quantis Patribus hoc decretum ſit. Quòd ſi hoc nequeunt demonſtrare, teneant à nobis fiducialiter quod & per auctoritatem Romanæ Sedis eſt traditum, & Orientalium provinciarum inſtitutio priſca demonſtrat, & antiquorum Patrum expoſitionibus, quàm etiam officialium ſacramentorum documentis ſcribitur. Ut ſicut in uno Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine, quod eſt unus Deus, unam trium dicimus eſſe ſubſtantiam; ita etiam trium perſonarum diſtinctionem * tres proculdubio credentium tinctione ſignamus. Hæc pro veſtræ juſſionis impulſu paginali brevitate perſtrinxi, poſtulans ut noſtræ apud Dominum fragilitatis memor eſſe digneris.

* Locus depravatus.

CONCILIUM TOLETANUM V.

XXII. EPISCOPORUM.

Erâ DCLXXIV.

Anno primo domini noſtri CHINTILANI Regis, id eſt CHRISTI DCXXXVI. HONORII I. Papæ X.

T I T U L I.

I. *De inſtitutione novarum litaniarum.*

II. *De cuſtodia ſalutis Regum, & defenſione prolis præſentium Principum.*

III. *De reprobatione perſonarum quæ prohibentur adipiſci regnum.*

IV. *De his qui ſibi* a *regnum blandiuntur Rege ſuperſtite.*

V. *De his qui Principes maledicere præſumunt.*

VI. *Ut Regum fideles à ſucceſſoribus regni à rerum jure non fraudentur, pro ſervitutis mercede.*

VII. *Quòd in celebritate cunctorum Conciliorum Synodus Toletana temporibus Siſenandi habita, per* b *pronunciationem vocis claræ, ob cuſtodiam ſui cunctis debeat innoteſcere.*

VIII. *De indulgentia Principum noxiis* c *ſervata.*

IX. *De favore Principis Concilii acclamatione conceſſo.*

a Regni blandiuntur ſpe. C. A.

b Prolationem. Exc.

c Reſervata. C.A.

I. *De inſtitutione novarum litaniarum.*

1. APUD urbem Toletanam diverſis ex provinciis Hiſpaniæ ſacerdotes Domini d in uno pacis collegio in Baſilica S. Confeſſoris e Leocadiæ, qui conſedimus, gratiarum actiones omnipotenti Domino perſolvimus, propter ſuam magnam miſericordiam; cujus nutu in hanc convenimus concordiam, & glorioſi Principis noſtri f Chintilæ Regis initia, ob cujus ſalutis & felicitatis conſtantiam, ſupernam imploramus clementiam; quòd in medio noſtri cœtus ingreſſus cum optimatibus & ſenioribus palatii ſui, ſupplex ſe omnium orationibus commendavit, ſuoſque fideles ita facere ſancta exhortatione coëgit, atque hanc inſtitutionem, quam ex præcepto ejus & decreto noſtro ſancimus, divina inſpiratione g præmiſit; ſcilicet, ut in cuncto regno à Deo ſibi conceſſo, ſpecialis & propria hæc religioſa omni tempore teneatur obſervantia, ut à die Iduum Decembrium h litaniæ i triduo, k uſque annua ſucceſſione l peragantur, & indulgentia delictorum lacrymis impetretur. Quòd ſi dies Dominica interceſſerit, in ſequenti hebdomada m celebrentur; ut quoniam abundante n iniquitate, * & deficiente charitate *, o eò uſque protelatur malitia, ut nova exerceantur facinora, nova hæc ipſa ſurgat conſuetudo, quæ poſſit ante omnipotentis p oculos veſtra eſſe purgatio.

d In unum poſiti & collecti. *al.* qui in uno pacis oſculo. *Exc.*

e Martyris. *C. A. ut ſupra anno primo dicitur Concil. Tolet. VI. cap. 2.*

f Cinthilanæ. *A.C.*

g Promiſit. *Mſ.*

h Litania. *Exc.*

i Triduum. *C.A.*

k Ubique. *Exc.*

l Peragatur. *Exc.*

m Celebretur. *Exc.*

n Iniquitate efficitur. *Exc.*

* Deeſt. *Exc.*

o Ut uſque quaque prolata malitia nova, &c. *Exc.*

p Omnipotentis Dei oculos noſtra eſſe purgatio. *Exc.*

II. *De cuſtodia ſalutis Regum, & defenſione prolis præſentium Principum.*

2. Summâ autem nobis vigilantiâ, & grandi religionis curâ providendum eſt, ut mala, quæ aſſiduè prohibita perpetrantur, circumſpectâ diſciplinâ Eccleſiaſticâ exſtirpentur. Non enim incaſſum ſcriptum eſt:

Idem approbat Conc. Toletan. VI. cap. 16.

Prov. 19. & 21.
q Spondemus: ſed temeritate. Exc.
r Et cuncta quieta, & pacata perma. Exc.
s Servatis. Exc.
* Synod. Tol. IV. cap. 65.
t Juſtæ proviſæ. Exc.
u Procuratæ ad juris proprietatem pertinentes, injuſtè fraudentur: nec à quoquam cauſſà illicitè exquiſita lædendi eos præbeatur. Exc.
x Ne & præmiſſa contemnantur. Exc.
y Atque contemptor, & quæcũque. Exc.
z Aliquo. Exc.
a Condemnatus. C.A.

eſt: *Peſtilenti flagellato ſtultus ſapientior erit*. Quamobrem, quoniam præponderante onere delictorum experientià penè ſemper ac ſæpè fieri diſcimus quod magnopere vitare debemus; quodque etiam cuſtodituros nos, cum divinis ſacramentis q ſpopondimus, temeritate violamus: ideoque frequenter compeſcendum quod crebrò invenitur tranſgreſſum. Sed ne ſuccedentes præcedentibus, ac deinde ſequentes invideant anterioribus, r ut cuncta quietè & pacatè permaneant, hæc noſtri Concilii communiter conſiderata defertur ſententia, ut s ſervetis quæcumque in Univerſali & magna * Synodo proviſa conſcriptaque circa Principum ſalutem & utilitatem ſunt. Hæc quoque adjecta cuſtodiantur, videlicet, ut omni benignitate, omniſque firmitate circa omnem poſteritatem Principis noſtri Chintilæ Regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defenſionis adminiculum: ne rebus t juſtè proviſis, aut etiam parentum digna proviſione u procuratis, vel juris proprietate injuſtè fraudentur; ne à quoquam cauſſæ illicitæ exquiſitæ lædendi eos præbeantur; ne quocumque modo in quibuslibet rebus, ſpreta dilectione, moleſtentur. Hæc enim licentia efficit, & Principes in ſubjectis ſuſpectos, & ſubjectos in bonis Principum cupidos. Quocirca, x ne hæc promiſſa timerentur, & ut cupiditas radix omnium malorum auferatur, conteſtamur omnes præſentes & abſentes, vel etiam futuris temporibus ſubſequentes, coram Deo & angelis ejus, quòd ſi quiſquam noſtræ conſtitutionis temerator extiterit, y & quacumque argumentatione odiosè eos moleſtare, aut in z aliquot fuerit conatus lædere, ſit anathema in Chriſtianorum omnium cœtu, atque ſuperno condemnetur judicio; ſit exprobabilis omnibus Catholicis, & abominabilis ſanctis angelis in miniſterio Dei conſtitutis; ſit in hoc ſæculo perditus, & in futuro a damnatus, qui tam rectæ proviſioni noluit præbere conſenſum.

III. *De reprobatione perſonarum quæ probibentur adipiſci regnum.*

b Quon. ſunt. Exc.
c Qui paſſim. Exc.
d Poteſtatis. C. A.
e Ut ſi quis. Exc.
f Præficit. Exc.

3. Inexpertis & novis morbis novam decet invenire medelam. Quapropter, b quoniam inconſideratæ quorundam mentes, & ſe minimè capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, c paſſim putant, licenterque ad regiæ d majeſtatis pervenire faſtigia; hujus rei cauſâ noſtra omnium, cum invocatione divina, profertur ſententia, e ut qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium f probat, nec Gotthicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, ſit à conſortio Catholicorum privatus, & divino anathemate condemnatus.

IV. *De bis qui ſibi regnum blandiuntur ſpe, Rege ſuperſtite.*

g Perniciofum. Exc.
Act. 1.
h Cum excom. Exc.
i Expellatur. C. A. Exc.

4. Ergo quia & religioni inimicum, & hominibus conſtat eſſe g ſuperſtitioſum, futura illicitè cogitare, & caſus Principum exquirere, ac ſibi in poſterum providere; cùm ſcriptum ſit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*; hoc decreto cenſemus, ut quiſquis inventus fuerit talia perquiſiſſe, & vivente Principe in alium attendiſſe pro futura regni ſpe, aut alios in ſe propter id attraxiſſe, à conventu Catholicorum h excommunicationis ſententiâ i repellatur.

V. *De bis qui Principes maledicere præſumunt.*

Vide leg. Wiſigotbor. lib. 2. titul. 1. leg. 2.
1. Corinth.
k Morbis. Exc.
l Deliberatione. Exc.
Exod. 22.
Actor. 23.
m Principi. Exc.
n Ne maledixeris Exc.

5. Sed & hoc pro peſtilentioſis hominum k moribus, ſalubri l ordinatione cenſemus, ne quis in Principem maledicta congerat. Scriptum eſt enim à legislatore: m *Principem populi tui* n *non maledices*. Quòd ſi quis fecerit, excommunicatione Eccleſiaſtica plectatur. Nam ſi *maledici regnum Dei non poſſidebunt*, quantò magis talis ab Eccleſia neceſſariò pellitur, qui divinæ violator ſententiæ invenitur?

VI. *Ut Regum fideles à ſucceſſoribus regni à rerum jure non fraudentur, pro ſervitutis mercede.*

Idem infrà Concil. Tolet. VI. cap. 14. Eādē phraſim habes leg. Wiſigotth. l. 3. tit. 2. lib. 8. Ipſa quoque. De donatis, & profligatis rebus, faciēdi quod voluerit libertatē habeat.
p Aut. Exc.
q Proprium. Exc.
r Diſcrimine. Exc.

6. Simili providentia pro fidelibus Regum noſtra datur ſententia, ut quiſquis ſuperſtes Principum extiterit, juſtè in rebus profligatis, & p largitate Principis acquiſitis nullam debeat habere jacturam. Nam ſi licenter & injuſtè fidelium perturbentur mentes, nemo optabit q promptum ac fidele præbere obſequium, dum cuncta nutant in incertum, & in futuro r diſcriminis formidatur cauſſa: ſed ſaluti & rebus eorum principalis pietas debet præbere ſuffragia: exemplis enim cæteri provocantur ad fidem, quum fideles non fraudantur mercede.

VII. Quid

VII. *Quòd in celebritate cunctorum Conciliorum Synodus Toletana temporibus Siſenandi habita, per pronunciationem vocis claræ, ob cuſtodiam ſui, cunctis debeat innoteſcere.*

7. Propter malarum mentium facilitatem & memoriç oblivionem hoc ſacratiſſima ſtatuit Synodus, ut in omni Concilio Epiſcoporum Hiſpaniæ, Univerſalis Concilii decretum, quod propter Principum noſtrorum eſt ſalutem conſtitutum, peractis omnibus, in Synodo publica voce debeat pronunciari: quatenus ſæpè s ſuppllcatum auribus, vel aſſiduitate iniqoorum mens territa corrigatur, quæ ad prævaricandum & oblivione & facilitate t producitur.

Conc. IV. Toletan. cap. 65.
s Replicatū. Exc.
t Perducitur. C. A.

VIII. *De indulgentia Principum noxiis ſervata.*

8. In his omnibus quæ præmiſimus, poteſtatem indulgentiæ in culpis delinquentium Principi reſervamus: ot juxta bonitatis & pietatis ſuæ moderamen, ubi emendationem proſpexerit mentium, veniam tribuat culparum.

IX. *De favore Principis Concilii acclamatione conceſſo.*

9. His verò omnibus finem & robur ſubſcriptione noſtra facientes, gloriam & laudem omnipotenti u Domino, in quantum mortalium valetudo ſioit, reddimus. Poſt x hoc gratias excellentiſſimo & * glorioſiſſimo Principi noſtro Chintilæ Regi peragimus, cujus ardor Fidei, & ſtudium bonæ intentionis, & unanimitatis concordiam nobis tribuit, & fiduciam charitatis. Donet ei Dominus & de inimicis triumphum, & de beatitudine gaudium; cuſtodiat eum protectiona aſſidua, & y muniat bonæ voluntatis ſuæ circumſpectione tutiſſima, cujus regnum manet in ſæcula ſæculorum. Amen.

u Deo. Exc.
x Hæc. Exc.
* Glorioſo. Exc.
y Et, deeſt Exc.

1. Ego Eugenius * Dei miſeratione * Toletanæ Eccleſiæ provinciæ z Carthaginenſis Metropolitanus Epiſcopus, communibus decretis annuens ſubſcripſi.
2. Ego a Conantius * ſanctæ * Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus, his b communibus decretis annuens ſubſcripſi.
3. Ego Clarentius Eccleſiæ Accitanæ Epiſcopus, his c communibus decretis annuens ſubſcripſi.
4. Ego d Bigitinus Eccleſiæ Bigaſtrenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
5. Ego Euſebius Eccleſiæ * Baſtitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
6. Ego Hilarius Eccleſiæ Complutenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
7. Ego Marcellus Eccleſiæ Urcitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
8. Ego Florentius Eccleſiæ Setabitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
9. Ego Braulio Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
10. Ego e Ola Eccleſiæ Barcinonenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
11. * Ego Elpidius Eccleſiæ f Carcaſſonenſis Epiſcopus, ſimiliter ſobſcripſi.
12. Ego Muſitatius * Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
13. * Ego Viaricus Eccleſiæ Olyſſipponenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
14. Ego Jacobus Eccleſiæ Menteſanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
15. Ego Euſebius Eccleſiæ Valerienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
16. Ego Serpentinus Eccleſiæ Illicitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
17. Ego Suavila Eccleſiæ Oretanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
18. * Ego g Amanungus Eccleſiæ Aucenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi. *
19. Ego Egila Eccleſiæ Oxomenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
20. Ego Anſericus Eccleſiæ h Segobienſis Epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.
21. Ego Idiſclus Eccleſiæ Segontienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
22. Ego Antonios Eccleſiæ Dianienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
23. Aſphalius * in Chriſti oomine * presbyter, agens vicem domini meì Perſeverantii, his decretis annuens ſubſcripſi.
24. Petrus in Chriſti nomine i decanus, agens vicem k domini mei Antonii Epiſcopi, his decretis annuens ſubſcripſi.

* Deſunt. C. A.
z Carthaginis. C. A.
a *Malè* Tonantius. *Exc. ut ex Ildephonſo conſtat.*
* *Deeſt.* C. A.
b Omnibus. *Exc.*
c Omnibus. *Exc.*
d Vigitanus. C. A.
* Bigerrenſis.
e Hoia. *Exc.* Oia. *C. A. Alii* Ula.
* *Deſunt in Exc.*
f Tvraſſonēſ. C. A.
* *Alids*, Muſtatius, *al.* Multratius.
* *Deſunt.* Exc.
* *Deſunt.* Exc.
g Amantius. C. A.
h Segobrienſ. C. A. *Idem ſubſcribit Conc. ſequenti.*
* Deſunt. C. A. *Erat hic Epiſcopus Caſtulonenſis.*
i Diaconus. C. A.
k Domini Merantuni. *Exc.*

IN NOMINE DOMINI

Flavius Chintila Rex.

10. CUM boni Principis cura omni nitatur vigilantia providere patriæ gentiſque ſuæ commodo, tunc potiſſimùm non exiſtit infructuoſa, ſi etiam ſuâ induſtriâ placatur divina clementia. Ideoque noſtræ manſuetudinis, collectis in urbem Toletanam ex provinciis diverſis Epiſcopis, adhortationis extitit inſtantia, ut tempore congruo hæc religionis per eorum ſententiam inſtitueretur obſervantia, ut à die Iduum Decembrium, quod eorum decrevit ſanctitas, litaniæ per omnes regni noſtri provincias omni debeant celebrari devotionis cura. Quocirca tam ſacratiſſimæ electioni, & omni deſiderio amplectendæ regali auctoritate faventes, & quæcumque in eadem Synodo definita ſunt, confirmantes, decrevimus, ut in triduo conſcripto, juxta quod reverendiſſimorum virorum continet decretum, ab omni anima Chriſtiana cœlorum Domino humilitatis ſatisfactio dependatur; & pro facinoribus atque flagitiis, quibus quotidie graſſante diabolo irretimur, lacrymis jejuniiſque digna obſequia rependamus. Verumtamen, ut vobis certiùs præfatorum Patrum ſententia innoteſcat, eam ſubter connecti præcipimus. Oraculis autem noſtris ſancimus, ut hi, quorum in quibuslibet rebus patriæ noſtræ invigilat cura, id eſt, tam optimatum quàm Comitum, judicum etiam, cæterorumque ordinum, præcipua ſolicitudo exiſtat, ut his diebus ab omni omnino inquietudine, vel qualibet negotiorum actione omnis conditio, ætas, & ſexus debeat vacare: ut otio ſancto mancipati, aptiores erga Deum reddi poſſint cœleſtem implorando miſericordiam conſequi. Ergo ut omnes hoc præcepto noſtro præmoneantur; ſacerdotum induſtriæ delegamus. Datum ſub die pridie Kalendas Julias, anno feliciter primo regni noſtri, Toleto.

NOTÆ VARIORUM.

11. CONCILIUM TOLETANUM V.] Conſtat fuiſſe Nationale, præſertim ex ſubſcriptionibus, in quibus ſubſignat Braulio Cæſarauguſtanus, Ola Barcinonenſis, Elpidius Carcaſſonenſis, Viaricus Olyſſipponenſis. Et infrà Concilio Tolet. VI. cap. 18. dicitur: *Jam quidem in antecedenti Univerſali Synodo.* & cap. 2.

12. *Erâ DCLXXIV.*] Chintila Rex primo anno regni ſui hoc Concilium Toletanum coëgit, ut in fine confirmationis dicitur, *anno feliciter primo regni noſtri*. Unde corruptè legitur apud Rodericum lib. 2. cap. 19. fuiſſe electum in Regem Erâ DCLXXIX. LOAISA.

13. Annus primus Chintilæ Regis Hiſpaniæ, fuit X. Honorii Papæ, Chriſti verò DCXXXVI. quo eodem S. Iſidorus Hiſpalenſis die 4. Aprilis deſiderium ſui reliquit toti Hiſpaniæ. Et hæc videtur legitima ratio cur huic Concilio Nationali non interfuerit quiſpiam Præſul Hiſpalenſis: quoniam, nimirum, S. Iſidorus jam obierat ſub initium Aprilis: ejus autem ſucceſſor Honoratus nondum fuerat electus aut ordinatus pridie Kalendas Julias, quâ die Concilium hoc celebratum & perfectum fuit. CARD. DE AGUIRRE.

14. *Litaniæ triduo ubique.*] De litaniis ſuprà diximus eſſe obſervandas lugubri cultu, jejunio, & ciborum delectu. Aurel. I. Can. XXIX. Mogunt. I. cap. XXXII. & XXXIII. Bracar. II. cap. IX. LOAISA.

15. Jam ſuprà dictum fuit de litaniis, quas Concilium Gerundenſe titulo ſecundo præſcribit celebrandas à quinta feria poſt Pentecoſten, cum abſtinentia per illud triduum. Similiter titulo tertio ibidem præcipiuntur litaniæ ſecundæ à Kalendis Novembris, cum onere abſtinendi eo triduo à carnibus & vino. In hoc verò Concilio Tolet. V. novæ aliæ litaniæ inſtituuntur per triduum, à die Iduum Decembris: *ut indulgentia delictorum lacrymis impetretur*. Nimirum Chintila Rex, quâ erat pietate ac religione erga Deum, in ipſam Synodum *cum optimatibus & ſenioribus palatii ſui, ſupplex ſe omnium orationibus commendavit*. Unde & Patres Toletani ſtatim ferè ajunt, ſe ex præcepto ejuſdem Regis & decreto ſuo, ſancire ut ſemper de cætero eæ litaniæ celebrentur, addita ratione juſta & gravi ad id ſtatuendum.

16. Similiter ſuprà in Concil. Bracarenſi II. titulo nono decernitur, ut initio Quadrageſimæ *convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ, per triduum cum pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes, celebrent litanias*.

17. Denique in Concilio Toletano XVII. celebrato poſtea anno DCXCII titulus ſextus eſt: *De diebus litaniarum per totos duodecim menſes celebrandis*. Dicitur autem ibidem initio, eam fuiſſe *priſcorum Patrum inſtitutionem*. & deinde ſtatuitur, *ut per univerſas Hiſpaniæ & Galliarum provincias* idē mos ſervetur, *& exhomologeſes votis gliſcentibus celebrentur: quatenus dum generalem omnipotens Deus afflictionem perſpexerit, & delictis omnibus miſeratus indulgeat, & ſævientis diaboli incitamenta ab animis omnium procul efficiat.* Itaque ejuſmodi litaniæ ſingulis anni menſibus per triduum exhibebantur ſimul cum exhomologeſi, id eſt confeſſione peccatorum, & operibus pœnitentiæ, afflictioniſque.

18. Hic priſcorum Patrum, & ſpeciatim Hiſpanorum, mos fuit. Perduravitque multis poſtea ſæculis. Nam, ut habemus ex ſchedis magni viri Antonii Auguſtini, anno Chriſti MLVI. Compoſtellæ habitum fuit Conciliū ſub Creſconio

Præ-

Præſule., exhibendum à nobis Tumo III. paginâ 218. in quo, præter plura alia circa diſciplinam Eccleſiaſticam præclarè ſtatuta, præceptum fuit, ut Epiſcopi omnes & ſacerdotes quotidie Miſſam celebrarent, ac tempore jejunii ac litaniarum, quoties publica delictorum expiatio fiebat, cilicio induerentur. CARD. DE AGUIRRE.

19. *Subſcriptiones.*] Omnes hi Epiſcopi ſubſcribunt in IV. Toletanu, præterquam Eugenius Tuletanus, qui Juſto; Ola Barcinonenſis, qui ſucceſſit Severo; & Amanungus Aucenſis, qui ſocceſſit Stephano; & Antonius Dianienſis, Vigitinus (ſcribe Bigitinus) Muſtatius Valentinus (lege Muſitatius) Perſeverantius & Antonius, qui per vicarios Concilio interſunt; erant alter Caſtellonenſis, alter Segobrienſis. Eugenius Toletanus Juſtu ſucceſſit in ſacerdotio Tuletanu, quod, ut auctor eſt Ildephonſus in ejus vita, ferè undecim annos rexit, regnantibus Chintila, Tulgane, Cindaſvindo Regibus. LOAISA.

20. *Ego Eugenius Toletanæ Eccleſiæ Metropolitanus*, &c.] De illu ita S. Ildephonſus *De viris illuſtribus: Eugenius Helladii diſcipulus, collector & conſors Juſti, Pontifex poſt Juſtum abſceſſit, ab infantia monachus, ab Helladio cum Juſto pariter ſacris in monaſterio inſtitutionibus eruditus. Hunc ſecum Helladius à monaſterio tulit, ad Pontificatum tractus: qui rurſus ab eo clericalibus inſtitutu: ordinibus, ſedis ejus poſt eum tertius rector acceſſit. Et bonum meritum ſenis, qui duobus diſcipulis, ſanctiſq; filiis, Eccleſiæ Dei hæreditatem meruit relinquere gubernandam. Idem Eugenius moribus inceſſuq; gravis: nam numeros, ſtatum, incrementa decrementaq;, curſus recurſuſq; lunarum tantâ peritiâ novit, ut conſiderationes diſputationis ejus auditores in ſtuporem verterent, & inconſiderabilem doctrinam inducerent. Vixit in ſacerdotio ferè undecim annis, regnantibus Chintila, Tulgane, & Cindaſvindo Regibus.* Hæc S. Ildephonſus de Eugenio Præſide hujus Concilii, & de Juſtu ipſius deceſſure, appellans utrumque diſcipulum S. Helladii, & ambos decorans titulo ſanctitatis, ſtylo ejus ævi.

21. Præmiſerat idem Ildephonſus in Procœmio ejus libri quoddam memorabile. *Euphridius diaconus* (Eugenii Præſulis Toletani) *cùm immixtus amicitiæ ſæculari, violenter honorem presbyterii, & quædam prædia extorſiſſet; tam in reprobum ſenſum, quàm in languoris ſupereminentem pervenit ſtatum, ut cùm vivere recuſaret, tam mori ſe quàm vivere, tam vivere quàm mori vellet.* Ita videtur ibidem haberi ub textum vitiatum. Quod ſupplicium inſolitum ac tremendum Euphridii, cedit in decus Eugenii, quem offenderat, Deo nolente inultum relinquere Præſulem ab injuria irrogata.

22. Porrò de Juſto Eugenii deceſſore dixerat idem S. Ildephonſus paullò antè: *Juſtus poſt Helladium diſcipulus illius, illiq; ſucceſſor eſt, vir habitudine corporis ingeniiq; meritis decorus, atque ſubtilis, ab infantia monachus, ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtructus, in Agallienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus. Exſtitit rector annis tribus. Tempore Siſenandi obiit: qui Rex poſt hunc decimo nono die defunctus abſceſſit.* Quamvis autem decurſu vitæ, quæ brevis fuit, inſigni ſanctitatis opinione fulgeret, ut ait Ambroſius Morales lib. 12. cap. 22. non defuit ipſi perſecutio. nam Gerontius ſacerdos valdè familiaris Regi, cœpit contemnere & vexare Juſtum ingenti faſtu. Verùm dignas tanti ſceleris pœnas dedit, teſtante id eodem S. Ildephonſo in Prologo ad laudatum librum, hiſce verbis: *Cùm Juſto Epiſcopo Gerontius presbyter, Principis oblectamine fotus, contemptum adverſitatemq; deferret, tam repentino motu vim perdidit intellectûs, ut multis medicorum curationibus, quicquid in medelam fieret, totum in peſtis augmentum creſceret. Sicq; invaluit commotio mentis, ut uſque ad obitum ſuum terror eſſet homini ejus vel participatio viſionis, vel colloquium oris.* Itaque tam Eugenius quàm Juſtus, ſimiles in multis fuerunt: ambo monachi, & ſodales in eodem monaſterio, & diſcipuli S. Helladii: ambo Præſules Tuletani, docti, & ſanctitatis famâ celebres: ambo denique ultrici manu Dei à perſecutoribus vindicati. CARDIN. DE AGUIRRE.

CONCILIUM TOLETANUM VI.

XLVIII. EPISCOPORUM,

UNIVERSALE.

Coactum Erâ DCLXXVI. id eſt anno CHRISTI DCXXXVIII. *Chintilæ Regis Hiſpaniæ ſecundo jam completo, ut conjicio, & tertio ineunte.*

TITULI.

I. *De plenitudine Fidei Catholicæ.*
II. *De obſervatione litaniarum.*
III. *De cuſtodia fidei Judæorum.*
IV. *De damnatione clericorum per pecuniam Eccleſiaſticos gradus aſſequentium.*
V. *De ſtipendiis clericorum, ne à jure alienentur* [a] *Eccleſiarum.*
VI. *De viris ac fœminis ſacris, propoſitum tranſgredientibus ſacrum.*
VII. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus.*
VIII. *Quòd quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia.*
IX. *De profeſſionibus & obedientia libertorum Eccleſiæ.*
X. *De progenie libertorum Eccleſiæ, ne eis vel* [b] *pro nutritione ab Eccleſia liceat evagari:*
XI. *Ne ſine accuſatore legitimo quiſpiam condemnetur.*
XII. *De confugientibus ad hoſtes.*
XIII. *De honore Primatum palatii.*
XIV. *De remuneratione collata fidelibus Regum.*
XV. *De collatis rebus Eccleſiis, ut in earum jure perdurent.*
XVI. *De incolumitate & adhibenda dilectione regiæ proli.*
XVII. *De his qui Rege ſuperſtite aut ſibi aut aliis ad futurum provident regnum, & de perſonis quæ prohibentur ad regnum accedere.*
XVIII. *De cuſtodia vitæ Principum, & defenſione præcedentium Regum à ſequentibus adhibenda.*
XIX. *De gratiarum actionibus in confirmatione Concilii Deo & Principi datis.*

a *Eccleſiæ.* C.A.

b *Pro nutritio eruditionis.* Exc.

I. *De plenitudine Fidei Catholicæ.*

1. CONVENIENTIBUS nobis Hiſpaniarum [c] Galliæque Pontificibus ſummis, orthodoxi & glorioſi Chintilani Regis ſalutaribus [d] hortamentis, atque in prætorio Toletano in Eccleſia Sanctæ Leocadiæ [e] virginis debitis ſedibus collocatis, ſub die [f] quinto Idus Januarii, anno præfati Principis & triumphatoris in Chriſto ſecundo, Erâ DCLXXVI. cùm primùm omnipotenti Domino pro corona fratrum tam numeroſa gratiæ à nobis fuiſſent peractæ, nihil melius, nihilque ſalubrius omnium inſedit animis, quàm more Synodi Univerſalis, poſt ſolennia perfunctæ orationis, quod mente ruminavimus linguâ narraremus, & quod corde credebamus, ore ructaremus, [g] ſupernæ faventes ſententiæ: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quòd juxta Prophetam fecit Dominus abbreviatum ſuper terram. Quamobrem ex abundantia noſtri cordis ſit confeſſio vocis; ut Fidem, quam omnium mens intrinſecus geſtat, in confeſſione interpres lingua foras effundat.

2. Itaque credimus & profitemur, ſacratiſſimam & omnipotentiſſimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum ſolum, non ſolitarium; unius eſſentiæ, virtutis, [h] poteſtatis, unius naturæ; diſcretam inſeparabiliter perſonis, indiſcretam eſſentialiter ſubſtantiam Deitatis, creatricem omnium creaturarum: Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius divinitatis: Filium à Patre intemporaliter & ante omnem creaturam ſine initio genitum, non creatum: nam nec Pater unquam ſine Filio, nec Filius extitit ſine Patre: ſed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo: * [i] Pater Filii, non Deus de Filio: * ille autem Filius Patris, & Deus de Patre, per omnia coæqualis Patri: Deus verus de Deo vero: Spiritum verò ſanctum neque genitum, neque creatum; ſed de Patre Filioque procedentem, utriuſque eſſe [k] Spiritum: ac per hoc ſubſtantialiter unum ſunt, quia & unus ab utroque procedit.

c Galliarumque. C. A.
d Hortament. abſque impedimēto. Exc.
e Martyris. Exc.
f Sexta. Exc. *In aliis LXVI. & p. 6. cap. 272. habet Erâ 676. citatque ſextum pro ſeptimo.*
Pſal. 44.
Eſai. 10.
Rom. 9.
g Superna favēte ſententia. *Unus Ms.*
h Poteſtatis, majeſtatis, uniuſque. C.A.
* i Deo. ille autē Filius Patris. *Inter ✱ella in Exc. Deſunt.*
k Spir. ſanctum. C.A.

3. In

3. In hac autem Trinitate tanta eſt unitas ſubſtantiæ, ut pluritate careat, & æqualitatem teneat: nec minor in ſingulis, quàm in omnibus; nec major in omnibus, quàm in ſingulis maneat perſonis. Ex his igitur tribus divinitatis perſonis ſolum Filium fateamur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſolvenda à ſecreto Patris arcanoque prodiiſſe, & [l] hominem ſine peccato de ſancta ſemper Virgine aſſumpſiſſe; ut idem Filius Dei Patris eſſet Filius hominis; Deus perfectus, & homo perfectus; ut homo Deus eſſet unus Chriſtus naturis in duabus, in perſona unus; ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto perſona geminata eſſet. Ergo à Patre & Spiritu ſancto inſeparabiliter diſcretus eſt perſonâ; ab homine autem aſſumpto, naturâ. Item cum eodem homine unus exſtat perſonâ; cum Patre & Spiritu ſancto naturâ: ac, ſicut diximus, ex duabus naturis, & una perſona unus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in forma divinitatis æqualis Patri, in forma ſervi minor Patre: hinc enim eſt vox ejus in pſalmo: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.*

l Humanitatem. Exc. *De hac phraſi ſupra diximus Concilio IV. Tol. cap. 1.*

Pſal. 21.

4. Natus itaque à Deo ſine matre, natus à Virgine ſine patre, ſolum *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Et cùm tota cooperata ſit Trinitas, formationem ſuſcepti hominis (quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis) ſolus tamen accepit hominem in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitatis. [m] Nam ſi naturam hominis, Deique [n] alteram confudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet; quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe unam, non tamen perſonam. Hic igitur Dominus Jeſus Chriſtus miſſus à Patre, ſuſcipiens quod non erat, nec amittens quod erat, inviolabilis de ſuo, mortalis de noſtro, venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, & credentes juſtificare; facienſque mirabilia, traditus eſt propter delicta noſtra, mortuus eſt propter expiationem noſtram, reſurrexit propter juſtificationem noſtram; cujus livore ſanati, cujus morte Deo Patri reconciliati, cujus reſurrectione ſumus reſuſcitati.

Joann. 1.

m Nam ſi unam nati hominis Dei alteram confeciſſet perſonam. Exc.

n Alteram in altera. C. 4.

1. Tim. 1.

Rom. 4.

5. Quem etiam venturum in fine exſpectamus ſæculorum, & cum reſurrectione omnium, æquiſſimo ſuo judicio redditurum juſtis præmia, & impiis pœnas. Eccleſiam quoque Catholicam credimus [o] ſine macula in opere, & ſine ruga in Fide, corpus ejus eſſe, regnumque habiturum cum capite ſuo omnipotente Chriſto Jeſu, poſtquam hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale immortalitatem; ut ſit Deus omnia in omnibus. Hac Fide corda purificantur, hac hæreſes exſtirpantur, in hac omnis Eccleſia collocata jam in regno cœleſti, & degens in ſæculo præſenti gloriatur, & non eſt in alia fide ſalus; *nec enim nomen aliud eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

o Abſque ruga. Exc.

1. Cor. 15.

Act. 4.

II. *De obſervatione litaniarum.*

6. Religioſiſſimi Principis noſtri devotionem, & noſtrorum conſacerdotum primo anno regni ſui conſtitutionem cum magna reverentia & veneratione ſuſcipientes, quam jam conſtat in omni regno ſuo annua vice celebrari, placuit etiam noſtra aſſenſione firmari. Proinde Univerſalis auctoritate cenſemus Concilii, ut hi dies litaniarum, qui in Synodo præmiſſa ſunt inſtituti, eodem in tempore quo juſſi ſunt excoli, [p] annuo recurſu, omni obſervatione habeantur celeberrimi: ut pro illis, quibus nunc uſque ſimul implicati ſumus delictis, ſit noſtra expiatio ante oculos Dei omnipotentis.

De litaniis Concil. Tol. V. cap. 2. Conc. IV. cap. 1.

p Anno recurſo. C. 4.

III. *De cuſtodia fidei Judæorum.*

7. Inflexibilis Judæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate & potentiâ ſupernâ. Hinc enim liquet, quòd [q] inſpiramine ſummi Dei, excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps ardore Fidei [r] inflammatus, cum regni ſui ſacerdotibus, prævaricationes & ſuperſtitiones eorum eradicare elegit funditus, nec ſinit degere in regno ſuo eum qui non ſit Catholicus. Ob cujus fervorem Fidei gratias omnipotenti Deo cœlorum Regi agimus; eo quòd ejus tam illuſtrem creaverit animam, & ſuâ repleverit ſapientiâ. [s] Donet ei præſentis ævi diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem provida nobis cura, & valdè eſt decernendum vigilanti ſolertia, ne ejus Fidei calor & noſter labor, quandoque in poſteris tepefactos liqueſcat. Quocirca conſonam cum eo corde & ore promulgamus Deo placituram ſententiam: ſimul etiam cum ſuorum optimatum illuſtriumque virorum conſenſu, [t] ex deliberatione ſancimus, ut quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non antè conſcendat regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta, pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam non permiſſurum eos violare fidem, ſed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis, aditum præbeat prævaricationis; ſed quod magnopere noſtro eſt tempore conquiſitum, debeat illibatum perſeverare in futurum. Nam incaſſum bonum agitur, ſi non ejus perſeverantiâ providetur. Ergo poſtquam ordine [u] præmiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator exſtiterit hujus promiſſi, ſit anathema maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni: [x] ſimul cum eo damnatione [y] perculſi quicumque ſacerdotum, vel quilibet Chriſtianorum ejus implicati fuerint errori. Nos enim ita præſentia decernimus, ut præterita, quæ in Univerſali Synodo de Judæis conſcripta ſunt, confirmemus. Quoniam quæcumque neceſſaria pro eorum ſalvatione ſcribi potuerunt, in eâdem eſſe cautum ſcimus. Quapropter quæ tunc decreta ſunt, valitura cenſemus.

q De ſpiramine à C. 4.

r Flammatus. C. 4.

s Ipſe quoque donet ei, & in præſenti ſæculo longam vitam &c. Exc.

t Ex delib. Exc.

u Promiſ. C. 4.

x Similique. Exc.

y Perculſis. Exc.

In IV. Tolet.

IV. *De damnatione clericorum per pecuniam Eccleſiaſticos gradus aſſequentium.*

z Pullulant. C. A. *Ivo part. 5. cap.* 22.
a Sanc. Juxta quod in præteritis Canonibus ſcriptū eſt, anathema danti & accipiēti prorſus. C. A.
b Sectator. *Exc.*
c Damnentur, qui nō pro amore Dei, ſed pro ambitione honoris tonſuram ſuſcepiſſe noſcuntur. C. A.

8. Sæpè z pullulantia pravitatum germina, licèt ſæpiſſimè Patrum juſta noverimus ſeveritate damnata, tamen quia crebris conſpiciuntur denuò vigere radicibus, juſtitiæ acriori vigore radicitus ea amputare ſancimus. a Proinde quicumque Simonis imitator, ſimoniacæ quoque hæreſis exſtiterit b auctor, ut Eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat; & per oblata munera capiat, quibus hunc, nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendet; talis inventus ſacrorum Ordinum apices penitùs adipiſci nullo modo permittatur: ſed etſi adeptus fuerit, communione privatus, cum ordinatoribus ſuis propriorum bonorum amiſſione c damnetur.

V. *De ſtipendiis clericorum, ne à jure alienentur Eccleſiarum.*

12. q. 2. Sæpe fit. *Ivo p. 6. cap.* 272.
De hac re Wambæ eſt lex in legibus Wiſigothor. lib. 4. tit. 5. l. 6.
d Ut ſi quis clericorum ſtipēdium. *Exc. Ivo. & Grat.*
a quibus interdiu deſerviunt, ut in 4. C.
e Retentionē. *Ivo.* Tentionem. C. A.
f Judicium. *Ivo.*
g Videatur. *Exc.*

9. Sæpè fit ut proprietati originis obſiſtat longinquitas temporis. Quapropter providentes decernimus, ut d quiſquis clericorum, * vel aliarum quarumlibet perſonarum * ſtipendium de rebus Eccleſiæ, cujuſcumque Epiſcopi percipit largitate, ſub precariæ nomine, debeat profeſſionem ſcribere; ut nec per e detentionem diuturnam f præjudicium afferat Eccleſiæ, & quæcumque in uſum perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res divini juris g videatur aliqua occaſione negligi, & ſubſidium ab Eccleſia, cui deſerviunt, percipere poſſint clerici. Quòd ſi quis eorum contempſerit facere, ipſe ſtipendio ſuo videbitur privari.

VI. *De viris & fœminis ſacris propoſitum transgredientibus ſacrum.*

h Voluntatē. C. A.
20. q. 3. Proclivis. *Ivo. p. 7. cap.* 35. *Burch. lib. 8. cap.* 14.
i Induerint, vel induerunt. C. A.
k Eccleſ. vel fit. *Grat.*
l Aut fuerit. *Exc.*
m Delegata. *Ivo.*
n Ad monaſteriū regrediatur. *Exc.* Ingrediatur. *Ivo.*
o Ut nec locus eis ullus ſit communionis. *Exc. Grat. & Ivo. quam lectionem ſequitur Cod. Gregor.*
* Conc. Tolet. IV. cap. 56.

10. Proclivis eſt curſus ad h voluptatem, imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quiſquis virorum vel mulierum habitum ſemel i induerit ſpontaneè religioſum; aut ſi vir deditus k Eccleſiæ choro, vel fœmina fuerit, l ac fuit m deligata puellarum monaſterio; in utroque ſexu prævaricator ad propoſitum invitus revocati cogatur: ut vir detondeatur, & puella n monaſterio reintegretur. Si autem quolibet patrocinio deſertores permanere voluerint, ſacerdotali ſententia ita de Chriſtianorum cœtu habeantur extorres, o ut nec locutio cùm eis ulla ſit communis. Viduæ quoque, ſicut * Univerſalis jam dudum ſtatuit Synodus, profeſſionis vel habitûs ſui deſertrices, ſuperiori ſententia condemnentur.

VII. *De pœnitentibus transgreſſoribus.*

p De tantis facinoribus. C. A.
q Pœnitentiæ. C. A.
Id conſtat ex III. Toletan. cap. 11. Venet. c. 3. I. Turon. cap. 5. Epaun. c. 23. & Aurel. I. cap. 13. IV. Tolet. cap. 54.
r Priorum. *Exc.*
s Excomm. & anathemate cōdemnati hab. *Exc.*

11. Quamvis priora nunquam ſiluerint p de tanto facinore Concilia, ratio tamen poſcit, ut ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur. Et ideo quoniam tanta exiſtit perverſitas hominum, ut hi, quos ſub religioſo habitu, pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ priſtinæ ſordes revocet; hujus rei cauſſâ ſancta Synodus decernit, ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexûs, ſub nomine q pœnitentiæ, in habitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, ad id, quod reliquerant, redierint, ab Epiſcopo civitatis in cujus territorio ſunt converſi, comprehenſi, rurſus legibus pœnitentiæ in monaſteriis ſubdantur inviti. Quòd ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit; tunc, ſicut r priſcorum Canonum ſtatuerunt decreta, quouſque ad dimiſſum ordinem revertantur, s excommunicati habeantur; ſed & hi, qui poſt excommunicationem vel interdictum cum ipſis communicaverint. Sacerdos autem ad quem pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere vel favore aut diligentiâ admonere noluerit, & aut revertentes ſuſcipiat, aut contemnentes de Eccleſia reiiciat, ſimili ſententia plectatur, quouſque emendationis vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetur.

VIII. *Quòd quibuſdam pœnitentibus t priſtina tradantur conjugia.*

t Reddantur. C. A.

33. q. 2. Antiqui & ſanctiſſ. *in epiſtola ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum, quæ eſt. 90.*
u Hoc gener. *Exc. Grat.*
x Canonicè. *Exc. Grat.*
y Vobis. *Exc.*
z Alter ad continentiam eit, unde fuerit. *Exc.* Unus eorum fuerit regreſſ. *Grat.*
a Abſolutionem. *Grat.*
b Ulterius. *Exc.*
c Pœnitētiæ. *Exc.*

12. Antiqui & ſanctiſſimi eſt Patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium; ſi conjugatus & fortè fuerit incontinens; ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quòd nos ſicut de viris, ita & de fœminis æquo modo cenſemus, non quidem u generaliter & x legitimè præceptum, ſed conſtat y à nobis pro humana fragilitate indultum; ea dumtaxat ratione, ut ſi is qui pœnitentiæ non eſt legibus deditus, antè ab hac vita deceſſerit, quàm ex conſenſu z ad continentiam eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò ad uxoris tranſire amplexus: ſin autem illius vita exſtiterit ſuperſtes, qui non accepit a benedictionem pœnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & b alterius conſortio fruatur uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decreviſſe; ita videlicet, ut in his omnibus ſacerdotis ordinatio exſpectetur; ut juxta quod ætatem aptam proſpexerit c continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem.

IX. *De*

IX. *De profeſſionibus & obedientia libertorum Eccleſiæ.*

13. Longinquitate ſæpè fit temporis, ut non pateat conditio originis. Unde jam decretum eſt in anteriori [d] Univerſali Concilii Canone, ut profeſſionem ſuam liberti Eccleſiæ debeant facere, qua profiteantur ſe & de familiis Eccleſiæ manumiſſos, & Eccleſiæ obſequium nunquam relicturos. Unde his quoque nos adjicimus, ut quotiens curſum vitæ ſacerdos impleverit, & de hac vita migraverit, mox cum ſucceſſor ejus advenerit, omnes liberti Eccleſiæ, vel ab eis progeniti, chartulas ſuas in conſpectu omnium debeant ipſi ſubſtituto Pontifici publicare, & [e] profeſſiones ſuas in conſpectu Eccleſiæ renovare; quatenus ſtatus ſui vigorem & illi obtineant, & obedientiâ eorum Eccleſia non careat. Si autem aut ſcripturas libertatis ſuæ intra annum ordinationis novi Pontificis manifeſtare contempſerint, aut profeſſiones * ſuas * renovare noluerint, vacuæ & inanes chartulæ ipſæ remaneant, & illi origini ſuæ redditi, ſint perpetuò ſervi.

12. q. 2. Longinquitate. Conc. Toletan. IV. cap. 69. & refertur 12. q. 2. cap. Liberti.
d Univerſalis. Grat. & Exc.
Sicque vocatur IV. Conc. quia fuit pleniſs. ut in V. c. 2. & VI. c. 1. 2. 7. & 18. & in princ. ipſius IV. Concil. Epiſcopi aiunt: Quoniam Generale Concilium agimus.
e Profeſſionē. Grat.
* Deſſ. A. C.

X. *De progenie libertorum Eccleſiæ, ne eis vel pro nutritione ab Eccleſia liceat evagari.*

14. Etenim decet, ut hi quorum parentes titulum libertatis de familiis Eccleſiæ perceperunt, intra Eccleſiam, cui obſequium debent, cauſâ eruditionis enutriantur. Contemptus quippe eſt patronorum, ſi ipſis neglectis, aliis ad educandum detur progenies manumiſſorum. Itaque cenſemus, ut ſine ſui ſtatus præjudicio ab Epiſcopis habeantur in doctrinæ obſequium; quatenus & illi debitum reddant famulatum, & nullum patiantur ſuæ ingenuitatis detrimentum. Eos verò qui aliter quàm ſententia noſtra decrevit, agere tentaverint, invitos jubemus ab Epiſcopis ad hoc ipſum reduci. Quòd ſi fortè parentes eorum eos Pontificibus ſuis dare contempſerint, & alios ſibi patronos adoptaverint, ingratorum feriantur lege libertorum.

XI. *Ne ſine accuſatore legitimo quiſpiam condemnetur.*

15. Dignum eſt, ut vita [f] innocentium non maculetur pernicie [g] accuſantium. Ideo quiſquis à quolibet criminatur, non antè accuſatus ſupplicio [h] dedicetur, quàm accuſator præſentetur, atque legum & Canonum ſententia exquiratur: ut ſi indigna ad [i] accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non judicetur, * niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſſa verſatur *.

3. q. 5. Dignum eſt, ut. Burch. lib. 16. cap. 5.
f Innocentis nulla macula. Exc.
g Accuſatoris. Ivo.
h Detur. Grat. al. deputetur.
i Cautiandū. C. A.
* Hæc deſunt à Gratiano, ſed in Cod. Gregor. addita ſunt ex originali.
k Culparum. Exc.
l Virtutem petens defend. Exc.

XII. *De confugientibus ad hoſtes.*

16. Pravarum audacia mentium, ſæpè aut malitiâ cogitationum, aut cauſsâ culparum refugium appetit hoſtium. Unde quiſquis patrator [k] cauſſarum exſtiterit talium, [l] virtute ſe nitens defendere adverſariorum, & patriæ vel genti ſuæ detrimenta intulerit rerum, in poteſtate Principis ac gentis reductus, excommunicatus & retruſus, longinquioris pœnitentiæ legibus ſubdatur. Quòd ſi ipſe mali ſui priùs reminiſcens ad Eccleſiam fecerit confugium, interceſſu ſacerdotum & reverentiâ loci regia in eo pietas reſervetur comitante juſtitia.

XIII. *De honore Primatum palatii.*

17. Qui Primatum dignitate atque reverentiæ, vel gratiæ ob meritum in palatio honorabiles habentur, his à junioribus modeſtus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores à ſenioribus & dilectionis amplectantur affectu & utilitatis imbuantur exemplo.

De dignitatibus Gothorum Palatinis dicetur infrà.

XIV. *De remuneratione collata fidelibus Regum.*

18. [m] Præmio fraudare fideles, non ſolùm [n] inhumanum, ſed etiam exiſtit injuſtum. Ideoque [o] cum fidei meritum tam in rebus divinis quàm in humanis non habeatur ingratum, dignum videtur, ut ſacerdotali ſententia conſulamus fidelibus Regis. Proinde, ut anno primo sereniſſimi Principis noſtri decrevit Concilium ſanctum, omnes [p] qui fideli obſequio & ſincero ſervitio voluntatibus vel juſſis paruerint Principis, totaque intentione ſalutis ejus cuſtodiam vel vigilantiam habuerint, à regni ſucceſſoribus, nec à dignitate nec à rebus priſtinis cauſsâ repellantur injuſtâ; ſed & nunc ita pro uniuſcujuſque utilitate Principis moderentur diſcretione, ſicut eos proſpexerit neceſſarios eſſe patriæ; & ſic illis impartiatur benignitas, [q] ut cæteris maneat gratiæ poteſtas: quatenus ita omnia in rebus juſtè [r] conquiſitis lucrentur, ut poſteris relinquendi, vel quibus voluntas eorum decreverit conferendi, ſpontaneo fruantur arbitrio. Cæterùm ſi infidelis quiſquam in capite regio, aut inutilis in rebus commiſſis præſenti piiſſimo domino noſtro Chintilano Regi exſtiterit, [s] in clementiæ ejus manu & poteſtatis nutu conſtet hujuſmodi moderatio. Nefas eſt enim in dubium deducere ejus poteſtatem, cui omnium gubernatio ſuperno conſtat delegata judicio. Quòd ſi poſt ejus deceſſum quiſpiam repertus fuerit ejus vitæ fuiſſe infidelis, quicquid largitate ipſius in rebus habuit conquiſitis, careat, confiſcandum & fidelibus largiendum.

m Præmiū fraudfidelibus. C. A.
n Immanc. C. A.
o Exc. C. A. videtur leg. ideoque quicumque Fidei merito &c. ingratus.
Concil. Toletan. V. cap. 6. Ivo. p. 16. cap. 28. Burch. lib. 15. cap. 27.
p Fideles qui obſ. Exc.
q Ut in cæteris magnæ. Exc.
r Coquiſita. Burch.
s In clemētia ejus maneat poteſtatis, ſuo nutu cōſtituēda hujuſmodi. Exc. Burch. hic paulò aliter, in quo non rectè pro poteſtatis legitur poſteritatis, & ſtatim fas pro nefas. In eo enim eſt jus poteſtatis, pro ejus poteſtatis.

t De collatis rebus Eccleſiis, ut in earum jure perdurent. C.A.
u Miniſtrare. Minimus.
x Firma ſtabilitate. Exc.

XV. [t] *Ut res Eccleſiæ quibuslibet juſtè collatæ, in earum jure firma ſtabilitate permaneant.*

19. Quia his qui Principibus dignè ſerviunt, atque deferentibus fidele illis obſequium, conſtat nos optimum [u] miniſtrâſſe ſuffragium; dum juſtè à Principibus acquiſita in eorum jure perſiſtere ſancimus indivulſa; æquum eſt maximè, ut rebus Eccleſiarum Dei adhibeatur à nobis providentia opportuna: adeò ut quæcumque rerum Eccleſiis Dei à Principibus juſtè conceſſa ſunt, vel fuerint, vel cujuſcumque alterius perſonæ quolibet titulo illis non injuſtè collata ſunt, vel exſtiterint, ita in eorum jure perſiſtere [x] firma jubemus, ut evelli quocumque caſu vel tempore nullatenus poſſint. Opportunum eſt enim, ut ſicut fidelia ſervitia hominum non exiſtere cenſuimus ingrata, ita Eccleſiis collata (quæ propriè ſunt pauperum alimenta) eorum in jure pro mercede offerentium maneant inconvulſa.

XVI. *De incolumitate & adhibenda dilectione regiæ proli.*

Ivo p. 16. cap. 29. Burch. lib. 15 c. 28.
y Talem erantè Chriſtianū videat, qui regiam ſobolē aut poſteritatē conetur expoliare rebus aut privare dignitat. Burch.
z Dantur. C.A. Tolet. V. cap. 1.
a Apta. Burch.
b Ipſis. C.A.
c Quibus tanto voto ſufficiamus voluntatis. Exc.

20. Sicut inſolentia malorum Regum odioſa ſemper & exſecrabilis exſtitit ſubjectis, ita bonorum provida utilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis [y] toleranter Chriſtianus videat Regis ſobolem, aut poſteritatem exſpoliari rebus, aut privari dignitatibus? Quòd ne fiat, cùm generalis hæc promatur de Principis filiis ſententia noſtra, id eſt, de præſenti excellentiſſimi & glorioſiſſimi Principis Chintilani Regis poſteritate, [z] dentur [a] aperta à nobis decreta, ut ea quæ Synodus præterito anno in hac Eccleſia habita conſtituit circa omnem poſteritatem ejus, univerſitas regni ſui conſervet; id eſt, ut præbeatur filiis ejus dilectio benigna & firma, & tribuantur, ubi loci opportunitas exhibuerit, defenſionis adminicula juſta: ne de rebus [b] juſtè profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate Principis, aut alicujus impenſis, aut etiam proprietate debitis fraudentur qualibet inſidia calliditatis; neve à quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum eſt, ut cujus regimine habemus ſecuritatem, ejus poſteritati decreto Concilii impertiamus quietem. Denique tanta erga nos noſtri Principis exſtant beneficia, ut longum ſit ſigillatim ea promere linguâ. Ipſe enim, auctore Deo, nobis pacem; ipſe quaſi captivam reduxit charitatem; ipſius ope quieti, ipſius ſumus largitione ditati; ipſe medicamine bonitatis ſuæ, & reis pepercit, & rectos ſublimavit: cui ſi digni voluerimus reſpondere beneficiis, non tantis exſtamus copiis virtutis, [c] quanto voto ſufficimus voluntatis.

XVII. *De his qui Rege ſuperſtite, aut ſibi aut aliis, ad futurum provident regnum, & de perſonis quæ prohibentur ad regnum accedere.*

Cōc. Tolet. V. cap. 4. Burch. lib. 15. cap. 25. Ivo. p. 16. cap. 26.
d Iterata juxta quod conven. Burch. tr.
e Cuſtodiri. Exc.
f In. C.A.
g Si veniabil. poſcit. Exc.
h Jonerius legit. Si autem retineat, & deliberationis ſuæ machi. Burch. obtineat.
* Deſunt in nonnullis.

21. Quamquam in Concilio anteriori, quod anno primo glorioſiſſimi Principis noſtri habitum eſt, de hujuſmodi re fuerit promulgata ſententia; tamen placet [d] iterare quod convenit [e] cuſtodire. Itaque Regis vita conſtante, nullus ſibi aliquo opere vel deliberatione, ſeu cujuſcumque dignitatis laïcus, ſeu gradûs Epiſcopatûs, presbyterii, aut diaconii conſecratus, cæteriſque clericatûs officiis deditus, Regem provideat contra viventis Regis utilitatem, & proculdubio voluntatem: nullo blandimento vel ſuaſione pro eadem ſpe aut alios in ſe trahat, aut ipſe in alium acquieſcat. Iniquum enim & valdè exſecrabile à Chriſtianis debet haberi, futuris temporibus illicita proſpicere, & vitæ ſuæ ignaros ventura diſponere. Quòd ſi quiſquam jam talia iniqua deliberatione [f] cum quocumque eſt meditatus, hoc ſibi noverit eſſe ſacerdotali moderatione conceſſum, [g] ut venialiter poſſit hoc ſine mora præſentis Principis auribus publicare: [h] ſi autem obſtinata deliberatione ſua machinamenta noluerit dicere, peſſimo plectatur anathemate.

22. Rege vero defuncto, nullus tyrannicâ præſumptione regnum aſſumat, nullus ſub religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel exſtraneæ gentis homo, niſi genere * Gotthus * & moribus dignus, provehatur ad apicem regni. Temerator autem hujus præceptionis ſanctiſſimè feriatur perpetuo anathemate.

XVIII. *De cuſtodia vitæ Principum, & defenſione præcedentium Regum à ſequentibus adhibenda.*

Concil. Toletan. V. cap. 2. Ivo. p. 16. cap. 27. Burchard. lib. 15. cap. 26.
i Regis. C.A.
k Adverſitate. Exc.
l Temerare præſumpſerit anath. Exc.
m Percuſſus. Burch.
n Periculo. C.A.
o Auxilium. Exc.
p Deſidiæ cauſâ. Exc.

23. Jam quidem in antecedenti Univerſali Synodo pro ſalute noſtrorum Principum conſtat eſſe conſultum: ſed libet iterare bene ſancita, & digna auctoritate munire ſalubriter ordinata. Ideoque conteſtamur coram Deo, & omni ordine angelorum, coram Prophetarum atque Apoſtolorum vel omnium Martyrum choro, coram omni Eccleſia Catholica & Chriſtianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum Regis, nemo vitam Principis nece attrectet, nemo eum regni gubernaculis privet, nemo tyrannica præſumptione apicem [i] regni uſurpet, nemo quolibet machinamento in ejus [k] adverſitatem ſibi conjuratorum manum aſſociet. Quòd ſi in quopiam horum quiſquam noſtrorum [l] temerario auſu præſumptor exſtiterit, anathemate divino [m] perculſus, abſque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio. Is autem qui ejus ſedem fuerit aſſequutus, ſi vult tanto expiari [n] piaculo, quaſi proprii patris ejus ulciſcatur interitum, in cujus defenſionis [o] auxilio univerſi regni Gotthorum conſentiat fortitudo. Si autem [p] deſidi cura, & minori zelo, tam funeſtum noluerint vindicare ſcelus, ſint omnes ex hac noſtra ſententia opprobrium cæteris gentibus,

XIX. *De gratiarum actionibus in confirmatione Concilii Deo & Principi datis.*

24. His omnibus ritè diſpoſitis, & diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam, & honorem inviſibili omnium auctori rependimus, luminum patri, & in his conſervandis ejus imploramus opem ſuffragii; ut conſtitutionibus noſtris [q] roborem tribuat ſuæ virtutis, fragilitatemque humanam * ita * huic diſpoſitioni reddat [r] efficacem, ut non judicet prævaricatricem. Nos igitur omnia ſupraſcripta, ſalva auctoritate priſcorum Canonum, ſubſcriptione noſtra firmamus: & gratias agimus Chriſtianiſſimo & glorioſiſſimo [s] Chintilano Principi noſtro, cujus ſtudio advocati, & inſtantiâ ſumus collecti; cujus voluntas [t] proba, & ordinatio exſtitit glorioſa. Donet ei Dominus, ut optimo Principi, diuturnum [u] in ſæculo præſenti triumphum, & in parte juſtorum perpetuum regnum; felicibuſque annis felix ipſe in longa felicitate fruatur, & divinæ dexteræ protectione ubique muniatur.

q Robur tribuat ſeu virtutem. *Exc.*
* *Deeſt.* *Exc.*
r Salubrem. *Exc.*
s Chintilani Regi Princ. *C. A.*
t Probata ordin. *Exc.*
u In ſæculo triũphum. *C. A.*

1. Ego [x] Silva, etſi indignus, Eccleſiæ Narbonenſis Epiſc. his conſtitutionibus editis ſubſcripſi. — x Sola. *C. A. alii* Salva. Selva *Roder. lib. 2. cap. 19.*
2. Ego Julianus Eccleſiæ Bracarenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
3. Ego Eugenius Eccleſiæ Toletanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
4. Ego Honoratus Eccleſiæ Hiſpalenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
5. Ego Protaſius Eccleſiæ [y] Valentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi. — y Placentinæ. *Exc*
6. Ego Conantius Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
7. Ego [z] Vigicinus Eccleſiæ Bigaſtrenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — z Vigitinus. *C. A.*
8. Ego Laufredus Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
9. Ego Acutulus Eccleſiæ [a] Elnenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — a Elenenſis. *C. A.*
10. Ego Joannes Eccleſiæ [b] Eleplenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — b Ilipenſis. *Exc.*
11. Ego Bonifacius Eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
12. Ego [c] Euſebius Eccleſiæ Baſtitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi. — c Eugenius. *C. A. Non benè, ut videtur ex Concil. præcedenti.*
13. Ego Hilarius Eccleſiæ Complutenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
14. Ego Jacobus Eccleſiæ Menteſanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
15. Ego Joannes Eccleſiæ [d] Dertoſanæ Epiſcopus, ſubſcripſi. — d Dertuſanæ. *C. A.*
16. Ego [e] Siſuſclus Eccleſiæ Elborenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — e Siſiſclus. *C. A.*
17. Ego David Eccleſiæ [f] Aurienſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — f Aureſinæ. *C. A.* Aurienſis. *Exc. redditur Concil. Toletan. IV.*
18. Ego Elpidius Eccleſiæ Tyraſſonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
19. Ego Ordulphus Eccleſiæ [g] Oſcenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — g Oſcitenſis. *C. A.*
20. Ego Fructuoſus Eccleſiæ Ilerdenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
21. Ego Deo-datus Eccleſiæ Egabrenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
22. Ego Profuturus Eccleſiæ Lamicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
23. Ego Servus-dei Eccleſiæ [h] Calabrienſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — h Arcobricenſis. *Exc.*
24. Ego Pimenius Eccleſiæ [i] Dumienſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — i Tedonienſis. *C. A*
25. Ego Anatolius Eccleſiæ Lutubenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
26. Ego Suavila Eccleſiæ Oretanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
27. Ego Menteſius Eccleſiæ [k] Egiditanæ Epiſcopus, ſubſcripſi. — k Iditanæ. *C. A.*
28. Ego Jovila Eccleſiæ Salmanticenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
29. Ego Ulibeſus Eccleſiæ Portugalenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
30. Ego Serpentinus Eccleſiæ Illicitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi. — * *Lege* Anſiniphus *ut in IV. Tolet.*
31. Ego Braulio Eccleſiæ Cæſaraugoſtanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
32. Ego [l] Ola Eccleſiæ Barcinonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — l *C. A. ſuprà*, Oja.
33. Ego Anſericus Eccleſiæ Segobienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
34. Ego [m] Diadicus Eccleſiæ Olyſſipponenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — m Viaricus. *C. A. & ſic in Conc. Tol. IV. & V.*
35. Ego [n] Buda Eccleſiæ Tuccitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
36. Ego Anaſtaſius Eccleſiæ Tudenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — n Guda. *C. A.*
37. Ego [o] Gila Eccleſiæ Oxomenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — o Egila. *C. A.*
38. Ego Idiſclus Eccleſiæ Segontienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
39. Ego [p] Auſeonius Eccleſiæ Lucenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — p Baſconius, *in IV. Tolet.*
40. Ego Humanugus Eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
41. Ego Epartius Eccleſiæ Italicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
42. Ego [q] Renatus Eccleſiæ Coimbrenſis Epiſcopus, ſubſcripſi. — q Renutus. *C. A. Tolet. IV. Hic Renatus eſt, qui in IV. Tolde[t]o Emulphi Epiſcopi ſubſcripſit presbyter Conimbrienſ.*
43. Ego Tunila Eccleſiæ Malacitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
44. Ego Juſtus Eccleſiæ Accitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.
45. Ego Dominus Eccleſiæ Æſonenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
46. Ego Gotumarus Eccleſiæ Irienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
47. Ego Farnus Eccleſiæ Viſenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
48. Ego [r] Guntiſcus presbyter, agens vicem Orontii Epiſcopi Eccleſiæ Emeritenſis, ſubſcripſi. — r Gutiſclus. *C. A.*
49. Ego Domarius presbyter Arcavicenſis Eccleſiæ, agens vicem Carterii Epiſcopi, ſubſcripſi.
50. Wamba diaconus, * qui & Petrus *, Eccleſiæ Segobienſis, agens vicem Antonii Epiſc. ſubſcripſi. — * *Deſunt. C. A.*
51. Citionius presbyter, agens vicem Guimi Epiſcopi Eccleſiæ Calagurritanæ, ſubſcripſi.
52. Severinus * ſanctæ * Eccleſiæ Valentinæ diaconus, agens vicem Muſitacii Epiſcopi, ſubſcripſi. — * *Deeſt. A. C.*

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM.

25. C*ONCILIUM TOLETANUM VI.*]. Jam ſub ipſa epigraphe monuimus, Concilium iſtud habitum fuiſſe anno ſecundo Chintilani Hiſpaniæ Regis completo, & tertio ineunte, qui fuit duodecimus Honorii I. Papæ. Nationale, & ſatis numeroſum fuit, ac planè doctiſſimum: ut patet præſertim ex capitulo ipſius I. ubi omnes penè hæreſes eousque damnatæ, veluti contrariæ myſteriis Trinitatis atque Incarnationis, palam rejiciuntur, & ſolidè impugnantur. Credibile autem eſt, in eo ordinando & digerendo præcipuas partes habuiſſe tres inſignes Epiſcopos ſubſcribentes, Eugenium Toletanum, & Braulionem Cæſarauguſtanum (de quibus plura dedimus in ſuperioribus) ac Conantium Palentinum (aliàs Placentinum) de quo S. Ildephonſus libro *De viris illuſtrib.* ait: *CONANTIUS poſt Marulanem Eccleſiæ Palentinæ ſedem adeptus eſt; vir tam pondere mentis quàm habitudine ſpeciei gravis, communi eloquio facundus & gravis, officiorum Eccleſiaſticorum ordinibus intentus & providus. Nam melodias ſonis multas noviter edidit: orationum quoque libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate pſalmorum. Vixit in Pontificatu ampliùs triginta annis; dignus habitus fuit ab ultimo tempore Witterici, per tempora Gundemari, Siſebuti, Svintbilani, Siſenandi, & Chintilæ Regum.* CARD. DE AGUIRRE.

26. *Convenientibus.*] Eſt Concilium Nationale, ex Hiſpaniæ & Galliæ Præſulibus coactum.

27. *In Prætorio Toletano in Eccleſia ſanctæ Leocadiæ.*] Prætorium villa eſt urbana, quæ differt à ruſtica elegantiâ & nitore: unde partem villæ lautiùs ædificatam, & patris-familiâs habitationi relictam, veteribus Prætorium appellatum, oſtendit lib. 2. ff. *De ſervitut. ruſtic.* & Palladius lib. 1. cap. 8. Tertullianus libro *De idololatria*, Suetonius in Cajo Cæſare Caligula, cap. 57. *In exſtructionibus* (inquit) *villarum & Prætoriorum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod effici poſſe negaretur.* Divus Hieronymus lib. 2. *Adversùs Jovinianum*, dolium verſatile Diogenis eleganter Prætorium nominat. Quapropter hìc Prætorium pro ipſa urbe Toleto ſumitur, in qua eſt Baſilica dicata Leocadiæ, Tago flumini impoſita, Conciliorum altrix & mater, ut diximus in Notis ad IV. Concilium Toletanum.

28. AD CAP. III. *Judæorum perfidia.*] De profeſſione Judæorum, & quomodo unuſquiſque ad Fidem veniens, indiculum profeſſionis ſuæ ſcribere debeat, eſt in libro *Legum Wiſi-gothorum*. 12. tit. 3. lib. 14. *Ego ille abrenuncio omnibus ritibus & obſervationibus ſectæ.* Ponuntur ibidèm & conditiones quas jurare debent hi qui ex eis ad Fidem convertuntur, lib. 15. *Juro primùm per Deum Patrem omnipotentem*, &c. Ad comprimendam verò perfidiam Judæorum inveteratam Innocent. IV. & Gregorius IX. & Benedict. XIII. multa decreverunt, quorum diplomata exſtant in archivis Eccleſiæ Toletanæ. LOAISA.

29. *Nec ſinit degere in regno ſuo eum, qui non eſt Catholicus.*] Hæc antiquiſſima Gotthorum Hiſpaniæ Regum, & peculiaris laus eſt, non modò tempore hujus Concilii ſub Chintilane, ſed etiam à tempore Concilii Toletani III. ſub Reccaredo, ut neminem in ſuis regnis degere paſſi fuerint alienum à Religione Catholica. Ita uſque modò ſervârunt, & ſervare pergunt Hiſpaniæ Reges, propterea CATHOLICI antonomaſticè dicti inter omnes alios Monarchas ac Principes totius Orbis Chriſtiani. Ut autem id de cætero firmiùs ac tenaciùs obſervaretur, ſtatutum fuit in hoc Concilio ab Epiſcopis, optimatibus, & illuſtribus viris, præeunte aut hortante ipſo Chintilane Rege, *ut quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitur apicem, non antè conſcendat regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam non permiſſurum eos* (nimirum Judæos) *violare Fidem; ſed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præſtet prævaricationis*, &c. Quibus verbis poſtremis videtur indicari egregium factum Reccaredi Regis, celebratum à Sancto Gregorio Magno in Epiſtola ad ipſum ſuprà edita pag. 406. num. 49. ubi ipſum laudat quòd legem quandam adversùs Judæos latam noluiſſet mutare aut abolere, oblatâ ſibi ab iis pecuniæ ſummâ, nec permiſerit religionem violari cujuſpiam utilitatis intuitu, aut *quolibet neglectu*. Certè eodem ferè tempore aut anno Honorius I. Papa notatus fuit de neglectu in hæreticis Monothelitis reprimendis, potiùs quàm de ea hæreſi docenda, ut communiter ferè traditur, & nos alibi oſtendimus. Patres autem Toletani & optimates hoc loco voluerunt obſtringere Reges ſuos, ne ullam negligentiam haberent in protegenda Fide. CARD. DE AGUIRRE.

30. *Ut vir detondeatur.*] Tonſuræ Eccleſiaſticæ uſus ab Apoſtolis fluxit, ut ait Rabanus *De inſtitutis clericorum*, cap. 3. *Ut hi qui divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi* (id eſt) *ſancti Dei, crine præciſi inno ventur*, Beda etiam lib. 5. *De geſtis Anglorum*, affirmat, quòd B. Petrus in memoriam Dominicæ coronæ, coronam ſimilis tonſuræ geſtabat in capite: & Iſidorus lib. 2. *De origine officior.* cap. 4. *Tiara* (inquit) *apud veteres conſtituebatur in capite ſacerdotum: hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa.* Unde tonſura Eccleſiaſticis viris ſemper fuit peculiaris, propter honorem & ſignificationem. Præſertim qui monaſticam vitam profitebantur, ante omnia tondebantur, ut conſtat ex Concil. Toletano IV. cap. 55. *Non aliter* (inquit) *& hi, qui detonſi à parentibus fuerint, aut ſponte ſua, amiſſis parentibus, ſeipſos religioni devoverunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, ut iidem à ſacerdote comprehenſi, ad cultum religionis*

actà

actâ priùs pœnitentiâ, revocentur. Idem Can. XVII hujus Concilii: *Nullus ſub religionis habitu detonſus*, &c.

31. Detondebantur etiam, quamvis in ſeculo manerent, qui ſub pœnitentiæ nomine habitum religionis induebant, ut conſtat ex cap. 7. hujus Concilii, ubi dicitur: *Et ideo quoniam tanta extitit perverſitas hominum, ut hi quos ſub religioſo habitu pœnitentia profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vita priſtina ſordes revocet; hujus rei cauſâ ſancta Synodus decernit, ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexus, ſub nomine pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes*, &c.

32. De tonſura monachorum vide quid dicat Epiphanius hæreſi 80. adversùs Maſſalianos. *Oportet filios* (inquit) *Virginis matris Eccleſiæ eſſe reverendos in tonſura.* Et Hieron. epiſt. XLVIII. *Ad Sabinianum*, & Beda lib. 5. *De geſtis Anglor.* & Caſſiodorus. Erat & decalvatio apud Gotthos in uſu. Verùm hæc publicæ atque perpetuæ infamiæ nota erat: ut patet ex multis Conciliis, præſertim Toletano, & Emeritenſi cap. 15. *Turpi decalvatione maneat emendatus.* & in *Legibus Wiſigotthorum*, locus eſt inſignis, præter alia multa, lib. 2. tit. 4. lib. 6. *Pari ſimul ſententia & falſarii teneantur, atque inſuper, ad aliorum terrorem, centenis flagellis, & turpiter decalvati, perenni infamiæ ſubjacebunt.* Et lib. 6. tit. 4. cap. 5. *Ad perennem infamiam deformiter decalvetur.* Quin & calvitii deformitatem adeò iniquè Romani tulerunt, ut Suetonius ſcribat, Julium Cæſarem ideo deficientem capillum revocare à vertice conſueviſſe, & ex omnibus decretis ſibi à ſenatu populoque honoribus, non aliud aut recepiſſe, aut uſurpâſſe libentiùs, quàm jus laureæ coronæ perpetuò geſtandæ. Pro maximo etiam probro idem in Gallico triumpho mœchus calvus eſt appellatus. Erat enim tonſio & excalvatio ignominioſa pœna, Chriſtianis viris & fœminis pro ludibrio à Gentilibus decreta. De qua vide quæ Cæſar Baronius, vir multiplicis eruditionis, adducit 20. Septembris in *Martyrologio Sanctorum*, explicationemque Canonis XVII. Concilii Gangrenſis ex Sozomeno lib. 3. cap. 13. quam, ut eruditam, ſequor.

33. Ad Cap. VII. *Comam nutrientes.*] Loquitur de publica pœnitentia & ſolenni, quæ non datur quibuſvis peccatoribus, ſed illis tantùm qui publicè peccaverint. Unde Concil. III. Arelat. cap. 26. dicitur, *ut qui publico crimine convicti ſunt, reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundùm Canones.* Primo etiam Toletano Canone II. ſic habetur: *Pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidiis, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam egerit.* Eſt enim pœnitentia triplex. Prima pro gravioribus criminibus, quæ publica & ſolennis in Eccleſia dicitur. Secunda temperatior, quæ inter peccatorem & presbyterum fit, ſecreta peccati manifeſtatione, & ſacerdotali correptione. Tertia, quam pro leviſſimis & quotidianis peccatis peccator apud ſemetipſum facit. Has tres pœnitentias ponit Auguſtinus libro *De Fide & operibus*, verſus finem. Hujus verò pœnitentiæ ſolennis conditiones & modos ex variis Concilior. Canonibus colligere licet: præcipuè verò ex Concilio Agathenſi cap. 15. ubi etiam diſcrimen inter ſecretam pœnitentiam & hanc publicam, in qua deponebant comam, veſtimenta mutabant, ciliciumque induebant, manifeſtè oſtenditur. Habeturque fusè apud Gratianum diſt. 50. cap. *In capite Quadrageſimæ.* & in epiſt. ad Cyprianum Cleri Romani. Et apud Sozomenum lib. 6. *Eccleſiaſt. hiſtor.* cap. 16. deſcribitur habitus & conditio pœnitentium Occidentalium Eccleſiarum. Hæc pœnitentia ſemel dumtaxat in Eccleſia concedebatur: & extra periculum, non quovis tempore relaxabatur, ſed in Cœna Domini, feriâ quintâ ſeptimanæ ultimæ Quadrageſimæ, qui pœnitentiam impleverant, per manûs impoſitionem ſacerdotis reconciliabantur, Euchariſtiæque ſumptionem. Soter Papa apud Gratianum, *De conſecrat.* diſt. 2. cap. *In Cœna Domini.* Innocentius I. Epiſtola I. cap. 7. Cabilonenſe Concil. cap. 4. 7. Eratque hæc publica pœnitentia infamis, clericis & ſacerdotibus interdicta. Conſule de hac re Gratianum tota diſtinctione 50. Loaisa.

34. Ad Cap. VIII. *Quod quibuſdam pœnitentibus priſtina traduntur conjugia.*] Continentia duplici tempore conſideranda eſt, & quum agitur pœnitentia, & poſt pœnitentiam actam. Utrumque tempus videntur Patres à pœnitentibus exegiſſe. Hoc enim teſtimonia ſuperiùs relata poſtulare videntur. Neutrum tamen, potiſſimùm ſecundum, ut abſolutè neceſſarium ab iis exactum eſt. Hoc nos docet Sanctus Leo Epiſtolâ jam citatâ ad Ruſticum Narbonenſem quæſt. 13. cujus titulus eſt: *De his qui poſt pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinam ſibi conjungunt.* Clara & perſpicua reſponſio. *In adoleſcentia conſtitutus ſi urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fuiſſe venialem ſi præter conjugem, nullam omnino aliã cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius exiſtimamus. Nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans & corporis & mentis.* Duo hinc manifeſtiſſimè colliguntur. Primùm, Leonis tempore ex vulgata Eccleſiæ praxi pœnitentes non conjugatos poſt actionem pœnitentiæ continentiam obſervare ſolitos. Unde ſanè colligitur multò magis conjugatis uxore mortua prohibitum fuiſſe ne ſecundis illigarentur nuptiis. An autem poſt pœnitentiam actam uxore liceret uti, quam ante pœnitentiæ actionem duxerat, non definit Sanctus Leo. Quia tamen ambigua ſunt illius verba, Concilii VI. Toletani Patres ea de uxoribus ante pœnitentiam ductis intellexerunt, & conſequenter ex vulgata Eccleſiæ praxi non licebat pœnitentibus miſceri cum propriis uxoribus, multò minus iis mortuis alias ducere.

35. Concilii verba nobis referre neceſſe eſt,

cùm

cùm & Leonem referant, & explicent, atque id quod contendimus, clariſſimè præcipiant. Sic illi Can. VIII. *Antiqui & ſanctiſſimi eſt Patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi conjugatus, & fortè fuerit incontinēs, ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quòd nos ſicut de viris, ita & de fœminis æquo modo cenſemus*. Hoc autem œconomicè, & per indulgentiam ab iis fieri, non autem ex ordinaria Eccleſiæ diſciplina, non ſecus ac Leo, ſtatim ſignificant, quod priùs dictum fuerat correctione quadam temperantes, *non quidem generaliter & legitimè præceptum, ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum*. Ex qua correctione, ſicut ex verbis Leonis, ſecundò manifeſtum eſt priorem obſervationem non ita fuiſſe rigidam quin ſæpè aliter diſpenſaretur, Canonibus & Pontificum decretis hoc Epiſcoporum poteſtati permittentibus.

36. Patres illi, non ſecus ac Leo Pontifex, difficultatem ex priori definitione ſpontè & evidenter emergentem non attingunt. Cùm enim de pœnitente conjugato verba faciant, ſtatim ſuboritur difficultas, quâ æquitate conjux innocens propter conſortis crimen ad continentiam obligabitur. Hanc difficultatem prætericrunt, quia id quod ut iniquum aſſumit, æquitatis eſſe non dubiæ cenſuerunt; his forſan rationibus freti quòd maritus & uxor in individuum ejuſdem vitæ & fortunæ, bonæ malæve, conſortium convenerint, atque ideo alterum conjugium alterius incommoda ferre obligatum, juxta regulam juris, *qui ſentit commodum, ſentire debet & onus*. Deinde ratione à pari ducti ſunt. Conjugum alter altero ægrotante abſtinere tenetur, donec ſanitatem recuperaverit. Quid ni feret idem alter altero ſpiritaliter ægrotante? Alii tamen Canones cap. 18. relati deſiderant alterius conjugis conſenſum, alii juvenibus volunt non facilè pœnitentiam concedi, de quibus infrà. Sed prior ſeveritas diutiſſimè manſit, ut ex iis manifeſtum eſt quæ cap. 21. & præcedente dicta ſunt.

37. Verùm Toletani Patres aliam difficultatem ex præcedente ortam commemorant & diſſolvunt: indulgentiam enim illam ad priſtinum matrimonium revertendi hac conditione permittunt, *eâ dumtaxat ratione, ut ſi is qui pœnitentiæ non eſt legibus deditus, antè ab hac vita deceſſerit, quàm ex conſenſu ad continentiam eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò ad uxorios tranſire amplexus. Sin autem illius vita exſtiterit ſuperſtes qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & alterius conſortio fruatur uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decretum eſſe*. Quanquam iſtius ſpeciei mentionem diſertam non faciat Leo, ipſius tamen menti eſſe conformem non video quare dubitari poſſit. Denique nullo modo ſunt omittenda quæ in fine Canonis addunt Patres, cùm ſecundum conſectaneum mirificè confirment. Quæ igitur ſtatuerunt, eo modo docent obſervanda, *ut in his omnibus ſacerdotis ordinatio exſpectetur, ut juxta quod ætatem aptam proſpexerit continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem*. Nonnulli alii Canones Conciliorum poſteriorum ejuſdem indulgentiæ teſtes relati ſunt.

38. Difficultas opponi poteſt, quòd & Sanctus Leo, & Concilium Toletanum, de pœnitentia tantùm loquantur in periculo mortis juvenibus impoſita, ac proinde non conſequi eandem indulgentiam juvenibus, qui eam ſani accipiunt, eſſe præſtandam. Immo à contrario planè argumentandum eſt. Si in periculo mortis elapſo periculo hæc indulgentia præſtatur, multò magis extra hoc periculum præſtabitur. Pœnitentiæ enim in extremis petitæ licèt concederentur, nunquam fuerunt favorabiles. Multò pluris ſemper fecerunt ſanorum pœnitentiam, quàm ægrotorum, eò quòd, ut ajebant, illi peccata relinquerent, hi verò à peccatis relinquerentur. Ideo cùm ſanis pœnitentiam agentibus dubium non eſſet apud eos hanc indulgentiam præſtari poſſe; de ægris & in periculo conſtitutis dubitatum eſt, & modo enarrato reſponſum fuit. MORINUS *De Pœnitentia*, lib. 5. cap. 24. num. 10. & ſeqq.

39. AD CAP. XII. *Sacerdotum & reverentia loci*.] Ad immunitatem Eccleſiæ ſervandam, duas cauſſas affert: prima eſt interceſſio ſacerdotum, ſecunda reverentia loci. Semper fuit religioſum, ad Eccleſiam confugientes, pro loci cultu & obſervantia, inde non abſtrahi; ut conſtat ex Codice Juſtiniani & Theodoſii, *De his qui ad Eccleſiam confugiunt*. Quas leges laudat S. Gregor. lib. 11. epiſt. LIV. Sanctus Chryſoſtomus Sermone *in Eutropium*, Sozomenus lib. 8. cap. 7. Socrates lib. 6. cap. 5. Suïdas in *Eutropio*. Nicephor. lib. 13. cap. 4. Gratianus varia decreta Auguſtini & Gelaſii adfert adversùs eos, qui ad Eccleſiam confugientes, è templo abſtrahunt. Exſtantque leges Gotthorum de eadem re, lib. 9. *Fori Judicum*, tit. 13.

40. AD CAP. XIV. *In clementia ejus manu*.] Burch. hîc aliter paullò; in quo malè pro, *poteſtatis*, legitur *poſteritatis*: & ſtatim *fas* pro *nefas*. In eodem eſt *jus poteſtatis*, pro *ejus poteſtatem*.

41. AD CAP. XV. *Ut evelli quocumque caſu vel tempore nullatenus poſſint*.] Quantum piaculum ſit, res à fidelibus ſincera Fide Eccleſiis datas ab eis auferri ac diſtrahi, multa hoc tempore exſtant doctiſſimorum virorum ſcripta, quæ brevitatis cauſsâ prudens omitto: unum tantùm ſubjiciam, quod in *Conſtitutionibus Orientalibus* ſcriptum invenio lib. 1. Nicephorum Phocam donationes monaſteriis ac templis relictas prorſus aboleviſſe; lege etiam lata, ne Eccleſiæ immobilibus locupletarentur bonis; cauſſatus, Epiſcopos malè prodigere ea quæ pauperibus darentur, militibus interim deficientibus. Cujus temerariam hanc impietatiſque plenam legem Porphyrogenneta dominus Baſilius Junior alia lege lata ſuſtulit, quam dignam quæ hîc apponeretur, exiſtimavi: *Imperium noſtrum* (inquit) *quod à Deo profectum eſt, cum & à monachis, quorum pietas & virtus eſt teſtata, & à multis aliis, legem,*

gens de Dei Eccleſiis & ſanctis domibus, vel potiùs contra Dei Eccleſias, & ſanctas eorum domus à domino Nicephoro, qui Imperium invaſit, conditam, præſentium malorum cauſſam fuiſſe & radicem, & univerſalis hujus ſubverſionis & confuſionis (ut quæ ad injuriam & contumeliam, non ſolùm Eccleſiarum, & ſanctarum domorum, ſed etiam ipſius Dei facta ſit) intellexiſſet, & maximè cùm id re ipſa expertum eſſet (ex quo enim hæc lex eſt obſervata, nihil boni penitùs in hodiernum uſque diem vitæ noſtræ occurrit; ſed contrà nullum penitùs calamitatis genus defuit) ſtatuit per præſentem auream bullam, ut lex prædicta ab hoc præſenti die ceſſet, & deinceps infirma & irrita permaneat, & locum habeant & in uſu ſint quæ de Dei Eccleſiis, & ſanctis & religioſis domibus factæ ſunt leges. Ex verſione Enemundi Bonifidii. LOAISA.

In ſubſcriptiones.

42. EGO *Honoratus Hiſpalenſis Epiſcopus ſubſcripſi.*] Hac primùm vice ſubſcripſiſſe legitur Honoratus in Conciliis Hiſpaniæ. In eo enim quod quinque retrò annis celebratum fuerat Toleti ex Præſulibus totius Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis, anno DCXXXIII. S. Iſidorus illius Præſes erat Antiſtes Hiſpalenſis, qui & triennio pòſt die quarta Aprilis diem obiit. Deinde in progreſſu ejus ann. DCXXXVI. quo Concilium V. Toletanum nuper exſcriptum, fuit habitum, nondum Honoratus erat Præſul Hiſpalenſis ordinatus, ſiquidem non interfuit eidem Concilio Univerſali, uti illud appellatur à Patribus Toletanis. Solùm itaque in iſto Concilio Toletano VI. biennio poſt mortem S. Iſidori legitur interveniſſe Honoratus Epiſcopus.

43. Hinc confirmantur ea quæ diximus Tomo I. Diſſertat. IV. Excurſu VII. circa Theodiſclum quendam ſucceſſorem S. Iſidori in Sede Eccleſiæ Hiſpalenſis, & corruptorem ſcriptorum ipſius, ſubindeque Epiſtolarum Pontificiarum, quas S. Doctor collegerat. Ibidem enim multiplici argumento conjecimus, totum id inniti narrationi cuidam aſſutæ ſcriptis S. Ildephonſi in *Continuatione ad Chronicon S. Iſidori*, è qua quinque ſæculis poſtea idipſum mutuârunt Archiepiſcopus D. Rodericus, & Lucas Tudenſis, ac ſubinde Ambroſius Morales, Joannes Mariana, & cæteri recentiores. Certè ſi paullò poſt obitum S. Iſidori fuiſſet quiſpiam Præſul Hiſpalenſis nomine Theodiſclus, & ob falſa dogmata aut flagitioſam vitam depoſitus in aliquo Hiſpaniæ Concilio, debuiſſet id contingere in aliquo ex his duobus Toletanis V. & VI. quorum prius celebratum fuit paucis menſibus poſt obitum S. Iſidori, poſterius autem duobus annis poſtea. At in neutro eorum, immo tandem in nullo alio Hiſpaniæ toto illo ſæculo ſeptimo, mentio aliqua eſt cujuſpiam Theodiſcli Præſulis Hiſpalenſis, vel depoſitionis ipſius: ut patet ex omnium illorum Actis, quæ in hoc volumine exhibemus. Suſpecta itaque admodùm eſt narratio illa de Theodiſclo.

44. *Ego Protaſius Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus ſubſcripſi.*] In antiquis editionibus pro *Valentinæ*, legitur *Placentinæ*: ſed perperam. Hoc enim Concilium celebratum fuit pluſquam quingentis annis ante conditam urbem Placentiam in confinibus Caſtellæ & Luſitaniæ. Quin & Alphonſus Hiſpaniæ Rex cognomento *de las Navas*, in ſcriptura fundationis ejus teſtatur, non fuiſſe ibi urbem, populum, aut oppidum ullum, niſi ſolam turrim: ſe verò extruere *Placentiam*, civitatem, *ut placeat Deo & hominibus*. Itaque Protaſius cenſendus eſt Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ, ut in antiquiſſimis Mss. habebatur. CARDINALIS DE AGUIRRE.

45. *Ego Braulio.*] Qui & Braulius dicitur. De eo Rodericus Toletanus libro 2. cap. 19. ſic inquit: *Huic Synodo Braulio Cæſaraugustanus Epiſcopus præ cæteris illuſtris effulſit, atque piam doctrinam Chriſtianis mentibus decenter infudit: cujus & opuſcula nunc uſque Eccleſia veneratur*, &c. LOAISA.

46. Addit Rodericus de Braulione, ex eadem Synodo Romam ſcripſiſſe quandam epiſtolam diſertiſſimam, quæ ob elegantiam ſtyli admirationem excitaverit. Fortaſſis in ea facultatem petiit celebrandi Concilii, aut jam facti confirmationem, ut conjicit Ambroſius Morales libro 12. cap. 23. Nonnulla alia de eodem Braulione jam præmiſimus in Notis ad Concilium Toletan. IV. CARD. DE AGUIRRE.

CONCILIUM TOLETANUM VII.

IN NOMINE DOMINI SALVATORIS NOSTRI, incipit ſynodale decretum in Toletana urbe xxx. Epiſcopor. Concilio geſtum, anno quinto clementiſſimo domino noſtro CHINDASVINDO Rege regnante,

Die decimoquinto Kalendas Novembris, Erâ DCLXXXIV. ideſt, anno CHRISTI DCXLVI.

Chronicon generale Hiſp. habet Erâ DCLXXXIX. Idē Rodes. Tol. quem vi le lib. 2. cap. 19. Moral. & Vaſaus in Codd. Mss.

TITULI.

I. *De refugis atque perfidis clericis, ſive laïcis.*
II. *De languoris eventu miniſtrantium clericorum.*
III. *De exequiis morientis Epiſcopi.*
IV. *De exactione Eccleſiarum Galliciæ provinciæ.*
V. *De recluſis honeſtis, ſive vagis.*
VI. *De convicinis Epiſcopis in urbe regia* [a] *commorantibus.*

a Commorandis. C. A.

PRÆFATIO.

1. CUM in ſanctæ nomioe Trinitatis, pro quibuſdam diſciplinis Eccleſiaſticis, tam noſtra devotione, quàm ſtudio ſereniſſimi & amatoris Chriſti Chindaſvindi Regis noſtri, apud Toletaoam urbem conventus adeſſet, competeoter viſum eſt, motua collatione decernere quod ſolicitè conſervatum, & præſentibus & futuris commodis nimiom (ut confidimus) prodeſſe cooſtabit. Magiſque ſemper eſt magnopere providendum, quicquid vel Eccleſiaſticis moribus, vel utilitati publicæ (ſine qua quieti non vivimos) opportunum eſſe perpenditur. Nam licèt tantæ conſtitutiones Canonom exſtent, quæ ad omoem poſſent correctionem ſufficere, ſi quis eas dignetur libenter attendere; tamen quia lominis claritas tantò ampliùs emicat, qnantò fuerit ſtudioſiùs ſæpiſſimè contrectata; non parum proficit ad emendationem multorum, ſi dom ea quæ conſtituta ſunt per fraternam collatiooem ad memoriam reducantur, & illa magis adjiciantor, quæ aut deeſſe videntur, aut omoino conſtitoenda competenter exiſtimantur.

De hac re in legib. Wiſigoth. lib. 2. tit. 1. lib. 7.
b Externas. C. A.
c Indeſinentè. C. A.
d Quod ſiquidem laï. inſan. fuiſſe factum. Exc.

2. Quis enim neſciat, qoanta ſint hactenos per tyrannos, & refugas, traoſferendo ſe in [b] extraneas partes, illicitè perpetrata, & quàm nefanda eorum ſuperbia jugiter frequentata, quæ & patriæ dimioutionem afferreot, & exercituum Gotthorum [c] indeſidenter laborem imponerent? [d] Quod qoidem laïcorum inſaniâ factum, tolerandum oobis forſitan aliquotiens videretur; illud tamen vehementiùs ſtupendum, quia (quod pejus eſt) tanti ex religionis propoſito in hac interdum præſomptione præcipites efferuntur, ut oon ad levem confuſionem noſtram pertineat, ſi res ullatenus inulta remaneat, quam & mundana lege, & Eccleſiaſticâ convenit inſtanter diſciplinâ corrigere.

3. Ideoque placuit nunc concordi ſententiâ definire, ut qoiſquis in ordine clericatûs, à maximo gradu oſque ad minimum conſtitutus, in alienæ gentis regionem ſe quacumque occaſione transduxerit, aut exinde ſuperbiendo, vel reditum ſuum, vel qoodlibet aliud videatur expetere; ſive etiam, quo genti Gotthorum, vel patriæ, aut Regi ſpecialiter ſub hac occaſione poſſit nocere, vel fieri diſpoſuerit, vel aliquatenus fecerit; ſed & qui cum talibus cooſcius reperitur, eiſque vel conſilium vel opem adminiſtrâſſe cognoſcitur, qoaliter aut [e] ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis quæ cœperant perdurarent, ſeu quamcumque læſionem genti Gotthorum, vel patriæ, aut Principi poſt fugam ioferrent, [f] atque in ea pravitate [g] perſeveraturos dignoſcuntur ſuaſiſſe; iſte ita indubitanter omni honoris ſui gradu privetur, ut locum ejus, in quo miniſtraverat, alter continuò perpetim regendum accipiat.

e Gentem alien. fuga app.
f Aut quod in eadem pr. C. A.
g Perſeverarent quiſquis hoc feciſſe dignoſcitur, iſte ita indubitanter.
h Et uſque fecer. C. A.

4. Ipſe verò tranſgreſſor ſub pœnitentia conſtitutus, ſi reminiſcens mali [h] quod fecerit, uſque in diem mortis ſuæ rectiſſimè pœnituerit, in ſolo tantùm fine communio ei præſtanda eſt; ita ut antequam tempus finis ei adveniat, ſi quiſpiam ſacerdotum, etiam ordinante Priocipe, ei communicare conſenſerit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat io perpetuum, ac ſimili cum eo, cui communicaverit, ſententiâ condemnetur. Quoniam poteſtati Principis nullus ſacerdotum in hoc [i] præbere

i Præbeat aſſ. C. A.

debet

debet aſſenſum, unde vel perjorium videatur incurrere, vel (qood abſit) ſi quicumque Catholicæ Fidei prævaricator Prioceps ſurrexerit, [k] ſacerdotes iidem, vel favore Priocipis, vel terrore, à rectæ credulitatis lumine ad tenebras [l] cogaotur reverti. Sic enim oec ſuper adnexa capitula, vel imperiis Principum, vel terroribus oportebit unquam [m] evacuari: qoia novimus omnes peoè Hiſpaniæ ſacerdotes, omneſque ſeniores, vel judices, ac cæteros homines officii Palatioi juràſſe, atque ita dudum legibus * decretum fuiſſe, ut oullus refoga, vel perfidus, qui contra gentem Gotthorum, vel patriam, ſeu Regem agere, aut in alterius gentis ſocietatem ſe traoſducere reperitur, [n] integritate rerum ſuarum [o] nullatenus reformetur; niſi forſitan Princeps homaoitatis aliquid perſonis talibus impertire voluerit: qoi tamen non ampliùs quàm vigeſimam partem rerum ei, qui perfidus exſtitit, de rebus, unde Rex elegerit, tribuendi poteſtatem habebit.

k Sacerdos nullatenus favor. *Exc. & C. A.*
l Cogatur. *C. A.*
m Evacuare. *Exc.*
* *Wiſi-gotthicis. Vide Notas.*
n Integritati. *C. A.*
o Ullatenus. *C. A.*

I. *De refugis atque perfidis clericis, ſive laïcis.*

5. Sed & quia pleroſque clericos tantæ levitatis, interdum pravitatis præſumptio ita elevat, ut prætermiſſa ſui ordiois gravitate, ac polliciti ſacramenti immemores, conſtaote Principe, cui fidem ſervare promiſerant, in alterius [p] erectione temeraria levitate [q] conſentiuot, abrogari decet hanc omnino licentiam, & à noſtro conſortio penitùs exſtirpari, ita ut ſi quicomque laïcorum quandoquidem intra fines patriæ Gotthorum [r] ſuperbiens, regni apicem ſumere fortaſſe tentaverit, eiſque clericorum qoilibet adjutorium vel favorem præſtiterit, atque hunc, qoi ſoperbire videtur ad eandem regni ambitionem prævalente delicto, pervenire contigerit; ex eo quidem die, vel tempore, eundem [s] Epiſcoporum, vel cujuslibet ordinis clericom excommunicatum manere perpetuum oportebit, quo tali ſe ſcelere implicabit; tamen ſi improbitate Principis, cui iniquè conſentit, oon potuerit inſtantiâ ſacerdotum à communione ſuſpendi; ſaltem ſi ſuperſtitem eum poſt ejuſdem Regis obitum tempus invenerit, ſuperiori aoathematis [t] correptioni ſubjaceat, quicomque illi præter in ultimo vitæ [u] ſuæ (ſi tamen honc legitimè pœnitere probaverit) commooionis gratiam conſenſerit impendendam.

6. Nobis ioterim ratio [x] perſuaſit, ſynodali ſuper [y] hoc conſtitutione decernere, ut quicumque etiam laïcorum in prædictis capitulis, hoc eſt, io [a] adverſitate gentis, aut patriæ, vel regiæ poteſtatis, in externas partes ſe cooferendo, * vel talibus opem fereodo *, noxius fuerit oltrà repertus; non ſolùm (ut dictum eſt) omnium rerum ſuarum proprietate privetur, ſed & perpetuâ excommunicatione damuatus, nonquam illi præter in ultimo vitæ ſuæ communio tribuatur: excepto, ſi aliter communionis ejus remedium, vel eorum quos ſuprà taxavimus imploratione ſacerdotum apud Principem fuerit impetratum. Nam ſi (quod oinoino fieri non oportet) io [a] derogationem aut contumeliam Principis reperiatur aliquis oequiter loqui, aut in necem Regis, ſeu defectionem iotendere, vel conſenſum præbere, nos ſiquidem hujuſmodi excommunicatione dignum cenſemus. Utrum tamen ſit illi quandoque communicandum, pietati Principis diſcernendum relinquimos, cujus proculdubio poteſtatis eſt ſubjectorum culpas miſericordiæ judiciique ſententiâ temperare.

7. Conteſtamor aotem clementiſſimos Principes, & per ineffabile divini nominis ſacramentum obteſtaotes, onanimiter obſecramos, ne quandoqoidem abſque juſta (ubi neceſſe fuerit) imploratione, ſacerdotali excommunicationis hujus ſententiam à perfidis clericis, vel laïcis ad externas partes ſe transfereotibus, vel conſenſum præbentibus, quacumque temeritate ſuſpendant. Nam [b] quod magis eorum Regum utilitatibus videtur fore conſultum, [c] ſi hujus conſtitutionis ooſtræ forma ab ipſis Principibus ſervetur, & ab omoibos ſubjectis impleri cogatur. Si quis verò hæc joſtituta putaverit eſſe exſecranda, anathema fiat, & velut prævaricator Catholicæ Fidei ſemper apud Deum reus exiſtat quicumque Regum deinceps Canonis hujus cenſuram, in quocumque credideric, vel permiſerit violandam,

p Flectionē. *Exc*
q Cōſentiant. *Exc*
r Superveniens. *C. A.*
s Epiſcopum. *C. A. Burch. lib. 15. c. 24.*
t Correctione. *C. A.*
u Suæ fine. *C. A.*
x Poſcit. *C. A.*
y Super hanc conſtitutionem decr. *C. A. Burch. paulò aliter.*
z Ad erſitatē. *Exc.*
* *Deſunt à Burch.*
a Deiectionē. *Exc. al.* dieptionem. *Sic in Foro Judic. ſeu leg. Wiſi-gotth. lib. 6. tit. 7. l. 7.*
b Quod. *C. A. in quo deeſt* Regum.
c Si conſtitutionis noſtræ forma ſervetur, exſecranda n anathema fiat. *Exc. & C. A. 7. q. 1. Nihil. Ivo. p. 2. cap. 124. Burch. lib. 2. cap. 72. Idem ferè Conc. Tol. XI. cap. 14.*

II. *De languoris eventu miniſtrantium clericorum.*

8. Nihil contra ordinis [d] ſtatum temeritatis auſu præſumatur, neque illa quæ ſumma veneratione cenſentur, [e] vel minimo præſumptioois [f] acto ſolvantur, cùm ad hoc taotùm fieri quaqoa juſſa ſunt, interrupta ooſcantur, ne languoris proventu robore ſalutis oatura privetur. Non ergo ſolùm fragilitati coofulitur humaoæ, [g] ſed etiam honori myſteriorum Dei providetur abundè, dum ab offenſionis caſu procuratur etiam caveri ſolicitè. Cenſemos igitur convenire, ot cùm à ſacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri [h] miniſterium, ſit liberum Epiſcopo vel presbytero [i] alteri, conſecrationem exſequi officii cœpti. Noo enim aliud ad ſupplementum * ſui * initiatis miniſteriis competit, quàm aut incipieotis aut ſubſeqoentis [k] completa benedictio ſacerdotis: quia nec perfecta videri poſſunt niſi perfectionis ordine compleaotur: cùm enim ſimus omnes uoum in Chriſto, nihil contrarium [l] diverſitas format, ubi efficaciam proſperitatis, unitas Fidei repræſentat. Quod etiam conſultum cuncti ordinis clerici [m] indultum eſſe ſibi non ambigant; ſed (ut præmiſſum eſt) præcedentibus [n] libenter alii pro complemento ſuccedaot. Ne tamen quod naturæ languoris cauſâ conſulitur, in præſumptionis perniciem convertatur, oullus poſt [o] cibi potûſve quemlibet minimum ſumptum Miſſas [p] facere; nullos abſque [q] patenti proventu moleſtiæ, miniſter vel ſacerdos cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si qois hæc [r] tentare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

d Statutum. *Exc.* ordinem ſtatutum *C. A. & Ivo.*
e Ulla præſumptione. *Grat.*
f Tactu *in impreſſis. noſtram lectionem ſequutum eſt Decretum Gregorianum.*
g Sed etiam ſacro honori myſt. Dei provida cavetur, ſolicitudine. *Exc.*
h Myſterium. *C. A. Grat. Ivo. & Burc.*
i Ut aliter confec. expleat. Exc.
* *Deeſt. Exc.*
k Benedictione ſint cōpleta. *Grat.*
l Perſonarum diverſ. *Grat.*
m Individuum. *Exc.*
n Statim. *Burch.*
o Cibum potumve.
p Facere præſumat. *Grat.*
q Patentis prævētu. *Grat.*
r Temerare. *Exc.* Si quis autem temerariè hoc præſumpſerit. *Grat.*

III. *De exequiis morientis Epiſcopi.*

Ivo p. 5. cap. 330. qui hæc citat ex Conc. Tolet. VIII. cap. 2. Burc. lib. 4. cap. 216.
s Toletani. C. 4. *perperam.*
t Defuncti. *Ivo. Burc.*
Can. IV. Concil. Valentin in Hiſp.

9. Ea quæ competunt honeſtati, contingit ſæpè quorundam deſidiâ non impleri. Proinde, quia notum eſt, quæ dignitas in morientis Epiſcopi exequiis ex Canonibus conſervetur, traditioni moris antiqui hoc tantùm adjicimus, ut ſi quis ſacerdotum, ſecundùm ſtatuta [s] Valentini Concilii, ad humanda [t] decedentis Epiſcopi membra venire commonitus, pigra voluntate diſtulerit, appellantibus clericis obeuntis Epiſcopi, apud Synodum, ſive apud Metropolitanum Epiſcopum, tempore anni unius, nec faciendi Miſſam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri autem ſive clerici, quibus major honoris locus apud eandem Eccleſiam fuerit, cujus ſacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuò Antiſtitis morituri, ad commonendum Epiſcopum tardi inveniantur, aut per quamcumque moleſtiam animi id negligere comprobentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur.

IV. *De exactione Eccleſiarum Galliciæ provinciæ.*

10. q. 3. Inter cætera. *Ivo. p. 3. cap. 232. Anſel. lib. 7. c. 196.*
u Communiter.
Galliciæ) *ſic eſt in omnibus Codicib. Mss. quam lectionem retinui, cùm infra dicatur, hoc decerni ex decreto Conc. Bracar. ſub cujus Metropoli erat Gallicia.*
x Vel ſingulas Eccleſias. *Ivo. Can. II. Synod. II. Bracar.*
y Expectet. *Grat. C. 4.*
z Ab hac ſolutione penſionis. Exc.
a Quinarium. Vide Notas. *In margine C. 4. erat: ut Epiſcopus cum evectionibus ambulet.*
b Correctioni. *Grat.*
c Tanquam conſtitut. Synodal. tranſgreſſor, & priſcorum Patrum corruptor. *Exc.*

10. Inter cætera denique quæ communi conſenſu nos conferre [u] competenter oportuit, querimonias etiam parochialium presbyterorum * Galliciæ provinciæ ſolertiſſimè decernere decuit, quas contra Pontificum ſuorum rapacitates, neceſſitas (ut comperimus) tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices (ut evidens inquiſitio patefecit) indiſcreto moderamine parochianas Eccleſias prægravantes, dum in exactionibus ſuperflui frequenter exiſtunt, penè uſque ad exinanitionem extremæ virtutis quaſdam Baſilicas perduxiſſe probantur. Ne ergo fiat de cætero quod conſtat hactenus inordinatè præſumptum, non ampliùs quàm duos ſolidos unuſquiſque Epiſcoporum præfatæ provinciæ, per ſingulas diœceſis ſuæ Baſilicas, juxta Synodum Bracarenſem annua illatione ſibi [y] expetent conferri: monaſteriorum autem Baſilicis [z] ab hac ſolutionis impenſione ſejunctis. Cùm verò Epiſcopus diœceſem viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat, nec unquam [a] quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut ampliùs quàm unam diem per unamquamque Baſilicam remorandi licentiam habeat. Quicumque verò Pontificum eorundem aliter quàm decernimus agendum præſumpſerit, [b] correptioni proculdubio Canonum ſubjacebit, [c] quâ conſtitutionum ſynodalium tranſgreſſores priſcorum Patrum edictis corripiendos oportet.

V. *De recluſis honeſtis, ſive vagis.*

d Docendi ſtudio. *Exc.*
e Summæ utilitatis gratiam pet. *Exc.*
f Recluſi. *Exc.*
g Hos & Dei. *Exc.*
h In tale propoſitum. *Exc.*
i Inſtituti. *Exc.*

11. Quoſdam paternarum ignaros vel oblitos traditionum, in tantam conſpicimus corruiſſe deſidiam, ut eorum exſecrando uſu penè abolita pateſcant quæ exſtiterant legitimè conſtituta. Dum enim indocti docere appetunt, quid aliud quàm quia ignorantiæ errore vexantur, oſtendunt? & quia greſſu præpoſtero innitentes, præſumptionem doctrinæ [d] diſcendi ſtudiis anteponunt, patet quòd non [e] ſumma humilitatis petunt, ſed actioni depravationis inſerviunt. Ex hoc igitur juſtæ ſeveritatis talia decernentes opportuno amputare judicio, jubemus eos, quos in cellulis propriis [f] recluſos ſanctæ vitæ ambitio tenet, quoſque ejuſdem ſancti propoſiti & merita juvant, & probitas ornat, [g] quietos Dei auxilio & noſtro favore tutos exiſtere: illos verò quos [h] in tali propoſito ignavia impulit, non prudentiæ cognitio deputavit; quoſque nulla vitæ dignitas ornat, ſed (quod eſt deterius) & ignorantia fœdat, & morum exſecratio turpat, decernimus ab his abjici cellulis atque locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur incluſi; atque ab Epiſcopis ſive rectoribus monaſteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate conſiſtunt, in monaſteriis omnimodo deputentur; ut illic ſancti ordinis meditantes doctrinam, primùm poſſint diſcere quæ ſunt à Patribus inſtituta, ut poſt valeant docere quæ ſunt ſancta meditatione percepta. Atque tunc demum, ſi doctrinæ & ſancti operis fructu exſtiterint fœcunditati, ad ſumma virtutis properent, exercitio ſanctæ intentionis imbuti.

12. Deinceps autem quicumque ad hoc ſanctum propoſitum venire diſpoſuerint, non aliter illis id dabitur aſſequi, neque hoc antea poterunt adipiſci, niſi priùs in monaſteriis [i] conſtituti, & ſecundùm ſanctas monaſteriorum regulas pleniùs eruditi, & dignitatem honeſtæ vitæ, & notitiam poterunt ſanctæ promereri doctrinæ.

k C. 4. Aut ſi fieri poteſt Cœnobiorũ Patribus corrigendos aſſignent, aut ſi difficile eſt pro ſola honeſtate vitæ, vigore poteſtatis ſuæ.

13. Illos autem, quos tantum extrema veſania occupârit, ut incertis locis vagi, atque morum depravationibus inhoneſti, ullam prorſus nec ſtabilitatem ſedis, nec honeſtatem mentis habere exſtiterint cogniti, quicumque ex ſacerdotibus vel miniſtris vagantes repererit, [k] aut, ſi fas eſt, in propriis locis cœnobio ſuis rectoribus eos reformet; aut, ſi difficile eſt, pro ſola honeſtate, vigore ſuæ poteſtatis erudiendos inclinet.

VI. *De convicinis Epiſcopis in urbe regia* [l] *commorantibus.*

l Commorandis. C. 4.
m Qui ejuſdem. *Exc.*

14. Id etiam placuit, ut pro reverentia Principis ac regiæ ſedis honore, vel Metropolitani civitatis ipſius conſolatione, convicini Toletanæ ſedis Epiſcopi, [m] juxta quod ejuſdem Pontificis admonitionem acce-

acceperint, ſingulis per annum menſibus in eadem urbe debeant commorari; meſſivis tamen ac vindemialibus feriis relaxatis. Nos autem immortali Deo & glorioſo Chindaſwinto Principi, ab cujus votum in hac urbe ſancta devotione convenimus, gratias unanimiter referentes, optabili anniſo depoſcimus, ut ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Fidei ſemper ac pacis cumuletur [n] affectus, & memorato Principi cum poſteritate præſentis regni, futuri etiam largiantur præmia gaudii, ipſo præſtante, qui in Trinitate unus Deus vivit & gloriatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

n Effectus. Exc.

Subſcriptiones Epiſcoporum.

1. Orontius in Chriſti nomine ſanctæ Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens [o] ſubſcripſi.
2. Ego Antonius Dei miſericordiâ ſanctæ Hiſpalenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
3. Eugenius ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
4. Protaſius Tarraconenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
5. Hilarius gratiâ Chriſti Epiſcopus Eccleſiæ Complutenſis, ſimiliter ſubſcripſi.
6. Siſiſclus ſanctæ Eccleſiæ Elborenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
7. Recimirus ſanctæ Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
8. Deo-datus ſanctæ Eccleſiæ [p] Egabrienſis Epiſcopus, ſtatuta hæc definiens ſubſcripſi.
9. Epartius Dei miſericordiâ Epiſcopus Eccleſiæ Italicenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
10. Stephanus Dei miſericordiâ Aſtigitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
11. Egila in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Oxomenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
12. In Chriſti nomine Anſericus Eccleſiæ ſanctæ Segobienſis Epiſc, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
13. Ubidericus Eccleſiæ Segontienſis Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
14. [q] Ubinibal Dei miſeratione Eccleſiæ Illicitanæ, qui & Erothanæ Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
15. Ego Mauriſius in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ [r] Abelenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
16. Joannes Dei gratiâ ſanctæ Eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
17. Egeredus ſanctæ Eccleſiæ Salmanticenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
18. Servus-Dei ſanctæ Eccleſiæ Caliebrenſis [s] Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
19. Baſconius etſi indignus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Lucenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
20. Gottomarius ſanctæ Eccleſiæ Irienſis indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
21. Farnus ſanctæ Viſenſis Eccleſiæ etſi indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
22. * Sona Eccleſiæ Britanenſis etſi indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. *
23. Gaudeſtens ſanctæ Eccleſiæ [t] Aurienſis Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
24. [u] Ubitaricus ſanctæ Eccleſiæ Lamecenſis Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
25. Armenius ſanctæ Eccleſiæ [x] Egitanæ Dei gratiâ Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
26. Adimirus ſanctæ Eccleſiæ Tudenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
27. [y] Annianus ſanctæ Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
28. * Donum-dei ſanctæ Eccleſiæ Empuritanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi. *
29. Ego Valentinianus Archipresbyter, agens vicem domini mei Leudefredi Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopi, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
30. Criſpinus in Chriſti nomine Abbas, agens vicem domini mei [z] Neufridi Olyſſipponenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
31. Ubilienſus presbyter, agens vicem domini mei Pimenii Epiſcopi Aſſidonenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
32. Paullus presbyter, agens vicem domini mei Candidati Epiſcopi Aſturienſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
33. Magnus presbyter, agens vicem domini mei Marci Epiſcopi Caſtellonenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
34. Reparatus presbyter agens vicem domini mei Theuderedi Epiſcopi Pacenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
35. Conſtantius presbyter agens vicem domini mei Theuderedi Epiſcopi Pacenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
36. Clemens decanus agens vicem domini mei Joannis Epiſcopi Eliplenſis Eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.
37. Ambroſius diaconus agens vicem domini mei [a] Giberici Epiſcopi Menteſanæ Eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.
38. [b] Aguila diaconus agens vicem domini mei [c] Vigitini Epiſcopi Bigaſtrenſis Eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.
39. Matacellus diaconus agens vicem domini mei [d] Dunilani Epiſcopi Malacitanæ Eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.

o Similiter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt num. 38. Exc. in quibus ſubſcriptiones nõ exſtant.

In X. Toletan. de Reccimiro Dumiẽſi. Unde legendum eſt Reccimirus, & ita ſcribendum.

p Egabren. Vide Conc. VI.

q Vinibal. C. A.

r Oretanæ. C. A.

s Calabrienſis. C. A.

* *Deſunt.* C. A.

t Aurenſis. C. A.

u *Ubitiricus.* C. A.

x Egiditanæ. C. A.

y Avecius. C. A.

* *Deſunt ab A. C. presbyteri Vicarii*

z Neufredi. C. A.

a Giverini. C. A.

b Egila. C. A.

c Vigintini. C. A.

d Dodilani. C. A.

NOTÆ

NOTÆ VARIORUM.

15. SEPTIMUM *Toletanum*.] Fuit nationale: nam in eo quatuor Metropolitæ ſubſcribunt, Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Toletanus, Protaſius Tarraconēnſis.

16. *Sub Rege Chindaſvindo*.] Sunt qui affirmant, nomen fuiſſe *Chindum* vel *Cindum*, cognomen *Suindum*, & ita ſcribendum, *Chindus Suindus*. Ejus uxor erat Reciverga. In Codice Gotthico Ms. Eugenio Toletano hæc carmina de morte conjugis Chindaſvindi tribuuntur.

Si dare pro morte gemmas licuiſſet & aurum,
Nulla mihi poterant Regum diſſolvere vitam.
Red quia ſors una cuncta mortalia quaſſat,
*Nec * præmium redimit Reges, nec fletus egentes,*
Hinc ego te conjux, quia vincere fata nequivi,
Funere perfunctam, ſanctis commendo tuendam.
Ut cùm flamma vorax veniet comburere terras,
Cœtibus ipſorum meritò ſociata reſurgas.
Et nunc chara mihi jam Reciverga valeto:
Quodq́; paro feretrum Rex Cindus Svinthus, amato.
Junge defleta. Reſtat & dicere ſummam,
Quæ tenuit vitam, ſimul & connubia noſtra.
Fœdera conjugii ſeptem ferè duxit in annis
Undecies binis ævum cum menſibus octo.
LOAISA.

* Fortè, *pretium.*

17. Integrum illius nomen eſt, FLAVIUS CHINDASVINDUS, uti habet Ambroſius Morales, ductus antiquis Ms. In antiquiſſimo illo libro, qui *Forum Judicum*, vulgò, *Fuero Juzgo* dicitur, ſolùm appellatur CINDUS. Ipſe in ſepulchrum ædificavit ac delegit monaſterium S. Romani de Orniſga prope Taurum & Zamoram, nobiliſſimas Vaccæorum urbes, intra Caſtellam Veterem. Idem excitatus deſiderio inveniendi libros Morales S. Gregorii, legationem inſtituit eam ob cauſſam ad Rom. Pontificem, ut poſtea videbimus. CARD. DE AGUIRRE.

18. *Officii Palatini*.] Et ſi commune id nomen ſit omnibus qui militant in Palatio & familia Imperatorum & Regum Gotthorum, tamen erat peculiaris ordo militiæ Palatinæ, ut patet ex tit. *De Palatinis*, Cod. lib. 12. & Cod. Theodoſiano, lib. 6. tit. 30. Minores ii erant Comitibus, atque hi qui dicebantur agentes in rebus: hi mittebantur ad peragenda negotia Principis in provinciis, & ad exigendum cenſum; ut conſtat ex conſtitutione Novella Theodoſii & Valentini Imperatorum, tit. 43. *De Palatinis*. Hi milites Palatini, declinante Imperio, Prætorianis ſucceſſere.

19. CAP. II. *Minimum ſumptum*.] Quod ſacerdos jejunus ſacrificium offerat, decrevit Soter Pontifex Max. ut eſt apud Gratian. *De conſecr.* diſt. 1. cap. *Ut illud*. & Conciliis Antiſiodoren. cap. 19. & primo Bracaren. cap. 16. & ſecundo cap. 10. & Saleguuſtadienſi cap. 4. & 3. Carthaginenſi cap. 29. & in Trull. Synod. cap. 29.

20. CAP. III. *De exequiis morientis Epiſcopi*.] De hac re decrevit Concil. Rhegin. cap. 5. & 6. & Valentinum Hiſpaniæ cap. 2. Arelat. II. cap. 5. *Qui defunctum* (inquit) *Epiſcopum advenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam nihil pretii pro fatigatione depoſcat*. Unde in C. A. *Toletani*, pro *Valentini*. De exequiis mortuorum ſuprà diximus. Nec de Epiſcopi electione tractatus haberi poteſt, Epiſcopi defuncti corpore nondum tradito ſepulturæ, cùm ſit contra canonicas ſanctiones: ut in cap. *Bonæ memoriæ* 36. *De electione*. LOAISA.

21. Ambroſius de Morales lib. 12. cap. 25. loquens de hoc Canone III. circa exequias Epiſcopi morientis, quæ tanta pietate olim curabantur, invehitur adverſus morem contrarium ſui temporis, dicens: *Valgame Dios! Quan differentes coſas de eſtas, y por eſſo muy triſtes, hemos viſto en Eſpaña en nueſtros dias! haziendoſe pactos, y llevandoſe los Cabildos gran ſumma de dineros por ſalir à recibir el cuerpo de ſu Obiſpo, trayendolo à enterrar de fuera; ò por ſacarlo de la ciudad, ſi lo llevan à enterrar à otra parte*, &c. CARDIN. DE AGUIRRE.

22. CAP. IV. *Duos ſolidos*.] Hoc dabatur propter honorem Cathedræ Epiſcopalis, hodieque *el Catedratico* vocantur, ex Concil. Bracar. II. cap. 2.

23. *Quinquagenarium numerum evectionis*.] Evectionum frequens mentio eſt Imper. conſtitutionibus. Has Budæus diplomata ſeu chartulas interpretatur, ſigno Principis obſignatas, quibus poteſtas permittitur aliquid evehendi. Cujacius verò diplomata ſeu codicillos affirmat, quibus curſu publico utendi facultas dabatur, quæ & *ſynthemata*, & *tractorias* dici ait. Unde Cod. *De curſu publico*, cavetur, ut evectiones ab omnibus petantur. Hîc nomine etiam tributum ſive vectigalia ſignificari in Dictionario ſuo adnotavit Albericus. Hinc nihil aliud evectiones illæ denotare videntur, quàm pompam illam equorum, jumentorum, ſeu curruum, quos Epiſcopi Eccleſias viſitantes in comitatu ſuo ducebant: quorum numerus, quò major erat, eò majoribus impenſis pro ſuſtentatione ejus opus erat. Ne verò hac in re Epiſcopi modum excederent, provido hîc Patrum conſilio cavetur. In hac ſignificatione etiam accepit ſummarium Decreti, equitaturaſque barbaro vocabulo vocat. Idem in Extrav. lib. 3. *De cenſibus & exaction.* ubi Pontifex de eadem re ita ſtatuit: *Hujuſmodi etiam moderationes & taxationes ad Prælatos quoslibet, qui prætextu cujuſvis conſuetudinis in monaſteriis ſive locis aliis Eccleſiaſticis gratis recipiantur, ad pabulum charitatis extendimus, & etiam prorogamus: proviſo nihilominus, quòd in locis quibuslibet, ſecundùm quòd major vel minor rerum copia fuerit in eiſdem, nec non juxta majorem vel minorem perſonarum*

&

& evectionum numerum hujuſmodi viſitantium, expenſarum majorum vel minorum debita moderatio teneatur; ita tamen quòd majores expenſæ non excedant ſummam ſuperiùs limitatam. Sunt qui evectionem non aliud quàm exactionem ſignificare exiſtiment: & hodie in ſancto Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de auctoritate modo, & ordine viſitandi Eccleſias, atque etiam de ſtipendio, quid obſervandum ſit ſtatuit, & quòd viſitantes modeſto contenti equitatu famulatuque ſtudeant quam celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſolvere.

24. *Quinquagenarium.*] Aliàs *quinarium.* verùm malè, ut patet ex Alexand. Pont. III. conſtitutionum ſuarum part. 2. cap. 6. & parte 1. cap. 4. *Statuimus* (inquit) *quòd Archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diverſitate provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionis numerum non excedant,* &c. Ticinenſis etiam Synodos exactionibus Epiſcoporum, ſecundùm provinciæ morem, modum imponit. Concil. XVI. Toletan. cap. 6.

25. Libet in calce hujus Concilii apponere, quæ Rodericus Toletanus de libris Moralium D. Gregorii ſcribit. Sic enim inquit lib. 2. cap. 19. *Et fuit in hoc Concilio* (de ſeptimo agit) *magna turbatio, eo quòd liber Moralium, quem beatus Gregorius ad petitionem beati Leandri compoſuerat, deperditus negligentiâ in Hiſpaniis non extabat. Unde & idem Princeps, ſacro Concilio approbante, Tajonem Cæſarauguſtanum Epiſcopum* (qui Synodo octavæ ſubſcribit) *religione & literaturâ præſtantem, & ſolicitum ſcripturarum, ad Romanum Pontificem cum ſua petitione pro libris Moralium navigio deſtinavit.* De qua re non gravabor ponere quæ in Cod. Ms. perantiquo memoriæ mandata invenio. Loaisa.

26. *Non ampliùs quàm duos ſolidos,* &c.] Permagni profectò intereſt duo quædam in hunc Canonem obſervari. Primum eſt, Cathedraticum illud, ſeu duos nummos, quos exprimebat Epiſcopus ab omnibus Eccleſiis viſitandis, longè aliud fuiſſe, atque procurationes, quibus non aliud quàm neceſſariæ expenſæ obiter perluſtranti & prætervolanti Epiſcopo ſuppeditantur. Diverſiſſima ſunt ex hoc Canone duo illa jura. In primo enim eſt *annua illatio,* ſeu penſio. In ſecundo impendia ſunt, quæ non fiunt niſi reapſe viſitante Epiſcopo. Denique in provincia tum Gallæciæ ultra duos nummos augeri prohibetur id jus. Huic rei aliquid præſidii accedet à Concilio Emeritenſi, cui placuit, ut parochi, Abbates, diaconi viſitantem Epiſcopum neceſſario ſumptu levarent, nec locus eſſet poſthac immunitatibus ante impetratis ab Epiſcopis qualibuſcunque. *Digni eum ſuſcipiant, & prout habuerint, aut ratio permiſerit, illi præparent quæ fuerint neceſſaria.*

27. Alterum illod rurſus obſervandum venit, pro quinque equis in comitatu Epiſcopi, qoinquaginta quibuſdam Codicibus haberi. Cui lectioni hæſiſſe, & auctoritatem addidiſſe videtur Alexander III. quòd is numerus equitum ſui ſæculi opibus luxuique magis concineret, quàm ſcopo Concilii Toletani, Canonique, quo inopia parochiarum levabator. Copioſiſſimè infrà de ea re & de eo numero diſceptabitur. Hîc neceſſariò ſubjiciēda verba ipſa Cōcilii Lateranenſis III. ſive Alexandri III, qui ei præerat. *Statuimus quòd Archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diverſitate provinciarum & facultatibus Eccleſiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionis numerum non excedant. Epiſcopi viginti vel triginta non excedant, Archidiaconi quinque aut ſeptem.* Thomassinus *De Benef.* part. II. lib. 3. cap. 78. num. 18.

28. *Nec unquam quinarium numerum evectionis excedat.*] Aliâ hujus Canonis editione non *quinarium,* fateor, ſed *quinquagenarium* equorum numerum permitti Epiſcopo viſitanti. Sed immane quantum à veriſimili diſtat, quod frænando Epiſcoporum faſtu, cohibendiſque expenſis convenerat Concilium, & levandis parochiis, eo qoinquaginta equos permitti? Ea ſanè foret non extenuatio, ſed incredibilis ferè Epiſcoporum faſtûs exaggeratio: non levatio provinciarum, ſed graviſſima depreſſio. Ne probabile quidem eſt eâ unqoam pompâ uti potuiſſe Gallæciæ Epiſcopos in obambulandis diœceſibus ſuis. At Alexander III. inquies, Archiepiſcopis id largitur, ut in comitatu quadraginta vel quinquaginta habeant equos. Eſto, ſed Archiepiſcopis tantùm permittit, & quidem opulentioribus, *pro diverſitate provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum.* Denique toleratum id fuit quo tempore in immenſum quendam cumulum excreverant opes Eccleſiarum, creverat & ſupra modum Præſulum pompa. Idem parte III. lib. 2. cap. 15. num. 10.

De ſubſcriptionibus.

29. Anſericus Segobienſis ſubſcribit in V. & VI. Tolet. Baſconius Lucenſis in IV. Tolet. Deodatus Egabrienſis in VI. Eugenius Tolet. in ſexto & qointo Tolet. qui ſucceſſit Juſto, qui in qoarto ſubſcribit. Epartius Italicenſis in VI. Egila Oxomenſis in quarto & quinto. Farnus Viſenſis in ſexto. Gotomarius Irienſis in ſexto. Hilarius Complutenſis in ſexto & quinto. Laudefredus Cordubenſis in ſexto. Joannes Elipenſis in ſexto. Orontius Emeritenſis in ſexto, qui ſucceſſit Stephano, qui in quarto ſubſcribit. Siliſclus Elborenſis in ſexto. Servos-dei in ſexto, Calabrienſis. Vigentious Bigaſtrenſis in ſexto Tolet. Vigicinus. Pimenius Aſſidonenſis in quarto Tolet. Eſt alius Pimenius Dumienſis, qui ſubſcribit in ſexto Tolet. Adimitus Tudenſis ſucceſit Anaſtaſio, qui in ſexto ſubſcribit. Aniannus Valentinæ ſucceſſit Protaſio, in ſexto Tolet. Antonius Hiſpalenſis, qui ſucceſſit Honorio, in ſexto. Armenius Egitanæ, qui ſucceſſit Menteſio, in ſexto. Candidatus Aſturicenſis ſucceſſit Concordio, in quarto Tolet. Donum-dei Emputitanæ ſucceſſit Siſaldo, quarto Tolet. Dunilanus Malacitanus ſucceſſit Theodulſo,

ſo, in ſecundo Hiſpal. Egeredus Salmanticenſis ſucceſſit Juvilæ, in ſexto. Bibericus Meuteſanæ, qui ſucceſſit Jacobo, in ſexto. Gaudeſtens Aurienſis, qui ſucceſſit David, in ſexto Tolet. Joannes Caurienſis, qui ſucceſſit Bonifacio, in ſexto. Mauriſius Abelenſis, qui ſucceſſit Juſtiniano, in quarto. Marcus Caſtellonenſis, qui ſucceſſit Perſeverantio, in quinto Tolet. Neuſridus Olyſſipponenſis, qui ſucceſit Didacio, in ſexto Tolet. Protaſius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Audaci, in quarto Tolet. Reſimundus Dumienſis, qui ſucceſſit Pimenlo Dumenſi, in quarto Tolet. Thenderedus Pacenſis, qui ſucceſſit Modarin, in IV. Tolet. Stephanns Aſtigitanæ, qui ſucceſſit Abenito, in quarto. Sona Britanenſis, qui ſucceſſit Metopio, in quarto Tolet. Ubidericus Segontienſis, qui ſucceſſit Idiſiclo, in VI. Tolet. Ubinabal Illicitanæ, qui ſucceſſit Serpentino, in ſexto Tolet. Ubitaricus Lamecenſis, qui ſuceſſit Proſuturo, in ſexto Tol. Loaisa.

30. Reparatus & Conſtantius presbyteri, ſubſcribunt num. 34. & 35. tanquam vicem agentes Theuderedi Epiſcopi Pacenſis Eccleſiæ. Rarum id quidem eſt, & fortè alibi difficilè invenietur, ut in hiſce Conciliis duo presbyteri interveniant & ſubſcribant nomine unius ejuſdemque Epiſcopi abſentis. Præterea notandum eſt, in hoc Concilio poſt Epiſcopos ſtatim ſubſcribere primo loco Valentinianum Archipresbyterum, & deinde Criſpinum Abbatem, ac quinque presbyteros, veluti vicem gerentes Epiſcoporum abſentium. Et tamen unuſquiſque eorum ait: *Hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi*. Quod argumento eſt, eo tempore vicarios Epiſcoporum abſentium in Conciliis Hiſpaniæ habuiſſe poteſtatem definiendi perinde ac illam haberent Epiſcopi ipſi ſi adeſſent. Idipſum videre eſt in Clemente Decano, qui ibidem num. 36. nomine Joannis Epiſcopi Ilipenſis *definiens ſubſcribit*. Cæterùm tres diaconi ſequentes, Ambroſins, Aguila, & Matacellus, licèt ſupplentes vicem ſuorum Epiſcoporum abſentium, variant ſtylum. nemo enim ait, *definiens ſubſcripſi*; ſed dumtaxat, *ſimiliter ſubſcripſi*. Unde patet, hos ratione minoris dignitatis ſive gradûs, admiſſos ſolùm fuiſſe ad conſultandum, non verò ad definiendum. In Concilio autem Tridentino nullus omnino eorum qui interfuerunt nomine Epiſcoporum abſentium, habuit vocem definitivam, ſed conſultivam tantùm, quamvis eſſet presbyter, Card. de Aguirre.

De viſione habita Tajoni Epiſcopo in Romana Eccleſia, & de libro Morali in Hiſpaniam ducto.

31. CHINDASVINDUS Gotthorum Rex in Toletanā urbem ſynodale decretum trigiuta Epiſcoporum, cum omni clero mirificè, anno regni ſui quinto, indicit celebrandum. Hic Tajonem Cæſarauguſtanum Epiſcopum, ordinis literaturæ ſatis imbutum, & amicum ſcripturarum, Romam ad ſuam petitionem, pro reſiduis libris Moralium navaliter porrigit deſtinatum. Qui dum à Papa Romenſe de die in diem differretur in longum, quaſi in archivo Romanæ Eccleſiæ præ multitudine quæſitum facilè nequaquam reperirent libellum, Dominum pernoctans, & ejus miſericordiam, ad veſtigia beati Petri Apoſtoli Principis, depoſcens, ei ſcrinium, in quo tegebatur, ab Angelo manet oſtenſum. Quo mox ſe Papa, ut pravidit reprehenſum, cum nimia veneratione ei adjutoria tribuit, ad conſcribendum, & Hiſpanis eum tranſmiſſit ad relegendum: quia hoc ſolum ex beati Job libris expoſitum retentabant, quod per B. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum fuerat advectum, & olim honorificè deportatum. Requiſitus verò & conjuratus eſt Tajo Epiſcopus à Martino primo Papa Romano, quomodo ei tam veridicè fuiſſet librorum illorum locus oſtenſus: hoc illi, poſt nimiam deprecationem, cum nimia alacritate eſt faſſus, quòd quadam nocte ſe ab oſtiariis Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli expetiit eſſe excubium. Atque ubi hoc reperit impetratum, noctis medio, cùm ſe nimiis lamentis, ante beati Petri Apoſtoli loculum faceret cernuum, luce cœlitus emiſſa, ita ab inenarrabili lumine tota Eccleſia exſtitit perluſtrata, ut nec modicum quid lucerent Eccleſiæ candelabra, ſimulque cum ipſo lumine unà cum vocibus pſallentium, & lampadibus relamptantium introire ſanctorum agmina. Denique ubi horrore nimis exſtitit territus, oratione ab eis completa, paullatim ex illa ſanctorum curia duo dealbati ſenes egreſſum in ea parte, qua Epiſcopus in oratione degebat, cœperunt dare præpendulum. At ubi eum repererunt penè jam mortuum, dulciter ſalutatum reduxerunt ad proprium ſenſum: cùmque ab eis interrogaretur, quā ob cauſſam tam grande exſtaret fatigium, vel quis ab Occidente properans tam longum peteret navigerium; hoc & hoc ab eo, quaſi inſcii, relatum auſcultant operæ pretium. Tum illi multis eloquiis conſolato, opportunum, ubi ipſi libri latebant, oſtenderunt loculum. Igitur ſancti illi requiſiti quæ eſſet ſanctorū illa caterva eos tam claro cum lumine comitantium, reſponderunt dicentes, Petrum eſſe, Chriſti Apoſtolum, ſimulque & Paullum invicem ſe manu tenentes, cum omnibus ſucceſſuribus Eccleſiæ, in illo loco requieſcentibus. Porrò ubi & ipſi requiſiti fuerunt, qui Domini eſſent, qui cum eo tàm mirabile habebant colloquium, unus ex illis reſpondit, ſe eſſe Gregorium, cujus & ipſe deſiderabat cernere librum; & ideo advenire, ut ejus adremuneraretur tam vaſtum fatigium, & auctum redderet longiſſimum deſiderium. Tunc interrogatus, ſi tandem in illa ſancta multitudine adeſſet ſapiens Auguſtinus, eo quòd ita libros ejus, ſicut & ipſius ſancti Gregorii, ſemper ab ipſis cunabulis amaret legere ſatis peravidus, hoc ſolummodo reſpondiſſe fertur: Vir ille clariſſimus,

&

& omnium exſpectatione gratiſſimus Auguſtinus, quem quæris, altior à nobis eum continet locus. Certè ubi ad eorum pedes cœpit prorumere, unicus ab oculis ejus, oſtiariis & ipſis territis, ſimul cum luce evanuit vir ille ſanctiſſimus. Unde ab eo die à cunctis, in eadem Apoſtolorum ſede, venerabilis Tajo, exſtitit glorioſus, qui antè deſpicabatur ut ignavus.

32. *Hæc ex vetuſto Cod. Quæ omnia paullò copioſiùs Rodericus lib. 2. cap. 20. refert. Sunt qui affirment, hunc librum Moralium Gregorii à Tajone allatum, in Eccleſia Metropolitana Cæſarauguſtæ religiosè aſſervari, magna populi & clerici veneratione.* Loaisa.

33. Sed & ad uberiorem tantæ rei notitiam, viſum adjungere verba Roderici Archiepiſcopi Toletani libro ſecundo cap. vigeſimo, quibus idipſum narrat aliquantò clariùs, ducens ordinem ab initio.

34. Beatus Gregorius Papa librum Beati Job, petente ſancto Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, expoſuit, ſicut in Prologo Moralium patenter videri poteſt, & ei expoſitum tradidit. Illeque expoſitum eum in Hiſpaniam ad ſedem Hiſpalenſem detulit. Hiſpalenſis autem civitas vulgari nomine *Sibilia* vocatur, & eſt Metropolis Hiſpaniæ. Decedente ergo B. Leandro, S. Iſidorus, germanus ejus, Doctor præcipuus, loco ejus factus eſt Archiepiſcopus. Poſt cujus deceſſum libri *Moralium*, quos B. Leander attulerat, ità per negligentiam perditi ſunt, ut in tota Hiſpania non invenirentur. Poſt aliquot ergo annos Cyndaſvindus Rex Hiſpaniæ Concilium triginta Epiſcoporum in urbe Toletana congregavit: ubi querimoniâ factâ de amiſſione Moralium, unanimi conſilio Epiſcoporum præfatus Rex Tagionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum Romam miſit cum Epiſtolis ad Papam, pro quærendis eiſdem libris. Erat enim Tagio Epiſcopus divinæ Scripturæ amator ferventiſſimus. Venit ergo Romam, præſentatiſque regalibus Epiſtolis & muneribus, cùm de die in diem videret petitionem ſuam à Papa differri, quaſi præ multitudine aliorum librorum illi quos quærebat, non poſſent in archivo Sedis Apoſtolicæ reperiri; ad ultimum poſtulavit, ut ſaltem ſibi licentia daretur, una nocte integra in Eccleſia B. Petri vigilandi & orandi. Quâ acceptâ, cùm enixiùs obſecraret Deum, ut jam jamque ſui itineris effectus proſperaretur, ecce circa mediam noctem in ipſo orationis fervore perſiſtens, vidit totam Eccleſiam immenſo lumine repleri. Deinde proſpicit magnam reverendorum virorum niveis veſtibus indutorum multitudinem, januam Eccleſiæ ingredientem, & decenti ordine binos & binos ad altare S. Petri tendentem. Cumque nimio terrore perterritus, de loco in quo ſtabat ſe movere non auderet, ecce vidit duos ex eis de cœtu illorum egreſſos ad ſe venientes. Ex quibus unus dulciter ſalutans eum, percontatur quis eſſet, unde & cur veniſſet, & cur eâ horâ ibi vigilaret? Epiſcopo verò ad ſingula reſpondente, totamque itineris ſui & orationis cauſſam referente, is qui advenerat, digitum protendens, In ſcrinio, inquit, illo, quod cernis, continentur libri quos quæris. Tunc verò Epiſcopus fiduciâ aſſumptâ, obſecro, inquit, mi domine, ut mihi ſervo tuo pandere digneris, quænam ſit illa quam cerno tam præclara virorum proceſſio? Protinus ille reſpondens, Duo, inquit, illi, quos præcedentes, ſeque invicem manu inſerta vides complectentes, Beati Apoſtoli ſunt Petrus & Paullus. Reliqui verò, quos poſt eos cernis ſtantes, ipſi ſunt ſucceſſores eorum, hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifices. Et eodem ordine quo eos in Epiſcopatu ſunt ſecuti, etiam nunc eos ſequuntur. Et ſicut hanc Eccleſiam in vita ſua dilexerunt; ità & nunc poſt obitum diligunt, & frequenter eam inviſere veniunt. Tunc Epiſcopus, Oro, inquit, mi domine, ut dicas mihi, quiſnam tu ipſe ſis. Ille reſpondit: Ego ſum Gregorius, pro cujus libris tanti itineris laborem ſuſtinuiſti. Ideoque nunc veni, ut tuæ ſatisfacerem petitioni. Tunc Epiſcopus inquit: obſecrò, domine mi, ſi hic es, mihi dicas quiſnam iſtorum eſt Beatus Pater Auguſtinus, cujus libros non minùs quàm tuos dilexi. Reſpondit: Beatum Auguſtinum virum excellentiſſimum, de quo quæris, altior à nobis continet locus. Hæc dixit, ſtatimque cum ſocio, qui ſecum venerat, ad cœtum aliorum rediit. Poſtea vidente Epiſcopo, omnes ſimul ad altare B. Petri reverenter ſubmiſſis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine januam Eccleſiæ repetierunt, & cum lumine, quod priùs viderat, receſſerunt. Mane autem facto præfatus Epiſcopus domino Papæ cuncta quæ viderat retulit. Sicque acceptos & deſcriptos libros Moralium in Hiſpaniam reportavit. Hanc viſionem eis deinceps prænotari & præſcribi inſtituit.

35. Hucuſque apud Archiepiſcopum Rodericum, qui maximè florebat in Hiſpania anno MCC. & deinceps. Porrò huic Concilio nec S. Braulio, nec Tajo ipſe ſubſcribit, nec quiſquam alius Præſul Cæſarauguſtæ. Conciliis quidem præcedentibus V. & VI. apud Toletum intervenerat & ſubſcripſerat Braulio: huic autem VII. nec ipſe, nec Tajo ejuſdem ſucceſſor; ſive quia nondum ordinatus fuerat Epiſcopus, ſive quoniam interea legatione prædicta ad urbem fungebatur, ut quæreret libros Morales S. Gregorii. Solùm itaque cœpit Tajo ſubſcribere Conciliis in Toletano VIII. ſeptem annis poſt iſtud; id eſt, anno Chriſti DCLIII. qui fuit quintus Receſvinthi Regis. Iſtud verò Concilium Toletanum VII. habitum eſt anno Chriſti DCXLVI. nimirum quinto Chindaſvindi Hiſpaniæ Regis, ut ſuprà monuimus.

36. Sepultus fuit idem Rex in monaſterio ſuperiùs indicato S. Romani de Horuiſga Ordinis S. Benedicti, quod ipſe ædificavit. Exſtabat ibi tempore Philippi II. Hiſpaniarũ Regis templum Gotthico more ac formâ, qualiter illud deſcribit S. Ildephonſus. Sepulchrum verò ipſius ingens conſtat totum albo marmore. Erant adhuc, teſte Ambroſio Morale lib. 12. cap. 28. variæ columnæ, marmoreæ & pretioſæ diverſorum colorum. Viſitur quoque lapis ejuſdem temporis, aut fortaſſe antiquioris (ut quidam ajunt) cum hac inſcriptione:

HIC SVNT RELIQVIÆ NVMERO SANCTORVM.
SANCTI ROMANI MONACHI. SANCTI MARTINI
EPISCOPI. SANCTÆ MARINÆ VIRGINIS.
SANCTI PETRI APOSTOLI. SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.
SANCTI ACISCLI. ET ALIORVM NVMERO SANCTORVM.

Nunc autem placet nonnulla monumenta rariora ejuſdem Tajonis, & aliorum Hiſpaniæ Præſulum, exhibere. CARD. DE AGUIRRE.

P R Æ F A T I O

TAJONIS EPISCOPI CÆSARAUGUSTANI

AD QUIRICUM BARCINONENSEM ANTISTITEM,

In quinque libros ſententiarum à ſe collectos ex Operibus Sancti Gregorii Papæ;

Primùm eruta ex antiquiſſimo Ms. Bibliothecæ Thuaneæ à V. Cl. Joanne Mabillone M. B. Congregationis S. Mauri in Gallia, & ab ipſo Notis illuſtrata.

Anno CHRISTI circiter DCL.

Domno venerabili ſanctiſſimoque viro Quiricio Epiſcopo, Tajus indignus Cæſaraugustanæ urbis Epiſcopus, cognomento Sambuel.

37. MEMOR veſtræ benegniſſimæ petitionis, noſtræque devotiſſimæ promiſſionis, hujus textum libelli cumptis ſententiarum titulis prænotatum, veſtræ ſanctitati mslui dirigendum; ut ſicut unius ſanctæ charitatis vinculo nectimur, ita quoque laboris ac lectionis gratiâ merito participemur. Ordo namque rationis expoſcit, ut priùs cauſſas originum, immo potiùs calamitatum, qualiter editus, vel in quibus ſit anxietatibus defloratus atque conſcriptus, brevitate qua poſſum, veſtris auditibus pandam, & ita demum ad reliqua orationis ſermo percurrat.

38. Optimè novit beatitudo veſtra tempus illud, quo tortuoſus anguis ore peſtifero in quorundam mentibus virulenta ſeminum ſuorum ſparſerat zizania, fraudulentaque deceptione à tramite recti itineris greſſum removerat mentium perditarum. In quo quidam homo peſtifer atque inſani capitis Froja tyrannidem ſumens, adſumptis ſceleris ſui perverſis fautoribus, adverſus orthodoxum, magnumque Dei cultorem Reccesvinthum Principem fraudulenta prætendens molimina, ſuper adniſu Chriſtianam debellaturus aggreditur patriam. Hujus itaque ſceleris cauſâ gens effera Vaſconum Pyrenæis montibus promota diverſis vaſtationibus Hiberiæ patriam populando graſſatur. Heu, proh dolor! Dicendi ſtudium calamitatis intercipit magnitudo. Sed tandem veniendum eſt ad id, quod formidat oratio. Innoxius quippe multorum Chriſtianorum ſanguis effunditur. Alii jugulis, nonnulli miſſilibus, plerique diverſis jaculis ſauciantur. Innumerabilis multitudo captivorum abducitur, immenſa ſpolia ſubtrahuntur. Templis Dei infauſtum bellum infertur, ſacra Altaria deſtruuntur; plerique ex clericatûs officio enſibus obtruncantur, atque inhumata canibus avibuſque multorum exponuntur cadavera occiſorum; itaut ſeptuageſimi octavi Pſalmi non immeritò illi calamitati congrua videtur inſcriptio.

39. Cùm nos hujuſmodi cauſâ Cæſaraugustanæ urbis circumſeptus murorum ambitus contineret, adventumque ſupra taxati Principis præſtolaremur, omnipotentis Domini miſericordiam promptiſſimè exorantes efflagitabamus, ut Tyrannicæ jugum dominationis nequaquam cervicibus noſtris ſineret imponi, auxiliumque dexteræ ſuæ piiſſimo Principi contra impiiſſimum hoſtem quantocyùs impertiret. Sed orationes pauperum, & deprecationem miſericordiſſimi Principis protinus exaudivit Dominus. Miſſo igitur cælitus propugnatore fortiſſimo, hunc auxilio omnipotentiæ ſuæ ſublevat;

illum

illum verò tyrannicæ ſuperſtitionis authorem repentino caſu condemnat. Iſti tribuens palmam victoriæ copioſam, illi verò inferens atrociſſimæ mortis ignominiam. Deſtruxit eum dexterâ ſuâ Deus, & evellit de tabernaculo ſuo, & radicem ejus de terra viventium, ut ritè Domino pſallamus: *Dextera tua, Domine, percuſſit inimicum, & per multitudinem virtutis tuæ contriviſti adverſarios noſtros*.

40. In hoc igitur ſupra taxatæ tempeſtatis turbine, licèt diebus continuis periculis circumquaque ſævientibus minimè quippiam agere liceret, nec uſpiam progrediendi, aut alicujus ruris libera eſſet facultas excolendi; noctium tamen otia laborum ſpiritualium incrementis congeſſimus, ac de ſacris voluminibus, ſcilicèt ſancti Papæ Gregorii Romenſis, ſententiarum capitula in quinque libellis diſcreta, uno codicis textu concluſa, auxiliante Domino, colligendo decerpſimus, atque in amaris diebus dulcium ciborum lacrymando dapes collegimus, memores Pſalmiſtæ teſtimonii dicentis: *Qui ſeminant in lacrymis in gaudio metunt. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*; Sumentes igitur exordium ab omnipotentis Domini incommutabilis eſſentiæ Trinitate, atque ab origine mundi, hominumque plaſmatione uſque ad hujus ſæculi conſummationem, quaſi cujuſdam longiſſimi funiculi ſtudioſè lineamenta torquentes, opitulante gratiâ Chriſti, ingenio, quo valuimus diſcretis lineamentorum ordinibus ſententiarum, ut prædiximus, titulos annotando præſtrinximus. Sed quia quorundam titulorum Capitula in ejuſdem ſancti Papæ opuſculis ad ſupplementum reperire minimè potuimus; ex libris ſancti Auguſtini Epiſcopi pauca congerere curavimus, & quaſi ſuaviſſimis dapibus aromatica quædam benè olentium pigmentorum venuſtiſſima floſcula ſuperſparſimus: quatenus ſtudioſi lectoris animus dum utrarumque rerum congeſtione depaſcitur, utrobique promptior efficiatur:

41. Ab ipſa igitur Protoplaſti plaſmatione, Hieruſalem ac Babyloniæ cives, electos ſcilicet ac reprobos, virtutibus atque vitiis deditos, liber iſte diſcreto rationis ordine profert. Hieruſalem quippe *viſio pacis*, Babylonia verò *confuſio* interpretatur. Qui namque ad viſionem pacis, vel qui ad confuſionis ignominiam per hujus itinera mundi decurrant, providus lector facillimâ inveſtigatione poterit prævidere. Nemo quippe prudentium dubitat Chriſtianorum, quod cœleſtis Judex terribilis adveniens dicturus eſt ſanctis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum vobis eſt ab origine mundi*. Et è contra reprobis: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum; qui præparatus eſt Diabolo & Angelis ejus, & ibunt ii in ſupplicium æternum; juſti verò in vitam æternam*. Ecce ad quos finium terminos harum duarum civitatum populi perveniunt; ut ii ſempiternæ remunerationis præmia cum ſanctis Angelis potiantur; illi verò cum Diabolo & Angelis ejus æternorum ſuppliciorum incendiis mancipentur.

42. Faſtidioſus itaque, quem multa legere piget, aut certè quiſque ſtudioſus, qui fortaſſe legere mavult, & habere multorum voluminum copiam minimè poteſt, hujus operulæ noſtræ laborem parvipendere non dignetur, & manualis hujus libelli textum legendo percurrere non moretur. Ibi namque reperiet, in quibus tenaciùs hærere debeat, & à quibus quantocyùs diſcedere ſtudeat; quatenus ad cœleſtium conſortia civium ſempiternarum potiturus præmia rerum, Chriſto Domino largiente perveniat. Te quoque, mi venerabilis domine, deprecor, omneſque ſacratiſſimi fontis undâ delibutos, quibus lectio hujus libelli placuerit, obſecro per ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ unitatem, quæ Chriſto Domino ſponſo ſuo conjungitur Fidei ſanctitate, ut pro meorum abluendis cumulis delictorum, ejus non gravemini poſcere pietatem: quatenus infernorum ignium caream ſuppliciis, & in manſionibus, quamvis exiguis, æternis ſolari merear refrigeriis.

EPIGRAMMA OPERIS SUBSEQUENTIS.

43. *Quiſquis amas ſacram, lector, addiſcere legem*
Hunc noſtri ſtudii librum percurre legendo:
Repperies facilè quicquid cognoſcere malles.
Florea cuncta gerit, tum prata virentia geſtat:
Paſcit amantis oves, ſincera animalia, Chriſti.
Oſtendit patriam celſam, regnumque potentem,
Tartareos ignes, & triſtia non finienda.
Et tibi Chriſtus adeſt regnum conferre beatis,
Impiis è contra horrenda ſuplicia confert.
Sublimis anima conſcende ad regia cœli,
Impiger adcurre, careas ne præmia tanta,
Et picei fontis horrendas deſpice flammas.

INCIPIT LIBER SENTENTIARUM PRIMUS

Quòd Deus incommutabilis, ſummus, & æternus exiſtat.

Solus Deus in ſemetipſo incommutabilis eſt, quia ſolus habet immortalitatem, &c.

QUIRICI EPISCOPI RESPONSIO AD TAJONEM EPISCOPUM.

Domno verè ſanctiſſimo & unanimo atque ſpeciali Tajoni Epiſcopo Quiricius ſervulus veſter.

44. EN, beatiſſime virorum, ſancti Spiritûs intentione, quâ in hujus operis labore fructuoſo ſudaſti ingenio, ut qualiter cunctorum fomenta vitiorum, aut præcaveantur, ne incidatur in eis, ſeu etiam poſt lapſum ſurgatur ab eis. Qualiterque virtutum dona appetantur, nec tamen ſuperbiatur de eis, præmiſſum laboris veſtri fructum patenter & perlucidè cunctis ſe dignoſcentibus indicavit. Nam multos per vos ſancti Spiritûs gratia à laſcivia revocavit, multos ab ira compeſcuit, alios etiam à ſuperbiæ faſtu removit: nonnullos à gaſtrimargiæ vitio abſtulit; alios etiam à philargyriæ concupiſcentiis removit: &, ut ſpecialiter loquar, omnes liberè imbuit, fluxa & caduca ſpernenda, certa & æterna omni ſublimitatis ingenio requirenda. Pro cujus operis fructu imprimis refert mater communis Catholica Eccleſia grates immenſas: Poſtquam ego & hi, qui mei ſunt ſimiles, per incentiva vitiorum in noctis obſcuritate dormientes, quique etiam poſt tenebras ad lucem erupimus, multas ſimulque infinitas primùm Domino, cujus inſpiratione id effectui contradiditis, deinde vobis gratioſa referimus. O verè terræ ſal, quo præcordia noſtra, ne poſſent ſæculi errore vaneſcere, condiuntur! O lucerna ſuper candelabrum poſita Eccleſiæ, quæ lumine veritatis irradians multos, à caligine nubili erroris ſplendifico ſermone enubilas! Nam ritè vobis aptatur illud teſtimonium, quod quidam prudens dixit: *Ecce docuiſti plurimos, & vacillantes confortaverunt manus tuæ.* Reddat igitur Dominus pro hujus operis ſtudio ſanctæ animæ veſtræ cunctorum indulgentiam delictorum, & ſocietatem poſt procurſum vitæ præſentis tribuat omnium ſanctorum.

45. Ego denique ideo ad dirigendum eundem codicem veſtrum piger exſtiti, quia cùm per me offerre cupivi, ſimulque ut voce & lacrymis referrem gratias, quantum valerem: pro quo quia minus utilis exſtiti, ut agnoſcenti culpam piè omittere digneris ſuggero. Nam & per meum puerulum eundem codicem vobis volueram dirigere: ſed quia devinxiſti me adjoratione divini nominis, ut ſine ulla retardatione eum tranſmitterem; ideo per præſentem direxi. De cætero ſalutem tam humillimam, quàm ſinceram, ſive etiam abundantiâ charitatis refertam domino meo perſolvo: & ut pro ſervo tuo piâ ſolicitudine Domino ſupplicare digneris precor. propter ornatum ſcilicet Eccleſiæ veſtræ: quod Deus providere juſſerit, ſpero per me veſtris adjutum orationibus exhibiturum. EXPLICIT.

NOTÆ V. CL. D. MABILLONIS.

In duas Epiſtolas præcedentes Tajonis & Quiricii.

46. DE Tajone ſeu Tajo Cæſaraugustano Epiſcopo agitur tum in Appendice ad VII. Concilium Toletanum, tum apud Rodericum Toletanum Epiſcopum in lib. 2. *De reb. Hiſp.* cap. 20. tum apud Baronium in Annalibus ad an. DCXLIX. tum denique (ut cæteros prætereaam) apud Marianam lib. 6. rerum Hiſpanicarum cap. 8. Hi omnes ex vetuſtis monumentis commemorant, Tajonem juſſu Chindaſvinthi Wiſigotthorum Regis Romam profectum, ut Gregorii Magni partem Moralium, quæ in Hiſpania deſiderabatur, ex Romana Bibliotheca recuperaret. Martinus Papa ſcrinii Romani ſchedas omnes & tabularia excutere longum eſſe cauſſatus, diem ex die ducebat, atque aliam ex alia cauſſa nectebat: Cùm Tajo precibus fuſis ad ſepulchrum B. Petri cœleſti monitu quo in loco eſſent hi libri edoctus eſt; tandemque curæ & votis ſuis fecit ſatis.

47. Hîc mirari ſubit pii Principis religionem, qui non ſolùm primam & ſecundam partem Moralium, quas Gregorius Leandro Epiſco-

po

po non miſerat, ut notat Baronius, legatione Romam directâ recuperare ſategit; ſed etiam *alios libros ſanctorum Patrum diligenter fecit perquiri*; ut ex Ildephonſo ſcribit Lucas Tudenſis in Chronico. Ad hanc verò Legationem Tajonem elegit, literis apprimè *imbutum & amicum Scripturarum* (ſic in vetuſto monumento legimus) atque tum in Gregorium Magnum, tum in Auguſtinum; quorum *libros ab ipſis cunabulis legere amaverat*, impensè affectum. Id verò perſpicuum eſt ex quinque libris ſententiarum, quorum maximam partem ex meris Gregorii centonibus Tajo conflavit, ſupplemento ex Auguſtini libris petito.

48. Hæc de rebus Theologicis ſententiarum collectio facta ex Patribus prima mihi videtur, ad cujus ferè exemplum Petrus Lombardus, aliiſque alias condiderunt. In primo ſiquidem libro Tajo agit de Deo, diviniſque attributis: in ſecundo de Incarnatione Chriſti, & prædicatione Euangelii, deque Paſtoribus & ſubditis: in tertio de diverſis Eccleſiæ ordinibus & de virtutibus: in quarto de divinis judiciis, tentationibus & peccatis: in quinto de reprobis & de judicio ac de reſurrectione.

49. Hanc collectionem inveni in egregio Codice Bibliothecæ Thuaneæ ante an. DCCC. deſcripto, ex quo fragmentū Tajonis Epiſtolæ, quæ ſuperiùs edita eſt, retuli in præfatione ſecundi ſæculi Benedictini. Integram verò in his Analectis referre viſum eſt cum reſponſione Quirici Barchinonenſis Epiſcopi, cui Tajo libros ſuos nuncupavit. Ex hac porrò Epiſtola, ſeu præfatione intelligimus, ejus defectionis, quam Vaſcones contra Reccesvinthum Regem ſuſcepiſſe legimus apud Rodericum Toletanum Pontificem, alioſque rerum Hiſpaniarum ſcriptores; ſigniferum atque ducem fuiſſe Frojam quemdam, *hominem peſtiferum*, qui tyrannidem uſurpare tentabat. Hinc multus Chriſtianorum ſanguis effuſus, captivi abducti, ſpoliata templa, everſa altaria, clerici enſibus obtruncati. Quæ omnia uno ferè verbo exprimunt prædicti ſcriptores, apud quos nulla Frojæ, ſi bene memini, mentio occurrit.

50. Rem totam ita perſtringit Rodericus Toletanus in lib. 2. cap. 22. agens de Reccesvintho: *Hujus temporibus Eclipſi Solis, ſtellis meridie apparentibus, omnis Hiſpania territatur, atque incurſionem Vaſconum non cum modico exercitu reppulit ſine damno*, Quapropter ſuperior Tajonis Epiſtola non ſolùm Eccleſiaſticis, ſed & Hiſpanicis rebus illuſtrandis non parum conducit. Quod attinet ad Quiricum ſeu Quiricium Barchinonenſem Epiſcopum, cui Tajo ſententiarum libros nuncupavit, is ipſe eſt, ad quem etiam Ildephonſus Toletanus Epiſcopus librū de perpetua B. Mariæ virginitate tranſmiſit, ut patet ex reciprocis Ildephonſi & Quiricii literis, editis in Spicilegii Tomo I.

L E C T O R I.

51. *EPISTOLAS ſequentes Cyricii, ſeu Quirici Barcilonenſis (ita olim dicebatur) Epiſcopi, S. ILDEPHONSI Toletani, atque Idali Barcilonenſis, Epiſcoporum, è locupletiſſimo quondam Corbejenſis Abbatiæ penu, cum blatis & tineis rixantes, eruit & publicæ luci dedit D. Lucas D' Acherius M. B. Congregationis S. MAURI Galliarum (vir pietate & eruditione clariſſimus) Tomo I. ſui Spicilegii pag. 308. & ſeqq. Illas hoc loci exhibere viſum, in gratiam præſertim eorum, ad quos id Spicilegium non pervenit, tredecim tomis comprehenſum, quod jam non facilè, nec niſi ingenti pretio invenire licet. Porrò Epiſtolæ mutuæ Quirici & S. Ildephonſi, jam tum Præſulis Toletani, ſcriptæ fuerunt intra hujus Pontificatum, inchoatum anno Chriſti DCLIX. & finitum anno DCLXVII. Stylus earum nihil aliud quàm ſimplicitatem, modeſtiam, & humilitatem Chriſtianam ſpirat. Epiſtola autem Idali Barcinonenſis Epiſcopi ad Julianum Toletanum Præſulem, poſterior eſt: cùm Julianus ipſe cœperit Eccleſiam ſuam regere anno Chriſti DCLXXXV. & vitam mortalem finierit anno DCXC. Itaque oportet ut intra illud ſpatium quinque annorum fuerit ab Idalo ſcripta.* CARD. DE AGUIRRE.

R E S C R I P T U M

Gratiarum Cyricii Epiſcopi Barcilonenſis, ad Ildephonſum Toletanæ Sedis Epiſcopum, pro Opere De Virginitate Sanctæ Mariæ.

52. CUM à vobis remeans ad ovilis crediti loca rediſſem, ita laboris magnitudine feſſus, & vi laſſitudinis reſolutus, degebam in cellula mea, ut nulla valetudo me non ſineret vel ad ſacrum officium properare: tandem cùm contractu mentis quærerem quod adjumento meo labori prodeſſet, illicò memoratus ſum veſtri muneris: quod cùm ardua intentione percurrerem, ac mentis acie defixâ univerſa quæ in morem pigmentorum redolentia exſtabant, ſaporare conarer, ita diffugit à me quicquid languidum, quicquid detritum, quicquid erat adverſa valetudine anxium, ut in robur plenæ incolumitatis exſurgens, valenter ad gremium piæ & ſanctæ matris Eccleſiæ

cucur-

cucurrerim atque unigenito Domino & Redemptori noſtro Jeſu Chriſto, Dei filio; gratias retulerim; quòd ita vobis inſpirationis ſuæ flatu vivifico in arcano pectoris inſufflaverit, ſanctique ſpiritûs unctione ad univerſa de ſe dicenda inſtruxerit: Ut quàm decenter novi ac veteris inſtrumenti ſeries Incarnationis, ſeu Nativitatis Dominicæ myſteria continebat, tam evidenter vos earundem ſcripturarum veſtem expandere fecit. Atque, ut ita dicam, ea, quæ opaca videbantur, pro ſui quantitate myſterii luce clariùs manifeſta ac nota puſillis & magnis effecerit: ita ut ex hoc hebeteſcat Jovinianus, diſſipetur Helvidius, ſimulque & incredulus ac mente perfidus decidat Judæus.

50. Gaudeo in hoc dono gratiæ vnbis à Deo diſtributæ, quòd ipſe, qui ad Virginem Mariam Gabrielem in plenitudine temporum nuntiaturum miſerat, quòd Spiritus ſanctus ſuperveniret in illam, ac virtus Altiſſimi obumbraret eam, oris veſtri introitum tangens, & cordis ſtatum præmuniens, tam lucidè univerſa de tanto myſterio dicere fecerit, quàm veraciter adimplevit. Cujus rei gratiâ benedicimus Dominum, qui memor promiſſorum ſuorum dignatur eſſe nobiſcum in hoc noviſſimo tempore ſæculorum, & quicquid imbecillitas noſtrarum mentium ac ſocordia animorum, in ſacris Scripturæ paginis ſcrutari, tam ſufficienter aggravata curis exterioribus non valebat, gratiæ ſuæ ubertate donante, per vos pleniſſimè inſtructi, de Incarnationis ac Nativitatis Chriſti myſterio ſumimus.

51. Gratias agimus ſanctæ Trinitati, quæ Deus eſt, quia formavit hominem in Virginis utero, quem tamen pro noſtra redemptione ſuſcepit ſola filii perſona.

52. Item gratias agimus ſanctitati veſtræ, quòd ipſe Dei unicus, qui incarnatus in Virginis utero exſtitit, ad vos veniens, ac penès vos faciens manſionem, famis noſtræ inediam per vos verbi ſui ubertate refecit, gratiæ ſuæ puritate ſtabilivit, veritatis ſuæ dono locupletavit. Sit tibi domino meo bonum mercedis repoſitum coram Chriſto Domino noſtro & Angelis ejus; ſis lætus ex fructu operis boni inter æternæ felicitatis gaudia permanſura, quia lætos cœleſtis oraculi participatione feciſtis.

56. Ecce, etſi non ut volui, tandem ut potui, ſanctitati veſtræ hæc non temeritatis auſu, ſed humilitatis affectu ſuggerere curavi. Quod & ſi ruralis intelligentia non ita nitidum aut ſaporum formare valuit, charitas tamen, quæ me invitavit ut ſuggererem, vobis inſpiret, ut quæ ſuggeſta ſunt placidè ſuſcipere dignemini. Incolumen dominum noſtrum divina gratia conſervet. Amen.

EPISTOLA S. ILDEPHONSI
TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPI.

Sanctiſſimo ac honorabili domino Quiricio Epiſcopo, Ildephonſus famulus veſter.

Ildephonſ. Quiricio ſumma animi demiſſione reſpondet.

56. DEDI gloriam Deo Jesu meo cùm accepi Epiſtolam beatitudinis veſtræ, gratiarum orſu confectam. Dederas enim & ipſe in bonis, ut devota mortalitas, qui ut beatæ immortalitatis honorem debitum tenens, in æqualitate judicii pondus, ut illi ſoli laudem inferas, cujus opus agnoſceris. Quia ergo gratia Dei ad te miſit, pro quibus à te vota laudationis accepi, benedicamus illum ſimul in unum, qui & per me intulit materiam piæ proſecutionis, & à te accepit ſibi ſoli debitam gloriam laudis.

57. In cæteris autem ſto ego in memetipſo reatu conſcius, in pavore anxius, ante judicem confuſus, ante adventum judicis terrore commotus, rurſum autem ex redemptione fidus redemptionis, actionis prorſus redemptoris pietate ſalvandus. Cujus ſi quæras opus, peccatum eſt; ſi quæras interrogationem, peccati confeſſio eſt; ſi quæras judicium, pœna peccati eſt. Pro quibus cunctis & peccatis, & peccatorum meorum meritis, obſecro te per eum, cujus judicio abſolvi cupimus à reatu, ut defigas pro me manum orationis coram vultu pietatis ipſius, quò non tuis illaqueatus, ſed adjutus verbis, obtineas me abſolvi & erui à delictis, dare mihi, vel augere promerens, ut loquar de illo vera, diligamque piè quæ de illo dixerim, & glorificetur idem in confeſſionibus meis & præſentibus & æternitate ſæculis permanſuris. Dicere plura vellem, ſi miſeriarum preſſura ſineret, ſed totum ſatisfactum ſibi reputet charitas, quod vel minimum permiſit tædioſa neceſſitas.

EPISTOLA QUIRICII
BARCILONENSIS EPISCOPI.

Domino ſanctiſſimo & verè mihi ſpecialiter pertimendo Ildephonſo Archiepiſcopo, Quiricius ſervulus veſter.

Quiricius S. Ildephonſ. ut verbum Dei diſſeminet adhortatur.

58. CUM ad omnia nova, ut nôſtis, omnipotens Deus non novo, ſed ſempiterno utatur conſilio, ad egeſtatem noſtri temporis, talentorum vobis ſummam diſtribuens, ne plurimùm inediâ labefactaremus, veſtri oris pabulo nos ſuſtentare curavit: ac proinde quia ſummo Patri-familiâs duplicationem eorundem talentorum rationis ſummam referre curatis, obſecro, ut ſi qua in opacibus divinarum Scripturarum ad utilitatem matris chariſſimæ, quæ & nunc nobiſcum gemit in terra, & ad quam ſuſpiramus in cœlum, ſedulâ revolutione invenitis, & invenire intenditis, ad profectum ejuſdem matris, ſtyli oraculo promere non ceſſetis decenter: & eorum fit, ut tu domine, qui in cubiculum Regis æterni introduceris, ſacrarum Scripturarum veſtem aperias, atque illa, quæ ſenioribus tegmine veſtimentorum adoperta latebant, palam facere ſolito labore intendas.

59. Nam ex diſtributione gratiæ ſupernæ, ut confidimus, aperitur vobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium ſuum. Erit enim reſpectu operis veſtri, cum retributione æternæ mercedis, cùm infirmantium mentes ad ſalutem interioris hominis per vos Chriſtus provexerit, ut ibi quæ animæ ſalutem initiaverant, pleno robore convaleſcant; jactuque ſeminum ſpiritalium doctrinam ſanctæ prædicationis, cùm alios ab errore pertraxeris, alioſque ne errent, ſervaveris, collectis manipulis ſancti laboris, poſt curſum longioris ævi, eas ad conſpectum æterni Judicis potiturus gaudia ſempiterna.

60. Me igitur quem torpure mentis obtuſum, & ſermone prædicationis ignarum, tu, mi domine ſanctiſſime, nôſti, ut miniſtrante gratiâ Spiritûs ſancti quæcumque dixeris piè, quæcumque deprompſeris ſanctè, quæcumque manifeſtaveris rectè, quia & idem ſanctus Spiritus agnoſcat, & omnes, qui illo pleni ſunt, diligant, ut me munire his donis non dedigneris ſuggero. Sic glorificetur, ut putetis, Chriſtus in confeſſionibus veſtris, & præſentibus æternitate ſæculorum permanſuris.

61. De cætero his excurſis, ut manu ſanctæ orationis erigas imbecillum, atque ut jugitate precum apud communem dominum obtineas, ut donec me perficiat ſuæ pietatis curatione, meis laboribus ſuam medicinam non ſubtrahat. Precor Chriſti gratia incolumem ſervet dominum meum in longævitate perennis ævi. Amen.

EPISTOLA S. ILDEPHONSI
TOLETANI ARCHIEPISCOPI.

Domino meo Quiricio Epiſcopo, Ildephonſus famulus veſter.

Monentè Quiricio ſeſe obtemperaturum ſpondet Ildephonſ.

62. IMPERAS mihi, chariſſime domine, aut loqui ſi taceo, aut ne taceam loquens, & Dominicæ veſtis, quæ non habet maculam aut rugam, abdita, contectaque devolvens, unius objectu luminis & deſideriis fidelium luceam; & inſipientiam perfidorum extinguam. Non ego poſſum, ſed ille, faciat in me hanc gloriam ſibi, qui erigit eliſos, ſolvit compeditos & illuminat cæcos. Qui erigat me ad ſe manibus piæ crucis, quem cecidiſſe conſtat de manibus ſuæ divinitatis; qui ſolvat imperiis pietatis à vinculo ſceleris; qui illuminet me præveniente miſericordiâ, quem caligavit malorum culpa: & tunc ab Jesu apprehenſus, andiam; Dimiſſus es ab infirmitate tua, confeſtimque erectus glorificem eum. Tunc quoque ſolutum abire ſinat, & currentem poſt eum in odore unguentorum ejus; quodque afflatu virtutis attraxerim, eloquii flatu reſpirem. Illuminet etiam cæcum, & cùm lumen miſerationis ejus agnovero, ego quoque & omnis plebs demus laudem Deo.

63. Nunc certè quia non me, ſed gloriam Chriſti meì quæris in me, & ego non me ipſum commendo, ſed Chriſtum meum in omni quod loquì appeto, ſpectantibus amabilem ardenter exhibeo; ut hunc dilectum meum diligens loquar, loquens annuntiem, annuntians notum faciam, agnitum celebrem reddam poſt celebritatem mortalitatis Angelorum hymnis laudem ſæculis ſempiternis. Igitur ut præcipis appeterem loqui frequenter, & huc mihì pia devotione adeſt, ut in meditatione legis Dei lingua ſimul & vita ſilentium non haberet, ſed ita neceſſitas temporum vires atterit animorum, ut nec vita propter imminentia mala. *

* Cætera deſunt in Ms.

EPISTOLA

EPISTOLA I. IDALI BARCILONENSIS EPISCOPI.

Sanctiſſimo & mihi præ cæteris peculiari domino Juliano Toletanæ primæ ſedis Apoſtolo, Idalus Barcilonenſis ſedis Epiſcopus.

Anno CHRISTI circiter DCLXXXVII.

De libro Prognoſtici gratias agit Idalus.

64. RECORDATIONEM meorum peccamiuum pavidus, & memoriâ ingentium criminum uſquequaque perterritus, putaveram diviuas aures in meis penitus obduratas fuiſſe clamoribus, cùm promiſſionis veſtræ minimè perciperem opus. Et licèt hujuſmodi cauſâ nunc diverſis perturbationibus agitatus, nunc etiam optatæ opportunitatis eventu privatus, aut ut adſolet, oblivione retentus, ſuggeſtionibus meis valefactionem alteram ſanctitudinis veſtræ iutulerim miuimè preces, fretus tamen Salvatoris & Redemptoris noſtri oraculo, quo diſcipulos, * ſacrè autem dicendo: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacumque petierunt, fiet illis a Patre meo qui in cœlis eſt.*

* F. Sacrè dicens dicendo. Matth. 18. 19.

65. Veſtræ quoque promiſſionis fiduciâ uberrimè fretus, fixum corde teuebam, quòd ueque veritas mentiri ullateuus poſſet, neque veritatis cultor atque diſcipulus mendaciis deſerviret exſpectabam ſanctitudinis veſtræ promiſſum, ſpem magnam repoſitam habens in Domino JESU CHRISTO: orabam tamen, & ſi non quotidie, certè vel ſæpè, ut idem qui ubique præſeuei cordi veſtro inſpirator adeſſet, & votis uoſtris effectum tandem præſtaret.

66. Nunc ergo quia Domiuus memor fuit mei, & votorum meorum me compotem fecit, gaudio os meum & linguam exultatione replevit, cùm & vos perfectione ſancti operis cumulavit, & me laboris veſtri affectu ditavit. Dicam ergo illi cum exultatione mentis Prophetæ ſui verbis: *Benedictus Deus, benedictus Dominus, de die in diem.*

67. Adveniens namque quidam Judæus, nomine Reſtitutus, quaſi brutum, ut ita dixerim, animal, materiam lumini congruentem deportans, librum; quem ſtudioſa brevitate non ſolùm ex antiquorum ſanctorumque Patrum ſententiis, verùm etiam, inſpirante & docente Chriſto, labore ac ſtudio proprio conſummare, & noſtræ iueptiæ, ſanctitudinis veſtræ prudentia mittere procuravit, gemelis manibus obtulit, quem aviditate noſcendi rapiens, potiùs quàm accipiens, citiſſimè pandi, titulumque contra ſuſcipiens miraſſe me fateor, cur tanti & tam præclari mercimonii cauſſam tam infido & à cultu Dei alieno veſtra ſanctitas crediderit bajulo. Sed illicò illâ ratioue imbutus, qui theſaurum fictilibus vaſis committit, præfato Judæo cur ea, quæ acceperat illæſa detulerit priùs, potiùs quàm vobis gratias egi, couſiderans ue forſan immutatione dexteræ Altiſſimi ageretis, ut is, qui caduca mercimouia vectare ſolitus erat, diviuis æterniſque myſteriis pararetur.

68. Iutellexi tamen in hac parte ſancti & artificioſi cordis veſtri humilitatem, quæ omue quod in dictis veſtris venuſtum, niteos & purum exiſtit, cum gratiarum actione referendo ad Deum, cujus vobis munere venit ingens & optimum, reddit. Vanam verò gloriam reſpuendo & idipſum abjectum videntium obtutibus oſtendere nititur, quò viliori gerulo hoc idem crediſſe cernitur.

69. Inſpecto igitur præſcripti Codicis diſcuſſoque vocabulo; uullum penitùs aliud reperire valui nomen eidem Operi congruentius, niſi quòd ipſe in principio ſui voluminis geſtare videtur. Appellatur enim PROGNOSTICON FUTURI SÆCULI, quòd latinè *Præſcientia futuri ſæculi*. dici nou incongruè poteſt. Iu quo quidem quamlibet primus liber quadam ex parte peccantibus aſperitatem metumque iucutere videatur. Duo tamen ſubſequeutes libri maximâ fiduciâ Chriſticolarum relevant corda, ob ſpem futuræ reſurrectiouis & regni, quod ſe fidelibus Chriſtus daturum promiſit.

78. Reliquum verò totius Codicis corpus legeudo tranſcurrens, reperi illud quod Dominus Jeſus Chriſtus in Euangeliis loquitur: *Omnis ſcriba doctus in regne Cœlorum ſimilis eſt bomini patri-familiâs, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Evidenter enim & dubia effugata & obſcura in lucem producta ſuut, cùm & antiquorum Patrum decreta, oovæ brevitatis iudicia artificii veſtri fructuoſo labore ad medium ſunt deducta. Manat ergo ex illorum ſententia veritas, ex veſtro autem labore nova & breviſſima veritas. Quicquid itaque veraciter illi caſtè & ſobriè in Dei cauſſis ſenſerunt, eſt tibi commune cum illis, ad cujus notitiam doctrina Domini hoc ipſum deduxit. Veſtræ tamen ſolicitudini tantumdem applaudit, quòd curioſitate inſtaute, illorum ſententias in uuum collectas pigris & torpentibus contiguo relatum manifeſtè aperuit.

71. Propter quod licèt illi miuiſtraverint donante Chriſto materiam, veſtro tamen operi totius laboris aſtipulabitur ſumma. Nam & aurum quamlibet originis ac naturæ ſuæ obtineat ſplendorem,

cùm

cùm per formas aut figurarum varietates peritè deducitur, dantiſque politur artificis ingenio: non immeritò prædicator hujus rei exemplo permotus, ingenii efficaciam, quam divina cordi veſtro contulit gratia, inſigneſque ſtudium, quo vos in cauſſis Chriſti deſudâſſe cognoſco, attollere laudibus procurarem. Aut quia ego nequeo alios prædicare, precarer, niſi quia idipſum vobis diſplicere ſoleat, conſcii eſſemus.

72. Reſtat ergo ut hoc faciam, quod veſtræ ſanctitatis deſiderat anima. Refert itaque noſtra puſillitas, immo mecum Eccleſiæ univerſitas, ad cujus notitiam inſigni operis veſtri deduxit noſtra tenuitas, immenſæ & ineffabili Trinitati. non quantas debet, ſed quantas valet gratiarum copias, quia in fine temporum, aut penè, ut veriùs dixerim, in conſummatione mundi, effudit in corde beatitudinis veſtræ donum gratiæ ſuæ, ſimul & ſtudium operis ſancti; deditque in ore veſtro directum & beneſonantem ſermonem, quo delinquentium corda terrendo ſanaret, & bonis operibus deditos, in ſanctis actibus confirmandos, igne cœleſti affatim animaret.

73. Oramus deinde majeſtatis ſupernæ profuſiſſimam pietatem, ut in Præſulatu Eccleſiæ ſuæ ad illuminationem fidelium annos vitæ veſtræ protelando conſervet, & ita donum gratiarum ſuarum, quod cordi veſtro diffudit, exuberare concedat, ut Catholicam plebem ſtudioſis operibus, doctriniſque ſanctimoniæ veſtræ, bonorum omnium compotem reddat. Proque laboris veſtri ſancta inſtantia poſt longiſſima vitæ hujus ſpatia, remiſſis iniquitatibus, tectiſque peccatis, cum ſanctis & electis ſuis cœleſtia vobis ad poſſidendum regna concedat.

EPISTOLA II. IDALI

BARCILONENSIS EPISCOPI.

Sanctiſſimo & mihi præ cæteris peculiari domino Zuntfredo Narbonenſis primæ ſedis Epiſcopo, Idalus Barcilonenſis ſedis Epiſcopus.

74. OPUS egregium, quod nondum ingenti labore, verùm etiam immenſo ſtudio, ex antiquorum Catholicorumque Patrum libris, mirabili & nova brevitate beatiſſimus ſocius veſter dominus meus Julianus Toletanæ primæ ſedis Epiſcopus, uno volumine colligere, atque PROGNOSTICON FUTURI SÆCULI appellare, & noſtræ tenuitati mittere procuravit, nobiſque importunitate laudabili veſtra beatitas ardentiſſimè demandavit, ſanctitudini veſtræ cùm devotus eſſem in hac civitatula (cui indignus præſideo) manibus gemellis offerre per præſentem conſervulum meum, illuc in ſanctæ ſublimitatis veſtræ ſede præſentandum direxi: ut ex hujus agnitione gaudii veſtri participes totius provinciæ veſtræ Præſules facti, conſpicere jubeant * cum ingenti muneris lumine præſcriptum ſocium veſtrum ad illuminationem Eccleſiæ divinitas ſumma ditavit, & benedicant in commune Dominum Deum cœli, ex cujus largitate idem ipſe ſocius veſter hoc ipſum donum percipere meruit.

Idalus Julian. Tol. Prognoſt. ad Zuntfredum tranſmittit.

* *F. Nam cum.*

75. Deinde Trinitati divinæ poſtulationum ſuarum libamina fundat, quo & auctorem hujus Operis pro tanto labore divinitatis gratia protegat, & noſtræ pravitatis peccamina divina indulgentia deleat, pro eo quòd curavit noſtra ignavia ad eorum deducere notitiam, unde ſpiritali fructu cor illorum exuberans fiat. Te quoque precor, vernacule domne, ut pro meis abluendis criminibus, aſſiduis divinitatis potentiam jubeas adire precibus, ut ego, qui diverſis premor miſeriis, relevari merear orationis veſtræ remediis; ita gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI ſine fine vos poſſidere congaudeatis.

CONCILIUM TOLETANUM VIII.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI SALVATORIS JESU-CHRISTI incipiunt geſta ſynodalia LII. Epiſcoporum, in urbe regia celebrata

Id eſt anno Chriſti DCLIII.

*Die decimaſeptima Kalendarum Januarii, Era * DCXCI.*

a Præcipui. C. 4.

1. ANNO quinto orthodoxi atque glorioſi, & vera clementiæ dignitate a perſpicui, RECCESVINTHI Regis, cùm nos omnes divinæ ordinatio voluntatis, ejuſdem Principis sereniſſimi juſſu, in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum ad ſacrum Synodi coëgiſſet ag- gari conventum, dies tandem lætitiæ, appetitu diutiſſimè præoptatus & gratus adfuit, & jucun- tantò noſtri pectoris avidiori voto ſuſceptus, quantò ad remedium ſalutis exſtiterat anhelantium præcordiis exquiſitus. Cumque ex more unuſquiſque noſtrûm ordini ſuo * ſedes debitas occupâſſet, & eventum rei tranquillæ intentionis exſpectatio ſuſtineret, adeſt ſereniſſimus Princeps pia religione p[...]-niſſimus, & ſummo laudum titulo glorioſus, qui ſeſe noſtro cœtui reddens acclinem, ut hunc omnipotenti Domino precibus commendaremus, aſtans, b dulciſſuis hortatus eſt verbis, grates referens Deo virtutum, quòd ſuæ juſſionis implentes decretum, in unum fuiſſemus adunati Concilium.

* Juxta ea quæ monuimus To. I. Diſſert. XV. & ſupra in hoc Tomo Diſſert. IV.

b Dulc. ut filius nos cohortatus. Exc.

2. Sed cùm tam piè humilem cognoviſſemus ejus ſanctæ animæ voluntatem, & tam ſublimis g- riæ celſitudinem videremus acclinem, tantâ ſumus in Dei gloriam exultatione ſuccenſi, ut grates debitas & honorem c læti redderemus, & cernui. Sed quantò extulerat Principem humilitatis ordo ſublimis, tantò ad exercitia ſumma virtutis inſtruebant exempla ſanctiſſimi Principis formam noſtræ religionis. Tum relatis Deo laudibus, de unitatis alternæ proventu, magna nos cum tranquillitatis gratia alloquutus eſt dicens;

c Læti humiles redd. 4. C.

3. Etſi ſummus auctor rerum me divæ memoriæ domini & genitoris mei temporibus in regni- ſubvexit, atque ipſius gloriæ d participem fecit, nunc tamen cùm ipſe requiem æternarum adeptu- manſionum, ea quæ in me totius regiminis transfuſa jura reliquit, ex toto divina mihi potentia f- gavit. Unde quia regendorum membrorum cauſſa, ſalus eſt capitis & felicitas populorum, no- manſuetudo eſt Principum; votivè decrevi vobis coràm poſitis, & votorum meorum deliberationem ſanctione patula reſerare, & ſtudiorum e acta ſincera exhibitione deferre. At verò quia anhelum ſeſe f in promiſſorum complementa diffundit, g nec pigredine feſſum, retardationis oneribus h ſummittit, longam proſecutionem compendio brevitatis aſtrinxi; & i quicquid productionibus loquelarum in concione diffundere potui, totum in tomi hujus complicamento k reſperſum calamo veſtræ ſanctitudini offerre decrevi; id magno precatu deliberationis exhortans, ut quæcumque i- decinentur adſcripta, valido attendatis intuitu, ſagaci perſcrutemini ſtudio, ac de his, quæcum- exſtiterint placita Deo, veſtri uris ad nos ſacro referantur oraculo. Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes Domino gratias adclamavimus: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ v-tatis.* Poſt hujus exultationis beatæ gaudium & cœleſtis gloriæ hymnum, eidem ſacro Principi benediximus, reſeratoque involuto tomo, hæc ibi contexta reperimus.

d Deferens, part. fecit. Exc.
e Apta decreta. Exc.
f Promiſſionum complem. Exc.
g Ne. Exc.
h Sûmittat. Exc.
i Quod. Exc.
k Prorſus almæ veſt. Exc.
Luc. 2.

IN NOMINE DOMINI,

Flavius l Receſvinthus Rex reverendiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

l Receſvindus. C. 4.

4. SANCTI Spiritûs admirabili dono regulam Fidei meæ ſolidam tenens & inſtructa agnoſcens, atque in honorem ejus diadema gloriæ, cum cordis humilitate proſternens, i- lætus auditu, quòd omnes Reges terræ ſerviunt, & obediunt Deo, en reverendi Patres, excelſiori mihi venerationis honore ſublimes, coram vobis advenio, in gratiam manſuetudinis meæ beatitudinis veſtræ m teſtimonium convocans, & ad teſtimonium viſionis veſtræ memet coram omnipotentis nutibus tremendis adclinans; referens illi corde læto gratias opulentas, quòd vos clemen- voluntatis ipſius, ex noſtræ celſitudinis juſſu, ad hujus ſanctæ congregationis votivum dignatus eſt deducere cœtum; confidens tam mihi, quàm vobis, & in præſentium ſerie temporum, & in futurorum longitudine ſæculorum, ejus adeſſe gratiæ præmium: quoniam & n veſtræ concordiæ in conveniendo unanimem ac religioſum demonſtratis affectum, & diſpoſitionis meæ in regendis populis, quàm pium ſit, o properatis patenter agnoſcere votum.

m Studium. Exc.
n Veſtra concordia. Exc.
o Poteritis. Exc.

5. Nunc igitur quia momenti locutio longæ [q] dictionis non capit exceſſum, quid de ſancta Fide noverim, quam cœlitus illapſam mihi per ſanctorum Apoſtolorum, ſequentiumque Patrum ora cognovi, ſeu quæ de ſecuturis negotiis, pro quibus hunc conventum veſtræ congregationis coadunare percenſui, intimare decreverim, in hujus tomi ſerie conſcripta tenete, ac relecta [r] prænoſcite, & cunctis quæ tenori ejus noſtræ amplitudinis poteſtas impreſſit, veſtræ beatitudinis gravitas effectum tam promptè ac miſeranter impendat, quàm noſtræ manſuetudinis ſerenitas hæc vobis implenda commendat.

[q] Dilectionis. *Exc.*
[r] Pernoſcite. *Exc.*

6. Exordium itaque allocutionis meæ ex definitione ſanctæ Fidei inchoans, cætera quæ [s] futura ſunt, proſecutionibus intimanda, velut ſupra ſoliditatem petræ conſtructurus, annectam: ut operis mei ædificium congreſſurus, eò ſequentia validiùs ponam, quò decentiùs firmiſſima prætulerim prima. Itaque coram ſe reverentia veſtra habeat quod nôſſe non ambigit, me orthodoxæ Fidei veram, ſanctam, & ſinceram regulam, de corde puro & conſcientia bona pleniſſimè habere, veraciter ſentire, & [t] fortiſſimè retinere; atque ita eam complecti, venerari, atque diligere, ſicut eam [u] Apoſtolica traditio dedit, ſicut eam ſancta Synodus Nicæna conſtituit, ſicut Conſtantinopoli ſanctorum Patrum congregatio definivit, ſicut Epheſini primi cœtûs unitas affirmavit, ſicut Chalcedonenſis Concilii definitio protulit; hanc cum fidelibus ſervans, [x] propriis gentibus tenendam inſinuans, hanc populis alienis annuncians; ut in illa glorificans Deum, & [y] in tempore mortalium me ſummæ divinitatis felicitas obſequatur, & in terra viventium hæreditas à me gloriæ capiatur.

[s] Futuris. *C. A. Exc.*
[t] Firmiſs. *C. A. Exc.*
[u] Sancta Apoſtol tradit. docet. *Exc.*
[x] Ad hanc ſalvandos infideles invitans, in hunc ſubjectos populos regens, hanc prop. *Exc.*
[y] Et inter mortales me ſummæ. *Exc.*

7. En, reverendiſſimi Patres, quantum ad veritatem Fidei ſanctæ pertinuit, ex toto animam meam ſuæ confeſſionis titulos explicuiſſe honorificentia veſtra penſabit. Jam nunc magnopere arbitror eſſe mihi [z] opportunius, quæ intendimus, ſocietati ejuſdem veræ Fidei ſtudia ſanctæ operationis innectere; ne hanc aut ſine operibus mortuam habeamus, [b] aut non plenitudinis ſuæ dignitate perſpicua decidat [*] inhoneſta [*]: dum Scripturâ non ſilente de quibuſdam infertur, qui dicunt ſe nôſſe Deum, factis autem negant. Ut ergo hanc Fidem ſupra lapidem illum ſolidatam, quem reprobaverunt ædificantes, idem tamen à Domino factus eſt in caput anguli, & eſt admirabilis in oculis noſtris, pleniùs habeamus, ejuſque inſignibus decentiùs exornemur; attendite, cujus operis fructum, cujuſque operationis [c] argumentum ſtudiis hujus ſanctæ Fidei conſociare velimus, & innectere quantocyùs [d] præoptemus.

[z] Opportunè. *Exc.*
[a] Opportunius enitendum. *C. A.*
[b] Aut ne inhoneſta à plenit. *Exc.*
[*] *Deeſt. Exc.*
Tit. 1. Pſal. 117. Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20.
[c] Augmentum. *Exc.*
[d] Peroptemus. *Exc.*

8. Itaque revolutis retrò temporibus, ita vos, omnemque populum jurâſſe recolimus, ut cujuſcumque ordinis vel honoris perſona, quæ in necem regiam, excidiumque Gotthorum gentis ac patriæ detecta fuiſſet vel cogitâſſe noxia, vel egiſſe, irrevocabilis ſententiæ multatus atrocitate, nuſquam mereretur veniæ remedium, vel alicujus temperantiæ perciperet qualecumque ſubſidium. At nunc quia grave oneroſumque cenſetur, dum pietatis actibus gravi contradictione hæc ſententia [e] reſultâſſe perpenditur, & ſic funditus damnationis adſtipulatio retinetur, ne [f] pietati quæ Apoſtolo præcinente, ad omnia utilis eſt, quicumque aditus [g] reſervetur, veſtris hæc committo fidenti animo ſacris pertractanda judiciis ac dirimenda ſententiis. Unde jam veſtrum erit, inſpirante vobis miſeratione, ita utriuſque diſcriminis temperare menſuram, ne aut [h] juramenti conditio teneat reos, aut impietatis ultio habeat inhumanos: ſicque veſtri nos inſtruat forma judicii, ut ſubjectos populos nec in profanationibus habeamus ſubditos, nec in pietatis vinculis doleamus [i] comminutos.

Conc. Tol. VII. c. 1. & VI. cap. 17. & V. Tol. tota.
2. Timoth. 2. & 4.
[e] Reſultare. *Exc.*
[f] Pietatis. *unus Ms.*
[g] Referetur. *C. A.*
[h] In juramento cond. *Exc.*
[i] Contaminatos.

9. Poſt hujus conventionis alloquium, ſequentium [*] nectens [*] cauſſas negotiorum, ſimilique ſubjungimus vos intendere attentione, decernimus atteſtantes univerſitatem veſtram, per ſummæ divinitatis coæqualem, coæternum, & inſeparabilem Trinitatem, atque illius myſteria ſacramenti, [k] quo incarnatum Dei Filium de Spiritu ſancto & Maria Virgine pro ſalute mundi vera Fides in toto Orbe denunciat, atque adventum ejuſdem Jeſu Chriſti Filii Dei Domini noſtri, quo perimendi ſunt impii, & regnum ejus, quo glorificandi ſunt ſancti, ut quæcumque negotia [l] de quorumlibet querela veſtris auditibus exſtiterint patefacta, cum juſtitiæ vigore miſericorditer, & cum temperamento miſerationis juſtiſſimæ, [*] cum noſtra conniventia, terminetis in legum ſententiis, quæ aut depravata conſiſtunt, aut ex ſuperfluo vel indebito [m] conjecta videntur, noſtræ ſerenitatis accommodante conſenſu, hæc [n] ſola, quæ ad ſinceram juſtitiam & negotiorum ſufficientiam conveniunt, [o] inordinetis; Canonum obſcura quædam & in dubium verſa, in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis, omniumque negotiorum conventus, ordinumque ſtatus, qui in veſtram exſtiterint devoluti præſentiam, ita majorum regulis concordantes juſtiſſimè, piè, ac temperanter conſtituere ſtudeatis, ut & mihi, qui ad ſtudiorum fructus bonorum anhelo, pars beatorum adveniat, & vos, quoniam implentes voluntatem Dei, me non ſpernitis imprecantem, regio beatitudinis æternæ ſuſcipiat, & viſio delectationis Dei ſibi perenniter inhærere concedat.

[*] *Deeſt. Exc.*
[k] Quod. *Exc.*
[l] De quarumlibet quer. auditibus exſtiterint. *Exc.*
[*] Concorditer terminentur in leg. *Exc.*
[m] Collecta. *C. A.*
[n] Solùm. *Exc.*
[o] Ordinetis. *Exc.*

10. Vos etiam illuſtres viros, quos ex officio palatino huic ſanctæ Synodo intereſſe [p] primatus obtinuit, ac nobilitas ſpectabilis honoravit, & experientia æquitatis plebium rectores exegit, quos in regimine ſocios, in adverſitate [q] fidos, & in proſperis amplector ſtrenuos, per quos juſtitia leges implet, [r] miſeratio leges [s] inflectit, & contra juſtitiam legum moderatio æquitatis temperantiam legis extorquet, adjurans obteſtor per omne illud admirabile, & ſolum unius ſacræ Fidei ſacramentum, [t] quo venerabilem omnium ſanctorum Patrum ſum obteſtatus conventum, ut ad cunctæ veritatis ac diſcretionis juſtiſſimæ formulam ita animos dirigatis, ut nihil à conſenſu præſentium Patrum, ſanctorumque virorum aliorſum [u] mentes ducentes obtutu, quicquid innocentiæ vicinum, quicquid juſtitiæ proximum, quicquid à pietate non alienum, vel ſoli Deo [x] cognoveritis exiſtere placitum, inſtanter, modeſtè, & cum omni dignemini intentione complere; ſcientes quia in eo quòd mea ſalubria vota comple-

[p] Mos primævus. *C. A.*
[q] Filios. *Exc.*
[r] Miſericordia. *Ms.*
[s] Impletur. *Exc.*
[t] Per venerabilem omnium ſanctorum Patrum (per quem obteſtor ſanctum conv. *Exc.*
[u] Mentis duc. obtutum. *Exc.*
[x] Agnoveritis. *Exc.*

y Noſtrorum. Exc.

tis, vos Deo amabiles aſſignatis; & in eo quòd decretorum y veſtrorum edicta favoris exhibitione corroboro, me vobiſcum ſimul Deo placiturum adſigno.

z Sancto. Exc.
a Præmulis. Exc.

11. In commune jam vobis cunctis, & ex divino cultu miniſtris idoneis, & ex aula regia rectoribus decenter electis, diviui nominis adjuratione conſtrictis, adjicio conſenſionis meæ verum purumque promiſſum: ut quodcumque juſtitiæ aut pietati, ſalutarique diſcretioni vicinum decernere ſeu adimplere cum z noſtro conſenſu elegeritis, omnia favente Deo perficiam, & adversùs omnimodam controverſiarum querelam, principali auctoritate muniam ac defendam; a promiſſis illis, quæ ad domeſticos Fidei regula veritate pertinuiſſe probavit.

b Devotio. Exc.
c In ſequentis traditionis conf. Exc.
d Veſtræ dignitatis. Exc. al. noſtræ.
e Exhortetur. Exc.
* Deeſt. Exc.
f Sacril. dedecus. Exc.

12. Adhuc aliud à beatitudinis veſtræ conventu ejuſdem Fidei b aviditas ſancta depoſcit, connectente me c in ſequeſtrationis confinio caoſſam, quæ d à noſtro dogmate probatur extranea. quam licèt per me locrari Chriſtus e exoptet, inimicam ſibi tamen eſſe non ambigit, donec quod ardenter optat, * evidenter * obtineat. Judæorum ſcilicet vitam, moreſque denuncio, quorum tantummodo novi terram regiminis mei pollutam eſſe peſte contagii. Nam cùm Deus omnipotens omnes ex hac regione radicitùs exſtirpaverit hæreſes, hoc ſolùm f ſacrilegii remanſiſſe dignoſcitur, quod aut noſtræ devotionis inſtantia corrigat, aut ultionis ſuæ vindicta diſperdat.

g Vetuſta. Exc.
h Doleo, nimis Ms. denuò, Exc.
i Prolatio, Exc.
k Sacræ. Exc.
l Taxato. Exc.
m Tenore. Exc.
n Honorem. Exc.
o Conveniſſe. Exc.
* Deſunt. Exc.
p Ita ſubſcriptio. in Exc.

13. Ex iis enim quoſdam traditionis errore g vetuſtæ video retinere jora perfidiæ; quoſdam verè ſacri baptiſmatis expiatos ablutione, ita in apoſtaſiæ h dolo relapſos errorem, ut deteſtabilior inveniatur in eis i profanatio blaſphemiæ, quàm in illis, quos nondum conſtat purificatos eſſe regenerationis k ſacro liquore. Pro quo bonæ intentionis agone, & locro Fidei veræ, obſecro reverentiam beatitudinis veſtræ, atque per ſuprà l taxatum conteſtor tremendæ conjurationis m tenorem, ut abſque omni favore, ut abſque omni perſonarom partis ipſorum acceptione, quicqoid à Domini & Redemptoris mei Jeſu Chriſti veram Fidem, verumque pertinet n amorem, de his jubeatis ardenter & veriſſimè Deo ac fidei meæ placitam ſententiam dare: ot ſicut mihi divina pietas regimen fidelium dedit, cum quibus ſe à me glorificari cognoſcit; ita quoque infidelium aſſequi tribuat lucrum. in quibus & voluntatis ſuæ fieri bonum, & ejus o adveniſſe congaudeam venerabile regnum. Datum ſob die * decima ſeptima * Kalendarum Januariarum, anno feliciter quinto gloriæ regni noſtri. IN NOMINE DOMINI, FLAVIUS RECCESVINTHUS REX, hanc Fidei & bonæ voluntatis meæ deliberationem manu mea ſubſcripſi.

q Peragendarum. Exc.
r Initium. Exc.

14. Relectâ tomi paginâ, vel finitâ, cùm glorificaſſemus Deum de Fidei principalis andi[illegible], & de bonæ voluntatis ejus affectu, ad q peragendum cauſſarum cæterarum negotium ſtatim vertimus animum, ſimulque ſumus exorſi r judicium.

T I T U L I.

I. *De Catholicæ Fidei plenitudine.*
II. *De incauto juramento.*
III. *De præmio Epiſcopalis ordinis tituli.*
IV. *De Epiſcopis pollutis.*
V. *De ſacerdotibus miniſtriſque pollutis.*
VI. *Si uxores duxerint ſubdiaconi, quid obſervandum.*
VII. *De clericis qui ad conjugia moreſque ſæculi redierint.*
VIII. *Ut nullus ordinetur qui non perfectè noverit officia Eccleſiaſtica.*
IX. *De his qui eſum carnium in quadraginta diebus percipiunt.*
X. *De rectorum reverentia apud ſynodale decretum.*
XI. *De profanatoribus decretorum Patrum.*
XII. *De his qui ſpernunt hæc ſancita.*
XIII. *De gloria Trinitatis & Principis.*

I. *De Catholicæ Fidei plenitudine.*

s In ver. C. A.
t Sanctarum. C. A.
u Sullincre. Exc.
x Unius Ms. Sene. Rectè.
y Expandimus. C. A.
* Deeſt. Exc.
z Orthodoxè. C. A.
* Deſunt. Exc.
a Error deprehenditur & radicit. exſtirp. Exc.

15. TUNC primæ narrationis exortu, s veræ Fidei nobis tractatus occurrit: ut incipientes de illa primitùs loqui, inde ſoliditatis auſpicemur exordium, unde ſacræ ſumpſimus nativitatis initium. Quatenus aſſertionum t noſtrarum forti præmiſſa ſententia quicquid ſubſequenter advenerit de actis negotiorum, fortiùs u ſubſiſtere valeat x ſeriem decretorum. Itaque unius ſacræ Fidei veram profeſſionem, veramque regulam tenere, nos tota virtute animi & profitemur & acclamamus, cunctiſque recipiendam ac retinendam plena deliberatione inceſſanter prædicamus y * & pandimus *; ſicut à ſanctis Apoſtolis oſtenſa docetur, ſicut à ſequentibus Patribus z orthodoxis diſſerta probatur, ſicut etiam in ſanctis illis ſynodalibus geſtis veriſſimè confirmata dignoſcitur; in quibus Arii, * Macedonii, Neſtorii *, vel Eutychetis inſaniſſimus a error & dilucidè proditur, & radicitus exſtirpatur: ſicut denique in ſacris Miſſarum ſolennitatibus concordi voce profitemur ac dicimus.

16. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & in-

& inviſibilium conditorem: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, * & * ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homouſion Patri, hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt quæ in cœlo & quæ in terra: qui propter nos, & propter noſtram ſalutem [b] deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, * & * homo factus eſt; [c] paſſus ſub Pontio Pilato; [d] ſepultus, tertia die reſurrexit. Aſcendit [e] ad cœlos, ſedet ad dexteram [f] Patris: inde venturus eſt in gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus [g] in Spiritum ſanctum, Dominum vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum; qui locutus eſt per Prophetas, [h] in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Exſpectamus reſurrectionem mortuorum, [i] vitam futuri ſæculi, Amen.

17. Hujus ſanctæ Fidei regula iccircò nunc tractatus non recipit aperturam, quia & à ſacris Doctoribus abundè conſtat expoſita, & imminentium cauſſarum negotia nos ad alia [k] pertrahunt peragenda.

* Deeſt. A. C.
b Deſc. de cœlo. *In Mſ. Mozarabe.*
* *Deeſt*. Exc.
c Et paſſus. *Exc.*
d Ac ſepult. & tert. *Exc.*
e In. *Exc.*
f Dei Patris omnipotentis. *Mozar.*
g Et in ſpiritum ſanctum vivificatorem. *Exc.*
h Et unam, *Mozarab. Exc.*
i Et vit. *C. A.*
k Trahunt. *Exc.*

II. *De incauto juramento.*

18. Secundæ diſputationis occurſu adfuit negotium tam difficile, quàm & grave: In quo de refugis atque perfidis diſputatione commota, utrumne poſſet eorundem temperari ſententia damnatorum, magno ſatis conatu eſt exquiſitum. Sed cùm illarum ſeries conditionum, ad quas decurſis non longè temporibus, pro eorum penuria, hoſtilitatis vaſtitas [l] nos jurare coëgerat, noſtris eſſet auditibus recenſita; tantam reperimus obligationis illic ineſſe [m] cenſuram, ut macularum ſuarum nodoſitas non tantum videretur prohibitionem dediſſe tranſgreſſionum, quantum concluſiſſe viſcera pietatum. Aderat enim, quod in utroque pavor agebat, & ne ſancti nominis profanatio fieret, & ne miſerationis operatio interiret: quia [n] ex Dei nominis profanatione non aberat [o] quod tenebat, & ex prohibitione pietatis aberat quod tædebat. Dumque alterno periculorum objectu [p] ſe prolatæ ſententiæ compugnarent, [q] periclitabamur in bifido partium diſſidentium calle, quo [r] diremptionis tramite judicium properaret.

19. Sed cùm greſſibus diſputationis noſtræ ſeſe difficultatis congreſſio [s] devia objeciſſet, properandi tandem relicto diſcrimine, cum fragore ſingultuum & imbribus lacrymarum, ad Deum, qui pietatis fons eſt, verba ſimul & corda convertimus, * orantes *. Adſpira ſancte Spiritus, & ducito nos in portum voluntatis tuæ, ſedatis fluctibus ignorantiæ noſtræ. Ecce enim periculorum Syrtes: in litore curſûs noſtri [t] pervenimus, atque [u] hujuſmodi obviantibus naufragiorum obicibus, quo [x] diſpoſitionis noſtræ vela pandamus, [y] attentiùs conſideratione non cernimus. Sed adſpira rurſos ſancte Spiritus, & dato nobis te donante nôſſe quod jubeas, ac te juvante implere poſſe quod juſſeris: ut & [z] perluſtrando illumines quod neſcimus, & adjuvando [a] proficias quod implere pavemus. [b] Si jam ergo in te quieſcentes, erroneorum fructuum pavoribus [c] abdicatis, commercia nos [d] jubes diſponere pacis, inchoëmus illa quæ & in gloriam tuæ omnipotentiæ conferantur, & humanæ ſaluti, te [e] annuente, donentur.

20. Temporibus non procul excurſis, cùm quorundam [f] refugarum tumultuoſa ſeditio frequenter vaſtationes terris inferret, & ſcandala populis cum excidiis irrogaret; adeò ut captivorum turmas [g] reducere, & deſolationes terræ, quæ tali concuſſa ſunt peſte, quilibet conatus nequeat reparare, [h] & actum eſt vi potiùs neceſſitatis exortæ, quàm deliberatione judicii, ut contra eoſdem, eiſdemque ſimillimos, cum omni ferè populo acerrima juramenta daremus. Unde juràſſe nos per atteſtationem divini nominis, conditio juramenti demonſtrat, & ne reſolvi queat, ſacræ Scripturæ auctoritas inſtat: ſcribitur namque in Exodo: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: neque enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà*. Item in Levitico: *Non perjurabis in nomine meo; nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus.*

21. At verò, quia illata preſſurarum acerbitas reſolvi poſſit ac debeat, tam lamentorum & vinculorum [i] error inſinuat, quàm ejuſdem auctoritatis Dominicæ præcepta [k] commendat. Etenim juxta veterem translationem, ita quoſdam per Iſaïam gravi exprobratione Dominus increpat, dicens: *Væ filiis deſertionis, dicit Dominus: feciſtis conſilium non per me, & ſponſionem non per ſpiritum meum, adjicere peccatum ſuper peccatum*. Item Hieremias: *Iniquitates noſtras declinaverunt iſta, & peccata noſtra amoverunt bona à nobis: quia inventi ſunt in populo meo impii, & laqueos ſtatuerunt ad diſpergendos vivos, & comprehenderunt. Ut laqueus inſtans plenus volatilibus, ſic domus eorum plena dolore*. Et per Michæam: *Heu mihi* [l] *anima, quia perit* [m] *revertens* [n] *ad terram, & qui corrigit inter homines non eſt; omnes in ſanguine judicantur; unuſquiſque proximum ſuum* [o] *tribulat tribulatione, in malum manus ſuas præparant*. Ad beneficentiam certè, quæ divinis oculis tantò eſt gratior, quantò & invenitur eſſe præſtantior, ſic nos Iſaias inſtruit, dicens: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes*. Paulus etiam vas electionis: *Pietas ad omnia utilis eſt*. Et Jacobus: *Judicium ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam*. ſuperexaltat autem miſericordia judicium. Joannes item: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem*. Et perſemet ipſum veritas: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*. Et Iterum: *Dimittite, & dimittetur vobis: ſi autem non dimiſeritis, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.*

Conc. Tol. VII. c. 1.
l Non. *Exc.*
m Teſturam. *C. A.*
n Et ex. *C. A.*
o Qui terrebat. *Exc.*
p Sibi. *Exc.*
q Pericl. ancipites. *Exc.*
r Direptionis. *al.* directionis. *Exc.*
s Et de via nos objecis. *Exc.*
* *Deeſt. C. A.*
t Provenit. *Exc.*
u Hinc inde obvi. *Exc.*
x Diſputationis. *Exc.*
y Attentionis. *Exc. C. A.*
z Per te loſtr. *C. A.*
a Perficias. *Exc.*
b Simus ergo in te requieſcentes. *Exc. & C. A.*
c Abjectis. *Exc.*
d Jube. *Exc.*
e Annuente. *Exc.*
f Refutatorū. *Exc.*
g Ducerent, & Eccleſiarum deſolationes facerēt, quæ tal. *Exc.*
h Ex exact. *C. A. Exc.*
Exod. 22. 22.
Levit. 19.
i Horror inſinuat. *Exc.*
k Commendant. *Exc.*
Iſai. 30.
Jerem. 5.
l Anima mea. *Exc.*
m Et revertē. *C. A.*
n A terra. *C. A.*
o Trib. omnes in malū ſuas manus præparant. *Exc.*
Iſai. 58.
1. Ad Timoth. 4.
Jacob. 2.
1. Joan. 3.

22. Ecce

22. Ecce ſunt Dominicæ juſſiones hinc inde adſtipulata firmiſſimâ cautione præcepta: ac proinde, quia ſunt divini oris proſecutione taxata, manebunt per omnia æternâ lege præfixa. Quid ergo? numquid aut [p] juramenti juſtitiam, aut [q] miſericordiæ pacem ſibi contraire narrabimus; dum ſcriptum ſit: *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax ſe complexæ ſunt?* aut quia controverſiarum lapſus ſeſe in [r] contentione diffundunt, ideo unius partis aſſertionem narrabimus non implendam? [s] Cur alterius aſſertio partis jacturæ [t] comminatur inſtantiam? & quia juramenti cuſtodia ultionem non temperat paveſcendam, icircò impietatis atrocitas mortem pariet exſecrandam? Abſit: ete[n]im ſi publicis ſacramentorum geſtis (quod Deus avertat) à quibuslibet illicita, vel non bona exſtitiſſet conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris, aut agere compelleret ſtuprum ſacratiſſimæ virginis, numquid non tolerabilius eſſet ſtultæ promiſſionis rejicere vota, quàm per inutilium promiſſionum cuſtodiam exhorrendam criminum implere menſuram?

23. Quid ſi ita [u] eſt, quomodo crederetur unius obſervantia juſſionis eſſe fons pietatis, cùm emitteret [x] rivulos ultionis? Aut quænam illa [y] eſſe ſacræ obſervatio legis, quæ ſacrilegia committeret [z] pravitatis? Vel cujus menſuræ æquitas videretur, ut ex unius præcepti cautela necis exoriretur immanitas truculenta? At nunc non ita contendimus, ut contentionum divortiis concitatis, nosipſos contentionis certaminibus miſceamus. Eſt verè pax in utroque quod dicimus: quia ſic Spiritus ſanctus iter noſtrum ac curſum temperat, ut in nullo [a] devium hoc [b] à ſua diſpoſitione ſecludat: unde plena jam voce, pleniori fide, pleniſſimaque intentione prædicimus, atque in tota ſanctæ Eccleſiæ univerſitate prędicamus pariter & optamus, nulla profanatione ſolius & ſummę divinitatis nomen exiſtere adſ[i]mèdum, nullo perjurii ſacrilegio indebitè profanandum, nullo uſpiam contractu fallaciæ contingendum. Nam ſi, atteſtante veritate, propter profanationem perjurii evitandam prohibetur omnino jurare, quum dicitur: *Sit ſermo veſter: Eſt, eſt: non, non: quod autem plus his eſt, à malo eſt;* quomodo impunitum erit, nomen tantæ gloriæ voluntariè profanâſſe; dum in eo taxata Fides dignoſcitur interiiſſe? vel quatenus pacis fœdera in [c] gentium diſſidia ligabuntur, ſi non juramenti pacta ſanctiori integritate ſerventur?

24. Etenim omne quod in pacis [d] fœdere venit, tunc ſolidiùs ſubſiſtit, cùm juramenti hoc interpoſitio roborat. Sed & omne quod animos amicorum conciliat, tunc [e] fixius durat, cùm [f] eos ſacramenti vincula ligant. Omne etiam quod [g] teſtis adſtipulat, tunc veriùs conſtat, cùm id adjectio jurationis affirmat. Quòd ſi & teſtis deficiat, innocentis Fidem ſola jurisjurandi taxatio manifeſta[t]. Hinc, & ut [h] mentibus humanis divina voluntas panderet quod volebat, ne labens f[r]agilitas pro incerto teneret quod inviolatæ veritatis promiſſio exprimebat, per Iſaïam loquitur, dicens: *Ego Dominus, & non eſt alius; in memetipſum juravi.* Si ergo tantæ inſtitutionis limite ſunt votiva juramenta ſervanda, quis alienorum à veritate hæc adſtruat exſecrabiliter violanda? Stabunt ergo ſacræ auctoritatis [i] vivida juſſa, nec vana profanatione erunt aliquatenus temeranda.

25. Verùm ne juramenta, quæ data ſunt, videantur in nos ita penitùs miſerationum concl[uſiſſe] præcordia, ut nullam de pietatis affectu animæ viſcera concipiant indulgentiam paritura; ſic ſta[tutis] contractibus [k] juramenti, ſinum miſericordiæ aperimus, atque ita cunctis Deo placita de[cernimus] miſereri cenſemus, ut nos nec juramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat exſecrandos. Occurrere certè miſerorum ruinis debet ſubſidio unuſquiſque quo valet, & relevatione alienæ v[it]æ à ſe Dei removere vindictam: libat enim Domino proſpera, qui ab afflictis pellit adverſa. In[d]e Job, ante paſſionis experientiam [m] impudens patientibus, quod in paſſionis ſuæ patientia memorabat, ſuarum virtutum catalogum texens, inter cætera ſic connectit: *Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum.* Et paullò pòſt: *Flebam quondam ſuper eum qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Hinc & Salomon: *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare [n] non ceſſes.* Quibus ſanctæ auctoritatis inſtructi decretis, nec ſanctum nomen profanâſſe nos conſtat, quod nullatenus profanandum vox noſtræ prædicationis inſinuat, & indulgentiæ viſceribus adapertis, licèt oris ſui profeſſione damnati difficile mererentur abſolvi (juxta quod ſcriptum eſt: *Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum loqutum eſt adverſum te.* Et item: *Ex ore tuo juſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*) tamen pietatis intuitu, & parcendi viam pandimus, qui & miſericordiam prorogamus.

26. Hujus ſanè promiſſionis incautè crudam cruentamque temperare ſententiam illâ quam maximè compellimur cauſâ, quòd hæc duo mala licèt ſint omnino cautiſſimè præcavenda, tamen ſ[i] periculi neceſſitas ex his unum [o] temerare compulerit, id debemus reſolvere quod minori nexu noſ[cimu]r [p] obligare. Quid autem ex his levius, quidve ſit gravius, [q] rationis acumine inveſtigemus. E[tenim] dum perjurare compellimur, Creatorem quidem offendimus; ſed nos tantummodo maculamus: [quum] verò noxia promiſſa complemus, & Dei juſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudeli[tate] nocemus, & nos ipſos crudeliori * mortis * gladio trucidamus: illic enim duplici culparum [r] telo percutimur, hîc tripliciter jugulamur. Reſtat ergo, [s] ut eò noſtra pergat ſententia, quò [t] miſericordiæ patuerit via: quæ ita Domino probatur accepta, ut plus eam cupiat, quàm ſacrificia veneranda; dicente ipſo: *Miſericordiam [u] volui, & non ſacrificium.* [x] Ac indulgentiæ conceſſa licentia, miſerationis ipſius opus in glorioſi Principis poteſtate redigimus; ut quia Deus illi miſerendi aditum patefecit, remedia pietatis ipſe quoque non deneget: quæ ita principali diſcretione moderata [y] perſiſtunt, ut & illis [z] ſit aliquatenus miſericordia contributa, & nuſquam gens aut patria per eoſdem, aut periculum quodcumque perferat aut jacturam, hæc miſerationis obtentu temperâſſe ſufficiat.

27. Cæterùm quæcumque juramenta pro regiæ poteſtatis [a] ſalute, vel contractatione gentis, & patriæ,

p Juram. a juſtitiæ. Exc.
q Aut juramenti miſericord. C.A.
Pſal. 48.
r Contentionem. Exc.
s Ne. Exc.
t Patiatur. Exc.
22. q. 4. Si public. *Ivo p.* 12. *c.* 9.

u Eſſet. Exc.
x Tribulos. Exc.
y Eſſet. Exc.
z Probitatis. C.A.

a Devius nos caſus à diſpoſ. Exc.
b A ſe ſeclud. C.A.
Matth. 5.
Ivo p. 12. *cap.* 2. 22. q. 1. Omne quod.

c Inter. Exc.

d Fœdera. *Ivo.* Exc.
e Fidelius. Exc.
f Ea. Exc.
g Teſtibus adſtipulatur. Exc.
h Mentibus. C.A.
Iſai. 45.

i Vivifica. Exc.

k Juramento. Exc.

Job 29. & 30.
l Unde Job juvante paſſionis ſuæ experientia impedens patientibus paſſionis ſuæ patientiam memorabat, ſuarumque. Exc.
m Imprudens.
Ms.
Prov. 24.
n Ne. Exc.
Reg. 2. *c.* 1.
Matth. 12.
Dist. 13. *cap.* Duo mala. *Ivo part.* 12. *cap.* 16. *Burc. lib.* 12. *c.* 29. & *cap.* 84.
o Temperare. Exc.
p Obligari. *Grat. Ivo.*
q Pietatis acu. Exc. Puræ rationis. *Ivo Grat.*
* *Deeſt in* Exc.
r Gladio perimus. *Grat.*
s Ut hæc noſtra. Exc.
t Qua. Exc.
u Hæc. Exc.
x Volo. *Burch.* & Exc.
y Perſiſtant. Exc.
z Ita ſit miſer. *Burch.*
a Conſtitutione. *Burch.* Contutatione. Exc.

patriæ, vel hactenus ſunt exacta, vel deinceps exſtiterint exigenda, omni cuſtodia, omniſque vigilantia inſolubiliter decernimus obſervanda, à membrorum truncatione, mortiſque ſententia [b] religione penitùs abſoluta. Sed ne pravarum mentium verſuta nequitia noſmet ad perjurii quandoque devocet culpam, nec à ſanctæ Fidei regula hanc afferat venire ſententiam; tam divinæ auctoritatis oracula, quàm præcedentium Patrum aſſerta, huic narrationi curavimus [c] innectenda. Etenim incommutabilis idemque ſemper exiſtens Dei ſummi natura [d] præcellens, ſua ſæpè in ſacris literis legitur mutâſſe promiſſa, & pro miſericordia temperâſſe ſententiam. Unde quamlibet ſit impaſſibilis atque immutabilis, [e] identidem deitate firmiſſima, crebrò tamen ejus & juramenta leguntur, & pœnitentia, quæ ſacris exſtant myſteriis [f] adoperata.

28. Jurare namque Dei, eſt à ſe ipſo nullatenus ordinata convellere: pœnitere verò, eadem ordinata, cùm voluerit, immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: *Repentè loquar adverſus gentem & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo* [h] *ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei.* Et per Ezechielem: *Si dixero juſto,* [i] *quod* [k] *vita vivat, &* [l] *confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate* * *ſua* * *quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio: morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, vita vivet, & non morietur.* Si ergo noſtra converſio ſic divinam mutat ſententiam, cur miſerorum tantæ lacrymæ, vel [m] preſſura, tam crudam non [n] temperet ex miſeratione vindictam? Hinc etiam populo Iſraëlitico ſæpè ultrò promiſſa ſuſpenditur, & Ninivitarum perditio divinæ ſententiæ permutatione [o] ſedatur.

29. At verò illuſtri laudum titulo præclarus auctor Ambroſius, in libro de officiis primo, hujuſcemodi rei cauſâ ſic loquitur: *Eſt* [p] *enim contra officium nonnunquam, promiſſum ſolvere,* [q] *ſacramentum cuſtodire; ut Herodes, qui juravit, quoniam quicquid* [r] *petitus eſſet, daret filiæ Herodiadis: & necem Joannis præſtitit, ne promiſſum negaret. Nam de Jephthe quid dicam, qui immolavit filiam, quæ ſibi* [s] *victori primùm occurrerat, quo votum impleret quod ſpoponderat, ut quicquid ſibi primùm occurriſſet offerret Deo? Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promiſſum ſolvere parricidio.* Item in libro 3. *Purum igitur ac ſincerum oportet eſſe affectum, ut unuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat, vas ſuum in ſanctitate poſſideat, nec fratrem in circumſcriptione verborum* [t] *inducat, nihil promittat inhoneſtum:* [u] *at ſi promiſerit, tolerabilius eſt promiſſum non facere, quàm facere quod turpe ſit. Sæpè plerique conſtringunt ſe juriſjurandi ſacramento, & cùm ipſi cognoverint promittendum non fuiſſe,* [x] *ſacramenti tamen contemplatione faciunt quod ſpoponderint, ſicut de Herode ſupraſcripſimus, qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſolvit. Turpe eſt, quòd regnum pro ſaltatione promittitur, crudele quòd mors Prophetæ juriſjurandi religione* [y] *donatur. Quantò tolerabilius* [z] *tali fuiſſet perjurium ſacramento?* Et poſt pauca de Jephthe [a] differens, *miſerabilis* (* inquit *) *neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio. Melius eſt non* [b] *vovere, quàm vovere id quod ſibi, is cui promittitur, nolit exſolvi.* Et poſt paullulum: *Non ſemper igitur promiſſa ſolvenda omnia ſunt.* Denique ipſe [c] Dominus, ſicut Scriptura indlcat, frequenter ſuam mutat ſententiam.

30. Vir quoque ſanctiſſimus Auguſtinus veſtigationls acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, afferendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus, hæc in ſui narrat [d] affatibus: *Duo ſunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt; ſed tamen non* [e] *ſunt ſine culpa: cùm aut jocamur, aut* [f] *proximis mentimur; illud primum* [g] *in jocundo ideo non eſt pernicioſiſſimum, quia non fallit: novit enim ille cui dicitur, joci cauſâ eſſe dictum: ſecundum autem ideo* [h] *mitius eſt, quia retinet nonnullam benevolentiam.* [i] Ideo ipſe: *Non auferat* (inquit) *veritas miſericordiam, non miſericordia impediat veritatem. Si enim pro veritate, aut quaſi rigida veritate, oblitus fuerit miſericordiam, non ambulabit in via Domini, in qua miſericordia & veritas obviaverunt* [k] *ſibi.*

31. Beatus etiam Gregorius Papa, & [l] libris & meritis honorandus, atque in ethicis aſſertionibus penè cunctis meritò præferendus, ſic in libris infert Moralibus: *Quia ergo Beemoth iſte* [m] *ita inexplicabilibus nodis ligat, ut plerumque mens in dubio adducta, unde ſe à culpa ſolvere nititur, inde culpâ arctiùs adſtringatur, rectè dicitur: Nervi teſticulorum ejus perplexi ſunt: argumenta namque machinationum illius, quò magis laxantur ut relinquant, eò magis implicantur ut terreant. Eſt tamen quod ad deſtruendas ejus verſutias utiliter fiat. Et cùm mens inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur. Quia & qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat, ubi brevior murus* [n] *invenitur.*

32. Noſtri quoque ſæculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod majus eſt, in [o] ſæculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus Iſidorus, in libro Sententiarū ſecundo hæc pro tali narrat negotio: *Non eſt conſervandum ſacramentum, quod malè* [p] *incautè promittitur: velut ſi quiſpiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius eſt enim ſacramentum non implere, quàm permanere in ſtupri flagitio.* Similiter in Synonymis: *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè voviſti, non facies: impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur.* Hæc de ſacris paginis auctoribuſque præcipuis breviſſimè ſufficiat prælibâſſe. Nam plurima colligere poterit, qui hæc attentiùs legendo quæſierit. Cæterùm quibus hæc nequaquam ſufficiunt, vel hinc ſumant cum rubore ſilentium, quia optat vas electionis anathema eſſe à Chriſto pro fratribus [q] noſtris, quàm perdurare crudelibus in delictis.

III. *De*

b Religatione. C. 4. 22. q. 4. Incommutabili.
c Innect. Si enim per Hieremiam, &c. *Burch. à quo intermedia deſunt.*
d Parcens.
e *Quidam. Mſs.* idem quidē ejuſdemque deitatis licèt ſint dicta firmiſſima, crebrò. *Exc. & Grat.*
Hierem. 18.
f Adoptata. *Exc.*
h Super mal. *Exc.*
Ezech. 33.
i Viro, quod. *Exc.*
k Vitam. *C. A.*
l Converſus à juſtitia. *Exc. aliàs, ut noſtri.*
* *Deeſt. Exc.*
m preſſuræ. *Exc.*
n Temperent. *Exc.*
o Sed nam S. Ambroſius in lib. 3. *De offic.* ita ait. Purum igitur, &c. *Burch. quæ hic media ſunt, non agnoſcit.*
p Et *C. A.* Etiam. *Exc.*
q Et ſacram. *Exc.*
r Petitura. *Exc.*
Amb. lib. 1. cap. 50.
Matth. 14.
Marc. 16.
s Victori. *unus Ms.*
Judic. 11.
25. q. 4. Unus quiſque ſimplic.
t Seducat. *Exc.*
u Ac ſi promittere quærat. *Burch.*
x Jus ſacramenti, tamen cont. *Burc.*
y Datur. *Exc.*
z Tale. *C. A. Exc.*
a Diſputans. *Exc.*
* *Deeſt. C. A.*
b Vover. id, quod ſibi. *in Burch.*
22. q. 4. Non ſemper.
c Deus. *Exc.*
d Affectibus *Burch.*
e Eſt. *Exc.*
f Pro miſericordia ment. *Exc.* F. proximis ment. *Burc.*
g Inchoandum. *C. A.*
h Minus. *Exc.* mentitus. *Burch. Qui toto hoc loco mutilus eſt.*
i Idem. *Exc.*
Rom. 3.
k Sib. Hinc Papa Gregor. in libro *Moralium*, ſic ait: Cùm mens inter minora & max. *Burch. à quo cætera deſunt.*
l Et vitæ merit. *Exc.*
m Tam. *Exc.*
Job 40.
n Invent. Hinc & Iſidorus ait: Tolerabilius eſt enim. *Burch.*
o Jam ſæculorum finitorum. *Exc.*
Iſidorus lib. 2. Sent. cap. 31. De Jurament. ſent. 10. & 22. q. 4. Non ſtuc.
p Malum. *C. A.*
q Suis. *Exc.*

III. *De præmio Epiſcopalis ordinis tituli.*

33. Tertiæ ratiocinationis alloquio doluimus, contra priorum monita Patrum, vota pernicioſiſſima poſterorum. Nam quantò frequentiùs illi noxia vetuerunt, tantò ſtudioſiùs iſti perpetrare vetita non quieſcunt. Sicque per contrarium, quod penitùs occumbere debuit, inſultare noo deſinit: & res quæ tot exciſa decretis areſcere potuit, ad vicem [r] Lernæi capitis, ut ferunt fabulæ, truncata vireſcit. Denique, quod ſine magno dolore dicendum non eſt, reperiuntur quamplurimi negotio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritûs ſancti, dum vile præmium donant, ut Pontificalis ordinis ſublime culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: *Pecunia tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimâſti per pecuniam poſſideri.*

34. Proinde quia uſitatum eſt [s] tale malum, & majorum frequenter exſtat mucrone ſucciſſum; nos quoque huic vulneri [t] cancroſo, ignitum, quod ſupereſt, adhuc injicimus ferrum: decernentes [u] omnimodo, ut quicumque deinceps [x] pro percipienda ſacerdotii [y] dignitate, quodlibet præmium detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à [z] perceptione Chriſti corporis & ſangoinis alienum, ax quo illnm conſtat hoc exſecrabile Chriſto perpetrâſſe flagitium. Quòd ſi aliquis exſtiterit qui accuſet, ille qui huoc ordinem munerum fuerat acceptatione lucratus, & [a] ſuſcepti honoris gradu privetur, & in monaſterio ſub perenni pœniteotia religetur. Illi verò qui pro hac cauſſa munerum acceptores exſtiterint, ſi clerici fuerint, honoris amiſſione multentur; ſi verò laïci, anathemate perpetuo condemnentur.

[r] Hydræ cap. C. 4.
Actorum. 8.
[s] Tantum. Exc.
[t] Caocroſo. Exc.
[u] Omnino. Exc.
Decret. Ivo p. 6. cap. 83.
[x] propter accipiendam. Exc.
[y] Dignitatem. Exc.
[z] Participatione. Ivo. Exc.
[a] Suſcepto. Exc.

IV. *De Epiſcopis pollutis.*

35. Quartæ congreſſionis eventu obvius ſeſe nobis intulit Pontificalis culminis lapſus, quem antè flere quàm diſponere compulſi ex ordine ſumus. Nam cùm ſecundùm carnis aſſumptæ myſterium Eccleſiæ ſuæ fuerit dignatus caput exiſtere Chriſtus, meritò in membris ejns intentio Epiſcoporum officia peragere cernitur oculorum: ipſi enim de ſublimiori celſitudine [b] ordinum regont & diſponunt ſubjectas celſitudines plebium. Unde quantò ipſi ſinot ſequentium [c] ducatores, tantò meritorum lumine debent [d] eſſe fulgentes. Quapropter omnes Epiſcopi, inter cæterarum ornamenta virtutum, nitore carnis debent propenſiùs enitere; ut ex hoc andientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia oon deturpat. Adeò, ut ſi deinceps Epiſcopi detecti fuerint exſecrabiliùs flagitiis cum quibuſdam fœminis pollui, [e] aut familiari peculiaritate verſari, noverint ſe irrevocabili ſententia Patrum ulciſci, ideſt, & loci & ordinis ſui dignitate privari.

[b] Ordinis. Exc.
[c] Doctores. Exc.
[d] Præfulgere. Exc.
[e] Ac. C. 4.

V. *De ſacerdotibus miniſtriſque pollutis.*

36. Quintæ actionis impulſu pervenit ad totius Concilii ſacrum auditum, quoſdam ſacerdotes & miniſtros obliviſcentes majorum [f] veteribus conſtitutis, aut uxorum, aut quarumcumque fœminarum immuoda ſocietate, & exſecrabili contagione turpari; peſſimi cordis obſtioatiooe, tam ſacris literis, quàm Patrum regolis obviantes, nec levi quidem reſpiramine memoriæ commendantes quod ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, dicit Dominus.* Et illud Apoſtolicum: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, ideſt, fornicationem, & immunditiam, concupſcentiam malam, & avaritiam.* quibus quantò eſt pertinacior [i] uſus in malis, tantò auſterioribus convenit obviare decretis. Propter quod [k] flagitii dedecus, ſpecialiter hoc à ſancto Concilio definitur, ut omnes Epiſcopi idipſum in ſuis quærere ſolicitè cureot; & cùm hoc veriſſimè reperire potuerint, omnes [l] placiti [m] cantione [n] tali [o] diſtringant, ut nunquam ulteriùs tam abominanda committant. Mulieres verò, ſeu liberæ ſint, ſeo ancillæ, [p] ac illis turpitudine ſociatæ, ita omnibus modis ſeparentur, [q] & monaſterio tradantur, ut ulteriùs ad [r] conſcios ſui criminis revertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi verò ſi omnino coërceri nequiverint, uſque ad exitum vitæ ſuæ monaſteriis deputati, [s] pœnitentiæ diſciplinis maneant omnino ſubjecti.

[f] Ac veterum Conſtitutorum. Exc.
[g] Et peſſima. Exc.
[h] Contemplantes quod. Exc.
Levit. 19. 20.
Coloſſ. 3.
[i] Vir. Exc.
[k] Flagitiis detectis. Exc.
[l] Placita. Exc.
[m] Cauſtione. C. 4.
[n] Talites. Exc.
[o] Conſtringantur. C. 4.
[p] Tam turpiter ſociatæ. Exc.
[q] Aut certè vendantur, ut olter. Exc.
[r] Conſocios. Exc.
[s] Diſciplinis monaſticis maneant. Exc.

VI. *Si uxores duxerint ſubdiaconi, quid obſervandum.*

37. Sextæ diſcuſſionis objectu, quorundam malè ſibi conſciorum patuit denotatum elogium. Nam relatum eſt nobis quoſdam ſubdiaconos, poſtquam ad ſacri hujus ordinis pervenerint gradum, non ſolùm carnis immunditiâ ſordidari; cùm ſcriptum ſit: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: Sed etiam, quod dictu quoque nefas eſt, novis uxoribus copulari; aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem à Pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum diſciſſo velamine, id præcipimus [t] obſervari, ut quum iidem ſubdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur (ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare prolata) omni penitùs ab illis ſorde mulierum ac familiaritate remota. Quòd ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.

Iſaias. 52.
[t] Obſervare.

VII. *De*

VII. *De clericis, qui ad conjugia moreſq; ſæculi redierint.*

38. Septimæ aſſertionis acceſſu adiit cœtum noſtrum tam inverecunda progreſſio, quàm ignobilis ac deteſtanda præſumptio. Quoſdam enim, aut eventu neceſſitatum, aut metu periculorum [u] adeptos fuiſſe novimus Eccleſiaſticarum officia dignitatum: & quoniam cùm illis hæc imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe [x] teſtantur, iccircò * hæc * ſpernere, atque ad priſtina pertentant conjugia moreſque redire; tam nequiter cœleſtia jura ſolventes, quàm promptè ſæcularibus exſtant illecebris inhiantes. Qua de re nôſſe nos convenit, quòd Epiſcopalis eminentiæ [y] culmen non immeritò ſacris omnibus eſſe ſumma percenſuit, quæ cæteris ſacerdotibus exercenda prohibuit: ſcilicet templorum Dei ſacrationem, [z] chriſmæ benedictionem, ſacrorumque ordinum inſtitutionem, quæ tam [a] divinaliter ordinata perſiſtunt, quàm excellentiſſimè conferuntur: quia & tantò ab eis ſingulariter impenduntur, quantò eidem ſummo culmini peragenda ſervantur. Quomodo ergo quod in ſe recipit, à ſe rejicere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quàm à ſolis Pontificibus novit, à quibus nec ligata ſolvi, nec ſoluta [b] poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum Veritas ait: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.* Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod divina juſſione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis auctoritate, ſacrum noſcitur exſtitiſſe.

39. Verùm ſicut ſanctum chriſma collatum, & altaris honor, evelli non queunt, ita quoque [c] ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur & ſociùm, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit [d] omnibus modis inconvulſum. Ad exſtirpandum verò radicitùs hujus callidæ machinationis inutile argumentum, id ſibi rationabiliter dari noverint in objectu, quòd ſacroſancti baptiſmatis inappretiabile donum eſt ſemper; & ſæpè non ſolùm nolentibus, verùm etiam (quod majus eſt) neſcientibus impertitur: ſed hoc à nullo penitùs profanari permittitur. Quòd [e] ſi & hîc opponitur, necdum rationis [f] capaces exiſtere, qui hoc [g] probantur accipere; [h] hîc omnimodò [i] conticeſcant, quia ſi majores impunè non deſerunt, quod parvuli vel neſciendo, vel nolendo percipiunt; quantò magis non convenit [k] violare quod pro mortis aut pœnarum evadenda pernicie, occulta Dei diſpenſatione dignoſcitur obveniſſe?

40. Recedant ergo [l] talium deſideriorum impudorati fautores; & licèt invitè perceperint quod non merebantur habere, libenter tamen, ob cœleſte retineant præmium, quod nolendo, [m] per terrenæ conſecuti ſunt neceſſitatis eventum: ut [n] tamen inviti appetant bona diligere, [o] quæ ſponte videntur [p] deſides impugnare. Quòd ſi quis poſt hoc perennis diſpoſitionis edictum, non ſinceriter ſacris inhæſerit cultibus, & abjiciens à ſe gratiam quam accepit, [q] relabi ad conjugia moreſque ſæculi attentaverit, vel eum redire [r] conſtiterit, mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate [s] privatus, verè, ut Apoſtata, à ſanctæ Eccleſiæ liminibus & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus; monaſteri clauſtris, donec advixerit, ſub pœnitentia retrudendus.

u Ab Epiſcopis ſumpſiſſe nov. Exc. *aliqui*.
x Teſtati ſunt. Exc.
* *Deeſt.* C. A.
y Divina auctoritas non immerito ſacris omnibus eſſe ſumma percenſuit. Exc.
z Chriſmatis. C. A.
a Divaliter. C. A.
b potuerunt. Exc. *aliqui*.
Matth. 16.
c Sacrorum. *Ms* ſacrum. Exc.
d Omnimodè. Exc.
e Et hic. Exc.
f Capacem. Exc.
g Probatur. Exc.
h Hinc. C. A. Exc.
i Cognoſcant. Exc.
k Violari. Exc.
l Deſ. ſine verecundia impud. Exc.
m Propter. Exc.
n Tam. Exc.
o Quem. Exc.
p Deſidenter. Exc.
q Relabitur. Exc.
r Ad hoc conſt. Exc.
s Privetur, & ut ap. Exc.

VIII. *Ut nullus ordinetur, qui non perfectè noverit officia Eccleſiaſtica.*

41. Octavæ diſceptationis [t] affectu reperimus quoſdam divinis officiis mancipatos tanta [u] neſciente ſocordia plenos, [x] ut nec in illis probentur inſtructi competenter ordinibus, qui quotidianos verſantur in uſus. Proinde ſolicitè conſtituitur atque decernitur, [y] ut nullus, cujuſcumque dignitatis Eccleſiaſticæ, deinceps [z] percipiat gradum, qui non totum pſalterium, vel canticorum uſualium, & hymnorum, ſive baptizandi perfectè [a] noverit ſupplementum. Illi verò, qui jam honorum dignitate funguntur, hujus tamen ignorantiæ cæcitate vexantur, aut ſpontè ſumant intentionem [b] neceſſaria perdiſcendi, aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur [c] inviti. Abſurdum ſiquidem eſt, eos qui cæteros ſimpliciores, & laïcos habent docere (quibus & diſciplinæ, & vitæ debent eſſe veluti quoddam ſpeculum) ad alicujus ordinis vel dignitatis promoveri ſtatum, qui legem Dei ignorant, nec literarum ſaltem mediocritate ſint inſigniti. Nullus igitur ad ſacra Dei myſteria tractanda veniat indoctus * lotus aliquis, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens: ſed ſolus is accedat, quem morum innocentia, & literarum ſplendor reddunt illuſtrem. Aliter ordinatuiis & ordinandis imminet in poſterum Dei & ejus Eccleſiæ vindicta.

t Affatu. Exc.
u Neſcientiæ. C. A.
x Ita literarum, & diſciplinæ ignarum, ut nec in illis Exc. *quidam*.
y Nullus. Exc.
z Percipiant. Exc.
a Noverint. Exc.
b Neceſſariam. Exc.
c In quibuſdam. Exc. *Hic ſequentia ſubjunguntur.*

IX. *De his qui eſum carnium in quadraginta diebus percipiunt.*

42. Nonæ intentionis admonitu detecta eſt ingluvies horrenda voracium, quæ dum fræno parſimoniæ non aſtringitur, religioni contraire [d] cenſetur. Nam dicente Scripturâ: *Qui ſpernit minima, paullatim [e] decidet * in maxima *.* Illi [f] tanto edacitatis [g] improbæ ſumptu graſſantur, ut cœleſtia & penè ſumma contemnere videantur. Etenim cùm Quadrageſimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione jejunii [h] Domini conſecrantur, quibus etiam ſaluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur; [i] quatuor elementis formatus, propter tranſgreſſionem Decalogi quaterdecies convenienter affligitur, [k] illi auſu temerario hæc omnia [l] contemnentes, [m] voracitatis ingluviem non frænant, & (quod pejus eſt) Paſchalia feſta illicitorum eſuum [n] præceptione profanant.

d Monſtratur. Exc.
Eccleſ. 19.
e Decidit. Exc.
* *Deſunt.* C. A.
f Tanta. Exc.
h Improbitate proſ. Exc.
h Domino. Exc.
i Ex ex quat. Exc. C. A.
k Illis qui. Exc.
l Contemnunt. Exc.
m Nec vorac. ingl. frænant. Exc.
n Perceptione. Exc.

eſt. Exc. *p. 25. cap. 39.* — * *Deeſt Ivon.* — o Percipiant.

43. * Quibus * ex hoc adeò accerrimè interdicitur, ut quiſquis abſque inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidenti languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejuſdem diei ſancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat * gulam *: quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita violare præſumant, quàm à ſacerdote permiſſum [o] accipiant,

X. *De Rectorum reverentia apud ſynodale decretum.*

p Colluctationis. Exc. — * Deſinunt. Exc. — q Unitate. Exc. — r Membra cap. Exc. — 1. *Timoth.* 6. — *Epheſ.* 5.

44. Decimæ [p] conlocutionis aſſenſu moleſtis actibus, quos ſagax indagatio pietati obviare detexit, & non tam bene regendi licentia, quàm ſe magnitudo impugnâſſe probavit, ſatis (ut opinamur) & lege glorioſi Principis, & decreto ſanctæ Synodi hujus contradictum eſſe conſpeximus. Ita enim ſanctus Spiritus per utraſque definitiones mortalium corda perflavit, ut vitali flatu verborum in poſterum omnem exureret malè concupiſcentium rabiem animorum. Actum namque eſt in definitionibus ipſis, ut quia pietatis divinæ incomprehenſibilis & ignota * natura *, ſeſe conditioni mortalium in [q] unione perſonæ conjunxit myſterio redemptionis humanæ, nos quoque [r] à membris capitis hujus, & perfidiæ malum, & concupiſcentiam, quæ radix malorum eſt omnium, & avaritiam, quæ invenitur ſervitus idolorum, pari ſimul igne ac mucrone, totoque artificio radicitùs evellamus ac diſſecemus,

s Coetu aut. Exc. — t Judices. Exc. *antiqui.* — u Parci plusquam extenti. Exc. — x Obligationis gratiſſimè rebus. Exc.

45. Abhinc ergo, & deinceps, ita erunt in regni gloriam præficiendi Rectores, ut aut in urbe regia, aut in loco ubi Princeps deceſſerit, cùm Pontificum majorumque Palatii omnimodo eligantur aſſenſu; non [s] forinſecus, aut conſpiratione paucorum, aut ruſticarum plebium ſeditioſo tumultu. Erunt Catholicæ Fidei aſſertores, eamque, & ab hac, quæ imminet, Judæorum perfidia, & à cunctarum hæreſum injuria defendentes: erunt actibus, [t] judiciis, & vitâ modeſti: erunt in proviſionibus rerum tam [u] parci ampliùs, quàm extenti, ut nulla vi, aut fictione ſcripturarum, vel definitionum qualiumcumque contractus à ſubditis vel exigant, vel exigendos intendant: erunt in conquiſitis [x] oblationibus gratiſſimè rebus, non proſpectantes proprii jura commodi, ſed conſulentes patriæ, atque genti.

y Illæ. C. A. — z Rerum. C. A. — a hæreditabunt ſucceſſores proprii eorum. Exc. — b. Proprii, C. A. — c Sint, aut. C. A. — * Deeſt. A. C. — d Et. A. C. Exc. — e Percipiat. Exc. — f Epiſcopalem. Exc.

46. De rebus congregatis ab eis, [y] illas tantùm ſibi vendicent partes, quas dictaverit auctoritas principalis. [z] Verùm quæcumque inordinata reliquerint, [a] hæreditabunt gloriam ſucceſſoris. [b] Propria eorum, & ante regnum juſtiſſimè conquiſita, aut filii, aut hæredes capiant jure proximitatis. De affinium ſucceſſione vel munere, quamvis inordinata relicta, [c] * aut * primò tantùm filiis, aut hæredibus ſequenter proficiant, vel propinquis. Atque ita in eorum cunctis actibus, moribus, atque rebus præfatæ legis erit auctoritas valitura, ut [d] ea perenniter maneat inconvulſa. Et non priùs apicem regni quiſquam [e] perceperit, quàm ſe illa per omnia ſuppleturum jurisjurandi taxatione definiat. Cui etiam legi, vel decreto [f] Epiſcopali, non ſolùm in futuro, ſed etiam in præſenti, reverentiam apponentes decernimus, ut quicumque detractor, & non potiùs venerator decreti ejuſdem atque legis eſſe maluerit, ſive religioſus ille, ſive ſit laïcus, non ſolùm Eccleſiaſtica excommunicatione plectatur, verùm & ſui ordinis dignitate privetur.

XI. *De profanatoribus decretorum Patrum.*

g Ærumnas relevat. Exc.

47. Undecimæ occaſionis articulo decretorum univerſalium perenne dedimus firmamentum, ſcientes, quòd multimoda ſemper Deus oppoſitione judiciorum [g] ærumnam relevet oppreſſorum: & ſicut malis exigentibus hominum permittit exerceri pœnas ultionum, ita cùm voluerit gravedines relevat preſſurarum. Hinc & decreta præcedentium Patrum, ad contentionis jurgium radicitùs evellendum, ritè ſynodalem fieri cenſuère conventum; ut illic de diverſitate judiciorum [h] protenſæ lites habeant terminum, ubi Spiritus ſanctus univerſalem coadunaverit cœtum.

h Prateritæ. Exc. — i Qualibet. Exc. — k Committi. Exc. — l Convelli. Exc. — m Quæ ſint, vel fuerint. C. A. — n Univerſalis auctoritatis. C. A. — o Reverberare. C. A. — p Ac. Exc. — q Gratiæ, & honore ſui. Exc. — r Sacræ. Exc. — s Epiſcopos. C. A. — t Aut. Exc.

48. Ab hoc ergo Spiritu ſancto ſuccenſi, ne [i] quilibet in poſterum, aut impunè valeant [k] commoveri, aut generalia ſtatuta [l] convellere, plena decernimus unanimitate connexi, ut quæcumque pro Fidei cauſſis Eccleſiaſticiſque negotiis, aut in præteritis geſtis, aut in præſentibus conſtitutis, aut futuris etiam in decretis, [m] vel ſint, vel fuerint definitiones conſcriptæ [n] univerſali auctoritate, nullus his deinceps contradicere audeat, nullus ea [o] evertere præſumat, nullus non implere contendat. Nam ſi quis ex religione contra hæc inobediens, aut ſuſurrans, vel ſi certè lacerator, aut invidus, [p] aut non potiùs eorundem factor exſtiterit [q] gratioſus, & honoris ſui, & communionis [r] ſanctæ lugeat amiſſione multatus. Cùm verò quælibet ſancta Synodus agitur, aut pacificè inter [s] Pontifices quippiam definitur; ſi pauciores per neſcientiam vel contentionem fortè diſſentiant; aut commoniti plurimorum ſententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confuſionis abſcedant, [t] & excommunicationis annuæ ſententiam luant.

XII. *De his qui ſpernunt hæc ſancita.*

u Duodecimæ quæſtionis propoſitione, quæ eſt. Exc.

49. [u] Duodecima, quæ eſt finalis & ultima, ſacratiſſimi Principis obſecratione piiſſima, pro Judæorum abominabili ac nefanda perfidia, exſecranda noſtro cœtui perpatuit cauſſa: quam iccircò in fine ſententiarum cenſuimus eſſe ponendam, quoniam eandem gentem delicti ſui merito retrò ductam, per

divi-

divinæ ſanctionis oracula à capite [x] poſitam deflemus [y] in caudam. Sed quia Chriſtus, ut pro nobis, ita quoque pro illis eſt mortuus, juxta quod ipſe ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierant domûs Iſraël*; neceſſarium duximus ſummam pro eis impendere curam, pro quibus ſuam Chriſtus ponere non dedignatus eſt animam. Ideoque principali clementia devotiſſimè [z] præfaventes, quæ ob hoc ſui regni apicem à [a] Domino ſolidari præoptat, ſi Catholicæ Fidei pereuntium turmas acquirat (indignum [b] orthodoxæ Fidei Principem ſacrilegis [c] imperare, fideliumque plebem infidelium ſocietate polluere) nihil aliud pro his ex noſtra ſententia definitur, quàm ut decreta Concilii Toletani, quod divæ memoriæ Siſenandi Regis aggregatum eſt tempore, à nobis ac poſteris omnimoda ſuppleantur. [d] Quiſquis autem ab ejuſdem Synodi voluerit ſententia diſſentire, ut verè ſacrilegum ſe noverit condemnari.

x Sepoſitam. C. A.
y ni ne eſſe in cauda. Exc.
Matth. 15.
Percuſſit eos Dominus in poſteriora. Opprobrium ſempiternum dedit eis.
z Approbante. Exc.
a Deo. Exc.
Concil. Tol. 4. cap. 56. 57. 58. 59. 61. 62.
b Indig. reputans. Exc.
c Imper. & infidelium ſocietate pollui. Exc.
d Qui. Exc.

XIII. *De gloria Trinitatis & Principis.*

50. Divinæ Trinitatis inſeparabile nomen, ſicut inſpiratione mirabili noſtrorum tractatuum primordia [e] lineavi, ita conſummatione ſublimi [f] eadem jam perficiendo [g] concludit: ut in illo ſit noſtrum explicuiſſe, à quo nobis adfuit inchoare. Damus ergo gloriam & honorem eidem ſanctæ atque [h] indiviſibili Trinitati, quæ nobis [i] ex ſe dicere contulit, & in ſe dicta complevit, atque reformavit [*] in [*] extremitate ſæculorum remedia pietatum, & reſolvit ligamina [k] vinculorum. Sit gratiarum actio, ſalus, & benedictio exercituum Domino ſuper [l] ſereniſſimum Receceſvinthum Principem glorioſum. Gratiarum actio & reverentiæ plenitudo à nobis omnibus in commune, ipſi clementiſſimo Principi bonorum gratifico largitori; cujus votorum inſtantiâ benigna Deus attulit complementa; cujus [m] diſpoſitione piiſſima preſſurarum removit exitia; cujus temporibus [n] conferat vigere juſtitiam, & exuberare miſericordiam opulentam; cui poſt præſentis ævi tempora, diuturnam cum Sanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam.

51. Nos autem omnes hanc decretorum ſeriem ex [o] rectæ, vel pietatis, ac juſtitiæ fonte manantem, coram Deo & ſanctis angelis ejus, orthodoxis omnibus, & nunc & in [p] futurum impenſiſſimè commendamus; obſecrantes enixiùs, ut hanc & reverenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendant. Contemnentibus [q] eam divinæ ſeveritatis ultio pavenda [r] proveniat, obſervantibus autem miſericordia profluens, pax perpetua, & gloria ſempiterna contingat. Hujus quoque ſententiæ fortitudine vel [s] valore, decreti noſtri ſeriem, quam in ſereniſſimi Domini noſtri Receceſvinthi Regis [t] edimus nomine, pro rebus à divæ memoriæ patre ſuo quolibet titulo conquiſitis, decernimus omnino conſtare. Legem denique, quam pro coërcenda Principum horrenda cupiditate idem clementiſſimus edidit Princeps, ſimili robore firmamus, atque, ut [*] in [*] futuris retrò temporibus, modis omnibus obſervetur, pari ſententia definimus.

52. Quæ etiam ne taciturnitate temporum vel obliviosâ vetuſtate [u] depereant, huic noſtræ conſtitutioni utraque decernimus innectenda; [x] ita cunctorum memoriæ commendanda, ut à cunctis regulis ſuperiùs ordinatis [y] nuſquam maneant ſegregata. Cætera quoque decretorum noſtrorum judicia, quæ ab [z] hac Synodo noſcuntur eſſe confecta, ſi quis convellere forſitan decreverit, aut [a] temerè complere neglexerit, vel infringere quandoque voluerit, per judicium omnipotentis Dei anathema ſit. Soli autem Deo noſtro gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

e Illuminavit. Exc.
f Eundem. Exc.
g Concludat. Exc.
h Inviſibili. Exc. *aliq.*
i Ex hæc dic. Exc. *aliàs*: & ex ſe dic.
* *Deeſt.* Exc.
k Vinc. collationibus gratiarum. Salus. C. A.
l Sereniſſim. Receſvintho Principe glorioſo. Exc.
m Diſpoſitio. Exc.
n Conferat juſtitia vigorem, & exuberare miſericordiam opulentam. Cui Dominus poſt Exc. *aliqui*.
o Recti, idei. Exc.
p Futuro. Exc.
q Ex contemnent. C. A.
r Perveniat. Exc.
s Vigore. Exc.
t Edidimus. Exc.
* *Deeſt.* Exc.
u Deſeratur. Exc. *aliàs* uſtri.
x Et ita. Exc.
y nequaquam. Exc.
z Hac ſancta Exc.
a Temerariter. C. A.

53. *Interfuerunt huic ſancto Concilio* [b] *Pontifices numero* [c] *quinquaginta duo, Abbates duodecim, vicarii Epiſcoporum decem, viri illuſtres Palatini ſexdecim. id eſt,*

1. Orontius Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus.
2. Antonius Spalenſis Metropolitanus Epiſcopus.
3. Eugenius regiæ urbis Metropolitanus Epiſcopus.
4. [d] Potamius Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.
5. Gabinus Calagurritanus Epiſcopus.
6. Epartius Italicenſis Epiſcopus.
7. Anſericus Segobienſis Epiſcopus.
8. Dunila Malacitanus Epiſcopus.
9. [e] Talo Gerundenſis Epiſcopus.
10. Stephanus Aſtigitanus Epiſcopus.
11. Tagonius Valerienſis Epiſcopus.
12. [f] Donum-Dei Impuritanus Epiſcopus.
13. Ubinibal Illicitanus Epiſcopus.
14. Joannes Caurienſis Epiſcopus.
15. Floridius [g] Segobrienſis Epiſcopus.
16. Marcus [h] Caſtellonenſis Epiſcopus.
17. Georgius [i] Agathenſis Epiſcopus.
18. Vincentius Tuccitanus Epiſcopus.
19. Selva [k] Egitanienſis Epiſcopus.
20. Ubidericus [l] Segontinus Epiſcopus.
21. Candidatus Aſtoricenſis Epiſcopus.

b Qui & ſubſcripſerunt.
c Quinquaginta quinque, ſcilicet. Exc.
d Exc. Potamius Calagurritanus Epiſcopus. Et in ſequenti ſubſc. Potamius Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.
e *Aſtis*, Tajo. C. A.
f Donus Impyrenæus Epiſcopus. Exc.
g Segobricenſis. Exc.
h Caſtulonenſis. Exc.
i Egitanenſis. C. A.
k Egabrenſis. Exc.
l Segontienſ. Exc.

22. [m] Davila Complutenſis Epiſcopus.
23. Egeredus Salmanticenſis Epiſcopus.
24. Athanaſius [n] Setabitanus Epiſcopus.
25. [o] Guericus Auſonenſis Epiſcopus.
26. Mauricius Oretanus Epiſcopus.
27. Abientins Elborenſis Epiſcopus.
28. Filimirus Lamicenſis Epiſcopus.
29. Servandus [p] Eliplenſis Epiſcopus.
30. Sylveſter Carcaſſonenſis Epiſcopus.
31. [q] Ala Eliberitanus Epiſcopus.
32. [r] Unadila Viſenſis Epiſcopus.
33. [s] Amanurus [t] Abilenſis Epiſcopus.
34. [u] Afrila Dertoſanus Epiſcopus.
35. Adeodatus Pacenſis Epiſcopus.
36. [x] Bacanda [y] Egabrenſis Epiſcopus.
37. Felix [z] Valentinos Epiſcopus.
38. [a] Euphorus Cordubenſis Epiſcopus.
39. Froila Menteſanus Epiſcopus.
40. Giberius Bigaſtrenſis Epiſcopus.
41. Maurellus [b] Urgelitanus Epiſcopus.
42. Hermenfredns [c] Lucenſis Epiſcopus.
43. [d] Aſcarius Palentinus Epiſcopus.
44. Celedonius Calabrienſis Epiſcopus.
45. Litorius Aucenſis Epiſcopus.
46. Juliannus [e] Aucitanus Epiſcopus.
47. [f] Sona Aurienſis Epiſcopus.
48. [g] Servo-dens [h] Baſtitanus Epiſcopus.
49. Siſebertus [i] Coimbrenſis Epiſcopus.
50. [k] Tajo Cæſarauguſtanus Epiſcopus.
51. Euſebius Oſcenſis Epiſcopus.
52. [l] Balduigius [m] Arcavicenſis Epiſcopus.

m Dalila. Exc.
n eta bi enſis. Exc.
o Gubericus. C. 4.
p Illipenſis. Exc.
q Aja. Exc.
r Ubadila. C. 4. Exc.
s Amanungus. C. 4. Exc.
t Elnenſis. Exc.
u Aprila. C. 4.
x Bacauda. C. 4. Exc.
y Agabrenſis. Exc.
z Valentinenſis. Exc.
a Phoſphorus. C. 4. Exc.
b Urgelenſis. Exc.
c Icenſis. C. 4.
d Aſcaricus. Exc.
e Accitan. Exc.
f Sontanus. Exc.
g Servus-dei. Exc.
h Baſtianus. Exc.
i Conimbricenſis. Exc.
k Taja. C. 4.
l Valdnigins. C. 4.
m Arcobricenſis. Exc.

ITEM ABBATES.

1. Fugitivus [n] Abbas * ſubſcripſi. *
2. Anatolius Abbas * ſubſcripſi. *
3. Euſicius Abbas * ſubſcripſi. *
4. Ildephonſus Abbas * ſubſcripſi. *
5. Simpronius Abbas * ſubſcripſi. *
6. Eumerius Abbas * ſubſcripſi. *
7. Quiriacus Abbas * ſubſcripſi. *
8. Morarius Abbas.
9. Joannes Abbas.
10. Secundinus Abbas.
11. Marcellinus archipresbyter Toletanus * ſubſcripſi. *
12. [o] Siliconus Primicerius * ſubſcripſi. *

n Abba *eſt ſemper in*. C. 4.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
* *Deeſt*. Exc.
o Siriculus. C. 4.
* *Deeſt*. Exc.

ITEM [p] VICARII EPISCOPORUM.

1. [q] Oſdulphus [r] Avianchimari Epiſcopi Eccleſiæ Dumienſis, ſubſcripſi.
2. Servandus archipresbyter Vincentii Epiſcopi Eccleſiæ [s] Agarenſis, ſubſcripſi.
3. Godeſcalcus presbyter [t] Egilanis Epiſcopi Eccleſiæ [u] Oxomenſis, ſubſcripſi.
4. [x] Matericus presbyter [y] Soſani Epiſcopi Eccleſiæ [z] Britanienſis, ſubſcripſi.
5. Victorinus presbyter Beati Epiſcopi Eccleſiæ Tudenſis, ſubſcripſi.
6. [a] Suttericus diaconus Gaudiulaoi Epiſcopi Eccleſiæ Ilerdenſis, ſubſcripſi.
7. [b] Conantius diaconus [c] Mareli Epiſcopi Eccleſiæ Dianenſis, ſubſcripſi.
8. Daniel diaconus Marcelli Epiſcopi Eccleſiæ Urcitanæ, ſubſcripſi.
9. Sindigis diaconus Vincibilis Epiſcopi Eccleſiæ Irienſis, ſubſcripſi.
10. Sagarellus diaconus Saturnini Epiſcopi Eccleſiæ Oſonobenſis, ſubſcripſi.

p Vicaria. C. 4.
q Odulgus, Abbas Riachimasi Epiſcopi. Exc. Abialus Archipresbyter ſubſcripſi.
r Aviachimare. C. 4.
s Egarenſis. C. 4. Gerabricenſ. Exc. *alias ut noſtri*.
t Egilæ. Exc.
u Oxobienſ. Exc.
x Mattericus. Exc.
y Somnani. Exc.
z Britolenſ. Exc.
a Guitericus diaconus. Exc.
b Tonantius diac. Gundulani Epiſcopi Eccleſiæ Ilerdenſis. Exc.
c Maurelis Dianſ. Eccl. Epiſc. Exc.

[d] ITEM EX VIRIS ILLUSTRIBUS OFFICII PALATINI.

1. [e] Hodoacrus Comes Cubiculariorum, & Dux.
2. [f] Otilo Comes Cubiculariorum, & Dux.

d Viri illuſtres offic. P. Exc.
e Hodoagrus. C. 4. Odoacer. Exc.
f Oilo. Exc.

3. Adulphus Comes Scantiarum, & Dux.
4. [g] Dabilo Comes & Procer.
5. [h] Aſtalaus Comes.
6. Atanephus Comes & Dux.
7. Ella Comes & Dux.
8. Paullus Comes Notariorum.
9. [i] Tuancius Comes Scantiarum.
10. Euredus Comes & Procer.
11. [k] Ricilla Comes Patrimoniorum.
12. [l] Afrila Comes Scantiarum.
13. [m] Ubendurius Comes Scantiarum, & Dux.
14. Fundila Comes Scantiarum, & Dux.
15. [n] Cunefridus Comes [o] Spathariorum.
16. Frolla Comes & Procer [p].

g Babilo. *C. A.*
h Araculfus. *C. A.*
i Euantius. Exc.
k Riquira. *C. A.*
l Rucehila Exc.
m Benedarius. Exc.
n Cunefredus. Exc.
o Sacrariorum. Exc.
p *In C. A. eſt amplius,* Procura Comes Patrimoniorum.

*Decretum * in die ſecunda Univerſalis Concilii editum in nomine Principis.*

* *Deſunt. A.C. pro quibus eſt judicii univerſalis.*

54. SOLIDITATEM reddidiſſe fracturæ, atque feciſſe conſurgere quod exſtiterat [a] colliſum, & incrementum eſt [b] uſitatæ mercedis, & plenitudo conſummatæ perfectionis. Ponderi etenim collidentis ruinæ, ſi æqualium proximorum [c] curam convenit obviare, quantò grandioris culpæ erit Prælatos incuriæ diſcrimen incurrere, ſi non quo valent [d] excommunicationis [e] onere commiſſos procurent populos ſublevare? Properandum ergo eſt inter ruinas colliſionum catervas eripere colliſorum: ut ex hoc jugiter & ultrà, nec vigorem nocendi habeat execranda preſſura, & omnis compreſſus noverit ſanctionis eſſe [f] ſacra ſibi collata remedia. Cùm decurſis ergo temporibus duræ damnationis ſeſe poteſtas * gravis * attolleret, & in ſubjectis populis [g] imperium dominantis non formaret jura regiminis, ſed excidia ultionis; aſpeximus ſubditorum ſtatum non ex ordine vegetari rectoris, ſed dejici ex gravedine poteſtatis. [i] Contraxerant enim leges elata faſtigia in bifronti diſſidio motionis, & aut in culpis lex ardua ſæviebat, aut in ſpoliis favorem lex [k] voluntariè commodabat. Inde mœſtos animos non ſpes fovebat ex munere, ſed tolerantia vexabat in funere. Inde jam in reparationis occurſu, non tantùm nos abire ratio ſola cogit, verùm & ipſa [l] commotio rerum impellit: ut ex omnium animorum deliberatione concordi illa [m] maneat ſententia dicta, quæ & finem auſibus ritè ponat illicitis, & conſultum ſalvandis jure ferat populis.

55. Quoſdam namque conſpeximus Reges, poſtquam fuerint regni gloriam aſſequentes, extenuatis viribus populorum, rei propriæ congerere lucrum: & obliti [n] quòd regere ſunt vocati, defenſionem in vaſtationem convertunt, qui vaſtationem defenſione pellere debuerunt. Illud gravius innectentes, quòd ea quæ videntur acquirere, non regni deputant honori, nec gloriæ, ſed ita malunt in ſuo jure confundi, ut veluti ex debito decernant hæc in liberorum poſteritatem tranſmitti. Quam itaque ob rem in proprietatis illa conantur redigere [o] ſinum, quæ pro ſolo conſtat illos Imperiali percepiſſe faſtigio, [p] aut pro libito, in juris proprii collocant antro, quod publicæ utilitatis acquiſitum eſſe conſtat obtentu. Nam numquid ad illos, aut populorum adventus, aut rerum poterat concurrere cenſus, niſi exſtitiſſent gloriæ ſublimati culminibus? aut ab æqualibus illi [q] potuerant rerum coacervatione ditari, niſi [r] ſubjectis glorioſo apice potuiſſent attolli?

56. Omnia tamen certè totius plebis membra ſubjecta, dum ad principale caput relevant attentum debitæ [s] viſionis [t] obtutum, ab illo negotiorum proſpectant remedium, cui modò gratum, modò debitum irrogant cenſum. Regalis proinde ordo ex hoc cuncta ſibi deberi convincit, ex quo [u] ſe regere cuncta cognoſcit; & inde conquiſita, non alteri quàm ſibi juſtè defendit: unde non perſonæ, ſed potentiæ ſuæ hæc debere non ambigit. [x] Regem etenim jura faciunt, non perſona: quia nec conſtat ſui mediocritate, ſed ſublimitatis honore. Quæ ergo honori debentur, honori deſerviant, & quæ Reges accumulant, regno relinquant: ut quia eos gloria regni decorat, ipſi quoque gloriam regni non extenuent, ſed exornent.

57. Habeant deinceps jure conditi Reges in regendo corda ſolicita, in operando facta modeſta, in decernendo judicia juſta, in parcendo pectora prompta, in conquirendo ſtudia parca, in conſervando vota ſincera: ut tantò gloriam regni cum felicitate retentent, quantò jura regiminis manſuetudine conſervaverint, & æquitate direxerint promiſſæ præmium [y] dilectionis. Ne non prodiiſſe putetur ex fomite rationis, [z] revelare convenit [a] evidentiſſimam ſpeciem operis; ut ex illo nos idoneos aſſertores habeat probitas veritatis, ex quo [b] ſe per ſemetipſam reſervaverit qualitas actionis.

58. Ecce enim, ita ex gentis noſtræ mediocribus majoribuſque perſonis multos hactenus corruiſſe reperimus, & deflemus, ut eorum agnitis ruinis, non aliud poſſimus, quàm divinæ judicia conſiderare [c] permiſſionis. Quorum quidem donorum ſpolia, & potentiarum divitias, ſimul & prædia ita conſpicimus prorſus exinanita, ut nec fiſci uſibus commoda, nec palatinis officiis reperiantur in remedium ſalutare collata. Cujus rei ex utroque concurrente defectu, dum & adjudicatos ſententia judicio-

a Concidiſſe. *C. A.*
b Uſitatæ. *C. A.*
c Cura. *in alio Ms.*
d Excommunionis. *Exc.*
e Honore. *C. A.*
f Sanctæ. *C. A.*
* *Deeſt.*
g Impiorum dominatus. *Exc.*
i Contraxerunt enim Reges. *Exc.*
k Voluntaria. *Exc.*
l Commonitio. *Exc.*
m Emanet. *C. A.*
n Quod Reges ſint vocat. *C. A.*
o Sinu. *C. A.*
p Ut quodlibet. *C. A.*
q Potuerint. *Exc.*
r Per ſubjectos. *Exc.*
s Juſſionis. *Exc.*
t Obtutu. *Exc.*
u Se regem recognoſcit. *Exc.*
x Reg. terrenum. *Exc.*
y Dictionis. *Exc.* ditionis. *C. A.*
z Relevare. *C. A.*
a Evidentiſſima ſpecie. *Exc.*
b Semper ſemetipſum. *C. A.*
c Promiſſionis. *alius Ms.*

judiciorum eliſit, & in eorum bonis ad ipſomm vicem monificatus [d] nemo ſorrexit penè, non res iſta diſciplinam in ordine, ſed defectum poſuiſſe penſatur in gente: illu majori ſalutis diſpendio cumulato, quòd tam hæc quæ [e] de judicatis vigor judiciurum abſtraxerat, quàm illa quæ qualiſcumque proventus ordine profligationis [f] congeſſerat, tota proprietatis Principum amplitudo in ſignum ſuæ receptionis incluſerat: ſic ſolo principali ventre completo, cuncta totius gentis membra vacuata langueſcerent ex defectu. Unde [g] eveniet, ut nec ſubſidium mediocres, nec dignitatem valeant obtinere majores: quia dum ſolius poteſtatis vigor maxima occupavit totius plebis ſtatus, nec minima [h] jure defendit.

d Nemo penè non tenuiſſe diſciplinam. *Exc.*
e A. *Exc.*
f Contriverat. *Exc.*
g Evenit. Exc.
h Jora. Exc.

59. Adeò cum omni palatinu officio, ſimulque cum majorum minurumque conventu, nos omnes, tam Pontifices, quàm etiam ſacerdotes, & univerſi ſacris ordinibos famulantes, concordi diffinitione decernimus, & uptamus, ut omnis conquiſitionis profligatio, in omnium rerum viventium * ac nun viventium *, immobilium quoque & moveri valentium, corpore vel ſpecie, formâ vel genere, quæ à glorioſæ memoriæ Chindaſvintho Rege, à die quo in regnum dignoſcitur conſcendiſſe [i] repertus quolibet modo exſtiterit * aogmentâſſe *, umnia in ſereniſſimum, atque noſtri clementiſſimi Reccesvinthi Principis perenni tranſeant poteſtate; & perpetuò deputentur in jure nun habenda parentali ſucceſſione, ſed poſſidenda regali congreſſione; ita ut juſtè ſibi debitâ quiſque percipiat, & de reliquis ad remedia ſubjectorum, quæcumque elegerit Principis voluntas, exerceat: illis tantummodo exceptis, quæ memuratus divæ memoriæ Chindaſvinthos Princeps ante regnum, aut ex propriis, aut ex juſtiſſimè conquiſitis viſus eſt habuiſſe: in qoibus cunctis filiis ejus, unà cum glorioſo [k] domino noſtro Recceſvintho Rege, [l] maneat & diviſio libera, & poſſeſſiu pace pleniſſima. Sed & illæ res, quas prædictus Princeps de juſtis proventibus filiis ſuis, vel qoibuslibet juſtiſſimè viſus eſt contuliſſe, vel reliquiſſe, omnes in eorum jore maneant inconvulſæ: illa hujos negotii veritate ſervata, ut quia grata voluntas glorioſi [m] domini noſtri Recceſvinthi Regis reddere decernit unicuique juſtiſſimè debita, nemo invaſionis calumniam moveat, aut damna requirat, [n] propter quod glorioſæ memoriæ genitorem ejus qoædam indebitè [o] abſtuliſſe conſtiterat.

* Deſunt. Exc.
i Reperta in. Exc.
* Deeſt in Exc.
k Domno. *C. A.*
l Promaneat. *C. A.*
m Domni. *C. A.*
n Propter quæ. Exc.
o Habuiſſe. Exc.

Lex edita in eodem Concilio à Recceſvintho Principe glorioſo.

In nomine Domini Flavius Recceſvinthus Rex.

Habetur in foro Judicum lib. 2. tit. 1. l. 6.

60. EMINENTIÆ celſitudo terrenæ tunc ſalubriùs ſublimia probatur appetere, cùm ſaluti proximurum pia cernitur compaſſiune prodeſſe. Unde ſolet contingere, ut plus commodi de aliena ſalute conquirat, quàm de propria utilitate quiſque percipiat. In multis enim, [a] quia moltorum ſalus attenditur, majoris lucri ſumma [b] percipitur; in ſe autem quia privati commodi fructus appetitur, non [c] ſatis eſt, ſi unios beneficii præmia conqoirantur. Hinc & illa gerendarum tantundem ſalus eſt plebium, quæ non ſuos fines privata voluntate concludit, ſed quæ univerſitatis limites commoni [d] proſperitatis lege defendit.

61. Quapropter, ne ſalotis ordu imperialibus videatur verbis potiùs obtineri quàm [e] factis, de ſublimitatis ubtentu declinamus ad vota ſupplicum, tranqoillæ [f] juſſionis [g] adſpectum: ut inde ſalutaris compaſſio habeat commodum, [h] unde turmæ plebium adeptæ fuerint ſupplicationis effectum. Cùm igitur præcedentium ſerie temporom immuderatiur aviditas Principum ſeſe prona diffunderet in ſpoliis populorum, [i] & augeret eis rei propriæ cenſum ærumna flebilis ſubjectorum; tandem ſupernæ [k] reſpectionis afflatu nubis eſt divinitùs inſpiratum, ut qoia ſubjectis leges reverentiæ dederamus, Principum qooque [l] exceſſus retinaculum temperantiæ poneremus. Pruinde ſincera manſuetudinis [m] deliberatione, tam nobis, quàm cunctis noſtræ gluriæ ſucceſſuribus adfuturis, Deo mediante, legem ponimus, decretumque divalis obſervantiæ promulgamus, ut nullus Regum, impulſionis ſuæ quibuſcumque mutibus aut factionibus, ſcripturas de quiboslibet rebus alteri debitis, ita extorqueat, vel extorquendas inſtituat, quatenus injuſtè ac [n] nolenter, debitarum ſibi quiſque [o] privari poſſit dominiu rerum. Quòd ſi alicujus gratiſſima voluntate quippiam de rebus à quocumque perceperit, vel pro evidenti præſtatione lucratus aliquid fuerit, in eadem ſcriptura patens volontatis ac præſtiti conditio adnotetur, [p] per qoam à nolente fuiſſe ſcripturam exactam, aut reſipiſcat improbitas Principis, [q] & evacuet quod malè contraxit; aut certè puſt ejus murtem ad eum cui exacta eſt ſcriptura, vel ad hæredes ejus res ipſæ ſine cunctatione debeant [r] revocari.

62. Illæ autem res, quæ [s] ſecloſa omni compreſſionis [t] argumentatione directu modu tranſierunt in Principis poteſtatem, in ejus perenniter jure perdurent: & quicquid ex rebus ipſis idem Princeps ordinare vuluerit, ſuæ poteſtatis arbitrio ſubjacebit. Verùm ut umne hujus negotium actionis roboret ſinceritas veritatis, cùm quarumcumqoe rerum ſcripturæ [u] in Principis nomine exſtiterint factæ, mox teſtes qui in eadem ſcriptura ſubſcriptores acceſſerint, ab his quos elegerit Princeps diligentiſſimè perquirantur, ſi nun aliquid indicium, aut de impreſſione Principis, aut de fraude ſcripturam facientis, modo quocumque cognoverint. [x] Ac ſi aut ritè facta ſeries ſcripturæ permaneat, aut ritè con-

a Cùm. *C. A.*
b Percitur. Exc.
c Salutis. C. A.
d Pietatis. Exc.
e Pactis. Exc.
f Viſionis. C. A. & *Forum Judic.*
g Aſpectu. C. A.
h Unde plebes adep. Exc.
i Ut aug. *For. Judic.*
k Reſpirationis afflatu. *For. Judic.*
l Exceſſibus. Exc.
m Manſ. noſtræ. *For. Judic.*
n Violenter indebitorum. Exc.
o Probare. Exc.
p Per quam, aut impreſſio Principis, aut conſcientis fraus evidentiſſimè detegatur. Et ſi patuerit à nolente. Exc. & *For. Judic.*
q Ut. Exc.
r Renovari. Exc.
s Remota omn. reprehenſionis. Exc.
t Augmentatione. *A. C.*
u Etiam Princ. Exc.
x Ut. Exc.

conſecta [y] vaneſcat. Similis quoque [z] ordo de terris, vineis, atque [a] familiis obſervetur, ſi ſine ſcripturæ textu, tantummodo coram teſtibus quælibet facta fuerit definitio.

63. De rebus autem omnibus à tempore [b] Svinthilani Regis hucuſque à Principibus acquiſitis, aut deinceps (ſi provenerit) acquirendis, quæcumque forſitan Princeps inordinata, ſive reliquit ſeu reliquerit; quoniam pro regni apice probantur acquiſita fuiſſe, ad ſucceſſorem tantundem regni decernimus pertinere: ita habita poteſtate, ut quicquid ex his elegerit facere, liberum habeat velle. In illis autem rebus quæ ipſi, aut de bonis parentum aut de quorumcumque provenerint ſucceſſionibus proximorum, ita eidem Principi ejuſque filiis, aut (ſi filii defuerint) hæredibus quoque legitimis, hæreditatis [c] jura patebunt, ſicut etiam cæteris lege vel [d] ſucceſſione patere noſcuntur. Quòd ſi aliquid ex rebus quorumcumque parentum aut proximorum, non ſolùm ſucceſſione, ſed etiam qualibet cullatione, [e] aut quocumque contractu ad jus ipſius pervenire patuerit; ſi contingat hæc inordinata relinqui, non ad ſucceſſorem regni, ſed ad filios vel hæredes ejus qui conquiſivit, ſpecialiter omnis eadem conquiſitio pertinebit. Nam & de illis rebus quæ idem Princeps ante regnum, aut ex proprio, aut ex juſtiſſimè [f] conquiſito dignoſcitur habuiſſe, irrevocabili ordine, aut faciendi quod voluerit [g] poteſtatem habebit, aut certè filiis ejus ſucceſſio plena patebit. Quòd ſi filii defuerint, legitimis hæredibus ex his quæ inordinata reliquerit hæreditatem adire licebit.

64. Hujus ſanè legis ſententia in ſolis erit [h] Principum negotiis obſervanda, atque ita perpetim valitura, ut non antè quiſpiam ſolium regale conſcendat, quàm juramenti fœdere hanc legem ſe in omnibus implere promittat. Quæcumque verò, aut per tumultuoſas plebes, aut per abſconſa dignitati publicæ machinamenta, adeptum eſſe conſtiterit regni faſtigia, mox idem cum omnibus tam nefariè ſibi conſentientibus, & anathema fiat, & Chriſtianorum communionem amittat; tam diræ percuſſionis ultione colliſus, ut omnis divini ordinis cultor, qui illi communicare præſumpſerit, ſimili cum ipſo damnatione diſpereat, & pœnâ tabeſcat. Nam & ſi quis legis hujus ſeriem ex officio palatino malevolè detrahendo lacerari voluerit, aut evacuandam quandoque, vel ſilenter muſſitans, vel apertè reſultans, proloqui detectus extiterit, cunctis palatinæ dignitatis & conſortiis & officiis mox nudatus, omnium rerum ſuarum dimidiam partem amittat, & in deputato ſibi loco redactus, à totius Palatii maneat ſocietate recluſus. Religioſus etiam, qui ſe in eadem culpa devolverit, ſimili rerum proprietatis ſuæ diſpendio ſubjacebit.

[y] Franeſcat. *For. Judic.*
[z] Sententia de terr. *Exc.*
[a] Famulis. *Exc.*
[b] Chintilani. *Forg. Judic.*
[c] Jure. *Exc.*
[d] Succeſs. paterna patuiſſe noſc. *Exc.*
[e] Quolibet. *For. Judic.*
[f] Conquiſitu. *For. Judic.*
[g] Poteſtas manebit. *Exc.*
[g] Regum. *al. Ms.*

NOTÆ VARIORUM

In hoc Concilium.

65. SUBSCRIBUNT Epiſcopi multi, qui in VII. Toletano, ſed plures de novo promoti. Nam cùm ſeptimum congregatum fuiſſet Erâ DCLXXXIV. Octavum poſt ſeptem annos, Erâ DCXCI. in hoc temporis ſpatio multi Epiſcopi (ut eſt labilis humana conditio) ex illis, qui ſeptimo interfuerunt, extremum diem obierant, & alii ſuffecti huic octavo interfuerunt. LOAISA.

66. In Notis D. Loaïſæ ad ſubſcriptiones, juxta exemplaria edita, occurrunt initio errata intoleranda, quæ nullatenus crediderim ab ipſo duxiſſe ortum, ſed ab amanuenſi, aut typographo. Ubi enim ait, Concilium Toletanum ſeptimum fuiſſe congregatum Erâ DCLXIV. debuit dicere, DCLXXXIV. Et ubi ait: *Octavum poſt viginti & ſeptem annos*, deleri debet τὸ *viginti*. Itaque dicendum fuit, prout nos nuper edidimus, & correximus: *Cùm ſeptimum congregatum fuiſſet Erâ DCLXXXIV. octavum poſt ſeptem annos, Erâ DCXCI.* Quæ omnia conſonant Mss. & epochæ Conciliorum Hiſpaniæ, quam ipſe D. Loaïſa conſtanter ſervat: ut proinde nec μνήμης ἁμάρτημα ipſi contingere potuerit in re adeò manifeſta. CARD. DE AGUIRRE.

67. Qui in ſeptimo & aliis ſubſcribunt, ſunt Antonius Hiſpalenſis, Anſericus Segobienſis in quinto, ſexto, & ſeptimo. Candidatus Aſturicenſis, Davila Malacitanus, Donum-dei Impuritanus, Eugenius Toletanus in V. VI, & VII. Epartius Italicenſis in VI. & VII. Egeridus Salmanticenſis, Joannes Caurienſis, Marcus Caſtelonenſis, Orontius Emeritenſis, Stephanus Aſtigitanus, Sonanus, qui & Sona, Britanienſis, Ubinibal Elicitanus, Ubidericus Segontinus, Gabinus Calagurritanus in IV. Qui verò aliis ſuffecti ſubſcribunt denuò, ſunt Athanaſius Setabitanus, qui ſucceſſit Orontio in quinto. Abientius Elborenſis, qui ſucceſſit Siſiſclo, in ſeptimo. Afrila Dertoſanus Joanni in ſexto, Adeo-datus Pacenſis Theuderedo in ſeptimo, Aſcarius Palentinus Conantio in ſexto, Ariachimarus Dumienſis Reſimundo in ſeptimo, Bacauda Egabrenſis Deo-dato in ſeptimo, Balduigius Arcavicenſis, qui ſucceſſit Carterio in quarto, Beatus Tudenſis Anaſtaſio in ſexto, Celedonius Calabrienſis Servo-dei in ſeptimo, Davila Complutenſis Hilario in ſeptimo, Euphorus Cordubenſis Laufredo in ſeptimo, Euſebius Oſcenſis Ordulpho in ſexto, Floridius Segobienſis Antonio in quinto, Filimirus Lamicenſis Witarico in ſeptimo, Felix Valentinus Anniano in ſeptimo, Froïla Menteſanus Giberico in ſeptimo, Guericus Auſonenſis Domino in ſexto, Hermenfredus Lucenſis Baſconio in ſeptimo, Julianus Auſcitanus Juſto in ſexto, Litorius Aucenſis Amanungo in quinto.

Mau-

Mauricius Oretanus Suavilæ in ſexto, Maurellus Urgelitanus Ranario in quarto, Marelus Dianenſis Antonino in quinto, Potamius Bracarenſis Juliano in ſexto, Selva Egitanenſis Armenio in ſeptimo, Sylveſter Carcaſſonenſis Elpidio in quinto, Servandus Elipleuſis Joanni iu ſeptimo, Sona Aurienſis Gaudeſtino in ſexto. Seſibertus Coïmbrienſis Renato in ſexto, Saturninus Oſſonobenſis, Tajo Cæſarauguſtanus Braulioni in ſexto, Tagontius Valerienſis Maguutio in Toletano ſub Gundemaro, Vincentius Tuccitanus Budæ in ſexto, Wadila Viſenſis Farno in ſeptimo, Vincibilis Irienſis Gotomario in ſeptimo. Loaisa.

66. *Potamius Bracarenſis*, &c.] Hic ipſe eſt, quem paullò poſtea in Concilio Toletano X. videbimus humana fragilitate miſerè lapſum in peccatum carnis, ceſſiſſe Pontificatu, & ſponte ſua ſe tradidiſſe perpetuæ pœnitentiæ: memorando ſanè exemplo, quod vel quibuslibet in virtute provectis revocet in memoriam illud Apoſtoli: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Cardinalis de Aguirre.

67. *Bacanda.*] Lege *Bacauda* ex lapide marmoreo Cabræ reperto cum hac inſcriptione: ARA SANCTA DOMINI CONSECRATA EST BASILICA HÆC S. MARIÆ II. KAL. IVNIAS ERA DCLXXXVIII. DEDICAVIT HÆC TANDEM D. M. S. BACAVDA EPISCOPVS EGABRENSIS. FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS PER EVLALIAM ET FILIVM EIVS PAVLVM MONACHVM.

68. *Litorius Auſenſis.*] Hinc conjecturam facio ſepulchrum marmoreum Litorii Talabricæ olim repertum, fuiſſe hominis Gotthici Catholici: quod ex temporis ratione etiam ſuſpicari licet. Inſcriptio ſic habet: LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNIS PLVS MINVS LXXXV. REQVIEVIT IN PACE DIE VIII. KALEND. JVLIAS ERA DXLVIII. Erat vir proceræ ſtaturæ: nam ejus oſſa, quæ hodie cernuntur, valdè communem hominum longitudinem ſuperant. Loaisa.

69. De Eugenio Præſule Toletano, qui huic Concilio ſubſcribit tertio loco, accipe teſtimonium S. Ildephonſi in Additione ad librum S. Iſidori *De viris illuſtribus*: *Eugenius alter, poſt Eugenium* (Helladii diſcipulum) *Pontifex ſubrogatur. Hic cùm Eccleſiæ regiæ clericus eſſet egregius, vitâ monachi delectatus eſt, qui ſagaci fuga urbem Cæſarauguſtanam petens, illic martyrum ſepulchris inhæſit, ibiq; ſtudia ſapientiæ, & propoſitum monachi decenter incoluit. Unde principali violentia reductus; atque in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis quàm viribus egit: fuit namque corpore tenuis, parvus robore, ſed valdè ferveſcens ſpiritûs virtute, ſtudiorum bonorum vim perſequens. Cantus paſſivis uſibus vitiatos melodiæ cognitione connexuit, officiorum omiſſos ordines curamq; diſcrevit. Scripſit de ſancta Trinitate libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perſpicuū. Qui Libyæ Orientiſq; partibus mitti quantocyus poterat, niſi procellis reſultantia freta incertum pavidis iter viatoribus diſtuliſſent. Scripſit & duos libellos, unum diverſi carminis metro, alium diverſi operis proſâ concretos: qui ad multorum induſtriam ejus ex hoc tenaciter ſanctam valuerunt commendare memoriam. Libellos quoque Dracontii,* De creatione mundi *conſcriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconvenientia reperit ſubtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coëgit, ut pulchriores de artificis corrigentis, quàm de manu proceſſiſſe videantur auctoris. Et quia de die ſeptimo idem Dracontius omnimodè reticendo, ſemiplenum opus viſus eſt reliquiſſe; iſte & ſex dierum recapitulationem ſingulis verſibus renotavit, & de die ſeptimo, quæ illi viſa ſunt, eleganter dicta ſubjunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindaſvindi, & Receſvindi Regum; ferè duodecim annis tenens dignitatem ſimul & gloriam ſacerdotis. Sicq; poſt lucis mundanalis occaſum, in Baſilica Sanctæ Leocadiæ tenet habitationem ſepulchri.* Hactenus S. Ildephonſus de Eugenio III. Toletano, qui huic Concilio interfuit. Card. de Aguirre.

70. Subſcribunt poſt Epiſcopos, & ante eorum vicarios, Abbates, archipresbyteri, & Primicerii, poſtea verò, ultimo loco viri illuſtres officii palatini. Quod etiam in confirmationibus privilegiorum obſervatum eſſe à notariis regiis comperio in privilegiis rotæ regiæ, hoc ordine: Reges, Reginæ, & Infantes confirmant primò, deinde Archiepiſcopus Toletanus, & cæteri primæ ſedis: illicò Epiſcopi omnes, poſtea Magiſtri Militiæ, illicò proceres & viri illuſtres regni, quibus is honos defertur.

71. *Fugitivus Abbas.*] Abbas, ut Iſidoro placet lib. 7. *Orig.* cap. 13. Syrum nomen eſt, ſignificat Latinè Pater, quod Paullus Romanis ſcribens expoſuit dicens: *In quo clamamus Abba, Pater.* iu uno nomine duabus uſus linguis: dicit enim Abba Syro nomine patrem, & rurſum Latinè nominat, id eſt patrem. Titulus hic, & forma appellationis ex anachoretis primùm in Chriſtiana religione cœpit frequentari. Sozomenus lib. 5. cap. 10. & Hieronymus in *Vita Hilarii* tradunt, ab Hilarione anachoreta in ſaltibus Thebaïdis Syriæ vitam monachi duriſſimè agente, plures viros formulam vivendi accepiſſe, & inde eremi cultum in cœtum monaſteriorum tranſtuliſſe. Similiter D. Antonium in Thebaïca regione Ægypti ex anachoretis monaſterium condidiſſe. Duces verò & Præpoſitos horum cœtuum, nomine patrio, venerationis cauſsâ, Abbates dixerunt. Eſt enim ſolicitudinis potiùs quàm honoris appellatio. Idem Græca voce ſonat ἀρχιμανδρίτης, à ſolitudine ordinis (μάνδραι ſolitudinem ſignificant) quaſi ſolitariis præpoſitus: & ſic caput ordinis Sancti Baſilii vocatur.

De ſubſcriptionibus Abbatum, & aliorum.

72. OMNES hi Abbates non erant exempti à poteſtate Epiſcopi diœceſeos, nt ex Concilio Toletano IV. conſtat, & Lateran. I. ſub Gregorio I. Hìc ſubſcribunt Abbates decem; inter quos Ildephonſus Abbas Agalienſis monaſterii, qui poſtea fuit Toletanus Antiſtes, vita & morte conſpicuus, & inter divos relatus. LOAISA.

73. *Ildephonſus Abbas.*] In hoc Concilio invenitur ſubſcriptus S. Ildephonſus, qui multis annis cenſetnr fuiſſe Abbas Agalienſis, & novem annis Archiepiſcopus Toletanus. De eo *Martyrologium Romanum* ad diem 23. Januarii hæc habet: *Toleti S. Ildephonſi Epiſcopi, qui ob ſingularem vitæ integritatem, ſuſceptamq; defenſionem adverſùs hæreticos Dei genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidiſſima veſte donatus eſt, ac demum ſanctitate celebris in cœlum vocatus.* Exſtat ejus vita ſcripta à S. Juliano II. Archiepiſcopo Toletano paullò poſt ipſius obitum, & deinde variis relationibos aucta inennte ſæculo octavo per Urbanum Præſulem & Euantium archidiaconum Toletanum: è quorum ore plurima accepit inclinante eodem ſæculo Cixilla Archipræſul ejuſdem ſedis, & ſcripto evulgavit. Exſtant ea omnia apud Bollandom Tomo II. *SS. Januarii*, paginâ 535. & ſeqnentibus; ſed pleniùs apud Michaëlem Carranza Carmelitannm, libro edito Valentiæ in Hiſpania anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, in quo exhibet cœleſtia ſcripta S. Ildephonſi *De illibata virginitate Dei genitricis Mariæ.* Præmittit verò initio vitam ejuſdem ſanctiſſimi Præſulis collectam ex antiqnis monomentis & ſcriptoribus. Cùm verò pauca admodùm exemplaria illius inveniantur, placuit eam repræſentare, nullo verbo addito vel ablato, poſt Notas in hoc Concilium. CARDIN. DE AGUIRRE.

74. *Marcellus archipresbyter.*] Archipresbyteri nnnc eſt uſus: cujus duæ ſunt ſpecies, una urbicani, ſeu civitatenſis, altera ruralis. Civitatenſis eſt, qui in nrbe conſtitntus, munus abſente Præſule exſequitur, & ejus loco officium divinum incipit: benedictiones in Eccleſia dat, & alia, ut in titulo *De officio archipresbyteri* continentur: ex conſtitut. Leonis Papæ ruralis præeſt ſolummodo plebi, ut in cap. *Fid.* eod. tit.

75. *Siliculus Primicerius.*] Hujns vocis Primicerii diverſas origines & functiones animadverto apud doctos hujns temporis viros. Alciatus in Annotation. in tres poſteriores libros Cod. tit. 7. *De Primicerio & Secundicerio & Notariis*, lib. 12. tom. 2. exiſtimat ſic appellatum à *cera*, cùm in ceratis tabulis eſſet olim ſcribendi uſus: unde Primicerius, quaſi primus Notariorum, & Secundicerius, ſecundus Notariorum: quam ſententiam ſequuntur alii. Briſſonius lib. 4. *De verb. ſignific.* arbitratur non eſſe vocem conjunctam, ſed ſimplicem; ita ut dicatur quaſi primus, & interpretatur Suïdas πριμικήριον, τὸν πρῶτον τῆς τάξεως. hoc eſt *primus in ordine.* Unde quicumque in qualibet functione primum locum obtinet, Primicerius nominatur. Unde Auguſtinus Stephanum appellat Primicerium Martyrnm: & Primicerium notariorum, qui erat primus inter notarios Principis, qui & Protoſcrinius. Habes apud Caſſiodorum *Variar.* lib. 6. diverſa Primiceriorum officia. In officiis Eccleſiaſticis Primicerius dicitur qui eſt primus in aliqua dignitate, & anteſignanus. Sic dicitur Primicerius cantorum, & fabricæ, & ex corpore decanorum. Unde primus in ordine quolibet ceræ vel ſcripturæ, dicebatur Primicerius. Nam mos erat antiquis ante admirabilem papyri aut membranæ inventionem, ad monumenta aſſervanda uti cerâ & tabulis ceratis, & pugillaribus, ſicut rudis antiquitas palmarum & arborum foliis & plumbeis voluminibus, & privatis linteis. Unde ille dicebatur Primicerius, qui primus erat in cera ſcriptus, id eſt in capite & exordio primæ pagellæ: Secundicerius, qui in ſecunda, uſque ad imam ceram, ut illud Suëtonii in *Julio Cæſare*, cap. 83. *Julium Cæſarem Q. Pedium ex quadrante hæredem inſtituiſſe, reliquos in ima cera.* id eſt, Q. Pedium ex quarta parte aſſis, reliquos in ultima parte tabulæ teſtamentariæ. Nam teſtamentum dividebatur tabulis ipſis ceratis: in prima parte nomen teſtatoris, in ſecunda hæredes inſtituebantur, in extrema & ima reliqui omnes. Hinc illud Horatii *Serm.* lib. 2. Satyr. 5.

Qui teſtamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, & tabulas à te removere memento:
Sic tamen ut limis rapias quid prima ſecundo
Cera velit verſu: ſolus, multiſne cohæres,
Veloci percurre oculo.

De quo Alexander ab Alexandro lib. 1. *Dierum genial.* cap. 1. & ibi Andreas Tiraquellus.

76. Exiſtimo conjunctam vocem eſſe, non ſimplicem, diciqne Primicerium, quaſi primum in cera poſitum. In Eccleſia Toletana, albo cerâ linito, ut facilè poſſit deleri, ſtipendia canonicorum & aliorum miniſtrorum obelo notantur. Vel Primicerius dicitur primus in clero: is dicitur Sacellanus major. Nam Succentor, vel Caput-ſcholæ, qui à Græcis χοροδιδάσκαλος dicitur, aliud eſt à Primicerio. Adjuvat hanc noſtram interpretationem decretum X. Concilii Emeritenſis, ubi dicitur & legitur: *Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum.* Siliculus erat Primicerius Toletanus, ſive Primiclerus: & erat ſpecialis dignitas, ut Archidiaconus, & Archipresbyter. Et erat Primicerius vel Primiclerus ſubdiaconibus & clericis præpoſitus, eorumque gerebat curam: ut ex eodem Concilio conſtat cap. 14. ubi agitur de dividenda pecunia oblata Eccleſiæ in tres partes: prima Epiſcopo conceditur, ſecunda presbyteris & diaconibus, de tertia ſic dicitur: *Tertia verò ſubdiaconibus & clericis tribuatur: ut à Primiclero, juxta quod in officio eos præſcit eſſe intentos, ita ſingulis diſpenſetur.*

77. Ut autem exactè intelligatur Primicerii offi-

officium, apponam Epiſtolam Iſidori Junioris Epiſcopi Hiſpalenſis ad Laudefredum Epiſcopum Cordubenſem, quam ex Codice Ms. Bibliothecæ D. Laurentii (Philippi Regis Catholici admirabile opus) perantiquo, dicto Wigilano, excerpſi: ubi de officiis Eccleſiaſticis quid cenſuerit ſæculum antiquum clarè cognoſces. Loaisa,

E P I S T O L A
BEATI ISIDORI JUNIORIS,
EPISCOPI HISPALENSIS ECCLESIÆ,
A D
LAUDEFREDUM EPISCOPUM
CORDUBENSIS ECCLESIÆ DIRECTA.

Domino meo, Dei ſervo, Laudefredo Epiſcopo, Iſidorus.

78. PERLECTIS ſanctitatis tuæ literis, gaviſus ſum, quòd optatam ſalutem tuam earum relatu cognovi. De his autem quæ in conſequentibus inſinnare eloquii tui ſermo ſtuduit, gratias ago Deo, quòd ſolicitudinem officii poſtulatis impendis, & qualiter Eccleſiaſtica officia ordinentur perqniris. Et licèt omnia prudentiæ veſtræ ſint cognita, tamen quia affectu paterno me conſulis, ex parte qua valeo expediam, & de omnibus Eccleſiæ gradibus quid ad quem pertineat, eloquar.

79. Ad Oſtiarium namqne pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat & aperiat templnm Dei, & omnia quæ ſunt intus extraſue cuſtodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles projiciat.

Ad Acolythum pertinet præparatio luminariorum in ſacrario: ipſe cereum portat, ipſe ſuggeſta pro Euchariſtiæ calice præparat.

Ad Exorciſtam pertinet, exorciſmos memoriter retinere, manum ſuper energumenos & catechumenos exorcizandos imponere.

Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, pſalmum, laudes, ſacrificium, reſponſoria, & quicquid pertinet ad cantandi peritiam.

Ad Lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare.

Ad Subdiaconum pertinet, calicem & patenam ad altarium Chriſti deferre, & levitis tradere, eiſque adminiſtrare: urceolum quoque, & aqnamanilem, & manutergium tenere, & Epiſcopo, & presbyteris, & levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere.

80. Ad Diaconum pertinet, aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti; in Baptiſmo ſcilicet, in Chriſmate; in patena & calice oblationes inferre, & diſponere in altario, componere menſam Domini, atque veſtire, crucem ferre, prædicare Euangelium & Apoſtolum. Nam ſicut Lectoribus Vetus Teſtamentum, ita diaconibus Novum prædicare præceptum eſt. Ad ipſum quoque pertinet officium precum, recitatio nominum, ipſe præmonet preces ad Dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat, & pacem ipſe annunciat.

Ad presbyterum pertinet, ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum.

81. Ad Epiſcopum pertinet Baſilicarum conſecratio, unctio altaris, confectio Chriſmatis: ipſe prædicta officia & ordines Eccleſiaſticos conſtituit. Ipſe ſacras virgines benedicit: & dum præſit unuſquiſque in ſingulis, hic tamen eſt præordinator in cunctis. Hi ſunt ordines & miniſteria clericorum, quæ tamen auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, & Primicerii, & Theſaurarii ſolicitudine dividuntur.

82. Archidiaconus enim imperat ſubdiaconibus & levitis, ad quem iſta miniſteria pertinent: ordinatio veſtiendi altaris à levitis, cura incenſi & ſacrificii deferendi ad altare, cura ſubdiaconorum de ſubinferendis ad altare in ſacrificio neceſſariis: ſolicitudo, quis levitarum Apoſtolum & Euangelinm legat, quis preces dicat, ſeu reſponſorium in Dominicis diebus aut ſolennitatum. Solicitudo quoque parochianorum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam. Pro reparandis diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit ſacerdoti; ipſe inquirit parochias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta vel res Baſilicarum parochitanarum, geſta libertatnm Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem defert. Collectam pecuniam de

commu-

communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & clericis partes proprias idem diſtribuit. Ab archidiacono nunciatur Epiſcopo exceſſus Diaconorum: ipſe denunciat ſacerdoti in ſacrario jejuniorum dies, atque ſolennitatum, & ab ipſo publicè in Eccleſia prædicatur.

Quando autem archidiaconus abſens eſt, vicem ejus diaconus ſequens adimplet.

83. Ad Primicerium pertinent Acolythi & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ atque Lectores: ſignum quoque dandi pro officio clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium meditandi & peragendi ſolicitudo, lectiones, benedictiones, pſalmum, laudes, offertorium, & reſponſoria quis clericorum dicere debeat. Ordo quoque & modus pſallendi in choro pro ſolennitate & tempore; ordinatio pro luminariis deportandis. Si quid etiam neceſſarium pro reparatione Baſilicarum quæ ſũt in urbe, ipſe denunciat ſacerdoti: Epiſtolas Epiſcopi pro diebus jejuniorum parochianis per oſtiarios iſte dirigit. Clericos quos delinquere cognoſcit, iſte diſtringit. Quos verò emendare non vult, eorum exceſſus ad agnitionem Epiſcopi defert. Baſilicarios ipſe conſtituit, & matriculas ipſe diſponit. Quando autem Primicerius abſens eſt, ea quæ prædicta ſunt ille exſequitur qui ei aut loco eſt proximus, aut eruditione in his expediendis intentus.

84. Ad Theſaurarium pertinent Baſilicarii, & Oſtiarii, ordinatio incenſi præparandi, cura Chriſmæ conficiendæ, cura baptiſterii ordinandi. Præparatio luminariorum in ſacrario, præparatio ſacrificii de his quæ immolanda ſunt. Ad eum venient de parochiis pro Chriſma: & cereos, & oblationes altaris ipſe accipit à populo, ipſe colligit per Eccleſias cereos in feſtivitatibus. Ad eum pertinent ornamenta & veſtimenta altaris: quicquid in uſu templi eſt, ſub ejus ordinatione exiſtit: ornamenta Baſilicarum quæ in urbe ſunt, & non habent presbyteros, ipſe cuſtodit. De candelis autem & cereolis quotidianis quicquid ſupereſt in Baſilicis, Baſilicarius per ſingulos menſes huic deportat: ex quibus Theſaurarius dat quartam Baſilicario, tres reliquas partes dividit æqualiter ſibi, cum Primicerio, & presbytero qui Miſſam cèlebrat in eandem Baſilicam.

85. Ad Oeconomum pertinet reparatio Baſilicarum, atque conſtructio: actiones Eccleſiæ in judiciis, vel in proferendo vel in reſpondendo: tributi quoque acceptio, & rationes eorum quæ inferuntur, cura agrorum, & culturæ vinearum, cauſſæ poſſeſſionum, & ſervitialium ſtipendia clericorum, viduarum, & devotarum pauperum, diſpenſatio veſtimenti & victùs domeſticorum clericorum, ſervitialium quoque, & artificum: quæ omnia cum juſſu & arbitrio ſui Epiſcopi ab eo implentur.

Hæc ſunt enim quæ vel à majoribus per officiorum ordines diſtributa ſunt, vel conſuetudine Eccleſiarum in unumquemque ſervata. Nec aliquid ex his noſtri judicii deputes, niſi quod aut ratio docuit, aut vetuſtatis antiquitas ſanxit.

86. Patrem autem monaſterii, unde innotuiſtis, illum præferri oportet, quem ſancta vita & probitas morum commendat: quiſque dum ſubjectus exſtitit, fraus in illo non fuit, huic juſtæ gratiæ cumulantur, dicente Domino: *Quia in pauca fuiſti fidelis, in multa te conſtituam*. Qui verò adhuc ſub regimine poſitus improbè vixit, & fratribus fraudem facere non pertimuit, hic Prælatus licenter ac liberè majora & deteriora committet, dum ſe in libertate & poteſtate aſpexerit. De talibus enim dicit Apoſtolus: *Sed vos injuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus*. An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Sed nobis iſta ſufficiant dicere tibi, quod Deo dignum exiſtimas adimplere. Poſt hæc autem precari tuam ſanctitatem non deſino, ut pro me interceſſor apud Deum exiſtas; ut quia meo vitio lapſus ſum, per te remiſſionem conſequar peccatorum. Amen. Hæc Iſidorus de Eccleſiaſticis officiis. 1. Cor. 6.

N O T Æ

Illuſtriſs. D. Loaïſæ, ſeu potiùs Petri Pantini Belgæ (cujus nomine editæ fuerunt Tomo II. Hiſpaniæ illuſtratæ, *pag.* 195. *& ſeqq.) De ſubſcriptionibus virorum illuſtrium officii Palatini.*

87. HIC ſubſcribunt Comites decem & ſex, inter quos Hodacrus Comes Scantiarum, Ofilo Cubiculariorum, Paullus Notariorum, Ricilla Patrimoniorum, Cuniſridus Spathariorum. Duces verò ſeptem. Proceres verò tres.

Cùm verò toto hoc Opere id potiſſimum nobis propoſitum fuerit, ut poſt Concilia ipſa ad Gotthicorum codicum fidem, omni, quo ad ejus fieri licuit, ſtudio examinata, primæque illi ſuæ integritati reſtituta, ritus quoque, conſuetudineſque antiquas, Gotthorum præſertim tempore uſurpatas, quantum in nobis eſſet, accuratè annotaremus, & ex tenebris oblivioneque revocatas noſtris hominibus explicaremus; operæ pretium nos facturos exiſtimavimus, ſi Commentarium hunc de dignitatibus ac Palatinis officiis, aliiſque inferioris ordinis muneribus Gotthorum, contexeremus. Quòd videamus rem cognitione non indignam, & plurimum lucis hiſtoriis noſtris, & ſubſcriptionibus virorum ex officio Palatino, Conciliiſque ipſis & legibus allaturam.

88. Dux. Inter præcipuas Palatinorum dignitates, Dux apud Gotthos ſemper primum

locum obtinuit, vocaturque à Juſtiniano *ſpectabilis dignitas*; cujos, ut vis nominis oſtendit, id potiſſimum munus erat, ut in provinciis bello ducendo gerendoque præficeretur. Unde Germani ex nobilitate Duces, & ex virtute ſumebant, ad illoſque in illa provincia ſumma rerum deferebatur. Is enim fuit Gotthorum mos, Paullo Æmilio teſte lib. 1. *Hiſt. Franc.* in Chereberto, cuique urbi magiſtratum dare, qoi Dux appellaretur. Eum autem, quem Romæ præficiebant, vocabant Præſidem. Hinc Dux Tripolitanæ, & Byzantinæ provinciæ, & Mauritauiæ, ac Numidiæ leg. final. Cod. *De offic. Præfec. Prat.* Sic etiam Dux Rhœtici apud Vopiſcum in *Bonoſo*, & Dux limitis Scythici, Illyriciani, Thracii, & Orientalis apud eundem in *Aureliano*. Ita & Claudius ſob Witterico Dux Emeritenſis; Paullus ſub Wamba Dux Narbonenſis. Patet id ex Caſſiod. lib. 7, *In formula Ducatûs Rhætiarum*, his verbis: *Ideoque validum te ingenio ac viribus audientes, per illam indictiouem, ducatum tibi credimus Rhætiarum; ut milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolenni alacritate circumneas. Quia non parvam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri. Ita tamen, ut milites tibi commiſſi vivant cum provincialibus iure civili: nec inſoleſcat animus qui ſe ſentit armatum; quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis.* Et lib. 1. Cod. *De officiis Præfect. Afric.* libro 2. Mandat Juſtinianus Ducem in Sardinia ordinari, ut gentes barbaricas ab ea militibus ſuis arceret, provinciamque ab omni hoſtium incurſu tueretur illæſam.

89. Habebat etiam Dux cum belli muniis civilem adminiſtrationem conjunctam; idque cùm ex aliis, tum ex Caſſiodoro colligere licet, apud quem lib. 4. *Variar.* Theodericus Rex Ibæ Duci in hunc modum ſcribit: *Præſenti tibi auctoritate præcipimus, ut poſſeſſiones Narbonenſis Eccleſiæ, ſecundum præcelſæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet pervaſoribus occupata teneantur, æquitatis facias contemplatione reſtitui. Quoniam verſari uolumus in Eccleſiæ diſpendio præſumptiones illicitas; dum noſtra deceat tempora ſedare confuſa. Eſto contra talia omnino ſolicitus: ut qui es bello clarus, civilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo juvante, corroboras, ſi juſtitiam mediocribus ſervare contendas. Improbis enim potuiſſe reſiſtere, non prævales excuſare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem glorioſum in bellorum certamine cognoverunt.*

90. Idem etiam Caſſiodorus indicat libro 1. *Variar.* ubi Theodericus Rex Servato Duci Rhœtiarum ſcribens Epiſt. II. jubet, ut mancipia quæ Maniario cuidam à Breonibus ablata terebautur, ſua auctoritate ſine mora coraret reſtitui. Et lib. 5. Epiſt. XXXIII. Wilitancho Duci Theodericus Rex expreſſè mandat, ut in adulterum Brandilam, ſecuodum legum præſcripta inquirere ne differret. Conſtat id idem ex *Legum Wiſi-gotthor.* lib. 2. tit. 1. leg. 17. quâ cavetur, ut Dux provinciæ, eos qui non acc epta poteſtate auſi ſunt judicare, acriter per ſe vel per alium coërceat. Et lege ſequenti jubetur Epiſcopus, qui honore ſacerdotali fretus, admonitionem judicis contemnens, pro perſona ſua aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim à judice negotii, ſeu à provinciæ ſuæ Duce, vel Comite compulſus, quinquaginta ſolidorum damnum excipere. Atque hæc de Ducis officio dicta ſufficiant. Poſt quem in dignitatis ordine Comitis proximè honor ſequebatur. Sic Cicero in Lælio de amicitia loquens, de Scipione ait: *Facile Ducem populi R. non Comitem diceres.*

91. Comes, ut Spartianus eſt auctor in Adriano, inde fluxit. Cùm enim Adrianus Senatum in aulam ſuam tranſtuliſſet, receptis ſenatorum optimatibus in amicorum cohortem, quæ ſuperiorum Imperatorum temporibus conſtare ſolebat ex equeſtri ordine, non ſenatorio, ita domeſticum quendam ſenatum penes ſe habere cœpit: qui quoniam is continuatis penè delectaretur peregrinationibus, Comitatus Cæſaris dici cœptus eſt; & ipſi amici Comites: eorum conſiliis atque ope in bello & pace uſus. Inde Comites largitionum, rerum privatarum, & cæteri dicti ſunt. Et non ſolum ii qui perſonam Principis ſequebantur, & officia in aola exercebant, Comites dicti ſunt; cæterùm & alii ita appellati, qui ad adminiſtrandas vel regendas provincias & reſpublicas mittebantur, & ad regni milites cuſtodiendos; qui Comites rei militaris dicuntur; qualis fuit Riſtanus domeſticorum Comes, qui ad Gallos miſſus fuit, ut refert Gregor. Turon. lib. 2. *Hiſt.* cap. 10. Unde Verus Imperator, ut Julius Capitolinus eſt auctor in Vero, confecto bello, regna Regibus provincias verò Comitibus ſuis dedit regendas. Exſtat in Jure titulus *De Comitibus, qui provincias regunt*, lib. 11. Cod. tit. 14. Illud animadverſione dignum, quòd antiquitùs creabantur Comites annulo tradito cum adamaotis gemma: apud Hiſpanos verò aliter, offâ in aquam injectâ, invitatus à Rege comedebat, populo ter acclamante: *Eva del Conde.* Non abs re erit ponere quod à Cornelio Frontone Grammatico dicitur de Comite: *Comes iter facis, aſſecla ſequitur potentiorem, ſodalis adoleſcentiæ nomen eſt, cliens implorat opem & fidem. Ita Comes tutus, aſſecla officioſus, ſodalis amicus, cliens ſubmiſſus.*

92. De Comitibus etiam in prima parte Regis Alphonſi tit. 1. leg. 11. cautum, nomenque deductum video, & à D. Thoma 1. *De regimine Principum.* Et ſicut Ducis in bello, ſic Comitis potiſſimùm in pace civilique adminiſtratione elucebat officium (erat enim major dignitas Ducatûs quam Comitatûs, & ideo ex Comitatu fit erectio in Ducatum, pro magno munere, ſicuti ex Duce in Regem) quorum tamen neutri ita adſtringebatur, quin utrumque ſimul, cùm res ferret, per ſe vel per alios adminiſtraret. Prioris apud Caſſiodorum lib. 7. in *Formula Comitivæ Gotthorum*, per ſingulas provincias, illuſtre exſtat exemplum, ad hunc modum: *Cùm Deo juvante ſciamus Gotthos vobiſcum habitare permiſtos; ne qua inter conſortes, ut aſſolet, indiſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus illum ſublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem deſtinare. Qui ſecundum*

rdicta

edicta noſtra, inter duos Gotthos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gotthum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtinguere.

93. Libro etiam *Legum Wiſi-gotthorum*, & tit. 2. l. 12. ita cavetur: *Nullus judex cauſſam audire præſumat, quæ legibus non continetur; ſed Comes civitatis, vel judex, aut per ſe aut per exſecutorem ſuum, conſpectui Principis utraſque præſentare partes procuret, quò faciliùs & res finem accipiat, & poteſtatis regiæ diſcretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inſeratur.* Lege etiam 14. lib. & tit. iiſdem, oſtenditur, Comitem per commiſſoriam, aliis judicibus quos ſub ſe habebat, judicandi ſuas vices poſſe concedere. Quorum judicum tanta erat auctoritas, ut querelantis adverſarium (ea ſunt legis verba) admonitione unius epiſtolæ vel ſigilli, ad judicium venire poſſet compellere, graveſque multas, id facere per negligentiam aut contemptum differentibus, inferre. Liquet id ex lege 18. lib. & tit. citatis. Si verò judex in officio ſuo, per negligentiam, aut quòd munere corruptus eſſet, ceſsâſſe deprehenderetur, à Comite civitatis acerbiſſimè caſtigabatur. Habes exempla lib. 3. *Legum Wiſi-gotthor.* tit. 4. lib. 17. Quòd ſi Comitem à civitate ſua abeſſe contingebat, relinquebat ſuo loco PRÆPOSITUM, qui, ſi quid gravius, quod ad Comitis relationem juriſdictionemve pertineret, emerſiſſet, id Comiti ſtatim per literas indicabat; ut liquet ex l. 5. tit. 2. lib. 9. *Legum Wiſi-gotthorum*.

94. Atque hic, niſi fallor, eſt, qui lib. 2. *Legum Wiſi-gotthorum*, tit. 1. leg. 23. VICARIUS COMITIS appellatur; qui abſente eo vice ejus fungebatur; à quo, ſi fortè quis eum ſuſpectum habuiſſet, licebat apud Principis audientiam alium judicem appellare. Atque inter hanc civilem adminiſtrationem bellica etiam munia procurabat. Habebat enim Comes, præſertim qui civitati aut portui, ſive alii loco, cui ab hoſte periculum timeri poſſet, præficeretur, ſub ſe milites, quibus ad ſubita belli ſemper paratus occurreret, videretque, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Quod ex Caſſiodoro lib. 6. *Formula Comitivæ*, diſces. *Militum* (inquit) *numerus tibi noſtris ſervit expenſis. Redderis inter arma genialis: proceſſio tua procinctualis ornatus eſt: exercitu uteris pacato, nec pericula belli ſubis, & armorum pompâ decoraris. Verùm inter hæc, civilem cogita diſciplinam: non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes.* Et infrà: *Pro ſecuritate ſe omnium cognoſcat electum, qui ſe gloriatur habere armatum.* Et formula Comitivæ Neapolitanæ: *Prætoria tria officia replent, militum turba cuſtodit. Sed tot tales pateris, quot te à ſpina circumdare cognoſcis. Præterea litora, uſque ad præfinitum locum, data juſſione cuſtodis.* Et apud eundem lib. 1. Theodericus Rex Aſſio Comiti injungit, ut militem neceſſariis armis inſtruat. *Illuſtris* (inquit) *ſublimitas tua Salonitanis militibus, ut cuique ſe expediendi facultas obtulerit, pro noſtra juſſione arma neceſſaria procurabit.*

95. Porrò tantam in rei militaris adminiſtratione auctoritatem obtinebat, ut cùm in cauſis civilibus ei VICARIUS PRINCIPIS (cum intellige qui Principis vice fungitur) præferretur; in bellicis negotiis hic eidem anteponeretur. Cod. lib. 1. tit. 38. l. 1. Et hactenus quidem breviter de Comitis officio in genere egimus. Nam alia multa eidem incubuiſſe munera, ex nominum, quæ ei adjunguntur, varietate, facilè cognoſcitur. Fuit enim Comitis tam generalis appellatio, ut quicumque à Principe inſigni alicui officio præficeretur, ab eo ferè Comes nuncuparetur. Idque ex Caſſiodoro, Ammiano Marcellino, Eutropio, aliiſque poſterioris ævi, atque inclinatæ jam proſtratæque Reipublicæ Romanæ ſcriptoribus apertè eſt cognoſcere.

96. Quos omnes, ne prolixus ſim, miſſos faciens, eas dumtaxat Comitum ſpecies recenſebo, quas à Gotthis noſtris, hoc eſt, qui in Hiſpania rerum potiti ſunt, uſurpatas invenio: ubi tamen priùs illud adjecero quod Carolus Magnus decrevit lib. 2. *Regum Franc.* cap. 6. de Comitum ſtudio & diligentia pro utilitate Eccleſiarum conſervanda; quod utinam noſtris temporibus Galli proſpicerent, ut ad meliorem mentem, diabolica fraude decepti, redirent. *Vobis* (inquit) *Comitibus dicimus, voſque commonemus, quia ad veſtrum miniſterium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ exhibeatis, & cum Epiſcopis veſtris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publicè fieri decernit, ut in veſtris miniſteriis ſtudiosè perficiantur, ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii veſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & noſtri veri adjutores & populi conſervatores juſtè dici & vocari poſſitis; & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia, à ſtatu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum ſemper juſtè judicetis. Pupillorum verò & viduarum & cæterorum pauperum adjutores ac defenſores, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ſervorum illius honoratores, juxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate & violentiâ in furto & latrocinio, ſive rapinis pacem communem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compellite. Et ſi aliqua perſona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut noſtra auctoritate adjuti, miniſterium veſtrum dignè adimplere poſſitis.*

97. Nunc igitur, ut ad inſtitutum redeamus, primo loco ſe offert COMES SCANCIARUM: cujus in Concilio Toletano non obſcura fit mentio. Subſcribunt enim ibi Wadamirus Comes Scanciarum & Dux. Reccaredus Comes Scanciarum & Dux. Egica Comes Scanciarum & Dux. Sumefredus Comes Scanciarum. Adeljubus Comes Scanciarum. Salamirus Comes Scanciarum. Agnoſcitur & Scanciarum Comes in privilegio quodam Complutenſi antiquiſſimo. Hunc non-

nulli

nnlli poculis, alii univerſis epnlis Regis præfectum fuiſſe contendunt. Hodie vulgari Hiſpanorum linguâ *Scanciar*, eſt bibere. Apod Adonem Viennenſem invenio ſolitos inſtitui ſeu creari Duces per impoſitionem cauſiæ, ſeu pilei aurei ducalis, unionibus ornati. Marchiones tradito annulo, in quo eſt pyropus, ſeu rubinus, quiquidem eſt ſpecies carbunculi. Comites eâ ratione quâ ſuprà diximus. Vice-comites virgulâ deauratâ. Barones vexillo decurtato, ſeu labro.

98. Thesaurorum Comes. Is fuit, qui dicta lege unica, & leg. finali, Cod. *De ſuſception.* lib. 10. *Comes ærarii* appellatur. Theſauris videlicet Regis præpoſitus. Conc. XIII. Toletano Iſidorus Comes Theſaurorum ſubſcribit.

99. Comes Patrimonii, qui Regis patrimonium, poſſeſſiones, menſamque procurabat. Unde & *Procurator* à Lampridio dictus in Commodo. Meminit de hoc Caſſiodorus lib. 1. *Variar.* & 4. & 6. ad Julianum Comitem ſcribente Theoderico. Habes de eo titulum in Codice cum inſcriptione: *De officio Comitis ſacri patrimonii*, cui à Principe facultas conceſſa fuit, pro ſublevandis, non pro premendis privatorum fortunis, ut habet Caſſiodorus lib. 8. Hic ad munus rectiùs exſequendum milites ſub ſe habebat, ut oſtendit idem eodem loco. Videtur & regiis epulis ordinandis curam adhibuiſſe. Nam & Caſſiodorus ibidem ſic ſcribit: *Nam etſi epulas noſtras ſolicita ordinatione diſponas, non ſolùm noſtro palatio clarus, ſed & gentibus neceſſe eſt reddaris eximius.* Snbſcribunt in Conc. XIII. Toletano Vitulus Comes Patrimonii, & Toletano XVIII. Vitulus vir illnſtris, Comes Patrimonii, & Dux. Eſt etiam in Concilio XIII. Toletano Waldericus Comes civitatis Toletanæ. Is etiam vocatur Rector rerum publicarum: ut in Concil. Hiſpal. II. dicitur de Siſiſclo rectore rerum publicarum. Et apnd Caſſiodorum lib. 7. *Comitivæ Romanæ formulæ, & Comitivæ Ravennatis*: formula etiam Comitivæ diverſarum civitatum; & lib. 9. *Comes Syracuſanæ civitatis.*

100. Horum Comitum, ut ſuprà monſtravimus, utque Caſſiodor. lib. 7. *Variar.* oſtendit, id officium erat, cives nrbanos æquitate regere, & publicarum ordinationum juſſiones conſtanter adimplere. Rodericus Bibarius, hoc eſt, Dominus à Mauris honoris cauſsâ appellatus, fuit Comes Toletanus. Et in regno Luſitaniæ hodie Comites multi nominantur ex civitatibus regiis, in quibus antiquitus jus exercebant. Quam conſuetudinem Galli obſervàrunt. A Romanis provinciæ Comitibus diſtinctæ erant. Vide tit. *De Comitibus*, qui provincias regunt lib. 11. Cod. tit. 14. Quis verò fuerit Comes urbis Romæ, & quod ejus officium, altioris indaginis eſt.

101. Comes Notariorum is erat, qui notariis, id eſt, à Principis ſecretis, tabulis præficiebatur. Quod intelligi videtur ex Caſſiodoro lib. 6. in *Formula notariorum*, his verbis: *Regis conſilium ſolos decet ſcire graviſſimos; imitari debent armaria, quæ continent monumenta chartarum: ut quando ab ipſis aliqua inſtructio quæritur, tunc loquantur. Totum autem diſſimulare debent quaſi neſciant ſcientes.* Probatur etiam ex lib. Cod. 12. tit. *De Primicerio notariorum*, nbi expreſsè hoc verbum pro ſecretariis Principis uſurpatur. Non diſſimilis dignitas fuit ejus quem poſterior ætas etiam Cancellarium appellat; idque in Caſſiodoro videre eſt, qui ex perſona Regis lib. 11. ita ad Cancellarium ſcribit: *Conſiſtorii noſtri decreta fideli integritate cuſtodiat: per te præſentandus accedat, per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis innoteſcat, juſſa noſtra ſine ſtudio venalitatis exſpedias.* & alia. Quamvis hodie in regnis Hiſpaniæ & Galliæ diſſimilis hujus muneris eſt functio: etiamſi pro ſcriba uſurpetur in Conſtitutionibus Caroli Magni & Lotharii. Concil. XIII. Tolet. ſubſcribitur à notario: *Exila Comes notariorum.* In Notitia provinciarum aliquoties fit mentio Primicerii notariorum, qui & notariorum decanus & protoſcribarius. Et in Romana Curia is erat, qui diem datûs adjiciebat diplomatibus Pontificalibus.

102. Comes Spathariorum, Cuſtodum corporis regii Præfectus. Hunc & Proto-ſpatharium appellatum fuiſſe exiſtimo. Cujus meminere Conſtantinus Hermenopolitanus lib. 10. & Zonaras *Annal.* 3. à Spatha, quâ voce Appulejus pro gladio majore ac latiore utitur: nam minorem brevioremque ſemiſpatham Vegetius in libro *De re milit.* appellari teſtis eſt. Utitur hac voce etiam Spartianus in Adriano, & Trebellius Pollio in Epiſtola Claudii ad Brocum. *Tecta ſunt* (inquit) *flumina ſcutis, ſpathis, & lanceolis.* Et legum Wiſi-gotth. lib. 9. tit. 2. leg. ult. decernitur, ut *Dux, Comes, atque Gardingus, aliique quos ſecum ducunt in bellum, partim ſint zavis* (exſtat ea vox etiam in Macrocolis Mauricii cujuſdam qui de Romana militia Græcè ſcripſit) *& loricis muniti; partim ſcutis, ſpathis, ſcramis, lanceis, ſagittiſque ſint inſtructi.* De ſpatha ſcribit Iſidorus lib. *Originum* 17. cap. 6. dici à paſſione, nam παθεῖν pati eſt, eo quòd ſcindat & dilaceret: vel ex eo quòd ſit ſpatioſa & ampla latiorque. Spathariorum verò dignitatem maximi honoris fuiſſe, ex eo conſtat, quòd multos Duces ac Comites hanc geſſiſſe inveniamus. Sic in Concil. XIII. Tolet. Guilingus Spatharius & Comes. Traſericus Spatharius & Comes. Altericus Spatharius & Comes. Siſimirus Spatharius Comes & Dux ſubſcribitur.

103. Quoniam verò in Spatharii mentionem incidimus, Julianum Roderici Regis Spatharium, Dncem Tingitaniæ, non Spartarium, fuiſſe exiſtimo, hoc eſt, Carthaginenſis civitatis Comitem, ex eo non fuiſſe appellatum, quod regio illa, ut ex Plinio atque aliis conſtat, ſparthi multitudine abundet. Neque enim dnbito quin Spartarius vocis ſimilitudine dicatur, qui Spatharius & Comes dicendus erat. Spatharii definitionem ita Cedrenus extulit σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ ἐστι, iiſdem nimirum verbis, quibus ejus vocis notionem ſnprà explicavimus. Quamquam alli ſecus de hoc ejuſque officio ſentiant. Scribunt neoterici Spatha, antiqui ſine *h* efferebant ſcribebantque.

104. Comes Cubiculi, ſeu Comes Cubiculariorum, eſt, eorum qui cubiculi regii curam ge-

gerunt, præpoſitus. Hunc Xiphilinus πρόκοιτον appellat. Cubiculariorum mentio eſt leg. 63. *De Legat.* 3. & leg. 203. *De verbor. ſignif.* quamquam ibi pro ſervis tantùm cæteris conditione potioribus accipiuntur: hîc verò ingenui ſunt, & inſignem adjunctam dignitatem habent. Quæ dignitas hodieſque in Regum aulis durat: *Camareros* vulgò vocamus. Concil. XIII. Tolet. Argemirus Comes Cubiculi ſubſcribit, & Atulphus Comes Cubiculariorum. Cubicularius à Grammaticis, ut ex Soſipatro conſtat, dicitur cuſtos cubiculi: Cubicularis verò, lectus cubiculo aptus. Iſidorus lib. *Originum* 15. cap. 13. *Cubiculum, quòd eo cubemus, ibiq; dormientes requieſcamus: cubile verò locus cubandi.*

105. Comes Stabuli, qui equorum Principis curam gerebat: dicitur etiam Magiſter equitum. Hic ex Ammonio monacho lib. 3. cap. 20. videtur eſſe quem vulgò Come-ſtabilem appellamus: ejus hæc ſunt verba: *Leudegeſilius regalium præpoſitus equorum, quem vulgò Come-ſtabilem vocant.* Sic & Rhegino monachus *Annal.* lib. 3. *Eodem anno* (inquit) *Burchardum Comitem-ſtabuli ſui (quod corruptè Conſtabulum appellamus) cum claſſe miſit Corſicam.* In eum omnem belli curam Princeps rejiciebat. Eruditiores verò, quique harum rerum inquiſitioni plus operæ impenderunt, eum verè hoc nomine cenſeri putant, qui apud nos *Cavallerizo major* appellatur. Ut ut eſt, dignitatem hanc maximè olim in pretio fuiſſe, ſatis unus Ammianus Marcellinus oſtendit, de Valentiniano loquens, qui Valentem ſtabulo cum tribunatûs dignitate præfecit. Hunc ſuperioribus temporibus πρωτοστράτορα Græci dixerunt: ut Zonaras clarè lib. *Annal.* 3. aſſerit his verbis: *Theophilizes igitur Baſilio delectatus (erat enim formoſus, procerus, & manu promptus, agiliſq; ac promiſſum capillum, eumq; criſpum alens) ſuis equiſonibus ipſum præfecit. Quod muneris qui adminiſtrat, communiter Protoſtratora appellamus.* Et Cedrenus: *Michaeliſq; qui ante ipſum fuerat, equiſonum præfectus primus, quem Protoſtratora nuncupant.* In Conc. XIII. Toletano Giſclamundus Comes-ſtabuli ſubſcribit. Alii verò dicunt Comitem ſacri ſtabuli dici, qui curam palatii habebat, & ſcholarum, armorum, & domûs regiæ, cum adminiſtratione & ſine adminiſtratione provinciarum, ut conſtat lib. 1. *De Comitib. & trib. ſchol.* lib. 12. tit. 11. habereque in una dignitate curam militiæ & domûs. Verùm quum Comites ſacri ſtabuli gravioribus erant intenti negotiis, curam ſtabuli alii demandatam fuiſſe, atque ita unam dignitatem in duas diviſam atque partitam. Apud Caſtellæ Reges dignitas eſt inſignis, ſine adminiſtratione tamen, ac titulo tenus. Primus Comes-ſtabuli fuit Alphonſus Marchio Villenæ, filius Infantis Aragoniæ Petri; cui ſucceſſit Petrus Comes Traſtamaræ, tempore Regis Enrici III. Tertiò tradita Roderico Davalos viro inſigni & claro homini; qui à Joanne II. Henrici filio proditionis falsò damnatus, boniſque ejus in ſectionem datis, ſequens Henricanas partes, exſul Valentiæ diem extremum clauſit. Cui ſucceſſit Alvarus Luna, infelicior, cujus vitæ triſtis exitus, infamavit aulæ opulentiam, & Regum intimam conſuetudinem.

106. Comes Exercitus, qui lib. 1. Cod. *De officio Vicarii*, & leg. *Nemo*. Cod. *De Aſſeſſoribus*, Comes militum, & Comes rei militaris appellatur, univerſis legionibus caſtriſque præficiebatur, habebatque abſolutum in milites imperium. Hoc ipſum munus exercebat apud Romanos Tribunus militum, videlicet ut militem dicto audientem haberet, ad exercitationes duceret, & in ſtationes & hiberna mitteret; clandeſtina cum hoſtibus colloquia vetaret, novarum rerum auctores ſupplicio afficeret, pabulationes, frumentationeſque curaret, militi ne arma, ſtipendia, cibaria, commeatuſque deeſſent, provideret; breviter, ſummæ in exercitu rerum præeſſet. De hoc conſule Caſſiodorum lib. 7. *Formula Comitivæ Principis militum.* Hic apud Gotthos alio vocabulo, Præpoſitus hoſtis, ni fallor, appellatur. Idque colligi ex leg. 6. titul. 2. lib. 9. *Legum Wiſigotth.* videtur: ubi utraque appellatio uni eidemque tribuitur. Verba legis hæc ſunt: *Quòd ſi contigerit ut ipſe Comes civitatis, aut Annonarius, per negligentiam ſuam non habens, aut forſitan nolens, annonas eorum dare diſſimulet, Comiti Exercitûs ſui querelam deponant, quòd annonas eorum diſpenſatores tradere noluerint: & tunc ille Præpoſitus hoſtis hominem ad nos mittere non moretur.*

107. Atque hæc ſunt quæ de Comitum varia appellatione officiiſque à Gotthis in Hiſpania regnantibus uſurpari ſolitis, in tanta Gotthicarum rerum obſcuritate, ex Conciliis, legibus, privilegiis, aliiſque veteribus monumentis elicere potui. Vir quidam doctiſſimus Comitem ſacrarum reliquiarum apud Gotthos fuiſſe exiſtimabat, fortè quia legerat apud Caſſiodorum aut alius *Comes ſacrarum*. Ego verò, & apud Caſſiodorum & Juſtinianum, Comes ſacrarum lego, id eſt largitionum: cujus præcipuum officium erat, ut Princeps per eum ſuam liberalitatem & magnificentiam exerceret, indulgentias daret, & militibus ſtipendia, & donativa populo Kalendis Januariis, nomine Principis elargiretur. Et hic, utpote auguſtalis, habebat ſub ſe judicem ſacrarum largitionum, & provinciarum ceterarum largitionum Comites: ut erat Comes ſacrarum largitionum per Illyricum, per Orientem, & Comites etiam commerciorum per Orientem, Ægyptum, & Myſiam, demum, & alias provincias. Hunc donis præſidere regalibus Caſſiodorus ait lib. 6. *Variarum*, cap. 7. *Hujus* (inquit) *actus, innocens pietatis officium, illud ſemper ingerere, unde ſe fama Principis poſſit augere. Nihil per hunc diſtrictum geritur, nihil ſeverum, forte cenſetur; ſed tunc obſequitur, quando Principi vota funduntur. Per hunc Princeps ſupplicum fortunas erigit, Kalendis Januariis dona largitur, monetam hic regii vultûs figurâ conſignat, Judices provinciarum ſub ſua poteſtate coërcet, negotiatores ſubjectos habet, veſtis ſacræ curam gerit, ſalis commercium huic deputatur: denique quicquid in veſtibus, quicquid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis pretioſum eſt, hujus ordinationibus obſecundat.* Hactenus

Caſ-

Caſſiodorus. Hæc verò locutio aliquot in locis apud poſterioris ævi ſcriptores occurrit, ut apud Caſſiodorum lib. 5. *Cypriano Comiti ſacrarum* Theodericus Rex: apud Ammianum lib. 15. & alibi Comes privatarum.

108. Procer. In Concil. Tolet. VIII. ſubſcribit Dabila Comes & Procer, &, Euredus Comes & Procer, &, Froïla Comes & Procer. Unde conſtat quòd Procer ſit nomen dignitatis. Iſidor. libro *Etymol.* 9. cap. 4. ſic inquit: *Proceres ſunt Principes civium vel civitatis: quaſi procedes, quòd ante omnes honore præcedant. Unde capita trabium quæ eminent extra parietes, proces dicuntur, eo quòd primò procedant.* Lege *Proceres* ex Servio in illud Virgilii Æneid. 10.

Tot lecti proceres terdenis navibus ibant.

Proceres etiam Magnates vocantur Conc. Tol. XI cap. 5. & Primates Palatii, & generoſæ perſonæ. Erat autem ſola dignitas ſine adminiſtratione juriſdictionis.

109. Ducis & Comitis dignitati Gardingus ordine ſubjungitur. Erantque hi tres apud Gotthos majoris loci perſonæ, ut patet ex *Leg. Wiſi-gotth.* lib. 9. tit. 2. leg. ultim. ubi ita habes: *Si majoris loci perſona fuerit, id eſt Dux, Comes, ſive etiam Gardingus.* Et infrà lege eâdem, atque alibi ſæpè, hi tres ceu eminentiores conjunguntur. Et ideo inquit lex: *Id de cætero ſpeciali decreto decernimus, ut quiſquis ille eſt, ſive ſit Dux, ſive Comes, atque Gardingus.* Gardingi in libro *Leg. Wiſi-gotth.* non ſemel fit mentio: verùm ita obſcurè, ut quod ipſius munus fuerit liquidè ſcire nequeamus: illud tantùm conjecturâ conſequi licet, cùm majoris loci perſona dicatur, unum ex præſtantioribus Palatinorum habuiſſe officiis. Quod etiam ex *Legum Wiſi-gotth.* lib. 2. tit. 1. leg. 1. non malè colligitur, ubi cum ſacerdotibus Dei, ſenioribuſque Palatii præſentes in ordinatione legum Gardingi fuiſſe commemorantur.

110. Majoris præſtantioriſque loci perſonis (qui nunc Magnates, nunc Primates palatii appellantur) breviter, ut res tulit, decurſis, reſtat ut ad inferiores deveniamus. inter quas Tiuphadus primum ſibi ordinem vendicabat, quique ei ſuberant Millenarii, Quingentenarii, Centenarii, Decani, exercitûs etiam compulſores, Annonarii, Defenſores, pacis Aſſertores, Numerarii, Villici, Sajones. Tiuphadum Germanorum linguâ, quæ Gotthicæ multum vicina eſt, *altum* ſignificat; *Tieph* enim rem altam dici contendunt. Quicquid eſt, illud conſtat, unam ex primis poſt Ducis, Comitis, atque Gardingi dignitatem fuiſſe, civilemque adminiſtrationem habuiſſe, ut patet ex leg. 23. & 26. tit. 1. lib. 2. *Legum Wiſi-gotth.* & lib. 4. titul. 5. leg. 6. Huic in omni criminalium negotiorum genere judicandi licentia conceſſa erat, præterquam in his criminibus quæ legum ſententiæ apertè condemnant, quibus qui obnoxii reperiebantur, eos non judicare ampliùs, ſed ut jam à lege præjudicatos condemnatoſque debitis pœnis ſubjicere cogebantur. Ita enim accipio legem 15. titul. 1. libro 2. *Legum Wiſi-gotth.* quæ habet hoc modo: *Cùm in cæteris negotiis criminalium cauſſarum Tiuphadis judicandi licentia conceſſa fuit, criminoſos à legum ſententiis judicare non audeant, ſed debitam in eis, ut competit, cenſuram exerceant.*

111. Hic ſi quando ſive ad bellum, ſive aliò avocaretur, vices ſuas aliis committere poterat. Sequitur enim in dicta lege: *Qui Tiuphadi tales eligant, quibus viciſſitudines ſuas audiendas injungant, ut ipſis abſentibus illi cauſſas & temperatè diſcutiant, & juſtè diſcernant.* Hujus in bello proxima auctoritas ad Comitis exercitûs dignitatem erat, cum quo ſimul de rebus arduis conſultabat: cujus conſilio militi in hoſtem pugnandi facultas dabatur & adimebatur; denique cum hoc de ſumma rerum exercitûs deliberabat. *Hic ſi quem de Tiuphadia ſua* (ſic copiæ militum quibus præerat vocabantur) *donis fortè corruptus, de expeditione domum redire permiſerat, aut domo in expeditionem proficiſci non coëgerat, acerbis pœnis multabatur.* Ut conſtat ex l. 1. tit. 2. lib. 9. *Legum Wiſi-gotth. Si Tiuphadus* (inquit) *ab aliquo de Tiuphadia ſua fuerit beneficio corruptus, ut eum ad domum ſuam redire permitteret; quod acceperat, in novecuplum reddat Comiti civitatis, in cujus eſt territorio conſtitutus. Et ſi ab eo nullam mercedem acceperit, ſed ſic eum, dum ſanus eſt, domum dimiſerit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat ſolidos viginti.*

112. Millenarii erant qui mille ſub ſe milites habebant. Horum meminit lex 26. tit. 2. lib. 2. *Leg. Wiſi-gotth.* Iſidor. lib. 9. *Etymol.* cap. 3. *Sunt qui mille præſunt militibus, quos nos millenarios appellamus.*

113. Quingentenarii, qui quingentis militibus præerant. Hi ſi quem etiam de ſuis, propter munus aliquod, ab hoſte domum redire conſenſiſſent, aut in hoſtem domo proficiſci non coëgiſſent; quod acceperant, novecuplum etiam Comiti civitatis, cujus territorio ſuberant, reddere tenebantur. Si verò nullo accepto munere id feciſſent, quindecim ſolidos ſuos inter milites ſuos dividendos reddebant. Id cautum eſt leg. 1. tit. 2. lib. 9. *Leg. Wiſi-gotth.* Horum etiam meminit lex 26. tit. 1. lib. 2.

114. Centenarii, teſte Vegetio lib. 2. cap. 13. dicti ſunt, quos antiqui centuriones vocabant, centum videlicet militibus præfectos. Ab Iſidoro id animadverſum eſt lib. 9. *Etymol.* cap. 3. *Centuriones* (inquit) *dicti, eò quòd centum præſunt militibus: ſicut Quinquagenarii, qui ſunt in capite quinquaginta militum: & decani ab eo quòd militibus decem præficiuntur.* Hi ſi centenam (ſic iis temporibus loquebantur) ſuam deſerentes, domum ab hoſtibus refugiſſent, capitis plectebantur. Si verò vel ad ſacra altaria, vel ad Epiſcopum confugiſſent, trecentos ſolidos exſolvebant Comiti civitatis, in cujus erant territorio conſtituti: neque poſtea inter Centenarios, ſed Decanos tantùm, habebantur. Quòd ſi ipſi ob beneficium fortè acceptum, aliquem de centena ſua domum ab exercitu redire, aut domi manere, neque in hoſtem proficiſci, paſſi fuiſſent, novecuplum acceptum ſuo Comiti civitatis reddebant. Quòd ſi ob nullum munus acceptum id permiſiſſent, decem ſolidos Comiti civitatis dabant,

bant. Habes hæc omnia fusè in leg. 3. tit. 2. lib. 9. Centenariorum meminit etiam Conc. Arelatenſe ſub Carolo Magno, his verbis: *Ne Comites, vel Vicarii, ſeu Judices, vel Centenarii, ſub mala occaſione vel ingenio res pauperum emant.*

114. Decani, quos Varro, Suetonius, aliique probati auctores Decuriones appellant, decem militibus imperabant. Hi ſi relictâ Decaniâ, ab hoſte domum receſſiſſent; aut cùm ſani eſſent, domo exire in expeditionem detrectâſſent, X. ſolidos Comiti civitatis dare cogebantur. Quòd ſi aliqua mercede à ſuperiore ſuo impetrâſſent, quinque tantùm ſolidos luebant, ut oſtendit lex 4. ejuſdem tituli & libri. Ubi ampliùs additur: *Quòd ſi aliquis, qui in Tiuphadia ſua fuerat numeratus, ſive permiſſu Tiuphadi ſui, vel Quingentenarii, aut Centenarii, vel Decani ſui, de hoſte ad domum ſuam refugerit, aut de domo ſua in hoſtem proficiſci noluerit, in conventu mercantium publicè centena flagella ſuſcipiat, & reddat ſolidos decem.*

115. Et quandoquidem in locum de Gotthica militia incidimus, erant apud eos qui dicebantur Exercitus Compulsores; nempe qui Gotthos in hoſtem exire compellerent: ut habetur in leg. 2. tit. 2. lib. 9. Hi multis in locis Servi Dominici appellantur; fortè quòd erant ſervi, qui regalibus ſervitiis mancipabantur. Quorum tanta erat auctoritas, ut Palatinis officiis honorarentur, & teſtandi ſicut cæteri poteſtatem haberent. Teſtatur id lex 4. tit. 4. lib. 2. legum Wiſi-gotth. Hi ſi quid ab iis, qui in exercitum compellebantur, ſine ipſorum voluntate abſtuliſſent, undecuplum reſtituere cogebantur, & quinquaginta inſuper flagellis multari. leg. 2. tit. 2. lib. 9.

116. Ad exercitûs robur conſervandum imprimis pertinet ne annonæ laboret inopiâ; ob idque providâ Gotthorum curâ cautum eſt, ut per ſingulas civitates atque caſtella crearentur qui militibus eam ſine fraude exhiberent; ii nunc Annonarii, nunc Diſpenſatores annonæ, nunc Erogatores annonæ, in Gotthorum legibus dicuntur. Videtur & Comes civitatis hujus rei curam geſſiſſe, ut patet ex leg. 7. tit. 2. lib. 9. leg. Wiſigotth. Ubi cavetur, ſi contingat, ut ipſe Comes civitatis, aut Annonarius, per negligentiam ſuam non habens, aut forſitan nolens, annonas dare militibus diſſimularet, apud Comitem exercitûs conquerantur: qui eos in quantum temporis ſubtraxerunt conſuetas annonas, in quadruplum de propriis facultatibus reſtituere cogeret. Conſiſtit autem propriè annona in frumento, oleo, vino, ſale, carne. Solebat autem in militia Romana annona militibus pro ſtipendio per ſingulos dies diſtribui expeditionis tempore; veluti buccellatus panis, quem bi-coctum vocamus, duobus diebus; ac panis alius tertio; uno die vinum, alio acetum; uno die lardum; caro vervecina biduo, ex commeatu publico. Cui annonæ interdum pecuniæ erogatio accedebat, & veſtitus, & alia id genus militibus neceſſaria.

117. Quando annona loco pecuniæ in ſolutionem militibus dabatur, dicebatur ſtellatura, quia per teſſeras ſtellatas, ſpecies alias pro annona accipiebant: ut annotavit Wolphang. Lazius lib. 12. *Comment. Reipub. Rom.* cap. ult. Hæc annona quæ per capita ſingulis diebus militibus dabatur, panes civiles, quandoque annona civilis dicitur, & ſalarium. Qui annonarias ſpecies exhibebant, opinatores dicebantur, ut conſtat ex lege *Opinatoribus*, lib. 12. Cod. tit. 29. Interdum etiam nomine annonæ univerſum militare ſalarium ſeu præbendum accipitur. Idque Flavii Vopiſci abundè declaratur auctoritate, qui in Aureliano, *Oleum*, (inquit) *ſal, lignum, nemo exigat; annonâ ſuâ contentus ſit*. Patet etiam ex Vegetio libris *De Re militari*. *Torquis* (inquit) *aureus ſolida virtutis præmium fuit; quem qui meruiſſet, præter laudem, duplas conſequebatur annonas.*

118. Defensorum etiam meminit lex 26. tit. 1. lib. 1. legum Wiſi-gotth. Horum officium erat in duplici ratione. Alii ſunt qui nomine civitatis cauſſas, lites, & negotia curant, ut Actores Syndici. Alii Defenſores ſunt cum poteſtate & magiſtratu, qui locorum defenſores dicuntur. De quibus leges Wiſi-gotth. loquuntur: leges etiam Romanæ l. 1. & l. *Defenſores civitatum.* 3. C. tit. 53. *De def. civit.* Alii dicuntur provinciarum Defenſores, quibus latior cura, & plures res, & civitates defendendæ commiſſæ ſunt, &, ut inquit Juſtinianus, paterna voce ita dicti, ut eripiant à malis injuriam patientes. Erat quinquennale hoc munus l. 4. Cod. *De defenſ. civ.* ex Novellis Juſtiniani factum eſt biennale. §. *Juſiurandum*, & §. *Final.* eodem tit. in Novellis. Prædictorum ſingula declarat pulchrè lex 4. tit. 54. Cod. lib. 1. his verbis: *In Defenſoribus univerſarum provinciarum* (aliàs *ſingularum civitatum*, vel, ut alii, *univerſarum civitatum*) *erit adminiſtrationis hac forma, & tempus quinquennii ſpatio metiendum: ſcilicet ut in primis parentis vicem plebi exhibeas, deſcriptionibus ruſticos urbanoſque non patiaris affligi: officialium inſolentia, & judicum procacitati, ſalvâ reverentiâ pudoris, occurras: ingrediendi cùm voles ad judices, liberam habeas facultatem: ſuperexigendi damna vel ſpolia plus potentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quicquam ultra delegationem ſolitam ab his exigi, quos certum eſt remedio non poſſe reparari.* Et Caſſiod. lib. 7. *Variarum*, in formula Defenſoris cujuslibet civitatis: *Nihil venale, nihil improbè facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia civibus, ſecundùm temporum qualitatem, æquali moderatione diſpone. Definita ſerva quæ juſſeris: quia non eſt labor, vendendi ſummas includere, niſi ſtatuta pretia caſtiſſimè cuſtodire. Imples enim re verâ boni Defenſoris officium, ſi cives tuos, nec legibus patiaris opprimi, nec caritate conſumi.* Gratianus etiam, Valentinianus, & Theodoſius CCC. Theodoro Defenſori, formam defenſionis præſcribunt. l. *In Defenſoribus*, & l. 4. cujus verba ſuperiùs attulimus.

119. Pacis Assertor apud Gotthos erat, qui ad faciendam pacem, regali deſtinabatur auctoritate. Differebat autem Aſſertor à judice, quòd illi omnium negotiorum actionumque cauſſas terminabant: hi verò non alias niſi quas illis regia commiſerat ordinandi poteſtas. Hæc

ex leg. 16. titul. 1. libro 2. leg. Wiſi-gotth.

120. Duo ſequuntur officia, quæ ut vicina frequenter conjunguntur, NUMERARII nempe, & VILLICI. Iſidorus de numerario, lib. Orig. 9. cap. 4. ſic ait: *Numerarii vocati ſunt, qui publicum nummum ærariis inferunt, hoc eſt, qui pecuniam regiam, ex tributis, & porteriis, & vectigalibus partam, in æraria inferebant.* Exſtat titulus 50. in Cod. *De Numerariis*, qui à Juſtiniano Tabularii dicti ſunt. Hic etiam annonas, quæ ex villis fiſco regio debebantur, procurabat: quod ſi ſingulis annis facere neglexiſſet, duplo de propriis facultatibus ſolvere cogebatur. Conſtat ex Concil. XIII. Tolet. in edicto Ervigii Regis ad privatos, ſive fiſcales populos, his verbis: *Certè ſi quis ille Dux, Comes, Tiuphadus, Numerarius, Villicus, aut quicumque curam publicam agens, tributa exacto ſibi commiſſo annis ſingulis plenario numero non exegerit, aut exacta apud ſe retinuerit, & ea ſtatim theſauris publicis inferre neglexerit, duplata tributa ipſa de propriis rebus ſuis modis omnibus in publico inferet.* Fuerunt hæc duo officia ex humilioribus apud Gotthos. Ac de Villico id tantùm conjicere licet, quòd eandem ferè cum Numerario functionem habeat.

121. De Numerario autem res certa eſt; cùm ejus munus, ut ſordidum atque abjectum, etiam Concil. XVI. in Theudemundo ſpathario damnetur. Verba ejus, quia clariùs id explicant, apponere non pigebit, ex edicto regio ad Patres: Et quia præceſſor noſter, divæ memoriæ dominus Wamba Rex, in ipſis regnandi primordiis Theudemundum Spatharium noſtrum, contra generis, vel ordinis ſui uſum, Feſti quondam incitatione Emeritenſis Epiſcopi, ſolius tantùm regiæ poteſtatis impulſo, in eandem Emeritenſem urbem Numerariæ officium agere inſtituit (quod etiam unius anni excurſu contra rationem noſcitur peregiſſe) immo, quia nec valuit imperio gentis obſiſtere, veſtri edicto Concilii ab eodem Theudemundo, ſuaque omni poſteritate talis actionis officium ſuſpendatis, quo nullo ulteriùs tempore, tam ipſe, quàm omnis ejus progenies, uſque in finem ſæculi, ob hanc cauſſam videantur aliquatenus moleſtari.

122. DE VILLICO ſic Iſidorus lib. 9. Etymol. cap. 4. *Villicus* (inquit) *propriè villæ gubernator eſt; unde à villa villicus nomen accepit. Interdum autem villicus non gubernationem villæ, ſed diſpenſationem univerſæ domûs, Tullio interpretante, ſignificat, quod eſt univerſarum poſſeſſionum & villarum diſpenſator.* Locus Ciceronis ab Iſidoro citatus, eſt Verrinâ quintâ. Villicus à Varrone *De re ruſtica* lib. 1. cap. 2. dicitur, qui præeſt pago, & totius rei ruſticæ curam habet.

123. SAJONUM frequens mentio eſt apud Caſſiodorum, & in legum Wiſi-gotth. lib. 6. Hi, ut ex variis locis colligere licet, iidem erant, qui apud Romanos Apparitores; regii videlicet, ac Magiſtratûs miniſtri, qui ad eorum juſſa exſequenda ſemper præſtò erant. Solebant etiam Cancellariis Sajones aſſignari, ut oſtendit Caſſiodorus lib. 12. in Epiſt. cujus initium eſt: *Oportet quidem cuncta*, &c. Ubi munus eorum ſcitè deſcribitur his verbis: *Quapropter devotionem tuam ſolatiis illius viri clariſſimi Cancellarii noſtri ſolemni more deputamus; ut contra nullum alium erigaris, niſi qui legibus parere deſpexerit. Ad ferum trahe qui juſta non recipit, ſub continentia iraſcere, ſub maturitate diſtringe, timeri te ampliùs volumus quàm probari: quia illud maximè vigori tuo reputabitur, ſi nullius præſumptione peccetur. Cogitetur præ omnibus pecunia publica fidelis actio. Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui juſta ſponte complere neglexerit. Cauſſis tantùm delegatis impende. Si præcepta ſequeris, devia non requiris. Caret culpâ, qui imperata perfecerit. In exſecutore illud eſt peſſimum, ſi judicis relinquat arbitrium. Non inde jacteris, quòd tibi non poteſt obviari. Nec aſſumere ſuperbiam velis, quia te multorum humilitas pertimeſcit.*

124. Plura de hoc lege apud eundem Caſſiodorum lib. 2. Epiſt. ad Ulingem Sajonem, lib. 4. ad Gelidam Sajonem, ad Thecutar Sajonem, ad Dudam Sajonem, ad Veranum Sajonem, ad Gudinandum Sajonem, ad Avilfum Sajonem, ad Gudium Sajonem, aliiſque apud eundem locis quamplurimis. Et legum Wiſi-gotthicarum lib. 2. tit. 1. l. 17. cavetur, ut ſi Sajo judici in aliquem contra legum æquitatem inſurgentem obſequens, alium conſenſerit comprehendere, diſtringere, vel aliquid rerum auferre, centũ publicè ictus flagellorum accipiat, & præſumptionem tali emendatione coërceat. Leg. etiam 25. tit. & lib. citatis ſic ſcribitur: *Quòd ſi ea quæ judex ordinare decrevit, Sajo callidus implere neglexerit; res, de qua agitur, ſi unciam auri, vel infrà valere conſtiterit, illi, cui res debita eſt, idem Sajo de ſuo auri ſolidum reddat. Si certè plus valuerit, per ſingulas uncias ſingulos ſolidos pro ſua tarditate perſolvat. Idem verò, ſi ſuper duas uncias, uſque ad libram auri, eadem res valere probatur, decem flagella ſuſcipiat; ac ſic creſcente auri numero, creſcat & pœna flagelli. Iidem verò Sajones, cùm pro cauſſis alicujus vadunt, ſi minor cauſa eſt, & perſona; duos caballos tantùm ab eo cujus cauſſa eſt accipiant fatigandos. Si verò major perſona fuerit, & cauſſa; non ampliùs quàm ſex caballos, & pro itinere, & pro dignitate debebunt accipere.* Alia de eodem multis capitulis ejuſdem libri invenias.

125. SERVUS FISCALIS, vel Fiſcalinus, dicitur, eo quòd res & corpus ejus regio fiſco cedat. Hi in officiis mancipati Regi inſerviebant. De quibus etiam Concil. Tolet. III. cap. 15. Fiſcales ſervi Eccleſias conſtruxere ex ſua paupertate. & in aliis Conc. De his fit frequens mentio lib. 2. legum Wiſi-gotth. tit. 4. cap. 4. Nam illic legiſlator agens de his, quorum teſtimonium admittendum eſt: Servo (inquit) penitùs non credatur, ſi ſuper aliquem crimen objecerit, aut etiam ſi dominum ſuum in crimine impetierit. Nam etſi etiam in tormentis poſitus exponat quod objecit, credi tamen illi nullo modo oportebit. Exceptis ſervis noſtris, qui ad hoc regalibus ſervitiis mancipantur, ut non immeritò Palatinis officiis liberaliter honorentur; ideſt, Stabulariorum, Gillonario-

nariorum, Argentariorum, coquorum quoque Præpoſiti, vel ſi qui præter hos ſuperiori ordine vel gradu præcedunt. Quos tamen omnes, & regia poteſtas jugiter non habet incognitos, & nullis eos conſtat pravitatibus aut criminibus implicatos. Quibus utique vera dicendi, vel teſtificandi licentia, ſicut cæteris ingenuis, hac lege conceditur. Itaque inter officia ſervorum fiſcalium recenſentur Stabularii, Gillonarii, Argentarii, coqui. Quos omnes antiqua legum Hiſpaniæ tranſlatio ita explicat: *Aſſi como los que mandan las beſtias, los que mandan los rapaces, los que ſon ſobre los que facen la moneda, e los que ſon ſobre los cozineros*. Gillonarii vox Gotthica, puerorum Præfecti. Nam *Gielem* illis laſcivire eſt, quod proprium eſt ejus ætatis: unde *Giel*, laſcivus. *Gielei*, comatulus. Poſterior ætas Præfectum iſtorum *Alcayde de los donzeles*, vocavit. Et lib. 10. tit. 2. l. 4. legum noſtrarum cavetur, ut ſi quis per tricennii tempus quodcumque de fiſci, aut cujuſpiam rebus tenuiſſet, aut quocumque jure poſſediſſet, perenni ſibimet jure vindicaret, & retentaret, exceptis mancipiis fiſcalibus, in quibus hoc tricennale tempus nullo modo valebat, neque ullum præjudicium quominus in poteſtate fiſci perpetuò manerent, adferebat. Hactenus de officiis Gotthorum, ea brevitate, quâ potuimus, & integritate. Lector boni conſulat.

126. Hactenus D. Loaisa, qui an. MDXCIII. in ſua Collectione Conciliorum has Notas edidit nomine proprio, aut ſaltem nulla facta mentione alterius auctoris. At enim omnes illæ, nullâ demptâ, & eodem ordine, atque eiſdem omnino verbis, editæ fuerunt decennio poſtea, nimirum MDCIII. Francofurti Tomo II. *Hiſpania Illuſtrata*, pag. 195. & ſeqq. nomine Petri Pantini Belgæ, nulla mentione facta D. Loaïſæ. Uter autem eorum verus auctor fuerit, non auſim dicere, aut definire. Id tamen certum eſt, eundem Petrum Pantinum (eruditiſſimum profectò virum, & poſtea Decanum Bruxellenſem) verſatum fuiſſe Toleti anno ipſo MDXCII. quo Loaïſa pariter Toleti ultimam manum adhibebat huic Collectioni Conciliorum. Id patet ex Centuria I. Epiſtolarum Lipſii ad Belgas, quarum XII. eſt anni MDXCII. ad eundem Pantinum Toleti commorantem. Cardinalis de Aguirre.

NOTÆ VARIORUM.

IN CONCILIUM TOLETANUM VIII.

127. Era DCXCI.] Vaſæus anno uno antè celebratum ait. Quod & breviarii cujuſdam perantiqui, quod manuſcriptum apud ſe is habet, auctoritate confirmat: ubi dicitur Recceſvinthus Erâ DCLXXXV. regnare cœpiſſe, quinto verò pôſt anno coactum hoc fuiſſe Concilium. Apud Rodericum Toletanū lib. 2. cap. 22. numerus Eræ corruptus eſt. Nomen Regis ſcribitur Recceſvinthus in nummo antiquo, ubi legitur: Reccasvinthus Rex Corduba Patricia. Fuit Princeps religione & pietate inſignis, in omnique virtutis officio illuſtris. Legebat avidè divinos libros: quicquid in illis obſcurum erat, à doctis viris perhumaniter ſciſcitabatur. Templa piè tapetis ornabat, ob religioſum Sanctorum cultum & venerationem. Loaisa.

128. Ambroſius Morales lib. XII. cap. 30. ducit initium Recceſvinthi Regis ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo, in quo obiit pater ejus Chindaſvinthus. Cumque certum ſit, Concilium iſtud congregatum fuiſſe anno quinto Recceſvinthi, ut initio Actorum habetur, conſequens eſt, ut judicio ejuſdem ſcriptoris, fuerit celebratum anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto: cui reſpondet Era DCXCIII.

129. Cæterùm ex vetuſtiſſimis Mss. quibus uſus fuit D. Loaïſa, ejuſque editione ſatis accuratâ, conſtat, Synodum hanc fuiſſe coactam Erâ DCXCI. ac proinde anno Chriſti DCLIII. Unde & conſequens eſt, ut Recceſvinthus cœperit regnare, non anno Chriſti DCL. ut cenſet Morales, ſed biennio antè: nimirum, Erâ DCXLVIII. Niſi fortè quiſquam id utrumque conciliet, afferendo Recceſvinthum duobus annis ante obitum patris ſui Chindaſvinthi ſimul cum ipſo regnare cœpiſſe quod idem Morales eo loco obiter tradit.

130. Porrò Regem ipſum Recceſvinthum maximè laudat S. Ildephonſus, qui huic Concilio interfuit & ſubſcripſit tanquam Abbas. Tria tempore regni ſui Concilia fecit celebrari, quorum primum, id eſt octavum in ordine Toletanorum, quod præ manibus habemus, coactum fuit in Baſilica SS. Apoſtolorum, die 27. Decembris Joanni Euangeliſtæ ſacra. Affuit Rex ipſe ea pietate, religione, & humilitate, quam oſtendit ſatis Præfatio Actorum ejuſdem Concilii, præſertim verbis illis: *Quantò extulerat Principem humilitatis ordo ſublimis, tantò ad exercitia ſumma virtutis inſtruebant exempla ſanctiſſimi Principis formam noſtra religionis*. Sic etiam ſe geſſerant Reges alii Hiſpaniæ in variis Conciliis, & præſertim Siſenandus in Toletano IV. ubi cap. 1. dicitur de illo: *Coram ſacerdotibus Dei humo proſtratus, cum lacrymis & gemitibus pro ſe interveniendum Domino poſtulavit*, &c. Cardinalis de Aguirre.

131. Cap. I. *In ſacris Miſſarum*.] Sic eſt in Miſſali Moz-arabum ad verbum, à D. Iſidoro edito. Item in XII. Concil. Tolet. cujus * officium quotidie in ſancta Eccleſia Toletana celebratur ſolenniter in ſacello huic muneri Eccleſiaſtico Gotthico dicato. Symbolum Patrum publicè in Miſſis in Eccleſia cantatur: nam ut auctor eſt D.

* A nobis editum eſt Tom. III. hujus Operis, pag. 258. & ſeqq.

D. Thomas 2.2. q. 1. art. 9. ad ſextum, fuit editum Fide jam propagata, & manifeſtata, & reddita pace Eccleſiæ. Symbolum verò Apoſtolorum, quia perſecutione fervente conditum fuit, nondum publicata Fide, in Prima, & Completorio occultè dicitur. Loaisa.

132. Tam in hoc Symbolo ſemper cantari ſolito, etiam modò, in Cappella inſigni Novorum Regum (quæ & Moz-arabum dicitur) apud Toletum, quàm in aliis Coociliis Toletanis præcedentibus, traditur palam proceſſio Spiritus ſancti ex Patre & Filio ſimul, antequam in ullo alio Univerſali, Nationali, aut Provinciali definita fuiſſet: ut latè oſtendimus Tomo II. Theologiæ S. ANSELMI, Diſput. XCI. Cardinalis de Aguirre.

133. Cap. II. *Noſtri*.] Juramentum illud, quod obſervatum in pejorem vergit exitum, ſalubri conſilio mutandum eſſe, eleganter docet Soter PP. ut eſt apud Gratian. 22. q. 4. cap. *Si aliquid*. & in Concil. Trib. ſub Arnulpho Imperatore cap. 21. ubi inſtitutum, quòd ſacerdos loco juramenti, interrogetur per ſanctam conſecrationem, D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7.

134. Cap. III. *Contra priora monita Patrum*.] Gratis ordines conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum ejus donum pretio æſtimatur, docuerunt antiqui Patres; Hormiſda PP. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Concil. II. Aurel. cap. 3. & II. Turon. cap. 28. & IV. Tolet. cap. 18. & II. Bracarenſe cap. 3. & noviſſimè Concilium Trident. Seſſ. 21. cap. 1. Nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & ordinum collatores accipiant. Loaisa.

135. Nota maximè graviſſimam hanc Simoniacorum reprehenſionem, & pœnam adeò antiquam, ſaltem ab anno Chriſti DCLIII. iis potiſſimùm verbis impoſitam: *Ut quicumque deinceps pro aſſequenda ſacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum*, &c. Dolent ii Patres vitium id frequens ſuo ævo apud plurimos fuiſſe, & illius reum damnant præterea, *ut ſuſcepti honoris gradu privetur, & in monaſterio ſub perenni pænitentia religetur*, &c. Utinam quemadmodum hodie multi ſunt Simonis Magi pariter ſectatores, ita etiam earundem pœnarum acerbitate puniantur ad ſalutem ſuam, & terrorem aliorum.

136. Cap. IV. *Ordinis ſui dignitate privari*.] Hæc pœna Epiſcoporum incontinentium, ſimiliter & quorumlibet ſacerdotum, miniſtrorumque Eccleſiæ, quæ ſubditur cap. 5. ſequenti, cum deputatione ad monaſterium *uſque ad exitum vitæ ſuæ*, & ſub pœnitentiæ diſciplina, non fuit primò impoſita in hoc Concilio, ſed multò antea, imò & in ipſis Canonibus Apoſtolorum, quorum XV. ea de re eſt. Vide præterea Canonem Concilii Eliberitani XIX. & XXX. & LXXVI. ac præterea inter Canones collectos à S. Martino Epiſcopo Bracarenſi, & lectos in Concilio Lucenſi, lege XXIV. & XXV. & XXVII. cum pluribus aliis, quos allegabimus Diſſert. X. Card. de Aguirre.

137. *Majorum veteribus conſtitutis*.] Teneri Chriſti ſacerdotes ad ſervandam caſtitatem, vitæque puritatem, conſtat ex perantiquis Patrum decretis. Non enim conjugium appetere debent, ut veteris legis miniſtri, Chriſti ſacerdotes: illis enim tunc concedebatur, ne tribus Levi, ex qua ſola ſacerdotes creabantur, ex eorum cœlibatu paullatim rueret & periret: quibus hoſtias hircorum atque arietum offerentibus dictum eſt: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum*. quamobrem & tempore vicis ſuæ ab uxoribus ſejuncti officio vacabant. Quid de Chriſti in nova lege ſacerdotibus dicemus? qua mentis & animi puritate offerre debent hoſtiam puram, ſanctam, & immaculatam, panem vitæ, & calicem ſalutis perpetuæ? Qui non ex una, ſed ex quavis tribu, & gente, & familia eligi poſſunt, ut immortale, & vivificum, tremendumque ſacrificium quotidie conficiant, ab omni ſolicitudine uxoria immunes. Nam ut Paullus ait 1. Cor. 7. *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.

138. Unde ex Apoſtolis fluxit, ut conjugati non ordinentur: ut conſtat ex Epiſtolis Syricii PP. cap. 7. & Innocentii PP. I. Epiſt. 2. cap. 9. & Hormiſdæ PP. ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 1. Hinc qui conjugati ordinabantur, à ſubdiaconatu deinceps non ſinebantur uxoribus miſceri. I. Tolet. cap. 1. Carthagin. V. cap. 3. Agathen. cap. 9. III. Aurel. cap. 2. & aliis multis. Poſt ſacerdotium adeptum nullus matrimonio jungebatur. Itaque licebat ex conjugato ſacerdotem fieri: ex ſacerdote verò conjugatum minimè. De hac re vide apud Socratem *Hiſt. Eccl.* lib. 2. cap. 8. quæ de Paphnutio referuntur. Et multi ex viris doctis hujus ſæculi doctiſſimè de hac re adverſus hæreticos ſcripſerunt. Quòd ſi priſci ſacerdotes, qui per ephemeridas & vices miniſtrabant, dum offerebant, ſe abſtinebant; qui ſemper & quotidie debet offerre, ut Chriſti ſacerdos, ſemper debet abſtinere. Quod annotavit Origenes Hom. 23. ſuper librum Numerorum: *Ille offerre poteſt* (inquit) *qui indeſinenter cuſtodit continentiam, & conſervat ſemetipſum à peccato: qua die interruperit & peccaverit, certum eſt, quòd in illa die non offert ſacrificium indeſinens Deo. Vereor dicere aliquid, quod ex ſermonibus Apoſtolicis intelligi datur, ne fortè videar aliquos contriſtare. Nam ſi oratio juſti, ſicut incenſum in conſpectu Dei, & elevatio manuum ejus ſacrificium veſpertinum; dicit autem Apoſtolus iis qui in conjugiis ſunt*: Nolite fraudare invicem, niſi forſan ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi; *Et iterum*: Revertimini in idipſum; *certum eſt impediri ſacrificium indeſinens his qui conjugalibus neceſſitatibus inſerviunt: unde mihi videtur, quòd illius ſolius eſt ſacrificium offerre indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati*. Hæc Origenes. Loaisa.

139. Cap. V.

139. Cap. V. Animadvertenda ſunt hîc tria quædam, in quibus diſciplina vetus in novam jam paullatim deficiebat. Namque primò presbyteri, diaconiſque, & ſubdiaconi non jam ſola depoſitione feriuntur, vel laïca communione, ſi ſuis rurſus copulentur uxoribus: immo nec ſatis pœnarum dare viſi ſunt, ſi excommunicarentur. quin præterea traduntur in monaſteria, ubi reliquo vitæ tempore pœnitentiæ lamentis & cruciatibus macerentur. Secundò conjuges ipſæ clericorum ſacrorum compinguntur in monaſteria, ſi poſt conjugum ordinationem minùs caſtè ſe gerant. Tertiò ſubdiaconi poſthac non ordinantur, niſi profiteantur cœlibatum, profeſſioque eorum iſta confirmetur Epiſcopali benedictione, quam ego interpretor Epiſcopalem manûs impoſitionem. Imponendo enim manus benedictio infundebatur. Ingenuè tamen fatendum rem meræ cæremoniæ fuiſſe hanc benedictionem, ſeu manûs impoſitionem; ut cujus inſtitutio tam tarda fuerit in hac Synodo: & quæ ſi quibus in provinciis vetuſtior erat, erat tamen poſterior Concilio Carthaginenſi IV. ubi tam perſpicuè delineati ſunt ritus omnes ordinationum, & ubi conceptis verbis affirmatur ſubdiaconis inſtrumenta tangenda porrigi, quòd nulla manûs impoſitione ordinentur. Ita in ſacrorum aſſurgebat ordinum claſſem ſubdiaconatus: dum & vaſorum contactu ſacrorum quodammodo conſecraretur, & impoſitione manuum firmaretur Epiſcopalium, & propriæ majorum clericorum continentiæ, tanquam illis conſociatus, alligaretur. Thomassinus *De Benefic.* Tom. I. lib. 2. cap. 63. num. 5.

140. Cap. VI. *Sexta diſcuſſionis.*] Subdiaconos non debere contrahere matrimonium, decretum eſt à Sylveſtro Papa in Conc. Act. 1. cap. 8. & I. Toletano capit. 4. & II. Toletano capit. 1. Loaisa.

141. *Quòd ſi hoc vulnere,* &c.] Subdiaconatus tempore hujus Concilii, & multis annis antea, à Pontificatu S. Gregorii Magni (qui Eccleſiam rexit ab anno Chriſti DXC. uſque ad DCIV.) habebat annexam continentiam perpetuam, inſtar diaconatûs ac ſacerdotii. Unde quilibet ſubdiaconi, *poſtquam ad ſacri hujus ordinis pervenerint gradum* (vide qualiter ſubdiaconatus cĕſeretur gradu ſacrorum ordinum). *caveant à carnis immunditia, omni penitùs ab illis ſorde mulierum ac familiaritate remota.* Quibuslibet verò aliter ſe gerentibus imponitur ſtatim pœna graviſſima iis verbis: *Quòd ſi deinceps hoc vulnere fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.*

142. Quin & pluribus ſæculis ante hoc Concilium, ea puritas corporis, nec ſolùm animi, exacta fuit ab Eccleſia in iis qui futuri eſſent ſubdiaconi, ut in Concilio Eliberitano Can. XXX. ſtatutum legatur, *ſubdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus.* Quem Canonem retulit Rhabanus in libro ſuo *Pœnitentium*, cap. 4. Vide Commentarium illius Tomo I. lib. 2. cap. 60. & deinceps pag. 508. ac ſeqq. Card. de Aguirre.

143. *Quibuſdam Eccleſiis.*] Concil. Carthaginen. IV. cap. 5. *Cum ordinatur ſubdiaconus, quia manus impoſitionem non accepit, patenam de Epiſcopi manu vacuam accipiat, & calicem vacuum. De manu verò archidiaconi urceolum cum aqua & mantile & manutergium.* Loaisa.

144. *Mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.*] Mirum videri non debet monachos & inferiores clericos, non ſecus ac majores, in monaſteria, locaque ſecreta pœnitentiæ cauſſâ tum relegatos fuiſſe, cùm iiſdem temporibus in laïcos eadem pœna cœpiſſet uſurpari, ut latè probatum eſt libri præced. cap. 15. Verùm duo quæri poſſunt, priùs an illis in locis manus imponerentur? Reſpondeo relegationem illam dupliciter intelligi poſſe, ut ſcilicet in quadam cella includerentur; quo caſu nulla illis fiebat manûs impoſitio: ibi enim tanquam in carcere detinebantur. Vel ut relegarentur ſimpliciter in monaſterium, quo eorum actionibus invigilaret Abbas, inſpiceretque an pœnitentiam impoſitam exſequerentur. Relegatio ejuſmodi non impediebat quominus monachorum ſynaxibus precum euchariſticarum tenus adeſſent, & ante dimiſſionem mannum impoſitioni ſubeſſent, ut ex dictis evidenter colligitur. Quæſitum poſterius eſt, an ſicut laïci è ſecretis locis inſtante Quadrageſima educebantur ad manûs impoſitionem ſolenniter ſuſcipiendam; ita monachi & clerici minores è monaſteriis ſuis? Reſpondeo, idem obſervatum fuiſſe in eos qui in monaſteria velut in carcerem conjecti fuerant; ſed eductos fuiſſe in monaſterii Eccleſiam ad manûs impoſitionem publicè ſuſtinendam, non ad aliam Eccleſiam, niſi propter cauſſas ſingulares id conſtituiſſet Epiſcopus. Morinus *De Pœnitentia*, lib. 6. cap. 13. num. 15.

145. Cap. VII. *Nolentibus.*] Baptiſmum conferri amentibus teſtatur Auguſt. lib. 4. *Confeſſ.* cap. 4. Ægrotis qui reſpondere non poſſunt, Arauſican. Concil. I. cap. 13. Parvulis neſcientibus, Carthaginen. III. cap. 34. Gerunden. cap. 5. & Toletan. XII. cap. 2. Multaque alia de hac re decreta exſtant. Auguſtin. in Epiſt. CVI. ad Paullinum ſic habet: *Quodquidem tantum beneficium* (de baptiſmo loquitur) *non ſolùm nolentibus, verùm etiam reluctantibus datur.* Loaisa.

146. *Quòd ſi quis poſt hoc,* &c.] Vide quantum periculi, quale diſcrimen æternæ ſalutis ſubeant ii, qui ingreſſi ſtatum Eccleſiaſticum qualitercumque, & præſertim dignitates ſacras, veluti Epiſcopatûs, Patriarchatûs, aut Cardinalatûs, relabuntur *ad conjugia mereſque ſæculi.* Unicuique enim eorum hanc pœnam imponunt PP. Toletani, ut *mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate privatus, verè ut apoſtata à ſancta Eccleſiæ liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus; monaſterii clauſtris, donec advixerit, ſub pœnitentia recludendus.* Certè oppoſitum videmus nonnunquam accidere. Quonam autem jure aut ratione fiat, vel fieri aut permitti poſſit, non facilè apparebit, cùm ſacri Canones repugnent, & decentia ipſa ac ſacra conditio ſtatûs vel Prælaturæ Eccleſiaſticæ contradicat regreſſui ad ſæculum, ſive ad matrimonium contrahendum. Quin & notiſ-

notiſſima illa comminatio Chriſti: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, aptus eſt regno Dei*, videtur damnare eos tranſitus: præſertim ubi nulla intervenit neceſſitas graviſſima & publica, quæ ſuadeat & perſuadeat urgenter ad diſpenſationem petendam aut indulgendam. Idque dictum accipe, etiamſi non intercedat votum ſolenne caſtitatis. nam eo ſuppoſito, eſt longè major difficultas in regreſſu ad ſæculum, præſertim juxta doctrinam S. Thomæ notiſſimam, & textum Innoc. III. Papæ, in celebri capite *Cùm ad monaſterium*, de ſtatu monachorum, quibus præcluditur via ad diſpenſandum in votis ſolennibus.

147. Cap. VIII. *Nullus igitur*, &c.] Aurea eſt iſthæc regula, & omnino obſervanda ubique ac ſemper, *ut nullus ad ſacra myſteria Dei tractanda veniat indoctus, &c. aut ignorantiæ tenebris cæcutiens: ſed ſolus is accedat, quem morum innocentia & literarum ſplendor reddunt illuſtrem. Aliter ordinaturis & ordinandis imminet in poſterum Dei & Eccleſiæ ejus vindicta.* Videant & conſiderent hæc omnes ii quorum intereſt, tam *ordinaturi*, quàm *ordinandi*. Card. de Aguirre.

148. Cap. IX. *Quadrageſimæ dies.*] Principium Quadrageſimæ nunciabat Epiſcopus ante Epiphaniam. De quo ſic habes in Concilio Antiſiodorenſi cap. 2. *Ut omnes presbyteri ante Epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio Quadrageſimæ nuncient, & in ipſa Epiphania ad populum indicent.* Loaisa.

149. *Propter tranſgreſſionem Decalogi quater decies convenienter affligi.*] Probatum eſt hoc pingui Minerva dictum eſſe, ut in numeria ſæpè fieri ſolet, ubi numerus integer, completus, & quadrans, pro incompleto uſurpatur, præſertim cùm ad quadrantem & rotundum proximè accedit. Dixerat enim paullò antè: *Etenim cùm Quadrageſimæ dies anni totius decimæ deputentur*, &c. Quadraginta igitur dixit pro triginta ſex, quod de Sancto Gregorio dici non poteſt, qui ſingula κατὰ μέρος examinat, & diſtinguit. Ita nonnunquam auctores Eccleſiaſtici dicunt jejunio quadrageſimali decimas dierum offerri, ut Nicolaus I. cap. 9. *Reſponſ. ad conſulta Bulgarorum*, Concilium Troslejanum in fine Can. VI. & Theodulphus Aurelian. cap. 37. cùm tamen conſtet eos omnes non 36. dies, ſed 40. jejunâſſe. Poſteriorem hanc interpretationem Toletanorum Patrum menti convenire demonſtrari poteſt ex Can. IX. Concil. Bracar. II. ubi jubentur parentes mediante Quadrageſima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem offerre. Et Can. I. dixerat id diebus ante baptiſmum 20. faciendum eſſe, hoc eſt feriâ ſecundâ poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ. Medium igitur Quadrageſimæ eſt vel feria illa, vel antecedens Dominica. Jejunium igitur apud eos cœperat in prima Dominica ſive feria ſequente, quæ ipſam jejunii actionem includit, non autem feriâ quartâ antecedente: alioquin viceſimus dies ante Paſcha non eſſet media Quadrageſima, cùm eum dies 26. integri præcedant. His accedit quòd Toletani Patres ad verba S. Gregorii in decreto ſuo alludere videntur, qui ante verba à nobis relata dixerat: *Qui ergo per carnis deſideria Decalogi mandata contempſimus, dignum eſt ut eandem carnem quaterdecies affligamus.* Numerus completus pro incompleto. Statim tamen rem per partes examinans, triginta tantùm & ſex dies computat. Ita quoque intelligendus Concilii Canon qui ad ejus verba mentemque alludit.

150. Verùm omnem dubitandi anſam præſcindere mihi videtur Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. *De Eccleſiaſt. offic.* cap. 36. ubi datâ operâ toto illo capite jejunii quadrageſimalis originem & cauſſas explicat. Non modò enim illam feriam quartam ſolennem non commemorat, nec diem ullum eſurialem ante Dominicam primam Quadrageſimæ, ſed ea, non ſecus ac Sanctus Gregorius, ediſſerit, quæ cum illo jejunii principio conſiſtere non poſſunt. *In ſupputatione Quadrageſimæ ſumma legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta ſex numero dierum decimatur. Subtractis enim à Quadrageſima Dominicis diebus, quibus jejunia reſolvuntur, his diebus quaſi pro totius anni decimis ad Eccleſiam concurrimus, actuumque noſtrorum operationem Deo in hoſtiam jubilationis offerimus.* Certum eſt igitur Italicas & Hiſpanas Eccleſias initium jejunii à feria ſecunda ſequenti Dominicam primam duxiſſe. Hoc inſuper cum antecedentibus Dominicis convenit, ut Dominica prima Quadrageſimæ dicatur à qua Quadrageſima & jejunium incipiunt, non ab ea quæ quintus eſt ab initio dies, ut ſeptuageſima, ſexageſima, & quinquageſima, initia ſunt & termini à quibus incipit numeratio, ſic & Quadrageſima. Poſtea tamē quum additi ſunt quatuor illi dies primæ Dominicæ, remanſit Quadrageſimæ nomen. Morinus *De Pœnit.* lib. 7. cap. 19. num. 4. & 5.

151. *Acerrimè interdicitur*, &c.] Eſus carnium in Quadrageſima ſemper prohibitus fuit in Eccleſia ſub gravi reatu, non urgente *inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidenti languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate*, ut dicitur in hoc Canone. Eas tres ſolas cauſſas eximendi ab onere ejus præcepti inveniunt PP. Toletani. Præterea exigunt permiſſum ſacerdotis, dum concludunt: *Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita violare præſumant, quàm à ſacerdote permiſſum accipiant.* Card. de Aguirre.

152. Cap. X. *Decimæ conlocut.*] Rex Hiſpaniæ tempore Gotthorum ditione ſua totam Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem regebat. Fiebat autem Rex electione, non ſanguinis ſucceſſione, ut conſtat ex Concil. Tolet. V. cap. 3. ubi dicitur: *Rex Hiſpaniarum nemo fiat, niſi omni electione, & Gotthicæ gentis nobilitate ad eum apicem perductus.* Conſueverant etiam Gotthorum Reges, Romanorum Imperatorum exemplo, dum viverent regni ſocium aſſumere, omni electorum conſenſu: ut Chindaſvinthus Rex filium Receſvinthum in regni partem vivens vocavit. Et Wamba Rex divino judicio Ervigium, dum viveret, ſucceſſorem ſibi elegit. Creabantur autem Reges Gotthorum à proceribus regni, ſive

eſſent

eſſent ex ſacerdotali ordine, ut Epiſcopi; ſive ex ordine ſæculari, qui Palatini nobiles vocabantur: ut conſtat ex Concil. Toletano XII. cap. 1. de probatione Ervigii. Et hoc ſanè eſt quod dicitur: *Cùm Pontificum majorumq; palatii omnimodo eligantur aſſenſu.* Sic IV. Tolet. Can. LXXIV. *Nullus apud nos ſub præſumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas ſeditiones civium, nemo meditetur interitus Regum: ſed defuncto in pace Principe, Primates totius gentis, cum ſacerdotibus, ſucceſſorem regni Concilio communi conſtituant.*

153. Ungebantur etiam Reges, ut patet ex Concil. Tolet. XII. cap. 1. ubi dicitur Ervigius regnandi poteſtatem accepiſſe per ſacroſanctam unctionem. Quæ quidem unctio ab Epiſcopis conferebatur: ut patet ex eodem Canone. Qui verò non poterant aſſumi ad regnum, exponit Concil. Tolet. XVI. cap. 17. his verbis: *Rege defuncto, nullus tyrannica præſumptione regnum aſſumat. Nullus ſub religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, niſi genere & moribus dignus, promoveatur ad apicem regni.* Jurabat etiam Rex antequam ad regnum aſſumeretur, ſtrenuum ſe Catholicæ Fidei aſſertorem ac propugnatorem præbiturum, nulloſque violatores in ſuo regno permiſſurum. Habes id cùm alibi, tum VI. Concil. Tolet. cap. 3.

154. *Duodecima, quæ eſt.*] Eſt in *Foro Judic.* lib. 12. titul. 2. l. 16. Judæorum placitum Receſvintho Regi exhibitum anno VI. regni ipſius XII. Kal. Martii. Unde liquet ipſum poſt hoc Synodi decretum procuràſſe, ut ſinceram Judæi Fidem retinerent. Placitum ſic habet ex Fide Ms. Cod. antiqui. Loaisa.

PLACITUM JUDÆORUM

In nomine Principum factum.

Clementiſſimo ac ſereniſſimo domino noſtro Receſvintho Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ civitatis atque Hiſpaniæ, gloriæ veſtræ, qui infrà ſubſcripturi vel ſigna facturi ſumus.

155. BENE quidem ac juſtè nos meminimus compulſos fuiſſe, ut placitum in nomine divæ memoriæ Chinthilani Regis pro conſervanda Fide Catholica conſcribere deberemus, ſicut & fecimus. Sed quia perfidia noſtræ obſtinationis & vetuſtas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter in Jeſum Chriſtum Dominum crederemus, nec Catholicæ Fidei ſinceriter adhæreremus; iccircò nunc libenter ac placidè ſpopondimus gloriæ veſtræ, tam pro nobis, quàm pro uxoribus & filiis noſtris, per hoc placitum noſtrum, ut deinceps in nullis obſervationibus, in nullis inceſtivis uſibus miſceamur.

156. Judæis autem non baptizatis nullo penitùs exſecrando conſortio ſociemur: non more noſtro propinquitatem ſanguinis uſque ad ſextum gradum inceſtiva commiſtione vel fornicatione jungamus: non conjugia ex genere noſtro, aut nos, aut filii noſtri, vel noſtra poſteritas ullatenus ſortiamur; ſed in utroque ſexu deinceps Chriſtianis jugali copulatione nectamur. Non circumciſionem carnis operemur: non Paſcha & ſabbatha, cæteroſque dies feſtos, juxta ritum Judaïcæ obſervantiæ celebremus: non eſcarum diſcretionem vel conſuetudinem teneamus: non ex omnibus quæ Judæorum uſus & abominanda conſuetudo, vel converſatio agit, aliquatenus faciamus; ſed ſincera Fide, grato animo, plena devotione, in Chriſtum filium Dei vivi, ſecundùm quod Euangelica & Apoſtolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur.

157. Omnes etiam uſus ſanctæ Chriſtianæ religionis, tam in feſtis diebus, vel in conjugiis, & eſcis, quàm in obſervationibus univerſis veraciter teneamus, & ſinceriter amplectamur: nullo reſervato apud nos, aut oppoſitionis objectu, aut fallaci argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus, iterum faciamus; aut hæc quæ facere promittimus, minimè, vel non ſinceriter compleamus. De ſuillis carnibus id obſervare promittimus, ut ſi eas pro conſuetudine minimè percipere poterimus, ea tamen, quæ cum ipſis decocta ſunt, abſque faſtidio & horrore ſumamus. Quòd ſi in his omnibus, quæ ſuprà taxata ſunt, in quocumque vel minimo tranſgreſſores inventi fuerimus, aut contra Chriſtianam Fidem agere præſumpſerimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promiſimus, verbis aut factis implere diſtulerimus; juramus per eundem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, qui eſt unus in Trinitate & verus Deus, quia ſi ex nobis omnibus vel unus tranſgreſſor inventus fuerit, aut à nobis ignibus aut lapidibus perimatur: aut ſi hunc ad vitam gloriæ veſtræ ſervaverit pietas, mox amiſſa libertate, tam eum, quàm omnem ipſius facultatem, cui elegeritis perenniter ſerviendam donetis: vel quicquid ex eo, vel ex rebus ejus facere juſſeritis, non ſolùm ex regni veſtri potentia, ſed etiam ex hujus placiti noſtri ſponſione, poteſtatem liberam habeatis. Factum placitum ſub die XII. Kal. Martias, anno feliciter ſexto gloriæ veſtræ. In Dei nomine Toleto.

158. Ha-

158. Hactenus in eo Placito (ut ibi dicitur) Judæorum abjurantium hæreditarios errores, & promittentium integram obſervantiam religionis Chriſtianæ, omni fallacia rejecta.

159. Nunc verò ſupereſt, ut Vitam S. Ildephonſi ſubſcribentis in hoc Concilio, ſuprà promiſſam, exhibeamus verbis ipſis, quibus eam Valentiæ edidit an. MDLVI. Michaël Carranza Theologus doctus ac pius, & Prior Carmelitarum in eadem urbe, ſimul cum libro ejuſdem Sancti Archiepiſcopi *De illibata virginitate Genitricis Dei Mariæ*. Teſtatur autem ille ſe omnia eruiſſe *ex varia librorum antiquorum lectione*. Nimirum, ex ſcriptis ac relationibus S. Juliani, & Urbani Toletanorum Præſulum, atque Evantii archidiaconi Toletani, quorum primus diu cum S. Ildephonſo verſatus fuit, duo autem reliqui ipſum de facie & alloquio noviſſe creduntur, immo & fortaſſe (ut ſuſpicatur inſignis Chronographus Ambroſius Morales) comitati fuiſſe in ea occaſione, quâ beatiſſimus Præſul cœleſte illud donum ſacræ veſtis à Deipara Virgine accepit. Porrò ex ore eorundem Urbani & Evantii ſe accepiſſe teſtatur Cixilla Archiepiſcopus Toletanus ea omnia, quæ inclinante ſæculo octavo ſcripſit de Ildephonſo, & habentur apud Bollandum die viceſima tertia Januarii. Itaque in hac Vita S. Ildephonſi mox proferenda nihil accepit Carranza ex pſeudo-chronicis Dextro, Maximo, Luitprando, Juliano, &c. adſcriptis (utpotè foliis ex ficulnea arbore quadraginta circiter annis poſtea ortis) ſed ex germanis fontibus antiquorum, ac penè συγχρόνων, pietate & auctoritate illuſtrium.

160. Inter ea verò obiter nota, qualiter idem Carranza, licèt minimè Benedictinus, ſed Carmelita, teſtetur S. Ildephonſum ſuſcepiſſe habitum religionis *apud Agallienſe monaſterium Ordinis S. Benedicti: quæ nunc eſt Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani in ſuburbio Toletano*. Nec mirum ita loquutus fuerit ingenuus ſcriptor. Nam nec illius tempore, neque unquam antea, aut centum circiter annis poſtea, quiſquam invenitur dubitâſſe de profeſſione Regulæ S. Benedicti in utroque monaſterio Agallienſi, tam S. Juliani, quàm SS. Coſmæ & Damiani, unde Ildephonſus, & multi alii monachi ſanctiſſimi ad regendam Eccleſiam Toletanam evecti fuerunt. Hæc omnia certa & teſtata ſemper fuerunt perpetuâ Hiſpaniæ traditione, & ſpeciatim magnæ Eccleſiæ ac clariſſimæ urbis Toletanæ, ab antiquiſſimis iis temporibus. Et, ut plurima alia prætermittam, in *Legendario*, ut ajunt, Eccleſiæ Aſturicenſis, ſcripto Erâ MCCCXLVI. id eſt, anno Chriſti MCCCVIII. quod integrè edidit Tamajus de Salazar Tomo I. *Martyrologii Hiſpani*, ad diem 23. Januarii, hæc leguntur paginâ 248. de Ildephonſo: *Divino Spiritu ductus, Agallienſe monaſterium Ordinis S. Benedicti ſecretè, quoad ejus fieri potuit (uno tantùm ruſtico, qui ipſum viderat, excepto) mutatis veſtibus adiit*. Unde audiendi non ſunt nonnulli, qui heri aut nudius tertius de monachatu Benedictino S. Ildephonſi cœperunt dubitare. Ἀλλὰ ταῦτα ὡς ἐν παρέργῳ. Nunc jam Vitam ipſam exhibeamus. CARDINALIS DE AGUIRRE.

V I T A
SANCTISSIMI PATRIS ILDEPHONSI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI,

Ex varia librorum antiquorum lectione collecta, per Fratrem Michaëlem Carranzam, monachum Carmelitam, & cœnobii Carmelitarum Valentiæ Priorem.

161. SANCTUS Ildephonſus natione Hiſpanus, ab inclyta regni Caſtellæ oriundus Toleto, ex clariſſimis ac illuſtribus fuit parentibus, tam moribus, quàm generoſitate præclaris, poſſeſſionum & multarum divitiarum opulentiâ locupletibus, patre videlicet Stephano, matre verò Lucia. Quos Deus tantâ virtutum ac gratiarum abundantiâ, & morum honeſtate dotavit, ut omnes illius populoſæ civitatis magnates longiſſimo revera ſuperarent intervallo. Bonam hi tantarum opum ſuarum partem pauperibus, honeſtiſque locis, annis ſingulis conferebant. Utque interim complura eorum ſingularis memoriæ opera ſilentio prætermittam, hoc unum obiter ab eiſdem ſanctiſſimi viri progenitoribus factitatum inſigne opus memorabo: Proſeucham nimirum in ſuburbio Toletano, qua miſeri & calamitoſi pauperes, & foverentur, & alerentur, propriis ſumptibus mirificè conſtructam.

162. Quibus per multa annorum ſpatia in ſancto matrimonio ſine prole vitam ducentibus laudatiſſimam; Lucia mater, Virgini glorioſæ Mariæ ſedulum quotidie exhibebat officium, devotiſſimis precibus ac lacrymoſo ſingultu ab ipſa filium poſtulans, quem ejuſdem obſequio perpetuo honorique manciparet. Beatiſſima tamen Virgo Maria precibus non defuit ſupplican-

cantis. Quippe cùm perſeveranter orâſſet, longiſſima neutiquam exſpectati doni dilatione turbata, clementiſſimam Dei matrem, corpore licèt dormiens, corde autem non ſegniter vigilans, nocte quadam videre promeruit: huncque eidem glorioſa Virgo, in ſomnis, fuit affata ſermonem. Quia infracto animo juſtiſſimas preces mihi diligentiſſimas obtuliſti, aſſequeris haud dubiè quod fideliter poſtulâſti, pulſoque procul mœrore, gaudium experieris optatum. Filium namque tibi eximia ſanctitate fulgentem, honoriſque mei acerrimum defenſorem, & Eccleſiæ Catholicæ fulgentiſſimum ſydus, cœleſti dono promitto. Hanc denique locem ex te Lucia naſcituram intellige, quæ prodigioſo radiorum ſplendore, totam hæreticorum tenebris offuſcatam Hiſpaniam, illuſtrabit. Abſoluta itaque promiſſione, receſſit viſio.

163. Mox Lucia voti compos effecta, concepit filium, & nimis læta parturiens, in lucem edidit, quem lux divina promiſit. Baptizatur infans, ac divino nutu Ildephonſus appellatur. Alii Alphonſum, alii Illephonſum nominant. Tenerrimè quidem filiolus à matre dilectus, non parum devotè ac religioſè ab ipſa educatur. Vix enim erat duorum annorum, quando ætas infirma, vires tenellæ, captus imbecillis, affectuſque ad eximia immaturus eſſe ſolet, & jam infans ſanctiſſimus ſalutationem angelicam, à matre religioſa, non minus fructuosè quàm diligenter edocetur: quam adeò infans memoriæ fixit, ut vix aliud in ore toto die geſtaret. Creſcebat ſenſim, & corpuſculi membra paullatim ſolidans, animi dotes ad virtutes ſtudiaque repentè convertit.

164. Temporibus autem Aurafii Toletanæ ſedis Metropolis Epiſcopi, virtutis ac eruditionis nomine clari, & Chriſtianæ literaturæ titulo ſingularis, vir erat Eugenius ſanctitate ac omnigenâ ſapientiâ celebris, Eccleſiæ Toletanæ primùm clericus laudatiſſimus, pòſt autem progreſſu temporis ejuſdem Metropolitanus Epiſcopus, & beati Ildephonſi conſanguineus (ut creditur) ſatis propinquus. Huic ſanctiſſimus puer grandioris ætatis à parentibus traditur inſtituendus. Quem cùm Eugenius avunculus puerilia prorſus obliviſcentem, animum ad majora & præſtantiora protinus convertiſſe, & in Chriſtiana philoſophia non vulgariter conſummatum, omnes coætaneos cùm ſcientia, tum etiam virtute honeſtateque ſuperâſſe videret; aptiorem locum ubi ſanctiſſimi pueri pectus conſummatam ebiberet diſciplinam, & omnium ſcientiarum encyclopædiam abſolveret, cœpit inquirere diligenter.

165. Eugenio tandem Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus primùm in mentem venit, quem ſic unicè diligebat, & viciſſim alter amabatur ab altero, ut nulla præter hanc eo tempore haberetur amicitia conſummatior. Iſidorus autem Hiſpali collegium conſtruxerat opulentum, in quo bona adoleſcentum ingenia excolerentur, & in deſideratiſſima Theologiæ ſapientia prorſus erudirentur. Cujus nomen celebre undequaque diffuſum, id effecit omnino, ut multi eò confluerent, in quo & ſummopere floruère. Eò ſe beatus Ildephonſus contulit, literis à beato Eugenio acceptis: quibus glorioſus Iſidorus nimis lætus & hilarior factus, ceu filium recepit commendatiſſimum, ac ipſum in præfato collegio ſufficienter enutrivit, & diligenter inſtituit.

166. Rem igitur ingenioſus adoleſcens ſeriò aggreſſus, totum ſe otio literario dedit, pietatis, ac chriſtianitatis officia nullatenus obliviſcens. Ter enim in die Jeſu Chriſto Servatori noſtro Ipſiuſque matri preces fundebat devotus: reliquum verò temporis, aut legendo, aut diſputando, aut docendo conſumebat. Et licèt totius eruditionis finem fuiſſet non mediocriter adeptus; in Philoſophia tamen naturali, & Aſtrologia, & omnium ſcientiarum principe Theologia, ſe duodecim annorum ſpatio verſatiſſimum oſtendit. Tunc ſi qua eſſet inter commilitones difficilis alicujus eruditionis quæſtio ſuborta, conquieſcere animos etiam claſſicorum doctorum videres, quando doctiſſimus Ildephonſus propriam ſententiam proferebat.

167. Cùm itaque ſanctiſſimus vir laboribus multis, vigiliis aſſiduis, frequentique exercitatione, omnigenam eruditionem cum ſumma probitate conjunctam, ut in votis erat, fuiſſet omnino conſecùtus; à beato Iſidoro gratia & benedictione ſuſcepta, proprios decrevit repetere lares. Hunc igitur ſic eruditum civem, virtutibus ac generoſis viris Hiſpalenſibus ſtipatum, Toletana recepit patria felix. Lætati ſunt cives, theatralia docti parabant, & equites cuncti ſua feſta fecerunt. Ibi autem cùm ſe totius eruditionis titulo ſingularem, & acumine ingenii nemini ferè ſecundum, facundiâ præditum, ſcribendi ſtylo facilem atque devotum, morum gravitate eximium, & vitæ ſanctitate præclarum oſtendiſſet; venerabilis Helladius Toletanæ ſedis tunc temporis Metropolitanus Epiſcopus, qui Eccleſiam Toletanam octodecim rexerat annis, ultimo vitæ ſuæ tempore ipſum levitam ordinavit, quemadmodum ipſemet de ſeipſo teſtatus eſt.

168. Mortuo etiam Helladio, ab omnibus qui poſt ipſum ſecuti ſunt Archiepiſcopis, plurimum vir ſanctiſſimus adamatur. Juſtus enim ejuſdem Helladii in diſciplina monaſtica diſcipulus, & in Epiſcopali dignitate ſucceſſor, beatum virum plus cæteris diligebat. Poſt quem Eugenius quidam ejuſdem Helladii tantundem in monaſtica vita diſcipulus, ſanctiſſimo viro ſe nihil charius poſſidere putabat. Tandem beatus Eugenius ſancti Ildephonſi avunculus, & prædicti Eugenii ſucceſſor glorioſus, divum Ildephonſum Eccleſiæ Toletanæ archidiaconum fecit, ac vicarium ſuum, totiuſque Archiepiſcopatus viſitatorem generalem inſtituit.

169. Qui cùm honores hujuſcemodi, veluti ſibi plus ſatis oneroſos, moleſtè ferret, profundiuſque cadere timeret, dum altiùs elevaretur; obedientiæ merito, & regularis obſervantiæ jugo ſubmittere colla duxit. Re igitur maturè conſiderata, divino ſpiritu ductus, Agallienſe monaſterium, Ordinis Sancti Benedicti, quæ nunc eſt Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani in ſuburbio Toletano,

ſecretè quoad ejus fieri potuit (uno dumtaxat ruſtico, qui ipſum euntem eò viderat, excepto) mutatis veſtibus adiit. Pater verò ab ipſomet ruſtico certior factus, cùm filium unicum, & omnium bonorum heredem optatum, monachum futurum in Agallienſi monaſterio ſuſpicaretur, magnatum magnâ comitatus catervâ, illum inſequitur. Quem filius iratum timens, divertit paulliſper à via, & ſub umbroſa petra, quouſque pertranſiret pater, vir ſanctiſſimus latitabat.

170. Quid plura? Subitò iratus pater monaſterium invadit, vim armis adaugens ingreditur, Abbatem Deo-datum, cæteroſque monachos, atque adeò totam domum deſtruere pollicetur, niſi aut filium reſtituant receptum, aut deinceps venientem à monachali conſortio ſine mora expellant. Cui Abbas, cæterique Agallienſes monachi religioſè (ut ordinis ratio poſtulabat) reſponderunt, ſe neque filium, neque alium quempiam juvenem recepiſſe. Furibundus itaque recedit pater, at intrepidus accedit filius: Deo-datum humilis & ſalutat & alloquitur: votum copioſè explicat, ſeque ibi monachum fieri poſtulat. Quem cùm Deo-datus doctum & benè natum colligeret, Comitio illum offert, & (ô mira res, & beati patris dignitas admiranda!) facili negotio ad communem ipſorum vivendi modum ab omnibus acceptatur. Quos tunc elegantiſſima & devota concione beatus Ildephonſus ita lætos reddidit, ut hominem ſibi divinitùs datum ſinguli faterentur.

171. Cæterùm pater re protinus intellecta, & jam orbatum filio ſeipſum ſentiens, quodam furore repletus, & mentis cæcitate proculdubiò cæcus, apud divum Eugenium Archiepiſcopum, de Abbate, fratribus, ac monaſterio conqueſtus eſt: & cunctis ferox ruinam minatur, quòd filium unicum, & unicè dilectum, invito eo, monachum reddidiſſent. Tunc temporis beatus Eugenius patrem magna ſermonis acrimonia redarguit, & uti dignitas perſonæ exigebat, increpavit. Nôſti, inquit, filium tuum in Eccleſia Hiſpaniarum primate à me plus cæteris honoratum, nôſti divitem, nôſti meo favore nunquam deſtitutum, nôſti à cunctis adamatum, benevolum, & exaltatum, in quibus vita ſingularis & morum probitas præſtabilem & glorioſum fecit: non elatum, ſed oppreſſum: non ſuperbum & exaltatum in mirabilibus ſuper ſe, ſed humiliorem cunctis, abjectum, atque deſpicabilem valdè. At vocatus à Deo ad multò majora & præſtantiora, æternaque beneficia capeſſenda. Hæc omnia noſtra ſibi pro dignitate collata, uti ſtercora arbitratus eſt, ſolùm ut Chriſtum nudum, huncque crucifixum, lucraretur. Quid tu ergo effrænis cogitas contra ſtimulum calcitrare? Ecquis poterit (dicas obſecro) reſiſtere ſpiritui, qui in eo fortiter operatur? Cave igitur audax, crede mihi, ne dum ineptæ carni modicum acquieſcis, ſpiritum afflictum experiaris in die mala.

172. Flectitur his pater, & à Deo (ut creditur) repentè mutatus, divertit prorſus ab incepto. Attamen læta mater Lucia, clariſſimis Toleti fœminis comitata, monaſterium petit, Abbatem cæteroſque illius profeſſionis monachos urbanè ſalutat, prudenter alloquitur, ac pro filio eorum cœtui conjuncto, gratias retulit ingentes. Tunc filium adhuc novitium, præter morem, ſibi videndum tradiderunt. Quem cùm magnâ lacrymarum affluentiâ oſculata mater fuiſſet, charitatem, pacem, ac ordinis laudatiſſimi rigorem & obſervantiam, plurimum inter cætera commendâſſet, in domino benedixit: ſe, ſuaque omnia monaſterio deinceps ſervitura promittens. Quod etiam pater ſequenti die lacrymis mulieris amantiſſimæ delinitus, præſentibus viris claro ſtemmate natis, & promiſit & præſtitit.

173. Sanctus verò Ildephonſus parentibus ſuis pacatis omnino, & à propria ſententia prorſus declinantibus, ſe totum Deo, regulariſque obſervationis jugo ſummiſit: ac Deo ſtudioſè deſerviens, in vigiliis, & orationibus, & rebus literariis, totum tempus uſque adeò conſumebat, ut omnes illius cœnobii fratres tantam hujus viri ſanctitatem haud immeritò mirarentur. Transacto autem alicujus temporis ſpatio, Abbas Deodatus præſentis vitæ miſerandos labores æterna gloria paceque perpetua commutavit. Quem cùm cœnobitæ honorifica ſepeliendi pompa donâſſent, celebrandis Comitiis tempus indicitur, admonenturque fratres à Præfecto comitii, ut unus ex ipſis Abbas, totiuſque gregis paſtor vigilantiſſimus, ritè ac canonicè eligatur. Tunc beatus Ildephonſus omnium ſuffragiis, paſtorali cura cæteris dignior invenitur: & ut onus injunctum ſubiret, ab omnibus electoribus rogatur. Sed ô mira & vera ſanctiſſimi patris humilitas! renuit omnino, ac ſe tanto honore indignum, laborioſæque paſtoris curæ diſparem publicè confitetur. Utpote qui ætate, ſcientia, moribus, & ſanctitate, vel eorum minimo eſſet inferior, & in monaſtica vita parùm exercitatus. Cæterùm cùm illi vehementiùs urgerent, & ſupplices juxta univerſorum ſuffragia, dignum eſſe iterum repeterent, non potuit ſanctiſſimus vir tantorum patrum ætate, vitâ, & eruditione venerandorum votis, piiſque ipſorum deſideriis non acquieſcere.

174. Curam ergo illius domûs religioſæ, non honoris causâ, ſed potiùs ut hujuſmodi onus ac laborem ſubeundo, opportuniùs inſerviret Deo, ſuſcepit. Pòſt verò omnes Deo gratias referentes, *Te Deum laudamus*, hilares cecinerunt in terra, angelis (ut creditur) reſpondentibus in cœlo. Magiſtratûs autem ſuſcepti onus patientiſſimè ferebat, pabulum vitæ omnibus ſecundum indigentiam ſedulò ſubminiſtrans. Lætus bonis, auſterus indomitis, ſed reis pœnam, juxta delictorum menſuram, inferendam, quadam animi pietate ac miſericordia temperabat. Nemini unquam ſuæ familiaritatis pœnituit: omnes cùm ipſum alloquerentur, ſua erant reſponſione contenti. Omnia ſecundum rationem, omnia denique vir glorioſus in laudem Dei faciebat.

175. Parum autem poſt ſuſceptam paſtoralem curam, Stephano orbatur patre. Mater etiam poſt annum periculoſè cœpit ægrotare, & ad extremam vitæ ſuæ horam perveniens, cùm beatiſſimæ Virgini Mariæ eſſet non parum familiaris atque devota, meruit ante mortem, Mariæ deiparæ

viſio-

viſione frui, ac dulci frequentiſque ipſius colloquio conſolari, ut ſequenti die ſacta re divina, glorioſè obdormiret in Domino. Ejus verò animam Virgo glorioſa Maria, beatiſſimo ipſius filio Ildephonſo, divinæ beatitudinis ædes ingredientem, & cum ſanctis angelis exultantem, oſtendit: qui pro tantæ rei viſione, & dilectiſſimæ matris gloria gratias Mariæ innumeras humiliter egit. Statim ergo ſanctiſſimus vir civitatem ingreditur, & matrem juxta patris ſepulchrum, ut perſonæ & meritorum dignitas poſtulabat, honorificè ſepelivit. Deinda verò parentum ſuorum hæreditate ſuſcepta, ibidem monaſterium quoddam celebre in honorem ſanctæ Mariæ Virginis, propriis ſumptibus, ſumma cum omnium admiratione conſtruxit: in quo ſanctæ mulieres & religioſæ fœminæ honeſtiſſimè habitarent.

176. Concilio autem Toletano X. ſub beato Eugenio Archiepiſcopo Toletano, & Fugitivo Hiſpalenſi, & Potamio Bracarenſi, aliiſque viginti duobus Epiſcopis, beatum Ildephonſum crediderim Abbatis nomine interſuiſſe. Nam inſtitutum legimus ibi feſtum beatæ Mariæ ſemper virginis, quod etiam nunc tota Hiſpania Exſpectationis nomine celebratur, octavo die ante Servatoris noſtri natale. Quod nutu & voluntate ſanctiſſimi viri beatæ Mariæ ſingulariter devoti, crediderim factum. Quia, ut Conciliorum habet volumen, dies ſolennis Annunciationis frequenter cadit in diem ita propinquum Paſſioni aut Reſurrectioni Dominicæ, ut ab Eccleſia, & Chriſtiano populo die proprio de more celebrari non poſſit. Hoc autem feſtum poſtmodum fuit celebrius factum Hiſpanis, eò quòd beatiſſima Virgo eodem die Sancto Ildephonſo apparuit, ut ſtatim à nobis inferiùs explicabitur.

176. Nono quidem anno Chriſtianiſſimi Regis Recceſvinthi moritur Eugenius Toletanæ ſedis Epiſcopus, poſtea verò in divorum numerum relatus, cui omnium eligentium conſenſu Ildephonſus Abbas licèt invitus meritò ſubrogatur. Cujus tempore tres hæretici ex Gallia Gotthica in Hiſpaniam venerunt, & inviolatam ſanctæ Mariæ virginitatem ſacrilego ore, & pravo peſtilentis animi dogmate, polluere conati ſunt, impii Arii virus excitare volentes. Horum alteri Helvidio, alteri Joviniano, tertio autem Pelagio nomen fuit. Qui ſic à ſcriptoribus appellati ſunt, quia Helvidii, Joviniani, & Pelagii dogma fuerint imprudenter ſequuti: uti nos hodie Lutherum quoqoe ſolemus appellare inepti Lutheri dogma ſequentem. Helvidii enim ac Joviniani errorem multis antè annis divus Hieronymus non minus eruditè quàm piè labefactavit.

178. Quidam verò duos fuiſſe tantùm commemorant, Teudium alterum, alterumque Pelagium: quos Alphonſus Rex Caſtellæ Helladium Pelagiumque appellat: at Rodericus Archiepiſcopus Toletanus Helvidium atque Pelagium. Nos verò, juxta titulum libelli ſanctiſſimi viri, tres fuiſſe putamus, priorum hæreticorum ſectatores. Quos, cùm ferè totam Hiſpaniam infeciſſent, ac virginitatem beatæ Mariæ audaciter infamâſſent, beatus Pontifex Ildephonſus, ſanctæ Mariæ devotus gratiſſimus, orans priùs & gemens, & ab ipſa humiliter auxilium poſtulans, ſuumque honorem fideliter zelans, facundiæ gratiâ, & Scriptuſarum teſtimoniis ita refutavit, ut confuſionis & verecundiæ plenos ab Hiſpaniis abegerit. Quo tempore elegantiſſimum librum *De virginitate illibata ſanctæ Mariæ Virginis*, diligenter ſcripſit, & per diverſas Hiſpaniæ partes rogatus tranſmiſit: cujus ſententiarum pondere, & verborum gravitate, totum fœdiſſimum dogma protinus exſulavit, omnibus ad Fidei Catholicæ veritatem tam citò redactis.

179. Et cùm ſanctiſſimus Preſul in ſecretiori eſſet parte palatii ſui, vigiliis & orationibus vacans, & ad altiſſimam libelli ſui ſententiam & ſcopum ſuum animum convertiſſet, ſubitò ſibi intemerata Virgo apparuit, & dulciter cum ipſo loquens, diligentiam in ſcribendo, & ſuæ virginitatis ardentiſſimam defenſionem, plurimum commendavit. Qua repentinæ viſionis dulcedine ſanctus vir nimium gratulatus, in ejuſdem beatæ Mariæ devotione in dies augebatur. Tunc ſecum ipſe cogitans, quonam modo Virginis Mariæ devotio creſceret, volens ipſam altiùs honorare; quamplurimos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, alioſque Eccleſiæ Prælatos, crebris literis & precibus ſimul in unum congregavit: apud quos doctiſſimam ac devotione plenam concionem habuiſſe memoratur: in qua diligenter expoſuit, quo pacto ſalutem animæ, hæreticorum malitiâ deperditam, propter Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, & beatæ Maſiæ beneficium, omnes miſericorditer recuperâſſent: atque gratiſſima acutiſſimarum rationum congerie, verborum ſententiarumque gravitate, & ſacrarum literarum copioſo teſtimonio, virginitatem Dominæ noſtræ plurimum commendavit.

180. Ad hæc etiam anxiè nimis & ferventi petitionis affectu, omnes illos Hiſpaniæ Prælatos deprecatus eſt, ut in honorem beatæ Mariæ & in repenſionem illatę ſibi ab hęreticis injuriæ, feſtum ſolenne ſingulis annis in Hiſpania coleretur decimo quinto Kalendas Januarias: quo die, ut diximus, ex X. Concilii Toletani conſtitutione, feſtum Annunciationis Mariæ totâ Hiſpaniâ celebratur. Placuit omnibus ſanctiſſimi viri devotio ac omnium decreto per Hiſpaniam celebris Exſpectationis commemoratio ſtatuitur: utque in ipſo ſolennitatis die Lectiones in matutinali officio, ex libello beati Ildephonſi legerentur, ſinguli eorum in ſuis Eccleſiis ordinârunt. Quibus feliciter abſolutis, de beatiſſimo Ildephonſo multa ſibi in poſterum promittentes Epiſcopi, ad propria remeârunt.

181. Poſt hæc ſanctus Præſul devotioni ac miſericordiæ operibus totus deditus, corpus ſanctiſſimum Virginis & Martyris Leocadiæ, poſtquam per multa ſæcula latuerat ignoratum, ipſa ſe illi revelante, primus patefecit. Dum enim rem ſacram ipſe faceret, & ad *Pax vobis*, ſe converteret, ſepulchrum ſanctæ virginis apertum fuiſſe fertur, præſente quidem Rege Recceſvintho, ac nobilium illuſtriumque virorum, vulgique magna copia. Tunc ipſa læto vultu, aſtantibus cun-

cunctis, beatum virum amplexata oſculátaque fuit, dicens. Propter vitam inſignem, & ſingularem beatiſſimi Ildephonſi pietatem, ſedulumque illius officium, vivit Domina mea ſancta Maria. Hoc autem ideo dixerat ipſa, quòd Mariæ virginitas, quæ impiorum hominum dogmate aliquid temporis manſerat offuſcata, induſtriâ ſanctiſſimi viri in priſtinum ſtatum fuiſſet reſtituta. Cumque beata Leocadia urbanitate quadam à ſancto Præſule copiam peteret diſcedendi, partem veli, quo caput illius erat opertum, ſanctus Ildephonſus, cultello, quem Rex ſecum geſtabat, abſcidit. Tunc virgo ſepulchrum, ſibi tanto tempore familiare, iterum petit: poſtmodumque ſepulchrum illud, nulla hominum ope, plus ſolito clauſum remanſiſſe dicunt. Pro cujus rei magnitudine, inſolita viſione, ſuſceptoque dono, qui ſimul aderant admirantes, Deo optimo gratias egerunt, qui tantum myſterium mortalium oculis miſericorditer patefecit. Pars autem veli Sanctæ Leocadiæ, atque cultellus quo illam præſciderat, ſerico totum involutum, in ſacrario honorificè reponitur, ac cum reliquiis ab omnibus veneratur.

182. Poſt aliquot verò dies futurum erat feſtum Exſpectationis Dominæ noſtræ, quod ipſe omnium Epiſcoporum decreto ſtatuerat celebrandum. Quo die (quia obſequium illud ſacroſanctæ Virgini Matri exſtitit gratiſſimum) cùm beatus Ildephonſus ad matutinas horas ſe de nocte conferret clero comitatus & populo, & multis luminaribus; apparuit ei beata Virgo, choris Apoſtolorum, Martyrum, & Virginum comitata: & librum quem *De perpetua virginitate* ipſius, ſcripſerat, manu geſtans, veſtem ei ſacram, quâ in facienda re divina uteretur, læta dedit, tanquam divinæ gratiæ & favoris ſui pignus & obſidem. Ferunt etiam & cathedram illi à Virgine fuiſſe oblatam, in qua ipſe Epiſcopali dignitate functus, ſolus conſideret. Sanctiſſima autem Virgo ſic ipſum allocuta fuit: Quia fide certa, conſcientiâ purâ, lumbos tuos virginitatis cingulo accinxiſti, & gratiâ labiis tuis diffuſâ, virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxiſti, accipe veſtē hanc de theſauris filii mei, ut etiam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis, & filii mei ſolennitatibus veſtiaris. Accipe etiam hanc cathedram meam, in qua ipſe ſedebis quando tibi libuerit. Scitoque certiſſimè, quòd nemo præter te in hac cathedra ſedebit, vel hoc veſtimentum induere valebit impunè. His dictis, cum glorioſo cœtu, quo ſibi apparuerat, ad gloriam filii remeavit.

183. At beatus Ildephonſus de promiſſis ſecurus, ſuſcepto munere lætus remanſit, cunctis ſacram veſtem tangentibus, ab omni morbo quantumvis periculoſo, liberatis: & pro beneficio ſuſcepto, Deo ac Virgini Mariæ ingentes gratias referentibus. Quæ veſtis exiſtimatur etiam hodie ſumma cum religione in adytis Eccleſiæ Toletanæ ſervari: etſi minimè abhorreat à veritate eam ipſam, poſt vaſtationem Toleti à Sarracenis factam, in Eccleſiam Ovetenſem delatam eſſe, unà cum Ildephonſi & Juliani Pomerii ſcriptis: neque poſt beatum Ildephonſum quiſquam Præſul Toletanus auſus eſt eam induere, præter unum Siſibertum Archiepiſcopum, qui culpâ ſuâ ab illa ſede propulſus, fuit exſilio relegatus. Hic enim quia ſe ejuſdem eſſe dignitatis cum beato Ildephonſo videret, non minùs ac ipſe Præſul ſanctiſſimus, veſte illa pretioſa ſe uti poſſe contendebat. Qua temeritate miſer inebriatus, propriæ audaciæ pœnas luit infelix.

184. Qui verò putant Syagrium fuiſſe hujus temeritatis auctorem, referunt, ipſum, in cathedra contra prohibitionem ſanctæ Virginis conſediſſe, & veſtem illam ſacram induere volentem dixiſſe: Sicut ego homo ſum, ita ſcio prædeceſſorem meū hominem fuiſſe: cur ego non veſtiar eo quo induebatur veſtimento? Hoc dicens illa ſacra veſte ſe induit. Sed Deo ſtatim ulciſcente præſumptionem ejus, in terram, eadem veſte arctiùs conſtrictus, mortuus cecidit. Quod videntes qui illic aderant, magno pavore contriti, ſacrum veſtimentum quod indignè acceperat tulerunt, & in theſauro Eccleſiæ, ubi hactenus ſervatur, repoſuerunt.

185. Tandem beatus Ildephonſus cùm Eccleſiam Toletanam annos novem ſupra menſes duos rexiſſet; omniaque bona ſua pauperibus & indigentibus tribuens, cunctos errores ab Eccleſia ſua expuliſſet; cumque apud Deum, Deique matrem, magnæ eſſet ſanctitatis & gloriæ; decimo octavo Reccesvinthi Principis anno, nempe Erâ DCCXII. Incarnationis verò Dominicæ DCLXXIV. Imperii Conſtantini nono, ætatis verò ſuæ circiter ſexageſimo, vitam in pace finivit Toleti, & in Eccleſia beatæ Leocadiæ, ad pedes beati Eugenii avunculi & prædeceſſoris ſui, cum magna reverentia ſepultus eſt, multis clarens miraculis.

186. Cujus ſanctiſſimum corpus pòſt Hiſpaniâ à barbaris occupatâ, translatum fuit Zamorâ, ubi honorificè veneratur uſque in hodiernum diem. Multa autem de operibus quæ conſcripſit ante Pontificatum, & cætera poſt Pontificatum miro eloquii & ſanctitatis artificio conſummavit. Aliqua etiam morte præventus imperfecta reliquit. Et propter eloquentiæ ſuavitatem Chryſoſtomus, hoc eſt, os aureum, dicebatur. Et etiam quia in diverſis libris melliflue loquebatur, & de virginitate beatæ Mariæ Virginis nitido politoque eloquio peroravit, ancora Fidei ejus tempore in tota Hiſpania Gotthica Gallia roboratur. Scripſit autem non contemnendæ lectionis volumina, de quibus feruntur ſubjecta. *De ſancta Trinitate*, lib. 1. *De imbecillitate propria*, lib. 1. *De virginitate ſancta, Maria* lib. 1. Domina mea, dominatrix mea. *Annotationum actionis diurnæ*, lib. 1. *Annotationum in ſacris*, lib. 1. *Annotationum in ſacramentis*, lib. 1. *De cognitione baptiſmi*, lib. 1. *De progreſſu ſpiritali deſerti*, lib. 1. *Hymnorum diverſi generis*, lib. 1. *Sermones varii*, lib. 1. *Epigrammata multa*, lib. 1. *De Miſſa* quoque lib. 1. *Epiſtolarum ad diverſos*, lib. 1. Scripſit autem contra eos, qui de ejuſdem virginitate & parturitione diſputant ut hæretici, lib. 1. *De aſſumptione ejus*, ſermones vel tractatus quatuor. De eadem,

homil.

homil. Evang. 1. *De Purificatione* ejuſdem opuſculum unum, & alia complura. Res quoque geſtas Gotthorum, Alanorum, Wandalorum, & Suevorum, ab anno quinto Svintilæ Regis, ubi finem fecerat ſcribendi B. Iſidorus, uſque ad decimum octavum annum Flavii Reccesvinthi, fideliter proſequutus eſt.

187. Libri autem illi quos de rebus divinis ſcripſerat, poſtquam fuerunt ab eo editi, & in Concillis lectitati, & ab omnibus approbati, tanquam cibi divinæ gratiæ in Fide puſillanimes refecerunt. Quorum præſtantiores & cognitione digniores, noſtrâ operâ brevi, quoad fieri poterit, excuſſos, ſapientum manibus tractandos pollicemur: nemini, poſt beatum virum & Præſulem Ildephonſum, noſtro labore placere volentes.

[a] SYNODUS TOLETANA IX.

XVI. EPISCOPORUM,

Anno ſeptimo Reccesvinthi Principis acta, Erâ [b] DCXCIII. ideſt an. CHRISTI DCLV.

a Incipit Concilium IX. quod actũ eſt die 8. Kal. Decembr. anno feliciter VII. regni ſereniſſimi atque clementiſſimi domini noſtri Reccesvinthi Regis Erâ DCXCIII. in urbe Toletana. *C.A.*

b *Vaſæus* an. Domini DCLIV. *Morales* an. Domini DCLVII. *ut noſtri Mss.*

T I T U L I.

I. *Ut de rebus Eccleſiæ nihil Epiſcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Eccleſiarum ſolicitudinem gerant.*

II. *Ut fundatores Eccleſiarum, quoad uſque vixerint, earum habeant curam, ipſiq; illic miniſtros eligant ſervituros.*

III. *Si de rebus Eccleſiæ pro præſtatione aliquid dari dicatur, cauſſa præſtiti cognoſcatur.*

IV. *De conquiſitis rebus inter Eccleſiam & ſacerdotis * inteſtati * hæredes, quæ diviſio fiat.*

* Deeſt. C.A.

V. *Si Epiſcopus monaſterium faciat, vel* [c] *parochiam Eccleſiam ditet,* [d] *quantam partem de rebus Eccleſiæ conferat.*

c Parochianam al. *Ms.*

d Quartam. *Exc.*

VI. *Ut Epiſcopus tertiam Eccleſiaſticarum rerum ſibi debitam, cui elegerit, conferat.*

VII. *Ne extra conſtitutum ordinem, morientis ſacerdotis hæredes rem ejus adire præſumant.*

VIII. *Ut ſcripturæ, quas ſacerdotes vel miniſtri injuſtè fecerint, poſt mortem eorum habeant annorum numerum computatum.*

IX. *Quantum commodum ſibi Epiſcopus tollat de Eccleſia, cujus tumulaverit ſacerdotem.*

X. *De damnatione filiorum, qui ex ſacerdotibus & miniſtris geniti comprobantur.*

XI. *Quòd ſervilibus clericis dare debeant Epiſcopi libertatem.*

XII. *Quòd poſt mortem ſacerdotis, in libertate ſervis collata annorum tempus debeat computari.*

XIII. *Ut ex libertis Eccleſiæ, & ex perſonis ingenuis geniti, ab obſequiis Eccleſiæ non recedant.*

XIV. *Quòd ſi liberti Eccleſiæ ad eam reverti non velint, omnis eorum* [e] *reſcula juri applicetur Eccleſiæ.*

e Recula. *Exc.*

XV. *De obſequio & diſciplina libertorum Eccleſiæ.*

XVI. *Quòd libertis Eccleſiæ nihil de rebus ſuis in alienum liceat transferre dominium.*

XVII. *Ut baptizati Judæi cum Epiſcopis celebrent dies feſtos.*

P R Æ F A T I O.

1. DUM cannnicæ definitionis edicto in Toletana urbe pro [f] agendo. Concilio poſt diem Kalendarum Novembrium, anno ſeptimo Reccesvinthi Principis [g] glorioſi in Baſilica Sanctæ Mariæ Virginis, in unum fuiſſemus, Domino favente, collecti; id communi definitione decrevimus, ut capitula quæ in priſcis Canonibus minimè [h] habeantur inſerta, pari promulgarentur ſententia, & antiquis jungerentur regulis perenni jugitate manſura, & omni reverentia conſervanda.

f Peragendo. *C.A.*

g Glorioſiſ. *C.A.*

h Habebantur. *Exc.*

2. Sed qoia nequaquam rectè ſubditos judicat, qui non ſe ipſum priùs juſtitiæ cenſurâ caſtigat, aptum nobis & expedibile viſom eſt, antè noſtris exceſſibus imponere modum, & ſic errata corrigere ſubditorum. Tunc namque meliùs judiciorum exordia [i] diriguntur, cùm vita judicom antè diſponitor: eo quòd potiùs judicii forma completur, [k] quo negotiorum principiis æquitas judicantium antefertur. [l] Adeò exordium æquitatis inchoari à judicibus debet, ut [m] perfectio juris cauſſarum limitem aptiùs formet.

i Dicuntur. *Exc.* ſ. docuntur.

k Cum. *C.A.*

l Ideo. *Exc.*

m Perfecta juris cauſſatio. *Exc.*

I. *Ut*

I. *Ut de rebus Eccleſiæ nihil Epiſcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris Eccleſiarum ſolicitudinem gerant.*

Burch. lib. 3. cap. 182. Ivo p. 3. p. 243.

3. Omnis itaque rei Eccleſiaſticæ quantitas, ſicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat frandatori. Et ideo nullus ſacerdotum, vel miniſtrorum, ex rebus Eccleſiæ, quæ in quibuſcumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid anferat, vel juri ſuo, aut Cathedræ propriæ [n] unitati connectat. Devotio enim uniuſcujuſque, ſicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit, [o] quo plenitudo votorum conſervaretur in loco; in quo velut ſi collata tenentur [p], manet gratia offerentis, ita ſi fruſtrantur, imminet pernicies defrandantis. Verùm ut rei hujus potior ſoliditas [q] habeatur condignis filiis, vel nepotibus, honeſtioribuſque propinquis ejus, qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit, hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi ſacerdotem, ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis [r] honeſtæ conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuncient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus [s] intimare non differant.

n Civitatis Exc.
o Quod. Exc.
p Manent. C. A.
q Hab. propinquis ejus, qui conſtruxerunt, vel ditaverunt *Burch. diſt. 16. cap. 7. Filii vel nepotes.*
r Honeſta. C. A.
s Inſinuare. *alius Ms.*

4. Ipſis tamen hæredibus in eiſdem rebus non liceat quaſi [t] juris proprii poteſtate m præferre, non rapinam & fraudem ingerere, non violentiam quamcumque præſumere: ſed hoc ſolùm in ſalutarem ſolicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens attingat, aut in multam, vel in aliquam partem ſalutaris merces aſſumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit; & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit.

t Injuris. C. A.

II. *Ut fundatores Eccleſiarum, quouſque advixerint, earum habeant curam, ipſiq; illic miniſtros eligant ſervituros.*

5. Cùm ſæpè ſit ſolitum, etiam illa quæ non debentur, prece ſupplicationis, & vi quodammodo extorqueri doloris, quantò [u] magis ſine obſtaculo concedi debent exquiſita ſimul, & ordine juris, & dolore compaſſionis? Quia ergo fieri plerumque cognoſcitur, ut Eccleſiæ parochiales, vel ſacra monaſteria ita quorundam Epiſcoporum vel inſolentiâ, vel incuriâ, horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm in [x] conſtruendo gaudii exſtiterat labor; ideo pia compaſſione decernimus, ut quamdiu earundem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites exſtiterint, pro eiſdem locis curam [y] permittantur habere ſolicitam, * & ſolicitudinem ferre præcipuam, * atque Rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos. Quòd ſi tales forſan non inveniantur ab eis, tunc quos Epiſcopus loci probaverit Deo placitos, ſacris cultibus inſtituat, cum eorum conniventia ſervituros. Quòd ſi [z] ſpretis eiſdem fundatoribus, Rectores ibidem præſumpſerit Epiſcopus ordinare; & ordinationem ſuam irritam noverit eſſe, & ad verecundiam [a] ſui, alios in eorum loco, quos iidem ipſi fundatores condignos elegerint, ordinari.

u Jam. C. A.
x Struendo. Exc. 16. q. 7. *Decernimus, ut.*
y Habeant. Exc.
* *Deſunt in Gratiano: addidit C. Gregor. ex C. Regio Lucenſi, & alii Mss.*
Idem Concil. Trid. noviſſimè decretū eſt Seſſ. 14. cap. 12. & 13.
z Superſtitibus. Exc. C. Greg. *ſequutus eſt noſtrorum Codicum veritatem*, ſpretis.
a Suam. Exc.

III. *Si de rebus Eccleſiæ pro præſtatione aliquid dari dicatur, cauſſa præſtiti cognoſcatur.*

6. Si ſacerdos vel miniſter de rebus Eccleſiæ ſuæ quippiam alicui, ſub præſtationis obtentu concedat, in ſerie inſtrumenti cauſſam præſtiti evidenter exponat: ut ex hoc aut juſtè confecta tranſactio innoteſcat, aut fraus incompetens, quæ latet, appareat. Aliter verò pro hujus negotii cauſſa deinceps ſcriptura * confecta * non valeat.

* *Deeſt.* Exc.

IV. * *De conquiſitis rebus inter Eccleſiam & ſacerdotis * inteſtati * hæredes, quæ diviſio fiat?*

* *Deeſt.* Exc.

7. Sacerdotes, vel [a] quique illi ſunt, quibus Eccleſiaſticarum rerum cura commiſſa eſt, quæcumque adminiſtrationis ſuæ tempore emerint, ſi de rebus propriis, vel vile, vel charum habuerint, ad Eccleſiæ nomen, cui præſunt, chartarum conficere inſtrumenta procurent. Non enim convenit, ut Eccleſia [b] quæ ſuſcepit externum, efficiat in alieno divitem, & in ſuo retineat fraudatorem. Hi verò qui ſuarum rerum noſcuntur habere compendium, ex omni re, quam poſt ordinationis ſuæ diem viſi ſunt [c] conquiſiſſe, ſive nulla, ſive aliqua ſint inſtrumenta confecta, [d] compenſata, tam juris ſui, quàm Eccleſiaſticarum rerum [e] ambitione; ſi ſe utriuſque rei quantitas exæquaverit, inter Eccleſiam & decedentis hæredes æquo jure conquiſitio pertinebit. Si autem quælibet pars majori cumulo ſui juris excreverit, etiam [f] portionem in diviſione percipiet. Quicumque verò de prædictis ſacerdotibus vel miniſtris pro ſui utilitate atque amicitia, * vel præſtatione *, aut quocumque modo, aut per Scripturæ [g] ſeriem, meruerint à quolibet * collata * percipere, in rebus Eccleſiaſticis non [h] poterunt numerare: ſed quod ex inde voluerint facere, ipſorum voluntatis arbitrio ſubjacebit. Quòd ſi hoc poſt eorum mortem inordinatum fortaſſe remanſerit, Eccleſia hoc ſibi, cui præfuit, vel miniſter [i] exſtitit, in perpetuo vindicabit.

a Quicumque. Exc.
12. q. 4. Sacerdotes. Ivo p. 3. cap. 167.
b Quem. C. A.
c Acquiſitic. Exc.
d Compenſatione.
e Habitudine. Exc. Habitione. C. A. Habita. *Grat.*
f Majorem etiam port. Exc.
12. q. 4. Quicumque de ſacerdotibus.
* Deſunt. *Grat.*
g Ser. aliquid mer. Exc.
* *Deeſt Grat. & Exc.*
h Poterit. *Grat.*
i Exſtitent in perpetuum. *Exc.*

V. *Si Epiſcopus monaſterium faciat, vel parochianam Eccleſiam ditet, quantam partem de rebus Eccleſiæ conferat.*

8. Bonæ rei dare [k] conſultum, & præſentis habetur vitæ ſubſidium, & æternæ remunerationis exſpectari cernitur præmium. Quiſquis itaque Epiſcoporum in parochia ſua monaſterium conſtruere fortè voluerit, & hoc ex rebus Eccleſiæ, cui præſidet, [l] ditare decreverit; non ampliùs ibidem, quàm [m] quinquageſimam partem dare debebit; ut hac temperamenti æquitate ſervata, & cui tribuit competens ſubſidium conferat, & cui tollit, damna gravia non infligat [n]. Eccleſia verò, quæ monaſticis non informabitur regulis, aut quam [o] pro ſuis munificare voluerit ſepulturis, non ampliùs quàm centeſimam partem censûs Eccleſiæ, cui præſidet, ibidem conferre licebit: eâ tamen cautelâ ſervatâ, ut [p] tantummodo quæ placuerit ex his duabus, [q] remunerandam aſſumat.

VI. *Ut Epiſcopus tertiam Eccleſiaſticarum rerum ſibi debitam, cui elegerit, conferat.*

9. Cùm præteritis ſanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur; opportunè duximus decernendum, ut ſi Epiſcopus [r] tertiam, quam de rebus eiſdem ſanctione paterna ſibi debitam novit, aut ipſi Eccleſiæ, cujus res eſſe pateſcit, aut alteri Eccleſiæ, cui elegerit, conferre decreverit; & [s] licitum maneat, & irrevocabile robur ejus ſententia ferat.

12. q. 2. *Bonæ rei. Ivo p. 3. cap. 172.*
k Conſilium. *alids in Grat.*
l Ditaverit. *Ivo.*
m Quadrageſimam. *Ivo & Exc. Grat.* Quinquag.
n Ad Eccleſiam verò. *Exc. Ivo.*
o Suis magnificare vel ſcripturis. *Ivo, ſic & Grat.* niſi quod ſepulturis, *ut hic.*
p Ut unam tantummodo. *Ivo & Grat.*
q Remunerationem. *Ivo & Grat.*
12. q. 3. *Epiſcopus ſi partem. Ivo p. 3. cap. 171.*
r *De hoc ſuprà ſuſè diximus.*
s Licita maneant. *Exc.*

VII. *Ne extra conſtitutum ordinem, morientis ſacerdotis hæredes rem ejus adire præſumant.*

10. Propinqui morientis Epiſcopi nihil de rebus ejus abſque Metropolitani cognitione uſurpare præſumant. Quòd ſi is qui receſſerit, Metropolitanus fuerit, [t] hæredes ejus, aut ſucceſſorem illius, aut Concilium [u] ſuſtinebunt, ne paſſim hæreditatis adeundæ data licentia, de rebus Eccleſiæ aut non [x] reddatur ratio plena, aut fraus [*] non [*] inveniatur illata. Quòd ſi presbyter, aut diaconus fuerit, quos obiiſſe conſtiterit, non ſine cognitione ſui Epiſcopi rem ejus hæredibus adire licebit. Quiſquis ſanè poſt hæc tranſgreſſor inventus exſtiterit, pro his, quæ non expectato [*] hoc [*] ordine adierit, invaſionis damno legis ſententiæ ſubjacebit.

t Hæres. *C. A.*
u Suſtinebit. *C. A.*
x Retineatur. *Exc.*
* *Deeſt. C. A.*
* *Deeſt. Exc.*
16. q. 3. *Si ſacerdotes.*

VIII. *Ut ſcriptura, quas ſacerdotes, vel miniſtri injuſtè fecerint, poſt mortem eorum habeant annorum numerum computatum.*

11. Si ſacerdotes vel miniſtri dum gubernacula Eccleſiarum adminiſtrare videantur, contra Patrum ſanctiſſimas ſanctiones de rebus Eccleſiæ definiſſe aliqua [a] dignoſcantur, non ex die, quo talia ſcribendo [b] decrevit; ſed ex quo talia moriendo definita [c] reliquit, ſupputationis ordo ſubſtabit. [d] Nuſquam etenim poterit ad [*] tricennium temporis pertinere vita irritè judicantis: quia ſtatus contractuum initia non [e] aſſumpſit ab origine æquitatis.

a Dignoſcuntur. *Exc.*
b Decreverunt. *Grat.*
c Reliquerunt. *Grat.*
d Huſque enim ad triennium temporis pertinebit iſtud hoc judicantis. *Exc.*
e Sumpſit. *Grat. videtur. Cod. Gregoriani.*
* *De triennali poſſeſſione in rebus Eccleſiæ vide Concil. Chalced. Can. XVII. & Tolet. 4. cap. 34. & Epiſtolam Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Siciliæ.*

IX. *Quantum commodum ſibi Epiſcopus tollat ab Eccleſia, cujus tumulaverit ſacerdotem.*

12. Plerique dum rapinis inhiant, ut non debent, aut miſerationis opus condignè non implent, aut indebita ipſi miſerationi damna permiſcent. Ideoque ne ampliùs miſericordiæ opus exſecrabile dilabatur in ſcelus, id communi decreto ſancimus, ut cùm Pontificem mori contigerit, Epiſcopus, qui ad humandum corpus ejus advenerit, deſcriptis theſauris, [f] atque domorum internis, ſi locuples decedentis Eccleſia fuerit, non ampliùs quàm [*] libram auri, in rebus quibus ei placuerit, exceptis ornamentis Eccleſiæ, cum gratia offerentium, auferre pertentet. Si verò minor [*] rebus [*] exſtiterit, dimidiam libram ſibi licenter uſurpet: nam & hæc ipſa uſurpare ratio nulla permitteret; niſi ejus, qui convenit, ſacerdotis injuriæ contemplatione, antiquitas hoc [g] uſitata ſervâſſet. Porrò [h] brevem deſcriptarum rerum ſub fideli ratione, idem qui deſcripſit, dirigere Metropolitano curabit. Metropolitanus ex eadem morientis Eccleſia nihil prorſus auferre præſumat; ſed [i] ſolùm, quæ ad eum [k] pertinet, ſalvationis curam impendat.

Exſtat de hac ipſa re decretum Concilii Vaſenſis cap. 2. & habetur apud Grat. 12. q. 2. ad recipiendum.
f Atque ornamenti, *omnibus.* Exc.
* *Centum drachmas auri valet, quæ faciunt decem aureos coronatos, ex Budæo.*
* *Deeſt.* Exc.
g Vſurpata. *Exc.*
h Breve. *Exc.*
i Solam. *Exc.*
k Pert. curam ſalvtarem impen. *Exc.*

X. *De damnatione filiorum, qui ex ſacerdotibus & miniſtris geniti comprobantur.*

13. Cùm multæ ſuper incontinentiam ordinis clericorum uſque hactenus emanaverint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum [l] formari quiverit correctio morum; uſque adeò ſentententiam judicantium protraxere commiſſa culparum, ut non tantùm [m] ferretur ultio in [n] auctoribus ſcelerum, verùm & in [o] progenie damnatorum. Ideoque quilibet, ab Epiſcopo uſque ad ſubdiaconum, deinceps, vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti filios procreaverint; illi quidem ex qui-

15. q. 8. *cùm multæ. Ivo p. 6. cap. 415.*
l Reformari. *Exc.* firmari. *Grat. & Ivo.*
m Feriretur. *Ivo* inferretur. *Grat.*
n Auctores. *Exc.*
o Progeniem. *Exc.*

p aliena pollutione nota. *Grat.* Hac pollutione. *Ivo.* q Accipiet. C. *A.* r Ignominio. C. *A.*

quibus geniti probabuntur, canonicâ cenſurâ damnentur; proles autem p tali nata pollutione, non ſolùm parentum hæreditatem nuſquam [q] accipiat, ſed etiam in ſervitutem ejus Eccleſiæ, de cujus ſacerdotis vel miniſtri [r] ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.

XI. *Quòd ſervilibus clericis dare debeant Epiſcopi libertatem.*

Diſt. 53. *cap.* Qui ex familiis.

14. Qui ex familiis Eccleſiæ ſervituti devocantur, in clerum ab Epiſcopis ſuis libertatis neceſſe eſt percipiant donum: & ſi honeſtæ vitæ claruerint meritis, tuncdemum majoribus fungantur officiis: quos verò flagitii ſordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua ſervitus conditionis releget in catenam.

XII. *Quòd poſt mortem ſacerdotis, in libertate ſervis collata annorum tempus debeat computari.*

s Confecit. C. *A.*

15. Si ſacerdos libertatem ſervis Eccleſiæ conſerre voluerit, non à die confectionis ſuæ ſcripturæ tempus annorum computatum tenebit, ſed ex quo eum qui ſcripturam [s] conficit, veriùs obiiſſe conſtiterit.

XIII. *Ut ex libertis Eccleſiæ, & ex perſonis ingenuis geniti, ab obſequiis Eccleſiæ non recedant.*

t Patronam. C. *A.*

u Ideo. Exc.

Sic in foro Jud. lib. 3. tit. 2. De nuptiis illicitis.

* *Deeſt.* Exc.

x Connubii, aut Romanis ingenuis copulentur, aut Gotthis. Quòd ſi. *Exc.*

y Debitæ. *Exc.*

16. Exceſſibus libertorum Eccleſiæ plerumque [t] patrocinandi videmus Eccleſiam convexari, & bicipiti coacti ſumus tædio condolere: uno, dum per ſuperbiam reluctantis auctor contemnitur: altero, dum libertas ſuperbientis in conditionem relabi cogitur ſervitutis. [u] Adeò cùm jam, præteritis Patrum regulis multæ ſuper hoc diverſæ conſtitutionis emanaverint ſanctiones; tamen quoddam ad plenitudinem rei aptum conſpeximus adhuc innectere complementum. Igitur, ſicut legum reverenda ſanctio cenſuit, ita ſervare totius generis nobilitas debet, ut in nullo aliena commiſtio maculet, quod * per totum * generoſitas propria decoravit. Unde cunctis Eccleſiarum libertis, tam viris quàm fœminis, eorumque propagini, interdicitur judicio generali, ne deinceps cauſſâ [x] conjunctionis quibuslibet copulentur perſonis ingenuis. Quòd ſi hoc factum quandoque patuerit, permiſtione tali genita proles nunquam merebitur jus [y] indebitæ dignitatis, nec Eccleſiæ umquam carebit obſequiis, cujus beneficio donum meruiſſe noſcitur libertatis.

XIV. *Quòd ſi liberti Eccleſiæ ad eam reverti non velint, omnis eorum reſcula juri applicetur Eccleſiæ.*

z Perſon. aut Gotthis, aut Romanis. *Exc.*

17. Si contingat quemcumque de libertis Eccleſiæ, eorumque proſapiæ, contra primævas modernaſque Patrum regulas quibuslibet [z] perſonis ingenuis copulari; tam illis, quàm eorum ſtirpi, non licebit ab Eccleſiæ patrocinio evagari; ſed aut ad debita obſequia reverti cogendi ſunt, aut ſi redire noluerint, quæcumque vel parentes eorum, vel ipſi ab Eccleſia ſunt adepti, vel in ejus patrocinio viſi ſunt conquiſiſſe, inſiſtente Pontifice, in ditionem propriæ reducantur Eccleſiæ.

XV. *De obſequio & diſciplina libertorum Eccleſiæ.*

a Obſequio. *Exc.* b Dabant. *Exc.*

18. Eccleſiæ liberti, eorumque progenies, eidem Baſilicæ, de qua libertatis gratiam meruerunt, obſequia prompta ſinceraque parabunt. Qui ſicut hoc in [a] obſequium pro poſſibilitate ſui, quod utiles ingenui [b] dabunt, ita quoque in emendatione culparum, quod inutiles ingenui ſuſtinebunt.

Ivo p. 16. *cap.* 67.

XVI. *Quòd libertis Eccleſiæ nihil de rebus ſuis in alienum liceat transferre dominium.*

c Progeniei. C. *A.* d Quacumque. *Ivo.*

19. Libertis Eccleſiæ, eorumque [c] progeniei ex omnibus rebus, quæ de juræ Eccleſiæ noſcuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium tranſactione [d] quarumcumque deducere: ſed ſi ex his quælibet vendere fortaſſe voluerint; ſacerdoti ejuſdem Eccleſiæ offerant convenienter emenda, earumque pretia, ut eis placuerit, aut diſpenſent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei ſuæ cenſum nullo modo tranſire permittimus. Suis autem filiis, vel propinquis, eidem Eccleſiæ, vel ſervitio, vel patrocinio ſubjugatis, quæcumque vendere vel donare voluerint, aditus omnino patebit.

XVII. *Ut baptizati Judæi cum Epiſcopis celebrent dies feſtos.*

In foro Judic. lib. 12. *tit.* 3. *l.* 21. *idem præcipitur.*

20. Baptizati Judæi quocumque loco cætero tempore converſentur, feſtis tamen præcipuis Novi Teſtamenti ſerie conſecratis, ac diebus illis, qui olim ſanctione veteris legis ſibimet cenſebantur eſſe ſolennes, in civitatibus publiciſque conventibus cum ſummis Dei ſacerdotibus celebrare præcipimus; ut eorum converſationem ac Fidem, & Pontifex approbet, & veritas ſervet. Hujus verò temerator edicti, prout ætas permiſerit, aut flagris, aut abſtinentiæ ſubjacebit.

21. Exple-

21. Expletis omnibus quæ ad honeſtatis regulam in collationem venêre fraternam, grates exſolvimus immortali Domino ſoli, cujus diſpoſitione mirabili ad hunc ſanctæ Congregationis cœtum meruimus adunari; ut & communis viſio proſperitatem noſtram oſtenderet, & par definitio concordiam aſſignaret: obſecrantes ejus miſericordiam largam, ut ſereniſſimo domino, & amabili Chriſto Receſvintho Principi glorioſo, ita præſentis vitæ felicitatem impendat, ut angelicæ beatitudinis gloriam poſt tempora longæva concedat; atque ita nos ejuſdem felicitate lætos ſemper efficiat, ut in terra viventium [e] remuneraturus attollat. Antiquitatis dehinc ordinem ſaluberrimè retinentes, poſtquam rationem feſti Paſchalis fraternitas veſtra cognovit, noverit ſe anno venturo, die Kalendarum Novembrium, cauſâ peragendi Concilii, in hac urbe, favente Domino, congregari; ut ſimili diſceptatu, aut quæ proſpexerimus congrua decernamus, aut ſolius pacis conventu lætemur. Conſummatumque ex hoc ſanctum Concilium die [f] quarto Kalendarum Decembrium, anno feliciter ſeptimo regni ſereniſſimi atque clementiſſimi domini noſtri Receſvinthi Regis, Erâ DCXCIII.

e Remunerandos. Exc.

f Octavo. C. A.

INTERFUERUNT HUIC SANCTO CONCILIO PONTIFICES NUMERO SEXDECIM.

1. Eugenius regiæ urbis Metropolitanus Epiſcopus.
2. [g] Tajo Cæſarauguſtanus Epiſcopus.
3. Marcus Caſtellonenſis Epiſcopus.
4. Ubinibal Elicitanus Epiſcopus.
5. Videricus Seguntinus Epiſcopus.
6. Mauricius Oretanus Epiſcopus.
7. Davila Complutenſis Epiſcopus.
8. Felix Valentinus Epiſcopus.
9. Balduigius Arcavicenſis Epiſcopus.
10. Maurellus Urgelitanus Epiſcopus.
11. Euſicius Segobrienſis Epiſcopus.
12. Athanaſius Setabitanus Epiſcopus.
13. Giberius Bigaſtrenſis Epiſcopus.
14. Ubaldefredus Menteſanus Epiſcopus.
15. Magnarius Accitanus Epiſcopus.
16. Stephanus Valerienſis Epiſcopus.

g Tago, Talo' *ſupra*.

ITEM ABBATES.

1. Fugitivus Abbas.
2. Ildephonſus Abbas.
3. Eumerius Abbas.
4. Morarius Abbas.
5. Joannes Abbas.
6. Item Joannes Abbas.
7. Marcellinus Archipresbyter Toletanus.
8. Silicolus Primicerius.

ITEM VICARII EPISCOPORUM.

1. Daniel diaconus Marcelli Epiſcopi Eccleſiæ Urcitanæ.

ITEM EX VIRIS ILLUSTRIBUS OFFICII PALATINI.

1. Paulus Comes Notariorum.
2. Emeterius Comes Cubiculariorum.
3. Ella Comes & Dux.
4. Recilla Comes Patrimoniorum.

NOTÆ VARIORUM.

22. SECUNDUM ex Conciliis habitis tempore Flavii Receſvinthi Hiſpaniæ Regis, fuit hoc Toletanum Nonum, idque Provinciale: cùm ſolùm illud celebraverint S. Eugenius III. Metropolita Toletanus, & quindecim Epiſcopi, ſex Abbates (inter quos admirandus ille S. Ildephonſus) Marcellinus Archipresbyter Toletanus, & Silicolus Primicerius: Daniel diaconus vicarius Marcelli Epiſcopi Urcitani, & nonnulli viri illuſtres, ſeu Pala-

Palatini. Rex non adſuit ibidem, ut in aliis Conciliis ſui temporis: fortaſſe quoniam non fuit æqualis cauſſa aut neceſſitas interveniendi. Card. de Aguirre.

23. Subſcribunt in nono Concilio Toletano eodem ordine ſicut in octavo, Epiſcopi, Abbates, Vicarii Epiſcoporũ, & viri illuſtres ex officio Palatino. Ferè omnes Epiſcopi qui in nono ſubſcribunt, ſubſcripſerant in octavo, ut Athanaſius Setabitanus, Davila Complutenſis, Felix Valentinus, Giberius Bigaſtrenſis, Marcus Caſtellonenſis; in ſeptimo & octavo Mauricius Oretanus, Maurellus Urgellitanus, Marcellus Urcitanus per procuratorem: ſicut in octavo Tajo Cæſarauguſtanus, Ubinibal Elicitanus; in ſeptimo & octavo Widericus Seguntinus, Balduigius Arcavicenſis. Subſcribit etiam Euſicius Segobrienſis, qui ſucceſſit Floridio, in octavo, Magnarius Accitanus, qui ſucceſſit Joliano, in octavo. Stephanus Valerienſis, qui ſucceſſit Tagontio, in octavo. Waldefredus Menteſanus, qui ſucceſſit Froïlæ, in octavo. Omnes hi Abbates ſubſcribunt in octavo, præterquam Joannes. Similiter omnes viri illuſtres ex officio Palatino. De Archipresbytero & Primicerio ſuprà fusè diximus. Loaisa.

24. *Anno ſeptimo D. Receſvinthi Principis, Erâ DCXCIII.*] Nimirum anno Chriſti DCLV. Concilium enim iſtud fuit habitum biennio poſt Toletanum VIII. quod ſuprà vidimus coactum fuiſſe anno quinto regnantis Receſvinthi, Chriſti verò DCLIII. Unde ſupereſt ut iſtud IX. fuerit celebratum anno DCLV. non verò DCLIV, ut Vaſæus vult, nec DCLVII. ut Morales cenſet.

25. Ad Præfationem. *Antiquis jungerentur regulis*, &c.] Hinc confirmatur quod ſæpè obſervavimus in Notis ad multa ex Conciliis Hiſpaniæ, in iis legi ſolitum initio codicem Canonum voce diaconi albâ induti: ut Patres congregati manuducerentur aut dirigerentur lectione illius ad edendum decreta ſalutaria & juri conformia. Porrò decurſu temporis fiebant additiones eidem codici, quoties novi Canones prodibant. Quare in hac Præfatione ſtatuitur, *ut capitula, quæ in priſcis Canonibus minimè habebantur inſerta, pari promulgarentur ſententia, & antiquis jungerentur regulis perenni jugitate manſura.* Vide præſertim ſuprà Concilium Bracarenſe I. verbis illis: *Audiant ſanctorum Canonum regulam*, &c. ac Toletanum IV. initio, ubi dicitur: *Diaconus albâ indutus, codicem Canonum in medio proferens* &c. Card. de Aguirre.

26. Ad Cap. IV. *Eccleſia hoc ſibi, cui præfuit vel miniſter exſtitit, in perpetuo vindicabit.*] Hinc liquet jam iiſdem legibus innodari cœpiſſe Beneficiarios omnes, quibus antiqui Canones ſolos videbantur Epiſcopos vincire. Ita quippe conſentaneum erat, cùm jam pleriſque Beneficiariis, præter diſtributiones, aſſignaretur etiam aliquid prædiorum; quæ cùm alimentis pauperum ipſa ſui ab origine dicata ſint, neceſſe omnino erat proventus eorum omnes in pauperes erogari. *Sacerdotes, vel quicumque illi ſunt, quibus Eccleſiaſticarum rerum cura commiſſa eſt* &c. *Quicumque de prædictis ſacerdotibus vel miniſtris*, &c. *Eccleſia cui præfuit vel miniſter exſtitit* &c. Videntur his quidem verbis ſoli demonſtrari Epiſcopi, presbyteriq́ue, & eorum miniſtri, hoc eſt diaconi; ſed nimirum illis ſolis fundi Eccleſiæ aliqui commendantur. Thomassinus *De Benef.* Tom. III. lib. 2. cap. 42. num. 7.

27. Ad Cap. VIII. *Ad tricennium.*] De tricennali poſſeſſione in rebus Eccleſiæ, vide Concil. Chalcedonenſe cap. 17. & Tolet. IV. cap. 34. & Epiſtolam Gelaſii PP. ad Epiſc. Siciliæ cap. 2.

28. Ad Cap. X. *Proles autem.*] Concilium Lateranenſe II. cap. 31. ita de hac re ſancit: *Firmiter prohibemus, ne canonicorum filii, maximè ſpurii, canonici fiant in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres: & ſi fuerit contrà præſumptum, decernimus non valere. Qui verò ut dictum eſt canonicare præſumpſerit, à ſuis beneficiis ſuſpendatur.* Idem Alexander III. par. 19. cap. 1. 3. & 4. & ſequentibus: & Concil. Trident. ſeſſ. 25. Can. XV. Quinimmo ad ordines non debent admitti, etiam ſi probatæ vitæ fuerint, niſi in monaſterio vel regulari vita degentes. Alexander PP. III. par. 19. cap. 2. Concubinæ verò clericorum, ſeu mulieres illæ, quæ contra Eccleſiæ leges clericis cohabitabant, unde infamiæ nota illis inureretur, ab Epiſcopis olim venundabantur in ſervas, pretium verò pauperibus erogabatur, ut conſtat ex Concil. III. Tolet. cap. 5. & Concil. Tolet. IV. cap. 42. Concil. Tolet. VIII. cap. 5. & aliis multis locis. A Reccaredo verò Rege lib. 3. tit. 4. leg. 18. *Fori judicum* ſancitur, ut hujuſmodi mulieres centenis flagellis verberarentur. De illegitimis multa decrevit hoc tempore Xyſtus V. ſanctiſſimus Pontifex, ad optimum regimen Eccleſiæ ſtabiliendum. Apud Gratianum, tota quinquageſima ſexta diſtinctione de hac re agitur. Verùm de ſacerdotibus quid tradat Philo Judæus in Decalogo, perpendendum duxi. *In ſacerdote* (inquit) *& hominum genus examinatur, ut ſit inculpabile, & competens, partibus ſui corporis uſquequaque integrum.* Quod licèt loquatur de ſacerdote veteris legis, qui ex decreto Domini debebat eſſe juſtis natalibus ortus, & integer corpore; verùm id etiam ſervatur in nova, ubi ad altius & præſtantius ſumus vocati ſacrificium & cultum. Loaisa.

29. Non ſunt omnino reticenda inſignia merita Eugenii III. Toletani Præſulis, qui huic Concilio præfuit, nec Receſvinthi Hiſpaniæ Regis, cujus tempore celebratum eſt. De utroque accipe quæ ex monumentis antiquis, ac probatis hiſtoricis in ſynopſin ferè collegit Joannes Mariana libro ſexto *De rebus Hiſpaniæ*, cap. nono, hiſce verbis: *Eccleſiam Toletanam per hæc tempora Eugenius eo nomine tertius obtinebat, alterius Eugenii ſucceſſor, Helladii diſcipulus. Ex Helladii enim ſchola tum hic, tum tres alii, qui proximè præceſſerant, Toletani Præſules prodierunt. Is otii literarii cupiditate, antea relictâ Toletanâ Eccleſiâ, ubi honeſtum locum inter eius templi ſacerdotes obtinebat, Cæſarauguſtæ ad D. Engratiæ cucullum induit, monaſtica vita inſigne. Inde à Rege Chindaſvintho per vim ad Eccleſiæ Toletanæ gubernacula*

extra-

extractus eſt. Eccleſiaſtici cantus numeros temporum negligentiâ depravatos, ad meliorem rationem, antiquitatiſque regulam conformavit. Librum De Trinitate compoſuit: Dracontii Operi, in quo heroïco carmine mundi conditionem deſcripſit, Geneſeoſque initium eleganter explanavit, diei ſeptima explicationem, quæ deſiderabatur, adjecit. His ex verſibus, aliiſque epigrammatis, quæ ad noſtram ætatem conſervata ſunt, non inelegantis fuiſſe ingenii, neque prorſus ineruditi, intelligitur. In iis epigrammatis Chindaſvinthi & Ricibergæ, quorum beneficio auctus erat, epitaphia exſtant, craſſum aliquid ſonantia, magis ætatis vitio, quàm auctoris culpâ. Sunt qui Eugenium Illephonſi avunculum fuiſſe affirment: cui opinioni Illephonſi ipſius ſcripta & Juliani reſiſtunt, in quibus de re tanta mirum ſilentium eſt: nam cælitum numero adſcriptum fuiſſe, tametſi Eccleſiæ Toletanæ faſti ſileant, nonnulla Martyrologia Novembris Idibus Eugenii nomine adſcripto, ei opinioni ſuffragantur. Illud conſtat, Eugenio Pontifice Receſvinthi Regis operâ Toleti Epiſcoporum conventum ex tota ditione habitum. Flagrabat enim Rex Catholicæ religionis amplificandæ ſtudio, divinos libros tum ipſe evolvere ſolitus, tum diſputationibus de rebus ſacris libenter intereſſe: aurum, gemmas, veſtemque pretioſam multam templis donare, divino cultu illuſtrando non deſiſtebat. Nimirum, ut ita faceret, domeſtica paullò antè defuncti patris excitabant. Hæc inibi eleganter ſcripta. CARD. DE AGUIRRE.

CONCILIUM TOLETANUM X.

XX. EPISCOPORUM.

Anno octavo RECCESVINTHI Regis, Era DCXCIV. celebratum ſub Vitaliano Papa,

Ideſt anno CHRISTI DCLVI.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De celebritate feſtivitatis * dominicæ matris.*
II. *De non violandis religioſorum juramentis in ſalutem regiam datis.*
III. *De non permittendo laïcis imperare religioſis.*
IV. *De profeſſione & veſte religioſarum viduarum.*
V. *De remotis excuſationibus viduarum transgreſſionem religionis ſequentium.*
VI. *De his qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerint.*
VII. *Ut nullus Chriſtianum Judæis vendat.*

* Annunciationis Dominicæ.

PRÆFATIO.

In nomine Domini habita Synodus X. in Toletana urbe, die Kalendarum Decembrium, anno octavo glorioſiſſimi Domini & religioſiſſimi Receſvinthi Principis, Erâ DCXCIV.

1. GRATULATIONEM nobis ſpiritualem divina contulit gratia, quando tribuit uti * nobis & ſalutaris diſciplinæ * frequentiâ, & convenire ad pacificorum votorum ſtudia præoptata. Congregatis ergo nobis & in concordia animi, & in conventu loci, referentes gratias inviſibili Deo, & glorioſo rerum domino Receſvintho Regi, cujus ſacratiſſimo voto, retenta paternitatis ſancta traditione, ad ſacrum quivimus adunari conventum, has ſubter annexas regulas concordi definitione prolatas, æterna ſtatuimus manere lege præfixas.

* Inter nos.
* Frequentiam.

CAPITULA.

I.

2. Cùm nihil Fidei ſinceritas per diverſitatem adverſum incurrat, & unitatem Catholicæ regulæ varietas nulla diſcerpat, eſt tamen quod niſi temporum unitate ſervetur, & diſcidium indiſciſſæ unita-

ti parturiat, & ſacramentorum unitate conſtare non valeat. Hinc eſt, quòd Paſchale feſtum, niſi uno die celebremus & tempore, in Judaïcum decidamus errorem. Hinc Adventum ſancti Spiritus poſt Reſurrectionem Dei niſi exſpectemus tempore definito dierum, ſimul & numero, non poſſumus impleri ejuſdem Spiritûs dono. Quoniam ſi caret plenitudinis numero, carere poteſt & myſterii ſacramento.

** Speciale Dei momentum.*

3. Hinc Nativitatis Dominicæ ſacrum, quo evidenter de utero virginali Verbum prodiit caro factum, abſque dubio ſervat temporis curſum, & repræſentat * ſpecialis Dei momentum. Si ergo nativitatis & mortis incarnati hujus Verbi dies abſque immutatione ita certus habetur, ut abſque diverſitate in Orbe toto terrarum ab omni concorditer Eccleſia celebretur; cur non feſtivitas glorioſæ matris ejus eâdem obſervantiâ, uno ſimul ubique die, ſimilique habeatur honore?

** Quò enim tranſducet homines diverſitas temporum, dum varietatem celebritatis habere probantur.*

4. Invenitur etenim in multis Hiſpaniæ partibus hujus ſanctæ Virginis feſtum non uno die per omnes annorum circulos agi. * Quoniam tranſducti homines diverſitate temporum, dum varietatem ſequuntur, unitatem celebritatis non habere probantur. Qua de re, quoniam die qua invenitur angelus Virgini Verbi conceptum & nunciâſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem feſtivitas non poteſt celebrari condignè, cùm interdum Quadrageſimæ dies, vel Paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolennitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari; cùm etiam & ipſam Incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat id ipſum Verbum poſt mortem carnis gloriâ reſurrectionis attolli; ideo ſpeciali conſtitutione ſancitur, ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus, genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus & præclarus.

** Quid.*
** Nativitatis.*

5. Ex pari enim honore conſtat, ut ſicut nativitatem filii ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtivitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolennitas. Nam * quod feſtum eſt matris, niſi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet eſſe ſolenne, ſicut eſt & ejuſdem * Nativitas Verbi. Quod tamen nec ſine exemplo decedentis moris, qui per diverſas mundi partes dignoſcitur obſervari, videtur inſtitui. In multis namque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Proinde ut de cætero quicquid eſt dubium ſit remotum, ſolennitas Dominicæ matris die decimo quinto Kalendarum Januariarum omnimodo celebretur, & nativitas filii ejus Salvatoris noſtri die octavo Kalendarum earundem, ſicut mos eſt, ſolennis in omnibus habeatur.

II.

Concil. Tolet. IV. cap. 73.

6. Frequentium moleſtiarum nocens impulſus contemni quidem magnitudine decentis poterat gravitatis: ſed quia levitas labens facilè ad præcipitia vana corda reclinat, bene honeſta ſolicitudo cohibere properat, quod frequentata uſitatio vitare non curat. Ideo cùm & quorundam paternorum ſanctionibus decretorum, & inſtitutionibus ſit legalibus cautum, ne contra ſalutem Principum gentiſque aut patriæ, quiſquam meditari conetur adverſum; hoc unum ſpecialiter nunc depromitur obſervandum, ut ſi quis religioſorum, ab Epiſcopo uſque ad * extremi ordinis clericum, ſive * monachum, generalia juramenta in ſalutem regiam, gentiſque aut patriæ data, reperiatur violâſſe voluntate profana; mox propria dignitate privatus, & loco & honore habeatur excluſus, & miſerationis obtentu tantummodo reſervato, ut an locum, an honorem, an utraque poſſideat, concedendi jus licentiamque poteſtas principalis obtineat.

** Extremum ordinis clericorum.*
** Monachorum.*
Decret. Ivonis p. 12. cap. 58. Ita habetur: Igitur ſi clerici aut monachi inventi fuerint conjurati aut per conjurationē calumniam machinantes Epiſcopis, vel clericis, proprium amittant gradum. Sic ane 11. quæſt. 1.

III.

** Auditu percipiatur.*
** Adeò.*
** Cogitur.*
** Exſtirpari.*
1. Petri 5.
Diſt. 89. cap. Decenter omnibus placet.
** Ad ſuum nefandæ præſumptionis excidium, & quod.*

7. Reverentiæ totius * auditum, quia res * adiit dura, non fruſtra * cogimur hanc duriori * exſtirpare cenſura. Agnovimus enim quoſdam Pontifices præcepti principis Apoſtolorum qui ait: *Paſcite qui in vobis eſt gregem, non coactè, ſed ſpontaneè, nec dominantes in clero, ſed formâ facti gregis*, ita eſſe immemores, ut quibuſdam monaſteriis, parochialibuſque Eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes, iniquum ſæpè ſtatuant in Prælatum; ita illis providentes commoda inhoneſta, ut eiſdem deferantur, aut quæ proprio Epiſcopo dare juſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proinde decenter omnibus placet, & in præſenti tale reſcindere factum, & non eſſe de cætero faciendum. Nam quiſquis Pontificum deinceps, aut ſanguine propinquis, aut favore ſibi perſonis quibuſcumque devinctis, talia commodare lucra tentaverit * auſu nefandæ præſumptionis; & quod viſum fuerit devocetur in irritum, & qui ordinârit, annuæ excommunicationis ferat excidium.

IV.

** Falli.*
** Notam.*
** Hujus.*
** Sed.*
** Specierum.*
** Sui ſexûs.*

8. Bene per Spiritum Dei poſſumus cum S. Apoſtolo dicere, non ignorare nos aſtutias Satanæ: quia impellimur zeli domûs Dei ardore cremari. Videmus enim ad tanta fraudium ſtudia convaleſcentem excreviſſe perniciem, ut primæva Patrū conſtitutio à quibuſdam æſtimetur illudi, & nova judicum putetur intentio * falli. Nam inveniuntur nonnullæ viduæ diverſis excuſationibus ſe adeò contegentes, ut blandiantur ſibi, non ſe Patrum plena religionis alligatas inſtitutione teneri. Unde antiquis inconcuſsè permanentibus regulis, hoc adjicitur novæ oraculo ſanctionis, ut vidua, quæ ſāctæ religionis obtinere propoſitū voluerit, ſacerdoti, vel miniſtro, ad quem aut ipſa venerit, aut quem ad ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem ſuam faciat, à ſe aut ſigno aut ſubſcriptione * notatam, continentem ſe, & religionis propoſitum velle, & hoc perenniter inviolatè ſervare. Ac tunc accepta à ſacerdote vel miniſtro aptâ Religionis * uſui veſte ſeu lectulo, quieſcens, ſive quocumque loco conſiſtens, incunctanter utatur: nec diverſi coloris, aut diverſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, * niſi religioſa, & non ſuſpecta, quæ careat & varietatibus colorum, & diverſitatibus * partium: adeò ut abſque ulla ſuſpicione tranſgreſſionis maneat uſui tantùm apta ſanctæ religionis, & * uſui ſexûs competens, ad teſtimonium probitatis. Ut autem

dein-

deinceps nihil devocetur in dubium, pallio purpurei vel nigri coluris caput contegat ab initio ſuſceptæ religionis; ut dum illic intulerit ſignum probabilis ſanctitatis, ubi nullius falli poterit viſu intuentis, * nuſquam attentetur auſus deteſtandæ præſumptionis.

* Nuſquam auſus attentet.

V.

9. * Omnes fœminæ, quæ jam in præteritum religionis veſte fuiſſe probantur indotæ, * nihil ad excuſationem valeat oppoſitionum quælibet objectiu, quamvis diverſis, aut callidis adumbrare ſe velint fallaciæ argumentis: ſed ad ſacratiſſimas ſanctiones diſciplina ſanctiur teneat eas religatas atque * ſubnexas *. Commoveantur ſanè ſacerdotis auctoritate, ut ſpontè * ardeant: quæ ſi redire noluerint, impulſu ſacerdotis ad religionis * habitum reducantur, & in monaſteriis reductæ, excommunicationis condignæ ſententiâ feriantur.

27. quæſt. 1. Omnes fœminæ non ad verbum. * Omnibus fœminis. * Nihil excuſationis valeat in oppoſitionum. * Subnixas. * Commoneantur.

10. Hic idem quoque urdo in illatum condemnatione manebit, quæ quamlibet à ſacerdote vel miniſtro ſanctimuniæ veſtem non accepiſſent, ipſæ tamen, aut indutæ ſunt, aut illo indui habitu conſenſerunt, qui religionis eſſe cultus ab intuentibus crederetur, ſicque coram Eccleſia, vel ſacerdote, aut etiam competentibus teſtibus, quandoque indutæ * viſæ certis indiciis aut teſtimoniis approbantur.

* Rodeant. * Cultum. * Veſte.

11. Omnes hæ * tamen, ſeu poſt tranſgreſſum reſumentes iteratam converſionem, ſicut præmiſſum eſt, & pallio capita contegant, & conſcriptam roboratamque faciant profeſſionis ſcripturam, per quam * alterius non ſinantur relabi ad prævaricationis audaciam. Quæ verò ex omnibus his fuerint repertæ animum aut veſtem in tranſgreſſionem dediſſe, & excommunicationis ſententiam ferant, & rurſum mutato habitu, in monaſteriis, donec diem ultimum claudant, ſub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ.

* Tamen ſeu venientes ad primam religionem, ſeu poſt tranſgreſſa reſumentes iterata converſione. * Ulteriùs.

VI.

12. Cùm huc uſque diſſolutæ operationis effectus interdum nutare fecerit honeſtæ conſtitutionis edictum, dum * incondite reſolvi putatur quod * indiſſolubile ſanctionis auctoritate tenetur; ideo quicquid obvium ex incerto * incurrit, evidenter abjici debet, ut de cætero nihil ſuperſit quod in dubium notetur. Ideoque ſi in qualibet minori ætate, vel religionis tonſuram, vel religiuni debitam veſtem, in utroque ſexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, * certè aut nolentibus aut neſcientibus ſe, ſuſceptam non mox viſam in filiis abdicaverint, ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in Conventu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reverti habitum ipſis filiis quandoque penitùs non licebit: ſed convicti quòd tonſuram aut religiuſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, & ſub * æterna diſtrictione hujuſcemodi obſervantiæ inſervire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos religiuni contradere, non ampliùs quàm uſque ad * decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe. Poſtea verò, an cum voluntate parentum, an ſuæ devotionis ſit ſolitarium votum, erit filiis licitum religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione, detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem; & excommunicationis cenſuram accipiat, & religioni ſemper inhæreat.

Ivo p. 7. cap. 27. Bur. c. lib. 8. cap. 1. * Proponimus ne reſolvi putetur. * Incognitè. * Indiſſolubili. * Occurrit. 22. q. 2. Si in qualibet. * Fortè. * Strenua. * Duodecimum *al.* quatuor decimum.

VII

13. Septimæ collatiunis objectu immane ſatis & infandum operationis ſtudium nunc ſanctum noſtrum adiit Concilium, quòd plerique ex ſacerdotibus & levitis, qui pro ſacris miniſteriis, & pietatis ſtudio, gubernationiſque augmento, ſanctæ Eccleſiæ deputati ſunt officio, malunt imitari turbam malorum, potiùs quàm ſanctorum Patrum inſiſtere mandatis: ut ipſi etiam qui redimere debuerunt, venditiones facere intendant, quos Chriſti ſanguine præſciunt eſſe redemptos; ita dumtaxat, ut eorum dominio quo ſunt empti, in ritu Judaïſmo convertantur oppreſſi: & fit exſecrabile commercium, ubi nitente Deo juſſum eſt ſanctum adeſſe conventum; quia majorum Canones vetuerunt, ut ullos Judæorum conjogia vel ſervitia habere præſumat de Chriſtianorum cœtu, ſed ſacræ Fidei ſibi cohærentia tam conjugia quàm ſervitia, favente Deo unicè adhæreant; dicente Propheta: *Qui habitare facit unanimes in domo.* *Pſal. 67.*

14. Nam verè nec advertunt primùm quid Dominus præceperit per Moyſen dicens: *Si quis furatus fuerit hominem, & vendiderit; convictus, quòd morte moriatur.* Et iterum: *Si fratrem tuum Hebræum redemeris, ſerviet tibi ſeptem annis, & liberum abire permittes.* Quod ſine dubio ab eis præſcimus impleri. Quid enim deterius, quidve in præceps, dum ipſi, quos novimus Dei inſectatores, ita malunt ſibi conceſſa implere præcepta, ut nulla prorſus ratione maneant evitata; quantò magis nos, qui redemptos nos congaudemus pretio ſanguinis ſacri, convenit cuſtodire omnia præcepta? Quid igitur ſacerdos ille, vel levita, ſive etiam omnis athleta Chriſti, ſibi vendicare velit, dum Dominum & Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum non vult imitari; ſecundùm quod ipſe vaticinantibus Prophetis ait: *Vos ſacerdotes & levitæ afferte arcam Domini Dei Iſraël ad locum qui paratus eſt: ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Levate ſacrificium, & venite in conſpectum ejus, & adorate Dominum in decore ſancto.* Et alibi: *Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, Domine, ut ponat thymiama in furore, & holocauſta ſuper altare tuum.* Et illud: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore ejus exquirunt: quia angelus Domini exercituum eſt. Lex veritatis in ore ejus: & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus. In pace dirigens ambulavit: & multos convertit ab iniquitate.* Nec non & David: *Sacerdotes tui, Domine, induantur juſtitiâ, & ſancti tui lætentur. Viduam ejus benedicens benedicâ, & pauperes ejus ſaturabo panibus. Sacerdotes induam ſalutari, & ſancti ejus exultatione exultabunt.* Quod & ipſe Dominus & Salvator Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: *Euntes per univerſum mundum prædicate Evangelium regni: appropinquavit enim regnum cælorum: dæmonia ejicite, claudos curate,*

Exod. 21. Deuter. 15. ſecundùm Septuaginta. *2. Paralip. 15.* *Deut. 33. Malachiæ 2.* *Ibi.* lemma *in vulgat.* eſt: In pace & æquitate ambulavit mecum, & multos &c. *Pſal. 131.* *Matth. 10.*

te,

te, lepro ſos mundate, mortuos ſuſcitate. Et iterum: *Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens, quem con-*
Matth. 24. *ſtituet Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore* (opportuno?) *Beatus ille ſervus,*
quem cùm venerit dominus ejus invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona
ſua conſtituet eum.

Joann. 21. 15. Nam & Petro dixit: *Simon Petre, ſi diligis me, paſce oves meas.* Unde & Apoſtoli in unum
Act. 4. commorantes, poſſeſſiones proprias & ſubſtantias vendebant: & non quidem credentium animas ever-
tebant, ſed magis unicuique, prout opus erat, fidelium dividebant. Quod & beatus admonet Petrus
dicens: *Paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, cuſtodientes, non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum, ne-*
1. Petr. 5. *que turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè: ut cùm Princeps Paſtorum apparuerit, percipiatis immarceſcibi-*
lem gloriæ coronam. Nam & Paullus ita ad Timotheum ait: *Exemplum eſto fidelium in verbo, in con-*
1. Timoth. 4. *verſatione, in Fide, in charitate, in caſtitate, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Quia ſive Judæi*
1. Corinth. 12. *ſive Græci, ſive ſervi ſive liberi, unum ſpiritum in Chriſto potati ſumus, & ſemetipſum pro nobis tradi-*
Jacob. 1. *dit, factus pro nobis maledictus, ut in nobis benedictio Abrahæ fieret.* Jacobus igitur ita loquitur: *Reli-*
gio munda & immaculata apud Dominum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione
eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

16. Dicat nunc quiſquis ille eſt ſectator interminabilis vertigo teſtatione, quis ex Apoſtolis ſanctis,
vel ex omni turba credentium, quos advocavit Dominus, quemquam vendidiſſet aliquatenus homi-
Lucas 19. num; dum ipſe Dominus in Euangelio dicit: *Venit enim Filim hominis quærere & ſalvum facere*
Ibidem. *quod perierat.* Audi namque Zacchæum Domino dicentem: *Ecce dimidium bonorum meorum Do-*
mine do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Quorum exempla Apoſtoli &
omnis toga ſanctorum Martyrum & Confeſſorum impleverunt, & nobis implenda inſinuaverunt, di-
Philip. 3. cente Apoſtolo Paullo: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego per omnia Chriſti.* Nam qua fronte, quâ
etiam conſcientiâ, quiſquis ille eſt prioris illius imitator proditoris, ut poſt hujus nefanda commiſſa Do-
mino Deo præſumat offerre libamina, aut perceptionis ſuſcipiat ſacra myſteria, quæ nobis eſt conceſ-
Matth. 27. ſum in oblatione peccatorum noſtrorum, dum dicit: *Non licet mittere eos in corbonam, quoniam pre-*
* Fors. pectorum. *tium ſanguinis eſt.* Corbona enim noſtrorum eſt arcana * peccatorum, in quo ſanctum ſuſcipimus cor-
pus: & maximè nobis eſt cuſtodiendum de talibus commerciis, ne inquinemur mentibus noſtris, &
Marc. 14. proruamus cum Juda negotiatore, cordibus cæci: ſecundum quod Dominus dicit: *Væ homini illi, per*
quem filius hominis tradetur in manibus peccatorum! bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.

17. Quod non tantùm pro Juda, ſed pro omnibus ſcilicet, cujus mercimoniis deſerviunt, & ipſi
illi in diem judicii erunt condemnati, per quem venundati in hæreſem ceciderunt Judaïcè, aut etiam
præſenti ſæculo mala ſuſcipient, ſecundùm propheticom ſermonem: *Ecce furor Domini egrediens, pro-*
cella ruens in capite impiorum conquieſcet. Et iterum: *Propheta namque & ſacerdos polluti ſunt, & in*
domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. Iccircò via eorum erit quaſi lubricum in tenebris. Impel-
lentur enim & corruent in ea: auferam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum, ait Dominus.
* Super ſenem aggrav. eſt in Iſaia. Et per Iſaïam: *Dedi populum meum in manu tua, non poſuiſti eis miſericordiam, * aggravâſti jugum*
* Sede in pulvere. *tuum valdè, deſcende * in pulvere, ſed tacens, & intra in tenebras, veniet ſuper te malum, & neſcies,*
Matth. 7. *& irruet repentè calamitas, quam non poteris expiare.* Et iterum in Euangelio dicit Dominns: *Atten-*
Marc. 12. * Prolixius judicium. *dite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et
illud: *Cavete ab his qui devorant domos viduarum ſimulantes longam orationem: hi accipient * damna-*
Luc. 3. *tionem majorem.* Et iterum: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſti-*
Marc. *pendiis veſtris. Quia ſi quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut lige-*
tur collo ejus mola aſinaria, & projiciatur in mare.

Act. 9. 18. Unde & in Actibus Apoſtolorum ita Dominum legimus dixiſſe: *Saule, Saule, quid me perſe-*
queris? Numquid in cœlum aſcenderat Sanlus, ut ibidem perſecutionem ejus ſuſtineret Dominus? Sed
* Prolocutus. in ſervis ſuis habitans hanc * prolatus eſt ſententiam, ſicut ipſe dicit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit; &*
Luc. 10. *qui me ſpernit, eum ſpernit, qui miſit me.* Et illud: *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non con-*
Matth. 12. *gregat mecum, ſpargit.* Quod etiam dudum per Prophetam dixit: *Populus hic labiis me honorat, cor*
Iſai. 29. *autem eorum longè eſt à me: ſine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et in
Matth. 15. Marc. 7. Matth. 21. Euangelio: *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum*
patiatur? Ecce pater familiâs plantavit vineam (ideſt, Eccleſiam) *& locavit eam agricolis* (ideeſt, ſa-
cerdotibus) *Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Malos malè perdet, & vi-*
Matth. 14. & 24. *neam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructus temporibus ſuis.* Nam dicit ipſe: *Vigilate, & orate,*
ne intretis in tentationem: quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. Si autem dixerit malus
ſervus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire; & cœperit concutere conſervos ſuos & an-
Luc. 12. *cillas; manducet autem & bibat cum ebriis; veniet dominus ſervi illius in die quâ non ſperat, & horâ*
Matth. 22. *quâ ignorat, & inutilem ſervum mittet in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Si quis
enim poſt hanc definitionem talia agere tentaverit, noverit ſe extra Eccleſiam fieri, & præſenti & fu-
turo judicio cum Juda ſimili pœnâ percelli, dummodo Dominum denuò proditionis pretio malunt ad
iracundiam provocare.

19. Opitulante miſeratione divina, & glorioſiſſimi Reccesvinthi Principis inhærente voluntate re-
* Viſceribus. ligioſa, his geſtis decentiſſimè alligatis, & in pace connexis, ex totis præcordiorum * abditis damus
gloriam & honorem ſoli æterno & immortali Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cujus donum col-
* Poſſeſſa. latum nobis agnoſcimus, pro ejus Eccleſiæ ſtatu, & promptè gerere curam & * poſſe ſacri regiminis
com-

competentia diſponere jura: à quo petimus & optamus, ut porrectâ in longitudine felicium dierum ſacratiſſimi Principis vitâ, * & omni gloriarum decore perpetim * pollente ſalute, nobis quoque tribuat ſuſceptum Eccleſiæ ſuæ regimen in æquitate diſponere, in ſolicitudine gubernare, & in pace tenere: ut poſt mundi hujus * ſuſcepta pericula pervenire poſſimus ad cœleſtia regna. Amen.

* Fam.
* Pollere.
* Suſpecta.

Decretum pro Potamio Epiſcopo.

20. ASSUMERE poteramus canoram in tantum fraternæ lætitiæ tibiam, quia divina pietas conventum noſtrum ad concordiæ convocaverat ſtudia, & convenerat * mœſtitiam vitare, quoniam viſitatione diſciplinæ videbamur paternas regulas innovâſſe. * Sed gravius ſiſtrum pro cymbalo ſumimus, & funus pro carmine decantamus, gementeſque cum Jeremiæ queſtibus dicimus: *Diſſolutum eſt gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter.* Unde & væ coram nobis conſpicimus, quoniam cecidiſſe coronam capitis noſtri videmus, dum tam nobile in infimum corruit, quod in tam ſublime ſanctitatis optimum ſtetit.

* Abnuere mæſtitiam vitæ.
* Sed graviùs colliſi threnum.

Potamius Bracarenſis Epiſcopus ſucceſſit Juliano, ſubſcribit in VIII Toletano.

21. Ecce etenim tractantibus nobis in pace Dei de Eccleſiaſticis regulis, delatum eſt conventui noſtro epiſtolium confuſæ confeſſionis, & abolendæ ſubſcriptionis, quod Potamius Bracarenſis Eccleſiæ Epiſcopus de factis propriis, ſuiſque verbis annotârat & articulis: quo reſerato, quid obliteranda pagina, & abolenda literarum panderent elementa, fletibus potiùs quàm ſermonibus lacrymoſa * concio recenſuit.

* Cognitio recenſuit.

22. Tunc ſolitariè tantùm ſecretimque adunatis Pontificibus Dei, prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus. Quem ſingultibus aggredientes ampliùs quàm loquelis, reſeratam illi ſuæ deformitatis & noſtræ confuſionis ſcripturam protulimus: quam accipiens ac recurrens, ſciſcitantibus nobis utrum ſui operis, & ſuæ annotationis intimatio eſſet; * ille ſuum actum, ſuique oris eloquium, ſuorum quoque digitorum eſſe robur aſſeruit quod illic relegendo * pervidit. Rurſum divini nominis conteſtatione hunc adjurantes, obteſtati ſumus * ut, an de ſe ſpontè mendacium diceret, aut alicujus * violentiâ premeretur, & perterritus talia enarrat, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, luminibuſque ploratu madentibus, & fragore ſingultuum, cum nnius Dei nominis juramento clamavit, ſe & verè eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nullâ ſe violentiâ prægravari. Unde etiam fermè per novem menſes ſpontè deſeruiſſe regimen Eccleſiæ ſuæ, & ergaſtulo quodam, pro admiſſo flagitio acturus pœnitentiam, ſe concluſiſſe, edixit.

* Illico.
* Providit.
* Ut ſi non aut de ſe.
* Violentia preventu.

23. Tunc per fidelem confeſſionem ejus, agnito * quòd tactu fœmineo ſorduiſſet, & declarato; licèt hunc paterna antiquitas ſacris regulis dejicere ab honore decernat; nos tamen miſerationis jura ſervantes, non abſtulimus nomen honoris, quod ipſe ſibi ſui criminis confeſſione jam tulerat; ſed valida auctoritate decrevimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inſervire officiis & ærumnis, providentes melius illum, per aſperam & * dumoſam ire pœnitentiæ ſolicitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii manſionem, quàm relictum in voluntatis ſuæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione.

* Quod tanto fœmineo ſorduiſſet ſtupro, & licèt.
* Dumoſam pœnitentiæ ſolitudinem, quandoque pervenire.

24. Tunc venerabilem Fructuoſum Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopum communi omnium noſtrûm electione conſtituimus Eccleſiæ Bracarenſis gubernacula continere: ita ut omnem Metropolim provinciæ Gallæciæ, cunctoſque Epiſcopos, populoſque conventûs ipſius, omniumque curam animarum Bracarenſis Eccleſiæ gubernanda ſuſcipiens, ita componat atque coſervet, ut & Dominum noſtrum de rectitudine operis ſuis glorificet, & nobis de incolumitate Eccleſiæ ejus gaudium præſtet. Quia verò ad futura proſpicere convenit, ne exoriri poſſit in ſtatu pacis quædam commotio litis, Patrum ſententiam, quæ jam dictum Potamium Epiſcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere noſtra vigilantia procurat.

Ex Concilio Valentino Galliæ titulo quarto.

25. NEC illud, fratres, ſcribere, alienum ab Eccleſiæ utilitate cenſuimus, ut ſcitetis, quicumque ſub ordinatione, vel diaconatûs, vel presbyterii, vel Epiſcopatûs, mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmovendos; reos ſcilicet, vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolvi poteſt * is, qui in ſemetipſum dixerit, quod dictum in alios puniretur: quoniam omnis qui ſibi fuerit mortis cauſſa, major homicida fit.

* In his, in ſe ipſos edixerint.

26. Multæ quidem & aliæ ſententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium Epiſcopum * ſeveriſſimâ auctoritate abjicere jubent. Sed ex omnibus hanc conſcriptam ponere ſententiam maluimus: ne ſi totius damnationis edicta replicâſſemus, graviſſimæ ultionis auctores exiſtere videremur. Factum eſt decretum ſub die Kalendarum Decembris, anno feliciter octavo regni glorioſiſſimi domini noſtri RECCESVINTHI Regis.

* Sæviſſima.

* Eugenius indignus Toletanæ ſedis Metropolitanus Epiſcopus, hoc judicii noſtri decretum ſubſcripſi.

* Omnes ſacerdotes prædicti Concilii hoc ſtabiliter ſancivimus.

Similiter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt, numero viginti.

Aliud

Aliud Decretum.

* Viridis. * Et experientia eſſe judicantium comprobatur, & juſti ſumma judicii plenior invenitur. Ideo mẽtis intentionem, oriſque ſimul ſtudia deducentes, agnitione audiendi negotii.

27. DIUTINIS * tractationibus inveniri quod juſtum eſt, * ut experientia eſt judicantium comprobatum, ita & juxta ſummi judicii ſtatuta plenior invenitur auctoritas. Ideo mentis intentione, oriſque ſimul ſtudia deducentes in cognitionem audiendi negotii, delatum eſt ad nos in conventu ſancti Concilii, ex directo glorioſi domini noſtri Receſvinthi Regis, per illuſtrem Wambanem, teſtamentum glorioſæ memoriæ S. Martini Eccleſiæ Bracarenſis Epiſcopi, qui & Dumienſe monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe; ut reſerato eo quid hic memoratus beatiſſimus vir decreviſſet, noſtræ cognitioni pateſceret. Quo teſtamento in omnium conventu relecto, comperimus ex ordine à memorato Principe ad nos eſſe directum: quoniam idem glorioſæ memoriæ ſanctiſſimus vir decreverat, ut ſuccedentibus per ordinem Regibus, ad complementum ejus ipſius teſtamenti conſtitutio commendata maneret.

Subſcribit in VII. Tol. numero ſeptimus. * Relato. * Quod. * Univerſæ ſpeciei generis & corporis rem, quæ. * Dono. * Et ex. * Proviſione. * Edidiſſe.

28. Tunc deinde illatum eſt nobis teſtamentum Recimiri memoratę Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopi, quod de rebus ſuis in eadem Eccleſia decreverat examinatione veridica dirimendum. Quo * relecto cognovimus eundem auctorem ſuum illic diverſæ conſtitutionis ediſiſſe conditiones: inter quas unam validam conatus eſt religatione conſtringere, deputans & illationes tributorum, & pretia frugum abſque aliqua diminutione annua vice pauperibus erogari, nihilque eſſe abſque deliberatione relictum, * quo uſibus Eccleſiæ poſſit quadam liberalitate ſervire. Tunc ex voce partis Dumienſis Eccleſiæ aſtrictum eſt, quòd univerſas ſpecies generis & corporis rerum, quæ in ejuſdem Eccleſiæ domo intrinſecus ad uſus domeſticos * ex tempore ſuæ ordinationis idem Epiſcopus Recimirus invenit, & quæ ipſe, aut de opere utriuſque ſexus artificum familiarum Eccleſiæ potuit habere confecta atque illata, aut quæ ſua * profeſſione habuiſſe viſum eſt conquiſita, omnia moriens juſſiſſet pauperibus erogari. Quædam verò ita ulli pretio vendi ordinâſſe, ut negotiatio earum rerum perditio potiùs quàm mercatio cenſeretur. * Addidiſſe quoque quoſdam liberos ex ejuſdem Eccleſiæ familiis, quibus etiam cum aliis ad ſe pertinentibus omnibus ampliùs quàm quinquaginta reperitur utriuſque ſexus dediſſe mancipia.

* Dignitatem. * Quæ in hoc ſancta lex examuſſim erogare deprehenſa eſt.

29. Quibus damnis ita cognitis, quia & cuncta remedia intrinſecus domus tam indiſcretè largita fuerant, ne quid ad * integritatem Eccleſiæ reliquum ſupereſſet, cùm nulla imminens cauſſa pauperum neceſſitatis exiſteret, * quæ hoc tam integrè & perfectè examuſſim erogari depoſceret, atque pro libertis illis nihil ſecundùm canonicam ſanctionem datum in commutationem pateſceret; ſed nec pro mancipiis & reliquis rebus eiſdem libertis collatis, aliquid in repræſentationem Eccleſiæ relictum noteſceret: verùm & ſuam rem ita in nomine pauperum relegâſſet, ne aliquid remedii ex hoc Eccleſiaſticus uſus attingeret, ducti ſumus, tam rationis intuitu, quàm paternarum ſanctionum edicto, ipſius teſtamenti ſeriem, etſi non uſquequaque * in irritum devocare, in quoddam tamen, rationabili auctoritate, temperamentum deducere: ſcilicet, quia tantorum diſpendiorum damnis à memorato Recimiro Epiſcopo factis, res Eccleſiaſtica dignoſcitur ſubjacere, omnis res ejus, quam inde legatam * reliquit pauperum nomini, tamdiu Dumienſi Eccleſiæ plena deſerviat facultate, donec omne hoc damnum, quod in utenſilibus domûs ſuſtinuit, valeat evidentiùs reparari, ac tunc, completa reſtitutione damni, obſervetur, ſicut decreta eſt, ſeries teſtamenti.

* In irritum rationabili tẽperamẽto deducere. * Alligatam.

* Vel illis, vel ſuis.

30. Liberti verò, qui ex familiis Eccleſiæ facti ſunt, & ſeu res univerſa, quæ in mancipiis, aliiſque corporibus, * vel illis ſuis hominibus collata eſſe dignoſcitur, cuncta in diſcretione venerabilis fratris noſtri Fructuoſi Epiſcopi diſponenda relinquimus: ut quia hæc evidens ordo Patrum in irritum devocat, illius temperamentum hæc ad miſerationem adducat, qualiter nec regulam paternam modus excedat, & miſerationem ſeveritas non extinguat: ut ſecundùm merita ſervientium, & libertatis præmia, & rerum donaria, vel ſubtrahat, vel concedat. Editum ſub die Kalendarum Decembris, anno feliciter octavo regni glorioſiſſimi domini noſtri RECCESVINTHI Regis.

Eugenius indignus Metropolitanus Toletanæ ſedis Epiſcopus, hoc judicii noſtri decretum ſubſcripſi.

Similiter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt numero viginti.

Subſcriptiones.

Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero viginti.

1. Eugenius regiæ urbis Metropolitanus Epiſcopus.
2. Fugitivus Spalenſis Metropolitanus Epiſcopus.
3. Fructuoſus Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.
4. Marcus Caſtellonenſis Epiſcopus.
5. Widericus Segontienſis Epiſcopus.
6. Mauricius Oretanus Epiſcopus.
7. * Ibitaricus Elnenſis Epiſcopus.

* Ubitericus Elenſis.

8. Davila

8. Davila Complutenſis Epiſcopus.
9. Egeredus Salmanticenſis Epiſcopus.
10. Quiricius Barcinonenſis Epiſcopus.
11. Cæſarius Olyſſipponenſis Epiſcopus.
12. Athanaſius Setabitanus Epiſcopos.
13. Balduicios Arcavicenſis Epiſcopus.
14. Eoſicius Segobrienſis Epiſcopus.
15. Hermenſredus Lucenſis Epiſcopu
16. Magnarius Accitaous Epiſcopus.
17. Ilpidius Aſturicenſis Epiſcopus.
18. * Zoſimus Elborenſis Epiſcopus. * Suzimus.
19. Stephanus Valerienſis Epiſcopus.
20. Flavius Portucalenſis Epiſcopus.

VICARII EPISCOPORUM.

1. Argeſredus * Abbas Eligani Epiſcopi Eccleſiæ Oxomenſis. * Abba agens vicem Egilani.
2. Martinus Abbas Valdefredi Epiſcopi Eccleſiæ Menteſanæ.
3. Eliga presbyter * Giberii Epiſcopi Eccleſiæ Bigaſtrenſis. * Giberici.
4. Agricius diaconus Ubinibalis Epiſcopi Eccleſiæ Illicitanæ.
5. Daniel diaconus Marcelli Epiſcopi Eccleſiæ Urcitanæ.

NOTÆ VARIORUM
IN CONCILIUM TOLETANUM X.

31. FUIT Nationale, cùm interveoerint ad illud celebrandum plures Metropolitani anno Chr. DCLVI. cui reſpondet octavus RECCESVINTHI Hiſpaniæ Regis, & ſecundus EUGENII I. Pontificis Romaoi. CARD. DE AGUIRRE.

32. *Erâ DCXCIV.*] Ambroſius Morales congregatum aitaono Domini DCLVIII. Vaſæus anno Domini DCLV. Verùm conſtat apertè coogregatum fuiſſe Erâ DCXCIV. Nam XI. Toletanum, ut dicitur Can. I. ejuſdem, congregatum fuit poſt decem & octo labentium anoorum excurſum à decimo, quod eſt Erâ DCCXIII. & bene; nam is eſt annus qaintus Wambæ Regis.

33. AD CAP. I. *Paſchale feſtum.*] Quo die Paſcha foret celebrandum olim dubitabatur, & Eccleſiis minoribus major Eccleſia diem præſcribebat, ut ſtatutum invenio Concil. Carthag. III. cap. 1. ubi præcipitur, ut omnes Africanæ provinciæ Epiſcopi obſervationem paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi cureot accipere. Metropolitanus verò ſive Primas, ad omnes Epiſcopos literas dirigebat de die quo feſtum hoc celebrandum eſſet. Idque cavetur eodem Concilio cap. 41. I. Arelaten. Can. I. Bracarenſi II. cap. 9. & Carthagioenſi V. cap. 7. ubi clariùs dicitur: *Placuit ut dies venerabilis Paſcha formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Toletano autem Concil. IV. ſtatuitur, ut Metropolitani ſacerdotes ante tres menſes Epiphaniarum literis ſe invicem inquirant; ut communi ſcientia edocti, diem Reſurrectionis Chriſti comprovincialibus ſuis inſinuent. Die verò Dominica feſtum hoc celebrandum decernit Pius Papa I. Epiſt. I. ad univerſos: & Victor Papa I. Epiſt. I. non autem cum Judæis, qui lunâ decimâ quartâ illud celebrant: unde illud Eccleſiaſtici 43. *A luna ſignum diei feſti; luminare quod minuitur in conſummatione*, ut conſtituitur Conc. Antiòch. Can. I. io quo etiam citatur Nicænum I. Unde hic dicitur: *Ne in Judaïcum incidamus errorem*. Undecimo Kalendarum Aprilium mandat illud celebrari Innoc. I. Epiſt. II. & Vigilius Papa Epiſt. I. cap. 5. Hujus celebritatem ſex diebus terminari ſancit Concil. Matiſcon. II. Can. II. de hac re etiam vide Iſidorum lib. 1. *De off. Eccleſiaſt.* Hoc an. MDLXXXII. reformatus eſt error anni, & Paſchatis dies certus ſtatutus eſt, ſecundùm Canones Concilii Nicæni, per Kalendarium Gregorianum, conſumptis decem diebus, à quioto uſque ad decimumquintum meoſis Octobris, aliiſque adhibitis regulis & Canonibus ad certam ſemper Paſchatis rationem habendam.

34. *Adventum ſancti Spiritûs.*] Pentecoſtes feſtum olim noo in tota Hiſpania celebrari ſolitum fuiſſe, conſtat ex Concil. Eliberitano; ubi, ut hujuſmodi error corrigatur, ita cavetur cap. 43. *Pravam inſtitutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes celebremus. Quod qui non fecerit, quaſi novam hæreſim induxiſſe notetur*. Præcipua verò anni feſta Concil. Agathenſe Can. XXII. ponit Paſchà, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, & Natalem Sancti Joannis Baptiſtæ. Quibus diebus illis qui in agro oratoriom habebant, non licebat in eo, ſed in civitate ſacro Miſſarum intereſſe, ut patet ex eodem loco, & Divo Iſidoro libro *De officiis Eccleſiaſticis*.

35. *Nativitatis Dominicæ ſacrum.*] De feſto

Nativitatis eſt apud Teleſphorum, qui fuit ſeptimus à Petro Pontifex, in Epiſtola ad univerſos, quo pacto celebrandum, & in nocte illa Miſſa eſt ſolenniter decantanda, cum angelorum hymno: aliaque quæ ibi de Natali etiam Domini, & ab Iſidoro libro *De officiis Eccleſiaſticis*, annotantur.

36. *Sicut ex antiquitate regulari.*] Concilium Laodicenum: *In Quadrageſima non celebrentur Martyrum natalitia.* Can. LIII. & habetur 33. quæſt. 4. *Non oportet.* Hæc ſolennitas Annunciationis eſt hodie celebris decimo quinto die Kalendarum Januariarum in S. Eccleſia Toletana, omnique cultu & ſplendore veneratur, vocaturque Exſpectatio partûs, & feſtum Dominæ noſtræ *de la O.* & in tota Hiſpania colitur ut feſtivus dies, præcipuè tamen in Toletana Baſilica; eò quòd eo ipſo die ſanctiſſima Virgo Ildephonſo Archiepiſcopo oranti ad nocturnas preces, veſtem, quâ in ſacris ſolennioribus uteretur, aſtante ſanctarum Virginum choro, tradidit. Exſtat nunc lapis veneratione & pietate celeberrimus in eodem auguſto templo, ut memoriâ majorum acceptum traditumque eſt, quo ſtetit Virgo ſanctiſſima, pedeſque fixit. Hæc fuſiùs traduntur in officiis Eccleſiaſticis Eccleſiæ Toletanæ à SS. D. N. Gregorio XIII. approbatis. LOAISA.

37. AD CAP. VI. *Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere, non ampliùs quàm uſque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe,* &c.] In Hiſpania fas erat utrique parenti filios filiaſve vitæ addicere monaſticæ, dum annum decimum attigiſſent; ita ut qui pueri cum veſte monaſtica in publicum aliquando prodiiſſent, jam nequaquam poſſent in ſæculares unquam revolvi ſordes. At poſtquam annum decimum prætergreſſi ſunt, tunc, ut ita dicam, emancipantur ab hoc Concilio parvuli, ut jam non in parentum poteſtate ſit, ſed in ipſorum voluntate poſitum, ut monachi ſint. Hoc ipſum eſt ergo Concilii Trullani decretum, ut annorum decem ætas & neceſſaria ſit & ſufficiens ad monaſticam profeſſionem. Porrò tum Trullani, tum Toletani ſententia Concilii meritò conjicitur ea fuiſſe, ut anno decimo pubertas inciperet. Itaque dum impuberes eſſent, nec nubere poterant, nec profiteri. At tempus pubertatis non ſemper idem fuit, vel naturâ, vel legibus. In utroque eo Concilio placuit ut impuberes jam non eſſent poſt elapſum annum decimum: placuit aliis, ut poſt duodecimum, aliis ut poſt decimum quartum, ſextumve. THOMASSINUS *De Benefic.* Tomo I. lib. 3. cap. 53. num. 11.

38. AD CAP. VII. *Septimæ collationis objectu.*] Totum hoc caput in excuſis deſideratur.

39. *Majorum Canones.*] Concil. III. Aurel. Can. III. Eliberit. cap. 19. III. Toletano cap. 14. Aut ſi juncti ſeparentur, II. Aurel. Can. XVIII. & III. Aurel. Can XIII.

40. *Vel ſervitia.*] Sic multis Conciliis cautum, ut mancipia non habeant Chriſtiana. III. Toletano cap. 14. & IV. Toletano cap. 65. & legibus Wiſi-gotthor. lib. 12. tit. 3. leg. 12. quæ eſt Ervigii: *Ne Judæis mancipia ſerviant, vel adhæreant Chriſtiana.* & leg. 16. ibidem.

41. *Unanimes in domo.*] Pſalm. 67. ubi vulgata editio habet: *Deus qui habitare facit unius moris in domo;* Septuaginta, *unius moris* μονοτρόπους transferunt. Hieronymus ita: *Deus inhabitare facit ſolitarios,* quòd μονότροπος vox etiam ſignificat. Sic Baſilius & alii & μονότροπον βίον *ſolitariam vitam* appellant. Addit Hieronymus ſuper hunc Pſalmum: *In Habreo habetur; Dominus inhabitare facit monachos in domo.* Auguſtinus ibidem legit: *Qui habitare facit uniuſmodi;* explicatque unanimes, unum ſentientes, & unius moris.

42. AD DECRET. I. *Potamius Epiſc.*] Potamius Bracarenſis Epiſc. eo quòd tactu fœmineo ſorduiſſet, deponitur à Sede. Sic enim cautum erat Canone Apoſtolorum XXV. *Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur: non tamen communione privetur; dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum.* Habetur diſtinct. 81. cap. *Presbyter.* LOAISA.

43. AD DECRET. II. Hujus Concilii Patribus circumcidendæ viſæ ſunt largitiones immodicæ Ricimeri Dumienſis Epiſcopi, conquerente Dumienſi clero ultra modum omnia in pauperes effuſa fuiſſe ejus teſtamento. Præter longè plurimos enim ſervos, quos ille vel vinculis exemerat ſervitutis, vel aliis dederat, juſſerat præterea in pauperes erogari quicquid reconditum eſſet in penuariis Eccleſiæ, pecuniam omnem, & mercedes laboris opificum, qui in ergaſtulis erant Eccleſiæ, utriuſque ſexus: denique quicquid à ſe ipſo acquiſitum fuerat, tam vili pretio ſingularum rerum defixo, ut non tam vendi, quàm deperdi viderentur. *Quæ aut de opere utriuſque ſexûs artificum familiarum Eccleſiæ potuit habere confecta atque illata, aut quæ ſua profeſſione habuiſſe viſus eſt conquiſita, omnia moriens juſſit pauperibus erogari.* Vel ipſi Concilio conſultiſſimè placuit in pauperes inconſideratis moderari largitionibus, quòd vel pauperum ipſorum maximè intereſſet, ne earum brevi fontes exareſcerent. *In quodam rationabili auctoritate temperamentum deducere.* Itaque proſpecto nihil Ricimerum Epiſcopum de patrimonio proprio delibâſſe, quod Eccleſiæ adjiceret, atque adeò nihil potuiſſe ipſum de rebus ejus deterere, vel donare; poteſtatem fecit Epiſcopo novo confirmandi vel revocandi manumiſſiones illas omnes ſervorum, vel donationes; erogationes verò in egenos faciendas diſtulit, donec damna Eccleſiæ illata ſarcita fuiſſent.

44. Ab hoc exemplo, quantumlibet vitioſo, non pauca tamen emicant, quæ juvet proſitque obſervâſſe. Hinc enim patet, ut levandis pauperibus, quàm ditandis propinquis addictiores eſſent Epiſcopi. His adde, quod toto mox capite diligentiùs pertractabitur, cùm Epiſcopi ut plurimùm teſtamento multa pauperibus legarent, clericiſque, hinc poſt eorum mortem non rarò expilatas fuiſſe domos Epiſcopales. Quorum muneris erat & poteſtatis eas prædationes coërcere, illis res non ſatis feliciter plerumque ceſſit, quo tandem factum eſt, ut qui vindices eſſe debuerant, jam ſocii & participes eſſent.

45. Nova in hanc rem decreta promulgavit

Con-

Concilium Emeritenſe, ſed quibus ferè priſci tantùm Canones confirmarentur. Statuit enim ne infirmari à novo poſſent Epiſcopo præceſſoris ſui dona in amicos, vel libertos, vel ſervos, facta de rebus Eccleſiæ, ubi conſtaret plura triplo Eccleſiæ per illum acceſſiſſe. *Quicquid amicis, ſervis, aut libertis, vel quibuſcumque perſonis de Eccleſia ſua rebus compertus fuerit aliquid donâſſe, ſi triplum, aut multò plus patuerit eſſe, quod conſcripſit in nomine Eccleſia ſua, firmum maneat quod diſtribuit in perſonis, qua prænotata ſunt ſuperiori ordine.* Ea erat laus & facultas Epiſcoporum; qui Eccleſiæ triplo plura dediſſent, quàm abſtuliſſent. *Si Epiſcopus Eccleſia ſua, in qua præſidet, de rebus ſuis inventus fuerit plurima contuliſſe; quicquid amicis*, &c.

46. Succurrit & aliàs, ubi poſſit Epiſcopus res Eccleſiæ ſuæ dilargiri. Si quibus Eccleſiæ rerum, & cauſſarum Eccleſiæ diſpenſatio commendata eſt, eâ illi diligentiâ, fide, induſtria, & felicitate adlaborent, quæ laudis & mercedis aliquid meritò depoſcat, fas erit Epiſcopo decimam illis partem addicere mobilium, quæ per eos fuerint Eccleſię recuperata: Immobilium verò quanta illis portio decidenda ſit, pro arbitrio & prudentia ſua Epiſcopus æſtimabit. Thomassinus *De Benefic.* Tomo III. lib. 2. cap. 42. num. 9. & ſeqq.

47. *Subſcriptiones.*] Subſcribunt in decimo Concilio Toletano ferè iidem Epiſcopi, qui in nono, hoc ordine: Athanaſius Setabitanus, qui in VIII. & IX. Balduigius Arcavicenſis in VIII. & IX. Davila Complutenſis in VIII. & IX. Eugenius regiæ urbis in VII. & VIII. Unde deducitur duodecim annos tenuiſſe Toletanam ſedem, ut teſtatur Ildephonſus *De viris illuſtribus*: nam in V. & VI. alter Eugenius ſubſcribit, cui hic ſucceſſit. Egeredus Salmanticenſis, qui in VII. & VIII. Euſicius Segobrienſis, qui in IX. Egilanus Oxomenſis, qui & Egila, in IV. & V. Gilbericus Bigaſtrenſis per procuratorem, qui in VIII. & IX. Hermenfredus Lucenſis, qui in VIII. Marcus Caſtellonenſis, qui in VII. VIII. & IX. Mauricius Oretanus, qui in VIII. & IX. Magnarius Accitanus, qui in IX. Marcellus Urcitanæ per procuratorem, qui in VIII. & IX. Stephanus Valerienſis, qui in IX. Widericus Segontienſis, qui in VIII. & IX. Ubinibal Illicitanæ per procuratorem, qui in VII. VIII. & IX. Valdefredus Menteſanæ per procuratorem, qui in IX. Præterea ſubſcribunt Cæſarius Olyſſiponenſis, qui ſucceſſit Neufrido, in VII. Fugitivus Hiſpalenſis, qui ſucceſſit Antonio, in VIII. Fructuoſus Bracarenſis, qui ſucceſſit Potamio depoſito, in VIII. Flavius Portucalenſis, qui ſucceſſit Uſibeſo, in VI. Ilitaricus Elnenſis, qui ſucceſſit Acutulo, in VI. Ilpidius Aſturicenſis, qui ſucceſſit Candidato, in VIII. Quiricius Barcinonenſis, qui ſucceſſit Olæ, in VIII. Sozimus Elborenſis, qui ſucceſſit Abientio, in VIII.

48. In hoc Concilio, quamvis eſt Nationale, non ſubſcribunt Abbates, neque viri illuſtres officii Palatini: fortè eæ ſubſcriptiones deſunt in Mss. Codicibus.

49. *Eugenius.*] Interfuit VIII. & IX. Conciliis Toletanis, vir ſanctus. Sunt qui affirmant inter divos relatum fuiſſe.

50. *Fructuoſus.*] Fructuoſus ex regio Gotthorum ſanguine ortus, Ducis filius, Epiſcopi Palentini Tonantii diſcipulus, multorum monaſteriorum conditor & pater, ex Complutenſi Abbate, cùm monaſterium exædificaverat, ad Virgidienſem tractum Juſti & Paſtoris Martyrum nomine Dumienſis Epiſcopus creatus, in Potamii dejecti locum ſubrogatus, Bracarenſis Eccleſiæ curam ſuſcepit. Actis hujus Concilii poſt Eugenium Toletanum & Fugitivum Hiſpalenſem ſubſcribit. Ejus memoria cum ſanctitatis opinione à populis Bracarenſibus & Compoſtellanis colitur, feſto die dicato ad ſextum decimum Kalend. Maji. Corpus ejus in monaſterio ab ipſo exædificato inter Dumium & Bracaram ſepulturæ mandatum, poſtea Jacobo Gelmiride primo Compoſtellæ Archiepiſcopo Compoſtellam translatum, ubi magna populi veneratione colitur. Loaisa.

51. In Breviario Eborenſis apud Luſitaniam Eccleſiæ, hæc de illo habentur inter alia: *Talium diſcipulorum inſtructor & magiſter Fructuoſus, factus & ipſe Epiſcopus Dumienſis cœnobii, quod ſanctiſſimus vir Martinus Bracarenſis Epiſcopus non longè ab ipſa urbe ædificaverat, exigente officio ad Concilium Toletanum X. perrexit. Ibi pro venerabili & ſancta memoria Potamio, Bracarenſis Eccleſia Archiepiſcopo, omnium Epiſcoporum electione, ipſius Metropolitana ſedis & provincia Gallacia, totiuſq; conventus regimen ſuſcepit.* Dum verò in eo teſtimonio Eborenſis Eccleſiæ Potamius poſt lapſum decoratur titulo *viri venerabilis & ſancta memoriæ*, videtur indicari traditio aliqua de pœnitentia vera & aſſidua Potamii poſt lapſum uſque ad obitum, ut proinde cum inſigni pietatis opinione periodum vitę clauſerit. Neque quicquam aliud prædicebat vehementiſſima illa cordis contritio, & admiranda ſuiipſius abjectio, quâ Potamius ſe geſſit pro lapſu occulto, ſui accuſator, tortor, ac judex factus, raro quidem exemplo pœnitentiæ & humilitatis.

52. Notandum eſt in hac Patrum Toletanorum ſententia adversùs Potamium, quod jam antea Tomo I. Diſſertat. XI. latè monuimus circa translationes Epiſcoporum ex una Eccleſia in aliam factas nonnunquam ſæculis iis antiquis in Hiſpania, ubi urgebat neceſſitas & utilitas publica & communis. Videmus enim intra hoc ipſum Concilium Toletanum X. S. Fructuoſum, tunc Epiſcopum Dumienſem, depoſito Potamio Metropolitano Bracarenſi, in illius locum tranſiiſſe, quòd is ſolus videretur idoneus tanto ponderi ſuſtinendo.

53. Quòd ſi verò quiſpiam dicat, S. Fructuoſum tunc non deſeruiſſe Eccleſiam ſuam Dumienſem; ſed ſolùm porrexiſſe præterea curam ac regimen ad vicinam Eccleſiam Bracarenſem, viduatam ſponſo ſuo Potamio; non faciet ſatis fortaſſe: quoniam, ut apparet ex ſubſcriptionibus & decreto hujus Concilii, ſtatim ac Potamius depoſitus fuit, Fructuoſus eſſe cœpit Metropolitanus Bracarenſis, loco illius ſuffectus, & veluti talis ſubſcripſit ante omnes alios Epiſcopos, etiam

ordinatione antiquiores. Verè igitur ad Sedem Bracarenſem translatus fuit, & in ea permanſit uſque ad obitum, ſuccedente ſibi poſtea Leodeciſio, qui præfuit & ſubſcripſit ante omnes alios in Concilio Bracarenſi III. celebrato undeviginti annis poſt iſtud, nimirum Erâ DCCXIII. ideſt anno Chriſti DCLXXV.

54. Video adhuc reſponderi poſſe, Fructuoſum non propterea dereliquiſſe Eccleſiam Dumienſem, cui præerat, ſed permanſiſſe in ejus vinculo & regimine, adjuncta ulteriùs dignitate & cura Metropolitanæ ſedis Bracarenſis; ac proinde decreto hujus Concilii non fuiſſe factam translationem S. Fructuoſi de una in aliam Eccleſiam, propriè loquendo, ſed extenſionem & poteſtatem juriſdictionis ejuſdem Præſulis ad aliam Eccleſiam ſimul cum ſua anteriori. Sic etiam dum S. Remigius Præſul Remenſis retenta ſua ſede Metropolitana rexit Eccleſiam Laudunenſem, vivente adhuc Genebaldo ipſius Epiſcopo, ſed recluſo multis annis intra ſtrictiſſimum carcerem ob lapſum carnis cum fœmina quadam, quæ uxor ipſius fuerat (ut ſuo loco fuſiùs enarrabimus) non propterea cenſetur translatus fuiſſe ad Epiſcopatum Laudunenſem; ſed tantùm porrexiſſe curam ſuam ad eam Eccleſiam viduatam Genebaldo ſponſo ſuo, ſive ipſius adminiſtratione.

55. Meliùs itaque & urgentiùs confirmari poteſt illa noſtra ſententia, de translationibus Epiſcoporum interdum factis in Eccleſia Occidentali, ex Concilio Toletano XVI. celebrato triginta ſeptem annis poſt iſtud X. nimirum anno Chriſti DCXCIII. in quo Sisbertus Præſul Toletanus fuit depoſitus, & ſtatim in ejus ſedem introductus Felix Hiſpalenſis, in Hiſpalenſem Fauſtinus Bracarenſis, in Bracarenſem Felix Portucalenſis. Tres iſtæ translationes ſimul factæ fuerunt intra illud Concilium, ut apparebit ex decreto illius XII. & latè præmiſimus Diſſertat. XI. citata, Excurſu V.

56. Quiſquis autem voluerit pleniùs nôſſe vitam admirandam & eventus varios ejuſdem S. Fructuoſi, adeat (præter Moralem, Sandovalium, ac Yepium) Bollandianos Tomo II. *Actor. Aprilis*, die decima ſexta, pag. 430. & ſeqq. præſertim *Vitam* ab auctore penè ipſius æquali ſcriptam, ab omni fuco alienam. Nunc autem occaſione lapsûs & depoſitionis viſum excitare Diſſertationem ſequentem, maximè opportunam, quâ illuſtrabuntur plures Canones præcedentium Conciliorum circa clericos lapſos, præſertim in peccatum carnis. CARD. DE AGUIRRE.

DISSER-

DISSERTATIO DECIMA.

De diſciplina antiqua Eccleſiæ, ſpeciatim Hiſpanicæ, in hoc & aliis Conciliis, circa lapſos in peccatum carnis poſt baptiſmum, ne ordinentur, nec adminiſtrent Ordines jam ſuſceptos.

1. OCCURRUNT *frequenter in hiſce Hiſpaniæ Conciliis varii Canones, quibus prohibetur omnino receptio Ordinum quibuslibet criminoſis poſt baptiſmum, præſertim lapſis in peccatum carnis; ſimiliter & adminiſtratio Ordinum jam receptorum. Quam pœnam in ſeipſo exſequutum fuiſſe Potamium Epiſcopum Bracarenſem, ſecreti criminis conſcium, ſine teſte, ſine accuſatore, ſive alio judice, conſtat ex Actis hujus Concilii Toletani X. memorando ſanè exemplo, & cui aliud æquale vix invenias in tota hiſtoria Eccleſiaſtica. Ea igitur occaſione, ſatis opportunâ, viſum excitare Diſſertationem hanc valdè utilem dignoſcendæ veteri circa eam rem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, præſertim in Hiſpania; & quodammodo, ſi fieri poſſit, inſtaurandæ, quantum noſtrorum temporum conditio fert.*

EXCURSUS PRIMUS.

Indicantur varii Canones & decreta Conciliorum, præſertim Hiſpaniæ, quibus receptio & adminiſtratio Ordinum prohibetur omnino quibuslibet hominibus lapſis in peccatum mortale, præſertim carnis, poſt baptiſmum, cohærenter ad Canones Apoſtolorum, & alia Concilia, ac decreta Sedis Apoſtolicæ in Epiſtolis ad Hiſpanos.

2. NIHIL frequentius apud Concilia & Cannnes quoſque antiquos, quàm prohibere receptionem Ordinum quibuslibet hominibus poſt baptiſmum receptum lapſis in peccatum mortale: præſertim verò in peccatum carnis, quod præſefert quandam deſormitatem & indecentiam peculiarem adversùs miniſteria ſacra, nullatenus tractanda niſi puro corde ac corpore; ut non ſolùm ſacræ literæ apertiſſimè docent, ſed etiam naturale rationis lumen dictat, & vel ipſi Gentiles agnoverunt, quorum denſa in eum ſcopum teſtimonia allegari ſolent. Placet verò hoc loco ſaltuatim indicare præcipuos Conciliorum Hiſpaniæ Canones, quibus lapſis poſt baptiſmum in id ſcelus fuit omnino prohibita receptio Ordinum.

3. Concilium Eliberitanum celebratum anno Chriſti circiter CCCIII. Can. XIX. ita ſtatuit: *Epiſcopi, presbyteri, & diacones, ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint quòd ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Præterea Canone XXX. decernit: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerint mœchati, eo quòd poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum promoveantur; vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur.* Notandum verò, nec eo tempore, nec aliquot ſæculis poſtea, uſque ad Pontificatum Gregorii Magni, ſubdiaconatum habuiſſe annexum votum continentiæ: & tamen ii Patres lapſis in peccatum carnis prohibuerunt omnino receptionem ejus Ordinis, & adminiſtrationem jam recepti: multò autem magis aſcenſum ad Ordinem ſuperiorem.

4. Deinde Canone LXXVI. ita loquuntur: *Siquis diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſpontè fuerit confeſſus, placuit eum, actâ legitimâ pœnitentiâ, poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere communionem laïcam debere.* Ubi licèt generatim ſermo ſit de *crimine mortis*, aliunde notum eſt, & ſæpè obſervavimus, tria potiſſimùm peccata appellata fuiſſe à Patribus *crimina mortis*, ſive *capitalia*, aut *principalia*, nimirum, idololatriam, homicidium, & mœchiam ſive fornicationem. Unde illud S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis in graviſſima Paræneſi ad Pœnitentiam, non longè ab initio: *Hæc eſt Novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus Spiritus ſanctus in multis, hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur. Hæc verò tria crimina, ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt.*

Itaque

Itaque tria illa præcipuè crimina mortis dicebantur, quæ impediebant omnino quemquam Ordines recipere, aut ſubreptitiè receptos adminiſtrare.

5. Centum circiter annis poſtea, nimirum in Concilio Toletano I. celebrato ann. Chr. CD. ſub initium decernitur circa ordinandos, *conſtituta primitus Concilii Nicæni perpetuò eſſe ſervanda, nec ab eis eſſe recedendum.* Deinde paucis pòſt annis S. Innocentius I. Papa in Epiſtola celebri ad Patres Synodi Toletanæ (nimirum, ad Patres illos, qui in dicta Synodo anni CD. tempore Anaſtaſii Papæ convenerant) poſt reprehenſas quorundam ordinationes in Hiſpania factas contra Canones Conciliorum, & præſertim Nicæni, inquit: *Poſt hæc, ſi quis adverſùs formas Canonum, vel ad Eccleſiaſticum ordinem, vel ad ipſum ſacerdotium venire tentaverit; unà cum ordinatoribus ſuis, ipſo, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur.* Patet verò, plurimis ſacris Canonibus præſcriptum fuiſſe, ne lapſi poſt baptiſmum in aliquod ex iis tribus criminibus ad Ordines admitterentur, aut jam receptos adminiſtrarent.

6. Ac certè ſicuti à tempore Apoſtolorum uſque modò, quicumque ex baptizatis committunt crimen (etiam occultiſſimum) idololatriæ, aut homicidii, contrahunt Impedimentum perpetuum ad ordines recipiendos & adminiſtrandos; ita olim illud contrahebant ob peccatum quodlibet mœchiæ ſive fornicationis, juxta Canonem illum XV. eorundem Apoſtolorum: *Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, fuerit deprehenſus, deponatur.* Cui reſpondet in Pœnitentiali Joannis Monachi, ille deſumptus ex præcedenti, & inſcriptus περὶ τῶν ἱερέων, *De ſacerdotibus*: Οἱ δὲ γε ἱερεῖς, καὶ διάκονοι, ἢ πρεσβύτεροι ὅτι ἐὰν παραπέσωσιν, εἰ καὶ μίαν φωραθῶσιν, ἢ πτῶσις γένηται, μηκέτι τὸ σύνολον ἱερουργείτωσαν. *Sacerdotes, diaconi, aut presbyteri, ſi ceciderint, licèt ſemel deprehenſi ſint, lapſus factus eſt, ampliùs nullo modo ſacris miniſteriis inſerviant.* Certè iis aliiſve ſimilibus Canonibus innixi Patres Hiſpani, ac præjactæ Epiſtolæ Innocentii, & alteri præcedenti Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem, ac nonnullis poſterioribus ſanctorum Pontificum Hilari atque Hormiſdæ (quas omnes ſuprà exhibuimus cum Notis) curârunt maximè in variis Conciliis, ne criminoſi, præſertim ob peccatum aliquod fornicationis ſive mœchiæ, ordinarentur, aut ordines jam ſuſceptos per fraudem aut ſurreptionē exercerent.

7. Legendus in eum ſcopum ſuprà Canon XII. Concilii Ilerdenſis ad annum DXLVII. & Canon II. Concilii Oſcenſis: ſed præcipuè Concilium Lucenſe anno Chriſti DLXXII. ſub Nitigiſio Epiſcopo (tunc Metropolitano) cui S. Martinus Bracarenſis Præſul miſit Capitula ex Orientalium Synodis collecta, & è Græco Latinè à ſe reddita, quæ ſuprà exſcripſimus pag. 327. & ſeqq. Inter ea verò leguntur nonnulla huc ſpectantia, quæ exſcribenda duxi.

8. XXIV. Canon ſive Capitulum ita ſe habet: *Si quis presbyter, aut diaconus, ſine aliqua examinatione ordinati ſunt, aut certè cùm diſcu-tiuntur, criminoſa peccata ſua celaverunt, & poſt ordinationem ab aliis ſunt detecti, abjiciantur à clero. SIMILITER ET DE UNIVERSO ORDINE CLERI SERVETUR. Nam hoc ſibi, quod irreprehenſibile eſt, ſancta & Catholica defendit Eccleſia.* Ex quibus verbis apertiſſimè conſtat, criminoſis quibuſque, licèt occultis, in toto Clero, nullatenus licuiſſe receptionem cujuſlibet prorſus ordinis, & ipſos deponi ſolitos quoties detecta fuiſſent illorum crimina.

9. XXV. Capitulum ferè idipſum decernit de presbyteris, & diaconibus cum moderatione aliqua. *Si quis* (inquit) *presbyter ante ordinationem peccaverit, & poſt ordinationem confeſſus fuerit, quia antea erravit; non offerat, ſed tantùm pro religione nomen presbyteri portet. Similiter & de diaconibus ſervandum eſt, ut ſi ipſe confeſſus fuerit, ordinem ſubdiaconatûs accipiat.* Jam verò ſuprà monui, eo tempore ſubdiaconatui nondum fuiſſe annexum votum continentiæ: cùm id Concilium fuerit habitum anno Chriſti DLXXII. id eſt, octodecim annis ante inchoatum Pontificatum S. Gregorii, qui ſubdiaconis onus continentiæ adjecit.

10. XXVII. Capitulum abſolutè & ſine limitatione ulla ait: *Si quis presbyter, aut diaconus, fuerit fornicatus aut mœchatus, projiciatur, & agat pœnitentiam.* Ubi nulla diſtinctione facta inter peccatum publicum & occultum, indicitur depoſitio & pœnitentia, tam presbytero, quàm diacono, ſi mœchatus aut fornicatus fuerit.

11. Porrò tam in iis Canonibus, quàm in aliis antiquioribus, *Presbyterorum*, id eſt, Seniorum, appellatione intelliguntur frequenter ii, quos ſimplices ſacerdotes dicimus, ad diſtinctionem Epiſcopi, qui in eiſdem Conciliis dicebatur *Sacerdos.* Verùm ſæculis ſequentibus, *Sacerdotum* vocabulo intelligi etiam cœperunt presbyteri, nec ſolùm Epiſcopi, niſi aliud ex contextu ſermonis colligatur

12. In Concilio Toletano III. habito anno Chriſti DLXXXIX. cui interfuit S. Leander, Canone I. ſtatuitur: *Nullus deinceps ad promerendos honores Eccleſiaſticos contra vetita Canonum adſpiret indignus: nihil ex hoc fiat, quod ſancti Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt debere non fieri: & qui præſumpſerit, ſeveritate priorum Canonum diſtringatur.* Patet verò, eam indignitatem ad ordines juxta Canones contractam fuiſſe quolibet *peccato mortis*, ſeu crimine præſertim carnis poſt baptiſmum commiſſo. Præterea in alio Concilio pariter Toletano extra numerum, celebrato ano. Chriſti DXCVII. ſub Reccaredo, anno duodecimo regni ipſius, Canone I. dicitur: *Sanctam & amicam Dei obſervantes caſtitatem, non ſolùm retinendam Pontifices ſuo corpore cenſeant, ſed & presbyteris & diaconibus miniſtrantibus Dei altaribus, modis omnibus obſervandam conſtituant: ut ex iis, qui caſtitatis voluerit patientiam violare, tali ſorte coërceatur, ut ultimus, à quo eſt, gradu dejectus, Deo ampliùs non miniſtret, ſed ſacerdotis ſui electione ſit tali clauſtro circumſeptus, ut cæteros ſuo exemplo corrigat, & ille ex pœnitentia reviviſcat.* Ubi planè presbyteris & dia-

& diaconis lapſis in peccatum carnis imponitur pœna depoſitionis perpetuæ.

13. In Concilio Toletano IV. cui præfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis, Canone XIX, inſcripto: *De ordinatione Epiſcopi*, plurima ſtatuuntur ne quis indignus ad tam ſublimem gradum eligatur, digniſſima lectu, & hoc loco repetenda, nî jam exhibita fuiſſent à nobis ſuprà in Actis ejuſdem Concilii paginâ 483. Sufficiat indicare qualiter ibidem excludantur ab eo gradu, *qui in aliquo crimine detecti ſunt, qui infamia notâ aſperſi ſunt, qui ſcelera aliqua per publicã pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſim lapſi ſunt*, &c. Nomine autem criminum, ſive ſcelerum, jam monuimus ſuprà ex S. Paciano, præſertim intelligi tria illa, idololatriam, homicidium, & fornicationem ſeu mœchiam.

14. Deinde verò Can. XXI. cui *De caſtitate ſacerdotum* epigraphe eſt, ita decernitur: *Quicumque in ſacerdotio Dei poſiti ſunt, irreprehenſibiles eſſe debent, Paullo Apoſtolo atteſtante*: Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe. *Inoffenſos igitur & immaculatos decet Dei exiſtere ſacerdotes, nec ullo tes fornicationis contagio pollui; ſed caſti viventes, mundos ſemetipſos celebrandis exhibeant ſacramentis. Abſtineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus: ut mundi corpore, purgati mente, poſſimus ad ſacrificium Chriſti dignè accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.* Mitto pleraque alia ſimilia ſtatuta Conciliorum Hiſpaniæ, & varias Pontificum Romanorum Epiſtolas ad Hiſpanos, quibus eadem inhabilitas recipiendi Ordines, & adminiſtrandi jam receptos, indicitur quibuslibet lapſis poſt baptiſmum in aliquod ſcelus, quale imprimis eſt idololatriæ, homicidii, & fornicationis. Legantur ſpeciatim Epiſtolæ Syricii ſuprà pag. 123. Innocentii pag. 153. Hilari pag. 229. & Hormiſdæ 247. Plura alia hoc ſpectantia lege apud eruditiſſimum Joannem Morinum lib. 4. *De Pœnitentia*, cap. 13. & ſeqq.

EXCURSUS II.

Refertur miſerandus Potamii Epiſcopi Bracarenſis lapſus, & ſpontanea accuſatio coram Patribus hujus Concilii. An propter crimen omnino ſecretum, quale fuit illud, debuerit in foro conſcientiæ abdicare ſe Epiſcopatu, & exercitio ſacrorum Ordinum, ante omnem accuſationem, vel notitiam aliorum hominum? Statuitur ſententia affirmans, & oſtenditur, inhabilitatem ad Ordines recipiendos ſive adminiſtrandos, annexam fuiſſe iis criminibus externis, quanquam prorſus occultis. Lapſus Epiſcoporum Potamii in Hiſpania, & Genebaldi in Gallia, expenduntur, & invicem comparantur.

15. CUM Potamius Metropolitanus Bracarenſis, de quo nihil ſiniſtrum antea vulgatum fuerat, ex fragilitate carnis *tactu feminee ſorduiſſet*, quamvis nullus mortalium ejus ſceleris fuiſſet conſcius, ſeſe per novem menſes ergaſtulo ſponte alligavit, & abſtinuit functionibus Epiſcopalibus. Nec contentus hoc ſupplicio adeò inſolito, literas dedit ad Patres hujus Concilii, quibus declarabat ſe intervenire Synodo nolle in pœnam ejus ſceleris à ſe commiſſi. Ii autem perculſi dolore ac miſeratione, ſecretò deliberârunt, ut Potamius ad Concilium vocaretur, & in eo cauſſam diceret. Fecit ille, & cum magnis gemitibus, ac ingenti lacrymarum imbre, lapſum ſuum aperuit voce, quem antea ſcripto confeſſus fuerat. *Qui mox flebili voce, luminibuſque ploratu madentibus, & fragore ſingultuum, cum unius Dei nominis juramento clamavit, ſe & verè eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nullâ ſe violentiâ prægravari. Unde etiam ferme per novem menſes ſponte deſeruiſſe regimen Eccleſiæ ſuæ, & ergaſtulo quodam pro admiſſo flagitio acturus pœnitentiam, ſe concluſiſſe edixit.*

16. Hiſce verò cum grandi gemitu & commiſeratione Patrum auditis, decretum eorum tale fuit: *Per fidelem confeſſionem ejus, agnito quòd tactu fœmineo ſorduiſſet, & declarato; licèt hunc paterna antiquitas ſacris regulis dejicere ab honore decernat; nos tamé miſerationis jura ſervantes, non abſtulimus nomen honoris, quod ipſe ſibi ſui criminis confeſſione jam tulerat: ſed valida auctoritate decrevimus, perpetuæ pœnitentiæ huic inſervire officiis & ærumnis: providentes, meliùs illum per aſperam & dumoſam ire pœnitentiæ ſolitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii manſionem, quàm relictum in voluntatis ſuæ latitudine, ad præcipitium duci æternæ damnationis.* Itaque piè actum fuit cum Potamio, reſervato ipſi honore Epiſcopatûs, & deſignato loco ad pœnitentiam agendam (quale iis ſæculis cenſebatur monaſterium aliquod in ſolitudine erectum) ne fortè ejectus à conſortio Chriſtianorum, & ſuæ voluntati relictus, in æternum periret.

17. Certè Potamius in peccatum carnis lapſus cum fœmina, quamvis occultiſſimum, cenſuit ſe in conſcientia adſtrictum, ut Epiſcopatum dimitteret, omniqúe illius functione ſeu exercitio abſtineret. Propterea enim ſponte ſe recluſit novem circiter menſes in ergaſtolo, abdicatis omnino functionibus Epiſcopatûs, & inter eas illâ interveniendi Concilio Nationali apud Toletum indicto.

18. Noverat ille tot Conciliorum, præſertim Hiſpaniæ, Canonibus impoſitam fuiſſe pœnam inhabilitatis perpetuæ ad Ordines quibuslibet poſt baptiſmum in peccatum mortale lapſis. Noverat præterea indictam depoſitionis perpetuæ pœnam Epiſcopis, presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, & tandem clericis quibuslibet lapſis in peccatum carnis. Noverat id, ut videtur certum, ex Canonibus toto Excurſu I. allegatis, qui paſſim legebantur ab omnibus ſacrum Ordinem habentibus in Hiſpania, & præſertim ab Epiſcopis.

19. Statim ac peccavit Potamius, agnovit magnitudinem ſceleris, ac reatus ſui, & ad vindicandam majeſtatem Dei offenſam ſe novem menſibus ergaſtulo clauſit, abdicavitque functionibus hierarchicis, quas antea exercebat tanquam Metropo-

tropolitanus Bracarenſis. Non legitur conſuluiſſe Theologos, ſi fortè inveniret quoſquam ipſum excuſantes ab eo onere ſubeundo pœnitentiæ publicæ ac famoſæ propter crimen occultum: aut ajentes ſufficere contritionem & confeſſionem ſecretam de peccato illo prorſus ſecreto; ſatisfactionem autem operum pœnalium nullatenus exigi ad veniam impetrandam, ſed ſolùm pro redemptione pœnæ temporalis debitæ in Purgatorio, quæ poterat multis modis opportuniùs ac lentiori modo exhiberi in hac vita, aut differri in aliam: aut dicentes, pœnam depoſitionis ſtatutam in ſacris Canonibus adverſus quoslibet è Clero lapſos in peccatum carnis, ſolùm obligare poſt ſententiam judicis, aut oriri ex jura Eccleſiaſtico, quod nequit prævalere contra jus naturale tuendi honorem proprium, & non ſubeundi infamiam ullam propter delictum occultum.

20. Non, inquam, conſuluit Potamius Theologos, ſi quos fortè inveniret quærentes dicta effugia, quales facilè occurrerent noſtro ævo: in quo nulla ferè lex divina aut humana, naturalis aut poſitiva eſt, quam plurimi non tentent eludere inani illa Probabiliſmi ſpecie, ſeu variis evaſionibus, ſive opinionibus, quarum tam multas damnavit Sedes Apoſtolica à tempore Alexandri VII. uſque modò in materia morum. Noluit ullâ regulâ Lesbiâ aut malè fidâ duci Potamius, ſed ſecurâ & ſolidâ, quæ duceret ad ſalutem. Fortè legerat illud Chryſoſtomi lib. tertio *De ſacerdotio*, cap. 10. ajentis: *Oportere puto tanta cum religione ac cautione, ad rem ipſam, ſacerdotium tam primi quàm ſecundi ordinis, accedere, ut illius molem magnitudinemq; primùm prorsùs detrectes; deinde adepto honore, aliorum judicia ſententiaſq; non exſpectare, ſi quod fortè commiſſum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin potiùs illud antevertens, te ipſe munere abdices. Sic enim par eſt ut divinam concilies impetreſq; miſericordiam; qui ſi tibi honorem illum præter decorum tanquam mordicus retinere ſtudueris, indignus es qui veniam conſequaris: tum verò divinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo graviore, per te addito. At verò conſtantiam hanc præſtare nullus valeat: tam peſtilens, tamq; lethale eſt appetentiæ iſtius virus.* Hactenus S. Joannes Chryſoſtomus, cujus verba præ oculis habuiſſe videtur Potamius, ut nulla conſultatione cum Theologis præmiſſa, aut excuſatione allegata, ſeſe ſtatim abdicaret Epiſcopatu.

21. Et certè non aliter potuit aut debuit ſe gerere Epiſcopus ille, ſi conſideremus, tam ipſius ævo, quàm multis ſæculis antea & poſtea, pœnam depoſitionis, ſive irregularitatis perpetuæ, impoſitam fuiſſe æquè ipſo jure Epiſcopis, presbyteris, diaconis, & reliquis clericis in fornicationem lapſis, ac in idololatriam, & homicidium. Atqui exploratum omnibus eſt, quemlibet ex iis lapſum, quamvis ſecretò, in idololatriam, vel homicidium, incurriſſe irregularitatem, ſeu depoſitionem perpetuam, ac proinde ante omnem accuſationem vel ſententiam judicis debuiſſe abſtinere ab exercitio ordinum, ac ſe gerere tanquam irregularem. Quod ipſum etiam hodie ſervatur: cùm nullus homicida, aut exteriùs lapſus contra Fidem per hæreſim formalem, audeat exercere ſacros ordines, quamvis delictum id fuerit prorſus occultum. Quid ergo mirum quòd Potamius lapſus in fornicationem, quamvis ſecretò, obnoxiam pariter irregularitati ſeu depoſitioni perpetuæ, abſtinuerit prorſus ab exercitio ſuorum ordinum?

22. Ita planè debuit ſe gerere Potamius, juxta ſenſum communem omnium iis ſæculis, & germanam interpretationem Canonum, præſertim Eccleſiæ Hiſpanicæ, quos allegavimus Excurſu I. Idipſum ſervabatur in Gallia, non ſolùm ubi crimina erant publica, ſed etiamſi occulta, & nemini alii quàm clerico peccanti & complici nota eſſent. Unde in Synodo Aurelianenſi I. Epiſcoporum triginta legitur Canone IX. *Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiſerit, ſimul ab officio & communione pellatur.* Similiter in Concilio Epaunenſi Epiſcoporum XXXIV. Canone XXII. dicitur: *Si quis diaconus aut presbyter crimen capitale commiſerit, ab officii honore depoſitus in monaſterio detrudatur, ibi tantummodo communione ſumenda.* Ubi nulla fit diſtinctio criminis capitalis penes publicum aut ſecretum. Qualecumque enim crimen fuiſſet capitale, quamvis occultum, perpetua depoſitione puniebatur.

23. Quin & in Concilio Juſtianenſi majori adhuc auſteritate decernitur: *Si quis diaconus aut presbyter, poſt acceptam benedictionem leviticam cum uxore ſua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.* Nimirum, pariter depoſitionem ſubibant qui durante matrimonio initiati ordinibus ſacris, redibant ad uſum ejuſdem matrimonii. Ita de presbyteris & diaconis ſtatutum erat, multò autem magis de Epiſcopis, ſi contingeret quenquam illorum, licèt occultiſſimè, commercium carnale habere cum uxore ſua. Incurrebat enim pœnam depoſitionis perpetuæ, neque audebat unquam Epiſcopales uſurpare functiones, niſi fortè poſt editos pœnitentiæ fructus dignos ac diuturnos, divino aliquo & patenti ſigno in integrum reſtitueretur.

24. In cujus doctrinæ confirmationem, ſimul & ad meliùs exponendum Potamii lapſum, placuit hoc loco referre lapſum Genebaldi Laudunenſis Epiſcopi cum uxore propria, ſimul & reſtitutionem ipſius factam per S. Remigium Præſulem Remenſem. Referam autem totam rem verbis Hincmari pariter Archiepiſcopi Remenſis, qui florebat inclinante nono ſæculo.

25. *Genebaldus* (inquit) *vir nobilis, pius, & eruditus, S. Remigii neptem duxerat. Poſtea relicta conjuge, vitam monaſticam profitetur, quam cùm ſanctiſſimè perageret, ab Sancto Remigio Laudunenſis Epiſcopus renunciatur. Illum Epiſcopum uxor frequentiùs viſitare cœpit: unde factum eſt ut ex ea marem ſuſciperet. Id Genebaldo cùm renunciari curâſſet S. Remigius, confuſus & dolens dixit: Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi abſconſo generatus eſt; rectè vocabitur Latro: ſic ei nomen imponat.*

26. Addit autem Hincmarus: *Et quia culpa*

homi-

hominibus non innotuit, ne ſuſpicio inde procederet, ſi ſe à ſolita viſitatione fœmina illa ſubtraheret, cœpit ut antea domum frequentare Epiſcopi. Unde contigit ut iterum mulier conciperet, ſed fœminam, quam vulpeculam nominari voluit. Tandem Genebaldus seriò ad Deum converſus, S. Remigium rogat, ut ad ſe ventitare dignetur: quia tales cauſſæ emerſerant, quas per ſe definire non poſſet. Poſterius enim crimen, non ſecus ac prius, occultiſſimum erat, nec priùs Remigio indicavit, quàm cùm Lauduni ſecretò eum allocutus eſt. Genebaldi poſtulationi annuit S. Remigius, & ſeſe Laudunum contulit, & ſuſceptus cum debita reverentia, ac ſecreta cubiculi petens, Genebaldum interrogavit, pro qua cauſſa illum vocaverit. Genebaldus verò cum maximo fletu & ejulatu volens tollere ſtolam de collo ſuo, & procidere ad pedes S. Remigii, cum magna virtute à B. Remigio eſt detentus, ne ſtolam de collo ſuo tolleret. Et poſtquam diutiùs ambo fleverunt (intellexerat enim B. Remigius Genebaldum admiſiſſe crimen pro quo ſtolam vellet deponere) vix ſingultibus & lacrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit quæ commiſerat. Quem S. Remigius videns contritum & penè deſperatum, conſolatus eſt, propoſitis & enarratis pluribus de Dei erga pœnitentes miſericordia argumentis, teſtimonia de latitudine ſanctæ Scripturæ, & exempla pœnitentium in unum colligens ad animandum eum illi propoſuit.

27. Si autem inquiras quam pœnitentiam, ſive ſatisfactionem impoſuerit S. Remigius Genebaldo, ſubdit idem Hincmarus. *Exhortato* (inquit) *pœnitentiam indixit, factâque manſiunculâ cum lecto in modum ſepulchri, parvis admodum feneſtellis, ac oratorio, quæ hodieque manent ſecus Eccleſiam S. Juliani, Genebaldum in ea reclusit, & clerum ac parochiæ ipſius populum per ſeptem annos, uti & propriam parochiam, gubernavit, unam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebravit. Quid magis ſecretum potuit eſſe illo crimine? quid pœnitentiâ de illo factâ magis publicum? Tandem ſeptimo anno in vigilia Cœnæ Domini Genebaldo in oratione pernoctanti apparuit angelus, eique dixit: ſuſcepit Dominus pœnitentiam tuam, & dimiſſum eſt peccatum tuum. Surge & hinc egredere, facque miniſterii Epiſcopalis officium, & reconcilia Domino pœnitentes. Ipſe autem angelo reſpondit, ſe egredi non poſſe, quia, inquit, dominus & pater meus Remigius clavem hujus oſtii ſecum habet, quod & ſigillo ſuo ſignavit. Ad quem angelus, ut non dubites me à Domino miſſum: ſicut patet tibi cœlum, ſic & oſtium iſtud patebit: & ſtatim ſalvo ſigillo & ſerâ oſtium illud apertum eſt. Genebaldus tamen in modum crucis ſeſe jactans egredi noluit, S. Remigium qui eum incluſerat; exſpectans. Eodem tempore S. Remigio angelus apparuit, qui quæcumque Genebaldo acciderant, enarravit. Quapropter nihil dubitans cum ſumma celeritate Laudunum petiit, & in limine oſtii ſalvo ſigillo & ſerâ reſerati, Genebaldum jacentem reperit, quem extenſis brachiis cum gaudio & lacrymis, laudans Domini miſericordiam, elevavit, eumque ſedi & officio Epiſcopali, ut angelus præceperat, reſtituere maturavit.*

28. Hactenus Hincmarus de Genebaldo, qui valdè ſimilis fuit Potamio. Ambo erant Epiſcopi. Ambo in peccatum carnis lâpſi ſunt, ſine teſte, accuſatore, aut judice, donec ſponte, ſuâ conſcientiâ urgente, miniſteriis Epiſcopalibus ſeſe abdicârunt, & crimen ſuum aperuerunt; Genebaldus quidem S. Remigio Metropolitano ſuo, Potamius verò Concilio Nationali Toletano, cui ſubditus erat. Alioqui diſſimiles fuerunt: quoniam Potamius publicè faſſus fuit, tum ſcripto, tum verbo, ſcelus ſuum toti Concilio nationis Hiſpaniæ: Genebaldus autem ſoli S. Remigio: ille in perpetuum abdicatus manſit, iſte verò ſeptem annis duntaxat: ille uſque ad mortem vacâſſe pœnitentiæ creditur; hic verò ſeptennio ſolùm, donec evidenti miraculo conſtitit, peccatum ipſius fuiſſe à Deo perfectè remiſſum.

29. Timeri autem jure poteſt, ne Potamius & Genebaldus, plures ſacerdotes, forſan & Epiſcopos, habuerint imitatores in lapſu, quàm in reſipiſcentia; in peccando, quàm in pœnitendo. Cùm enim à priſcis illis epochæ Chriſtianæ ſæculis puritas morum, & integritas diſciplinæ Eccleſiaſticæ, uſque modò magis ac magis imminutæ fuerint, non modò in pleriſque laïcis, ſed etiam in multis Clero adſcriptis juxta varios gradus; timere jure poſſumus, multos poſt ſacrum Ordinem acceptum quolibet tempore graviter lapſos fuiſſe, aut labi in peccata illa carnis, quibus juxta tot Canones Eccleſiæ antiquos pœna depoſitionis perpetuæ ipſo jure, atque in foro conſcientiæ, ut ajunt, ante omnem aliorum hominum notitiam, vel ſententiam judicis, impoſita erat. Et tamen quàm pauci leguntur ſponte ſua ſe accusâſſe, aut abdicâſſe Epiſcopatu, vel ſacerdotio, à priſcis illis ſæculis uſque modò! Unus Potamius in Hiſpania, & unus Genebaldus in Gallia, ac fortè pauci alii, ſingulari atque admirando exemplo, id præſtitiſſe leguntur.

30. Sanè peccatum fornicationis, ſeu mœchiæ, juxta illos ſacros Canones, eumdem præſtabat effectus, ac tria illa crimina, quæ, adhuc poſt pœnitentiam peractam, impediunt exercitium Epiſcopale ac ſacerdotale. Ea verò ſunt, imprimis ſimonia, deinde homicidium, ac tandem omne id ſcelus, quod ipſo jure irrogat infamiam: ut conſtat ex textibus notiſſimis Juris, præſertim 3. q. 7. *Infames*. §. *Porrò*. & 2. p. 3. cap. *Euphemium*. §. *Hinc colligitur*. ubi Gloſſa ait: *In iſtis criminibus, quæ poſt pœnitentiam impediunt exſecutionem ordinis, aut beneficii retentionem, debet Epiſcopus, aut quilibet alius inferioris ordinis paſtor, petere licentiam cedendi, quia pœnitere non poteſt, niſi renunciet.* Hæc ibi.

31. Profectò nec Potamius, nec Genebaldus leguntur incidiſſe initio in quemquam ex iis tribus ſcopulis: nam peccatum illorum nec fuit ſimonia, nec homicidium, nec delictum habens infamiam ipſo jure annexam. Verùm attentis ſacris Canonibus Excurſu I. allegatis, & veteri Eccleſiæ diſciplina, fornicatio aut mœchia in quolibet Epiſcopo, presbytero, ac diacono, adeò deformis viſa fuit, ut in ipſo foro conſcientiæ lapſos cõſtringeret ad renunciandum Pontificiæ dignita-

ti & ſacris Ordinibus. Ac ſicot oemo eorum coo-ſcius ſimoniæ, aut homicidii à ſe commiſſi, quamvis ſecretiſſimè, pôterat de cætero ſal vâ conſcientiâ exercere miniſterium ſacrum, ſed tenebator ſtatim ab illo abſtinere; ita etiam quoties quiſpiam illorum labebatur in fornicationem aut mœchiam.

32. Nec mirum quòd Potamius aut Genebaldus poſt lapſum adeò gravem ceſſerint Epiſcopatu, quando propter longè minores culpas, ac planè veniales, nonnulli ſanctiſſimi Præſules antea & poſtea idipſum feciſſe leganturut patet de S. Eucherio io Gallia, S. Atilano in Hiſpania, & S. Auguſtino In Africa: qui cùm bona fide obtuliſſet Aotooium quendam iu Epiſcopum, tanquam idoneum, poſtea expertus fuit illum adeò iniquum, ut populum ſibi commiſſum vexaret rapinis, oppreſſionibus, & intolerando dominatu. Cujus rei S. Doctor tam ingenti dolore & ſcrupulo tactus fuit, ut ſe Epiſcopatu abdicare voluerit, Quod ipſe teſtatur Epiſt. CCLXI. ad S. Cœleſtinum Papam, aliàs CCIX. In qua gratulatur ipſi de electione pacificè facta ad Pontificatom Romanum: eaque occaſione exponit cauſſam prædicti Antonii Epiſcopi Fuſſalenſis, qoi privatus adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ ob ſcelera, appellaverat Sedem Apoſtolicam. Rogat verò Augoſtinus Papam, ut eam ſententiam privatioois ratam habeat, &, inter alia, inquit: *Me ſanè (quod confitendum eſt Beatitudini tua) in iſto utrorumque periculo tantus timor & mæror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Epiſcopatum abſcedere, ſi per eum, cuius Epiſcopatui per imprudentiam ſuffragatus ſum, vaſtari Eccleſiam Dei, & (quod ipſe Deus avertat) etiam cum vaſtantis perditione perire conſpexero. Recolens enim quod ait Apoſtolus: Si noſmetipſos judicaremus, à Domino non judicaremur; judicabo meipſum, ut parcat mihi qui judicaturus eſt vivos & mortuos.* Vide ibidem Notas doctiſſimorum Monachorum S. Mauri in Gallia, ex quibus habemus, Auguſtinum obtiouiſſe, ut Antonius nunqoam reſtitueretur. Si S. Doctor ob negligentiam venialem inquirendi accuratiùs in mores Antonii quaudo electus fuit in Epiſcopum Fuſſalenſem, uſque adeò iudoluit, & cogitavit propterea relinqoere Epiſcopatum ſuum; quaotò magis Potamius & Genebaldus, ob ſcelera gravia, quibus juxta Caoones erat pœna depoſitionis annexa, potuerunt ac debuerunt ſeſe abdicare Epiſcopatibus?

EXCURSUS III.

Eadem pœna depoſitionis, ſeu privationis perpetua, ipſo jure ſtatuta adverſus eos omnes, qui poſt ſacrum Ordinem receptum lapſi ſunt in peccatum carnis, oſtenditur perpetuò tradita à S. Gregorio Papa multis ac variis locis. Porrò Epiſtolam ad Secundinum circumferri ſolitam ipſius Gregorii nomine, ut ſacerdotes in carnis peccatum lapſi reſtituantur poſtquam dignam pœnitentiam egerint, vitiatam fuiſſe à quopiam ſciolo, aut iniquo homine, quoad eam partem, ſicuti & aliam S. Iſidori nomine ad Maſſanum ſcriptam, aliamq; longè antiquiorem nomine S. Calixti Papæ de eadem re. Oſtenditur illarum ſuppoſitio, & confirmantur aut explanantur plura circa ſententiam noſtram de Collectione Iſidoriana.

33. QUEMADMODUM in Canonibus Conciliorum ſuprà indicatis vidimus pœnam depoſitionis ſeu privationis perpetuæ impoſitam fuiſſe ipſo jure qoibuslibet hominibus ſacro Ordine iniciatis, ob lapſum carnis, ſive publicum ſive occultum, ſeo nulla diſtinctione facta ioter utrum que; ita etiam iuveniemus eandem doctrinam conſtanter & ubique traditam fuiſſe à S. Gregorio Papa, cujus aliquot teſtimonia hoc loci exſcribemus.

34. Imprimis id docet libro Epiſtolarum III. Epiſt. XXVI. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum. *Pervenit* (inquit) *ad nos, quoſdam de ſacris ordinibus lapſos, vel poſt pænitentiam, vel ante, ad miniſterii ſui officium revocari: quod omnino prohibuimus, & in hac re ſacratiſſimi quoque Canones contradicunt. QUI IGITUR POST ACCEPTUM SACRUM ORDINEM LAPSUS IN PECCATUM CARNIS FUERIT, SACRO ORDINE ITA CAREAT, UT AD ALTARIS MINISTERIUM ULTERIUS NON ACCEDAT. Sed ne unquam ii qui ordinati ſunt, pereant; provideri debet, quales ordinentur: & priùs aſpiciatur, ſi vita eorum continens in annis pluribus fuit: ſi ſtudium orationis, ſi eleemoſynæ amorem habuerunt.* Ecce ubi adhuc pœnitentiâ actâ, oon admittit Gregorius, ſed potiùs perpetuò deponit lapſos qooslibet iu peccatum carnis poſt acceptum ſacrum Ordinem: idque teſtatur jam antea ſacris Canonibus ſtatutum fuiſſe. Unde & lib. eodem III. Epiſtolâ XXXVIII. ad Marcellum Scholaſticum, valdè ſibi dilectum, ſcribit ſe valdè cootriſtatum, quòd rogaretur pro reſtituendo Maximo poſt lapſum ad celebrandum. Iodeceos enim eſſe ait pro talibus petere, aut preces exaudire.

35. Præterea Regiſt. lib. 4. Epiſt. V. ſic ſcribit ad Venantium Lunenſem Epiſcopum de Saturnino presbytero lapſo: *Accedens ad Gorgonam Inſulam, fraternitas veſtra diſcutiat id quod ad nos de Saturnino expresbytero eſt perlatum. Pervenit namque ad nos, quia poſtquam pro crimine lapſus ſui à ſacerdotii Ordine eſt dejectus, ad explendum miniſterium ſacerdotii præſumpſit accedere,*

& omnipotenti Deo hoſtias immolare. Quod ſi ita factum fraternitas veſtra repererit, eum ſacri corporis & ſanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat: ita ut uſque ad diem obitus ſui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticũ tantummodo in die exitus ſui percipiat. Sin autem fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juſtè ad recipiendam inter laïcos communionem etiam ante exitum debeat miſereri, hoc in tua fraternitatis ponimus poteſtate. Hæc ibi, in quibus mitiùs ſe gerit, quàm PP. Eliberitani Can. XXX. ſuprà allegato.

36. Inſuper Regiſt. lib. 4. Epiſt. XVI. idem ſtatuit: *Ad fraternitatis tuæ* (inquit) *conſulta reſpondentes, ſtatuimus, Diaconum & Abbatem de Portu-Veneris, quem indicas cecidiſſe, ad ſacrum ordinem non debere vel poſſe ullo modo revocari. Quem quidem ſacro ordine privatum in pœnitentiam deputare convenit.* Et paullò pòſt: *Subdiaconi quoque, quos ſimilis culpa conſtringit, ab officio ſuo irrevocabiliter depoſiti, inter laïcos communionem accipiant. Saturninum verò expresbyterum, ut nunquam ad ſacri ordinis miniſterium præſumat accedere, ſcriptis cavere decrevimus.*

37. Eodem Regiſt. lib. 4. Epiſt. XVII. *Similiter etiam* (inquit) *& tres ſubdiaconos, quos fraternitas veſtra lapſos innotuit, à ſuo ſemper vacare decernimus privatos officio, quibus nihil aliud, quàm inter laïcos, ſacra eſt præbenda communio.* Rationem verò, ob quam omnibus lapſis in priſtinum gradum reſtitutionis ſpes præciditur, exponit in ipſo ejuſdem Epiſt. XVII. exordio. *Si lapſis* (inquit) *ad ſuum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur diſciplinæ, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat. Fraternitas ſiquidem veſtra nos conſulit, ſi Amandinus ex presbytero & Abbate, qui à ſuo eſt deceſſore culpa exigente depoſitus, in eo quo fuerat ordine conſtitutus debeat revocari. Quod quidem non licet, nec fieri poſſe aliqua ratione decernimus.* Hæc ille.

38. Deinde lib. 6. Epiſt. XXXIX. ejuſdem libri jubet Mariniano Epiſcopo Ravennæ, ut conſecret quendam electum in Præſulem cujuſdam Eccleſiæ loco Epiſcopi præcedentis lapſi, ac propterea depoſiti; eâ ratione additâ: quia *quemquam criminaliter abſcedentem, in locum, de quo lapſus eſt, nulla permittit ratio revocari.*

39. Mitto alia Gregorii loca idipſum teſtantia: ut proinde multi eruditorum cenſeant Epiſtolam illam ad Secundinum (quæ exſtat libro ſeptimo Regiſtri, Indictione II. eſtque numero quinquageſima quarta) pro ſacerdotibus lapſis, ut actâ pœnitentiâ dignâ redire poſſint ad miniſterium, à quopiam nebulone confictam fuiſſe, qui veterum Pontificum Epiſtolas pluribus locis corrupit, aut interpolavit: uti oſtenſum fuit Diſſert. IV. Tomi I.

40. Porrò eam Epiſtolam nomine tanti Pontificis ad Secundinum intruſam fuiſſe exemplaribus quibuſdam Operum S. Gregorii, vel ſaltem interpolatam ab aliquo impio aut ſciolo, quoad eam partem de ſacerdotibus lapſis poſt pœnitentiam reſtituendis, videtur evinci ex tot tanti Pontificis teſtimoniis, quibus palam tradit oppoſitum, illudque ubique & conſtanter exſequitur, veluti præſcriptum Canonibus ſacris, à quibus fas non eſſet deviare. Unde doctiſſimus Joannes Morinus in volumine inſigni *De pœnitentia*, lib. 4. cap. 15. cenſet in ea Epiſtola inveniri nonnulla vitiata ac corrupta: quale imprimis eſt, quòd ſacerdotes lapſi in peccatum carnis reſtituantur ad gradum priſtinum poſt pœnitentiam actam.

41. Accedit quòd Gouſinvillæus in ſuis obſervationibus ad eandem Epiſtolam, laudatus à Merbeſio tertia parte *Summa Chriſtiana*, Quæſt. XXVI. pag. 437. teſtatur, partem illam ejus Epiſtolæ de ſacerdotibus *in carnale delictum* prolapſis, in priſtinum gradum poſt actam pœnitentiam recipiendis, vix reperiri in uno aliquo ex triginta Mss. & nullatenus exſtare in vetuſtiſſimo Codice Remenſi, in quo deſcriptæ inveniuntur omnes Romanorum Pontificum Epiſtolæ à Gelaſio ad Joannem VIII. id eſt, quatuor ferè ſæculorum decurſu, ab anno Chriſti CCCCXCII. uſque ad DCCCLXXXII.

42. Accedit teſtimoniũ Mameſii aſſeverantis eandem particulã minimè exſtare in aliquo ex octo Mss. pervetuſtis Anglicanis. Idemque teſtatur Wendrockius in Notis ad Epiſtolã VI. Provincialẽ ſect. 3. §. 3. de antiquiſſimo quodam exemplari Clare-vallenſi Regiſtri Gregoriani. Quæ omnia argumento ſunt, præjactæ ad Secundinum Epiſtolæ aſſutum fuiſſe poſtea centonem illum adeò contrarium doctrinæ expreſſæ tot locis à S. Gregorio.

43. Unde quinquaginta circiter annis poſt obitum ejuſdem S. Doctoris, nimirum ſæculo ſeptimo mediante, tempore S. Martini Papæ, religiosè obſervabatur, ut diaconi quique & presbyteri in carnis flagitia lapſi deponerentur abſque ulla ſpe reſtitutionis. Id patet ex Epiſt. ejuſdem S. Martini ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem, quem conſolatur mœrentem, ac volentem abdicare ſe regimine Eccleſiæ ſuæ *eo quòd presbyteri, diaconi, aliique ſacerdotalis officii, poſt ordinationes ſuas in lapſu* coïnquinati fuerant. Conſolatur, inquam, eum, & hortatur ut perſiſtat in Epiſcopatu, & exſequatur ſacrorum Canonum juſſa in iis hominibus, *& nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem Canonum compaſſionem exhibeat. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum ſacerdotii poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis quoaduſque advixerit in eadem pœnitentia perſeverare, ut delictum commiſſum divinâ gratiâ extinguere valeat*, &c. Si autem verè S. Gregorius quinquaginta annis antea in ea Epiſtola ad Secundinum indulſiſſet clericis lapſis in peccatum carnis, ut peractâ pœnitentiâ redirent ad exercitium ſacrorum Ordinum; poſtea tempore S. Martini Papæ ea doctrina ubique nota & uſu recepta fuiſſet: ac proinde iidem lapſi eo pœnitentiæ remedio uti poſſent, ut in integrum reſtituerentur. Non itaque ſubirent depoſitionem perpetuam, ut ipſe affirmat, ſed ſuſpenſionem temporalem donec agerent debitam pœnitentiam. Lege pleniùs eandem Epiſtolam To. VI. edi-

editionis Labbeanæ Conciliorum columnâ 383. inter alias ipſius Martini Papæ.

44. Certè Concilium hoc Toletanum X. habitum ſuit anno Chriſti DCLVI. id eſt triennio poſt obitum ejuſdem S. Martini Papæ, qui martyrium ſubiiſſe cenſetur an. DCLIII. Unde cùm eouſque diſciplina Eccleſiaſtica viguiſſet de perpetua depoſitione clericorum poſt ſacrum Ordinem ſuſceptum lapſorum in crimen carnis, nihil mirum quòd Potamius ejus ſceleris conſcius crediderit ſe obſtrictum ad derelinquendum Epiſcopatum, & miniſterium ſacerdotii deſerendum, etiam poſt novem menſes duri ergaſtuli, quod voluntariè ſubierat. Ejuſdemque diſciplinæ veteris & aſſiduæ conſcii Patres ipſi Toletani in eo decreto adversùs Potamium edito probè agnoverunt, poſt lapſum carnis nullum fuiſſe locum ut ille reſtitueretur miniſterio pontificali aut ſacerdotali, adhuc poſt illam, quam ſpontè ſubierat, novem menſium in ergaſtulo pœnitentiam.

45. Sed & tempore illo interjecto Pontificatui S. Gregorii, & huic Concilio (nimirum, ab anno Chriſti DCIV. ad DCLVI.) eadem ſeveritas diſciplinæ retinebatur in Hiſpania circa clericos in crimen carnis lapſos: ſiquidem S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui eam Eccleſiam nobiliſſimam rexit ab an. circiter DCII. uſque ad DCXXXVI. perpetuò docuit, Epiſcopum vel presbyterum, qui ſe aliquo mortali crimine maculaverit, deponendum eſſe; & ſimiliter, ordinari non debere illos, qui poſt baptiſmum aliquo mortali peccato corrupti eſſent. Etenim libro ſecundo *De officiis*, cap. 5. inſiſtens doctrinæ ſacrorum Canonum inquit: *Si is qui jam in Epiſcopatu vel presbyterio eſt poſitus, mortale aliquod peccatum admiſerit, non debet offerre panes Domino; quantò magis ante ordinationem peccator inventus repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à ſacerdotio removet, conſideret ſe unuſquiſque, ſciens quia potentes potenter tormenta patientur: retrahat ſe ab hoc non tam honore, quàm onere, & aliorum locum, qui digni ſunt, non audeat occupare.* Ac præterea eodem loco: *Quòd autem quis poſt baptiſmum aliquo peccato mortali corruptus ad ſacerdotium non promoveatur, lex ipſa teſtatur.* Quomodo ergo credi poteſt S. Gregorium paucis antea annis oppoſitum tradidiſſe in illa ad Secundinum Epiſtola?

46. Similiter idem S. Iſidorus in Epiſtola ad Helladium & alios Epiſcopos cum ipſo adunatos, ita loquitur de Epiſcopo quodam miſerè lapſo: *Cognovimus Cordubenſis Eccleſiæ ſacerdotem in Pontificali culmine carnali labe dilapſum, & de altitudine honoris in profundo flagitiorum flendâ ruinâ demerſum.* Ac paullò poſtea: *Cum effuſione lacrymarum veſtram ſanctitatem depoſcimus, ut idem lapſus cœtui veſtro præſentatus, agnito à vobis confeſſionis eloquio, ſynodali ſententia à gradu ſacerdotii deponatur. Melius eſt illi ut temporaliter judicetur à vobis, quàm æterno damnetur judicio. Levior eſt illi præſentis temporis ignominia, quàm futura gehennæ tormenta. Sciat ſe amiſiſſe nomen & officium ſacerdotis, qui meritum perdidit ſanctitatis. Quapropter judicii veſtri decreto pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret: plangat ſacerdotii cultum, quem malè vivendo perdidit. Lugeat animæ ſuæ ſtatum, quem tanto putredinis cœno coinquinavit: fortaſſe quandoque porriget illi manum Spiritus ſanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur peccatorum remiſſionem.* Hæc inibi, quibus nihil luculentius deſiderari poteſt, ut evidenter appareat, primis illis poſt obitum S. Gregorii annis in tota Eccleſia, præſertim Hiſpanica, perſeveràſſe antiquam ſacrorum Canonum ſeveritatem circa nunquam reſtituendos miniſterio illos omnes, qui poſt receptum ſacrum Ordinem in ſcelus aliquod labebantur. Unde & conſequens eſt, ut particula illa Epiſtolæ ad Secundinum, in qua oppoſitum traditur nomine S. Gregorii, fuerit conficta & intruſa.

47. Obiter collige, idipſum dicendum eſſe de alia Epiſtola ejuſdem S. Iſidori nomine edita ad Maſſanum Epiſcopum, in qua pariter conceditur reſtitutio in integrum clericis in carnale crimen lapſis, ſi debitam pœnitentiam egerint. Nimirum & illa, quantum ad eam partem, eſt planè commentitia, ſicut præcedens Gregorio adſcripta. Et ſicuti ex teſtimoniis nuper allegatis Iſidori conſtat, ipſum quoad eam ſeveritatem circa clericos lapſos minimè reſtituendos, adhæſiſſe ſacris Canonibus atque ipſi Gregorio locis exhibitis ſuprà num. 34. & ſeqq. ita etiam certum eſt nihil iis contrarium ad Maſſanum Epiſcopum ſcripſiſſe.

48. Inſuper obſerva, in Collectione illa Conciliorum & Epiſtolarum Decretalium à tempore S. Clementis Papę uſque ad Gregorium Magnum incluſivè, quam fecit S. Iſidorus Hiſpalenſis (ut oſtendimus Tomo I. hujus Operis Diſſert. I.) nullatenus exſtitiſſe Epiſtolam prædictam ad Secundinum cum illo additamento de reſtitutione ſacerdotum lapſorum poſt debitam pœnitentiam. Si enim inibi exſtaret, S. Iſidorus eandem doctrinam in ſuis ſcriptis tradidiſſet, & in caſibus occurrentibus exſecutus fuiſſet. Atqui S. Doctor potiùs tradidit & exſecutus fuit oppoſitum: ut nuper oſtenſum fuit num. 45. & 46. expreſſis ipſius teſtimoniis. Non igitur in ejus Collectione exſtabat Epiſtola ad Secundinum cum additamento ſive aſſumento illo.

49. Collige præterea, nec in eadem Collectione tempore ipſius S. Iſidori exſtitiſſe Epiſtolam illam ſecundam S. Calliſto Papæ adſcriptam Tomo I. Conciliorum cujuslibet editionis, in qua dicitur, inter plura alia: *Errant qui putant, Domini ſacerdotes poſt lapſum, ſi condignam egerint pœnitentiam, Domino miniſtrare non poſſe, & ſuis honoribus frui, ſi bonam deinceps vitam duxerint, & ſuum ſacerdotium condignè cuſtodierint*, &c. Si enim intelligantur ea verba de lapſu in crimen carnale, videntur omnino aſſuta à ſciolo aliquo aut veteratore iniquo, qui poſt tempus S. Iſidori introduxit eam doctrinam planè contrariam Canonibus ſacris, & perpetuæ eouſque diſciplinæ ab Eccleſia ſervatæ, immo & ipſi S. Iſidoro. Quòd autem additamentum illud extendatur etiam ad ſacerdotes in crimen carnis lapſos,

colli-

colligitur ex contextu ejuſdem Calliſti Epiſtolæ collatæ cum illa alia Gregorii ad Secundinum, & ipſi ſimillimæ, ubi palam de ſacerdotibus lapſis in peccatum carnis ſermo eſt.

50. Quapropter non miror, viros aliquot eruditos tempore Gregorii XIII. incumbentes correctioni Decreti Gratiano adſcripti, rejeciſſe eam partem Epiſtolæ ſecundæ Calliſti Papæ, veluti aſſutam & confictam; ut teſtatur doctiſſimus Antonius Auguſtinus Dialogo IV. lib. 2. *De emendatione Gratiani*. Intellecta enim de ſacerdotibus lapſis in crimen carnis (quod pleraque Concilia & Canones antiqui generatim *mœchiæ*, aut etiam *fornicationis* nomine comprehendunt) videtur palam ſubdititia, per ſummam audaciam cujuſpiam inſigni hominis, qui tam pleraſque Epiſtolas priſcis Pontificibus uſque ad Syricium adſcriptas, quàm nonnullas alias poſteriorum, & in iis illam Gregorii ad Secundinum, aliamque ejuſdem Sancti Iſidori ad Maſſanum Epiſcopum, interpolavit, corrupit, aut falſavit, graviſſimo planè damno diſciplinæ Eccleſiaſticæ poſterioribus ſæculis, ut poſtea apparebit.

51. An verò is nebulo aut ſciolus & corruptor Epiſtolarum, fuerit aliquis nomine Iſidorus, cognomento *Mercator*, an potiùs Theodiſclus quidam ſucceſſor S. Iſidori in Sede Hiſpalenſi, & interpolator ſcriptorum ipſius; jam ſatis diximus Tomo I. hujus Operis tota Diſſertatione I. & Diſſert. IV. Excurſu VII. nec modò inculcare opus eſt. Oportet verò hoc loco, & ſæpè aliàs iterare quod ibidem toto Excurſu VI. palam tradidimus in ipſa ejus epigraphe, & poſtea confirmavimus: *Pleraſque dictarum Epiſtolarum* (nimirum, adſcriptarum priſcis Pontificibus uſque ad Syricium) *prout communiter circumferuntur, vehementer ſuſpectas eſſe de interpolatione, & aliis defectibus: non tamen reſpuendas, ſed venerandas, & in auctoritatem recipiendas, cum delectu opportuno*. Qualis autem iſte delectus debeat eſſe, ne quis aut temerè damnet & omnino rejiciat Epiſtolas illas (uti poſt Davidem Blondellum heterodoxum videntur facere multi plus nimio delicati, & *ὑπερκριτικοὶ* ex Catholicis ipſis) aut nimia credulitate & abſque delectu ullo probet; ſatis eo loco diximus.

52. Unde & poſtea num. 81. hæc ſubdidimus (quæ præ oculis habeant rogo, quicumque procul à vero dicunt, cenſent, aut ſcribunt, nos tueri omnino omnes illas Epiſtolas, veluti authenticas, & prorſus immaculatas) *Nec propterea in me recipio tuendam omnium & ſingularum ex iis* (Epiſtolis) *αὐθεντίαν, aut nego in multis earum delectu opus eſſe, ſive propter parachroniſmos, ſive ob quaedam alia vehementem interpolationis ſuſpicionem ingerentia, ſive ex aliis capitibus*. Falluntur itaque ſi qui exiſtimant nos abſque ullo delectu, aut indiſcriminatim tueri auctoritatem omnium earum Epiſtolarum, prout modò exſtant, cùm tam apertè faſſi ſimus, multipliciter vitiatas fuiſſe pleraſque illarum, variis locis, & quoad eam partem non eſſe dignas fide. Cur autem pleræque aut omnes ferè Epiſtolæ priſcis Pontificibus tributæ careant integritate illa & auctoritate, quâ pollent Epiſtolæ Syricii Papæ, jam ſuprà explanavimus in hoc ipſo volumine Diſſert. V.

53. Itaque quoties in iis aliiſque P.P. veterum Epiſtolis apparuerit aliquid prorſus contrarium veritati hiſtoricæ, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ eorundem ſæculorum ubique receptæ, aut quod planè contigerit poſt tempus, annum, menſem, vel diem deſignatum in notatione cujuſque Epiſtolæ, cenſeri debet aſſutum, interpolatum, aut confictum quoad eam partem, quicquid ſit de reliquis, in quibus nullus nævus apparuerit. Quod ipſum propterea de tribus iis Epiſtolis adſcriptis Calliſto, Gregorio, & Iſidoro, cenſeri debet. Idipſum quoque dictum accipe de Epiſtola illa quæ tribuitur Bonifacio II. Papæ ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, tanquam in ea aſſeruerit Eccleſiam Africanam fuiſſe diviſam à Romana per integrum ſæculum euſque. Eſt enim ea pars manifeſtè falſa & intruſa: ut oſtendit palam D. Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrolog. Romanum die 16. Octobris.

EXCURSUS IV.

Objiciuntur nonnullæ difficultates graves adversùs doctrinam præcedentem, deſumptæ potiſſimùm ex variis Canonibus Conciliorum Hiſpaniæ, pro reſtitutione in integrum miniſtrorum Eccleſiæ, etiam ſacerdotum, lapſorum in peccatum carnis, præſertim occultum, poſtquam condignâ pœnitentiâ expiatum fuit. Ubi iterum de Epiſtolis illis adſcriptis Gregorio Magno, Calliſto I. & S. Iſidoro Hiſpalenſi, ex quarum ſuppoſitione ea relaxatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ longè poſtea ſecuta fuit.

54. PRÆCIPUA difficultas, quæ excitari poteſt pro reſtitutione clericorum lapſorum in peccatum carnis poſt actam dignam pœnitentiam, deſumitur ex Concilio Ilerdenſi ſuprà edito pag. 283. Can. V. ubi ita legitur: *Hi qui altario Dei deſerviunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerant; maneat in poteſtate Pontificis* (nimirum Epiſcopi) *vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſeparare: ita tamen, ut ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod ſi iteratò velut canes ad vomitum reverſi fuerint, non ſolùm dignitate officii careant, ſed etiam ſanctam communionem, niſi in exitu, non percipiant*. Porrò in priori parte ejus Canonis palam remittitur arbitrio, & judicio Epiſcopi, ut miniſtros altaris lapſos in peccatum carnis reſtituat citiùs aut tardiùs eidem miniſterio, juxta qualitatem pœnitentiæ ipſorum. Porrò id Concilium fuit habitum anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſexto, atque adeò quadraginta quatuor annis antequam S. Gregorius Magnus in Pontificem eligeretur, & centum decem ante hanc X. Synodum Toletanam, in qua Potamius ob lapſum carnis depoſitus fuit de Epiſcopatu.

Vide-

Videbitur itaque ſorſan durè actum cum ipſo: ſiquidem juxta Canonem illum Ilerdenſem potuiſſet honori & gradui ſuo reſtitui poſt actam legitimè pœnitentiam, qualem ipſe jam ſpontè egerat, ſe recludens novem menſibus intra ergaſtulum, & ultrò abdicans functionibus hierarchicis.

55. Augetur hæc difficultas omnino intacta ab interpretibus iſtorum Conciliorum: quia non nititur in Concilio aliquo apocrypho, aut dubiæ auctoritatis, qualia ſunt nonnulla indicata in pſeudo-chronicis adſcriptis Dextro, Maximo, Hauberto Hiſpalenſi, Juliano Perez, &c. quorum pleraque ſuprà Diſſert. III. & Tom. I. Diſſert. IX. rejecimus, veluti intruſa, ſubdititia, & excogitata cum aliis fictionibus ab uno aut alio veteratore ſatis noto. Etenim Concilium id Ilerdenſe ſemper habitum fuit exploratæ auctoritatis in omnibus libris ſive Codicibus, tam editis quàm manuſcriptis, etiam in antiquiſſimo illo Lucenſi, qui nimia vetuſtate præ aliis lacer ac detritus erat tempore editionis Loaïſæ, & fortaſſis excedit antiquitatem octingentorum annorum. Neque aliquis uſque modò ſuſpicatus fuit in id Concilium irrepſiſſe aſſumenta aliquot, vel centones ex poſterioribus ſcriptis, aut tandem quampiam earum mercium, quæ Iſidorianæ dici ſolent, denominatione ſumpta ab Iſidoro illo, qui communiter *Mercator* dicitur, & cenſetur chimæra ſæculi octavi, aut noni.

56. Præmiſſa itaque auctoritate Canonis prædicti, difficultas graviſſima in oculos incurrit. Etenim ſatis apertè in eo traditur, miniſtros Dei ſervientes altari (nullâ factâ diſtinctione inter ſacerdotes aut alios clericos inferioris ordinis) ſi aliquando cadant in peccatum carnis, & de eo dignè pœniteant, & corde ac corpore mortificati ſint, poſſe ab Epiſcopo non diu ſuſpendi; id eſt, poſt aliquantum temporis permitti, ſive admitti ad miniſterium altaris. Si autem ita lapſos inveniat deſidioſos, id eſt, negligentes in pœnitendo, ſegreget illos prolixiori tempore ab Eccleſiæ corpore, addita illa exceptione: *Ita tamen, ut ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia ulteriùs promoveri.* Videtur itaque fundamentum habere in eo Canone doctrina tradita in Epiſtolis Gregorii ad Secundinum, & Iſidori ad Maſſanum de reſtituendis honori & gradui ſuo ſacerdotibus lapſis in peccatum carnis, ſi dignam egerint pœnitentiam. Unde & conſequens apparet, ut nimiùm ſeverè cum Potamio egerint Patres hujus Concilii Toletani X. deponentes eum poſt rigidam pœnitentiam ſpontè actam.

57. Augetur difficultas ex alio Canone, quem veluti decimum Concilii Ilerdenſis (incertum quonam tempore celebrati) exſcripſit inter illius fragmenta D. Loaiſa, quique multis ſæculis antea legebatur in *Pœnitentiali* Rabani Mauri initio capitis primi, juxta editionem Archipræſulis Antonii Auguſtini, hiſce verbis: *De his ergo viſum eſt nobis conſcribi, qui ſacros Ordines habent, & ante vel poſt ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus ſe eſſe profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc diſtantia eſſe debet, ut hi, qui deprehenſi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus, ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta, à gradu proprio deponantur: quia eſt ſcandalum populo Dei, tales perſonas ſuper ſe poſitas habere, quas ultra modum vitioſas conſtat eſſe. Nempe inde detrahuntur homines à ſacrificio Dei; ſicut quondam, filiis Heli peccantibus, feciſſe leguntur: & rebelles hinc, atque contrarii exiſtentes, eorum pravis exemplis quotidie peiores fiunt*, &c. Et hactenus ibi de criminibus publicis initiatorum ſacro Ordine.

58. Subditur autem ſtatim de iis, qui occultè peccârunt, & ſecretò confeſſi ſunt: *Qui autem de prædictis viris per occultam confeſſionem mala à ſe abſconsè commiſſa coram oculis Dei, præſente etiam ſacerdote, qui eis indicturus eſt pœnitentiam, confitentur, & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant; ſi veraciter pœnituerint, & ſe per jejunia & eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes, cum lacrymis purgare certaverint; his etiam gradu ſervato, ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Hæc ibi.

59. Nemo autem facilè inveniet quonam anno, immo & ſæculo, habitum fuerit Concilium Ilerdenſe, quo id caput, ſive is Canon prodiit: ſi tamen uti talis habendus ſit. nam ibidem ſingularis quidam ea verba profert, præmiſſâ illâ proteſtatione, *ut mihi videtur*: quæ adhiberi non ſolet ubi Synodus loquitur, ſive quando Patres ſynodicè loquuntur. Sed vel ex illo ipſo loquendi modo conjiciet fortè aliquis, id Concilium & caput fuiſſe celebratum & ſcriptum antequam circumferretur Epiſtola illa ad Secundinum S. Gregorii Magni nomine ſcripta. Si enim hæc jam præ manibus omnium eſſet, qualis exſtat in communibus editionibus, cum diſtinctione illa peccatorum carnis penes publica & ſecreta in clericis ſacri Ordinis; non fuiſſet opus tradendi eandem doctrinam in Concilio illo Ilerdenſi cum dicta limitatione, *ut mihi videtur*. Poſſet enim ille Epiſcopus, poſſent & alii, poſſet denique tota Synodus Ilerdenſis abſolutè & ſine reſtrictione, eam doctrinam & diſtinctionem tradere, quæ nomine S. Gregorii tradita, & ubique vulgata inveniretur.

60. Sed ſive ea Epiſtola S. Gregorii nomine edita ſit germana, ſive ſubdititia, aut ſaltem interpolata, quoad eam partem (idemque eſt de alia Calliſto adſcripta) id certum videtur, in utroque prædicto Concilio Ilerdenſi ſtatutum aut declaratum fuiſſe, clericos occultè lapſos in peccatum carnis, vel aliud capitale, & dignè pœnitentes, *ita ut mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerant*, potuiſſe ab Epiſcopis reſtitui miniſterio altaris, ſive exercitio Ordinis recepti; & eò breviori temporis ſpatio, quò meliori & præſtantiori diſpoſitione pœnituiſſent. Ea verò reſtitutio includit aut ſupponit abſolutionem, ſeu veram remiſſionem peccatorum datam clericis lapſis ab Epiſcopo: quoniam ſine illa indignè omnino ad miniſterium altaris accederent. Alioqui

reſti-

reſtitutio eſſet damnoſa & urgens occaſio ad indignam rerum ſacrarum myſteriorumque divinorum tractationem.

61. Confitebantur itaque tunc (ſaltem apud provinciam Tarraconenſem, in qua ſita eſt Ilerda) clerici in peccatum carnale occultè lapſi, coram ſacerdote, ſive Epiſcopo, & juxta intenſiorem aut remiſſiorem cordis & corporis afflictionem, dignamque pœnitentiam, accipiebant non modò peccatorum veniam prævia confeſſione ſecretâ, ſed etiam reſtitutionem ad exercitium Ordinis jam antea ſuſcepti. Quod ipſum in uſu erat tempore alterius Concilii Ilerdenſis, in quo tradita fuit doctrina illa notabilis num. 58: præmiſſa, quantum ad utrumque effectum remiſſionis & reſtitutionis.

62. Utroque autem eo loco ſatis certò colligitur, judicio illorum Patrum Ilerdenſium, pœnam depoſitionis perpetuæ juxta Canones pœnitentiales impoſitam clericis in fornicationem vel aliud crimen principale aut capitale lapſis, fuiſſe diſpenſabilem ab Epiſcopis juxta congruentem pœnitentium diſpoſitionem, quoties delictum erat *ſubitò & fleuda fragilitate* commiſſum, ac prorſus occultum, & per ſecretam confeſſionem ſubjectum ipſorum clavibus. Itaque depoſitio perpetua ab ordinibus ſacris, ſive ab ipſorum exercitio, ſine ulla reſtitutionis ſpe, juxta ſenſum Patrum Ilerdenſium, ſolùm erat impoſita clericis ob prædicta ſcelera quando erant notoria ſive publica: vel, ut loquamur verbis poſterioris illius Canonis aut capitis Ilerdenſis, *ſi clerici deprehenſi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus.*

63. Eandem doctrinam invenio traditam in Concilio quodam Toletano antiquo, cujus certum caput allegant Burchardus lib. 19. cap. 151. & Ivo part. 15. cap. 160. eſtque in Collectione Conciliorum D. Loaïſæ pag. 61. ſub hiſce verbis: *De viris ordinatis, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſtè ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti* PRO PECCATIS SUIS CONFESSIONEM EPISCOPO, *SIVE* PRESBYTERO OCCULTE FACIUNT, *bonum mihi videtur, ut ſecundum id quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo, ſive presbytero, pœnitentiam agant; non trepidè nec tardè, ſed ferventer & ſolicitè: ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos,* ET GRADUM SE RETENTUROS CONFIDANT. Hoc etiam loco, non tota Synodus, ſed unus aliquis Patrum congregatorum loquitur: ut patet ex verbis illis: *Bonum mihi videtur.* Fortè autem quod ille dixit cæteri probârunt: ut in aliis Conciliis factum legitur, & in ſingulis ferè Canonibus magni Concilii Sardicenſis. Sed qualitercumque acciderit in illo Concilio Toletano incerti temporis, videmus non ſolùm veniam peccati gravis occultè commiſſi concedi clerico dignè pœnitenti, ac ſecretò confitenti; ſed etiam reſtitutionem ad Ordinem, *ſive retentionem gradûs*, ut ibidem in fine dicitur: conſonatque per omnia ferè Canoni V. Concilii Ilerdenſis, in quo verſabamur paullò antea.

64. Porrò ex prædictis Canonibus, ſive capitulis Conciliorum Ilerdenſium, & unius vel alterius Toletani incerti anno celebrati, videtur quiſpiam veterator, inclinante circiter ſæculo octavo, aut nono ineunte, relaxâſſe diſciplinam Eccleſiaſticam circa clericos, etiam ſacerdotes, in peccatum carnis lapſos, ut poſt debitam pœnitentiam reſtituerentur gradui & honori ſuo, contrà quàm ſemper factum fuerat, & in hoc Concilio Toletano decimo obſervatum vidimus cum Potamio. Ut autem reſtitutio ipſa ſecuriùs & ubique obtineretur, idem audaciſſimus nebulo centonibus additis interpolavit Epiſtolas illas ſuprà indicatas: nimirum, illam ſecundam Calliſti, aliam Gregorii ad Secundinum, & aliam S. Iſidori ad Maſſanum.

65. Ex iis omnibus aſſumentis, irrepentibus in Codices pleroſque Conciliorum & Canonum, atque Epiſtolarum Decretalium, ab initio circiter ſæculi noni, videtur ortum fuiſſe, ut inclinante jam illo, Hincmarus in Gallia, & Rhabanus in Germania, bona quadam fide adducti, & nullo ſibi dubio occurrente circa γνησιότητα earum Epiſtolarum, cenſerent miniſtros altaris in peccatum carnis lapſos poſſe gradui & honori ſuo reſtitui poſt pœnitentiam dignam. Fortaſſis etiam eidem paradoxo tradendo innixi fuerunt Canonibus XXI. & XXVI. Synodi Trullanæ, ſive Quini-ſextæ, ſatis difficilibus explanatu, & in ſpeciem faventibus reſtitutioni lapſorum ad exercitium Ordinis. Vide ibi. Sed tamen Canones Trullanos nunquam fuiſſe ab Apoſtolica Sede probatos, jam vidimus Tomo I. Diſſertat. III. numero 33. & 57.

66. Subinde quoque ex eadem centonum aſſutorum farragine proceſſiſſe videtur, ut ſæculo undecimo Burchardus in Germania, S. Anſelmus Cantuarienſis in Anglia, Ivo Carnotenſis in Gallia, & poſtea Gratianus in Italia, ac ſæculis ſequentibus alii plures cenſerent & ſcriberent, licitum eſſe clericis lapſis in peccatum carnis, etiam ſacerdotibus, poſt dignam pœnitentiam & confeſſionem ejus criminis occultè commiſſi, perſiſtere in ordine & gradu ſuſcepto. Legantur ii tres propriis locis: nimirum, Burchardus lib. 19. cap. 51. Anſelmus libro *Epiſtolarum I.* Epiſt. LIX. juxta editionem Gerberonis pag. 333. & Ivo parte 15. cap. 160. Porrò ii tres bona fide cenſentes Epiſtolas illas circumferri ſolitas nomine Calliſti ac Gregorii Pontificum, & Iſidori ad Maſſanum, eſſe germanas, presbyteris occultè lapſis permiſerunt, ut poſt dignos pœnitentiæ fructus redirent ad miniſtrandum altari: quod certè primis ac melioribus ſæculis, ſaltem uſque ad finem circiter octavi, nemini juxta ſacros Canones conceſſum legitur, niſi in ea Synodo Ilerdenſi, quæ ſolùm Provincialis fuit, parum numeroſa, & auctoritatis exiguæ.

EXCURSUS V.

Omne crimen, præſertim carnis, commiſſum poſt baptiſmum, à tempore Apoſtolorum, ſive ſecretum ſive publicum, impedimento perpetuo fuiſſe ad recipiendum ſacros Ordines, & adminiſtrandum jam ſuſceptos. Veſtigatur quænam ratio aut cauſſa impulerit Patres Concilii Ilerdenſis, ut aliquantò mitiùs ſe haberent erga miniſtros altaris lapſos. Memoranda hiſtoria juvenis graviſſimè lapſi, & poſt pænitentiam reconciliati à Joanne Apoſtolo expenditur in eum ſcopum. Similiter & Epiſtola celebris Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem.

67. IMPRIMIS dicendum videtur, ab ipſo Apoſtolorum tempore, aut circiter, moris in Eccleſia fuiſſe, neminem ſacris Ordinibus initiari, qui poſt baptiſmum receptum lapſus fuiſſet in aliquod crimen clam ſive palam, ſaltem aut præcipuè ex tribus illis quæ graviſſima cenſebantur: ea verò erant, idololatria, homicidium, & fornicatio, ſeu mœchia. Idque ſatis apertè tradiderat Paullus in Epiſtola ad Titum cap. 1. & prima ad Timotheum cap. 3. ubi præcipit conſtitui per civitates tum presbyteros, tum Epiſcopos, tum diaconos, SINE CRIMINE. Immo & hoc poſteriori loco agens nominatim de diaconis, in quibus longè minor perfectio ſive pietas exigitur, quàm in presbyteris & Epiſcopis, inquit: *Diaconos ſimiliter PUDICOS, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium IN CONSCIENTIA PURA. Et hi probentur primùm: & ſic miniſtrent NULLUM CRIMEN HABENTES.* Vides qualiter in diaconis requiratur, ut ſint PUDICI: ut prædití CONSCIENTIA PURA: ut denique, NULLUM CRIMEN HABENTES. Quantò magis id exigetur in presbyteris, & in Epiſcopis? Omne igitur crimen, præſertim impudicitiæ, ſive carnis, juxta Apoſtolum, in hominibus jam baptizatis, erat impedimento ad ſacrorum Ordinum receptionem. Quantò magis ad innoxiam adminiſtrationem ipſorum, qualem videntur eo loco concedere Patres Ilerdenſes Canone V. citato?

68. Nec locus eſt reſtringendi verba Apoſtoli ad crimen publicum, ſive aliis notum: cùm ea limitatio ſit prorſus voluntaria. Verba illa: *nullum crimen habentes*, omne prorſus crimen excludunt, ſive publicum, ſive occultum. Et præterea τὸ SINE CRIMINE, ita interpretatur S. Hieronymus agens de puritate ad ſacros Ordines neceſſaria: *Non eo tantùm tempore quo ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, & præteritas maculas nova converſatione diluerit: ſed ex eo tempore, quo in Chriſto renatus eſt, nullâ peccati conſcientiâ remordeatur.* Hoc autē æquè ferè militat in crimine occulto, ac publico, ſive aliis noto: quoniam utriuslibet reus peccati conſcientiâ mordetur.

69. Sed & Origenes ducentis circiter ante Hieronymum annis ſcribens adverſus Celſum hæreticum lib. 3. ac loquens de iis, qui poſt baptiſmum labuntur in peccatum carnis, & poſtea reſipiſcunt, inquit, eos ab Eccleſia recipi tanquam redivivos poſt longiorem melioris meriti approbationem, quàm cùm primùm ad religionem capeſſendam admiſſi fuerunt: *eâ tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus & magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Nec verò ullum ibi apparet veſtigium diſtinguendi inter peccatum occultum aut publicum. Sola illa cauſſalis aſſignatur, *quoniam lapſi ſunt*. Similiter in Concilio Neo-cæſarienſi celebrato anno Chriſti CCCXIV. ſub Sylveſtro Papa, & quinque ſæculis poſtea confirmato à Leone IV. diſt. 20. cap. *De libellis*, Can. I. dicitur: πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι· ἐὰν δὲ πορνεύσῃ ἢ μοιχεύσῃ, ἐξωθεῖσθαι αὐτὸν τέλεον, καὶ ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς μετάνοιαν. *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitus excludatur, & ad pænitentiam deducatur.* Ubi nulla diſtinctio habetur de crimine ejuſmodi, an ſit occultum, nec ne.

70. Denique quicquid ferè obſervatum fuit ſuprà Excurſu I. & III. videtur evincere, cuilibet crimini, præſertim carnis, commiſſo poſt baptiſmum, & multò magis poſt ordinem ſacrum receptum, fuiſſe annexam iis ſæculis irregularitatem perpetuam, ſive impedimentum totale miniſtrandi in Ordine ſuſcepto, ſicut & recipiendi altiorem Ordinem: quemadmodum ſemper uſque modò ſervatum fuit, & ſervatur adhuc, ut homicidæ, hæretici, ac ſimoniaci, ipſo jure ſint inhabiles ad recipiendum ſacros Ordines, & adminiſtrandum jam receptos. Quod igitur hujuſmodi crimina impedimentum ſemper induxerunt, & hodie inducunt, recipiendi & adminiſtrandi ſacros Ordines; illud ipſum inducebat olim crimen capitale carnis commiſſum poſt baptiſmum, & multò magis poſt ſacrum Ordinem ſuſceptum. Idque palam conſtat ex plurimis Canonibus Conciliorum, non modò Hiſpaniæ, ſuprà allegatis, ſed etiam totius Eccleſiæ, ſaltem uſque ad medium circiter ſæculi ſexti. Lege præſertim Sirmondum Tomo I. Conciliorum Galliæ ad A.C. DXXXIV. pag. 233. & ſeqq. ac Notas poſthumas ipſius Tomo II. Collectionis Labbeanæ Conciliorum columnâ 1808. Unde S. Gregorius Magnus, qui quadraginta quatuor annis poſt Concilium Ilerdenſe celebratum electus fuit Summus Pontifex, eandem doctrinam tradidit tot locis ſuperiùs exſcriptis num. 15. & quinque ſequentibus, nulla diſtinctione facta inter lapſum ſecretum aut publicum.

71. Quapropter mirari ſubit, quomodo Patres Ilerdenſes tribuerint Epiſcopis poteſtatem admittendi clericos ſubitò in peccatum carnis lapſos, ac dignè pœnitentes, ad exercitium ſuorum Ordinum. Hoc ipſum miratur doctiſſimus Ludovicus Thomaſſinus Tomo II. *De vetere & nova Eccleſiæ diſciplina*, lib. 1. cap. 57. §. 4. nullatenus in dubium vocans auctoritatem, ſive γνησιότητα Canonis illius; ſed tamen difficultatem intactam relinquens, in qua verſamur. Quo, nimirum, fundamento, quanam traditione, auctoritate, aut ratione ducti Patres Ilerdenſes, tam benignè ſe geſſerint

ſerint erga clericos ſubitò & ex infirmitate in peccatum carnis lapſos, poſtquam dignè pœnituerunt: cùm tamen ea diſpenſatio ac remiſſio videatur exorbitare à ſeveritate diſciplinæ Eccleſiaſticæ iis ſæculis ubique obſervata. *Hic Rhodus, hic ſaltus*. Utinam eximius ille ſcriptor, quâ præſtat eruditione ſacrâ, difficultatem hanc explicandam recepiſſet. Vide infrà num. 91.

72. Dicet fortè quiſpiam, doctrinam hanc fundamentum habuiſſe apud Euſebium Cæſareenſem lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſt.* cap. 37. aliàs 20. ubi ſermo eſt de illo juvene, qui à Joanne Apoſtolo baptizatus, immo & chriſmate ſacro obſignatus, ac commiſſus curæ Epiſcopi Epheſini, deinde ſceleratus evaſit, & dux prædonum; poſtea autem mira pietate ac lenitate ab eodem Apoſtolo receptus ac Deo reconciliatus fuit. Quam narrationem, uti veriſſimam, memorat Euſebius ex Clemente Alexandrino, ſimiliterque Caſſianus Collat. 14. cap. 21. Antiochus monachus nobilis ſcriptor tempore Zenonis Imperatoris Sermone 122. ubi & S. Irenæum allegat vicinum tempori Apoſtolorum, ac tandem Chryſoſtomus in Epiſtola ad Theodorum lapſum. Sic enim ait: *Quæ geſta ſunt cum illo juvene, qui pridem diſcipulus fuit Joannis illius filii Zebedæi, DEINDE LONGO TEMPORE DUCEM EGIT LATRONUM, iterum è manibus beati ſenis interceptus; qui in ſuperiorem virtutem è luſtro, è ſpelunca latronum penetravit; ipſe non ignoras. noſti enim non minùs quàm ego. Sæpe numerò te mirantem audivi referre beati viri condeſcenſum, & manſuetudinem, & ſuavitatem illius: quoniam prior cruentam dexteram* (nimirum ſanguinarii juvenis) *exoſculatus eſt, hærens in amplexu adoleſcentis, & eâ viâ reduxit ad amiſſam virtutem*. Neque hoc ſolùm afferunt plerique, ſed ex verbis Euſebii colligi volunt nonnulli, Joannem Evangeliſtam inſigni ac mira pietate juvenem ipſum jam contritum & verè pœnitentem, præfeciſſe miniſterio Eccleſiæ. Quaſi ante lapſum recepiſſet Ordines, & poſt lapſum, factâ pœnitentiâ, ex benignitate Apoſtoli illorum exercitium recuperâſſet.

73. Certè ſi ita eſſet, potuiſſent fortè Patres Ilerdenſes eo exemplo ducti benignè ſe habere cum clericis ſubitò & ex fragilitate lapſis, ut præmiſſa cordis & corporis contritione, dignaque pœnitentiâ, redirent ad miniſterium altaris. Verùm, ut obſervavit vir doctiſſimus Henricus Valeſius in Notis ad Hiſtoriam Euſebii pag. 32. ex illius verbis non colligitur quòd Apoſtolus juvenem illum miniſterio Eccleſiæ præfecerit, ſed ſolùm quod Eccleſiæ reſtituerit. Nimirum quod in eo legitur, ἀποκατέστησε τῇ Ἐκκλησίᾳ, idem eſt ac, *Reſtituit Eccleſiæ*. Quare extra rem uſurpabitur locus ille, ut Epiſcopi, ſucceſſores Apoſtolorum, clericos lapſos in crimen carnis, etiam poſt dignam pœnitentiam cordis & corporis, admittere poſſint, ſeu reſtituere ad ſervitium altaris, ſive miniſterium Eccleſiæ in Ordinibus antea ſuſceptis, prout volunt PP. Ilerdenſes in allegato Canone.

74. Verius itaque exiſtimo, Patres Ilerdenſes in Concilio ſuo ſolùm Provinciali, eoque parum numeroſo, & cui non legimus interveniſſe quempiam Epiſcopum doctrinâ aut ſanctitate inſignem, privata opinione ſua, & præter, aut contra ſententiam aliorum communem, ac praxin diſciplinæ Eccleſiaſticæ, indulſiſſe miniſtris altaris in peccatum carnale ſubitò & ex fragilitate lapſis, ut poſt actam dignè pœnitentiam, juxta Epiſcopi judicium, redirent ad exercitium ſui Ordinis. Nimirum ſæpenumerò contigit, ut in Synodis, tum Diœceſanis, tum Provincialibus, privata Patrum opinione decernerentur nonnulla exorbitantia à ſenſu aut praxi communi aliorum: ut pluribus exemplis oſtendi poſſet, & eruditus quiſque in materia Conciliorum deprehendet.

75. Sed propiùs accedendo ad rem in qua verſamur, forſan invenire licet aliquid ſimile centum retrò aut circiter annis ante Concilium hoc, tempore S. Proſperi. Ipſe enim libro ſecundo *De vita contemplativa*, videtur indicare, eo ævo in provincia ſua nonnullis clericis occultè lapſis, & dignè pœnitentibus, ac ſpontè recedentibus ab altaris miniſterio, ſpem fuiſſe reſtitutionis ad gradum amiſſum. Nimirum id denotant verba illa Proſperi: *Qui neſcientibus aliis, quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparantur, eos certam ſpem habere, quòd reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, NON SOLUM AMISSA RECIPIENT, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna pervenient*. Nihil itaque mirum, ſi centum annis poſtea Patres Ilerdenſes in ſimili caſu eodem modo opinarentur.

76. Sed enim tam illi clerici occultè lapſi tempore S. Proſperi, quàm hi Patres Ilerdenſes, videntur erràſſe in ea opinione adeò contraria ſacris Canonibus ſuprà indicatis, qui clericis in carnis peccatum lapſis omnem ſpem reſtitutionis ad Ordinem ſacrum exercendum præcludunt.

77. Veroſimiliùs fortè inniti potuiſſent exemplo Syricii Papæ, qui in Epiſtola illa celebri ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, ſuprà edita pag. 123. & ſeqq. permiſit quibuſdam presbyteris & diaconis incontinentibus, per ignorantiam tranſgreſſis ſacros Canones, ut permanerent caſtè & piè in Ordine jam ſuſcepto. Huc enim ſpectant verba illa Syricii cap. 7. ejus Epiſtolæ ad Himerium: *Quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos eſſe ſe deflent, his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti ſunt, quamdiu vixerint, officio perſeverent; ſi tamen poſt hac continentes ſe ſtuduerint exhibere*.

78. Verùm diſpar ratio eſt Syricii, & PP. Ilerdenſium. Ille enim tanquam ſummus Eccleſiæ Pontifex, & Chriſti vicarius, potuit ex juſta cauſſa, & valdè urgenti (qualis tunc videtur occurriſſe) diſpenſare in Canonibus ſacris quoad eam partem: quod tamen non potuerunt facere inferiores Prælati Ilerdenſes. Sic certè idem Syricius eo loco cap. 15. diſpenſat *ſolius pietatis intuitu*, cum pluribus aliis per ignorationem ordinatis indebitè, ut permaneant in eo gradu, dicens: *Quicumque pœnitens, quicumque vidua maritus*,

ad ſacram militiam indebitè & incompetenter irrepſit, hac ſibi conditione à nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in hoc quo invenitur ordine, perpetua ſtabilitate permaneat.

79. Statim verò, ne talis & tanta indulgentia tranſeat in exemplum & perniciem Eccleſiæ, addit Syricius: *Sciant poſtea omnium provinciarum ſummi Antiſtites* (nimirum, Metropolitani, qualis erat Himerius Tarraconenſis) *quòd ſi ultrà ad ſacros Ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum; & de ſuo, & de eorum ſtatu, quos contra Canones & interdicta provexerint, congruam ab Apoſtolica Sede promendam eſſe ſententiam.* Itaque ita deſpenſat Syricius Papa in iis impedimentis ex urgenti cauſâ, ut tamen declaret ſtandum eſſe omnino ſacris Canonibus de cætero, nec Metropolitanos quidem poſſe impunè ab iis deviare. Unde patet, Patres Ilerdenſes centum quinquaginta circiter annis poſtea congregatos, intra eandem Metropolim Tarraconenſem non potuiſſe diſpenſare cum clericis incontinentibus, aut qualitercumque impeditis per ſacros Canones, ut permanerent in miniſterio Ordinis antea ſuſcepti.

80. Credo itaque, cæteros Hiſpaniæ, immo & totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos, longè aliter judicâſſe in ea parte, & ſe geſſiſſe juxta ſeveritatem præſcriptam Canonibus ſacris. Sed & ſpeciatim Epiſcopi Hiſpaniæ, ne declinarent in laxitatem ullam cum clericis in carnis peccatum lapſis, nec illos reſtituerent altari poſt pœnitentiam factam, admonebantur ſatis Pontificum Romanorum Epiſtolis ad Hiſpaniam miſſis: qualis ſuit imprimis illa ipſa Syricii, ubi præterea ait: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum; ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laïco liceat ordinem clericatûs adipiſci: quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati; nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Hæc autem ratio vim habet in omnibus lapſis in peccatum carnis, qualitercumque de iis dignam pœnitentiã egiſſent, ſive privatim, ſive publicè. Prohibentur enim ſacris Canonibus recipere ſacerdotiũ, ſive ad illius exercitium redire, non ratione ipſius pœnitentiæ, quæ Deo placet, & mediâ quâ fuerunt *omnium peccatorum contagione mundati*; ſed ratione criminis, præſertim carnalis, antea commiſſi. Itaque Patres Ilerdenſes ſatis monebantur iis verbis Syricii Papæ, ne adeò indulgenter ſe gererent cum miniſtris altaris ex fragilitate lapſis, & verè pœnitentibus. Cenſuit enim Pontifex ille non ſatis eſſe quòd per veram pœnitentiam in Dei gratiam rediiſſent, eſſentque jam mundi *ab omnium peccatorum contagione*; niſi & præterea in honorem ſacri miniſterii, quod indignè tractârunt, de cætero ab ipſius exercitio abſtinerent. Et quamvis ipſe cum aliquibus diſpenſaret ex urgenti cauſſa, & neceſſitate publica (uti credere par eſt, & ſuprà indicavimus) veluti vicarius Chriſti, & ex plenitudine poteſtatis; non propterea id licuit Epiſcopis Ilerdæ congregatis, nec Metropolitano ipſorum, vel cujuſpiam alterius provinciæ, ut idem Syricius generatim edicit.

EXCURSUS VI.

Condeſcentionem ſive diſpenſationem illam Patrum Concilii Ilerdenſis Cap. V. ut miniſtri altaris carnaliter lapſi, & poſtea dignè pœnitentes, poſſent perſiſtere in gradu antea ſuſcepto, ſolùm de lapſu occulto fuiſſe ab iis intellectam, non de publico, ſive aliis noto. Nec Eccleſiam in Conciliis, nec Sedem Apoſtolicam in Epiſtolis Decretalibus inveniri, ſaltem primis decem ſæculis, diſpensâſſe, ut clerici palam aut publicè lapſi in peccatum carnis, reſtituantur Ordini ſacro, vel ſinantur illum recipere, aut promoveri, adhuc poſt pœnitentiam factam.

81. VERUM ne fortè quiſquam exiſtimet, Patres Concilii Ilerdenſis in Canone illo V. ſuperiùs expenſo exorbitâſſe ultra omnem modum, aut plus juſto illos temeritatis & audaciæ inſimulet, placuit hoc loco reſumere eorum verba: *Hi qui altario Dei deſerviunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerant, maneat in poteſtate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſegregare: ita tamen, ut ſic officiorũ ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia ulteriùs promoveri. Quòd ſi iteratò, velut canes, ad vomitum reverſi fuerint; non ſolùm dignitate officii careant, ſed etiam ſanctam communionem, niſi in exitu, non percipiant.*

82. Hæc ibi (quæ omnia pariter leguntur in Pœnitentiali Rabani Mauri cap. 1. circa finem, tribuunturque Concilio eidem Ilerdenſi, & capiti V.) accipi & plenè intelligi poſſunt de lapſu carnis occulto. Agitur enim de iis, qui *ſubitò*, id eſt, repentina quadam occaſione, aut raro impulſu tentationis cujuſpiam ſtimulati, *in flenda carnis fragilitate corruerint*. flenda, ideſt, planctu aut compaſſione digna: non autem ex prava conſuetudine, aut habitu vitioſo. Ac propterea lapſus illorum & converſio non obſcurè comparatur lapſui repentino, & citæ converſioni Petri Apoſtoli, verbis illis: *Et Domino reſpiciente dignè pœnituerint*. Alluditur enim ad illa notiſſima: *Converſus Dominus reſpexit Petrum*. Cumque peccatum incontinentiæ momentaneæ lucem fugiat, tenebras amet, & ſemper in occulto fiat; credendum eſt Canonem hunc agere de ſolo ejuſmodi peccato, quod proinde Epiſcopo per humilem & ſecretam confeſſionem manifeſtatum fuit.

83. Inſuper ſermo eſt de illo incontinentiæ peccato, ob cujus remiſſionem clericus nondum interpoſuit actionem pœnitentiæ, nec petiit admitti in gradum aliquem, ſive claſſem pœnitentium ſecundùm Canones. Sic enim ſe incapacem reddidiſſet exercendi poſtea ſacrum Ordinem ob publicam illam & ſolennem notam ſe-

mel

mel contractam in eo ſtatu, ut monuimus num. 80. præſertim ex Epiſtola Syricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem, & habetur palam in pluribus Conciliorum Canonibus, atque Epiſtolis Decretalibus. Itaque Canon hic ſolùm agit de illo peccato, quod ſubitò commiſſum, ſtatim ſecuta fuit amaritudo pœnitentiæ privatæ, cum afflictione corporis, & ſacrificio cordis contriti coram Domino. Totum id autem, etiam adjuncta confeſſione ſoli ſacerdoti, ſive Epiſcopo factâ, manet intra limites peccati occulti, & nullam infamiam afferentis.

84. In eo igitur miſerando caſu volunt Patres Ilerdenſes, Epiſcopum rationem habere ejus pœnitentiæ, quam exhibet clericus lapſus ſubitò in prædictum incontinentiæ crimen. Si viderit, ſi expertus fuerit illum dignè pœnituiſſe, ita ut mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerat, poterit cum eo veraciter afflicto mitiùs ſe gerere, ut non diu ſuſpenſus maneat à miniſterio altaris. Quòd ſi verò illum viderit deſidioſum, aut minùs dignè pœnitentem, ſit in ejus poteſtate, ita lapſum *prolixiore tempore ab Eccleſia corpore ſegregare*. Itaque vigore Canonis illius poterat Epiſcopus, ſeu potiùs cenſebatur poſſe, occultè lapſum altaris miniſterio reſtituere, tantò citiùs aut tardiùs, quantò majori aut minori pœnitentiæ afflictione, ſive contritione cordis & corporis, unuſquiſque ſe dignum veniâ conſtituiſſet.

85. Idipſum ferè ſtatutum invenio in illo alio Canone ſive capite ſuprà indicato Concilii pariter Ilerdenſis (ſive hujus, ſive alterius) apud Loaïſam, ubi poſtquam ſermo fuerat de clericis ſacrorum Ordinum, *qui deprehenſi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus*, impoſita ipſis perpetua depoſitione à gradu proprio, ut ibidem vidimus; ſubditur ſtatim de iis, qui occultè peccârunt & confeſſi ſunt ſecretò: *Qui autem de prædictis viris per occultam confeſſionem mala à ſe abſconsè commiſſa coram oculis Dei, præſente etiam ſacerdote, qui eis indicturus eſt pœnitentiam, confitentur, & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant; ſi veraciter pœnituerint, & ſe per jejunia, eleemoſynas, vigiliaſq́, atque ſacras orationes cum lacrymis purgare certaverint; his etiam, GRADU SERVATO, ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.*

86. Hæc ibi, in quibus promittitur venia, *GRADU SERVATO*, ſacerdotibus graviter lapſis, ſed tamen occultè confitentibus mala à ſe *ABSCONSE COMMISSA*, & dignos pœnitentiæ fructus facientibus. Verùm imprimis ea doctrina & condeſcenſio non traditur ſynodicè à toto eo Concilio Ilerdenſi, qualecumque fuerit, & quovis tempore celebratum ſit. Solùm itaque traditur ab uno Patrum ibi congregatorum, idq́ue ſub dubio aliquo; ut palam denotant illa ipſius verba, *UT MIHI VIDETUR*, &c. Non ea à tota Synodo, qualiſcumque fuerit, dicta intelligas; ſed à quopiam Patrum inibi adſtantium ſuam opinionem exponente, ſatis exoticam in eo quod indulget,

Collect. Max. Concil. Hiſp. Tom. II.

& minimè cohærentem Canonibus ſacris.

87. Eodem ſtylo ſuum circa hanc rem ſenſum profert in quodam Concilio Toletano incerti temporis, jam ſuprà citato num. 63. anonymus ille, qui dixit: *De viris ordinatis QUORUM OCCULTA PECCATA SUNT, nec manifeſtè ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo ſive presbytero occultè faciunt; BONUM MIHI VIDETUR, ut ſecundùm id quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo ſive presbytero, pœnitentiam agant; non trepidè, nec tardè, ſed ferventer & ſolicitè: ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos, ET GRADUM SE RETENTUROS CONFIDANT.* Ubi loquitur, non totum Concilium, ſed unus aliquis Patrum, opinando: quod palam denotant verba illa: *Bonum mihi videtur*. Deinde nec conſtat ibi ſermonem eſſe de peccato carnis. De quocumque autē ſcelere intelligendum ſit, certè de occulto agitur, & de quo ordinati, ſive clerici, *à nullo manifeſtè argui poſſunt*. Conſtat itaque eam Canonum relaxationem, & reſtitutionem ad exercitium Ordinum poſt lapſum, non fuiſſe factam à Concilio, ſed ab uno aliquo Patrum, idq́ue ſolùm in caſu peccati occulti, non autem publici.

88. Certè S. Hormiſda Pontifex Epiſtolâ XXV. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quam etiam exhibuimus pag. 247. cap. primo, tam ordinatos, quàm ordinandos ſacerdotes, *irreprehenſibiles* eſſe vult, ac proinde immunes ab omni crimine, tam publico, quàm ſecreto. Quapropter ibidem ita loquitur: *Edicendum credidi* :::::::::::::::: *ut in ſacerdotibus ordinandis, quæ ſunt à Patribus præſcripta & definita cogitetis: quia ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem vicarii ſacerdotes; ſic & in eligendis his curam oportet eſſe perſpicuam. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, nec quicquid illi deeſſe perſona, penes quam eſt religionis ſumma & ſubſtantia diſciplinæ.*

89. Ac poſt plura alia lectu pulcherrima, concludit de ſacerdotibus palam lapſis, quamvis pœnitentibus: *Nec tantùm de laïcis conſecrari inhibemus, ſed nec de pœnitentibus quidem quiſquam ad hujuſmodi gradum* (nimirum, ad ſacerdotium) *profanus temerator adſpiret. Satis illi poſtulanti ſit venia. Quâ conſcientiâ abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit teſte confeſſum? Quis enim, quem paullò antè vidit jacentem, veneretur Antiſtitem? Præferens miſerandi criminis labem, non habet lucidam ſacerdotii dignitatem.* Quæ omnia non de Epiſcopis ſolùm, ſed etiam de presbyteris proportionali modo intelligi debere, patet ex contextu, & eiſdem ferè rationibus. Vide præterea ejuſdem Hormiſdæ Decretum I. eodèm ſpectans, ſatis memorabile, in Collectione Labbei Tomo IV. pag. 1556.

90. Nimirum ſpiritus Eccleſiæ ab Apoſtolo indicatus verbis ſuprà num. 67. allegatis, atque in tot Conciliis, Canonibus, & Epiſtolis Pontificum Decretalibus expreſſus, ſemper fuit, ut quicumque ordinandi ſunt, aut jam ordinati fuerunt, irreprehenſibiles ſint, PUDICI, ac prætereà NULLUM CRIMEN HABENTES, & inſuper

habentes myſterium in conſcientia pura. Nec in iis teſtimoniis, aut innumeris aliis ſanctorum Patrum, quotquot ſcripſere uſque ad finem ſæculi octavi, apparebit facilè diſtinctio criminum, præſertim carnis, occultorum à publicis, ut ſola hæc, non illa, impediant receptiónem ſacrorum Ordinum, aut jam receptorum adminiſtrationem. Sicuti enim omnibus ſæculis Eræ Chriſtianæ homicidium voluntarium, idololatria, ac ſimonia in Ordine & Beneficio, & nonnulla alia graviſſima crimina, ſive publicè, ſive ſecretò commiſſa, afferunt impedimentum perpetuum recipiendi Ordines ſacros, & adminiſtrandi receptos, idque uſque modò obſervatur in tota Eccleſia; ita etiam quodlibet crimen carnale (quod in Conciliis modò *fornicatio*, modò *mœchia*, modò *lapſus carnis*, dicitur) ſive publicum, ſive prorſus occultum, commiſſum poſt baptiſmum, afferebat perpetuum impedimentum Ordinis ſacri recipiendi, & adminiſtrandi receptum. Quod omnibus eruditis notiſſimum eſt, & paſſim obſervant, poſt antiquos Collectores, Sirmondus, Morinus, Thomaſſinus, Merbeſius, & plures alii.

91. Verùm id diſcriminis eſt inter adminiſtrationem Ordinis ſacri jam recepti, & receptionem ſeu promotionem ad illum recipiendum: quòd in Concilio illo Provinciali Ilerdenſi celebrato circa medium ſeculi ſexti, capite 5. *Si clerici ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente dignè pœnituerint*, &c. *maneat in poteſtate Pontificis* (nimirum Epiſcopi) *vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab Eccleſiæ corpore ſeparare*. Itaque cenſuerunt ii Patres, præter, aut contra communem aliorum ſenſum, & doctrinam ſacrorum Canonum, poſſe Epiſcopos in iis circumſtantiis dignorum occultæ pœnitentiæ fructuum indulgere miniſtris altaris ex fragilitate lapſis, ut redirent ad miniſterium Ordinis jam recepti. Cæterùm non propterea indulſerunt promotionem ad miniſterium, ſive officium ſublimius, aut Ordinem altiorem: ideóque addunt: *Ita tamen, ut ſic officiorum ſuorum loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia ulteriùs promoveri*. Nimirum, non ſunt auſi contra totius Eccleſiæ diſciplinam & praxin permittere, ut ii, adhuc poſt dignam pœnitentiam, admitterentur ad recipiendum aliud ſublimius miniſterium, ſive altiorem Ordinem.

92. Immo nec tribus ſæculis poſtea, nimirum poſt medium octavi, quando primùm apparere cœperunt ſpuriæ illæ, aut ſaltem interpolatæ Epiſtolæ, nomine S. Calliſti, & Gregorii Magni ad Secundinum (quarum ſuprà Excurſu III. latè meminimus) diſtinguentes inter peccata carnis occulta, & non occulta, nemini in mentem venit, ut occultè lapſis, adhuc poſt confeſſionem ſecretam, dignamque pœnitentiam, liceret promotio ad ſacros Ordines, ſive aſcenſus ad ſubliniores; ſed ſummum adminiſtratio Ordinis jam ſuſcepti. Unde Rhabanus Maurus, qui inclinante jam ſæculo nono florebat, in *Pœnitentiali* ſuo initio capitis primi allegans verba illa ſuprà nu. 58. exſcripta nomine cujuſpiam alterius Concilii Ilerdenſis, incerto tempore celebrati, nec verbum affert de aſcenſu aut promotione permittenda, ſed ſolùm de indulgendo miniſterio Ordinis jam ſuſcepti. Sive enim lapſus in peccatum carnis fuiſſet occultus, ſive non, nemo auſus invenitur, ſaltem iis primis novem ſæculis, ſcribere aut docere quòd ita lapſi poſſent promoveri, ſive admitti ad quemquam ſacrum Ordinem recipiendum.

93. Neque hoc nobis mirum videri debet: cùm adhuc uſque ad hodiernum diem nemo inveniatur docuiſſe, licitè promoveri poſſe, aut recipere ſacrum Ordinem, homines illos, qui clam aut palam commiſerunt homicidium voluntarium, ſimoniam in Ordine aut Beneficio, hæreſin, & alia ejuſmodi crimina irregularitatis pœnam afferentia. Potiùs mirandum eſt quòd Patres Ilerdenſes, circa medium ſæculi ſexti, & longè poſtea alii ſæculo nono, deluſi ſpuriis illis Epiſtolis, ſeu potiùs centonibus iis aſſutis impia cujuſpiam veteratoris manu, indulſerint clericis occultè lapſis in peccatum carnis, & dignè pœnitentibus exercitium Ordinis jam ſuſcepti. Etenim juxta ſacros Canones peccata homicidii, idololatriæ, ſimoniæ, & incontinentiæ carnalis, æquè impediebant receptionem Ordinis, ac uſum illius jam recepti. Qua igitur ratione, quo fundamento nonnulli auſi ſunt permittere ſolis carnaliter lapſis uſum recepti Ordinis, ſemper & ubique prohibitum homicidis, idololatris, & aliis ſimilibus? Nullo certè fundamento rationabili eam diſtinctionem feciſſe, aut tam diverſimodè ſe geſſiſſe inveniuntur.

94. Verùm quicquid ſit de diſtinctionibus iis, inter receptionem Ordinis, & adminiſtrationem illius jam recepti, ſimiliterque inter peccata carnis occulta & publica, ſemper id illibatum manſit, ſaltem primis decem ſæculis, tam in Hiſpania, quàm extra illam, quod adhuc ſæculo nono inclinante legebatur in memorata Collectione Rhabani Mauri ex quodam alio Concilio Ilerdenſi incerti temporis, cohærenter ad ſacros Canones, & diſciplinam totius antiquitatis Chriſtianæ: *Ut ii, qui deprehenſi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus, ſecundùm ſacrorum Canonum ſtatuta à gradu proprio deponantur: quia eſt ſcandalum populo Dei tales perſonas ſuper ſe poſitas habere, quas ultra modum vitioſas conſtat eſſe. Nempe inde detrahuntur homines à ſacrificio Dei, ſicut quondam filiis Heli peccantibus feciſſe leguntur: & rebelles hinc atque contrarii exiſtentes, eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt*. Quæ rationes videntur prorſus urgere, adhuc inſpecto ſolo jure naturali & divino: ut proinde ſaltem primis decem ſæculis nunquam cum aliquo eorum publicè lapſorum, adhuc poſt dignam pœnitentiam, legamus fuiſſe diſpenſatum, ut Ordines reciperet, vel jam receptos adminiſtraret. Lege Sirmondum Tomo I. in Concilia Galliæ, paginâ 233. & ſeqq.

EXCURSUS VII.

Nonnullis inſuper illuſtribus teſtimoniis comprobatur eadem ſeveritas Eccleſiæ, tum Univerſalis, tum Gallicana, & Hiſpanica, ab ineunte ſæculo ſexto uſque ad finem decimi ſaltem, ne quiſquam poſt ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis, quamvis dignè pœnitens, reſtitueretur miniſterio ſuo, vel ſineretur aſcendere ad gradum Eccleſiæ ſuperiorem. Eandem diſciplinam perduràſſe in Hiſpania adhuc ſub tyrannide Sarracenorum.

95. SED ut multa, aut potiora eorum quæ præmiſimus, liceat veluti uno intuitu perſpicere, placuit exhibere præclarum quoddam teſtimonium S. Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis. In eo proponit Canones, quos ipſi miſerat Joannes II. Papa, & præterea plures alios à ſe excerptos è Synodis Gallicanis: atque utrorumque obſervantiam urget circa clericos in peccatum carnis lapſos, dicens: *Ecce manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundùm quod & tituli antiquorum Patrum à S. Joanne Papa tranſmiſſi, & trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſententia, ſed & Canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſſi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non poſſunt. Et quia fortè non deerunt, quibus pro nimia pietate ſuprà ſcripta ſanctorum Patrum ſeveritas minimè placeat; ſciant ſe & trecentorum decem & octo Epiſcoporum præcepta, & ſancti Papæ auctoritatem, & illorum Pontificum, qui ordinantibus CCCXVIII Epiſcopis, reliquos Canones ſtatuerunt, ſententias reprehendere vel damnare. Sed fortè major in illis eſt pietas, quàm in ſupradictis CCCXVIII. Epiſc. Major in illis miſericordia, quàm in Sancto Joanne Apoſtolico Papa, major charitas, quàm in reliquis ſanctis ſacerdotibus, qui hoc pro exemplo vel remedio Eccleſiarum ſuis definitionibus delibaverunt. Et ideo aut plena voluntate præceptis illorum conſentiant, aut ſi non fecerint, omnibus ſe contrarios & inimicos eſſe cognoſcant. Quæ eſt iſta inimica benignitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum uſque ad diem judicii incurata ſervare? Quod ſi etiam duriſſimam eos pœnitentiam per plures annos agere videremus, ſic nos ipſi & ſaluti eorum conſulere, & Canonum deberemus ſtatuta ſervare.* Præclara hæc ſunt adverſus quoſdam lapſorum excuſatores imprudentes, vana quadam ſpecie pietatis deluſos, quorum imitatores paullò poſtea videntur fuiſſe in Hiſpania Patres Concilii Ilerdenſis Canone V. ſæpè citato, qui tribus poſt obitum ejuſdem S. Cæſarii annis conditus in Hiſpania Tarraconenſi fuit.

96. Et poſt pauca: *Ideo diligentiùs perpendite, ſi aut poteſt, aut debet fieri, ut tantorum ac talium, quos ſuprà memoravimus, ſacerdotum Canones contemnentes, aliter quàm illi ſtatuerunt, obſervare vel agere præſumamus. Præcipuè ſi cum illorum CCCXVIII. Epiſcopor. qui per omnes Eccleſias Concilia fieri præceperunt, tam ſancta decreta negligimus, non ſolum illos deſpicimus, ſed (ſicut jam ſuprà dictum eſt) & Africanos Pontifices, & omnes reliquos, qui ipſis ordinantibus, per totum mundum pro Eccleſiaſtica diſciplina aliquid ſtatuerunt, cum peccato animæ noſtræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere minimè audeo: quia nec talia ſunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præſumam; nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Chriſti contra tantos ac tam ſanctos ſacerdotes, qui Canones ſtatuerunt, cauſſas dicere poſſim.* Erunt nunc, qui nullam rationem habere videntur ſanctorum Patrum, dum Canones ipſorum, ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, nec obſervare, nec attendere, nec legere quidem volunt.

97. Ulteriùs citat Epiſtolam Fauſti Epiſcopi ajentis: *Perdit gratiam conſecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti. Cùm hæc ita ſint, quâ conſcientiâ quis dicere poterit, quòd ille qui adulterium commiſerit, iterum ad honorem redire poſſit?* Eadem verò ferè ratio eſt de fornicatione qualibet: cùm Concilia & ſacri Canones in ſuperioribus allegati, pluresque alii, eandem pœnam depoſitionis indicant clericis, ſive ſacerdotibus fornicatoribus ac mœchis.

98. Et paullò pòſt: *Propter regulam* (inquit) *Eccleſiaſticam, & propter antiquorum Patrum ſtatuta (quæ abſit à nobis, aut reprehendere, aut diſcutere audeamus) eum quem credimus ad vitam æternam poſt actam pœnitentiam venire, ad honorem clericatûs ſecundùm tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti, in tantum ut in Canonibus ſcriptum ſit, ne ullus unquam pœnitens clericus ordinetur.* Quaſi diceret Cæſarius, Eccleſiam nolle permittere miniſterium ſacri altaris clericis lapſis, adhuc poſtquam per pœnitentiam congruam ſe vitâ æternâ dignos, & cœlo maturos reddiderunt.

99. *Et ſi ille* (proſequitur S. Cæſarius) *qui ultrò petit pœnitentiam, quamvis perfectè agat, non poteſt aut Epiſcopus, aut presbyter ordinari; ita ut ſi per ignorantiam ordinatus fuerit, & poſtea convincitur pœnitentiam accepiſſe, dejiciatur: ille qui invitus ad pœnitentiam agendam in monaſterium mittitur, & utique qui aliud quàm pœnitens dicendus eſt, quâ conſcientia ad ſacerdotium redire permittitur?*

100. Denique eandem doctrinam conſignat hac clave aurea: *Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, aut contra CCCXVIII. Epiſcoporum præcepta, vel reliquorum Canonum ſtatuta objiciat: quia quicquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum ſanctum locutum eſſe credimus, dictum fuerit, recipere, non ſolùm temerarium, ſed etiam periculoſum eſſe dubito.* Hucuſque S. Cæſarius, qui Epiſcopatum Arelatenſem Galliarum rexit plusquam quadraginta annis, ab initio circiter ſæculi ſexti uſque ad quadrageſimum tertium ejuſdem annum, in quo obiit die 27. Auguſti. Unde obiter rejicitur opinio aliorum poſt Cardinalem Bellarminum arbitrantium, S. Cæſarium obiiſſe anno CDXCIX. Lege Labbeum in Diſſert. Hiſtor. *De ſcriptorib.* verbo *S. Cæſarius*.

101. Idem verò Pontifex Joannes II. qui præ-

prædictos Canoones ad eundem S. Cæſarium miſit, juxta illorum præſcriptum egit cum contumelioſo Epiſcopo, quem depoſuit in Epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Galliarum, dicens: *Innotuit nobis à fraternitate veſtra miſſa relatio, in qua contumelioſus multis legitur criminibus involutus. Et quia hujuſmodi perſona ſacris non poteſt inhærere myſteriis, ab hodierno vel officio eum noſtra cenſet removeri auctoritas, ut in monaſterio conſtitutus, delicti veniam à Domino petere non omittat. Nihil eſt enim impoſſibile ejus clementię, quæ poteſt cuncta relaxare quæ facta ſunt*. Hæc ille an. DXXXIV. menſe Aprili.

102. Similiter ſe geſſiſſe S. Gregorium Magnum, qui poſtea ab an. DXC. uſque ad DCIV. Pontifex fuit, patet ex illuſtribus ipſius teſtimoniis ſuprà exſcriptis toto Excurſu III. Ejuſdem tempore, anno DXCVII. Chriſti, Reccaredi autem in Hiſpania regnantis XII. graviſſimè commendata fuit Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum caſtitas, ſub pœna depoſitionis perpetuæ ac pœnitentiæ intra clauſtra alicujus monaſterii. Canonis verba lege ſuprà num. 12.

103. De S. Iſidoro, qui ab an. circiter DC. fuit Præſul Eccleſiæ Hiſpalenſis uſque ad annum DCXXXVI. in quo humana poſuit die quarta Aprilis, ſatis ſuprà conſtitit à num. 45. qualiter eandem doctrinam tradiderit, & in uſum functionemque deduxerit. Ipſo etiam Iſidoro Præſide celebratum fuit Concilium Toletanum IV. anno Chriſti DCXXXIII. in cujus Canone XIX. inſcripto: *De ordinatione Epiſcopi*. & XXI. *De caſtitate ſacerdotum*, tam graviter & ſeverè indicitur puritas corporis & animi ad recipiendum ſacros Ordines, & exercendum receptos. Vide verba præcipuè utriuſque ejus Canonis ſuprà num. 13. & 14.

104. In decurſu ejuſdem ſæculi ſeptimi circa medium, S. Martinus Papa & Martyr in Epiſtola ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem ita illum hortatur ad ſeveritatem cum clericis lapſis, & ad permanendum in regimine ejus Eccleſiæ, quam deſerere cogitabat: *Propterea nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem Canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumq; gradum ſacerdotii poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus, fletibuſq; aſſiduis, quouſque advixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumq; vitæ contagium præpediat, quantò magis ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitq; hujuſmodi ſemper juxta ſacrorum Canonum ſtatuta in hac vita depoſitus, ut ab illo, qui mentis interiora ſcrutatur, nullamq; de ovibus errare congaudet, dum adſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideoq; iterum hortamur tuam charitatem, exemplo ejus qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis ejus ſervitiis permanere*. Hæc ille ſanctus Pontifex, mediante circiter ſæculo ſeptimo, ac decem plus minus annis ante hoc Concilium X. Toletanum. Similiter in Concilio Toletano VIII. Can. IV. V. & VI. adversùs Epiſcopos, presbyteros, & ſubdiaconos incontinentes, ſeveriſſimè cautum fuit.

105. Sed & poſtea in ſequentibus Hiſpaniæ Conciliis cernere eſt eandem curam & zelum, ne ſacris Ordinibus initiarentur, vel eos exercerent, niſi mundi corde ac corpore, & alieni prorſus ab omni contagione ac ſuſpicione peccatorum carnalium. In eum ſcopum ſpectant Concilia intra Hiſpaniam celebrata poſt iſtud uſque ad finem ejuſdem ſæculi ſeptimi: veluti Bracarenſe III Can. V. Toletanum XIII. Canone X. ac tandem Toletanum XVI. (quod anno Chriſti DCXCIII. habitum fuit) Canone III. edito adversùs omnes illos, præſertim Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, qui nefarium aliquod crimen contra naturam commiſerint, ut quilibet eorum *de proprii honoris gradu dejectus, perpetui exſilii maneat damnatione perculſus*. Sed de hoc redibit ſermo infrà in Notis ad eundem Canonem III. Concilii Toletani XVI.

106. Porrò eadem diſciplina videtur perdurâſſe in Hiſpania ab initio ſæculi octavi, etiam ſub tyrannide Sarracenorum (qui in eam irruperunt anno plus minus ſeptingenteſimo decimo quarto) uſque ad annum milleſimum ſaltem. Cùm enim tot Canonibus Eccleſiæ Catholicæ, tot Conciliis omnium nationum, & nominatim Hiſpanicis, ſtatutum fuiſſet, atque uſu ipſo confirmatum, ne quis poſt baptiſmum lapſus in crimen carnale (ſicuti & in homicidium, aut idololatriam, vel ſimoniam) acciperet Ordinem ſacrum, vel poſt illum acceptum lapſus reſtitueretur miniſterio altaris, ſive ad Ordinem ſublimiorem aſcenderet; cenſendum eſt Eccleſiam Hiſpanicam retinuiſſe eandem diſciplinam, quamdiu ſub Sarracenorum jugo fuit. Quemadmodum enim adhuc iis aſperrimis temporibus, & ſub adeò crebris infidelium perſecutionibus, infracto animo retinuit Catholicam Fidem (quod abundè teſtantur monumenta ſacra illorum temporum, præſertim conſignata in ſcriptis S. Eulogii, & illuſtrata Notis doctiſſimi ac piiſſimii Ambroſii de Morales) ita etiam antiquam illam & ſeveram Canonum diſciplinam retinuiſſe cenſenda eſt. Nec aliud colligi poſſe videtur præterea ex tot monumentis illorum ſęculorum contentis To. III. hujus Operis ab anno prædicto DCCXIV. uſque ad milleſimum.

107. Nec mirum ſi poſtremis ſæculis primæ chiliadis Chriſtianæ annorum Hiſpanica Eccleſia pariter in diſciplina clericali, ac in vera Fide, ſequeretur Catholicam Romanam. Hæc quippe in obſervantia antiquorum Canonum eiſdem ſæculis permanſiſſe invenitur, quoad lapſos poſt baptiſmum in crimen aliquod capitale idololatriæ, homicidii, & fornicationis, ne unquam Ordinibus ſacris initiarentur; ſicuti & ne poſt illos receptos lapſi, reſtituerentur, aut promoverentur ad altiorem gradum. Ad ſummum ſæculo nono aut decimo

cimo

cimo irrepere potuit in quibuſdam Hiſpaniæ locis, ac fortaſſe etiam in nonnullis aliis, ut quibuſdam in carnale crimen occultè lapſis concederetur poſt dignam pœnitentiam reſtitutio ad exercitium Ordinis jam recepti, juxta Canones illos Ilerdenſes, & alium Toletanum incerti temporis, ſuprà expenſos toto ferè Excurſu VI. non autem poſt crimen carnale publicum, quantalibet pœnitentiâ expiatum. Illud enim toto præcedente millenario annorum ſemper impedimento fuit reſtitutioni ad exercitium ſacri Ordinis, & promotioni ad ſublimiorem Ordinem, immo & ſæculis aliquot poſterioribus, ſaltem niſi ex graviſſima aliqua & urgentiſſima cauſſa Romanus Pontifex diſpenſaret. Sine ejuſmodi diſpenſatione autem ſi qui in officio manſerunt, aut ulteriùs promoti ſunt, id de facto, & non attento jure contigit: utpote contra decreta plurima Sedis Apoſtolicæ, contra Concilia, & Canones *Dei ſpiritu conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos*, ut loquitur S. Leo Papa. Sed de hoc ulteriùs Excurſu ſequenti.

108. Opponet fortè quiſpiam ex Synodo Quini-ſexta Canonem XXI. inter Trullanos, ubi dicitur: *Qui canonicè quorundam criminum rei facti, & propterea perfectæ ac perpetuæ depoſitioni ſubjecti, in laïcorum locum detruſi ſunt, ſiquidem ad converſionem ſua ſponte reſpicientes, peccatum defleant propter quod à gratia exciderunt, & ab eo ſe penitùs alienos efficiunt, clerici habitu tondeantur.* Videntur enim eo loco reſtitui clerici antea lapſi, ſi poſtea dignam egerint pœnitentiam. Verùm facilè reſpondetur, reſtitutionem ejuſmodi non fuiſſe factam ad Ordines ſacros, ſed dumtaxat ad tonſuram & habitum clericalem, quod tantùm indicant verba illa in textu Græco: τῷ δὲ κλήρου κειρέσθωσαν σχήματι. id eſt: *Clerici habitu tondeantur*. Hoc enim iis indulgetur ob ſpontaneam pœnitentiam. Nam de iis qui illam inviti agunt, illicò dicitur: ὡς δῆθεν οἱ λαϊκοὶ ἀνατρεφέτωσαν τὴν κόμην. *Sicut laïci nutriant comam*. Itaque ii omnino repelluntur à clero: illi verò relinquuntur intra illum, verùm in infimo gradu. Forſan verò in illo Canone V. Concilii Ilerdenſis toties citato, miniſtris iis, *qui in altario ſerviunt*, id eſt diaconis aut ſubdiaconis, dumtaxat conceſſa fuit eadem reſtitutio, ut poſtquam dignam pœnitentiam egiſſent, in tonſura & habitu permanerent.

EXCURSUS VIII.

Qualiter à ſæculo undecimo prævaluerit doctrina illa orta ex Epiſtolis ſeu centonibus adſcriptis Calliſto & Gregorio Pontificibus Romanis, circa clericos occultè lapſos in peccatum carnis, ut poſt dignam pœnitentiam ſinantur redire ad miniſterium Ordinis jam recepti. Porrò graviſſimum Cardinalem Petrum Damianum acriter pugnâſſe pro Canonibus ſacris contra incontinentiam clericorum. Exſcribitur ad longum memorabilis ſententia S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis conſulti circa eam quæſtionem.

109. MIRUM eſt quantum nocuerint Epiſtolæ illæ interpolatæ aut ſpuriæ, Calliſto I. ad Epiſcopos Galliarum, & Gregorio Magno ad Secundinum adſcriptæ, quarum ſuprà meminimus, præſertim Excurſu III. Cùm enim diſciplina ſeverior hactenus explanata de clericis lapſis in peccatum carnis nullatenus reſtituendis, conſtanter & ubique ferè obſervata fuiſſet uſque ad finem octavi ſæculi, aut circiter; ea aſſumenta Epiſtolarum aut figmenta apparuerunt poſtea, quibus ingens plaga illata fuit decori totius cleri, & præſertim ſacerdotali dignitati, per reſtitutionem lapſorum faciliorem.

110. Itaque potiſſimùm ab ineunte ſæculo undecimo iis Epiſtolarum farraginibus abducti fuerunt, non ſolùm indocti homines, ſed etiam doctiores quique, & magis verſati in ſtudio ſacrorum Canonum; ſed parum dextri in diſcernendis auctorum veterum libris aut lucubrationibus germanis ab ſpuriis aut ſubdititiis. Critice enim ejus generis pluribus poſtea ſæculis introducta fuit, ab anno circiter quingenteſimo ſupra milleſimum, & uſque in hodiernum diem aſſidua ferè incrementa accepit: utinam non majora juſto, cùm aliqui in ea parte nimiùm excedant, vel in rebus ſacris, & nihil non ſibi licere arbitrentur.

111. Inter graviores ejus ſæculi viros iis Epiſtolis deceptos, fuit primus, aut unus è primis, S. Burchardus Epiſcopus Wormacienſis, qui ſcripſit viginti libros Decretorum ex Conciliis, Pontificibus, & ſanctis Patribus, atque in eorum decimo nono, capite quinquageſimo primo, iis fidem detulit. Quid mirum ſi alii minùs periti pariter illas reciperent veluti germanas? Unde & contigiſſe videtur, ut à tempore circiter mortis ipſius, quæ contigit anno Chriſti milleſimo viceſimo ſexto, clerici plurimi ſacris ordinibus initiati, labentes in peccata carnis, & dignam de iis pœnitentiam agentes (aut fortaſſe non ita dignam) contra diſciplinam ſacrorum Canonum altaris miniſterio reſtituerentur.

112. Verùm poſt medium circiter ejus ſæculi doctiſſimus ac piiſſimus Cardinalis Petrus Damianus Epiſcopus Oſtienſis, videns ac dolens incontinentiam clericorum quamplurium ejus ævi, & reſtitutionem ipſorum ſacris Canonibus adverſantem, ac nimiùm pernicioſam Eccleſiæ, ſtuduit illam impedire modis omnibus apud Roma-

magnos Pontifices, præſertim S. Leonem IX. Victorem II. Stephanum IX. Nicolaum II. & Alexandrum II. ſimiliterque apud multos Cardinales, & in his Ildebrandum (poſtea Gregorium VII.) ac tandem cum magna ſanctitatis & doctrinę opinione anno Chriſti MLXXII. vitæ periodum clauſit. Itaque laboravit Damianus quantum potuit adversùs incontinentiam clericorum ſuo ævo graſſantem: ut propterea de illo dixerit Cardin. Baronius Tomo XI. ad ann. Chriſti MLXXII. *Sic Deus hoc deploratiſſimo ſæculo, cùm excrevisſet ad Eccleſiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo tantum virum, qui auſteriſſimæ vitæ exemplo, verbiq; prædicatione, & ſcriptis exſiccaret tantam putredinem, pariterq; pugnaret adversùs ſimoniacam labem, quæ ubique locorum graſſabatur impunè.*

113. In eum ſcopum, & præcipuè in odium præpoſteræ libidinis clericorum, ſcripſit Opuſculum ſeptimum, cui epigraphe: *Liber Gomorrhianus*, in eo conſulens Leonem IX. Pontificem adversùs illos, qui eo teterrimo vitio inquinati, audebant accipere ſacros Ordines, vel in acceptis permanere. Sed de hoc infrà opportuniùs ad Canonem III. Concilii Toletani XVI.

114. Nunc verò præcipuè aut unicè agimus de libidine alia minùs horribili clericorum cum fœminis, qualis fuit Potamii Epiſcopi, propterea gradu dejecti in hoc Concilio Toletano X. Adversùs illam itaque ſuo ævo graſſantem in Epiſcopis & ſacerdotibus invehitur Damianus Opuſculo XVII. directo ad Nicolaum II. Papam, ut in ejuſmodi Nicolaïtas turpiſſimos Canonum pœnas exſequatur. Deinde toto Opuſculo XVIII. in tres Diſſertationes diviſo, exardet, fulminat, tonatque ingenti ſpiritûs vehementiâ adversùs clericos intemperantes illius deploratiſſimi temporis. Teſtamenti utriuſque teſtimoniis, Canonibus, & ſententiis SS. Patrum, atque exemplis horrorem incutientibus, opportunè utitur ad id malum exterminandum. Præſertim verò notanda ſunt verba illa, quæ Diſſert. II. cap. 3. citat quaſi Anacleti Papæ, quæ tamen tribuuntur Damaſo in Epiſtola ad Aurelium Carthaginenſem: *Violatores voluntarii Canonum graviter à SS. Patribus judicantur, & à ſancto Spiritu, cujus inſtinctu ac dono dictati ſunt, damnantur. Quoniam blaſphemare Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſanctos Canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præfixum eſt, aliquid aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt*, &c.

115. Sed enim licèt prior illa expoſtulatio Damiani adversùs clericos præpoſteræ libidinis reos fructuoſa exſtiterit, impetrato efficaci reſcripto S. Leonis Papæ IX. (alibi opportuniùs exhibendo) ne ii ullatenus Ordines reciperent, aut jam receptos exercerent; poſterior tamen invectiva contra concubinarios parum cenſetur profuiſſe abominabili illo ævo, in quo maximè omnis caro corruperat viam ſuam.

116. Porrò multi homines docti ac pii, videntes in tot ſacris Canonibus, Conciliis, & Epiſtolis decretalibus Romanorum Pontificum, indictam pœnam depoſitionis perpetuæ omnibus ſacerdotibus lapſis in crimen carnis; & aliunde ſcientes quàm multi ex presbyteris carnaliter laberentur, nec tamen ſe ſubtraherent ab altari; cœperunt dubitare & conſulere præcipuos Eccleſiæ Prælatos, quid agendum eſſet.

117. Unus inter plures alios fuit Gondulphus monachus, ſingularis amicus S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui ab eo rogatus ſententiam in ea quæſtione, reſponſum dedit maximè notatu dignum libro *Epiſtolarum* I. Epiſt. LIX. ſequentibus verbis.

118. *De presbyteris, qui ſe apertè reprobâ libidinis converſatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum eſt quod Apoſtolica providentia Eccleſiaſtico juſtoq; judicio & rigore conſtituit. Nempe nullatenus convenit ut ibi reverenter aſtetur, ubi pertinaciter aperta & impudenti libidine fatentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, ſacris altaribus deſerviunt: immò non deſerviunt, ſed quantum ad ipſos commaculant. Non quò quis ea quæ tractant, contemnenda; ſed tractantes exſecrandos exiſtimet: ut qui Dei & angelorum præſentiam non reverentur, vel hominum deteſtatione repulſi, ſacra contaminare deſiſtant. Nec ullatenus oportet ut illi ſint conſortes de altari participantium, qui per immunditiam ſe faciunt exſortes altari deſervientium.*

119. *De lapſis autem ſacros Ordines habentibus, & ſpontanea humilitate ſecretè, quibus debent, confitentibus; nequaquam eſt aſſerendum quòd eiſdem Ordinibus ampliùs uti nullatenus poſſint, ſi per ſacrificium ſpiritûs contribulati, cordiſq; contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudiosè contenderint. Nam nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpam, quam ipſe ignoſcit; nec apud homines decoloratur ſacri Ordinis dignitas propter perſonam, cujus ipſi peccatum non cognoſcunt: quibus duabus cauſſis carnalis lapſus prohibet ad ſacros Ordines acceſſum & reditum. Sed quoniam ferme ſemper occultum eſt, quorum remiſſæ ſint iniquitates, & quorum tecta ſint peccata, quorum verò minimè; tutius ſemper eſt conſcium ſibi criminis, ab his quæ placitam Deo perſonam expoſcunt, per laudabilem humilitatem abſtinere, quàm per culpabilem ſecuritatem præſumere. Illud namque ſemper poteſt, Deo non improbante; hoc verò non debet, niſi Deo approbante.*

120. *Qui autem huic ſententiæ, quæ ad ſacri Ordinis officium reditum poſt lapſum concedit, nequaquam aliqua ratione, niſi auctoritate fulciatur, ſcilicet Scripturarum vult conſenſum attribuere; legat Epiſtolam beati Calliſti Papæ, directam univerſis Epiſcopis per Galliam conſtitutis; & beati Gregorii Papæ ad Secundinum incluſum: ubi ipſi hanc ſententiam ſic firmis & penè eiſdem rationibus & auctoritatibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quoniam idem beatus Gregorius idipſum in aliis ſuis quibuſdam epiſtolis ſtudiosè prohibet; ne ſibi ipſe contrarius ſit, de apertis quidem prohibuiſſe; de occultis verò poſt dignam pænitentiam conceſſiſſe intelligitur. Nam crimen quod à Deo non imputatur, nec ab homini-*

bus

bus eſſe putatur, non reprobat nec decolorat; ut jam dixi; cùm tamen in tali re cuique tutius ſit coram Deo ſibi plus timere, quàm confidere.

121. *Prohiberi autem invitum debere, qui occultum crimen humili confeſſione ſponte & occultè detegit, minimè exiſtimo; ne multis obſtruatur via ſalubris confeſſionis, qui potiùs eligerent penitùs in mortem occultari, quàm hac occaſione in certitudinem vel ſuſpicionem alicuius criminis adduci. Nec illi, cui confitetur, ſtatuitur ad peccatum, ſi confitentem abſque ejus conſenſu ceſſare à ſui ordinis officio non cogit: ſed potiùs magni criminis reus eſſe videtur, ſi cogit: quia ſic & confitentem pœnitere confeſſionis, & plures nondum confitentes horrere confeſſionem compellit. Nam ſatis patet quàm minus malum ſit cuilibet peccatori ad altare cum amore confeſſionis peractæ, & ſpe miſericordiæ humili mente accedere; quàm ſe cum odio confeſſionis & deſperatione veniæ, indurato corde, deſiderio, aut etiam actu, ingerere. Ille itaque, cui confeſſio fit, nequaquam particeps æſtimandus eſt minoris culpæ, in qua alium permittit, non conſentiendo, ſed majorem prudenter præcavendo: majoris verò criminis auctor eſſe videtur, ad quod multos impellit; etiam ſi non volendo, tamen inordinatè plus quod minus, quàm quod majus erat, timendo.*

122. *Sed manifeſtum eſt quia illi qui humili contritione ſuperbam verecundiam conculcando, ſemetipſos judicantes, judicenti ceſſationem ſponte conſentiant, multò tutiùs miniſtrant permiſſi, ſeu etiam juſſi; quàm illi, qui verecundiâ humanâ inter Deum & ſe juſtè judicare refugiunt: licèt is cui confitentur, valdè periculoſiùs prohibeat iſtos invitos, ut ſuprà dictum eſt, quàm illos ſpontaneos. Et cùm utriſque neceſſarium ſit vel ad tempus abſtinere; puto quia illi, qui non libenter ceſſant, ad quod non bene properant, ſunt tantùm relaxandi: hi verò qui ſponte abſtinent, ad quod non præſumunt, etiam revocandi. Nam in illis, ſi revocentur, obedientiæ tegmine præſumptio palliatur: in iſtis verò humilitas obedientiæ robore adjuvatur. Quæ revocatio non indifferenter, ſed magna Prælati confeſſionem ſuſcipientis diſcretione facienda eſt. Sæpè namque contingit, ut quis non per immenſum criminis horrorem, & per vim humilitatis, humanam verecundiam ſuperet: ſed per ſtultitiæ tenebras, & impudentiæ duritiem fœditatem ſceleris & pudorem non ſentiat, & per negligentiam officium ſuum non appetat. Qui autem hujuſmodi eſt, nunquam ad ſacrum officium ſuum aut vocandus aut revocandus eſt.*

123. *Sed cùm pro ipſo pœnitente ſupplicat humilitas, ſuggerit contritio, intercedit vitæ mutatio; tunc nimirum ſi Prælatus non tam de meritis aliquibus, quàm de magna miſericordia, & de multitudine miſerationum Dei illum confortans, ad ſui uſum invitet officii; puto quia non tam temerè, quàm prudenter egiſſe videatur. Eſt enim ſæpè in hujuſmodi prævenienda puſillanimitas, excludenda contemptûs ſuſpicio, oſtendenda benevolentia, exhibenda compaſſio. Hoc enim modo qui tales ſunt, quantò benigniùs, tantò efficaciùs ad perfectionem provocantur, & tantò ſtrictiùs in bono propoſito ligantur. Potui plura de ſcriptis Patrum his intexere; ſed quia epiſtolaris brevitas, quæ jam ſe nimis extendi reclamat, non conſentit; ſimpliciter quid de interrogatis ſentirem, Paternitati veſtræ juſſus expoſui.*

EXCURSUS IX.

Expenditur eadem ſententia S. Anſelmi circa clericos lapſos, conſentaneè quibuſdam Canonibus Conciliorum Ilerdenſis, & Toletani ſuprà memorati, ejuſque praxis quoad peccata occulta dignè expiata uſque in hodiernum diem: non autem quoad peccata publica, ſive aliis nota, in materia carnis; quicquid ſit de criminibus hæreſeos & ſchiſmatis. Porrò in his Eccleſiam olim diſpensâſſe intuitu magni cujuſpiam boni, & ad vitandum graviſſimum malum. Illuſtris locus S. Auguſtini id confirmans expenditur.

124. HUCUSQUE S. Anſelmus Cantuarienſis, de quo jure Bellarminus libro *De ſcriptoribus*, ad annum Chriſti MLXXXI. inquit: *Vir fuit natione Italus, profeſſione monachus, ingenio acerrimo, ſanctitate admiranda, cum maxima prudentia & humilitate conjunctâ.* Et ſanè tot ejus dotes apparent ſatis, vel in una Epiſtola nuper exſcripta circa presbyteros: cujus ſumma eſt, ut ii, *qui ſe apertæ libidinis converſatione Deo reprobabiles exhibent* (nimirum, qui notoriè in ea parte peccârunt, ſive quorum turpitudo nota eſt: id enim ſignificat S. Doctor per *apertam libidinis converſationem*) prorſus de cætero abſtineant ab altari, juxta ſacros Canones & decreta Sedis Apoſtolicæ, quæ illos deponit, abſque reſtitutionis ſpe, ut vidimus toties in hac Diſſertatione.

125. De iis autem, qui ſacros Ordines habent, & occultè lapſi ſunt, aliter cenſet Anſelmus, & valdè conformiter ad Canonem illum V. Concilii Ilerdenſis ſuprà numero 54. allegatum. Nimirum, iis *ſpontanea humilitate ſecretò quibus debent confitentibus*, non audet S. Doctor impedire reſtitutionem ad miniſterium altaris, *ſi per ſacrificium ſpiritûs contribulati, cordiſque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudioſè contenderint.* Hac conditione præmiſſa, & non aliter, nullatenus audet damnare ſecretò lapſos ſi regrediantur ad miniſterium, præſertim juſſi, ſive revocati à ſuperiore: *quæ revocatio* (inquit) *non indifferenter, ſed magna Prælati confeſſionem ſuſcipientis diſcretione facienda eſt.* Cùm enim crimen fuerit occultum, nullam notam ſive infamiam incurrerunt, quæ pravum exemplum inducat. Cumque per converſionem ad Deum ex toto corde, & humilem confeſſionem, dignamque pœnitentiam, acceperint remiſſionem peccatorum; nihil videtur impedire ut ſinantur regredi ad exercitium ſacrorum Ordinum.

126. Quoniam verò id genus condeſcenſionis cum presbyteris ſecretò lapſis, quamvis dignè pœnitentibus, videri fortaſſe poterat quibuſdam contrarium diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & nulli decreto Sedis Apoſtolicæ innixum; occurrit Sanctus

Anſelmus huic difficultati, allegando Epiſtolam illam Calliſti Papæ ad Epiſcopos Galliarum, & aliam Gregorii Magni ad Secundinum, in quibus permittitur presbyteris in carnis peccatum lapſis, ut redeant ad ſuum miniſterium poſt dignam pœnitentiam actam. *Sed quoniam idem beatus Gregorius idipſum in aliis ſuis quibuſdam epiſtolis ſtudioſè prohibet; ne ſibi ipſe contrarius ſit, de apertis quidem prohibuiſſe, de occultis verò poſt dignam pœnitentiam conceſſiſſe intelligitur.* Nimirum S. Doctor, & omnes ferè alii eo ſæculo undecimo, ac duobus præcedentibus, immo & omnes homines docti uſque ad tempus circiter Concilii Tridentini, bona fide cenſuerunt utramque eam Epiſtolam fuiſſe germanam: utpote quarum prior exſtabat in frequentibus Collectionibus Epiſtolarum decretalium: poſterior verò in Regiſtro ipſo S. Gregorii, vulgato in variis exemplaribus.

127. Et quidem ſtatutâ aut poſitâ ſemel auctoritate utriuſque ejus Epiſtolæ, nihil potuit ab Anſelmo doceri rationabilius, aut prudentius, quàm quod docet loco ac verbis exſcriptis laudatæ ſuæ ad Gondulphum Epiſtolæ. Quæ proinde lectu maximè digna eſt, præſertim his poſtremis ſæculis. Nam licèt à tempore circiter Greg. XIII. plerique eruditiores Theologi aut ſuſpicati fuerint, aut apertè cenſuerint, utramque eam Epiſtolam fuiſſe intruſam quoad eam partem impia cujuſpiam veteratoris manu; certum tamen eſt doctrinam & diſtinctionem illam inter peccata carnalia clericorum occulta & publica, ſive nota aliis, in praxi receptam fuiſſe à nonnullis ſæculis uſque modò. Cùm enim immane quantum ceciderit diſciplina Eccleſiaſtica, & tot homines ſacris Ordinibus initiati cenſeantur ſecretò lapſi in peccata carnalia, & labi ſæpè; nemo propterea à Confeſſariis conſtringitur abſtinere perpetuò ab exercitio ſacrorum Ordinum; ſed ſolùm aut ſummum ad dignam de eo crimine pœnitentiam agendam, eaque ex parte actâ, aut etiam peractâ, permittitur redire ad miniſterium Ordinis jam antea accepti.

128. Quid? quòd nonnulli poſtremis hiſce ſæculis, adhuc poſt peccata carnalia publicè nota, vel etiam juridicè comprobata, immo & punita aliquot menſibus intra Epiſcopales carceres, leguntur aut viſuntur reſtituti exercitio ſacri Ordinis? Et fortaſſe aliqui eorum non exhibuerunt dignos pœnitentiæ fructus, nec ſigna dederunt alia veræ converſionis ad Deum; ſed ſolùm paſſi fuerunt externam illam carcerationem, & quaſdam alias incommoditates, quæ ſine vera pœnitentia ſubiri poſſunt, & ſæpè ſolent. Quid ſi fortè ex iis ipſis contingat nonnullos, non modò deinceps miniſtrare in Ordine jam ſuſcepto, ſed etiam promoveri ad alium ſublimiorem?

129. Sanè nihil horum Eccleſia, ſive Sedes Apoſtolica unquam probavit, nec decreto aliquo univerſali (quantum mihi legere licuit) hominibus iis palam, ſeu publicè, aut cum nota aliorum lapſis, indulſit ut permanerent in exercitio ſacri Ordinis jam antea recepti, adhuc poſt dignam pœnitentiam factam: multò autem minùs, ut ad Ordinem altiorem promoverentur. Clamant & conſentiunt in iis excludendis Conciliorum omnium Canones, & Pontifices, ac ſancti Patres tota Diſſertatione allegati, immo & teſtimonia illa benignitatis plena Patrum quorundam Ilerdenſium ac Toletanorum ſuprà exſcripta num. 81. 85. & 87. Similiter omnino illos excludunt Pontifices Romani, præſertim ſcribentes ad Hiſpanos: veluti Syricius ad Himerium Tarraconenſem verbis relatis num. 75. 77. 78. ac 79. & S. Hormiſda Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, cujus verba, quòd graviſſima ſint, juvat hoc loci reſumere. Ait ille: *Nec tantùm de laicis tonſurari inhibemus, ſed nec de pœnitentibus quidem quiſquam ad hujuſmodi gradum* (nimirum ad ſacerdotium) *profanus temerator adſpiret. Satis illi poſtulanti ſit venia. Quâ conſcientiâ abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit teſte confeſſum? Quis enim, quem paullò antè vidit jacentem, veneretur Antiſtitem? Præferens miſerandi criminis labem, non habet lucidam ſacerdotii dignitatem.*

130. Si autem ii qui peccata ſua palam confeſſi ſunt, & acerbiſſimam de iis juxta Canones pœnitentiam egerunt, deponuntur perpetuò, veluti indigni tractare & adminiſtrare divina myſteria; quantò magis ii qui palam peccârunt, ſeu noſcuntur peccâſſe, aut propterea ſubierunt carcerem publicum, nec tamen veram & dignam pœnitentiam egerunt? Certè hi multò magis digni ſunt perpetua depoſitione. Non enim hæc incurritur propter pœnitentiam canonicam per ſe ſpectatam, ut ſæpè diximus, & multi ante nos obſervârunt; ſed propter crimen, cui illa erat impoſita, ac ſubinde ob infamiam crimini publico annexam. Alioqui pœnitentia vera, etiam ſolennis, per ſe ipſam conſiderata, ſancta eſt, & potiùs peccatorem apud Deum & homines reconciliat, atque honore dignum reddit, quàm pœnâ depoſitionis aut contemptu.

131. Notandum verò eſt, olim nonnunquam fuiſſe diſpenſatum cum clericis, immo & presbyteris, atque Epiſcopis, ut è Novatiana hæreſi venientes ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ reciperentur, & in clero gradum ipſum, quem habebant in ſua ſecta, retinerent. Ita ex inſigni benignitate decrevit Concilium Nicænum. Inſuper Epiſcopis Donatiſtis, uno Donato præcipuo ſchiſmatis illius auctore excepto, indultum fuit, ut correcti ab eo errore intra Eccleſiam Catholicam ſuſciperentur cum honoribus ſuis. Lege S. Aug. Epiſt. L. aliàs CLXXXV. Notum præterea eſt qualiter Theodoretus Cyri Epiſcopus, & inſignis ſcriptor, de Neſtorianiſmo notatus in Concilio Epheſino, poſtea retractato errore, intra Concilium Chalcedonenſe receptus cum acclamatione fuerit, retento gradu & honore Epiſcopali. Mitto alia exempla hæreticorum abjurantium errores, & ex facultate Apoſtolicæ Sedis retinentium gradum antiquum honoris ſive gradûs, quem habebant intra clerum. Nimirum, uti idem Auguſtinus ait citato loco, ea diſpenſatio ſive indulgentia conceditur ab Eccleſia ex graviſſima cauſſa & publica vitandi ſchiſmatis, ac reſtituendi pacē

inter

inter Chriſtianos, cujus utilitate magna compenſitur detrimentum illud ſeverioris diſciplinæ. *Fieri non deberet* (inquit) *niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur*, &c.

132. Cæterùm cum iis qui poſt receptum ſacrum Ordinem lapſi ſunt palam, ſive deprehenſi aut convicti de peccato carnis, nunquam invenimus ſive legimus in Concilio aliquo, aut Epiſtola decretali, diſpenſatum fuiſſe, ut redirent ad exercitium ſacrorum eorundem Ordinum, vel aſcenderent in alium ſuperiorem, adhuc poſt dignam pœnitentiam: ut vidimus toto Diſſertationis decurſu. Nimirum, licèt peccatum hæreſis, & ſchiſmatis, ex genere ſuo ſit gravius juxta Theologos, quàm delictum incontinentiæ, ſive carnale crimen; aliunde hoc videtur majorem indecentiam & deformitatem afferre tractandis divinis myſteriis, quæ jure ſuo ſpeciali exigunt inſignem puritatem in corpore, nec ſolùm in anima: ac proinde vel in iis qui jam dignos pœnitentiæ fructus egerunt, & veniam apud Deum & homines acceperunt, relinquunt velnti maculam quandam, ſive notam apud omnes ejus turpitudinis antiquæ conſcios, ut indecens appareat cum illis diſpenſare, aut eos reſtituere, vel promovere. Vide præſertim ſuprà numero 104. teſtimonium illuſtre Sancti Martini Papæ, & aliud Sancti Hormiſdæ num. 129.

EXCURSUS X.

Eccleſiam ſeverè ſe geſſiſſe cum clericis lapſis, non deſperatione indulgentiæ, ſed zelo diſciplinæ. Diſpensâſſe nonnunquam cum iis ex cauſſa publica, & valdè neceſſaria, etiam venientibus ex hæreſi, aut ſchiſmate, ut permanerent in Ordine jam recepto: non tamen cum lapſis palam in peccatum carnis, aut crimen id manifeſtè confitentibus.

133. SED tamen in quolibet decreto Eccleſiæ circa clericos lapſos non reſtituendos, aut non promovendos, obſervare oportet prudentiſſimum illud monitum ejuſdem S. Auguſtini in Epiſtola nuper citata: *Quod non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claves datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo. Sed ne forſitan etiam de cæteris criminibus ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo ſit clericus: ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitatis. Nam & ſanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore ſuo perſtitit; & beatum Petrum, quando amariſſimas lacrymas fudit, utique Dominum negâſſe pœnituit; & tamen Apoſtolus manſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quò ſalus tutiùs muniretur; experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.*

134. Addit verò, nonnunquam accidere aut ſupervenire poſſe cauſſas valdè graves, ut ſeveritas Canonum mitigari poſſit: veluti ad magnum aliquod malum vitandum, & commune bonum aſſequendum aut ſtabiliendum. Unde ait: *Verùm in hujuſmodi cauſſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* Unde libro ſecundo contra Epiſtolam Parmeniani cap. 11. & lib. 3. cap. 2. obſervat S. Cyprianum alioſque Epiſcopos propter bonum pacis & charitatis communicâſſe cum iis laïcis, clericis, & Epiſcopis, qui ob iniquitatem ſuam non poſſidebunt regnum Dei, quamvis Apoſtolus præcipiat non commiſceri nec cibum cum iis ſumere. Subditque rationem minuendi eam ſeveritatem: *Ac quia non poterant ab eis corporaliter ſeparari, ne ſimiliter eradicarent & triticum, ſufficiebat eis à talibus corde disjungi, vita moribuſque diſtingui, propter compenſationem cuſtodiendæ pacis & unitatis, propter ſalutem infirmorum, & tanquam lactentium frumentorum, ne membra corporis Chriſti per ſacrilega ſchiſmata laniarent.*

135. In iis itaque occaſionibus ſuprema illa lex charitatis, & zelus boni publici, urget ad minuendam diſciplinæ ſeveritatem, quæ alioqui exſequenda eſt, ubi nullum ſchiſmatis vel alterius gravis mali periculum imminet. Quapropter idem Auguſtinus lib. 3. citato cap. 2. ait: *Hoc ſanitas obſervat Eccleſia, ut cùm quiſquam fratrum, id eſt, Chriſtianorum, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur; fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt.* Et præterea ſubdit: *Quando cujuſquam crimen notum eſt omnibus, & omnibus exſecrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior confirmatio charitatis.*

136. Hiſce rationibus ducta Eccleſia, ſeveritatem ſacrorum Canonum erga clericos, presbyteros, & Epiſcopos in Novatianiſmum lapſos, ſed jam ex erroribus ſuis converſos, & ad ſinum Catholicæ Eccleſiæ confugientes, mitigavit, atque intra gradum Ordinis & honoris, in quo antea erant ſub hæreſi aut ſchiſmate, recipiendos decrevit. Quapropter in magno Concilio Nicæno Canone VIII. dicitur de Catharis, id eſt, Puris, (quales ſe jactabant Novatiani) ac decernitur, ubi ad Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam accedunt, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. *ut impoſitis eis manibus, in clero maneant.* Idipſum ferè erga Hiſpanos diverſimodè lapſos, aut aliàs ſacris Canonibus impeditos ad miniſtrandum in ſacris Ordinibus, præſtitit ſub finem ſæculi quarti Syricius Papa in Epiſtola celebri ad Himerium Præſulem Tarraconenſem, ſuprà recusâ capite illius 15. pag. 126. Perinde etiam ſe geſſit cum Hiſpanis ſub initium ſæculi quinti S. Innocen-

centius I. Papa in Epiſtola ad Patres Synodi Toletanæ, ſuprà editâ §.IV, paginâ 154. Simili pietate actum fuit cum Epiſcopis Donatiſtis, ubi ex ſchiſmate venerunt ad unionem cum Eccleſia Catholica, ut manerent in eodem gradu: ac poſtea cum Theodoreto Epiſcopo Cyri quando damnavit in Concilio Chalcedonenſi Neſtorium cum ſuis erroribus, quod antea noluerat præſtare in Concilio Epheſino. Reſtitutus enim poſtea eſt honori & gradui ſuo.

137. Similiter ſub finem ſæculi quinti B. Gelaſius Papa in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos, palam docet, ſe neceſſitate temporum conſtringi ad moderandam ſeveritatem ſacrorum Canonum circa initiatos aut initiandos ſacris Ordinibus. Ait enim: *Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, & retrò Præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtauratis Eccleſiis relaxata depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ clericalis officiis, quæ per diverſas Italiæ partes, ita belli, famiſque, conſumpſit incurſio, ut in multis Eccleſiis (ſicut fratris & Coëpiſcopi noſtri Joannis Ravennatis Eccleſiæ ſacerdotis frequenti relatione comperimus) uſquequaque deficiente ſervitio miniſtrorum, niſi remittendo paulliſper Eccleſiaſticis promotionibus antiquitus intervalla præfixa, remaneant (ſine quibus adminiſtrari nequeant) ſacris Ordinibus Eccleſiæ funditus deſtitutæ: atque in plurimis locis, per inopiam competentis auxilii, ſalutare ſubſidium redimendarum deſit animarum: noſque magno reatu, ſi tanto coarctante periculo, non aliquatenus conſulamus, innecti.* Et ſubjunctis ſtatim variis decretis, moderationibuſque legum, ſive Canonum præcedentium, prout exigebat miſera illa temporum conditio, diſpenſat in temporum intervallis, ſive (ut dici communiter ſolent) interſtitiis ordinandorum, ſtatutis apud Canones ſacros, ut conſulatur graviſſimæ neceſſitati & inopiæ miniſtrorum quam patiebantur.

138. Verùm adhuc in ea tam gravi & publica indigentia aut paucitate miniſtrorum declarat ſe tantùm velle diſpenſare cum aliquo, *ſi imprimis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, SI NULLO GRAVI FACINORE PROBATUR INFECTUS, ſi ſecundam non habuit fortaſſis uxorem, nec à marito relictam ſortitus oſtenditur: ſi pœnitentiam publicam fortaſſis non geſſit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet: ſi ſervili aut originariæ non eſt conditioni obnoxius: ſi aſſecutus eſt literas, ſine quibus vix fortaſſis Oſtiarii poſſit implere miniſterium*, &c. Vides qualiter in tanta Eccleſiarum deſolatione ſolùm diſpenſet S. Gelaſius Papa in temporum interſtitiis; non autem in aliis quibuſdam impedimentis gravioribus, quale imprimis eſt gravis alicujus criminis antea commiſſi, aut pœnitentiæ publicæ; ſicuti & defectus membrorum vel ſcientiæ. Cum iis enim, tam capite ſecundo quàm tertio, teſtatur ſe nullatenus diſpenſare: *Ne per occaſionem* (inquit) *ſupplendæ penuriæ clericalis, vitia potiùs divinis cultibus intuliſſe judicemur*. Unde & graviſſimè prohibet Epiſcopis ordinationem prædictorum.

139. Eodèm ſpectat confeſſio manifeſta, ſive publica, & extra-ſacramentalis (ut ita loquamur) proprii alicujus criminis: eaque, aut vera, qualis Potamii in Concilio Toletano X. aut ficta, ob infamiam inde reſultantem. Nimirum, tam in ea Synodo, quàm in aliis multis intra & extra Hiſpaniam, ſemper fuit impedimento ad recipiendum ſacrum Ordinem, & miniſtrandum in eo jam accepto. Unde & in Conc. Valentino Galliarum ſub Damaſo celebrato an. Chr. CCCLXXIV Can. IV. ita decernitur. *Nec illud* (fratres) *ſcribere alienum ab Eccleſiæ utilitate cenſuimus, ut ſciretis, quicumque ſe ſub ordinatione vel diaconatûs, vel presbyterii, vel Epiſcopatûs, mortali crimine dixerint eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmovendos: reos ſcilicet vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolvè in his poteſt, quod dictum in alios puniretur: cùm omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa, major homicida ſit. Divina vos pietas in æternum cuſtodiat, fratres dilectiſſimè.*

140. In quæ verba eruditiſſimus Sirmondus ita loquitur apud Collectionem Labbeanam Conciliorum Tomo II. in *Appendice*, col. 1808. *Quia ſacrorum miniſtros immunes ac liberos eſſe oportet, non ſolùm à crimine, verùm etiam à criminis ſuſpicione; propterea ſtatuit hoc loco Synodus, ab ordinatione ſubmovendos omnes eſſe, quicumque in ſe ipſos ſeu vera ſeu falſa crimina dixerint. Mortalia ergo ſeu capitalia crimina intelliguntur, homicidium, adulterium, & alia hujuſmodi, quæ à ſacris honoribus excludunt promovendos, & dejiciunt promotos. De quibus interpretandus eſt etiam Nicænus Canon IX. qui eos non admittit, qui peccata ſua, τὰ ἁμαρτήματα, confeſſi, contra Eccleſiæ tamen regulam ſunt promoti*. Unde, & Patres Toletani in eam utriuſque Canonis, Nicæni & Valentini, aliorumque Hiſpaniæ ſpectantes, Potamium ab Epiſcopatu deponendum cenſuerunt. Nimirum paucis retrò annis ea pœna ſtatuta legebatur in Concilio Toletano VIII. Can. IV. & V. adversùs Epiſcopos, presbyteros, & alios miniſtros incontinentes; ac longè antea in Concilio Eliberitano Can. XIX. XXX. & LXXXVI. Similiter in Lucenſi inter Canones collectos à S. Martino Bracarenſi, & ibidem receptos; præſertim XXIV. XXV. & XXXVII. quos jam ſuprà proprio loco exhibuimus.

141. Ne autem quiſpiam ejuſmodi lapſorum, videns ſe depoſitum perpetuò ab exercitio ſacri Ordinis, propterea deſperaret de venia ſceleris ſui apud Deum obtinenda, præmisêre Patres Valentini Canonem III. in quo ajunt: *Circa eorum verò perſonas, qui ſe poſt unum & ſanctum lavacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerint, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his, juxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel ſolatii janua deſperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam uſque in diem mortis,*

non

non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui ejus largitatem & ſolus obtinet, & tam dives miſericordiæ eſt, ut nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

142. Eâdem verò doctrinâ imbuti Patres Toletani, ita deponunt Potamium ab Epiſcopatu, ut tamen illi actionem pœnitentiæ tribuant, quâ veniam à Deo, & tandem ſalutem æternam aſſequatur. Propterea in eo Decreto ajunt: *Valida auctoritate decrevimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inſervire officiis & ærumnis: providentes, melius illum per aſperam & dumoſam ire pœnitentiæ ſolitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii manſionem, quàm relictum in voluntatis ſuæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione.*

143. Et certè tam humili corde, tam contrito & pœnitenti animo acceſſit Potamius ad Synodum, poſt voluntariam novem menſium in ergaſtulo recluſionem, ut dubitandum non ſit, Patres Toletanos permiſſuros fuiſſe ipſi de cætero adminiſtrationem ſui Epiſcopatûs cum congrua aliqua & diuturna ſatisfactione per opera pœnalia, ſi cenſerent ſe poſſe id ſine Dei offenſione indulgere. Verùm ex doctrina tot ſacrorum Canonum, & attenta conſideratione majeſtatis divinæ tam graviter offenſæ ab ipſis ſacerdotibus, qui Deum pro aliis placare debebant, & mundo corde ac corpore immaculata ſacrificia offerre tenebantur, cenſuerunt firmiter, non eſſe ſibi aliquem locum arbitrandi in ea parte, nec diſpenſandi cum Potamio, quamquam ſeriò pœnitente, & compaſſione digno.

144. Eædem verò conſiderationes videntur in cauſſa fuiſſe, ut Sedes Apoſtolica, & ipſa Eccleſia in Conciliis Generalibus congregata, licèt aliquando inveniatur diſpenſâſſe cum lapſis in ſchiſma aut hæreſin, ut ſuprà vidimus, quò in gradu Epiſcopali aut ſacerdotali permanerent poſt reconciliationem; nunquam tamen Canone aliquo univerſali, aut Epiſtola decretali (quoad mihi legere licuit) generatim id indulſiſſe legatur tot ſæculis cum iis, qui poſt receptum Ordinem ſacrum *deprehenſi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, ac cæteris hujuſmodi criminibus*, ut reſumam verba illius Canonis Ilerdenſis ſuprà allegati. Sic nec decretum generale editum fuit, ut homicidæ, aut ſimoniaci in Ordine & Beneficio reſtituantur: ſed potiùs iis omnibus indicitur depoſitio perpetua, tum ob gravitatem criminis, tum ob infamiam annexam, ſive notam. Quamvis enim diſciplina Eccleſiaſtica ſucceſſu temporum adeò laxata fuerit, nunquam tamen Eccleſia voluit aliquid generatim ſtatuere adversùs tot Sedis Apoſtolicæ veneranda decreta, & innumeros ferè Conciliorum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, quibus clerici, præſertim poſt ſacrum Ordinem lapſi palam in peccatum carnis, perpetuò deponuntur ab exercitio, & prohibentur aſcendere ſuperiorem gradum.

EXCURSUS XI.

Recapitulantur, ſeu in epitomen rediguntur, præcipua eorum quæ in ſuperioribus fuſiùs tractata ſunt. Nonnihil etiam de relaxatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ erga clericos incontinentes ab ineunte xiii. ſæculo & deinceps uſque modò. Qualiter Concilium Tridentinum ſacros circa id Canones inſtaurandos & exſequendos curaverit, & eam curam graviſſimis verbis injunxerit Epiſcopis. Plurimos eorum egregiè curâſſe illorum obſervantiam poſtea, ſed minùs felici ſucceſſu, quàm opus eſſet. Summùm unctos fuiſſe, ut occultè lapſi dignam pœnitentiam agerent, & ex toto corde converterentur ad Deum, antequam redirent ad exercendum ſacrum Ordinem. Porrò idipſum à paucioribus lapſorum fuiſſe impetratum, pleriſque fortaſſis abſque digna pœnitentia, aut etiam poſt relapſum, audentibus ſe ingerere divinis myſteriis temerè ac præproperè. Refellitur paradoxon immane quorundam plus nimio in ea parte conſcientias laxantium.

145. EXHIBUIMUS Canones præcipuos Conciliorum, Decreta Sedis Apoſtolicæ, illuſtria SS. Patrum loca, & plura alia conſideratione digna, quibus omnes poſt baptiſmum lapſi in crimina capitalia, qualia præcipuè ſunt idololatria, homicidium, & fornicatio ſeu mœchia, prohibentur omnino recipere ſacrum aliquem Ordinem, ſicuti & exercere illum antea receptum, præſertim ſi jam ſacris initiati ceciderunt. Vidimus præterea excurrendo per octo priora ſæcula Eræ Chriſtianæ, eam ſeveritatem integram permanſiſſe, & exactè cuſtoditam in toto orbe Chriſtiano, ac nominatim in Hiſpania. Oſtenſum præterea eſt, ab ineunte ſæculo nono uſque ad finem undecimi, ex ſubdititiis aut interpolatis Epiſtolis Calliſti I. Papæ ad Epiſcopos Galliarum, Gregorii Magni ad Secundinum, & Sancti Iſidori ad Maſſanum, relaxatam fuiſſe diſciplinam veterem, & intruſam permiſſionem variis locis, ut iidem lapſi occultè in crimen carnis, & ſecretò confitentes, poſt dignos pœnitentiæ fructus poſſent redire ad exercitium ſacri Ordinis in quo erant, non tamen aſcendere ad ſublimiorem.

146. Nec ſolùm vulgaribus aut imperitis hominibus id altè inſedit ſæculo xi. ſed etiam doctiſſimis & ſanctiſſimis viris Burchardo Wormacienſi, Anſelmo Cantuarienſi, & Ivoni Carnotenſi, abductis auctoritate intruſa earundem Epiſtolarum. Exempla inſuper memoranda ſunt allata ad antiquam ſeveritatem confirmandam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, præſertim Potamii Epiſcopi Bracarenſis, juxta Concilium Toletanum X. in quo exponendo & illuſtrando hactenus laboravimus. Denique oſtenſum fuit, nullum Canonem Eccleſiæ inveniri, aut decretum Sedis Apoſtolicæ, quo generatim iiſdem lapſis in peccatum carnis (ſicuti nec in idololatriam, homicidium, aut ſimoniam in Beneficio aut Ordine) concedatur reſtitutio ad exercitium ejuſdem Ordinis ſacri in quo peccârunt,

runt, vel aſcenſus ad ſublimiorem, præſertim, aut ſaltem ſi lapſus fuit notorius, aut publicus, adhuc poſt dignam pœnitentiam.

147. Cæterùm ab ineunte ſæculo tertiodecimo, & deinceps uſque modò, ſenſim ſine ſenſu imminuta fuit diſciplina; non quidem quoad lapſos in idololatriam, homicidium, & ſimoniam (adhuc enim ſeveritas illa integra manet) ſed quoad fornicationem ſeu mœchiam clericorum, etiam initiatorum ſacris Ordinibus, ut in illam occultè lapſi, & ſecretò confitentes, ac dignè pœnitentes, ſine ulla diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, immo ne quidem ſuorum Epiſcoporum, redeant ad uſum ſive miniſterium ſacrorum Ordinum. Immo & nimio uſu receptum videmus, ut vel presbyteri ac parochi palam notati de incontinentia, aut etiam concubinatu, puniantur quidem à Prælatis, & aliquanto tempore carcerentur, affliganturque, ac poſtea confeſſi ſecretò & abſoluti, ſub ſpe emendationis reſtituantur miniſterio ſuo. Quod poſtremum non legimus accidiſſe unquam, primis ſaltem duodecim ſæculis. Neque enim toto illorum decurſu relaxatio diſciplinæ eò acceſſerat, ut initiati ſacris Ordinibus, & palam aut cum nota publica labentes in crimen incontinentiæ, unquam illorum exercitio reſtituerentur, contra tot ſacra decreta & adeò manifeſta antiquitatis Chriſtianæ: multò autem minùs ut promoverentur ad ſublimiorem Ordinem. Hoc enim ne in mentem quidem Romanorum Pontificum aut Conciliorum veniſſe videtur, ſaltem tam longo illo ſæculorum decurſu.

148. Ejuſmodi autem relaxatio clericorum in veteri diſciplina videtur in cauſſa fuiſſe Concilio Tridentino, ut Seſſione XXII. celebrata die decima ſeptima Septembris, anno MDLXII. ſub Pio IV. diceret cap. 1. *Statuit ſancta Synodus, ut quæ aliàs à ſummis Pontificibus, & à ſacris Conciliis* (quorum uberrimam allegationem legere eſt, ac ſubinde Canonum plurimorum, apud explanatores ejus loci) *de clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaq; retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis, copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur: nec appellatio exſecutionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua verò ex iis in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quamprimùm in uſum revocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeant: NON OBSTANTIBUS CONSUETUDINIBUS QUIBUSQUE, NE SUBDITORUM NEGLECTÆ EMENDATIONIS IPSI CONDIGNAS, DEO VINDICE, POENAS PERSOLVANT.*

149. Hinc patet, ſacratiſſimum illud Concilium curâſſe ac juſſiſſe, ut priſci illi Canones tot Synodis præcedentibus & Pontificum decretis ſtatuti, *De clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaq;*, &c. in poſterum obſervarentur; & ſi fortè in deſuetudinem abierant, aut quiboslibet conſuetudinibus violati fuerant, in uſum functionemque revocarentur. Cumque præcipui inter eos Canones ſint ii, quos ſuprà exhibuimus de clericis lapſis in peccatum carnis, præſertim poſt receptum Ordinem ſacrum, ne illum ampliùs exerceant, nec promoveantur ad altiorem; dubitare non licet idipſum fuiſſe deſideratum & confirmatum à Concilio Tridentino.

150. Nec dubito, multos aut pleroſque ex iis Patribus, præſertim quoſdam eorum præſtantiſſimos pietate ac doctrina, veluti S. Carolum Borromæum, venerabilem Bartholomæum de Martyribus, & alios ſimiles, in diœceſes ſuas reverſos, omni ſtudio & diligentia curaſſe obſervantiam & inſtaurationem eorundem Canonum ad diſciplinam clericalem ſpectantium, prout ipſis præceptum fuerat in verbis Tridentini allegatis, addita comminatione illa: *Ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant.* Unde & idem S. Carolus ſtatim Mediolanum regreſſus, tot Conciliis in illa adeò venerabili Eccleſia, & nobiliſſima urbe editis, tot ſermonibus & exhortationibus, ac (quod magis in Epiſcopo ad reformationem ſubditorum confert) ſanctiſſimæ vitæ ſuæ exemplo, nihil magis curavit, inculcavitque opportunè importunè, quàm obſervantiam & inſtaurationem ſacrorum Canonum, & veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Vide plura huc ſpectantia ſuprà Diſſertatione VIII. Excurſu III. IV. & V. pag. 369. & ſeptem ſequentibus.

151. At fortaſſe zelus, pietas, ac doctrina S. Caroli, aliorumque inſignium Præſulum ejuſdem temporis, & ſequentis uſque modò, non fuerunt ſatis ad eradicandas conſuetudines pravas, quæ in pleriſque locis à longiſſimo tempore prævaluerant adversùs diſciplinam Eccleſiaſticam, & præſertim contra Canones prædictos circa clericos in peccatum incontinentiæ lapſos. Fortè adhuc multi, aut etiam plurimi, in adeò innumerabili clericorum multitudine labebantur & labuntur in fornicationem ſeu mœchiam, non veriti corpus & animam involvere ſordidiſſimarum voluptatum cœno, & fieri dæmonum purulenta delubra; cùm ratione Ordinis ſacri, & præſertim characteris ſacerdotalis, deberent eſſe templa Spiritûs ſancti. Porrò aliquos illorum, antequam ad altare redeant, præmittere dignos pœnitentiæ fructus, piè credi poteſt; præſertim illos qui non frequenter, non ex conſuetudine, non datâ operâ, ſed rarò admodùm, & (ut reſumam verba Concilii Ilerdenſis Can. V.) *ſubitò in ſlenda carnis ex infirmitate corruerint, ſi Domino reſpiciente dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore, cordis contriti ſacrificium Deo offerant.* Profectò ii licèt non obſervent diſciplinam illam veterem ſacrorum Canonum circa clericos in peccatum carnis lapſos; ſervant tamen aliam mitiorem & laxiorem, quæ tempore ejus Concilii in provincia Ilerdenſi tradita fuit, & longè poſtea paullatim prævaluit ſæculo undecimo, ac tandem latiùs ac liberiùs propagata eſt uſque modò. Ac proinde ii, juxta monitum S. Anſelmi ſuprà Excurſu VIII. n. 118. & ſeqq. exſcriptum, laudandi quidem ſunt, ſi poſt

ſi poſt ejuſmodi pœnitentiam ſpontè & humiliter abſtineant à miniſterio altaris; non tamen cogendi ſunt ut ab eo recedant, nec damnandi, ſi contriti corde, mortificati corpore, ac dignuè pœnitentes, cum humilitate profonda, & ſpe firma miſericordiæ divloæ per Chriſtum, accedant ad ſacrificium offerendum. Vide reliqua monita ibidem apud eundem S. Doctorem, lectu digniſſima.

152. At fortaſſis ex iis clericis Ordiois ſacri, immo & presbyteris, qui incontineoter agunt, panciores dignè pœnitent, & pleriq́ue relabuntur; digni profectò exſecratione illa ejuſdem Concilii Ilerdenſis Canone V. allegato: *Si iteratè, velut canes, ad vomitum reverſi fuerint; non ſolum dignitate officii careant, ſed etiam ſanctam communionem, niſi in exitu, non percipiant.* Ejuſmodi homines re ac nomine ſacerdotii indigniſſimos, ſaltem donec magna quadam & totali converſione, ſeo mutatione dexteræ Excelſi, dignos pœnitentiæ fructus exhibuerint, qois dicat poſſe impunè redire ad ſacrificium Deo offerendum? Permiſſo enim quòd ſeveritas illa priſcorum Canonum circa clericos in peccatum carnis lapſos, quoad aliquam partem antiquata fuerit per deſuetudinem, aut abrogata per contrariam conſuetudinem longiſſimi temporis, adhuc poſt inſtaurationem illius in Concilio Tridentioo memoratam. ſuprà num. 148. nunquam tamen eò deventum eſt, ot quiſpiam Catholicus diſertè doceat, fornicarios relapſos, præſertim ſacerdotes, non dignè, nec ſicut oportet pœnitentes, poſſe licitè redire ad recipiendum, vel ad offerendum Deo ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam; quando antiquitas Chriſtiana ſummùm ac ſolùm in periculo mortis ad ſanctam communionem eos admiſit. Immo ſi quis id diſertè dicere aut ſcribere auderet, jam non haberetur Catholicus, ſed reus violatæ divinæ Fidei.

153. Sed vereor ne aliqui recuſantes id effudre ad fugiendam notam hæreſeos, audeant tamen ſcripto aut voce vulgare nonnulla paradoxa intoleranda circa ſacerdotes carnaliter lapſos, ut oimiùm licenter & temerè ad celebrandum accedant; & fortè pejora illa ac perniciofiora, quàm ipſum peccatum carnis. Placet ea de re proferre locum obſervatu dignom ex Merbeſio 3. parte *Summa Chriſtiana*, quæſt. 34. pag. 448. ubi poſtquam latè tradiderat circa clericos lapſos eandem ferè doctrinam, quam hactenus firmavimus, ita loquitur: *Quiſquis animum ſedulò ad eam expendendam appulerit, liquidò deprebendet quantopere fugienda ſint quorundam recentiorum commenta, immo opinionum portenta, quibus ſanam doctrinā, & ſacroſanctis Canonum ſanctionibus conſentaneam, ex orbe Chriſtiano revellere ſtuduerunt. Nam procul dubio perborreſcet, vel cogitatione, vel recordatione nefaria illius doctrina quorundam bominum pari ad inſcitiam impietate affirmantium, ſacerdoti poſt babitam eo ipſo die quo celebratum eſt, copulam carualem cum fæmina, aut pollutionem voluntariam, liberum eſſe ſine culpa veniali rei divina incumbere; adeò ut ita ſe gerendo opinionem tutam & in praxi ſequendam teneat.*

154. *Quid, quòd alii progrediuntur ulteriùs, & contendunt id habere locum non ſolùm in fornicatione, ſed generatim in qualicumque pollutione mortaliter peccaminoſa, ſeu babita ſecum, vel cum complice, & boc ſive babeatur per fornicationem, ſive per adulterium, ſive per peccatum contra naturam, ſeu quocumque alio modo: & quamvis P. V. credat antiquitus fuiſſe aliquam legem, vel univerſalem, vel provincialem, quâ per aliquot ſaltem boras poſt pollutionem probibeatur communio, ut videntur oſtendere loca ſuperiùs dicta; boc tamen bodie communi & univerſali totius Orbis conſuetudine eſt abrogatum. O tempora! O mores! quis in animum inducat ſuum noſtra bac ætate tam retrò ſublapſa referri omnia, ut reperiantur bomines otio & literis intemperanter abuſi, qui in cœtum fidelium auſint invebere doctrinas, quas vel teterrimi quique ferre nequeant, & quas ipſi ad ultimam improbitatis lineam adacti dæmones perborreſcant? In bis opinionum portentis multa falſa ſacrilegaq́ deprebenduntur.*

155. *Quàm impium & ſacrilegum eſt aſſerere ſacerdotem poſſe celebrare, vel laïcum poſſe communicare tutò & licitè, eo ipſo die quo in voluntariam pollutionem inciderit, vel quo fornicationem, vel adulterium, vel peccatum contra naturam admiſerit! Hanc doctrinam, immo impietatem, toti antiquitati contrariam eſſe ſuprà docuimus. Nam ſacerdotes in adulterium, & alia id genus flagitia prolapſos, de ſuo gradu in omne tempus dejectos eſſe oſtendimus, & laïcos ob ſimilia crimina ab corporis Chriſti perceptione, ad agendam pænitentiam ſegregatos eſſe declaravimus. Ita ut ſi quis ſacerdotem vel laïcum bujuſcemodi flagitiis recèns contaminatum impellat, vel, ut nonnulli factitant, protrudat ad ſacram communionem, interpoſitâ qualiſcumque confeſſionis morulâ, corporis & ſanguinis Domini apud Deum & bomines bene animatos & Evangelii & traditionis notitiâ præditos, citra controverſiam reus babeatur.*

156. *Erant ſcilicet, inſulſi & ignari ſancti Patres, cùm inter myſteria ex edito loco pronunciabant, vel pronunciari jubebant ingeminatas baſce voces:* SANCTA SANCTIS. *Siquidem ex bominum eruditionis famam omni arte aucupantium judicio, ſubſtituendæ erant bæ voces diverſæ:* Sancta adulteris: ſancta fornicariis: ſancta contra naturam peccantibus, *&c. Hæc enim prodidiſſe, refutâſſe eſt. Neque enim credibile eſt inventum iri ſacerdotem tam perditum & profligatum, qui doctrinam banc inſtigante dumtaxat diabolo procuſam, in praxim conferre vel velit vel auſit.*

157. *Falſiſſimum eſt quod ait, abrogatos eſſe Canones, quibus ſacerdotes in graviora, & præſertim carnis flagitia prolapſi; ab myſteriorum celebratione ablegantur, & laïci corporis Chriſti perceptione probibentur. Tales enim Canones babent ſaltem aliquid legis naturalis divinæ, quâ omnis rerum ſacrarum profanatio interdicitur. Cùm igitur ex communi Theologorum ſententia quicqid juris naturalis divini aliquid includit, quantum ad jus naturale, quod continet, aboleri nequeat;*

pro-

procul dubio falſiſſimum eſt præfatos Canones, quibus reverentia tam celebrandis, quàm percipiendis myſteriis debita ſancitur, & ſacerdotibus pariter & laïcis indicitur, fuiſſe abrogatos. Re vera ſanctiones omnes, omnia decreta ad ſacerdotum vitam & ſanctitatem pertinentia, nemo neſcit in uſum ab Concilio Tridentino eſſe revocata, ut ſuprà declaravimus.

158. *Temerarium eſt, impium, & ſacrilegum, & rectæ rationi & naturæ, & omnibus Canonum decretis è diametro oppoſitum, aſſerere ſacerdotem, licèt eodem quò celebraturus eſt die, flagitioſiſſimo peccato contra naturam contaminatum, poſſe celebrare, & laïcum eodem peccato inquinatum poſſe communicare interjectâ confeſſione, quæ ſæpenumero in hujuſmodi hominibus cum immani ſacrilegio conjuncta eſt. Et quamvis talis eſſet, qualem eſſe par eſt, tales tamen homines ab myſteriorum participatione fuerunt ablegandi, ut ſuprà vidimus, ne debita illis reverentia violaretur.*

159. *Quid, quòd hujuſcemodi peccatum in cœlum clamare dicitur, eò quòd ad ejus ultionem Deus adigatur? Unde Salvianus lib.* 1. De Gubernat. Dei, *verſans iſta Geneſeos verba:* Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt; Quare (*inquit*) peccata hominum clamare teſtatur? ſcilicet quia cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. *Et infrà:* Dominus dicens, quòd clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit; hoc eſt dicere: Miſericordia quidem mea mihi ſuadet ut parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam. *Hæc ille.*

160. Hucuſque Merbeſius Doctor Theologus, & valdè verſatus in Canonibus ſacris: ut ſatis oſtendit *Summa Chriſtiana* ipſius edita duobus vaſtis voluminibus Pariſiis an. MDCLXXXIII. ſub auſpiciis Illuſtriſſimi D. D. Caroli Mauricii le Tellier Archiepiſcopi Ducis Remenſis. Non ſum neſcius, id Opus à nonnullis incuſari nimiæ ſeveritatis, ſive rigoris. Sed fortaſſe ut ita cenſeant in pleriſque rebus, germana cauſſa eſt, non quia ſententiæ ipſius ſtrictiores juſto ſint, ſed quòd illorum conſcientia laxa eſt: ut hîc quodammodo locum habeat dictum illud vetus: *Pedes tui non calcant ſpinas, ſed habent.*

161. Sanè Doctor Angelicus, quem nemo incuſat nimiæ ſeveritatis in diſciplina morali (ſuaviſſimus enim eſt, quantum materia patitur, & procul ab omni ſupercilio Phariſaïco) idipſum tradit circa ſacros Canones habentes quippiam juris naturalis & divini admiſtum cum jure Eccleſiaſtico. Etenim Quodlibeto 9. artic. 15. loquens de iis Canonibus, quibus prohibetur pluralitas Beneficiorum, ac proinde de aliis ſimilibus, inquit: *Quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non poſſunt per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc quod ſolùm de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata, præcipuè ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare, intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare.* Plura alia huc ſpectantia, & digna obſervatu, vide ſuprà Diſſert. VIII. Excurſu IV. & V. pag. 372. & ſeqq.

EXCURSUS XII.

Quàm ſublimiter ſentire oporteat de ſtatu clericali, & quibuslibet Ordinibus ſacris, ut nemo crimինoſus, & præſertim impudicus, illos accipere aut adminiſtrare præſumat. Quantum ſibi metuere debeant, & quot malorum cauſſa ſint, quicumque indignis aut libidinoſis hominibus ſuffragium, auxilium, aut conſilium præbent, ut in Epiſcopatum, ſacerdotium, vel quemvis alium ex ſacris Ordinibus promoveantur. Ipſi quoque ordinandi qualiter ſe gerere debeant ne labantur à primo uſu rationis in aliquod crimen, præſertim carnis. Quid ſi ceciderint ante ſacrum Ordinem receptum? Quid ſi poſtea? idque vel ſecretò, vel publicè?

162. PRIMO oportet ſublimiter ſentire de ſtatu clericali intra Ordinem ſacrum, & ſacerdotium, præſertim ſummum; quali titulo inſigniri ſæpè ſolet dignitas Epiſcopalis apud Concilia & Patres. Nimirum in iis omnibus, qui tanquam Eccleſiæ miniſtri ſupremi, intermedii, aut infimi, ſacrificium Deo offerunt, & tale ac tantum ſacrificium, quale eſt corporis & ſanguinis Domini, exigitur quædam ſublimis puritas, ſive ab omni peccati labe incontaminata mundities, ut cum S. Dionyſio loquar. Quò ſpectat imprimis teſtimonium illud clariſſimum S. Petri Apoſtoli Epiſt. I. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis,* &c. Ajebat S. Leo Papa Sermone 1. *De Nativitate Domini: Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuam: & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Hæc ille alloquens unumquemque è Chriſtianis. Quantò magis id dicendum de iis, qui è toto Chriſtiano cœtu deliguntur, ut proximè miniſtrent divino ac tremendo puriſſimi corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificio, vel ut illud conficiant & offerant pro peccatis totius mundi, vel tandem ut hierarchica munera obeant, ſacerdotes ipſos inſtituant & conſecrent: ac tandem, ut loquitur Ambroſius, cleri ipſius PERFECTORES ſint?

163. Hæc eſt ratio legitima cur à principio Eccleſiæ curatum maximè fuerit, ut non ſolùm Epiſcopi ſint perfecti, & IRREPREHENSIBILES, presbyteri quoque immaculati; ſed & diaconi SINE CRIMINE, ac nominatim PUDICI, & habentes myſterium Fidei IN CONSCIENTIA PURA: ut ſuprà oſtenſum fuit ex verbis Apoſt. 1. ad Tim. 3. qui & ſtatim ſubjungit verſ. 10. de iis omnibus: *ET HI AUTEM PROBENTUR PRIMUM, NULLUM CRIMEN HABENTES.* Itaque à tempore naſcentis Eccleſiæ, & deinceps, curatum ſemper fuit ne qui ad ſacros Ordines Epiſcopi, presbyteri, aut diaconi admitterentur, niſi præmiſſo examine inventi

ac

ac probati, tanquam NULLUM CRIMEN HABENTES. Nimirum, ut ſuprà vidimus ex S. Hieronymo, Ita, ut nullum crimen commiſſum fuiſſet ab iis, à tempore recepti baptiſmi.

164. Idipſum incipiente aut ineunte quarto ſæculo videmus ſtatutum in Concilio Eliberitano, aliiſque, etiam loquendo de ſubdiaconis, qui nondum eo tempore ex vi ſacri ordinis ligabantur vinculo continentiæ, ſeu voto caſtitatis, uſque ad finem circiter ſæculi ſexti, ſub Pontificatu S. Gregorii Magni. Prohibebantur enim omnino ſubdiaconatum recipere, ſi quodquam *crimen ſive peccatum capitale aut principale, aut mortale, poſt baptiſmum receptum perpetrâſſent*: ut toties in ſuperioribus oſtenſum fuit ex tot Canonibus Conciliorum, & decretis Romanorum Pontificum. Præſertim verò aut ſaltem id conſtitutum fuit circa lapſos poſt baptiſmum in tria illa graviora peccata, nimirum idolulatriam, homicidium, & mœchiam, ſeu fornicationem: quæ antonomaſticè in Conciliis dicuntur *crimina*. Ac quemadmodum duo priora ex iis ſemper habuerunt, habentque modò, annexum perpetuò impedimentum cujuslibet ordinis ſacri, tum recipiendi, tum exſequendi (quod dici ſolet irregularitas ex delicto) ita & circa tertium illorum permanſit ferè ubique illibata diſciplina Eccleſiæ, per multa ſæcula, præſertim circa illos qui poſt receptum ordinem ſacrum lapſi fuerunt in peccatum carnis, quamvis occultè, ut Potamius & Genebaldus Epiſcopi; multò autem magis ſi publicè aut notoriè convicti. Quæ omnia ſatis in ſuperioribus oſtenſa fuerunt evidentibus teſtimoniis totius antiquitatis Chriſtianæ. Quibus adjunge ex Concilio Toletano XI. capitulo quarto verba ibi contenta adverſus Epiſcopum quemlibet incontinentem: *ut honoris proprii gradum amittat, & ſub exſilii relegatione perpetuam excommunicationis ſententiam perferat*.

165. Quamvis verò ab aliquot ſæculis poſtremis uſque modò imminuta fuerit, aut diuturnâ conſuetudine contrariâ multorum in omni ferè natione ceſſaverit magna ex parte obſervantia diſciplinæ illius veteris Canonum, & decretorum ſedis Apoſtolicæ circa clericos incontinentes, quantum ad id quod habent de jure Eccleſiaſtico; non propterea Canones ipſi aut decreta unquam aboleri potuerunt aut poterunt quantum ad id quod in ſe continent juris naturalis & divini. Id enim immotum ubique ac ſemper & irreformabile eſt, veluti unicè à Deo inſtitutum: quare nullo hominum arbitrio, & curſu temporum, aut conſuetudine oppoſita abrogari poterit, nec amittere vim æternam obligandi in conſcientia, quam ex ſe habet. Vide illuſtre S. Thomæ teſtimonium ea de re ſuprà num. 161.

166. Quot autem & quænam ex contentis in decretis & Canonibus ſacris ſint præcepta jure naturali & divino, ac proinde immobiliter obligent ad ſui obſervationem; quænam verò ex ſolo jure Eccleſiaſtico obnoxio mutationi, diſpenſationi, aut abrogationi; quænam tandem miſta ex utroque; non eſt exiguitatis noſtræ, nec è ſcopo hujus operis explanare, aut recipere provinciam adeò vaſtam & difficilem. Petendum id erit oratione ac ſtudio competenti præmiſſo, partim ex ipſa qualitate materiæ & circunſtantiis adjunctis, partim ex accurata lectione tot graviſſimorum interpretum, qui omnibus ferè ſæculis ſacros Canones, & diſciplinam Eccleſiaſticam illuſtrârunt. Nos nimiùm peccatores, & valdè imperiti, vix, & cum metu ac rubore, audemus hæc qualiacumque proferre quatuor Conciliorum tomis contenta, quibus tanta morum puritas & innocentia vitæ exigitur in ſacris hominibus. Audemus tamen illa edere, non veluti magiſtri aut doctores aliorum; ſed veluti diſcipuli, & ſtudioſi doctrinæ Conciliorum, Canonum, ac ſanctorum Patrum, ejuſque evulgatores & exſcriptores: ut & alii innumeri nobiſcum diſcant ab iis, qui ſanctitate vitæ & excellentiâ doctrinæ Eccleſiam, ac præſertim illius clerum, Inſtruxerunt & illuſtrârunt.

167. Quiſquis hactenus legerit, inveniet quantum ponderis in ſe recipiant Principes Eccleſiaſtici, aut ſæculares, Conſiliariive ipſorum, & quicumque alii in cauſſa ſunt, ut quiſpiam in Epiſcopum eligatur. Debent enim attentè ac ſolicitè inquirere, & maturè conſiderare, an verè ſit dignus eo gradu adeò ſublimi, ob innocentiam vitæ, & præcellentiâ doctrinæ, & prudentiæ. In quo ipſo clauditur aut ſupponitur optima apud omnes opinio, & conſtans fama caſtimoniæ. Nihil enim magis decolorat, immo deturpat, tam ſacrâ dignitatem, quàm nota quælibet incontinentiæ. Nihil magis damnoſum toti diœceſi, clero, ac populo, ut plurimùm ſequenti ſui rectoris exemplum. Quicumque autem ad illius electionem ſeu promotionem auxilium aliquod vel conſilium præſtârunt, agnoſcentes aut agnoſcere debentes malam ipſius qualitatem, ſunt cauſſæ morales omnium delictorum & malorum quæ inde ſequentur, & de iis Deo rationem ſtrictiſſimam reddent. Lege ſuprà num. 32. quàm anxius fuerit S. Auguſtinus, & qualiter religione perculſus ad deferendum ſuum Epiſcopatum, eò quòd partem aliquam habuiſſet in electione Antonii Epiſcopi Fuſſalenſis, quem parùm cautè aut minùs prudenter judicaverat dignum, ſed poſtea potiùs lupũ quàm paſtorem expertus eſt. Quid non debent facere & luere alii, qui longè minori circunſpectione inquirentes in vitam, mores, & doctrinam alicujus reipſâ indigni, ac fortaſſe etiam incontinentis, & propterea non detegentes vitia ipſius, eligunt illum in Epiſcopum, aut qualitercumque cooperantur ad illius electionem?

168. Idipſum ferè dicendum eſt de omnibus iis Epiſcopis, Prælatis, & aliis quibuslibet, auxilium, conſilium, aut opem præſtantibus, ut ordinem ſacrum accipiat, vel ad altiorem promoveatur aliquis indignus, aut qualitercumque impudicus. Licèt enim inter illos culpabilior ſit Epiſcopus, qui tam inconſultè aut tam citò manus impoſuit, juxta phraſin Apoſtoli; omnes tamen ii ſunt moralis cauſſa ejus indignæ ordinationis ſeu promotionis, & malorum quæ inde ſequentur, aut ſequuta ſunt. Inter alios etiam præcipuè id ſcelus imputabitur Prælatis iis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus, qui literas commendatitias

titias aut teſtimonium idoneitatis præbent ejuſmodi indignis, ut ordinentur: quò proinde ſimul cum Epiſcopo ordinante indignum, audituri aliquando ſint (niſi dignam pœnitentiam egeſint) terribilem illam Dei vocem apud Ezechielem: *Sanguinem ipſius de manu tua requiram*.

169. Quod attinet ordinandos ipſos, ſeu promovendos in quemcumque ordinis ſive Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradum, conſtat ex dictis qualiter à die recepti baptiſmi, & initio uſûs rationis, ſtudere diligentiſſimè debeant innocentiæ morum perpetuæ, & conſervationi illius candidæ ſtolæ, quam in regeneratione per Chriſtum acceperunt. Nam licèt id commune eſſe debeat omnibus Chriſtianis; ſpeciatim tamen urget in iis omnibus, qui tractandis divinis myſteriis deputari aliquando volunt. Itaque eos præ quibuslibet aliis mundos corde & corpore, & quàm maximè pudicos eſſe oportet. Atque utinam ita ſervaretur exactè cum omnibus, & ubique, quemadmodum priſcis illis & melioribus ſæculis, fieretque exactiſſimum vitæ & morum examen uniuſcujuſque, antequam ordinandus eſſet. De quo inter alios aut præ aliis legere oportet eruditiſſimum ſcriptorem Franciſcum Hallier, Doctorem Sorbonicum, in aureo illo & magno Opere *De ſacris ordinationibus*, & piiſſimum Patrem D. Antonium de Molina Carthuſianum, in celeberrima *Inſtructione ſacerdotum*, poſt venerabilem Magiſtrum Joannem de Avila, dictum communiter Apoſtolum Andaluſiæ ſeu Bæticæ, apud venerandum Magiſtrum Ludovicum Granatenſem, in Vita ipſius §. IV.

170. Sed quoniam in hac mundi ſenecta, & corruptione tanta morum, pauci ſunt relatè ad alios, qui poſt baptiſmum receptum, & rationis lumen à Deo inditum, non labantur proceſſu temporis in aliquod peccatum mortiferum; & plurimi ex adoleſcentibus uſque ad annum viceſimum primum ætatis, ſine ſtudio perfectionis ſpeciali viventes, cenſentur aliquando labi in peccatum carnis; quid de iis dicemus? Si delicta eorum occulta ſint, & per ſecretam confeſſionem ſalutarem, dignamque ſatisfactionem expiata, poterunt ne licitè accipere ſacrum ordinem? an potiùs tenebuntur humiliter devitare illum?

171. Reſpondeo, attento jure tot Canonum antiquorum, & conſuetudine tot ſæculis recepta inviolabiliter in Eccleſia, ſaltem uſque ad undecimum illorum, ejuſmodi homines fuiſſe prohibitos accipere ordinem ſacrum, ac debuiſſe omnino eum honorem humiliter ac prudenter fugere, ſive ipſorum crimen fuiſſet publicum, ſive ſecretum, ut omnes Canonum interpretes monent, & cum iis Morinus & Albaſpinæus, cujus verba exhibuimus Tomo I. in Canonem XXX. Concilii Eliberitani. Fieri tamen potuit, ut poſt dignos pœnitentiæ fructus exhibitos, aliqui moverentur ſpeciatim à Deo ad ordinem ſacrum petendum; aut ex circumſtantiæ accederent poſt magnam vitæ mutationem in melius, ut judicio prudenti Epiſcoporum, ſive doctorum & piorum virorum, cenſeretur conſonum voluntati divinæ, atque utilitati Eccleſiæ illos ſacris ordinibus initiare.

172. Et hoc poſtremum multò magis videtur dici poſſe noſtris temporibus, quibus adeò exolevit diſciplina illa vetus: nam licèt valdè conſentanea eſſet locis Scripturæ ſuprà num. 67. & 68. indicatis, ac manifeſtæ rationi & dignæ tractationi rerum divinarum, & decori ſtatus clericalis, præſertim intra ordinem ſacrum, exactâ illa vitæ innocentiâ abſque ullo crimine poſt baptiſmum commiſſo; non tamen conſtat, nec facilè perſuaderi poteſt, prohibitum eſſe jure naturali ac divino, ut ſacris initientur, qui eam non ſervârunt integrè ac perpetuò, ſed olim aliquo incontinentiæ crimine animam & corpus ſuum deturpârunt. Quapropter ii, ſi poſtquam occultè lapſi ſunt, dignam de peccato ſuo pœnitentiam fecerint, & eam vitæ mutationem exhibuerint competenti tempore, ut judicio doctorum & ſpiritualium hominum cenſeatur illorum ordinatio decens, & utilis futura Eccleſiæ; non videntur impediendi à receptione ordinum. Impedimentum enim illud antiquum, quamvis fundatum in natura rerum, & decentia ipſa miniſterii ſacri, fuit inductum quoad vim præceptivam & obligatoriam ſub peccato mortali, ſolo jure Eccleſiaſtico, cujus obligatio per longævam & immemorabilem deſuetudinem ejus pœnæ, ceſſare aut aboleri poteſt, præſertim aut ſaltem ſciente Pontifice Romano generatim (ſicuti & Epiſcopis in unaquaque diœceſi) & tacente ſeu non innovante præceptum illud antiquum.

173. Totum autem id intervenire modò circa ejuſmodi lapſos, ſed tamen per dignam pœnitentiam purgatos, videtur manifeſtum. Nam à multis jam ſæculis, quoties ordinandorum qualitates examinantur, ſolùm fit informatio per teſtes; ad quorum notitiam non perveniunt peccata illa carnis occulta: atque adeò propter hæc, tanquam prorſus ignota, nulli negatur promotio ad ſacros ordines. Sed nec ipſi ordinandi olim lapſi videntur obſtringi ſub onere peccati gravis (ut olim fiebat) lapſum ſuum Epiſcopo manifeſtare, ne iis conferat ſacrum ordinem; neque alio decenti prætextu quæſito abſtinere ab eorum receptione, ubi jam per dignam pœnitentiam coram Deo purgati ſunt. Hoc enim ſolùm habet locum in idololatria, ſive hæreſi formali externa, quamvis occulta, homicidio, & ſimonia, aut alio forſan crimine, cui impoſitum ſit ipſo jure impedimentum perpetuum, ſive irregularitas: quoniam ejuſmodi pœna non tollitur per pœnitentiam, ſed per ſolam Romani Pontificis diſpenſationem, idque tam Jure canonico antiquo, quàm recenti. Et ita ſervatur perpetua Eccleſiæ praxi à priſcis ſæculis uſque modò.

174. Peccatum verò incontinentiæ occultæ ſitum in fornicatione, aut mœchia, licèt juxta antiquos Canones haberet ex jure Eccleſiaſtico annexum impedimentū perpetuum ordinis ſacri recipiendi & exſequendi (quod poſterioribus ſæculis irregularitatis vocabulo ſignificatum fuit) jam à multis ſæculis non cenſetur illud ſecum afferre, ob deſuetudinem longiſſimam ejus pœnæ, ac conſenſum auctorum communiter ſcribentium, & interpretantium Jus canonicum, Nemo enim,

quantum mihi reſcire licuit, tractans de irregularitate ex delicto, & de criminibus, quibus illa annexa eſt, mentionem facit cujuſpiam irregularitatis ortæ ex fornicatione aut mœchia. Itaque ſi qua olim propterea contrahebatur, jam ab aliquot ſæculis exolevit, & penitùs antiquata eſt. Quare ii qui de incontinentia illa ſecretò commiſſa dignam pœnitentiam fecerunt, & competenti tempore poſtea ſtuduerunt vacare pœnitentiæ, ac piis operibus, & perfectioni Chriſtianæ; ubi judicio doctorum & piorum hominum, ac maximè uniuſcujuſque Epiſcopi prudentis & zelantis diſciplinam Eccleſiaſticam, cenſentur valdè utiles futuri miniſterio Eccleſiæ, non video cur prohibendi ſint à receptione ſacrorum ordinum ſub onere peccati gravis, ut olim tot ſæculorum decurſu prohibebantur.

175. Unde celeberrimus interpres Concilii Eliberitani Ferdinandus Mendoza, in Commentario citati Canonis illius XXX. concludit hiſce verbis: *Hodie peccatum mœchiæ ante ordinis ſuſceptionem commiſſum, non video impedire clericum ordine poſtea ſuſcepto perfungi, etſi poſſet impedire & ſuſcipiendum, obſervatis primitivæ Eccleſiæ moribus.* Hæc ille, centum circiter retrò annis ſcribens, & triginta poſt Concilium Tridentinum, in quo Canones antiqui circa diſciplinam & honeſtatem clericorum inſtaurati fuerunt, ut ſuprà num. 148. vidimus. Quantò magis hodie dicere id poterimus, ubi deſuetudo exſequendi eam pœnam, centum jam & triginta annis poſt idem Concilium continuata fuiſſe videtur?

176. Et ſanè ab inclinante ſæculo undecimo uſque modò legimus, aut novimus multos poſt pubertatem, aut adoleſcentiam, vel ſaltem aliquam illius partem, in deliciis & vanitatibus ſæculi (quid ſi fortè etiam in fornicatione aut mœchia?) interdum decurſam, poſtea ad meliorem frugem converſos, & diu purgatos dignis pœnitentiæ fructibus, præſertim intra ſtatum regularem; deinde ſuperiorum judicio ac juſſu ſacros ordines, immo & Epiſcopatum, licèt invitos, accepiſſe, & de cætero ſanctiſſimè vixiſſe. Nonnulli eâ vitæ auſteritate & virtutum excellentiâ veteres criminum ſordes eluerunt, & tam ſublimem perfectionem nacti ſunt, ut ab Eccleſia ſolenniter faſtis Sanctorum adſcripti fuerint, aut adſcribendi cenſeantur. Nota loquor cuilibet verſato in Vitis Sanctorum & hiſtoriis Eccleſiaſticis legendis, præſertim Regularium, ſacerdotum, aut Epiſcoporum, inſigniter pœnitentium de peccatis in adoleſcentia commiſſis, antequam ſuperiorum judicio & imperio reciperent ſacros ordines.

177. Lege vitam S. Anſelmi Cantuarienſis ab Eadmero ipſius convictore fideliſſimè ſcriptam, & præterea aliam S. Andreæ Corſini, in quibus nonnulla ſimilia invenies. Lege etiam *Vitam interiorem* venerabilis viri D. Joãnis Palafox Epiſcopi Angelopolitani, nuper Romę recusã Italicè & Hiſpanicè, in qua ipſe coram Deo & hominibus confitetur errata & delicta juventutis ſuæ, cum ingenti dolore & humilitate, uſque ad viceſimum octavum fermè annum ætatis, in quo ad ſeriam pœnitentiam, & aſperrimum vitæ genus, & admirandam de cætero perfectionem, converſus fuit potenti dextera Excelſi; ac poſtea præviis ejuſmodi diſpoſitionibus per aliquot annos veteres maculas eluit, antequam ſingulos ordines gradatim reciperet per intervalla ſive interſtitia ab Eccleſia ſtatuta, donec tranſactis circiter decem annis vitę inſontis & aſperrimę, nominatus ad Epiſcopatum Angelopolitanum, poſt multam conſultationem, & inſpirationem divinam (ut piè creditur) illum admiſit: & in eo eximiis virtutibus præfulſit, ac tot ſcripta pia cum magna nominis celebritate edidit: quę omnia examini hujus S. Sedis ſubjiciuntur, & nos ipſius judicio ſũmittimus, dum de illius Beatificatione tractatur. Neque enim antiqui Eccleſiæ Canones ullatenus poſſunt Deum impedire, ut tanquam ſupremus rerum dominus, quando & quomodo voluerit ex duris lapidibus faciat filios Abrahæ, eoſque ſupra candelabrum Eccleſiæ conſtituat, & omnipotentiam ſuam parcendo maximè ac miſerando manifeſtet. Sicut autem Anſelmum & Andream Corſinum jam purgatos à vanitatibus adoleſcentiæ, ſpecialim vocavit ad ſtatum ſacerdotalem, & Epiſcopalem, ac præterea alios multos; ita etiam potuit & poteſt alios plures poſt baptiſmum graviter lapſos, poſtea autem dignè pœnitentes, ac plenè reconciliatos, excitare, movere, & evehere ad ſacerdotium & Epiſcopatum admittendum.

178. Dum autem iidem lapſi, præſertim in peccata incontinentiæ, nondum fecerunt dignos pœnitentiæ fructus, nec magnam vitæ mutationem habuerunt, & propoſitum diu confirmatum proficiendi in melius, ſed adhuc fluctuant, & identidem relabuntur, aut ſurgunt; temerarium videtur ſacris ordinibus initiari. Quare prudentiùs ac longè ſecuriùs ſe gerent vitando humiliter ſtatum ſacerdotalem, quàm immaturè accipiendo. In quo omnes pios, & in ſacris Canonibus ac doctrina SS. Patrum verſatos, quotquot hæc legere dignabuntur, unanimi judicio conſenſuros video. Præſertim quia facilius eſt unicuique pluribus ac decentibus modis ſe excuſare, ſive vitare receptionem ſacri ordinis, quàm poſt illum jam receptum abſtinere ab ejus exercitio. Vidimus autem ſuprà ex S. Anſelmo num. 119. qualiter dicat de ſacerdote lapſo, adhuc poſtquam dignam pœnitentiam egerit, tutius eſſe ut abſtineat à celebrando, quàm ut accedat. Quantò magis de lapſo, ſed nondum per dignam & diuturnam ſatisfactionem purgato, nec ſatis robuſto in virtute, dicendum eſt, tutius ac longè convenientius eſſe, ut ſacros ordines vitet, quàm ut accipiat? Præſertim cùm ad eos recuſandos urgeat tota antiquitas Chriſtiana Conciliorum & Patrum; nemo autem illorum hortetur ad eos recipiendos. Satis ſit, præter plurima alia in ſuperioribus exhibita, indicare illud S. Iſidori libro *De Officiis*, cap. 5. *Quòd quis poſt baptiſmum aliquo peccato mortali corruptus, ad ſacerdotium non promoveatur, lex ipſa teſtatur.* Nimirum, lex Eccleſiæ tot Conciliis & decretis Apoſtolicæ Sedis expreſſa. Idem autem eſſe de promotione ad ſubdiaconatum, jam ſatis ſuprà ex ſacris Canonibus oſtenſum fuit.

Certè nemo, etiam poſt vitam innocenter tranſactam, ſive nollius peccaṭi gravis ſibi conſcius, deberet adſpirare ad ſacros ordines recipiendos, nec ſibi præſumere eum honorem, ut loquitur Apoſtolus, & Eccleſiæ Patres exponunt; ſed tantùm ille, *qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Quantò minùs ille, qui ſcit ſe aliquando poſt baptiſmum commiſiſſe crimen aliquod, præſertim carnis, quamvis ſecretò, & adhuc poſtquam illud digna ac diuturna ſatisfactione expiaverit: quæ certè tot ſæculis juxta Concilia & ſacros Canones Dei ſpiritu conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos (ut loquitur S. Leo Papa) viſa fuit inſufficiens, ut ita lapſi, & jam Deo reconciliati, ſacris ordinibus initiarentur? Hæc qnæſo conſiderent non ſolùm domini Epiſcopi, & Prælati regulares, ſed & omnes clerici minorum ordinum, & quicumque demum accenſeri cogitant aut volunt ſtatui Eccleſiaſtico, ne præproperè aut inconſideratè & temerè, ut ſæpè fieri ſolet, alios admittant, aut ſeipſos introducant.

179. Denique quoad illos qui in peccatum carnis occultè lapſi fuerunt poſt ſacrum ordinem, aut etiam ſacerdotium acceptum, ſatis diximus ſparſim, præcipuè verò Excurſu VIII. prolato in medium inſigni loco S. Anſelmi ea de re, attentiùs legendo, & conſideratione digniſſimo. Si autem lapſus carnis ſacerdotum fuerit manifeſtus, unde ipſe ſiniſtram opinionem aut notam juridicè vel publicè apud alios contraxerit, jam plura præmiſimus tota Diſſertatione; & ſæpè diximus, nullum aditum apparere in Conciliis aut ſacris Canonibus, immo neque in illis Epiſtolis ſuppoſitis Gregorio Magno ad Secondinum, & Iſidoro ad Maſſanum, ut redeant ad munus ſacerdotale exſequendum. Quare ſolùm videtur reſtare illis locus agendi pœnitentiam, & manendi in gradu inferiori dum vixerint, attentis Conciliis & Canonibus ſacris. Et hæc occaſione lapsûs Potamii ac depoſitionis dicta ſunto.

EXCURSUS XIII.

Deploratio malè amiſſa virginitatis, ex S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi: ut qui eam culpâ ſuâ perdiderunt, non audeant recipere ſacros ordines, nec adminiſtrare jam ſuſceptos; niſi priùs ingenti contritione, & magna vita mutatione in melius dignos pœnitentia fructus fecerint.

180. ANIMA mea, anima ærumnoſa, anima, inquam, miſera miſeri homunculi, excute torporem tuum, & diſcute peccatum tuum, & concute mentem tuam: reduc ad cor enorme delictum, & produc de corde immanem rugitum. Intende, infelix, intende ſceleris tui horrorem, & protende horrificum terrorem, & terrificum dolorem. Tu, inquam, quæ quondam candidata cœleſti lavacro, dotata Spiritu ſancto, in Chriſtiana profeſſione jurata, virgo fuiſti Chriſto deſponſata. O unde memini! O quem nominavi! Utique non jam benignum ſponſum virginitatis meæ; ſed terribilem judicem immunditiæ meæ. Heu memoria perditæ jucunditatis! Cur ſic ſuperaggravas preſſuram poſſidentis infelicitatis? quàm miſera ſors flagitioſi hominis, cui & bonum & malum pariter ſunt in tormentum? Torquet enim me mala conſcientia, & cruciatus ejus, in quibus timeo me arſurum; torquet me bonæ conſcientiæ & præmiorum ejus memoria; quæ ſcio me perdidiſſe, nec ampliùs recuperaturum. Væ miſerum perdere dolendum; Id perdere irrecuperabiliter, quod ſervari debet interminabiliter. Heu inconſolabile perdere; quod non ſolùm eſt damnoſum bonorum, ſed inſuper eſt lucroſum tormentorum.

181. O virginitas, jam non dilecta mea, ſed perdita mea; jam non jucunda mea, ſed deſperata mea; quò deveniſti? in quàm fœtido, in quàm amaro cœno me dereliquiſti? O fornicatio ſordidatrix mentis meæ, perditrix animæ meæ; unde miſero ſurrepſiſti, de quàm nitido, de quàm jucundo ſtatu me præcipitâſti? Hinc uris me, ò amare mœror, quia illud eſt amiſſum: hinc angis me, ò gravis dolor, & timor gravioris, quia iſtud eſt admiſſum. Hinc eſt damnum inconſolabile, hinc tormentum intolerabile. Væ hinc, & væ illinc! Sic ſic pariter bonum & malum, ſic utique jam juſtè punitis adhuc viventem miſerum malum. Dignè, certè, dignè. Tu namque anima mea perfida Deo, perjura Dei, adultera Chriſti, libenter de virginitatis ſublimitate miſerabiliter es demerſa in barathrum fornicationis. Tu illa olim deſponſata Regi cœlorum, ardenter facta es ſcortum tortoris tartarorum. Heu abjecta à Deo, projecta diabolo: immo abjiciens Deum, amplectens diabolum. Tu enim, tu miſera anima mea, meretrix obſtinata, fornicatrix impudens, tu prior amatori & creatori tuo Deo repudium obtuliſti, & ad inſidiatorem & perditorem tuum dæmonem te ſpontè contuliſti. O miſerrima commutatio!

182. Heu! de quàm ſublimi cecidiſti, in quàm profundum corruiſti! Væ! quàm benignum contempſiſti, quàm maligno te junxiſti. Quid feciſti ò mentis amentia, amens ſpurcitia, ſpurca nequitia, quid feciſti? In cœlo dereliquiſti caſtum amorem tuum, & in infernum ſecuta es odioſum corruptorem tuum, & in barathro parâſti non thalamum, ſed proſtibulum tuum. Horror mirabilis! quàm perverſa voluntas! Miraculum horribile! quàm voluntaria perverſitas! Unde mihi Deus tantæ pravitatis correctio? Unde tibi, Deus, tanti ſceleris ſatisfactio? Præcipitare miſer homuncio in tenebroſum profundum immoderatæ mœſtitiæ; qui ſpontè præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ. Obruere infelix, mole terribilis doloris, qui corruiſti libens in cœnum infernalis fœtoris. Obvolvere, criminoſe, horridis tenebris inconſolabilis luctûs, qui volens provolutus es in voraginem tam ſordidi luxûs. Volutare in gurgite amaritudinis, qui delectatus es in volutabro turpitudinis.

183. Terror horribilis, dolor terribilis, mœror inconſolabilis, aggerate vos ſuper me; irruite, obruite, perturbate, obvolvite, poſſidete. Ju-

ſtum

ſtum eſt, juſtum eſt. Impudenti audacia contempſi vos, & putenti delectatione provocavi vos; immo Deum, non vos: & nunc miſerabili pœnitentia deſidero vos. Torquete reum, vindicate Deum. Præſentiat fornicator inferni tormenta quæ meruit, prægustet quod præparavit, aſſueſcat quod eſt paſſurus. Extende & produc, immoderate peccator, luctuoſam pœnitentiam, qui tam longè produxiſti tui ſceleris immunditiã. Revolvere & revolvere in eundem turbinem amaritudinum, qui totiens revolutus es in eandem voraginem libidinum. Conſolatio, ſecuritas, lætitia, nolo vos, renuo vos; niſi peccati venia reduxerit vos. Procul eſte, procul eſte ante mortem, ſi fortè indulgentia revocet vos mihi vel poſt mortem. Sit continua pœnitentia amara comesætatis meæ: ſit continuus dolor inſatiabilis tortor vitæ meæ. Sint mœror & acerbus luctus infatigabiles tribulatores juventutis & ſenectutis meæ. Utinam, utinam ita ſit; opto, oro, deſidero ut ita ſit. Si enim non ſum dignus oculos ad cœlum orando levare; certè non ſum indignus eos vel plorando cæcare. Si confunditur mens mea orate pudore conſcientiæ; æquum eſt ut confundatur turbine luctuoſi doloris & triſtitiæ. Si timet exhiberi ante conſpectum Dei ſui; juſtum eſt ut habeat ante conſpectum ſuum tormenta ſceleris ſui.

184. Cogitet igitur & recogitet cor meum quid fecit, & quid meruit. Deſcendat, inquam, deſcendat ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine mens mea, & conſideret quæ ibi exſpectent ſceleroſam animam meam, intendat & contempletur, videat & conturbetur. Quid eſt, Deus, quid eſt quod animadverto in terra miſeriæ & tenebrarum? Horror, horror. Quid eſt quod intueor, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Heu! confuſio ululatuum, tumultus fletuum, ſtridor dentium, inordinata multitudo gemituum. Væ! væ! quot, quot, & quot væ, væ! Ignis ſulphureus, flamma tartarea, & caliginoſa volumina, quàm terrifico rugitu video vos rotari! Vermes in igne viventes, quæ mira aviditas rodendi ſic vos accendit, quos ille ignis ignium non incendit! Dæmones coardentes, frementes ardore, frendentes furore, cur ſic crudeles eſtis his qui volutantur inter vos? O omnimoda tormenta! juſtitia moderata, ad ſuſtinendum immoderata; ſiccine nullus modus, nullum remedium, nullus finis temperabit vos? Hæccine ſunt, magne Deus, quæ parata ſunt fornicatoribus & contemptoribus tuis, quorum ego unus ſum? Ego, ego, utique, unus horum ego ſum.

185. Anima mea expaveſce, mens mea deſice, cor meum ſcindere. Quò me rapitis exactores ſceleris mei? Quò me trudis peccatum meum? Quò me tradis Deus meus? Si feci ut eſſem reus tuus; numquid potui facere ut non eſſem creatus tuus? Si mihi caſtitatem meam ademi; numquid tibi miſericordiam tuam peremi? Domine, domine, ſi ego admiſi, unde me damnare potes, tu ne amiſiſti unde ſalvare ſoles? Noli Domine, noli ſic attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum. Ubi eſt, ò verax Deus, ubi eſt: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat?* *Ezechiel 33. v. 11.* Domine, qui non mentiris: domine quid eſt, *nolo mortem peccatoris*; ſi tu ſepelis in infernum ad te clamantem peccatorem? an detrudere peccatorem in gehennam, hoc eſt, *nolo mortem peccatoris?* An hoc eſt, *volo ut convertatur peccator & vivat?* Peccator ſum Domine, peccator ſum ego. Si ergo non vis mortem peccatoris; quid te cogit, quòd non vis ut me tradas ad mortem? Si vis ut convertatur peccator & vivat; quid te prohibet facere quod vis, ut me convertas, & vivam? An immanitas peccati mei cogit te quod non vis, & prohibet quod vis; cùm ſis omnipotens Deus? Abſit, omnipotens Deus; abſit, Domine Deus: non prævaleat nequitia peccatoris confitentis & dolentis ſententiæ omnipotentis.

186. Memento, juſte, ſancte, & benigne Deus: memento quia miſericors es, & creator & recreator meus. Ne ergo memineris, bone Domine, juſtitiæ tuæ adverſus peccatorem tuum; ſed memor eſto benignitatis tuæ erga creaturam tuam: ne memineris iræ adverſus reum; ſed memor eſto miſerationis erga miſerum. Verum eſt quia conſcientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem: ſed certum eſt quia miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem. Parce ergo tu bone Domine, cujus eſt ſalus, & qui non vis mortem peccatoris. Parcè peccatrici animæ meæ. Fugit enim exterrita à terrente juſtitia tua ad confortantem miſericordiam tuam; ut quoniam præmium virginitatis eſt corruptæ, ò dolor, irrecuperabile; ſaltem ſupplicium fornicationis pœnitenti non ſit inevitabile: quia non eſt impoſſibile omnipotentiæ tuæ, nec indecens juſtitiæ tuæ, nec inſolitum miſericordiæ tuæ; quoniam bonus es, & quoniam in æternum miſericordia tua, qui es benedictus in ſæcula. Amen.

187. *Hactenus S. Anſelmus in ea Meditatione, quæ ipſius ævo celeberrima & valdè proficua fuit, ac per plurimorum manus circumferebatur. Porrò illam hoc loco recudimus in communem utilitatem: ut omni diligentia ſervent virginitatem, qui adhuc per gratiam Dei retinent illam illibatam, & nulli parcant labori, ut tantum theſaurum de cætero integrum conſervent. Verùm ſpeciatim Meditationem ipſam denuò evulgamus in gratiam eorum qui cogitant de ſuſcipiendo ſtatu Eccleſiaſtico; ut innocentiam animæ, & caſtimoniam corporis accuratiſſimè cuſtodiant cum pulcherrimo virginitatis flore. Si autem contigerit illum culpabiliter amittere quolibet turpi actu mœchiæ ſive fornicationis, recuſent modeſtè atque humiliter receptionem cujuslibet ſacri Ordinis ſub aliquo prætextu decenti, juxta tot ſacros Canones: aut ſaltem ingenti cordis & corporis contritione dignos pœnitentiæ fructus edant convenienti tempore, juxta conſilium patris alicujus ſpiritualis verè docti, ac ſolidè verſati in diſciplina Eccleſiaſtica, ac prudentis & pii Prælati, antequam de ejus conſilio, ac vocatione Dei, ſive divinis inſpirationibus maturè examinatis alliciantur & ſuadeantur ad recipiendum ordinem ſacrum. In talibus enim circun-*

ſtan-

ſtantiis, licèt non ſervetur antiqua illa ſacrorum Canonum diſciplina quantum ad id quod ſpectabat ad jus purè Eccleſiaſticum, jam antiquatum in ea parte per longiſſimam ſæculorum deſuetudinem; videtur tamen ſervari id quod pertinet ad jus naturale ac divinum circa puritatem corporis & animæ præceptam omnino iis qui primùm ſacris initiantur. Etenim juxta ſtatum præſentem diſciplinæ Eccleſiaſticæ non ita exactæ ac olim, videntur per confeſſionem ſecretam cum digna ac diuturna cordis & corporis contritione recuperâſſe munditiam corporis & animæ ſufficientem, attento jure naturali & divino, ut initientur ſacro ſubdiaconatûs ordine. Hæc autem omnia ſub correctione S. matris Eccleſiæ, ac quorumlibet meliùs ſentientium, ex indulgentia quadam, ſeu condeſcenſione ad infirmitatem noſtram in hac mundi ſenecta & miſero ſtatu, & non juxta ſeveritatem ſacrorum Canonum, dicta ſint.

188. *Denique tum pro iis qui ante ſuſceptum ordinem ſacrum, tum præſertim pro illis, qui eo ſuſcepto graviter lapſi, aut etiam relapſi ſunt in gravia peccata, potiſſimùm carnis, & quàm veram, ſeriam, ac diuturnam olim pœnitentiam agerent, juxta ſacros Canones ac doctrinam SS. Patrum, ſemper & ubique digniſſimam obſervatu, recolenda ſunt plura quæ ſuprà diximus Diſſertationibus VIII. & IX. in Canones XI. & XII. Concilii Toletani III. à pagina 362. uſque ad 384. Legantur ibi, quæſumus.*

MONITUM AD LECTOREM.

189. *CUM S. Fructuoſus intervenerit huic Concilio, & in eo fuerit ſuffectus Potamio Archiepiſcopo Bracarenſi (de quo hactenus diſſeruimus) viſum fuit hoc loci exhibere acta Translationis ejuſdem Sancti jam vitâ functi, ad Compoſtellam, ex Mss. valdè antiquis, prout edita invenitur apud Bollandianos ad diem XVI. Aprilis. Contigit autem illa anno Chriſti circiter MCII.*

TRANSLATIO S. FRUCTUOSI

Et aliorum Compoſtellam.

Auctore Hugone Archidiacono Compoſtellano. Ex antiquis membranis.

190. ANNO igitur Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo ſecundo, venerabilis pater Didacus, Eccleſiæ S. Jacobi Compoſtellanæ Sedis divina præſtante gratia Epiſcopus, ſecundo Epiſcopatus ſui anno, Eccleſias, cellas, & hæreditates, quæ in Portugalenſi pago Compoſtellanæ Eccleſiæ juris eſſe cognoſcuntur, ut juſtum eſt, viſitare decrevit. Ad bonum namque pertinet paſtorem, ut tam exterioribus Eccleſiæ ſuæ bonis quàm interioribus provideat: & ſi quid detrimenti vel aliquid inordinatum in eis invenerit, providentiâ ſuâ reſtauret & diſponat. Aſſumptis itaque de majoribus Eccleſiæ ſuæ perſonis, ad Portugalenſem provinciam, uti diſpoſuerat, iter ſuum direxit. Cumque appropinquâſſet civitati, quæ Bracara dicitur, nuncium ſuum ad ejuſdem civitatis Archiepiſcopum præmiſit, qui adventum ſuum ei nunciaret, Ipſe verò Archiepiſcopus, nomine Giraldus, vir prudens ac religioſus, audito quòd Epiſcopus S. Jacobi ad ſuam civitatem veniret, magno repletus eſt gaudio: & congregans omnes clericos ſuos, cum civibus, & cæteris Eccleſiæ ſuæ ornamentis, obviam procedens, Epiſcopum Compoſtellanum cum magna veneratione in proceſſione ſuſcepit: & clero cantante, ipſe eum manu dextera tenendo, in Eccleſiam ſuam introduxit. Poſt Miſſæ verò celebrationem ad menſam refectionis, poſt refectionem quoque ad ſuam cameram propriam Archiepiſcopus Epiſcopum honorificè comitando perduxit; eique ſuum proprium hoſpitium præbens, in aliam manſionem ivit manſurus. Illa itaque die Epiſcopus S. Jacobi apud Archiepiſcopum Bracarenſem eſt commoratus. Sequenti verò die, ſalutatis ejuſdem Eccleſiæ fratribus atque benedictione firmatis, præfatus Epiſcopus ad Eccleſiam Sancti Victoris, cujus juris medietas Bracaræ civitatis eſſe perhibetur, Archiepiſcopo comitante pervenit, & in ſua regia palatia ut dominus ſuſceptus eſt.

191. Interim tamen Eccleſias ſuas circuiendo, viſitando, & in eis Miſſarum ſolennia celebrando, multorum corpora Sanctorum, quæ per eas ſemiſepulta debito carebant honore, intimo progemebat affectu; & pietatis ſtudio pio verſabat pectore, quæ poſtea divina opitulatione implevit. Ferventi namque ſtudio excogitabat, qualiter pretioſas de inconvenientibus locis margaritas extrahere poſſet, & ad Compoſtellanam urbem aſportaret. Convocatis itaque ſuis familiaribus clericis & conſilio probatis, quid inde vel quomodo facere vellet, aperuit dicens: Fratres chariſſimi, ſcitis quia ad has partes ideo venimus, ut ſi quid in Eccleſiis iſtis ſeu hæreditatibus deſtru-

deſtructum ſeu inordinatum eſſet, præſentia noſtra reſtauraret & ordinaret, & malè poſita in meliorem ſtatum mntaret. Nunc antem, noſtram non latet diligentiam, quòd in eis inconvenientia reperiantur. Plurima enim Sanctorum corpora, nullo cultu venerata, ſed nuda & publico viſui patentia, paſſim per eas jacere ſpectatis, quæ debita veneratione carere nec ignoratis. Si ergo veſtra nobis conſuluerit prudentia, hoc emendare curabimus: & qnædam pretioſorum corpora Sanctorum, qnibus nnllus hîc exhibetur cultus, ad Compoſtellanam Sedem transferre curabimus: occultè tamen hoc fieri oportebit, ne fortè gens hujus terræ indiſciplinata, tantoque theſauro exſpoliata, in nos ſubitam ſeditionem commoveat: ſicque qnod tentare audemus, fruſtra nos tentâſſe doleamus. Hoc autem conſilium cùm ejus clerici approbâſſent, utpote qui conſilium divina inſpiratione ortum eſſe nec reſpnendnm aſſererent; venerabilis vir Epiſcopns, maxima mentis jucunditate repletus, reſpondit & ait: Dominns Jeſus Chriſtus, de cujus miſericordia confidimus, ipſe ſna pietate quod deſideramus adimpleat; & propoſiti noſtri devotionam ad bonum finem perducere dignetur.

191. Deinde Eccleſiam S. Victoris ingrediens, ibique Miſſam celebrans, ad dexteram partem altaris fodi præcepit: nbi arca marmorea mirè ac ſubtiliter fabricatâ mox ſub terra reperta eſt: quam cùm præſente domino Epiſcopo aperuiſſent, duas capſulas argenteas intus invenerunt. Eas itaque prædictus Epiſcopus cum magno timore accipiens, glorificato nomine Domini, cum pſalmis & orationibns reſeravit: iu nna quarum domini noſtri Salvatoris reliqnias; in alia verò plurimorum Sanctorum oſſa demonſtravit. Clauſas igitur & firmiter ſigillatas, ſuis fidelibus clericis cuſtodiendas tradidit. Alia autem die ad Eccleſiam B. Suſannæ Virginis & Martyris, quæ uon longè ab Eccleſia S. Victoris remota eſt, perrexit, & ſnmma devotiune Miſſam celebravit. Celebratâ antem Miſſâ, nt ſacris veſtibus erat ornatus, ad Manſoleum SS. Cucufati & Sylveſtri Martyrum, in eadē Eccleſia requieſcentium, trepidante animo acceſſit: & eorum glorioſa corpora in munda ſindone involuta, de inconvenientibus ſarcophagis latenter aſſumpſit; & cum magna reverentia, per idoneos miniſtros atque fideles, cæteris ignorantibus, ad cameram ſuam deferri & fideliter cuſtodiri fecit. Ad ſepulchrum qnoque S. Suſannæ Virginis cùm perveniſſet, ejus venerabile corpus cum gemitu ac lacrymis ſuſpirando accepit, & occultè cum aliis cuſtodiendum tradidit. Præterea vir Dei cognoſcens divina pietate eſſe conceſſum, quòd per eum Sanctorum corpora honorificanda eſſent; appoſuit ut B. Fructnoſi Confeſſoris atque Pontificis glorioſam glebam corporis ſimili modo transferret, atque convenientibus locis collocaret. Poſt duos verò dies venerunt ad Eccleſiam B. Frnctnóſi, ibique Miſſam ſolenniter celebravit. Finitâ verò Miſſâ, ad ejus ſepulchrnm ſacris indutus veſtibus acceſſit. Sed qnod S. Fructuoſus regionis illius defenſor & patronns erat, cum majori timore ex Eccleſia ſua, quam ipſe adhuc vivens in carne fecerat, cum pio latrocinio ſuſtulit, & ſublatum fidelibus ſuis cuſtodibus ſervandum commiſit. Et qnamvis hoc factum omnes lateret, præter clericos hújus conſilii conſcios, conſeqnente tamen nocte Epiſcopus ſecurè dormire non potuit: timebat enim perdere qnod ſecum gaudebat habere.

192. At ubi mane facto qnod egerat non eſſe propalatum agnovit; cum gaudio & lætitia ſunm occultum theſaurum comportans, ad qnamdam S. Jacobi villam, quæ Corneliana nuncupatur, tamquam iniens fugam, accelerando regreſſus eſt. In Corneliana igitur rumor populi aures Pontificales percuſſit, referens ab Epiſcopo S. Jacobi indignum fieri facinus, qni Sanctos de Portugalenſi terra ſublatos, patriæ ſcilicet defenſores atque patronos, ad ſuam conabatur transferre civitatem. Quo audito, vir ſummæ prudentiæ & pietatis eximiæ, veritus ne qna occaſione ſen violentia pretioſam ſarcinam amitteret; cuidam fideli archidiacono ſuo Sanctorum corpora commiſit, & quomodo ea per occultos tramites ad Tudeuſem deferret civitatem, ſapientibus verbis inſtruxit. Pontifice ergo apud Cornelianam remanente, Archidiaconus ſecundum ejus præceptionem iter faciens, uſqne ad flnmen Minii, qnod ſecus Tudam defluit, proſperè pervenit. Flumen equidem antè tam aſperrimis per tres dies inhorruerat procellis, quòd nullis navibus tranſiri poſſet. At poſtquam Sanctorum corpora ſupra ripam flnminis poſita fuerunt, eorum reverentiam fluvius ſenſiſſe viſus eſt. Nam gravis auræ aſperitate ſubmota, aëriſque intemperie evaneſcente, trausferendis Sanctis tantam transfretandi facilitatem flumen exhibuiſſe perhibetur, quantā ipſius pernicitas aquæ ſubminiſtrare potuit; qnæ ſedatis fluctibus tam magna ferebatur tranquillitate, ut nec modica fluctuationis unda qnateretur. Tranſlatos itaque per fluvii tranquillitatem Sanctos in Cœnobio S. Bartholomæi, quod in ſuburbio Tudæ civitatis ſitum eſt, poſuerunt. Archidiaconus igitur fideli cuſtodia & adminiſtratione quendam diaconum, S. Jacobi Apoſtoli canonicum, cum eis relinquens, ad Epiſcopum in Cornelianam reverſus eſt: eique quicquid accidiſſet in itinere, & ubi Sanctos Dei dimiſiſſet, referendo pateſecit. Deinde diaconus, quem cuſtodem deputatum eſſe prædiximus, ex præcepto Pontificis ſupradictos Sanctos ad Eccleſiam S. Petri de Cella, qnam B. Fructuoſus fabricaverat, religioſè detulit. Ibi verò per decem dies Epiſcopum præſtolando debitam venerationem eis exhibuit.

193. Audiens autem Epiſcopus quia jam Minium fluvium tranſiſſent Sancti, & in tuto loco paſiti eſſent (fluvius enim iſte Portugalenſem terram diſterminat à Gallæcia) præparatis omnibus quæ præparanda erant, ad monaſterium, ubi Sancti erant poſiti, feſtinando pervenit: & aſſumptis inde Sanctis, jam manifeſtè per villas S. Jacobi cum magna veneratione & lætitia ad Compoſtellanam civitatem redire cœpit. Cùm autem ad villam, quæ Coĕgidum appellatur, veniſ-

veniſſet, nuncios ſuos clero & populo Compoſtellano præmiſit, ut eis Sanctorum adventum nunciarent, & qualiter deberent ſuſcipi, juſſione ipſius admonerent. Clerus igitur Compoſtellanus & populus, audientes quia divina miſeratione permiſſum eſſet, quòd Sanctorum corpora à Bracara in Compoſtellanam transferrentur civitatem, valdè gaviſi ſunt. Intelligebant ſiquidem, quòd tam eorum meritis & interceſſionibus, quàm piiſſimo B. Jacobi Apoſtoli patrocinio, cujus ſanctiſſimi corporis præſentiâ Compoſtellana civitas illuſtratur, ab omni peſte ſeu languore & debilitate liberandi eſſent. Exeuntes ergo obviam nudis pedibus clerici, ſubſequente populo totius civitatis, uſque ad locum qui Miratorium dicitur, religiosè proceſſerunt. Quò cùm perveniſſet Epiſcopus, & qui ſecum venerant diſcalceati præceſſiſſent; clerici ſecundum ejus diſpoſitionem ſacris veſtibus ornati, nudis pedibus exiſtentes, poſt eos venientibus turbis, glorioſa ſanctorum corpora ſuſceperunt: & Epiſcopo prætereunte & clero, in civitatem ſuam cum hymnis & canticis & pia devotione detulerunt, & in Eccleſiam B. Jacobi Apoſtoli Compoſtellanæ Sedis collocaverunt.

194. Corpus verò S. Fructuoſi Confeſſoris atque Pontificis ad altare S. Salvatoris, in majori ejuſdem Eccleſiæ crypta, poſitum eſt. Verumtamen expletis quatuor annis, iterum præfato Epiſcopo ſuiſque clericis melius viſum eſt, ut B. Fructuoſo, quem de propria manſione ſuſceperant, proprium facerent habitaculum. In ejus itaque honorem fabricatum & dedicatum eſt altare, & ab eodem Epiſcopo conſecratum in ſiniſtro membro ejuſdem Eccleſiæ, in crypta quæ eſt inter portam quæ mittit in clauſtrum, & altare S. Jacobi. Ibi ergo poſitum eſt corpus B. Fructuoſi & conditum, & tamquam in propria ſede requieſcit uſque in ſempiternum diem, miraculis glorioſum. Sanctum verò Cucufatem Martyrem altare S. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ ſuſcepit: & S. Sylveſtri Martyris corpus ſub altari beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli, in ejuſdem Eccleſiæ corpore, conditum eſt. Beata verò Suſanna Virgo & Martyr in Eccleſia quæ in honorem ſancti Sepulcri & omnium Sanctorum fundata cognoſcitur, in loco quem antè Altarium ſepulcrorum appellare ſolebant, honorificè collocata requieſcit. Tranſlata itaque Sanctorum corpora, ut ſuprà dictum eſt, collocata fuere XVII. Kalendas Januarii.

195. Hugo ejuſdem Compoſtellanæ Sedis canonicus & archidiaconus prædicti ſecreti conſcius fuit, qui etiam in tanti tamque pretioſi theſauri inventione & inventi adminiſtratione fideliſſimus conſultor & diligens cooperator, corpore præſens & animo devotus exſtitit, ne oblivionis caligine ſopiretur, diligenter ſcripſit, & poſteris in memoriam fideliter tradidit, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Meminit hujus Concilii Innocentius III. in Epiſtola ad Petrum Compoſtellanum: quam vide ad calcem hujus Concilii. pag. 633.

S Y N O D U S

Quæ geſta eſt in provincia Luſitaniæ, apud urbem EMERITENSEM, quæ caput ejus dignoſcitur eſſe, XII. Epiſcopis in unum collectis,

Die VIII. Iduum Novembris, anno XVIII. sereniſſimi & piiſſimi RECCESVINTHI Regis.

Erâ DCCIV. Id eſt, anno CHRISTI DCLXVI.

T I T U L I.

I. *De Fidei inſtitutione, ejuſq; ordine.*

II. *De veſpertini officii ſervando ordine.*

III. *Quid ſit obſervandum tempore quo Rex in exercitu progreditur, pro Regis, gentis, aut patriæ ſtatu, atque ſalute.*

IV. *Qualiter Metropolitanus ſuis confinitimis, aut confinitimi Metropolitano ſuo, placitum faciant.*

V. *Ut Epiſcopus ad ſuam perſonam, ad Concilium non diaconum, ſed aut Archipresbyterum, aut presbyterum dirigat.*

VI. *Qualiter Epiſcopus admonitione accepta, ad Metropolitanum ſuum veniat.*

VII. *Qualiter ſecundum priorum Canonum inſtituta Concilium fiat.*

VIII. *Quid ordinatum maneat de Epiſcopis, qui inter ſe de parochiis intentionem habent.*

IX. *Quid presbyter obſervare debeat, qui presbyteris jubetur dare ſanctum chriſma.*

X. *Ut omnis Epiſcopus infra hanc provinciam conſtitutus, archipresbyterum, archidiaconum, & primiclerum in Eccleſia ſua habeat.*

XI. *Ut omnis presbyter, Abbas, vel diaconus, Epiſcopo ſuo humilitatem teneat & reverentiam ſummam.*

XII. *Ut Epiſcopus, qui illi placiti fuerint de parochia ſua, presbyteros, atque diacones cathedrales ſibi faciat.*

XIII. *Ut Epiſcopus, quem viderit de clericis ſuis ad bonum profectum tendere, honorandi & magnificandi de rebus Eccleſiæ licentiam habeat.*

XIV. *De pecunia quæ in Eccleſia Dei offertur, fideliter colligenda. & fideliter dividenda.*

XV. *Ut Epiſcopi atque presbyteri pro gravibus cauſſis (quod legum damnant ſententiæ) ſine judicis examine familiam Eccleſiæ non debeant exſtirpare.*

XVI. *Ut Epiſcopo non liceat tertiam de parochianis Eccleſiis tollere, ſed quæ inſtituta ſunt debeat obſervare.*

XVII. *Ut poſt mortem Epiſcopi, nulli ſubjectorum liceat de eo quicquam detrahere.*

XVIII. *Ut parochitani presbyteri, juxtà ut poſſe habuerint, de familia Eccleſiæ ſuæ clericos ſibi faciant & habeant.*

XIX. *Ut presbyter qui plures Eccleſias habuerit commiſſas, pro ſingulis Dominicis diebus, in ſingulis ſacrificium Deo offerre intendat.*

XX. *Qualiter libertos Epiſcopi faciant, vel qualiter liberti à patrocinio Eccleſiæ nunquam diſcedant.*

XXI. *Qualiter ſtabilitum maneat, quod Epiſcopus in amicis ſuis, ſervis, aut libertis de re Eccleſiæ ſuæ donare voluerit.*

XXII. *Qualiter excommunicari oporteat, qui Canonis non cuſtodierit ſententiam.*

XXIII. *Confirmatio hujus Concilii.*

1\. CONGREGATIS nobis omnibus provinciæ Luſitaniæ Epiſcopis in nomine Domini, reſidentibus in Hieruſalem Eccleſia, quæ in Emeritenſi urbe (quæ caput hujus provinciæ noſcitur eſſe, & ſub principali nomine manet dedicata) juxta ordinem priorum Canonum noſtrorum, cum Dei juvamine cœptum eſt initium. Primùm (ut mos eſt) debitas laudes perſolvimus omnipotenti Deo, cujus munere adunati ſumus, & dono: deinde sereniſſimo, at-

que clementiſſimo Principi noſtro, & domino, gratiarum actiones impendimus Regi Receceſvintho; optantes divinam miſericordiam, ut qui ei tribuit regni poteſtatem, concedat & vitæ felicitatem, cum pacis quiete; ſicque eum de ſuis hoſtibus reddat victorem, ut ſuorum inimicorum colla ditioni ejus ſubdat, gratiâ favente: quatenus & præſentem vitam quietus poſſideat per tempora longa, & poſt multa annorum curricula beatitudinis gaudia obtineat, per ſæcula nunquam finienda. Et quoniam de ſæcularibus ſancta illi manet cura, & Eccleſiaſtica per divinam gratiam rectè diſponit mente intentâ, ſit illi opitulatrix ineffabilis omnipotentis Dei gratia, quæ ſe quærentibus manet propinqua.

I. *De Fidei inſtitutione, ejuſq; ordine.*

2. Juxta priorum Patrum regulam, quæ ſanctè nobis eſt tradita, cujus inſtitutione profectum Fidei habet ſancta Dei Eccleſia Catholica; quamlibet permultis Conciliis maneat memorata, oportet tamen à nobis non eam eſſe prætermittendam: hæc enim eſt prima Concilii via; & niſi dignè fuerit adſtructa, perveniendi ad aliud ratio eſt incongrua. Nos ergo, quia certos fatemur in Fide, & perpetim hanc profitemur ore, dignum eſt in hoc ſancto Concilio credulitatem noſtram exponere.

Eſt Symbolum Conſtantinopol. in 3. Tolet. & aliis Conciliis poſitum.

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium conditorem: & in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum, non factum; homouſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine, homo factus, paſſus ſub Pontio Pilato, ſepultus, tertia die reſurrexit, aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris: iterum venturus in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem; cum patre & Filio adorandum & glorificandum; qui locutus eſt per Prophetas. In unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

3. Hæc eſt Fides noſtra, & hæc credulitas ſancta; hanc quiſquis dignè tenet, judicii tempore remunerationem condignam accipiet; qui ab ea diſceſſerit, & in hac Fide eſſe noluerit, cum diabolo pœnas æternas luet. Oremus ergo omnipotentem Deum, ut hæc credulitas ſincera, divina nobis conferat beneficia, ejuſque pietas ſancta, præſenti in ſæculo cuncta nobis dimittat peccata: & cùm venerit judicare vivos & mortuos, ad dexteram ſuam nos juſtificandos ſtatuat. Si quis non crediderit, aut confeſſus fuerit, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unum eſſe in Trinitate, anathema ſit.

II. *De veſpertini officii ſervando ordine.*

4. Sicut in Fide ſancta noſtra eſt unanimitas, ita pro ſancto Dei officio debet eſſe intentio ſumma. Oportet igitur, ut ſicut in aliis Eccleſiis veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, priùs dicitur veſpertinum, quàm ſonum in diebus feſtis, ita & à nobis cuſtodiatur in Eccleſiis noſtris. Si quis hunc ordinem minimè cuſtodierit in ſua Eccleſia, cunctoſque ad ſe pertinentes non inſtruxerit, ut bonum hujus operis agant; dum tale ad Metropolitani pervenerit aures, & fuerit res convicta, excommunicationis ſe noverit feriri ſententiâ.

III. *Quid ſit obſervandum tempore quo Rex in exercitu progreditur, pro Regis, gentis, aut patriæ ſtatu, atque ſalute.*

5. Quantum cum Dei juvamine ratio compellt, ut rectitudinis regula ponatur in Eccleſiaſtico ordine, tantum neceſſarium eſt ea excogitare & ordinare, quæ clementiſſimo domino noſtro Receceſvintho Regi fideliumque ſuorum genti, aut patriæ debeant proſperitatem afferre. Ob hoc ergo inſtituit hoc ſanctum Concilium, ut quandocumque eum cauſſa ingredi fecerit contra ſuos hoſtes, unuſquiſque noſtrûm in Eccleſia ſua hunc teneat ordinem; ita ut omnibus diebus per bonam diſpoſitionem, ſacrificium omnipotenti Deo, pro ejus, ſuorumque fidelium, atque exercitus ſui ſalute offeratur, & divinæ virtutis auxilium impetretur: ut ſalus cunctis à Domino tribuatur; ut victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tamdiu hic ordo tenendus eſt, quamdiu cum divino juvamine ad ſuam redeat ſedem. Quiſquis hujus inſtitutionis modum implere diſtulerit, ſciat ſe à ſuo Metropolitano eſſe excommunicatum.

IV. *Qualiter Metropolitanus ſuis conſinitimis, aut conſinitimi Metropolitano ſuo, placitum faciant.*

6. Poſtquam Fidei noſtræ credulitas eſt manifeſta, illa inſerenda curavimus, quæ rectitudinem faciant in Eccleſia ſancta. Cœtus ergo noſtræ unanimitatis hoc inſerendum eſſe curavit, ut tempore quo Metropolitanus in Eccleſia Dei fuerit ordinatus Epiſcopus, placitum in nomine ſuorum comprovincialium Epiſcoporum faciat; ut caſtè, ſobriè, recteque vivat. Similiter & quando conſinitimi Epiſcopi in Eccleſiis, quibus præeſſe poterint, fuerint ordinati, placitum faciant in nomine Epiſcopi ſui Metropo-

tropolitani, ut caſtè, rectè, & ſobriè vivant. Quòd ſi juxta canonicam ſententiam, per voluntatem Metropolitani, atque informationis ejus Epiſtolam, per regiam juſſionem, ab alio Metropolitano aliqui fuerint ordinati; tempore quo ad Metropolitanum ſuum poſt ſuam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere. Quòd ſi diſtulerint, tamdiu quiſquis ille excommunicatum eſſe ſe noverit, quamdiu impleat ordinem bonæ inſtitutionis.

V. *Ut Epiſcopus ad ſuam perſonam, ad Concilium non diaconem, ſed aut archipresbyterum, aut presbyterum dirigat.*

7. Juxta canonicum ordinem, tempore quo Concilium per Metropolitani voluntatem, & regiam juſſionem electum fuerit agere, omnes confinitimos Epiſcopos in unum oportet adeſſe; nec pro tali re quælibet cauſſa opponi debet ad excuſationem. Quòd ſi contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate, qualiter non poſſit venire, aut per regiam juſſionem injunctum acceperit aliquid agere, ut ſit per quod non poſſit Concilio intereſſe; quicquid tale acciderit, Metropolitano ſuo fideliter intimet cuncta, per ſuam Epiſtolam manu ſua ſubſcriptam: ut poſtmodum quæratur, anne excuſationem faciat aliquam. Ad ſuam tamen perſonam non aliter, niſi aut archipresbyterum ſuum diriget, aut ſi archipresbytero impoſſibilitas fuerit, presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat, à tergo Epiſcoporum, inter presbyteros ſedere, & quæque in eo Concilio fuerint acta ſcire & ſubſcribere. Injuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, ut quiſquam Epiſcoporũ diaconum ad ſuam perſonam dirigat. Hic enim quia presbyteris junior eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in Concilio nulla ratione permittitur. Quemcumque ergo ex presbyteris dirigere elegerit, inſtructum per informationem dirigat, ut ratio poſcit; atque cum eo mandatarium ſuum, juxta legis ordinem munitum: ut ſi à quolibet contra eundem Epiſcopum in Concilio fuerit ſuggeſtum, ab eo, quem dixerit, qui petit, accipiat reſponſum; & juſtitia, quæ fuerit ordinata, nullam poſtmodum dilationem habeat.

VI. *Qualiter Epiſcopus admonitione accepta ad Metropolitanum ſuum veniat.*

8. Deo credimus eſſe placitum, quando pro bono opere dignam in Eccleſia ſancta imponimus regulam. Ideoque placuit fraternitati noſtræ, ut ſicut primatus reverentiæ à Metropolitano Epiſcopo jubetur impendi per ſynodicam regulam; ita & à comprovincialibus ſuis ſerventur hæc monita. Communi deliberatione cenſemus, & ſententiæ hujus ordinem ſervandum inſtituimus; ut dum quiſquam comprovincialis Epiſcopus Metropolitani ſui admonitionem acceperit, pro diebus feſtis Nativitatis Domini & Paſchæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excuſationem. Quòd ſi contigerit eum ab ægritudine eſſe detentum, vel per nimiam intemperantiam aërum, non habere qualiter ad præſentiam ejus poſſit venire, Epiſtolam manu ſua ſubſcriptam dirigere debebit, in qua hujus rei veriſſimè cauſſam noteſcat. Quòd ſi ſanus, qui admonitionem acceperit, fuerit, & venire diſtulerit, abſque excommunicatione dimittendus non erit. *Sic cautum eſt Concil. Tolet. 13. cap. 8.*

VII. *Qualiter ſecundùm priorum Canonum inſtituta Concilium fiat.*

9. Decretum eſt de priſcis Canonibus ſemel in anno fieri Concilium, ubi elegerit Metropolitanus Epiſcopus: atque in ea ſancta regula manet ordinatum, ut comprovinciales Epiſcopi, dum à ſuo Metropolitano fuerint admoniti, præſentes eſſe debeant ad locum temporis debiti: quæ res non extra regiam agitur voluntatem. Sunt nonnulli, qui pro hoc, admonitionem ſui Metropolitani, & regiam juſſionem accipiunt; & minimè implent quæ jubentur: hos priſcorum Canonum ſententiæ excommunicatos eſſe jubent, uſque ad tempus superventuri Concilii: & quamvis excommunicationis damno feriantur, nihil tale in his impenditur, quod debeant metuere. Placuit huic ſanctæ Synodo, ut quiſquis ille Epiſcopus ad Concilium venire diſtulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus, ubi cum his, qui præſentes fuerint, elegerit Metropolitanus. Cella verò & res ad eum pertinentes, quouſque ille ſub pœnitentia fuerit, inſtantia & ſolicitudine regantur Metropolitani. Quia ideo eſt hoc electum, ut diſcat ſub pœnitentia, quod implere noluit voluntate recta. Dum ergo ad ſuam redierit cellam, rem in ſtatu inveniat, quæ Eccleſiæ ſuæ eſt debita. *Vide Epiſtolam Innocentii III. de pœna hujus Canonis.*

VIII. *Quid ordinatum maneat de Epiſcopis, qui inter ſe de parochiis intentionem habent.*

10. Omnibus * penè cognitum manet quomodo divina gratia, quæ cor ſereniſſimi atque clementiſſimi domini noſtri & Principis Reeceſvinthi Regis in manu tenet, & ubi vult, illud vertit, ſuggerente ſanctæ memoriæ ſanctiſſimo viro Orontio Epiſcopo, animum ejus ad pietatem moverit, ut terminos hujus provinciæ Luſitaniæ cum ſuis Epiſcopis, eorumque parochiis, juxta priorum Canonum ſententias, ad nomen provinciæ, & Metropolitanam hanc Sedem reduceret & reſtauraret. His ergo, juxta eandem regulam, decreto ſynodico, judicii formulâ, & ſuæ clementiæ confirmatione ad hanc Metropolim reductis; dum, miſerante Domino, Principis juſſu, in unum ad ſanctum conveniſſemus Concilium, unus de his, Selva nomine, ſanctæ Igeditanæ Eccleſiæ Epiſcopus, interpellavit ſanctam ** Alias benè.* *Prov. 21.*

Synodum; eo quòd Juſtus Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, debitam illi teneret diœceſim: hoc enim etiam adjiciens, ut de eo, id unde ad Gallæciæ Metropolim diœceſis ſuæ fuerat poſſeſſum, ille reciperet, quamvis longa poſt tempora, quæ parochiæ ſuæ fuerant debita.

De tricennali poſſeſſione dictum eſt ſuprà Concil. Hiſpal. 2. cap. 2.

** Inſpectionis viri Concil Hiſpal. 2. cap. 2.*

11. Sed quia antiquorum Canonum ſunt inſtituta, ut ſi una provincia, quiſquis Epiſcopus, de alterius diœceſi partem aliquam per triginta annos poſſederit, quietus teneat; juſtum perſpeximus, ut quia nec ille triginta annos adhuc habet, quo ad hujus provinciæ Metropolim reductus eſt; & ille quod perlongo tempore non poſſedit, & triginta adhuc non ſunt in hoc illi impleti anni; ſicut ille ad debitam diœceſem rediit, ita & hic, qui pulſat diœceſem ſibi debitam, ordinante Metropolitano cum ſuis fratribus, per ſuum Sajonem recipiat: ita tamen, ut de præſentia Metropolitani * inſpectores dirigantur, qui per evidentia ſigna diœceſes ipſas conſpiciant; & unuſquiſque quod illi debitum eſt accipiat, & habeat. Pacta verò, quæ juxta canonicam regulam, inter Epiſcopos per pacificam deliberationem juſtiſſimè fuerint facta, in omnibus placet eſſe ſervanda. Omnibus verò Epiſcopis id inſtituitur eſſe ſervandum, ut parochiam ſuam bene cuſtodiant, nec à quolibet fratre eam uſurpari permittant. Quibus ſi tricennalis numerus per voluntatem aut negligentiam occurrerit, nullo modo reddenda erit.

IX. *Quid presbyter obſervare debeat, qui presbyteris jubetur dare ſanctum chriſma.*

Concil. Bracar. 2. cap. 4. ubi id ipſum ex Patrum decretis oſtendimus. Concil. Tolet. XI. cap. 8.

12. Conveniens in omnibus nobis hæc manet ſententia, quæ dignè cuſtodiatur in noſtra provincia. Placuit ut quiſquis ab Epiſcopo ſanctum in poteſtate, presbyteris ad diſtribuendum tempore opportuno, acceperit chriſma, nihil ab eis beneficii cauſsâ tollere aut petere præſumat. Similiter & presbyteri qui ſanctum Dei baptiſma infantibus tradunt, nihil pro tali gratia à parentibus eorum auferre præſumant. Quòd ſi quis aliquid offerat per bonam voluntatem, accipiat gratè: nihil tamen (ut diximus) auferatur quacumque occaſione. Si quis ſententiæ hujus ordinem non cuſtodierit, eumque tranſgredi præſumpſerit, tribus menſibus ſub pœnitentia excommunicatus manebit.

X. *Ut omnes Epiſcopi infra hanc provinciam conſtituti, archipresbyterum, archidiaconum, & primiclerum in ſua Eccleſia habeant.*

13. Communi deliberatione ſancimus, ut omnes nos Epiſcopi, infra noſtram provinciam conſtituti, in Cathedralibus noſtris Eccleſiis, ſinguli noſtrûm archipresbyterum, archidiaconum, & primiclerum habere debeamus. Sanctus quippe eſt ordo, & à nobis per omnia obſervandus: ideoque placuit huic magnæ Synodo, ut quicumque ad hoc officium pervenerit, humilitatem Pontifici ſuo & reverentiam præbeat: ne quolibet modo ſuperbiæ faſtum quilibet ex his incurrat; ſed in ordine quo quiſque fuerit conſtitutus, benignè perſiſtat, & ſui dignitatem officii per omnia teneat. Si quis ex his ſui gradus ordinem non cuſtodierit, & quæ illi pro tali officio à ſuo Epiſcopo imperata fuerint, adimplere diſtulerit, prout cauſſa patuerit, excommunicationis damno multandum ſe noverit.

XI. *Ut omnis presbyter, Abbas, vel diaconus, Epiſcopo ſuo humilitatem teneat & reverentiam ſummam.*

** Ius viſitandi Epiſcopis competit. De qua re diximus ſuprà Concil. Tolet. IV. cap. 36.*

14. Pervenit ad cœtum hujus ſancti Concilii, presbyteros, Abbates, & diaconos Epiſcopo ſuo inobedientes eſſe: atque id intromiſſum eſt, ut dum quilibet ex presbyteris, aut Abbatibus, Eccleſiarum ſuarum à decentibus Epiſcopis habeant abſolutionem, Epiſcopo ſuo dignam obedientiam juſtamque reverentiam non exhibeant; & quibus conceſſa eſt per canonicam ſententiam * viſitandi ſua parochia, his potiùs infertur injuria, & movetur calumnia. Proinde placuit huic ſancto Concilio, ut tam à presbyteris, quàm ab Abbatibus, ſive etiam à diaconibus, Epiſcopo honor debitus impendatur: ut à nullo contumeliam pati videatur, & quandocumque contigerit, eum, juxta canonicam ſententiam, viſitare ſuam parochiam; & dignè eum ſuſcipiant, & prout habuerint, aut ratio permiſerit, illi præparent quæ fuerint neceſſaria. Id ergo per omnia ſervandum inſtituimus, ut nulli presbytero vel diacono, ſine voluntate Epiſcopi ſui, licentia ſit ſæculares peragere cauſſas, aut injunctiones expedire publicas. Si quis hujus ordinem capituli tranſcendere voluerit, excommunicationis ſententiâ feriendum ſe noverit.

XII. *Ut Epiſcopus, qui illi placiti fuerint de parochia ſua, presbyteros, atque diaconos cathedrales ſibi faciat.*

Erectio Cathedralium.

15. Si priorum Canonum ſententia hunc rectè tenet ordinem, ut Epiſcopus ab alio Epiſcopo, ſi indigentiam habuerit, clericum ad ordinandum petat, & accipiat; cur qui in diœceſi ſua habet eos, quos pro Dei officio & ſuo juramine dignos repererit, ad ſuam principalem Eccleſiam non perducat, & habeat? Pro hujus rei cauſſa hoc elegit unanimitas noſtra, ut omnes Epiſcopos provinciæ noſtræ, ſi voluerint, de parochianis presbyteris, atque diaconibus, cathedralem ſibi in principali Eccleſia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen, qui fuerint traducti, humilitatem dignam Epiſcopo ſuo teneant; & eo honore & reverentiâ habeantur & venerentur in cathedrali Eccleſia, ſicut hi, quos conſtat fuiſſe ordinatos in ea. Et quamvis ab Epiſcopo ſuo, ſtipendii cauſsâ, per bonam obedientiam aliquid

quid accipiant, ab Eccleſiis tamen, in quibus priùs conſecrati ſunt, vel à rebus earum extranei non maneant; ſed Pontificali electione, presbyteri ipſius ordinatione, presbyter alius inſtituatur, qui ſanctum officium peragat, & diſcretione prioris presbyteri victum & veſtitum rationabiliter illi miniſtretur, ut non egeat: aut ſi quæſierit, qui ordinatur, ſtipendium à ſuo presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expetat. Clericis verò, vel quos ad ſerviendum ei dederit, per diſcretionis modum, quæ neceſſaria ſunt miniſtret. Si quis ſententiæ hujus ordinem implere diſtulerit, prout ratio permiſerit, excommunicandum ſe eſſe noverit.

XIII. *Ut Epiſcopus, quem viderit de clericis ſuis ad bonum profectum tendere, honorandi & magnificandi de rebus Eccleſiæ licentiam habeat.*

16. In Eccleſia Dei ſancta congregatio clericorum fit non modica: & ſunt aliqui, quorum intentio non pauca eſt in ſancto Dei officio, atque multi, quos ſegnitudinis faſtus minimè perducit ad bonum profectum. Ob hoc ergo ſancto huic placuit Concilio, ut quemcumque Epiſcopus ad bonum profectum viderit creſcere, per bonam intentionem venerandi, amandi, & honorandi, atque de rebus Eccleſiæ quod voluerit illi largiendi habeat poteſtatem: hæc enim cauſſa & majoribus majorem præſtat gratiam, & minores excitat, ut ad melius tendant. Quicquid ergo bonis largitur per gratiam, ita in jus habeant, ut & remedium ex hoc ſentiant, & rem Deo dicatam ad augmentum perducant. Quòd ſi id quod acceperint, per ſuam tepiditatem ad profectum minimè perduxerint, aut detrimentum patuerit; Epiſcopus habeat licentiam, ſine ullo præjudicio, in jure Eccleſiæ revocare rem propriam.

XIV. *De pecunia, quæ in Eccleſia Dei offertur, fideliter colligenda, & fideliter dividenda.*

17. In ſancta Dei Eccleſia diebus feſtis pro conſuetudine & mercede, communicationis tempore à fidelibus pecuniam novimus poni. Pro hoc placuit ſancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam, ut quia omni clero communis labor manet in officio ſancto, omnibus juxta meritum ex hoc rependatur viciſſitudo. Statuimus in noſtris Eccleſiis vel civitatibus hoc eſſe ſervandum, ut quicquid pecuniæ à fidelibus in Eccleſia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat, & conſervatum, & fideliter Epiſcopo præſentetur; qualiter exinde tres partes fiant æquales; unam Epiſcopus habeat, & alteram presbyteri & diacones inibi deſervientes conſequantur, & inter ſe, ut dignitas & ordo popoſcerit, dividant: tertia verò ſubdiaconibus & clericis tribuatur: ut à primiclero, juxta quod in officio eos præſcit eſſe intentos, ita ſingulis diſpenſetur. Similis forma & de parochitanis presbyteris in Eccleſiis illis à Deo creditis erit ſervanda.

XV. *Ut Epiſcopi, atque presbyteri, pro gravioribus cauſſis (quod legum damnant ſententia) ſine judicis examine familiam Eccleſiæ non debeant exſtirpare.*

18. Si regalis pietas pro ſalute omnium ſuarum legum dignata eſt ponere decreta; cur religio ſancta, per ſancti Concilii ordinem non habeat inſtituta, quæ omnino debent eſſe cavenda? Ideoque placuit huic ſancto Concilio, ut omnis poteſtas Epiſcopalis modum ſuæ ponat iræ; nec pro quolibet exceſſu, cuilibet ex familia Eccleſiæ aliquod corporis membrum ſuâ ordinatione præſumat exſtirpare, aut auferre. Quòd ſi talis emerſerit culpa, advocato judice civitatis, ad examen ejus deducatur quod factum fuiſſe aſſeritur. Et quia omnino juſtum eſt, ut Pontifex ſæviſſimam non impendat vindictam; quicquid coram judice verius patuerit, per diſciplinæ ſeveritatem, abſque turpi decalvatione, maneat emendatum; & ab Epiſcopo ſuo aut donatus fidelibus ſuis maneat, qui malum aliquid quod leges graviter damnant, admiſit; aut * abiendi eum Epiſcopus, ſi voluerit, licentiam habebit. * F. sbigendi.

19. Similiter & quia comperimus aliquos presbyteros ægritudine accedente familiæ Eccleſiæ ſuæ crimen imponere; dicentes ex ea homines aliquos maleficium ſibi feciſſe, eoſque ſua poteſtate torquere, & per multam impietatem detrimentare; & hoc emendari placuit per rectitudinem hujus ſententiæ. Inſtituentes igitur decernimus, ut ſi presbyter talia pati ſe dixerit, ad aures hoc ſui perducat Epiſcopi; ipſe autem datis bonis hominibus ex latere ſuo, judicem hoc jubeat quærere; & ſi ſceleris hujus cauſſa fuerit inventa, ad cognitionem Epiſcopi hoc reducant; & proceſsâ ex ore ejus ſententiâ, ita malum exſtirpatum maneat, ne hoc quiſquam alius facere præſumat. Si quis ſententiæ hujus ordinem non obſervaverit, excommunicationis ſententiâ feriendus erit, & à clero abjiciendus.

XVI. *Ut Epiſcopo non liceat tertiam de parochianis Eccleſiis tollere; ſed quæ inſtituta ſunt debeat obſervare.*

20. Bene diſpoſuit divina gratia, quicquid unaquæque Eccleſia à fidelibus collatum eſt, habeat: Priſcis quippè Canonibus erat decretum, ut Epiſcopus de parochitanis Eccleſiis tertiam ſequeretur, cui ſua pleniſſimè ſufficere poſſunt. Placuit huic ſancto Concilio, ut nullus provinciæ Luſitaniæ Epiſcopus ſententiæ hujus terminum excedat, nec à qualibet parochitana Eccleſia tertiam auferre præſumat: * ſed quicquid exinde conſequi potuerat, totum in reparationem ipſarum Baſilicarum proficiat. Omnes verò ſupradicti presbyteri, qui virtutem habuerint, Epiſcopo ſuo placitum faciant, ut reparare Eccleſias ſibi commiſſas intendant. Quod ſi facere diſtulerint, ab Epiſcopo ſuo diſtricti, Eccleſias ſibi creditas * Quæque exinde.

creditas (ut ratio permittit) dignè reparent . Eccleſiæ tamen , quæ mundiales res nullas habent , ſolicitudine , intentione , & diſpoſitione Epiſcopali (ut ratio permiſerit) habeant reparationem .

XVII. *Ut poſt mortem Epiſcopi nulli ſubjectorum liceat de eo quicquam detrahere .*

21. Quia per divinam gratiam in ſancta Dei Eccleſia Epiſcopalis ordinatur poteſtas , dignum eſt , ut ſicut honore & bonitate ſummus habetur in vita , ita poſt mortem detractio de eo ſit nulla . Hujus rei cauſſa hanc ſententiam protulit , & per omnia jubet eſſe firmam congregatio noſtra . Inſtituentes igitur decernimus , ut nullus ſubjectus decedentem detrahat Epiſcopum ; nullus de eo deroget , nec malum quicquam loquatur . Si quis talia deinceps facere præſumpſerit ; ſi presbyter fuerit , tribus menſibus ab Epiſcopo ſuo ſub pœnitentia religatus maneat ; ſi diaconus , quinque ; ſi ſubdiaconus aut clericus , vel quilibet religioſus de majori gradu (quia conſtat ex his jam aliquos per bonam actionem eſſe venerandos) novem ; ſi minimi fuerint , qui levi corde ſint , minimæque adhuc perſonæ , quinquagenis flagellis juſſione feriantur Epiſcopi : quòd ſi laïcus , quamvis ingenuus , in domo Eccleſiæ tamen nutritus , & ab Eccleſiæ rebus , dignitatis gradu præditus , juxta quod dignitas ejus exegerit , pro tali exceſſu excommunicationis ſententiâ feriendus erit : ſi verò de familia Eccleſiæ fuerit quiſquis (quia & in his diſcretionis eſt gradus) ſi major fuerit , qui dignitate polleat , ſex menſibus ab Epiſcopo ſuo excommunicatus maneat : inferior tamen aut minima perſona diſciplinam mereatur , juxta quod Epiſcopi ſui proceſſerit ſententia . Dignum eſt etenim , ut cui in vita honor fuit impenſus , poſt mortem detractionis detrahatur ſtimulus .

XVIII. *Ut parochitani presbyteri , juxtà ut poſſe habuerint , de familia Eccleſiæ ſuæ clericos ſibi faciant & habeant .*

22. Quicquid unanimiter dignè diſponitur in ſancta Dei Eccleſia , neceſſarium eſt , ut à parochitanis presbyteris cuſtoditum maneat . Sunt enim nonnulli , qui Eccleſiarum ſuarum res ad plenitudinem habent , & ſolicitudo illis nulla eſt habendi clericos , cum quibus omnipotenti Deo laudum debita perſolvant officia . Proinde inſtituit hæc ſancta Synodus , ut omnes Parochitani presbyteri , juxtà ut in rebus ſibi à Deo creditis ſentiunt habere virtutem , de Eccleſiæ ſuæ familia clericos ſibi faciant : quos per bonam voluntatem ita nutriant , ut & officium ſanctum dignè peragant , & ad ſervitium ſuum aptos eos habeant . Hi etiam victum & veſtitum diſpenſatione presbyteri merebuntur , & domino & presbytero ſuo , atque utilitati Eccleſiæ fideles eſſe debent . Quòd ſi inutiles apparuerint ; ut culpa patuerit , correptione diſciplinæ feriantur . Si quis presbyterorum hanc ſententiam minimè cuſtodierit , & non adimpleverit , ab Epiſcopo ſuo corrigatur : ut pleniſſimè cuſtodiat quod dignè jubetur .

Vide decretũ Concil. Toletl. X. cap. 24.

XIX. *Ut presbyter , qui plures Eccleſias habuerit commiſſas , pro ſingulis Dominicis diebus , in ſingulis ſacrificium Deo offerre intendat .*

Vide Concil. Tolet. XVI. cap. 5.

23. In parochiis multæ ſunt Eccleſiæ conſtitutæ , quæ à fidelibus factæ , aut paucum , aut nihil de rebus videntur habere . Sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures exſtant commiſſæ ; unde cavendum eſt , ne occurrente paupertate , ordo ibidem non impleatur Miſſæ . Proinde ſalubri deliberatione cenſemus , ut pro ſingulis quibuſque Eccleſiis , in quibus presbyter juſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe , pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre ; & eorum nomina , à quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas , vel qui aliquid his ſanctis Eccleſiis videntur , aut viſi ſunt contuliſſe , ſi viventes in corpore ſunt , ante altare recitentur tempore Miſſæ : quòd ſi ab hac deceſſerint , aut diſceſſerint luce , nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo in ordine . Si quis hanc inſtitutionem presbyter implere neglexerit ; dum talis cauſſa per quemlibet ad aures ſui Epiſcopi pervenerit , presbyter ille excommunicationis ſententiâ feriendus erit .

XX. *Qualiter libertos Epiſcopi faciant , vel qualiter liberti à patrocinio Eccleſiæ nunquam diſcedant .*

24. In priorum Canonum ordine inſtitutum manet , qualiter Epiſcopi de familia Eccleſiæ libertos debeant facere . Multi etenim ſacerdotes , prout illis conceſſit divina gratia , habent unde canonicum ordinem impleant , & ſic libertos faciant : & ſunt multi , qui nihil habentes , ad hanc gratiam veniunt , & ſic libertos facere præſumunt . Tales enim libertos regula canonica eſſe non jubet ſtabilitos . Contingere etenim ſolet , ut poſtquam manumiſſor eorum ab hac diſceſſerit luce , talis occurrat ſucceſſor , qui aut Eccleſiæ familiam minimè quærat , aut per bonam voluntatem vel negligentiam , hi , à quo nihil Eccleſiæ offerente liberi facti ſunt , longo pro tempore libertos ſe eſſe defendant : atque eas libertates ita abſcondunt , ut pro hoc quærenti Epiſcopo laborem faciant . Talium ſi ſit voluntas , licentia conceditur nulla : quia non potuerunt ; neque à ſervitio Eccleſiæ unquam diſceſſerunt ; & pro his rebus in libertate permanere non potuerunt . Sanctorum Canonum non abjicienda ſunt inſtituta ; atque his , quæ implenda eſſe oportet , addimus nova , Placuit huic ſanctæ Synodo , ut quiſquis dignè juxta canonicam re-

gulam

gulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Eccleſiæ ipſe, aut poſteritas ejus, nunquam diſcedat.

25. Quiſquis verò non ut ordo canonicus poſcit, libertus fuerit factus; quamvis prolixitas temporis in ſcripturæ ſuæ textu inveniatur; quia à ſervitio Eccleſiæ nunquam viſus eſt abſceſſiſſe, & canonica ſententia reſcindi jubet talem libertatem, ut ille & poſteritas ejus omnis in ſervitio maneant ſanctæ Eccleſiæ, cui debiti maneant per veram originem. Illos verò per omnia ſtabilitos in libertate eſſe inſtituimus, qui ab his Epiſcopis liberi ſunt, vel fuerint facti, qui de ſuo bona plurima ſanctæ Eccleſiæ, in qua præſident, per ſuæ ſcripturæ textum cognoſcuntur contuliſſe. Et hi quamlibet jubeantur eſſe ſtabiles, nullo modo reſcindendi ſunt à patrocinio ſanctæ Eccleſiæ. Quòd ſi contigerit eos, eorumque filios perſonis ingenuis eſſe conjunctos, & quandoque eorum poſteritas patrocinium Eccleſiæ voluerit deſpicere, ex cujus familia per veram originem conſtat eos genitos eſſe; ſi ex his libertis trahunt originem, qui juxta canonicam ſententiam jubentur eſſe ſtabiles; & dignitatis ſuæ nomen teneant, & Eccleſiæ patrocinium nunquam amittant.

26. Certè ſi ex his inventi fuerint originem trahere, quos canonicæ regulæ non jubent libertos eſſe; quamlibet poſt longa tempora, dummodo origine firmata, reducendi tamen ſunt ad ſanctæ Eccleſiæ, cui pertinent, jura. Liberti tamen ex familia Eccleſiæ facti, & poſteritas, quæ ex his eſt procreata; ſi libertatem ſuam, vel parentum ſuorum inventi fuerint celâſſe, aut abſcondere, & tempore quo ab Epiſcopo fuerint admoniti, eam præſentare diſtulerint; dum eorum origo. (ut jam diximus) fuerit manifeſtata per legalem teſtem, ad ſervitium Eccleſiæ reducantur: & ut Epiſcopo fuerit placitum, ita eos habeat. Hæc forma & in presbyteris ſervanda erit, qui cum voluntate Epiſcopi ſui, juxta canonicam regulam de familia ſuæ Eccleſiæ liberos facere voluerit.

XXI. *Qualiter ſtabilitum maneat, quod Epiſcopus in amicis ſuis, ſervis, aut libertis de re Eccleſiæ ſuæ donare voluerit.*

27. Non putandum eſt contra regulam iri canonicam, quando ea inſtituimus, quæ ſervari oportet de re Eccleſiaſtica. Quamvis etenim canonicæ ſententiæ ordinem habeant quid Epiſcopus pro re Eccleſiæ obſervare debeat; opportunum tamen eſt, ut ubi ab Epiſcopo bonus impenditur profectus, à ſuccedente inſtitutus teneatur modus. Placuit huic ſancto Concilio, ut ſi Epiſcopus, Eccleſiæ ſuæ, in qua præſidet, de rebus ſuis inventus fuerit plurima contuliſſe; quicquid amicis ſuis, ſervis, aut libertis, vel quibuslibet perſonis, de Eccleſiæ ſuæ rebus compertus fuerit aliquid donâſſe; ſi triplum, aut multò plus patuerit eſſe quod conſcripſit in nomine Eccleſiæ ſuæ, firmum maneat quod diſtribuit in perſonis, quæ prænotatæ ſunt ſuperiori ordine. Nec licebit ſuccedenti Epiſcopo prioris ſui irrumpere voluntatem.

28. His etiam ſi cauſſæ Eccleſiaſticæ fuerint commiſſæ, & fideliter proſequentes in rebus Eccleſiæ profectum viſi fuerint facere, laboris ſui conſequantur mercedem; ita ut de eo, quicquid acquiſierint (quia conſtat eos non ſine utilitate Eccleſiæ negotia commiſſa peregiſſe) de eo, quicquid cum fide & bona intentione ad effectum perduxerint, & ad jus Eccleſiæ per eos redactum patuerit; de mobili re decimum ſuum ſequantur; pro immobili ab Epiſcopo repenſationem dignam accipiant. Et tamen, quæ meruerint ipſi, aut poſteritas eorum, vel quibus largiri voluerint, perenniter poſſideant. Si quis Epiſcoporum contra hujus ſententiæ ordinem agens, irrumpere voluerit quod prior ejus fecit; & vocem amittat, & ſcripturæ, quæ facta eſt, pœnam adimpleat: inſuper & à cœtu fraterno excommunicatus maneat; ut exceſſus ſui emendet cauſſam.

XXII. *Qualiter excommunicari oportet, qui Canonis hujus non cuſtodierit ſententiam.*

29. Quia juvante nos divinâ gratiâ, ea in hoc ſancto Concilio peregimus, quæ ad rectitudinem Eccleſiaſtici ordinis ſunt debita; in aliquibus ſententiis cavendi modum impoſuimus; aliqua tamen, quia ſingulari ordine non manent conſtricta, per hujus ſententiæ decretum, inſtituimus quod quiſque Epiſcoporum, vel presbyterorum, atque in inferiori gradu conſtituti, debeant metuere. Quiſquis hujus canonicæ regulæ inſtituta ſervare diſtulerit, quamlibet major eſſe videatur, mediocris verò, aut inferiori gradu conſtitutum ſe eſſe perſpexerit, ut cauſſa permiſerit, à Metropolitano Epiſcopo, cum ſuis conſimitimis, qui ſupranotatum ſententiarum ordinem cuſtodierint, is qui ſervare diſtulerit, excommunicatum ſe evidentiſſimè noverit.

XXIII. *Confirmatio hujus Concilii.*

30. Poſtquam Fidei noſtræ expoſuimus credulitatem, & quæ neceſſaria exſtiterunt (ut potuimus) digeſſimus per ordinem, Creatori noſtro & Domino, quem credimus Trinum in unitate, & veneramur unum in Trinitate, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, debitas perſolvimus laudes: tantæ majeſtatis glorificantes nomen, qui dignatus eſt nobis rectitudinis viam oſtendere. Ac deinde ſereniſſimo, ac piiſſimo, & orthodoxo viro, clementiſſimo domino Reccesvintho Regi gratiæ impendimus opem; cujus vigilantia & ſæcularia regit cum pietate ſumma, & Eccleſiaſtica plenius, divinitus ſibi ſapientiâ con-

conceſsâ . Ipſe enim Dominus, cujus Trinitatem veneramur & confitemur, & Eccleſiæ ſuæ Fidei conferat lucra, & ſacerdotibus, miniſtris, atque omni clero, nt dignè *illi* ſerviant. conferat remedia quæ ipſi ſunt placita. Clementiſſimo Principi Recceſvintho Regi felicẽ vitam, felicioraque præſenti in ſæculo, & futuro pôſt in regno ſempiterna concedat gaudia poſſidenda. Atque id omnibus in ſe credentibus præſtare dignetur; ut dum ſui judicii manifeſtare voluerit tempus, omnibns tribuat perenne remedium ipſe Dominus & Redemptor noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto in Trinitate Deus permanet unus, cui eſt honor, gloria, virtus, & imperium nunc & in omnia ſæcula ſæculorum.

INTERFUERUNT HUIC SANCTO CONCILIO PONTIFICES NUMERO XII.

1. Proficius Dei miſeratione Lnſitaniæ provinciæ, ſanctæ Emeritenſis Eccleſiæ, Metropolitanæ Sedis Epiſcopus, hæc geſta ſynodalia, cum confinitimis meis Epiſcopis inſtituta, manu mea ſubſcripſi.
2. Ego Selva Egiditanæ civitatis Eccleſiæ Epiſcopus, pertinens ad Metropolim Emeritenſem, hæc inſtituta, cum Archiepiſcopo meo Proficio, à nobis definita, ſubſcripſi.
3. Adeodatus in Chriſti nomine ſanctæ Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
4. Aſphalius in Chriſti nomine ſanctæ Abelenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
5. Theodericus in Chriſti nomine ſanctæ Olyſſipponenſis Eccleſiæ Epiſcopns, ſimiliter ſubſcripſi.
6. Theodiſclus Dei miſericordiâ Epiſcopns ſanctæ Eccleſiæ Lamecenſis, ſimiliter ſubſcripſi.
7. Juſtns Dei miſeratione ſanctæ Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
8. Cantaber Dei gratiâ Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Coimbrienſis, ſimiliter ſubſcripſi.
9. Donatus in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Caurienſis, ſimiliter ſubſcripſi.
10. Exarnus Dei miſericordiâ Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Oxonobenſis, ſimiliter ſubſcripſi.
11. Petrus Dei miſericordiâ Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
12. Alvarius indignus ſanctæ Caliabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

De ſubſcriptionibus.

31. SUBSCRIBUNT in hoc Concilio aliqnot Epiſcopi, qui in ſuperioribus interfnerunt: ut Adeodatus Pacenſis, qni in VIII. Tolet. & Selva Egiditanæ, qni in eodem VIII. Reliqni aliis ſucceſſerunt Epiſcopis: ut Aſphalius Abelenſis, qui ſucceſſit Amanungo, in VIII. Tolet. Alvarius Caliabrienſis Celedonio, in VIII. Tolet. Cantaber Conimbrienſis ſucceſſit Siſiberto, in VIII. Donatus Caurienſis Joanni, in VIII. Exarnns Oxonobenſis Saturnino, in VIII. Jnſtus Salmanticenſis Egeredo, in X. Toletano. Proficius Emeritenſis Orontio, in VIII. Tolet. Petrns Elborenſis Abientio, in VIII. Theodericus Olyſſipponenſis Cæſario, in X. Tolet. Theodiſclus Lamecenſis Filimiro, in VIII.

Advertendum etiam, Erâ DCCIV. in provincia Luſitaniæ unà cum Metropolita eſſe duodecim Sedes Epiſcopales, nimirum:

1. Emeritam.
2. Egeditam.
3. Pacem.
4. Abelam.
5. Olyſſipponem.
6. Lamecum.
7. Salmanticam.
8. Conimbriam.
9. Cauriam.
10. Oxonobam.
11. Elboram.
12. Caliabriam. Loaisa.

NOTÆ VARIORUM.

32. SYNODUS QUÆ GESTA EST, &c.] Fuit Provincialis ſub uno Metropolitano Lnſitaniæ Proficio, Præſule urbis Emeritenſis antiquiſſimæ, ac præclaræ multis nominibus; præcipuè verò fœcunditate inſignium Sanctorum, & in iis admirandæ Eulaliæ Virginis ac Martyris, diſtinctæ à Barcinonenſi ejuſdem nominis, quamvis meritis & excellentiis ſimillimæ. Habitum fuit anno Chriſti DCLXVI. Recceſvinthi in Hiſpania regnantis XVIII. Vitaliani Papæ IX. aut XI. Eſt quartum & poſtremum eorum, quæ tempore ejuſdem Regis celebrata ſunt: nimirum tria priora habita fuere Toleti, id eſt, VIII. IX. ac X. Toletanum: ac tandem iſtud Emeritæ. Ejus urbis decora antiquitateſque, inter alios, aut præ aliis, in lucem edidit Cl. vir D. Thomas Tamayus de Vargas, ſimul cum Notis ad Vitas PP. Emeritenſium, Antuerpiæ apud Joannem Meurſium, anno MDCXXXVIII. Card. de Aguirre.

33. *Urbem Emeritenſem.*] Emerita Luſitaniæ provinciæ nrbs nobilis, à Romanis dicta Auguſta-Emerita, Colonia Romanorum. In nummo Auguſti ſic eſt: CÆSAR AVGVSTVS PONT. MAX. IMP. Ex altera parte: AVGVSTA EMERITA COL. Similiter ex inſcri-

ſcriptione lapidis, qui eſt Tarracone: IMP. CÆSAR VESPASIANVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VII. COS. III. DES. IIII. PP.
VIAM A CAPARA AD EMERITAM AVG. VSQ. IMPENSA SVA RESTITVIT.

Eſt etiam Regis Reccesvinthi nummus cum hac inſcriptione: RECCESVINTHUS REX. Ex altera parte: EMERITA PIUS. Sunt qui dicant appellatam Pium ob hoc Concilium Emeritâ coactum. De ea Plinius, Strabo, Mela, & cæteri recentiores. Hodie majores docent fuiſſe nobiliſſimam Coloniam: nulli Epiſcopo ſubditur, ſed Ordini militiæ Divi Jacobi, ſub Priore Legionenſi.

34. *Anno XVIII.*] Convenit cum noſtra Chronologia. Nam anno DCLXXXVII. Reccesvinthus regnum ſuſcepit: deinde XVIII. Concilium hoc eſt coactum; qui efficiunt DCCV. annos. Quoniam multum hujus Concilii robur & auctoritatem confirmat Epiſtola Innocentii III. ad Petrum Compoſtellanum Archiepiſcopum; quæ invenitur in Regiſtro Romæ excuſo lib. 2. eam hîc ad verbum exſcribendam curavimus. Bracarenſis Epiſcopus dicebat, Concilium Emeritenſe neque conſtructionem, neque ſenſum, neque latinitatem habere. LOAISA.

E P I S T O L A
I N N O C E N T I I I I I.
A D
PETRUM COMPOSTELLANUM ARCHIEPISCOPUM.

35. LICET unum ſit corpus Eccleſiæ, in quo Chriſtus eſt caput, & univerſi fideles ſunt membra; ille tamen, qui à Chriſto petra dictus eſt Petrus, & à Chriſto capite vocatus eſt caput; ipſo teſtante, qui ait: *Tu vocaberis Cephas*: quod ſecundum unam interpre- *Joann. 1.*
tationem exponitur *caput*: quia ſicut plenitudo ſenſuum abundat in capite; ad cætera verò membra pars aliqua plenitudinis derivatur; ita cæteri vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: ad quem velut ad caput majores Eccleſiæ cauſſæ non tam conſtitutione canonica, quàm inſtitutione divina meritò referuntur. Inter quas illa non minima reputatur, quæ inter Compoſtellanam & Bracarenſem Eccleſias, ſuper quatuor Epiſcopatibus, videlicet Conimbrienſi, Lamecenſi, Viſenſi, & Egitanienſi, ex delegatione Sedis Apoſtolicæ longo fuit tempore ſub diverſis judicibus ventilata: quam nos auctore Domino, te, frater, Archiepiſcopo Compoſtellano, & venerabili fratri noſtro Martino Bracarenſi Archiep. pro definitione hujus cauſſæ præſentibus exactâ diligentiâ curavimus terminare. Petebas ſiquidem à dicto Bracarenſi Archiepiſcopo quatuor præfatos Epiſcopatus; aſſerens eos ad Compoſtellanam Eccleſiam jure Metropolitico pertinere.

36. Tuam autem intentionem fundare multipliciter nitebaris, per privilegia, per Concilia, per hiſtorias, per diviſiones, per famam, & per ſententiam. Volens enim Apoſtolica Sedes Compoſtellanam Eccleſiam, pro reverentia Beati Jacobi Apoſtoli, cujus venerandum corpus in ea conditum requieſcit, ſpeciali privilegio decorare, dignitatem Emeritenſis Metropolis, quæ peccatis exigentibus, à longis retrò temporibus uſque nunc barbarica tenetur ſeritare captiva, eidem Eccleſiæ cum integritate Luſitaniæ provinciæ liberali conceſſione donavit: ſicut Privilegia felicis memoriæ Calliſti Papæ *Calliſtus II. Burgundus, electus anno Domini MCXIX.*
prædeceſſoris noſtri liquidò proteſtantur; tres de ſuffraganeis Epiſcopatibus exprimens nominatim: videlicet Conimbrienſem, Salamanticenſem, & Abulenſem, qui ſoli tunc in confeſſione Chriſtiani nominis permanebant; cæteros autem generali donatione concludens. Hos autem Epiſcopatus, de quibus quæſtio vertebatur, ad Emeritenſem pertinuiſſe Metropolim, per Emeritenſe nitebaris Concilium demonſtrare, in quo XII. Epiſcopi, qui convenerant, ſe omnes eſſe de Luſitaniæ provincia profitentur, dicentes in primo capitulo: *Convenientibus nobis omnibus Luſitaniæ provinciæ Epiſcopis*, &c.

37. Qui poſt univerſa ſtatuta Concilii, omnes cum ſuo Metropolitano ſubſcribunt, tam ex nomine Sedium, quàm etiam ex nomine perſonarum. Inter quos Conimbrienſis, Egitanienſis, Lamecenſis, expreſsè ſubſcribunt. In octavo quoque capitulo ejuſdem Concilii continetur, quòd ſupplicante ſanctæ memoriæ Orontio Epiſcopo, Rex Reccesvinthus inductus eſt, ut reduceret atque reſtauraret Epiſcopos hujus provinciæ Luſitaniæ ad ſuæ provinciæ nomen atque Concilium: & ſic demum ſecundum canonicas regulas, decreto ſynodico, judicii formulâ, & ſuæ clementiæ confirmatione, ad nomen provinciæ, ſuamque Metropolim ſunt reducti. Quibus verbis indubitanter exprimi aſſerebas, quòd hi quatuor Epiſcopatus, qui uſque tunc fuerant ſub nomine provinciæ Gallæciæ, per ſententiam ſunt reducti ſynodicam. Quorum unus, videlicet ex reductis, exprimitur fuiſſe Selva Egitanienſis Epiſcopus, qui eſt unus de quatuor, quos omnes eadem quæſtio apprehendit. Et ad majorem expreſ-

ſionem, in ſubſcriptionibus, poſt Metropolitanum Selva primus cùm tali adjectione ſubſcribit: *Ego Selva Egitanienſis Epiſcopus, pertinens ad Metropolim Emeritenſem, unà cum Archiepiſcopo meo Proficio ſubſcribo*. Et quiſque ſequentium dicit ita: *ſimiliter ſubſcribo*. intelligens totum cum verbo, ideſt, pertinens ad Emeritenſem Metropolim.

Iſidorus in Chronico Gothorum. Plinius.

38. Iſidorus autem in Chronicis de Gotthis, titulo de Suevis, teſtantur, quod Remiſmundus ad Luſitaniam tranſiit; Conimbriam pace deceptam diripit; Vlyxibona quoque ab eo occupatur. Per quod videtur oſtendi, quòd tam Conimbria quàm Ulyxibona conſiſtit in Luſitania. Plinius quoque narrat in lib. 2. *Natural. Hiſt.* circa finem, quòd Durius è maximis Hiſpaniæ fluminibus juxta Numantiam lapſus, dein Luſitanos à Gallæcis diſterminat. Per quod apertè monſtratur, quòd cum quatuor Epiſcopatus prædicti ſint ultra Durium, non in Gallæcia, ſed in Luſitania ſunt provincia conſtituti. Diviſiones etiam multas produxiſti de locis (ut aſſeris) non ſuſpectis aſſumptas, & exhibitas ſub teſtimoniis & ſigillis authenticis: quæ connumerant hos quatuor Epiſcopatus inter Emeritenſis Eccleſiæ ſuffraganeos, & eoſdem ipſi Metropoli evidenter aſſignant. Per teſtes etiam ab adverſa parte productos oſtendere voluiſti, quòd publica fama teſtatur hos Epiſcopatus ad Emeritam ſpectaviſſe. Felicis quoque memoriæ Cœleſtinus Papa prædeceſſor noſter, cùm in minori ordine conſtitutus, legationis officio in hiſpania fungeretur, de hac cauſſa cognoſcens, pro Compoſtellana Eccleſia contra Bracarenſem ſententiam promulgavit, ſicut per multos teſtes tu ipſe nixus eſt comprobare.

Diviſiones Sedium.

Fuit Cœleſtinus III. Romanus anno Domini 1191.

39. Verùm ex adverſo dictus Bracarenſis Archiepiſcopus rationes hujuſmodi frivolas aſſeverans, nixus eſt eas multipliciter infirmare; proponens, quòd privilegia donationis per ſuppreſſionem veritatis, & falſitatis expreſſionem, à Calliſto Papa fuère ſurrepta. Suppreſſum eſt enim verum in illis de duobus præcedentibus privilegiis, quæ felicis recordationis Paſchalis Papa, ſuper redintegratione ipſorum Epiſcopatuum conceſſerat in perpetuum Eccleſiæ Bracarenſi. De poſſeſſione quoque, quam eo tempore in præfatis Epiſcopatibus Eccleſia Bracarenſis habebat: quorum alterum per privilegia; reliquum verò per teſtes, & inſtrumenta ſufficienter oſtendere ſatagebat. Expreſſum autem erat in illis falſum, in eo quòd Conimbrienſis Epiſcopatus dicebatur ad Emeritam pertinere; cùm idem Bracarenſis multis rationibus aſtruere niteretur, tam Conimbricam, quàm tres alios Epiſcopatus, ad Metropolim reſpicere Bracarenſem. In tantum enim Paſchali Papæ, qui privilegia ſuper redintegratione prædictorum Epiſcopatuum Eccleſiæ Bracarenſi conceſſit, conſtitiſſe videtur, hos Epiſcopatus ad eandem Eccleſiam Bracarenſem pertinere, quòd ipſe in literis, quas direxit Gunſalvo Conimbrienſi Epiſcopo, manifeſtè teſtatur, quòd conſtat Conimbrienſem Eccleſiam in Bracarenſis provinciæ catalogo contineri. Unde quia Toletanus Archiepiſcopus ad mandatum ipſius, Conimbrienſem Epiſcopum non reſtituerat Eccleſiæ Bracarenſi, privavit ipſum legationis officio: ut Bracarenſis Archiepiſcopus liberiùs in provincia ſua juſtitiam exerceret.

Paſchalis II. Thuſcus anno Domini MC.

Concilium Emeritenſe.

40. Emeritenſe verò Concilium non eſſe authenticum multipliciter aſſerebat: tum quia non invenitur in aliquo authentico libro inter alia Concilia contineri: tum quia nec conſtructionem, nec ſenſum, nec latinitatem, in pleriſque locis continere probatur: tum etiam, quia contra canonicas ſanctiones, & Apoſtolicæ Sedis prima tum, aliquid videtur in eo eſſe ſtatutum contra Epiſcopum qui non venerit ad Concilium; ut videlicet à Metropolitano debeat in cella retrudi. Per undecimum quoque Toletanum Concilium, quod conſtat authenticum, nitebatur illud Emeritenſe Concilium improbare ratione temporis, quod in utroque reperitur expreſſum, cùm ſimul utrumque ſtare non poſſit; objiciens contra illud nonnullas alias rationes. Hiſtorias autem inductas ſanè ac veraciter intellectas nihil ad propoſitum valere dicebat; ſicut & per quaſdam alias hiſtorias oſtendere nitebatur: cùm & judex Eccleſiaſticus ad gentilium præſertim hiſtorias non debeat ſe convertere, quando per conſtitutiones canonicas, vel ſcripta Romanorum Pontificum, aut ſacras auctoritates doctorum Eccleſiaſticum poteſt negotium terminare.

Canon. VII. Concilii.

Concilium Toletanum XI. Conditum eſt Era 713. ut ex Mss. conſtat Emeritenſe Era 704.

41. Diviſiones etiam, quas pro ſe pars tua induxit, invalidas aſſerebat: tum quia longè plures & evidentiores diviſiones pro ſua ſuor parte productæ: tum etiam quòd in eodem quaterno, quem contra ſæpè dictum Bracarenſem Archiepiſcopum produxiſti, Lucenſe Concilium eſt inventum: in quo Epiſcopatuum Gallæciæ fuit facta diviſio, per quam Epiſcopatus, de quibus agitur, ad Gallæciam provinciam pertinere monſtrantur. Famam verò dicebat contra ſe nullatenus eſſe probatam: ſed nec ſententiam præfati legati alicujus fuiſſe momenti; cùm in ſcriptis non inveniatur fuiſſe redacta; quamvis ſuper tanto dicatur negotio fuiſſe prolata: unde nec nomen habere meretur. Nec obſtat, ſi fortè dicatur, quòd fuerit amiſſa: quia qui caſum allegat, debet caſum probare. Teſtes autem, qui de ipſa loquuntur ſententia, inter ſe omnino diſcordant, & in dicto, & in tempore, & in loco.

Lucenſe Concilium in eo facta eſt diviſio Sedium Gallæciæ.

42. Præterea cùm talis ſententia non intelligatur ſuper proprietate fuiſſe prolata: quia præſumi non debet, ut Apoſtolicæ Sedis legatus tam arduum negotium, & difficile, velut indiſcuſſum ſubitò definierit: cùm etiam pars tua poſtea literas Apoſtolicas impetràrit, quibus diſtrictè præcipiebatur Archiepiſcopo Bracarenſi, ut hos Epiſcopatus Compoſtellano Archiepiſcopo reſtitueret; & factâ reſtitutione, ſi ſuper hoc agere vellet, ordine poſſet judiciario experiri; patet quod illa ſententia ſuper poſſeſſione, dumtaxat cauſâ contumaciæ fuit lata; quòd ipſi teſtes magis dicere comprobantur. Unde cum Bracarenſis Eccleſia ſe poſtea judicio præſentaverit, & cauſſa poſtmodum fuerit ab Apoſtolica Sede commiſſa, morâ purgata, talis ſententia exſpiravit. His aliiſque rationibus intentionẽ tuæ partis multipliciter elidere nitebatur. Unde licèt auctore non probante, is qui convenitur, etſi nihil præſtiterit abſolvatur, ad oſtendendam tamen evidentiùs ſuæ partis juſtitiã, hos Epiſcopatus ad Bracarenſem Metropolim

polim pertinere, ſatagebat oſtendere; per privilegia videlicet, & Concilia, confeſſiones & diviſiones, præſcriptiones, & inſtrumenta. Si enim privilegia privilegiis conferantur, ſua dicebat privilegia debere præferri; cùm & plura ſint numero, 10. videlicet Rom. Pontificum: inter quæ poſt tria privilegia Paſchalis II. eſt & privilegium Calliſti Papæ, qui nominatim hos Epiſcopatus redintegravit, & confirmavit Eccleſiæ Bracarenſi.

43. Quorum videlicet privilegiorum ſeptem ſunt redintegrationes & confirmationes: tria verò ſequentia, videlicet Eugenii, Adriani, & Alexandri, ſunt etiam conceſſiones perpetuæ, per quas totum videtur negotium definiri. In ſecundo verò Bracarenſi Concilio, de quo non dubitatur quin ſit authenticum, continetur expreſſum, quòd Epiſcopi Gallæciæ cum ſuis Metropolitanis ad illud Concilium convenerunt, & in eorum numeratione iſti quatuor continentur, qui poſt ſtatuta Concilii cum aliis Coëpiſcopis, tam ex nomine perſonarum, quàm ex nomine ſedium, expreſſè ſubſcribunt. Unde liquidò patere licebat, quòd & Gallæciæ ſunt provinciæ, & ad Metropolim pertinent Bracarenſem. Confeſſus es etiam tu ipſe frequenter in jure, quòd omnes Epiſcopi, qui primo Bracarenſi Concilio adfuerunt, indubitanter pertinent ad Metropolim Bracarenſem: ſed per quoddam capitulum ſecundi Concilii Bracarenſis apertè probatur, quòd hi quatuor interfuerunt primo Concilio Bracarenſi; cùm ad ſecundum Concilium Bracarenſe conveniſſe dicantur Epiſcopi, tam ex Lucenſi Synodo, quàm etiam Bracarenſi; & inter eos qui ex Bracarenſi Synodo conveniſſe dicuntur, iſti quatuor nominantur. Porrò II. Bracarenſe Concilium non præceſſit Bracarenſis Synodus, niſi prima. Conſtat ergo, quòd iſti quatuor fuerunt in prima Synodo Bracarenſi. Unde videtur colligi manifeſtè, quòd iſti quatuor, juxta præmiſſam confeſſionem tuam, indubitanter pertinent ad Eccleſiam Bracarenſem.

Eugenius III. Piſanus anno Domini 1145. Adrianus IV. Anglus an. Domini 1154. Alexander III. Senenſis anno Domini 1156. Concil. Bracar. II. habitum Erâ 610. anno 2. Mironis regis Suevorum. Concil. Bracar. I. habitum Erâ 599.

44. Scriptura quoque Lucenſis Concilii, quæ continetur in libro à tua parte producto, indicat hos quatuor Epiſcopatus, ſecundum diviſionem quam facis, ad Bracarenſem Metropolim pertinere: quam etiam diviſionem tres Romani Pontifices dicuntur in privilegiis Bracarenſi Eccleſiæ confirmâſſe. Pluralitatis quoque ratio, ſecundum quam dicitur quia prævalet ſententia plurimorum, diviſiones ſuas, quæ longè plures ſunt numero, præfert diviſionibus partis tuæ. Sed & ratione temporum ei perpetuum ſilentium imponere nitebatur: cùm à primo Bracarenſi Concilio uſque ad Emeritenſe Concilium, per ſpatium CVII. annorum, hos quatuor Epiſcopatus Bracarenſis Eccleſia deberet poſſediſſe. A tempore quoque Paſchalis II. qui hos Epiſcopatus redintegravit Eccleſiæ Bracarenſi, uſque ad tempora trium judicum, quibus hæc cauſſa fuit primò commiſſa, præſcriptionis tempus conſtat fuiſſe completum, per quod Eccleſia Bracarenſis hos Epiſcopatus juxta ſuam aſſertionem inconcuſſè poſſedit. Reſcripta quoque Paſchalis tranſmiſſa Toletano Archiepiſcopo, & Epiſcopo Conimbrienſi, de quibus eſt ſuperiùs prælibatum, idipſum (ut aſſerit) evidenter oſtendunt. Porrò tu reſpondebas, quòd poſt latam pro te ab Apoſtolicæ Sedis legato ſententiam, jam non tenebaris ad has, aut alias rationes, quæ contra rei judicatæ auctoritatem inducebantur, aliquid reſpondere: niſi quòd ſine præjudicio tuo, licèt ex abundanti ſatisfacere ſuſtinebas; aſſerens poſſeſſionem Bracarenſis Eccleſiæ per teſtes non eſſe probatam, cùm quidam teſtium ad probationem inveniantur inutiles; alii verò probentur mendaces. Literæ quoque Paſchalis, quibus eandem poſſeſſionem aſtruere ſatagebat, contrarium potiùs aſtruere videbantur.

Bracar. I. coactū eſt Erâ 599. Emeritenſe Erâ 704. unde rectè computaverat, excludendo ultimos annos.

45. Sed & privilegia Paſchalis ejuſdem, quæ ſuæ conceſſionis privilegium præceſſerunt, in multis reprehenſibilia denotabas. Primò, ſecundum formam, & in bulla, & in ſcriptura: ſecundò, juxta continentiam, & in enumeratione ſedium, & in falſitate ſuggeſtionum. Perſona quoque quæ illa privilegia, videlicet ſecundum & tertium impetravit, merito ſuæ pravitatis reddidit illa ſuſpecta. Mauricius ſcilicet, qui poſtea fuit Hæreſiarcha, in Apoſtolicam Sedem intruſus, qui qualis exſtiterit, literæ Gelaſii PP. miſſæ ad Viennenſem Archiepiſcopum apertè depingunt. Præterea contra rei judicatæ auctoritatem impetrata ſunt illa reſcripta, ſicut probatur per Emeritenſe Concilium: in quo per decretum ſynodicum, & judicii formulam, ſecundùm canonicas regulas, illi Epiſcopi videntur fuiſſe reducti.

Mauricius Gallus Bracarenſis Epiſcopus.

46. Poſtremò dicti legati ſententia lata eſt contra ipſa: quibus, ſi tunc fuerunt exhibita, derogatum eſt per ſententiam: ſi autem exhibita non fuerunt, occaſione inſtrumentorum noviter repertorum auctoritas rei judicatæ non poteſt ulteriùs attentari. Tua verò privilegia multipliciter aſſerebas omni ſuſpicione carere: quorum veritas conſtat ex Apoſtolicæ Sedis archivis: in cujus regeſtis fideliter continentur, quæ adverſæ partis privilegiis comparata, certa debent ratione præferri: quia tua ſunt privilegia donationis certa & abſoluta: ſua verò ſunt privilegia confirmationis, ſeu redintegrationis conditionalia tantùm & reſpectiva. Nec oportebat in tuis privilegiis fieri mentionem ſuorum præcedentium: quibus nihil juris acquirebatur, quod iſtis poſſet obſiſtere; cùm & aliàs nullius debeant reputari momenti. Nam inter ſcripturas, quæ parilitatis aliquid habere videntur; ſcilicet in literis commiſſoriis invenitur hoc obſervari. Secundùm verò Bracar. Concilium, quod in ſuperficie tantùm dicebas tibi poſſe aliquatenus obviare, fideliter intellectum aſſerebas, tibi nequaquam obſiſtere: cum illa verba, quibus Epiſcopi Gallæciæ dicebantur ad aliud Concilium conveniſſe, notarii tantùm, ſeu compilatoris exſtiterint: quæ non habent auctoritatem Concilii; cùm in toto Concilio nihil inveniatur ſtatutum, vel factum omnino, quod ad recognitionem pertineat, ut iſti ſint de Gallæcia, vel ad Metropolitanum Gallæciæ quoquomodo pertineant.

47. Reſpondebas etiam aliter, quòd quia Rex Gallæciæ, ut ex veteribus conſtare dicebas Hiſtoriis, occupaverat de provincia Luſitaniæ has quatuor civitates, ad eas ſui regni nomen extenderat: ut per quandam æquivocationem, totum etiam regnum Gallæciæ diceretur: & ita non ſecundùm limita-

tionem provinciæ, ſed ſecundùm occupationem regni, dicti ſunt illi Epiſcopi de Gallæcia. Quod inde maximè comprobari dicebas, quia poſtquam illa regnorum ſciſſura, quæ huic nominationi cauſſam præſtiterat, eſt ſublata, reductæ ſunt hæ civitates ad ſuæ nomen provinciæ; ut jam non Gallæciæ, ſed Luſitaniæ nominentur: ſicut apertè probari dicebas ex ſequenti poſtea Emeritenſi Concilio, in quo dicuntur ad provinciæ ſuæ nomen reducti. Nec ex eo probantur ad Bracarenſem Metropolim pertinere, quia interfuerunt Concilio Bracarenſi, vel etiam ſubſcripſerunt: cùm conſtet Narbonenſem per multa tempora veniſſe ad Concilia Toletana: nec tamen Toletana Metropolis aliquid juris habuit in Eccleſia Narbonenſi; ſed mandato Regnm illa fiebant: quod magis violentum quàm juſtum præſumitur exſtitiſſe.

Narbonenſis Eccleſia non ſubjecta Toletanæ Metropoli.

48. Prædictam verò confeſſionem, quâ recognoviſti in jure omnes Epiſcopos qui interfuerunt primo Concilio Bracarenſi, indubitanter ad Bracarenſem Metropolim pertinere, in nullo tibi poſſe pæjudicare dicebas: quia ſive Concilium Intelligantur perſonæ, ſive ſtatuta, ſtare non poteſt, quòd ad ſecundum Bracarenſe Concilium Epiſcopi tam de Lucenſi, quàm de Bracarenſi Concilio conveniſſent: ſed per illam enormitatem, quæ ſtatuta fuit in ſuo Lucenſi Concilio mandaverant Rex, propter dilationem provinciæ, ut ſex Epiſcopatuum ſui regni Pontifices facerent Concilium apud Lucum, & ſex alii apud Bracaram; & ideo dicebantur ſex ad unum Concilium, & ſex ad aliud pertinere; & de utroque Concilio apud Bracaram, quaſi de utraque Concilii aſſignatione veniſſe. Cujuſmodi ſignificationem nominis approbari dicebas ex Epiſtola quam Martinus Bracarenſis Archiepiſcopus ex certa ſcientia dirigit ad Epiſcopos Lucenſis Concilii; non quòd tunc celebraretur ibi id Concilium, cùm idem Martinus legatur illi Concilio adfuiſſe; ſed ad Epiſcopos, qui tenebantur ex prædicto Regis mandato temporibus ſuis illuc ad Concilium convenire. Emeritenſe verò Concilium authenticum eſſe multis rationibus adſtruebas: tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro qui *Corpus Canonum* appellatur, quem Alexander PP. per interlocutionem authenticum approbavit: tum, quia de ipſo Concilio ſumptum eſt illud capitulum: Priſcis quidem Canonibus, quod continetur in corpore Decretorum.

49. Unde reſpondens ad rationes præmiſſas, quæ contra hoc Concilium ſunt objectæ, omnes quaſi frivolas oſtendere nitebaris. Diviſiones autem, quæ pro Bracarenſi Eccleſia ſunt productæ, omnes de locis ſibi ſubjectis, & ideo ſuſpectis, proponebas aſſumptas: in quorum armaria propter hanc cauſſam facilè potuerunt corruptæ ſubmitti. Tuæ verò diviſiones omnes ſunt ſecundùm ſtatum antiquum, vel de locis non tibi, ſed ſibi ſubjectis aſſumptæ. Unde ampliùs illis contra ſe credi debet, vel de remotis provinciis, apud quas non exſtitit cauſſa corruptionis, vel ſuſpicionis prædicta: quas etiam protuliſti ſub teſtimoniis & ſigillis authenticis, quibus & Canones & veteres ſcripturas concordare dicebas. Præſcriptiones autem, ex quibus etiam adversùs verum dominum competit actio; ne dum, quod exceptio competat præſidentibus, multis rationibus annullabas; aſſerens quòd Bracarenſis Eccleſia in prædictis Epiſcopatibus nullam poſſeſſionem obtinuit, & ideo nihil in eis omnino præſcripſit. Deinde, ſi poſſeſſionem aliquam habuiſſet, ſententia, quæ ſuper his lata probatur, ex Emeritenſi Concilio vim præcedentis præſcriptionis penitùs vacuâſſet. Sequentis verò præſcriptionis effectum præfati legati ſententia penitùs interrupit.

50. Ipſe verò Archiepiſcopus Bracarenſis contra reductionem Epiſcoporum, quæ dicitur in Emeritenſi Concilio decreto ſynodico, & judicii formulâ facta fuiſſe, multipliciter allegabat. Primò, quia Synodus illa, cujus auctoritate dicitur facta fuiſſe reductio, nequaquam apparet, nec ſcitur à quibus, vel ubi, vel quando, vel quare fuerit celebrata; utrum generalis, an provincialis exſtiterit: & utrum auctoritate Romani Pontificis, an alicujus tantùm Archiepiſcopi fuerit ordinata. Deinde, ſi mentio fiat in aliquo documento de alio, nihil ex ſecundo probabitur documento, niſi & primùm, de quo mentio facta fuerat, proferatur. Præterea cùm ſecundum Concilium Bracarenſe præceſſerit Emeritenſe Concilium, & celebrius habeatur; ut de quo plura ſunt aſſumpta capitula in corpore Decretorum; patet profectò, quòd illud debet iſti præferri: nec illi per iſtud poteſt in aliquo derogari, ſicut cautum habetur in Canone: quia quoties in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illud eſt præferendum, cujus antiquior & potior exſtat auctoritas.

33. q. 2. cap. Hoc ipſum ex Iſidoro ad Maſſonem Epiſcopum.

51. Rurſus non probantur ullatenus iſti quatuor Epiſcopi fuiſſe reducti, ſed de ſolo Selva Egitanienſi Epiſcopo dicitur, quòd unus fuerit de reductis: & ipſe ſolus in ſubſcriptione profitetur expreſsè, ſe ad Emeritenſem Metropolim pertinere: quamvis & ipſe Selva Egitanienſis Epiſcopus non intelligatur unus de reductis ad Emeritanam Metropolim, ſed potiùs ad Diœceſim propriam, ſicut, ex eodem capitulo Emeritenſis Concilii comprobari dicebat; in quo de illo dicitur, quòd ad debitam diœceſim rediit. Cùm igitur Synodus illa minimè proferatur, cujus judicio & decreto in Emeritenſi Concilio dicuntur reducti, patet quòd illa reductio per Emeritenſe Concilium non probatur. Ad hæc reſpondebas, quòd major eſt auctoritas approbati Concilii, quàm unius ſolummodo documenti: & ideo dubitari non debet, quin verum ſit quod aſſeritur ab Epiſcopis in Concilio congregatis, à quibus aſſeritur illa reductio facta fuiſſe decreto Synodico, judicii formulâ, ſecundum canonicas regulas: ſicut & dicitur in primo Concilio Bracarenſi, quod Theoribius Notarius à Papa Leone ad Synodum Gallæciæ miſſus fuit: nec tamen illa Synodus invenitur. Et in primo Concilio Tolet. mentio fit de ſtatutis Luſitanorum Epiſcoporum: & tamen non invenitur Synodus in qua illa fuerint conſtituta. Moyſes quoque in libro *Numeri* mentionem facit de libro *Bellorum Domini*, qui tamen nuſquam apparet, & tamen creditur ita fuiſſe, ſicut Moyſes narrat in illo volumine contineri. Auctoritas autem alicujus Con-

cilii

cilii non ex eo ſolo major exiſtit, quòd exſtat antiquior, ſed quòd potior. Alioqnin Bracarenſe Coocilium Lateranenſi Concilio præferretur: ſed illorum duorum Conciliorum par exſtat auctoritas: cùm Provinciale fuerit utrumque, & ambo dicantur pariter ab Apoſtolica Sede recepta.

52. Cùm autem inter Epiſcopos Emeritenſis Concilii tantùm hi quatuor inveniantur ioter Epiſcopos Gallæciæ nominati, ſicut dicitur in ſecundo Concilio Bracarenſi; patet, quòd de his quatuor debet intelligi, quòd ad nomen provinciæ ſunt reducti: quia non poſſunt iutelligi fuiſſe reducti, niſi qui fueruot abducti. Uode facta reductione io tertio Coocilio Bracareoſi, quod ſequutum eſt Emeritenſe *3. Concilium Bracarenſe Erâ 713.*
Concilium, nullum iſtorum quatuor legitur exſtitiſſe. Poſtquam igitur hæc & alia fuerunt utrinque prudenter ac ſubtiliter allegata, quorum multa propter prolixitatem ſuperfluam in hac pagina prætermiſimus annotare; partes ad amicabilem compoſitiooem ioduximus diligenter: quæ tandem per Dei gratiam, ooſtra ſolicitudioe mediante, ad haoc compoſitionis formam libera voluntate venerunt: ut de quatuor prædictis Epiſcopatibus, duo aſſignarentur Compoſtellanæ Metropoli, & duo relinquerentur Metropoli Bracareoſi.

53. Nos autem habito ſuper hoc cum fratribus noſtris diligenti tractatu, compoſitionem ipſam duximus approbandam, intelligentes eam æquitati canouicæ coocordare. Cùm enim Viſenſis Epiſcopus cum Epiſcopis Gallæciæ interfuerit ſecuodo Concilio Bracarenſi, & Emeritenſi Concilio non adfuerit, io quo pleous ſuffraganeorum numerus Emeritenſis Metropolis legitur adſuiſſe: Unde nec poteſt unus de reductis intelligi: cùm etiam inter alios ſuffraganeos Bracareuſis Eccleſiæ in ſuis privilegiis numeretur: io privilegiis autem Compoſtellanæ Eccleſiæ Viſeoſis Epiſcopus nullatenus habeatur; ſæpè dictum Archiepiſcopum Bracarenſem, nomine Bracarenſis Eccleſiæ, ab impetitione tua oomioe Compoſtellanæ Eccleſiæ ſuper eodem Epiſcopatu duximus abſolvendum: tibi ſuper hoc perpetuum ſilentium imponentes. Lamecenſis autem & Egitaoieoſis Epiſcopatus, quos ad Emeriteoſem pertinuiſſe Metropolim, certis didicimus ratiooibus, & validis argumentis, de conſilio fratrum oostrorum adjudicavimus Compoſtellanæ Metropoli; ipſum Bracarenſem Archiepiſcopum ſuper illis nomine Bracarenſis Eccleſiæ condemnantes: Epiſcopatum autem Conimbrieoſem licèt eiſdem ratiooibus cognoverimus ad Emeritenſem ſpectaviſſe; quia tamen Irienſis Epiſcopatus auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſubtractus eſt Eccleſiæ Bracareoſi, & Sede mutata, pro Beati Jacobi revetentia, totus conceſſus eſt Compoſtellanæ; in recompeoſationem ipſi Archiepiſcopo & Eccleſiæ Bracarenſi conceſſimus perpetuò retioeudum. Io tantum autem illa forma compoſitionis tibi complacuit, quòd pro booo pacis liti ceſſiſti, & petitioni renuuciaviſti omoino, ſuper duabus Eccleſiis, videlicet Sancti Fructuoſi, & Sancti Victoris, & medietate Bracaræ, cum pertinentiis ſuis omnibus, de quibus cum aliis fuit facta commiſſio; refutaos quicqnid juris io illis habuiſti, vel potuiſti habere: renuncians quoque ſeotentiæ, quæ ſuper eis, pro Compoſtellana Eccleſia contra Bracarenſem fuerat promolgata: ſuper qua coram nobis aliquamdiu fuerat litigatum. Nulli ergo &c. definitionis, abſolutionis, & conceſſionis, &c. Datum Laterani.

54. Ad Cap. II. *Veſpertino tempore.*] De Veſpertinis officiis, & lucernario (hoc eſt eoim *lumen oblatum*) vide notam à oobis poſitam Concilio Toletauo primo cap. 19. offerebatur verò lumen his verbis, ut à Baſilio traditur lib. *De Spiritu ſancto*, cap. 29. *Laudemus Patrem, & Filium, & ſanctum Spiritum.* De ſono, & veſpertino officio io Breviario Iſidoriano Mixt-arabum agitur. Fiebat veſpertinum officium poſt lumen oblatum, ut hìc dicitur: unde conſtat aotiquitùs Veſperas poſt ſolis occaſum, ad finem diei decantari ſolitas. Id innuit Chryſoſtomos Hom. 19. ad populum Aotioch. & Hom. 14. io 1. ad Timoth. *Tertiam,* (inquit) *Sextam, Nonam, & veſpertinas orationes celebrant* (loquitur de monachis) *& in quatuor partes diem diſpartiti, dum ſingula partes implentur, & pſalmodiis, & hymnis Deum venerantur.* Hæc Chryſoſt. quibus verbis veſpertina oratio oltimæ diei parti tribuitur. Idem Auguſt. in Pſalm. 29. ad ea verba: *Ad veſperum demorabitur fletus.* Affertque illud Marc. 1. *Veſpere autem facto, cùm occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes malè habentes.* Idem Chryſoſtomus Serm. 74. & 75.

55. *Quàm ſonum in diebus feſtis.*] Iſidorus in regula monachorum, quam apud me habeo Ms. cap. 6. de officio, ſic habet: *In veſpertinis officiis, primò lucernarium, deinde pſalmi duo, reſponſorius unus, & laudes, hymnus, atque oratio dicenda eſt. Poſt veſpertinum autem, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus divinæ lectionis quæſtionibus diſputare, conferendo piè & ſalubriter, tantumque meditando diſputandoque immorari, quoadusque Completorii tempus poſſit occurrere.* Illud quod ab Iſidoro vocatur *Laudes*, eſt ſonus. Id clarè conſtat ex Breviario Iſidoriano, quod Moz-arabum dicitur: ubi io regola *De Veſpertino officio*, ſic dicitur: *Dies, ſive ſit feſtivalis, ſive privata, ſemper horæ incipiunt à veſpertinis ante diem, & principium fit per invocationem Jeſu Chriſti, oratione Dominica præcedente, ſubmiſſa voce dicendo: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. & altâ voce: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, lumen cum pace, hoc eſt lumen oblatum. Reſpondetur à circumſtantibus: Deo gratias. Et presbyter dicit: Dominus ſit ſemper vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Et ordo Veſperorum, ſive ſit feſtum, ſive non, ſequitur per hunc modum. Primò dicitur Pſalmus, ſive veſpertinum, quod idem eſt: quo finito, presbyter dicit: Dominus ſit ſemper vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Statim dicitur Sonus, ſi ſit feſtum; eò quod dies ferialis caret Sono: niſi in tempore Reſurrectionis, propter ſolemnitatem dicitur. Hæc regula, Sonus eſt, Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro. Verſ. Præoccupemus faciem Dei in confeſſione, & in pſalmis jubilemus Deo.* Fortè dictus, quia ſonora voce decantabatur.

56. Ad

56. Ad Cap. III. *Per bonam diſpoſitionem.*] Sic ſtatutum eſt Concilio Toletano XVI. cap. 8. ut Miſſæ per totam Hiſpaniam pro Rege, ejuſque filiis quotidie celebrentur, niſi in die Paſſionis Domini. Orare pro Regibus antiquiſſimum Eccleſiæ inſtitutum eſt, ex illo Paulli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes gratiarum, actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui iu ſublimitate ſunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus iu omni pietate & caſtitate.* Inde Eccleſiæ mos eſt, ab Apoſtolis acceptus, in ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti, pro Regibus indeſinenter orare. Id tradit Clemens lib. 8. *Conſtit.* cap. 12. Hunc morem probat Chryſoſtomus in ſuperiorem locum Paulli. Et in Liturgia Baſilii dicitur: *Memento Domine piiſſimi & fideliſſimi Imperatoris.* Idem Ambroſius lib. 4. *De Sacram.* cap. 4. & Arnobius lib. 4. *Adverſus gentes.* Bonifacius PP. Epiſt. ad Honorium: in Concilio Rhemenſi cap. 4. idem.

57. Ad Cap. IV. *Placitum.*] De placlto ſuperiùs diximus Concil. Toletano II. cap. 10. ubi dicitur, quòd unuſquiſque qui ad Eccleſiaſticos ordines eſt acceſſurus, non antè honoris conſecraticnem accipiat, quàm placiti ſui innodatione promittat, ſe in Fide Catholica ſincera cordis devotione cuſtodienda, juſtè ſemper & piè victurum, & in nullis operibus ſuis canonicis regulis contradicturum, debitumque per omnia honorem atque obſequii reverentiam præeminenti ſibi impenſurum. Vide etiam Concil. Tolet. IV. cap. 26. & Concil. Trideut. ſeſſ. 24. cap. 12. & ſeſſ. 25. cap. 2.

58. Ad Cap. V. *Per Metropolitani voluntatem.*] Metropolitani munus eſt, ad Concilium Epiſcopos vocare per Epiſtolas: De quibus dicitur Concil. Tarracon. cap. 6. & 13. *Epiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolùm à Cathedralibus Eccleſiæ presbyteris, verùm etiam de diœceſanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant.* Concil. Milevit. cap. 9. & infrà cap. 7. & iu ſeptima Synodo cap. *Quoniam.* Habetur d. 18. & Concil. Agathenſi cap. 35. *Si Epiſcopus Metropolitanus* &c. Et in Martini excerptis cap. 18.

59. *Aliquem teneri ab infirmitate.*] Infirmitas aut regia juſſio excuſat Epiſcopum, ut Concilio Provinciali non adſit. Tridentina Synodus etiam eos excepit, quibus cum periculo imminenti transfretandum eſſet. Infirmitate Epiſcopus excuſatur Conc. Laod. cap. 40. & habetur diſt. 18. cap. *Non oportet.* & Concil. Chal. cap. 19. Actionis 15. Concilio etiam Tarracouenſi cap. 6. excuſatur Epiſcopus gravi neceſſitate implicatus. Propter ætatem etiam excuſatur ex Concil. Charthag. V. cap. 10. *Placuit, ut quotieſcumque congregandum eſt Concilium, Epiſcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, ueque alia graviori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant.*

60. *Diaconum ad ſuam perſonam dirigat.*] Eo quòd Concilio Nicæno cap. 20. apud Ruffinum lib. 10. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 6. ſcriptum eſt: *Ne diaconi presbyteris præferantur, nec ſedeant in conſeſſu presbyterorum, aut illis præſentibus Euchariſtiam dividant.* Apud Gratianum Can. *Pervenit.* diſt. 93. Concilium Arelat. II. Can. XV. *In ſecretario diacono inter presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti præſente presbytero tradere non præſumat.* De hac re Thomas 3. p. q. 82. art. 3. Unde hîc cavetur, ne vicarii Epiſcoporum eſſe debeant: quia uon poſſunt in Concilio inter presbyteros à tergo Epiſcoporum ſedere. In Conciliis tamen Toletanis diaconi vicem Epiſcoporum gerentes, pro iis ſubſcribunt: ut quinto Petrus, agens vicem Epiſcopi ſui Autonii. In ſexto Wamba diaconus. In VII. Clemens, Ambroſius, & Aquila diaconi. Sicque in aliis alii.

61. Ad Cap. VI. *Pro diebus feſtis.*] Sic conſtitutum eſt Concil. Tolet. XIII. cap. 8. ut admonente Metropolitano, pro feſtivitatibus ſummis, Paſchâ ſcilicet, Pentecoſte, & Nativitate Domini celebrandis, ſive pro cauſſarum negotiis, ſeu pro Poutificibus conſecrandis, vel pro quibuslibet ordinationibus Principis venire non contemnant: exceptâ inevitabili neceſſitate infirmitatis, quæ teſtibus poſſit comprobari:

62. Ad Cap. VII. *Semel in anno fieri Concilium.*] Concil. Nicæn. cap. 5. ex Hiſt. Ruffini presbyteri, ut per ſingulos annos in quibuſcumque provinciis Concilia celebrentur: unum ante Quadrageſſimam Paſchæ: ſecundum circa tempus autumni. Poſtea idem Can. XXXVIII. Apoſt. ſemel quartâ ſeptimanâ Pentecoſtes: ſecondò verò 12. die menſis Hyperberetæi, ideſt, juxta Romanos, quarto Idus Octobris. Poſtea id temperatum eſt, ut ſemel in anno: demum, ut unoquoque triennio Concilia Provincialia celebrentur, ex Conſtitutione Oecumenica Tridentini Concilii.

63. Ad Cap. VIII. *Orontio Epiſcope.*] Orontius fuit Emeritenſis Epiſcopus: interfuit VI. VII. & VIII. Conciliis Toletanis, ab Era DCLXXVI. uſque ad octavum Toletanum, actum ſub Receſvintho, Erà DCXCI. ab Innocentio Papa ſanctæ memoriæ Orontius dicitur.

64. Ad Cap. X. *Archipresbyterum.*] De horum officio agitur lib. 1. *Decretal.* Archipresbyter, & primicerius archidiacono ſubduntur, ut conſtat *De officio Archid.* cap. 1. *Ut Archipresbyteri.* Et *De officio Primicerii*, cap. 1. *Ut Primicerius.* Diximus de archidiacono & primicerio ſuprà. Nam licèt archipresbyter ordine ſit major quàm archidiaconus, quia tamen inferior eſt dignitate, archidiaconus ei præfertur. Gloſs. in cap. *Deliberatione*, de officio leg. lib. 6. Dominicus & Alexander in cap. fin. 17. diſt.

65. An Cap. XI. *Sæculares peragere cauſſas.*] Ne presbyteri cauſſas ſæculares inter laïcos peragant, cavetur toto tit. Decretalium. *Ne clerici vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.* Sic etiam in Can. Apoſtolorum LXXX. *Dicimus non oportere Epiſcopum, aut presbyterum, ſe ipſum publicis adminiſtrationibus immittere, ſed vacare, & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Animum igitur induito hoc non facere, aut deponitor: nemo enim poteſt duobus dominis ſervire, juxta*

prace-

præceptum Domini. Et cap. 82. infrà dicitur: *Qui retinere voluerit officium Romanum, & functionem ſacerdotalem deponitur*. Idem Decreto 22. Moguntiaci Concilii ſub Carolo Magno. Ubi deſcribitur qualis clericorum vita, forma, actus, & ſtudium eſſe debeat. Et Concil. Chalced. cap. 3. & 7. interdicitur clericis ſuſcipere cauſſas ſæcularium negotiorum.

66. Ad Cap. XIV. *Diebus feſtis*.] Solebant fideles in Martyrum vel defunctorum Miſſis offerre & communicare. Concil. Bracar. I. cap. 9. & Tolet. IV. cap. 32. De diviſione autem bonorum Eccleſiaſticorum diximus fusè ſuprà. Sed adverte conſuetudinem offertorii antiquam, quæ etiam nunc durat in Eccleſia, & inde obtinuit uſus offerendi in Miſſis, poſt dictum Offertorium, quod ante conſecrationem fiebat. Concil. Bracar. II. cap. 2. De oblationibus dividendis. Archidiaconus collectam pecuniam de communione accipiebat, & Epiſcopo deferebat, & clericis partes proprias idem diſtribuebat. Iſidorus Epiſtolâ ad Laudefredum Epiſcopum Cordubenſem. Et Can. Apoſt. III. Fabianus PP. Epiſt. III. ad Hilarium conſtituit, omnibus diebus Dominicis, ab omnibus viris & mulieribus oblationem tam panis quàm vini fieri. Idem in Concil. Matiſc. Can. IV. Synod. Gangr. cap. 7. & 8. Carpophoriam vocat oblationem Eccleſiaſticam. Gloſſarium vocat προσφορὰν. Meminit etiam oblationum Tertullianus in Apologet. cap. 39. *Modicam* (inquit) *unuſquiſque ſtipem, menſtrua die, vel cùm velit, etiam ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit*. Ex quo loco conſtat, oblationem populi eſſe ex ſua natura voluntariam, ex D. Thoma 2. 2. q. 86. art. 1. Tempore Cypriani etiam oblatio erat in uſu, ut conſtat ex lib. *De opere & eleemoſyna*. Idem Hieronymus Epiſt. ad Heliod. & Auguſt. Epiſt. CLXXXVII. Apud Gratianum diſtin. 90. cap. *Oblationes*. & 10. q. 1. Can. *Antiquos*. In offerendo ſervabatur ordo, ut primùm mares, deinde fœminæ offerrent, ut conſtat ex Ordine Romano. *De officio Miſſæ*. Fiebat autem oblatio, poſt dictum vel cantatum Offertorium; unde offerenda vocabatur.

67. Ad Cap. XVI. *Sufficere poſſunt*.] Gratian. 10. q. 3. *ſufficere non poſſunt*, legit: quam lectionem probavi ante excuſum Decretum Gregorianum, ductus teſtimonio Conc. Tolet. XVI. cap. 5. & habetur 10. q. 3. *Tertiæ, quas antiqui Canones de parochiis ſuis habendas Epiſcopis cenſuerunt; ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur: ſi verò eas maluerint cedere, ab earumdem Eccleſiarum cultoribus, ſub cura & ſolicitudine ſui Pontificis reparatio eiſdem Baſilicis adhibenda eſt. Quòd ſi omnes Eccleſiæ, aut incolumes fuerint, aut quæ dirutæ erant, reparatæ exſtiterint, ſecundùm antiquorum Canonum inſtituta, tertias ſibi debitas, unuſquiſque Epiſcopus aſſequi, ſi voluerit, facultas ſibi omnimodo erit*. Et Concil. Bracar. II. cap. 16. *Placuit, ut de rebus Eccleſiaſticis tres æquæ fiant portiones; id eſt, Epiſcopi una, alia clericorum, tertia in recuperatione vel luminariis Eccleſiæ*. Et Concil. Tolet. IV. cap. 33. & IX. cap. 6. Unde tertia ſemper Eccleſiarum reparationi ceſſit. Epiſcopus verò, cui ſua non ſuficiebant, eam ad ſui ſuſtentationem, & honorem Epiſcopalis dignitatis exigebat.

68. Ad Cap. XIX. *Eorum nomina*.] Quòd nomina vivorum & mortuorum recitarentur in ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti, multis decretis patet. De qua re diximus Tolet. Concil. II. cap. 12. Id conſtat præſertim ex Innocent. I. Epiſt. I. ad Decentium Epiſcopum. Et Auguſt. Epiſt. CXXXVII. & Gelaſio Papa Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum. Et Chryſoſtomo Homil. 6. in cap. 2. Epiſt. I. ad Timotheum, & aliis. Fundatoribus Eccleſiarum multa conceduntur Concil. Tolet. XV. cap. 2.

69. Ad Cap. XX. *Libertos debeant facere*.] De libertorum ſervitute, manumiſſione, & aliis, multa traduntur Concilio Toletano XV. cap. 11. & ſequentibus, & Concilio Hiſpalenſi II. cap. 8. de Eliſæo ex familia Egabrenſis Eccleſiæ, & Concilio Hiſpalenſi I. cap. 2. Loaisa.

PAULLI DIACONI EMERITENSIS
DE VITA PATRUM EMERITENSIUM,
Opuſculum incipit in nomine Domini.

Ex Mss. Gotthicis & Latinis editum à D. Thoma Tamajo de Vargas.

PRÆFATIO.

1. *VIRORUM orthodoxorum, maximeque Catholicorum, prorſus vera nullus eſſe ambigat miracula, quæ ſanctiſſimus egregiuſque vates Romanæ Præſul urbis Gregorius, inflammatus Paracliti chariſmate Spiritus, Dialogorum in libris veridico edidit prænotationis ſtylo: quæ olim ſcilicet omnipotens Deus ſervulis pro ſuis bene ſibi placitis, propter honorem nominis ſui patrare dignatus eſt; ne quælibet ob hoc dubitanti quiſpiam æſtuet animo, quòd priſcis jam temporibus geſta eſſe videantur, & fortaſſis fidem plenam minimè accommodet, & præfatum ſacratiſſimum virum, vas electionis, ſacrarium Spiritus ſancti, aliqua vanis & nebuloſis verbis fuſcâſſe opinetur: dum luce clarius Evangelicæ auctoritatis voce cunctis manifeſtetur Dominum ſemper operâſſe & hactenus operari. Quamobrem, ut omnium legentium vel audientium fides majori credulitatis robore firmetur, ea modernis temporibus in Emeritenſi urbe fuiſſe narramus, quæ non relatu aliorum agnovimus, neque fictis fabulis didicimus; ſed quæ ipſi eo referente auribus noſtris audivimus, quem è corpore mirabiliter egreſſum, & ad æthærea regna perveniſſe, non dubitamus.*

C A-

CAPUT I.

Auguſtus puer, miniſter Eccleſiæ Sanctæ Eulaliæ Emeritenſis, moriturus ducitur ad tribunal gloriæ.

2. PUERULUS quidam non grandi adhuc ætate, &, ut plenius dicam, ephebus, nomine Auguſtus, inſons, ſimplex, literarumque inſcius, dum cæteris coævis ac ſodalibus ſuis puerulis fideli mente in domo egregiæ virginis Eolaliæ ſui ſervitii miniſterium, quod ei à Præpoſito cellæ, venerabili viro, fuerat delegatum, perageret; repentè hunc contigit ægrotâſſe: cumque ad eum viſitandum, ut moris eſt, multi ambularent, crebriuſque ipſe pergerem; en accidit nocte quadam explicitis vigiliarum ſolenniis (nam in eadem ſancta Eccleſia mos eſt, ut hyemis tempore ſeorſum Matutinum officium, facto intervallo modico admittente Domino celebretur) Quo igitur temporis intervallo, cùm ad videndum eum perrexiſſem; ingreſſuſque cellam, in qua ipſe recubabat, cunctos, qui aderant, ita reperi ſopore depreſſos, ut nullus eorum ad miracula fuiſſet expergefactus. Introivi. Lumen verò, quod ibi accenſum erat, extinctum inveni: qui protinus omnes ante eum jacentes conſurgere monui, & lumen, quod extinctum fuerat, denuò accendere imperavi: adhibitoque mox lumine, præfatum Auguſtum, quemadmodum ſe haberet, ſciſcitatus ſum. At ille luquit: Equidem quantum ad præſentis pertinet vitæ ſpem, fateor ita jam omnes corporis mei artus reſolutos, ut nihil virium omnino remanſerit: quantùm verò pertinet ad ſpem vitæ æternæ, non ſolùm ſpem habere me gaudeo, verùm etiam ipſum vitæ æternæ auctorem DOMINUM JESUM CHRISTUM, cum angelorum catervis, atque omnium Sanctorum innumerabiles multitudines, me vidiſſe confiteor.

3. Dumque hæc, quæ vidiſſet, audiſſem, ſtatim in ſtuporem verſùs vehementer contremui, atque ut mihi cuncta quæ viderat, ſigillatim narraret, deprecavi. Ad hæc inquit ille: Teſtor Dominum cæli & terræ, me tibl phantaſticam viſionem nullam referre; ſed ut magis credas, fateor etiam tibi me hac nocte minimè dormiiſſe. Et dum hæc dixiſſet, ita exorſus eſt: Fui in loco amœno, ubi erant multi odoriferi flores, herbæ viridiſſimæ, roſæ, & lilia, & coronæ ex gemmis & auro multæ, vela holoſerica innumerabilia, & aër tenuis flabrari frigore flatu ſuo cuncta refrigerans: ibi etiam vidi ſedes innumerabiles poſitas ad dexteram lævamque, in medio verò multùm ſublimior poſita præeminebat; ibi namque aſtabant pueri innumerabiles, omnes ornati & pulchri præparantes menſas, & convivium eximium, non de qualibet pecude, ſed tantùm de altilibus omnis parabatur ferculorum copia, & omnia quæ parabantur erant candida inſtar nivis, & præſtolabantur adventum ſui Regis. Tum deinde ego indignus (operæ pretium mihi arbitratus fore, tantæ rei miraculum, ſi pleniùs referente illo audirem) ajo ad eum: Dic mihi, obſecro, dum iſtud, quod narras, parabatur; tu quid faciebas? Ille verò reſpondit: Omnium pedes oſculabar, & illi dicebant: Benedictus Deus qui te benè adduxit.

4. Dum hæc verò dicerent, & omne miniſterium præpararent; ſubitò advenit ingens multitudo candidatorum, omnes auro & lapidibus pretioſis ornati, & coronis rutilantibus redimiti; & una acies ipſius multitudinis ad dexteram, alia verò ad lævam partem gradiebatur: in medio autem eorum veniebat vir ſplendidiſſimus, nimiumque pulcherrimus, formâ decorus, aſpectu glorioſus, ſtaturâ procerior cunctis, lucidior ſole, candidior nive; cumque perveniſſent ad præparatas ſedes, ſedit pulchrior ille vir in eminentiori loco; cæteri procedentes, adoranteſque eum, reſederunt in ſedibus ſuis. Statim denique benedixit omnes: at illi adoraverunt ſemel, & iterum, ac tertiò; deinde ferculorum præparatio appoſita eſt illi. Dum cœpiſſent epulari, dixit ille ſpecioſus vir, qui ſedebat excelſior, ad eos qui circum aſtabant: Aliquis hic ruſticus eſt? Illi vero reſponderunt: Adeſt, Domine. Tum demum ille: Præſentetur conſpectui meo. Ego autem ſtabam à longè, & intuebar, & conſpiciebam; dumque præſentatus fuiſſem ejus obtutibus, cœpi vehementer contremare. Ille verò dixit mihi: Noli timere, fili, tranſi poſt ſcapulam meam, & hic ſta: & adjecit: Noli timere. ſcito, quia protector tuus ero, nunquam tibi aliquid deerit: ego te ſemper paſcam, ego te ſemper veſtiam, ego te omni tempore protegam, & nunquam derelinquam. Illicò namque de eodem convivio eſcam, poculumque, quale nunquam videram, mihi tribuere juſſit: quod ſuſcipiens omni cum jucunditate percepi; & verè fateor, manere ita ab illius gratiâ refectum, ut deinceps aliud nihil præter illum deſiderem cibum.

5. Igitur explicito convivio, ait mihi: Ambulet iſta multitudo aliam viam, tu mecum profecturus eris, ut tibi oſtendam vivariolum meum, quem habeo. Rurſumque convivio jam conſummato proceſsêre omnes, & adoravêrunt eum; idem benedicens eos Rex permiſit abire. Illis verò abeuntibus trahebant ad tribunal ejus neſcio quos homines vociferantes, magnis qui ululatibus ejulabant; quorum dum voces audiſſet, ait: Trahite foras malos ſervos, non ſunt digni videre faciem meam. Quòd cùm dixiſſet, tam celeriter nimirum abſtracti ſunt, ut eos pleniùs non potuiſſem videre, neque cognoſcere. Rurſus etiam ſciſcitans dixi: Quæſo, fili, ut mihi dicas, ſi aliquem agnoviſti ibidem de his qui mihi in hoc ſæculo cogniti ſuêre, & jam de hac luce migravêre? Ad hæc ille ait: Homines, quos ibi vidi, longè erant ab his omnibus, quos videmus modò, nam aliâ formâ, & alio habitu decorati ſunt omnes. Deinde ſubjungit: Poſtquam verò traxêre illos homines foras, ſurrexit ille cæteris pulchrior Dominus de ſua ſede, apprehendenſque manum meam, eduxit me in hortum amœniſſimum, ubi erat rivus, in quo erat aqua vitrei coloris, & ſecus rivum ipſum ſylva aromatum, & flores multi fragrantes, redolen-

lenteſque diverſis ſuavitatis odoribus; & ſic juxta rivum ipſum venientes pervenimus uſque ad locum, quem nunc in ſtrato jacens video.

6. Hæc mihi memoratus puer multis coràm poſitus retulit. Quamobrem ego indignus & omnium peccatorum primus, levita Chriſti, quemadmodum narravit, ſcribere malui varbis licèt aliis, ſenſibus tamen ipſis. Poſt hæc verò cuncta quæ audieram, ſanctiſſimo viro domino & Abbati meo nunciare procuravi: quibus ille agnitis (ut ei ſemper moris eſt viſceribus platate repletis) quantocyùs ad eundam Auguſtum properavit, atque inhianter, quæ dudum narraverat, ejus ex ore cupiens audire, quidnam vidiſſet ſciſcitatus eſt. Atque idem Auguſtus quæ priùs dixerat nihilominus repetens, ejus ſanctis auribus intimavit.

7. Demùm almo ac beatiſſimo viro cuidam levitæ, univerſiſque fratribus ſe percontantibus, quæ paullò antè dixerat, repetebat: nam mox cœpit animus ejus flagrare deſiderio percipiendæ pœnitentiæ: quâ confeſtim acceptâ, dum ego abiiſſem, atque ad Baſilicam S. Mariæ ſemper Virginis (quæ quinque millibus ab urbe Emeritenſi diſtat) gratiâ orationis properâſſem, quam etiam Baſilicam vulgus S. Quintilinam hactenus vocitat; inde regreſſus jam veſperaſcente die, eum defunctum reperi: & quoniam jam veſpere erat, minimè ea die ſepultus eſt. Sequenti verò nocte, dum ipſum corpuſculum inhumatum in cellula, quâ defunctus fuerat, jaceret; intempeſta nocte idem Auguſtus alium puerulum æquævum ſuum, nomine Quintiliarem, à foris prægmagna voce vocavit. Cujus voce audita & cognita, quidam puer ſimplex & verax nomine Veranianus illicò ſurrexit, egreſſuſque foras ipſum Auguſtum in alba ſtantem videre meruit; ſed pavore perterritus, propiùs ad illum accedere non præſumpſit: cujus faciem niveo candore ſe vidiſſe, cum juramento teſtatus eſt; alio verò die corpuſculum ejus ex more in Baſilica ſanctiſſimę Virginis dominæ meæ Eulaliæ ſepulturæ eſt mancipatum.

CAPUT II.

Monachus Caulinianenſis apud Emeritam monaſterii morti proximus ex ebrio & fure ad Dominum converſus.

8. FUERUNT plerique idonei viri ante non ſatis plurimos annos clementiâ divinâ in provincia Luſitaniæ, qui clementer ſerunt geſtum Salvatoris noſtri miraculum: dum in monaſterio, cui Cauliana vocabulum eſt, quod Emerita urbe haud procul ſitum fermè millibus octo diſtat, reverendiſſimus vir piæ memoriæ Renovatus Abbas præeſſet, poſt quæ etiam Emeritenſi urbi Pontifex exſtitit mirificus, atque ſagaci ſolicitudine, utpote vir perſpicax & nimiùm acris ingenii, multumque in omni diſciplina ac timore Domini ſtrenniſſimus, cunctos illic commorantes monachos ſedulò per bonam converſationem & ſancti operis exempla ad ſupernam patriam provocaret, cunctuſque grex paſtorem præeuntem arctis ſemitis, callibuſque proſequerentur cœlicis: lupus vorax unam ei toto adniſſu conatus eſt ore mordaci laniare oviculam; ita dumtaxat ut omni cœtu ſanctæ congregationis in Domini laudibus perſiſtente, atque regulari tramite in timore Domini degente; quidam monachus ab eorum diſcrepans ſanctiſſimis moribus, gaſtrimargiæ & ebrietati inæſtimabiliter incumbens, ſemetipſum contrà dedit: deinde ad majorem declinans intentum, furari quæque potuiſſet reperire, cœpit; quem dum prædictus vir ſæpiùs blandè moneret, nec facilè coërcere valeret, iterum iterumque verborum objurgare increpationibus ſtuduit: ſed eum nec ſic ab illecebroſa edacitatis delectatione, atque furti rapacitatiſque intentione caſſavit; hunc flagris verberare, parſimoniis afficere, ergaſtuliſque tradi præcepit; ſed ille nihilominus priſtinis perdurans piaculis, non ſolùm quid à flagitiis minimè ceſſabat; ſed diebus quotidianis ſemetipſum pollicens antris averni tartareis mancipare, magis magiſque feſtinabat.

9. Cumque eum videret tantopere peſſimæ intentionis pergere viam, ut nec tot viribus increpatus, nec toties verberatus emendari voluiſſet; tactus dolore cordis intrinſecus, dimiſit eum abire ſecundùm deſideria cordis ejus; ac præcepit his qui præerant promptuariis monaſtarii, ut quacumque hora vellet ingredi, quæcumque in cellariis optima, quæcumque dulcia reperiret, eum uſque ad vomitum nullus edere aut bibere prohiberet, etiamſi aliquid aſportare & abſcindere ex more vellet, liberam poteſtatem haberet, ut pleniùs dignoſceretur poſtquam gulæ aut ventri ſatisfeciſſet, quidnam poſtmodum eſſet acturus. Ille verò juxta præceptum clauſtra reſerata aperiens, opulentiſſimi (ut fertur) monaſterii cellaria clam opima penetravit, cuſtodibus tamen eminùs circumquaque obſitus, callida diſſimulatione cernentibus ignorante illo, ac pręſtolantibus quidnam ageret: quæque dulcia & ſuavia eſu potuque repeiſſet, eò uſque paſſim vorabat bibebatque, quouſque mente perdita vix ambulare valebat. Poſt hęc fercula diverſa furtim ſurripiens, etiam vaſcula vinaria, quæ uſitato nomine Guillones, aut Flaſcones appellant, auferebat, & in horto contiguo monaſterii inter arbuſta frondoſa aut arundineta condenſa in loco abditiſſimo occultabat.

10. Tum deinde cibo jam nimio crapulatus, temulentiaque poculorum ſatiatus, ſibimet ad cubitum ſternebat, & apponens quæ furaverat, quamvis jam non delectaretur, & nimiùm onuſto ventre ructaret, tamen adhuc edere & bibere cupiebat; ſed dum gravato perquàm alvo langueret potiùs quàm manducaret, illicò occurrente ſomnio obdormiebat: tum deinde venientes canes quæque portaverat comedebant: cuſtodes itaque è regione intuentes vaſcula quæ detulerat, dormiente illo ad cellaria revocabant; dumque hæc multa per temporum ſpatia peragerentur, & nullus eum aliquando jam emendari crederet; hoc exemplo Paſtor & Salvator bonus de ore leonis eum abſtraxit.

11. Accidit namque, ut die quadam, more ſolito, primo diluculo de cellario temulentus

exiret; quem ut viderunt e^hri^ ri parvuli (qui ſub pædagogorum diſciplina in ſcholis literis ſtudebant) hac protinus voce exclamaverunt: Conſidera judicium terribile Domini, conſidera tremendi examinis metuendam ſententiam, conſidera formidandam atque horrendam ejus judicii ultricem ſeveritatem, conſidera etiam annos ætatis tuæ, & ſic tandem mores commuta in melius, & vel uno die ante mortem tuam corrige vitam tuam, quia nobis infantibus quæ tu agis non licet agere, quantò magis tibi, qui jam ætate plenus eſſe cerneris. Cùmque hoc audiret, pudore nimio coopertus erubuit, ſtatimque compunctus eſt, & ejulatu magno flens cum lacrymis elevans oculos ſuos ad cœlum dixit: DOMINE JESU CHRISTE, Salvator animarum, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut revertatur ab iniquitate, & vivat; te precor, ut corrigas me, & auferas iſtud ignominioſum opprobrium de facie mea; aut certè, ſi tibi placet, jam tolle me de hac miſerabili vita, ut ampliùs improperium faciei meæ non audiam. Quem ſtatim divina pietas exaudire non diſtulit, ſed de præſenti in eodem loco dolore percutiens, vi febrium æſtuare fecit. Nimirum dexteræ Excelſi immutatio in tantum eum commutavit in melius, ut abhorrens omnes carnales delicias, flagranti animo pœnitentiæ remedium mox appeteret, corporis videlicet, cruoriſque Dominici ſacramentum deſideraret: ſed dum antefatus almus pater putaret eum phrenetica aut improba mente id flagitare, pœnitentiam plenariam dare diſtulit, ſed tantùmdem ei viaticam gratiam impertivit, ac tribus diebus, totidemque noctibus, lacrymis, & confeſſione mirifica ſatisfecit.

12. Tertio poſt hęc die demigraturus è corpore, & valefaciens cunctis fratribus, ſic ait: Cognoſcite, quòd omnia delicta mihi dimiſſa ſunt, & ecce præ foribus ſanctiſſimi Apoſtoli Petrus & Paullus, necnon & beatiſſimus Laurentius archidiaconus & Martyr, cum innumerabili turba candidatorum me exſpectant, cum quibus ad Dominum pergere debeam, & hæc dicens migravit è corpore. Poſt quindecim verò, aut eò ampliùs annos, memorabilis amnis Anas nimium excreſcens, ripaſque alvei ſui ſupergrediens, fluenta liquoris latè aſperſit, & ruinas ædium per villulas vicinas litori ſuo multas fecit, ſimiliter & Caulinianenſis monaſterii cellas evertit; quas dum monachi reſtaurare voluiſſent, contigit, ut dum fundamenta conſtruunt in cellula, quâ ſupradictus jacebat, ipſum ſepulchrum aperirent; ſed mox inde nectareus odor erupit, ipſe verò integer & incorruptus repertus eſt, ac ſi horâ eâdem fuiſſet humatus, ut nec veſtimenta ejus, nec capilli ex aliqua parte cernerentur fuiſſe corrupti.

CAPUT III.

Nunctus Abbas Africanus Emeritam veniens à ſceleratis eſt occiſus: qui poſt à dæmone ſunt correpti.

13. DUM novella narrare ſtudemus, priſca majorum geſta omiſeramus. Narrant itaque plurimi ante multa jam curricula annorum temporibus Leovigildi Wiſigotthorum Regis ab Africanis regionibus in provinciam Luſitaniam Nunctum noſtrum adveniſſe Abbatem, qui cùm aliquandiu ibidem degiſſet, devotionis gratiâ ad Baſilicam ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ (in qua ejus ſanctiſſimum corpuſculum requieſcit) deſideranter acceſſit: ſed, ut fertur, per omnia aſpectum mulierum, velut vipereum vitabat morſum, non quia aſpernabatur ſexum, ſed ex contemplata ſpecie tentationis metuebat incurrere vitium; ita etenim ut quocumque loco pergebat, unum monachum ante ſe, & alterum poſt ſe eminùs gradi præcipiebat, ne eum per quamcumque occaſionem mulier videret: qui, ut ſuprà diximus, cùm ad Baſilicam ſanctæ Eulaliæ Virginis & Martyris veniſſet, reverendiſſimum virum Redemptum diaconum, qui ibi præerat, multis precibus exoravit, ut quando ad orationem nocturno tempore in Eccleſiam de cella procederet, ita cuſtodias poneret, ut eum nulla penitùs fœmina videret: ſed dum aliquot dies in eadem ſancta Eccleſia moras feciſſet, quædam nobiliſſima & ſanctiſſima vidua, nomine Euſebia, omni deſiderio eum videre cupiebat; ſed ille nullatenus ſe ab ea videri patiebatur: dum verò ſępiùs eum diverſi rogarent, ut eam videre dignaretur, & ille nullo modo conſentiret; at illa conſumpto conſilio ſupradictum Redemptum diaconum deprecabatur, ut explicitis matutinis laudibus, dum ille de Eccleſia ad cellulam reverteretur, illa ſtante in abditiſſimo loco circa eundem ſanctiſſimum virum, lumen cereorum clariſſimum fieri præciperet, ut ſaltem à longè eum videre mereretur. quod factum: at ubi ignorante illo fœmineus contigit aſpectus, ita cum gemitu magno ſeſe in terram proſtravit, ac ſi magni lapidis ictu graviter fuiſſet percuſſus, mox ipſi Redempto diacono dicere cœpit: Indulgeat tibi Dominus, frater: quid eſt quod feciſti?

14. Poſt hæc denique ſtatim egreſſus inde, ad eremi loca paucis cum fratribus pervenit, ibique ſibi viliſſimum conſtruxit habitaculum; ſed cum crebris illic virtutibus coruſcaret, recurrente opinione ad auditum Leovigildi Principis pervenit: qui quamlibet eſſet Arianus, tamen ut ſe ejus precibus Domino commendaret, eidem viro auctoritate conſcripta, de quodam præcipuo loco fiſci direxit, ut alimenta, aut indumenta exinde cum ſuis fratribus haberet. quod vir Dei omnino accipere recuſavit, ſed dum ille renueret, & is qui à Rege directus ad eum venerat, diceret: Oblationem filii tui deſpicere non debes; tandem ipſo compellente ſuſcepit.

15. Poſt aliquot verò dies homines habitantes in eodem loco cœperunt ad invicem dicere: Eamus,

Eamus, & videamus, qualis iſte eſt dominus noſter, cui dati ſumus: cumque fuiſſent, & vidiſſent eum veſte ſordidum, habituque deformem, contemnentes eum dixerunt mutuò: meliùs eſt nobis mori, quàm tali domino ſervire. Ac deinde poſt aliquot dies, cùm vir Dei ſanctus in ſylvas paucis ovibus depaſcendis perveniſſet, reperientes eum ſolum, fractis cervicibus crudeliter necaverunt: poſt non verò longum temporis intervallum ipſi homicidæ comprehenſi, & Leovigildo Regi ſunt præſentati cum vinculis, cui dictum eſt ipſos eſſe, qui ſervum Dei intereміſſent: ille autem quamvis non rectæ Fidei eſſet, rectè tamen promulgavit ſententiam, dicens; Abſolvite eos à vinculis, & ſinite abire; & ſi verè ſervum Dei occiderunt, ſine noſtra ultione ulciſcatur Dominus mortem ſervi ſui: at ubi dictum eſt iſtud, & illi abſoluti ſunt; ſtatim eos dæmones corripuerunt, & per plures dies afflixerunt, qnouſque crudeli morte animas à corporibus excuſſerunt.

CAPUT IV.

Paullus medicus natione Græcus fit Epiſcopus Emeritenſis: mulierem ex partu laborantem ſanat.

16. OMITTENTES phaleratas verborum pompas, & prætermittentes garrulas facundiæ ſpumas, nunc etiam ea quæ omnibus modis vera ſunt, ſimpliciter veraciterque narramus. Nam ſi ea, quæ luce clariora eſſe noſcuntur, obſcuris ſermonibus involvere voluerimus; audientium animos non inſtruimus, ſed fatigamus: quia, cùm multorum imperitorum minus intelligit ſenſus, fatigatur auditus; & ideo, ſicut ſuperiùs polliciti ſumus, ſimpliciter ſanctorum Patrum olim geſta miracula, ſicuti relatu multorum ad nos perlata ſunt, intimamus. Referunt multi ſanctum virum nomine Paullum, natione Græcum, arte medicum, de Orientis partibus in Emeritenſem urbem adveniſſe; qui cùm ibi multo tempore degeret, ſanctitate & virtutibus multis polleret, & humilitate atque benignitate cunctos ſuperaret, à Domino collatum eſt, ut prædictæ civitatis mereretur Pontificatum. At ubi eligente Domino ordinatus eſt Epiſcopus, omnes ſtatim Deus conturbationum procellas, quæ eandem Eccleſiam tempore prædeceſſoris ejus conturbaverant, abſtulit, & nimiam tranquillitatem ejus precibus condonavit.

17. Qui dum pacificè ac benignè, favente Deo, cunctis civibus ſuis præeſſet, & cunctorum effectibus dulciſſimum ſacri pectoris ſui exhiberet affectum: contigit cujuſdam primarii civitatis ex genere ſenatorum nobiliſſimi viri ægrotâſſe matronam, quæ & ipſa illuſtri ſtemmate progenita nobilem trahebat proſapiam: quæ cùm nuper nupta in utero accepiſſet, ipſe infantulus in ventre colliſus eſt: cui cùm multi medici diverſa adhiberent, & nullum remedium medelæ ſentiret, ſed in gravi diſcrimine poſita quotidie morti propinquaret; ſupradictus illuſtris ejus vir, eò quòd illi nihil chariùs eſſet conjuge, quam noviter conjugii gratiâ ſortitus fuerat, contemptis univerſis medicis, ſpe recuperandæ ſalutis ad eundem ſanctiſſimum virum cucurrit: & provolutus pedibus ejus cum lacrymis exoravit, ut quia Dei ſervus erat, orationibus ſuis Dominum pro ejus matronæ ſalute precaretur; aut certè quia medicus eſſet, non duceret indignum manu ſua ægroto gratiam præbere medendi. Sed vir Dei protinus reſpondit, dicens: Mihi quod hortaris facere non licet, qui etſi ſacerdos indignus Domini ſum, & ſacrificium manibus meis offero Domino, & ideo quod dicis, non poſſum implere: poſtmodum pollutas ſacris altaribus manus inferam, & divinæ poteſtatis mox furorem incurram. Et adjecit: Ibimus (inquit) in nomine Domini, viſitabimus eam, & dabimus medicos Eccleſiæ, qui illi adhibeant medicinam, & in quantum ſcimus, oſtendemus, qualiter cura fiat; nos tamen facere manu propria minimè poſſumus: ille verò ſciens, quia nullius alterius medici cura valeret, & quia jam uxor ſua penè mortua eſſet; cœpit cum fletu magno enixè flagitare, ut nullum illuc dirigeret, ſed ipſe per ſe iret, & quod ſciebat, manu propria impenderet: ſed dum ille non adnueret, neque penitùs conſentiret, univerſi fratres coràm poſiti, & ipſi eum lacrymis rogaverunt, ut iret; at ille ait: Novi quòd multæ miſerationis ſit Dominus, & credo, dum fuero, quòd infirma priſtinam recuperet ſalutem, & mihi ſtatim concedet veniam propter meam præſumptionem; ſed homines malus hanc mihi cauſſam objicere in poſtmodùm omnino non dubito. Cui cùm omnes fratres ſui reſponderent: Nullus è nobis propterea aliquid dicturus eſt. Sed perge Domine, & omni celeritate age illud, quod mercedi tuæ proficiet.

18. Tandem eorum precibus compulſus proficiſci pollicitus eſt, ita dumtaxat, ut priùs Domini exquireret voluntatem, ne temerè incedens facilè ageret, pro quo difficile, mulctatus Dei judicio, ad veniam rediret; illicò namque Baſilicam ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ petiit, ibique proſtratus pavimento per totum diem incubuit, atque in oratione indefeſſus perſeverans ſequentem continuavit, & noctem qui mox inibi oraculo divino commonitus eſt, ſtatimque conſurgens ad mulieris ægræ domum incunctanter perrexit, & feſtinus properavit, orationem fudit, manus in nomine Domini ſuper infirmam impoſuit: in ſpe Dei mira ſubtilitate inciſionem ſubtiliſſimam ſubtili cum ferramento fecit, atque ipſum infantulum jam putridum membratim, compendiatim abſtraxit, mulierem penè mortuam, ac ſemivivam, adnitente Deo, viro ſuo confeſtim incolumem reddidit, cui, & præcepit, ut ultrà virum non cognoſceret: quocumque enim tempore coitum virilem agnoviſſet, mox ei deteriora adfutura eſſent diſcrimina. Sed illi nihilominùs pedibus ejus provoluti gratias retulerunt, & omnia quæ vir Dei præceperat, in omnibus ſe eſſe ſervaturos promiſerunt, imprecantes Dominum, ut ſi non cuſtodirent, pejora illis poſtmodùm advenirent. Facta namque eſt eo modo illa inæſtimabilis lætitia, immenſumque gaudium, atque univerſi in Dei laudibus acclamantes, orantes, tripudiantesque

teſque dicebant: Quòd verè miſiſſet Dominus angelum ſuum, qui illis miſertus fuiſſet.

19. Tum deinde fecerunt de rebus ſuis talem conſcriptionem, ut de præſenti ſanctus vir medietatem ex omnibus quæ habebant, acciperet; alia verò medietas poſt eorum obitum integra & intemerata ad ejus pertineret ditionem. Tanta namque illis inerat copia rerum, ut nullus ſenatorum in provincia Luſitaniæ illis reperiretur locupletior: quod ille prorſus recuſavit, ac renuit, noluitque accipere: ſed illis obſecrantibus nimiumque importunè offerentibus, & ſic tandem coactus eſt ſuſcipere; quod accipiens non tam propriis uſibus, quantùm egentium præcepit deſervire neceſſitatibus. Illi autem à quibus ei oblatum eſt, perſeverantes cum timore Dei in caſtitate, pòſt non multo temporis intervallo ad ſupernam patriam vocatione divina adſciti ſunt; quibus defunctis omne eorum patrimonium ſanctiſſimus Paullus Epiſcopus promeruit, & qui peregrinus nihil habens advenerat, factus eſt cunctis potentibus potentior, in tantum, ut omnis facultas Eccleſiæ ad comparationem bonorum illius pro nihilo putaretur.

CAPUT V.

Fidelis natione Græcus, filius ſororis Paulli Epiſcopi Emeritenſis, vivente avunculo ſubrogatur in Epiſcopatu.

20. DENIQUE cùm plurimos per annos felici tempore ſua cum plebe frueretur, & jucundè Deo vivens, plenus ſemper virtutibus floreret, accidit die quadam, de regione qua ipſe oriundus exſtiterat, negotiatores Græcos in navibus de Orientibus adveniſſe, atque Hiſpaniæ litora contigiſſe; cumque in Emeritenſem civitatem perveniſſent, ex more Epiſcopo præbuerunt occurſum; qui cùm ab eo benignè fuiſſent recepti, ac de atrio ejus egredientes in domo, in qua hoſpitabantur, fuiſſent; regreſſi ſequenti die ad eum munuſculum miſerunt pro gratiarum actione, deferente puero nomine Fideli, qui cum eis cauſâ mercedis recipiendæ de regione eorum conductus advenerat: cumque ejus fuiſſet præſentatus aſpectibus, & quæ grato animo directa detulerat, vir ſanctus gratanter ſuſcepiſſet, eum cœpit ſigillatim ſciſcitari, quo vocaretur nomine, de qua provincia, vel de qua civitate eſſet: cùm ergo illi nomen ſuum & civitatem ſuam nominaret, videns adoleſcentem bonæ indolis, cuncta eum per ordinem interrogavit, & nomina parentum requiſivit; at ille conſequenter ſecundùm interrogationem, patriam, civitatem, vicum, nomina parentum ſimpliciter manifeſtavit: hæc eo dicente cognovit nomen ſororis ſuæ, qui ſtatim exſiliens de ſede ſua, in conſpectu omnium amplexibus ejus incubuit, commota quippe fuerant ſuper illum viſcera ejus, atque irruens ſuper collum ejus, & diutiſſimè exoſculans, præ gaudio ubertim flevit, ſtatim ſuprà nominatos negotiatores accerſiri præcepit, quibus ait: Puerum mihi iſtum concedite, & quicquid vultis à me poſtulate. At illi reſponderunt: Hoc facere nequaquam poſſumus, quia ingenuus homo eſt, & à parentibus pro noſtro ſolatio conductum accepimus, ſine iſto ad parentes ſuos nullatenus remeare poſſumus, nec faciem eorum ultrà videndi habebimus licentiam, ſi hunc in tam longinquam provinciam dimiſerimus. E contra ille ait: Compertum vobis ſit, quia ſi iſtum mihi non dimittitis, vos in patriam veſtram minimè revertetis: ſed accipite à me pecuniam copioſam, & abite ſecurè pergentes cum pace.

21. Hæc illi audientes, nec ampliùs tantæ poteſtati obſiſtere valentes, ajunt ad eum: Dic nobis, domine, quid cauſſæ eſt, ut hominem tibi incognitum tanto amore diligere digneris? Ille verò, proximum ſuum eſſe, ſibique affinitate valdè vicinum, & addit: Abite in nomine Domini abſque aliqua hæſitatione, renunciantes ſorori meæ, quia filium ejus ob conſolationem captivitatis meæ penes me retinui; qui diverſa per eos mittens munera ſorori, ipſiſque nautis multa largitus eſt dona, ac ſic ditati ejus muneribus, ingreſſi ſunt in patriam ſuam cum gaudio magno. Quibus redeuntibus ſtatim præfatum adoleſcentem tondere præcepit, ac Deo omnipotenti ſerviturum obtulit, & veluti alterum Samuëlem in templo Domini diebus ac noctibus ſtrenuè erudivit, ita ut infrà paucorum curricula annorum omne officium Eccleſiaſticum, omnemque bibliothecam Scripturarum divinarum perfectiſſimè docuerit; deinde verò per ſingulos gradus eum perducens, diaconum ordinavit; qui mox effectus habitaculum Spiritus ſancti, omnibus virtutibus ita eſt irradiatus, ut ſanctitate, charitate, patientia, & humilitate univerſum tranſcenderet clerum: ſic nimirum Deo & hominibus ſecurum affabilemque præbuit, ut unum illum putarent homines ex numero angelorum.

22. Interea dum plurimis annis Deo irreprehenſibiliter deſerviret, & ſuprà nominato nutritori ſuo dulci obſequio in omnibus obediret, ac ſenectutem ejus abſque aliqua offenſione ſuavitea oblectaret; idem ſuprà nominatus beatiſſimus pater, exactis jam multis curriculis annorum, atque ætate decrepita in ſenium vergens, hunc ſibi ſucceſſorem elegit, moxque etiam in loco ſuo ſe vivente ordinavit, & omnium bonorum ſuorum hæredem inſtituit; ita etiam teſtamentaria ſancione decernens: & ſi eum clerus Emeritenſis habere vellet Pontificem, omnes res, quas illi contulerat, poſt obitum ſuum ſupradictæ Eccleſiæ derelinqueret; ſin aliàs haberet liberum arbitrium, quicquid voluerit de præfatis rebus diſcernere, vel judicare. Hoc ſanè decretum vir ſanctus, revelante ſibi Spiritu ſancto promulgavit, prophetiæ gratiâ præſcius non deſuturas eidem viro multorum obſiſtere invidias hominum improborum, qui eum canino more circumquaque in poſtmodùm oblatrarent, atque invidiæ faucibus ſucceſſum mordaciter laniarent.

23. Interim dum, auſpice Domino, conſtituiſſet eum Antiſtitem, ita ei adſtare, & deſervire cupiebat; ſicut diaconatûs tempore miniſtrare conſueverat, ita ut exuens ſibi caſulam, more miniſtri, coràm eo aſſiſtens, ſervitium omne

per-

perſolveret: quem ille id agere prohibuit; & ut jam deinceps auctoritatem Pontificatus ſui conſtanter tenere admonuit, atque ut fratrum ſuorum potiùs curam ageret, imperavit; ipſe verò ſanctiſſimus ſenex mox derelinquens atrium, & omnia privilegia honoris ſui, ſeſe ad Baſilicam ſanctæ Eulaliæ in cellulam viliſſimam contulit. Qui dum aliquando ibidem poſitus, à ſæculi hujus procellis abſolutus, & in multa quiete conſtitutus, in cilicio & cinere cubans, pro totius mundi piaculis Dominum precaretur, migravit è corpore.

CAPUT VI.

Fidelis Epiſcopus poſſeſſiones ſuas relinquit Eccleſiæ S. Eulaliæ: clericos à ruina periculo liberat.

24. POST cujus diſceſſum quidam peſtiferi homines, juxta id quod vir Dei prædixerat, contra beatiſſimum Fidelem Epiſcopum verbis malignis muſſitare cœperunt, ut eum de loco, quo conſtitutus fuerat, per quamcumque occaſionem pellerent: quòd cùm ille perpendiſſet, etſi unà cum rebus & ſuis ab eorum inſectatione ſeparari voluiſſet; comperto ab illis, quòd ſi ille ſublatis de jure Eccleſiæ prædiis ſuis ſe ab eis ſepararet, illis omnino nihil remaneret; plus inviti, quàm ſponte pedibus ſuis ſe proſtraverunt, quibus ille non uſquequaque repugnans, præbuit adſenſum, ut, & curam regiminis gereret, & in poſtmodùm omne patrimonium ſuum Eccleſiæ derelinqueret. Quod ita factum eſt, ut eo tempore tantùm Eccleſia locupletata eſt ipſa, ut illâ in Hiſpaniæ finibus nulla eſſet opulentior; ac ita, Domino cooperante, confirmata eſt in eum cunctorum pura & ſincera dilectio, in tantum, ut omnes uno eodemque animo, ardore immenſæ charitatis flagrantes, erga eum immenſu amore ſancti ignis æſtuarent, ut unum cor & labium cum eo effecti, nullo penitùs modo ab alterna dilectione diſcidio incurrente diſcreparent. Quoniam tanti vatis memoravimus nomen, operæ pretium nobis videretur eſſe perſpicuum de ejus multis, quibus crebrò effulſit, virtutibus, quamdam exiguam particulam memoriæ tradere.

25. Quoniam igitur Dominico die, dum in atrium cum multis filiis Eccleſiæ tenderet, ut mos eſt, archidiaconus cum clero in albis ab Eccleſia venientes coram eo aſtiterunt: moxque ille conſurgens diaconibus, ex more, thuribula gerentibus, atque ante eum præcedentibus, cum univerſis qui aderant, ad Eccleſiam perrexit, qualiter, Deo adjuvante, Miſſarum ſolennia celebrarent: at ubi univerſi cum eo de atrio paullulum ferè decem graduum proceſſerunt, illicò ab imis fundamentis omnis repentè ampliſſimi atrii fabrica ruit, & neminem ibi oppreſſit, Deo jubente; ex qua re penſandum eſt, cujus meriti iſte vir fuerit, qui ita apud Deum ſuis precibus obtinuerit, ut priùs non daretur antiquo hoſti poteſtas tantæ fabricæ perpetrare ruinam, quàm ipſe cunctos foris eductos integro numero, Deo m ſerante, ſalvaret: ſed ut in tanto periculo nullus periret, hoc maximè meritis ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ fuiſſe præſtitum nullus ambigat. Cùm verò ſolicitè requirens inveniſſet, quia nemo periret, in nullo penitùs animum ſuum conturbavit; ſed magis gratias Deo egit, eique ſacrificium lætus obtulit, diemque ipſum jucundè in Domino cum omnibus ſuis potitus eſt.

26. Poſt verò multum temporis intervallum ſedis dirutæ fabricam reſtauravit, ac pulchriùs Deo opitulante patravit: ita nimirum ipſius ædificii ſpatia longè lateque altioribus columinibus erigens, pretioſaque atrii columnarum ornatibus ſuſpendens, ac pavimentum omne, vel parietes cunctos nitidis marmoribus veſtiens, miranda deſuper tecta contexuit: tum deinde in mirum diſpoſitionis modum Baſilicam beatiſſimæ virginis Eulaliæ inſtaurans in melius, in ipſo ſacratiſſimo templo celſa turrium faſtigia ſublimi produxit in arce. Hîc namque vir beatus in hoc corpore poſitus, crebrò cum ſanctorum catervis in choro Eccleſiæ ſtans, & pſallens viſus fuiſſe perhibetur, & alia multa narrantur, quæ ſcribere propter prolixitatem ſui, ne faſtidium legentibus præbeant, deſeruimus.

CAPUT VII.

Fidelis Epiſcopus viſus intereſſe ſacrorum choris.

27. DIE quodam puerum familiarem ſuum ad locum, cui Capſiana vocabulum eſt, quod ab Emerita urbe millibus ſexdedim diſtat, direxit, ac præcepit ei ſub omni feſtinatione reverti. Qui cùm fuiſſet, & eodem die reverti non occurriſſet, ibidem manſit; cui in ipſo noctis initio jam dormienti viſum fuit gallos cantâſſe, ſtatimque expergefactus, caballum ſuum aſcendit, atque feſtinus properans, ante medium noctis ad portam ipſius civitatis, quæ appellatur Porta pontis, pervenit: qui cùm ibidem diutiſſimè reſidens cerneret, quia ante horam opportunam conſurrexiſſet, & quia quamvis clamâſſet vociferanter, nullus ei portam aperiret, viſum eſt ei, ut caballo ſuo paullulùm herbam daret, quouſque aliquis forſitan portam reſeraret. Et ecce ſubitò intempeſtæ noctis horâ elevans oculos ſuos vidit eminus globum igneum ab Eccleſia ſancti Fauſti, quæ ab urbe fere milliario diſtat, procedentem, atque ad Baſilicam S. Leocritiæ pervenientem. Qui dum tacitus contemplaretur quidnam eſſet; nec mora; & ecce multitudo Sanctorum, quibus illud lumen præibat, venientes per pontem ad portam uſque pervenerunt, cum quibus etiam gradiebatur ſanctiſſimus Fidelis Epiſcopus. At ubi ventum eſt ad portam, videns ſupradictus puer aucta candidatorum agmina, ipſum etiam S. Fidelem chlamyde nivea indutum, in medio eorum properantem cernens obſtupuit, & exterritus atque tremebundus præ timore factus eſt velut mortuus: ille verò clauſtra portarum divinitùs reſeravit, moxque ingreſſi ſunt civitatem: quibus ingreſſis, ille conſurgens

atque

atqne volens poſt eos ingredi, ſed nullatenus potuit, quia portam ita clauſam, ſicut antea, invenit: qui cùm primo diluculo apertâ perveniſſet ad atrium, protinus eum vir ſanctus interrogavit, quali hora de prædicto loco egreſſus fuiſſet? qui illi, & horam, in qua ſurrexerat, & moram, quam ad portam fecerat, enarravit; quem cùm vir Dei intetrogavit, ſi aliquid vidiſſet? ille, vidiſſe ſe fateretur; hunc admonuit, & quouſque ipſe ſanctus vir in corpore eſſet, nulli referret, no ei ad immane periculum pertineret.

28. Alia quoque vice ſimiliter eum quidam religioſus cum multitudine Sanctorum quadam nocte de Eccleſia ſanctæ Eulaliæ egredientem, & per Baſilicam Martyrum euntem vidit; ſed incautè agens, multis ſtatim indicavit; poſtremò ad virum Dei veniens, & ei quod viderat, retulit, cui ille ait: Hoc ut vidiſti jam alicubi dixiſti, aut non? qui ſtatim reſpondens, ſimpliciter profeſſus eſt ſe dixiſſe. Ad hæc ille inquit: Indulgeat tibi Dominus, frater, non rectè feciſti. Scio igitur quia tibi in futuro judicio non reputabitur ad culpam; interim vade, communica, & da nobis oſculum; valefac omnibus, quia iturus es tamen, & domui tuæ ſub omni feſtinatione diſpone, & ſi deſideras remedium pœnitentiæ, percipe. Qui mox acceptâ pœnitentiâ, diſpoſitaque domo ſua, valefaciens cunctis, ſeqnenti nocte migravit è corpore.

CAPUT VIII.

Fidelis Epiſcopus viſione admonitus, bonis in pauperes diſtributis, migrat ad Dominum.

29. QUIDAM viro religioſo iterum intendere ad officium Eccleſiaſticum recurrenti quadam nocte dum in lectulo ſuo intempeſtæ noctis ſilentio ſopore depreſſus jaceret, viſum eſt, quòd ſignum ad matutinum dediſſet; qui ſtatim conſurgens omni feſtinatione, ad Eccleſiam, ne ei tempus ſacrificii præteriret, occurrit, curſuque rapidiſſimo properans, anhelabundus illuc pervenit: at ubi ingreſſus eſt Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ ſancta Hieruſalem nunc uſque vocatur, audivit voces miræ modulationis canentium, inſpicienſque ad chorum, vidit ſtantem multitudinem Sanctorum: qui nimio pavore concuſſus, atque in tremorem verſus, ſeſe in angulum Baſilicæ ſilenter contulit, atque tacitè contemplans, ſolicite auſcultans audivit conſueto ordine omne ab eis ejus officium eſſe completum: quo expleto, paullò adhuc ante gallorum cantum cum laudibus pervenerunt ad Eccleſiam S. MARIÆ ad Baſiliculam S. Joannis, in qua baptiſterium eſt, quæ nimiùm contigua antefatæ Baſilicæ, pariete tantùm interpoſito utraque uno tecti tegmine conteguntur, explicitiſque laudibus cœperunt ad invicem dicere: Ecce continuò hora eſt, ut ſignnm dari debeat; ob hoc priùs neceſſe eſt, nt id, pro quo deſtinati ſumus, ordinemus: cumque hoc dixiſſent, apparuerunt in conſpectu eorum Æthiopes tetri, nimiumque terribiles, quorum ſtatura videbatur eſſe gigantea, nigredo perquam teterrima, ita ut ex ipſo eorum toto intuitu, nimiùmque atro vultù, palàm cernenti daretur intelligi, ipſos procuidubio tartareos eſſe miniſtros; quique etiam romphæas acutiſſimas ſuis geſtabant in manibus. Quibus mox ſancti dixerunt: ſub omni celeritate pergentes ad atrium, ingredimini cellam, in qua ſanctus Fidelis Epiſcopus jacet, & percutite eum vulnere gravi in corpore, ut anima ejus quantocyùs egrediens è corporali catena, nobiſcum ad Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & ad præparatam ſibi poſſit pervenire coronam.

30. Qui illicò juſſui obtemperantes, ambulaverunt; ſed eum minimè percutientes reverſi ſunt, dicentes: in cellam ejus minimè ingredi poſſumus, quia non dormit, ſed in terra proſtratus jacet, & orat; inſuper tanto thymiamatis ſuaviſſimo odóre cella ipſa redolet, ut nitor tantæ fragrantiæ incenſi, qui ab eo oblatus eſt Domino, nos illuc penitùs intrare non ſinat. Quibus denuò præceperunt, dicentes: Ite, & percutite eum, quia juſſio Domini eſt adimplenda. Qui cùm fuiſſent, nec intrare potuiſſent, revertentes iterum dixerunt: Vacat oratio quando venit vocatio; ſed ite & implete præceptum Domini, quod ſemel datum eſt nequaquam tranſcendi poteſt. At ubi tertiò fuerunt, permittente Deo, ingreſſi ſunt, tam forti ſcilicet manu crudeli eum percuſſerunt, nt vocem, quam emiſit cum dolore gravi, ſimulque & gemitu, is, qui in Eccleſia ſtabat religioſus, clarè audivit. Facta verò diluculo, ad ſanctum Epiſcopum acceſſit, & cuncta quæ viderat, quæque etiam audierat, ei intimavit. Cui ille ait: Scio, fili mi, ſcio, & me nullo modo latet. Cumque hoc dixiſſet, & imminenti ægritudine artubus jam fatiſcentibus ſe totam diſſolvi repentè ſenſiſſet, ad Baſilicam ſanctiſſimæ Virginis Eulaliæ ſe deferri præcepit, ſua ibidem imprimis multis lachrymarum ſatisfactionibus deflevit delicta, deinde multis captivis & egenis multam largitus eſt ſtipem; ad ultimum redditis chirographis multorum debita relaxavit.

31. Sed dum omnibus reddidiſſet, cautio cujuſdam viduæ remanſerat, quæ necdnm fuerat reddita, quam ille exſpectaret ut ei redderet: ſed quemadmodum muliercula, præ turbæ denſitate, quà circumſeptus erat, ut accederet non habebat: quæ cùm per ſingulos dies veniret, & locum minimè reperiret, & nimiùm mœſtificata mente anxiaretur nihil agens, mœrore afflicta ad ſuum hoſpitium remearet; ei quadam nocte ſanctiſſimus Cyprianus & Laurentius in viſu aſtiterunt, dicentes: Nôſti quare locum non invenis? At illa reſpondit: Neſcio. Et dic inquiunt: Quare per reliquas Baſilicas fratrum noſtrorum cæterorum Martyrum frequenter concurris, ad nos verò venire contemnis? Quæ ſtatim ſurgens ad eorum Baſilicas concurrit, orationem cum lacrymis fudit, pro negligentia retroacti temporis veniam imploravit, atque inde ad Baſilicam S. Eulaliæ rediit, mira celeritate, locum reperit, chirographum ſuum abſque difficultate recepit, Deo & Sancto ejus miras gratias retulit, pro quo non ſolùm locum paratum invenire meruit ingrediendi, verùm etiam ita Sanctis Dei diſponentibus ge-

ſtum

ſtum eſt, ut quando ingreſſa eſt, ſanctus Epiſcopus cautionem ipſam manu propria tenens, præſtolaretur, cui reformare deberet; atque ita factum eſt, ut illo benignè reddente, atque illa cum gaudio, quæ diu deſideraverat recipiente, paulò pòſt vir ſanctus præcedentibus Sanctorum cœtibus, exſpectantibuſque angelicis choris, ad æthera regna tripudiando migraret, cœleſtibuſque phalangis conſertus, cum exultatione perpetua perpetim conglobari in ſidereis manſionibus, Jesu Domino percipiente, meruerit; corpuſculum verò ejus juxta corpus ſanctiſſimi prædeceſſoris ſui uno eodemque ſarcophago traditum, velut in uno lectulo, honorificè eſt tumulatum.

CAPUT IX.

Maſſona natione Gothus, nutritus in Eccleſia S. Eulaliæ, ſuccedit Fideli in Epiſcopatu, Xenodochium & monaſteria ædificat.

32. HUIC præfato almo viro ad ſupernam patriam tranſmigranti providentia divinæ pietatis ſubrogatur non impar omnium virtutum gloriæ vir orthodoxus, cui nomen erat Maſſona, ſcilicet beatus beato, & ſanctus ſancto, pius pio, bonus benigno, atque cunctis chariſmatibus refulgens. Rutilanti immenſis virtutibus ſacerdotali ordine Maſſona ſucceſſit Fideli: prædeceſſore ſuo nimirùm aſtrigeris civibus conſerto in cœlis ſucceſſoris manſit dulcedo, ejuſque inſigne meritum cunctorum civium mœrorem lenivit in terris, ut omnibus pro obitu ſancti Pontificis mœror non ſolùm diſcuteretur, verùm etiam inſtar priſcorum Patrum Eliæ quondam & Eliſei duplicatâ paracleti Spiritus gratiâ, palàm cunctis cernentibus S. Fidelis Antiſtitis in Maſſonam ſanctum Epiſcopum requieviſſe videretur, & plebs ſublevato paſtore, non uſquequaque tæderet afflicta languore, ſed geminato gaudio congauderet, divina tribuente miſeratione, dum & illum pro ſui ſalute præmiſit ad cœlos, & iſtum eximiæ virtutis virum ſuſcepit gratulanter in terris.

33. Denique ſanctus Maſſona Antiſtes nobili ortus in hoc ſæculo origine, ſed vitæ meritis extitit multò nobilior; genere quidem Gothus, ſed mente promptiſſima, erga Dominum perquàm devotus, atque viriliter Altiſſimi virtute præcinctus, moribus ſanctis ornatus, habituque magni decoris pulchrificatus, charitatis humilitatiſque ab ineunte ætata refulgenti ſtola circumamictus, baltheo Fidei firmiter circumcinctus, prudentiâ ſcilicet & juſtitiâ inſigniter circumſeptus, dilectione ſummi Dei & proximi mirificè decoratus (dilectus namque Deo & hominibus erat) & gloriâ mirabilis, amator fratrum, multùm orans pro populo, cujus nomen multis coruſcando miraculis per omnem terram pertranſivit.

34. Hujus itaque temporibus morborum peſtem, inediæque inopiam ab urbe Emeritenſi, & omni Luſitania ejus precibus Dominus procul abegit, meritiſque ſacroſanctæ Eulaliæ virginis longiùs pepulit, tantamque ſalutem, & omnium copiam deliciarum cuncto populo impertiri dignatus eſt, ut nullus unquam, quamvis inops, aliquid habere videretur, aut qualibet neceſſitate fatigaretur; ſed quemadmodum opulenti, ita & inopes, omnibus bonis abundarent, & quodammodo inſtar cœleſtis gaudii in terris tanti Pontificis merito congauderet, omnibus inerat gaudium, cunctiſque aderat pax, nulli aberat felicitas, in omnium corde florebat perfecta charitas, in omniũ ſenſu pollebat jucunda tranquillitas, ita nimirum, ut devicto antiquiſſimo hoſte, ac ſuperato veternoſo dracone, nemo mœrore conſternatus, nemo anguſtiâ afflictus, nemo quolibet terrore perculſus, vel quolibet zelo aut invidia tactus, callidi anguis virulentis ſtimulis quateretur; ſed perfecta charitate repleti cuncti, Deo admittente, pii patris gratiâ jucundantes, imperterriti, ſine metu, vel formidine omnium in Dei laudibus perſiſtebant conſtanter, non ſolùm autem in omnium fidelium arcanis ejus flagrabat immẽſa charitas, ſed etiam omnium Judæorum vel Gentilium mentes miro dulcedinis ſuæ affectu ad Chriſti gratiam pertrahebat.

35. Quantus igitur, qualiſque fuerit, inertia linguæ noſtræ ad ſingula explicare non valet; ſed quamvis maxima taceamus, extrema ſaltem è maximis memoremus. Denique ſupradictus vir priuſquam ordinaretur Epiſcopus, in Baſilica ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ fertur cum ſumma diligentia advixiſſe, & ibidem multis annis Deo irreprehenſibiliter deſerviiſſe. Poſtquam verò inſpirante Deo in hominum ore, oculis, & animo reſidens, ſublatus inde, conſtitutus eſt Epiſcopus; ſtatim in exordio Epiſcopatus ſui monaſteria multa fundavit, prædiis magnis locupletavit, Baſilicas plures miro opere conſtruxit, & multas ibidem Deo animas conſecravit: deinde xenodochium fabricavit, magniſque patrimoniis ditavit, conſtitutiſque miniſtris vel medicis, peregrinorum & ægrotantium uſibus deſervire præcepit, taleque præceptam dedit, ut cunctæ urbis ambitum medici indeſinenter percurrentes, quemcumque ſervum ſeu liberum, Chriſtianum ſeu Judæum, repeiſſent ægrotum, ulnis ſuis geſtantes, ad xenodochium deferrent, ſtraminibus quoque lectulis itidem præparatis eundem infirmum ibidem ſuperponentes, cibos delicatos & nitidos euſque præparantes, quouſque cum Deo ægroto ipſi ſalutem priſtinam reformarent; & quamlibet à prædiis xenodochium collatis multis deliciarum copia pararetur, abhuc viro ſancto parum eſſe videbatur; ſed his omnibus beneficiis adjiciens majora, præcepit medicis, ut ſagaci ſolicitudine gererent curam, ut de omnibus eximiis, ab univerſis ſanctuariis ex omni patrimonio Eccleſiæ in atrium illatis medietatem acciperent, & iiſdem infirmis deferrent: ſi quis enim de civibus urbis, aut ruſticis de ruralibus ad atrium ob neceſſitatem acceſſiſſet, liquorem olei, vini, vel mellis à diſpenſantibus popoſciſſet, & vas parvulum, in quo levaret, exhibuiſſet, & cùm vir ſanctus, ut erat ſemper obtutu gravis jucundi vultus, mox ipſum vaſculum confringi, & ut majus deferret, præcipiebat.

36. In

36. In eleemoſynis verò pauperum quantùm largus extiterit, ſoli Deo reſervatum eſt nôſſe; tamen & de hoc ipſo quandam particulam enarremus. Tanta illi cura erat pro omnium ærumnis miſerorum, ut ad Baſilicam ſanctiſſimæ Virginis Eulaliæ diacono, viro venerabili, Redempto nomine, qui præerat, duo millia ſolidos dederit, è quibus, mox ut aliquis urgente neceſſitate advenerit, facta cautione, quantos vellet abſque aliqua mora vel difficultate acciperet, ſuiſque anguſtiis conſuleret. Nec hoc ſilendum reor, quàm largifluus in muneribus extiterit, quippe qui alienæ rei abſtinentior, ſuæ largior, nec accipiendi, ſed dandi magnanimitate, præpollebat: avidior dandæ rei quàm appetendæ, potiorem dandi quàm accipiendi didicerat fortunam, multa largiebatur, nihilque auferebat, ſed ultrò cunctis concedebat, donabat multa, largiebatur plurima, ditabat univerſos beneficiis, & munificentiâ magnus habebatur, omnes ab illo augebantur, donis ac divitiis locupletabantur, & non tantum fratribus & amicis, quantum & ſervis ipſis Eccleſiæ ſe muneribus largum, ultra quàm credi poteſt, præbebat; ita nimirum temporibus ejus ditati ſunt, ut in die ſanctiſſimo Paſchæ cùm ad Eccleſiam procederet, plurimi pueri chlamydes holoſericas induẽtes coram eo, quaſi coram rege incederent, & quod his temporibus nullus poterat, nulluſque præſumebat, hujuſmodi indumentis amicti, ante eum debitum deferentes obſequium, pergerent.

37. Sed meritò ei ab omnipotenti Domino fuit tanti meriti donum collatum, cujus cor in tanta opulentia & gloria tranſitoriæ proſperitatis gaudio nunquam fuit turgidum nec inflammatum; nimirum humilis animus ejus ſupra ſolidam petram fundatus, immaculabilis conſcientiæ cogitatione ſincera, calliditatiſque ignara, in proſperis humilis, in adverſis exiſtebat fortiſſimus, nec proſperitate erigebatur, nec adverſitate frangebatur, nullo detrimento aut augmento conſtantia ejus mutabatur; conſtans erat in cunctis, & adverſus omnia promptiſſimè paratus, patiens nimiùm, & robore firmiſſimus, in cunctis adverſis conſtans, in omnibus anguſtiis imperterritus perſeverabat, vultum nec gaudio nec mœrore commutabat; unus vultus ſemper ejus, una hilaritate decoratus cunctis occurrebat; ſemper idem, cujus vultus nec umquam rerum varietate mutabatur; non illum cunctis inimica elatio virtutibus extulit, ſed in omnibus humilitatem ſinceram ſincerè conſecravit ſacratiſſimo cordis affectu; cumque talibus divino favore virtutibus polleret, fama bonorum opinione concreſcente affulſit; & opera luminis à vero lumine condonata, multis in regionibus coruſcavit.

CAPUT X.

Leovigildus Rex Wiſi-gotthorum Arianus ſtudet avertere Maſſonam Epiſcopum Emeritenſem à Fide Catholica.

38. UNDE accidit, ut hæc opinio ſæviſſimi atque crudeliſſimi Wiſi-gotthorum Leovigildi Regis penetraret auditum, & ſuæ invidiæ draco immaniſſimus, bonis operibus ſẽper æmulus, ſtimulis acrioribus irritatum, ejuſdem Principis animum virus vipereum ſatiaret, & poculum venenatum ejus in viſceribus transfunderet: cujus poculi lethalis hauſtu, protinus conſilio armatus, diabolica ſtimulante invidia, ſupradicto ſanctiſſimo viro legatis intercurrentibus iterum iterumque mandavit, ut relicta Fide Catholica ad Arianam hæreſim cum univerſitate plebis commiſſæ diverteret: cumque vir Deo dicatus conſtantiſſimè reſponderet, & bis terque regredientibus nunciis regi mandaret, nunquam ſe veram Fidem relinquere, quam ſemel agnoviſſet; ipſi nuper Ariano Regi exprobravit, ut debuit, ejuſque ad ſe perfidiam dignis increpationibus repulit.

39. Ad ſe itaque reverſis nunciis cœpit ſupradictus Rex diverſis ſuaſionibus, & præmiorum promiſſionibus ejus animum illicere, ſi fortè per quamcumque occaſionẽ poſſet ad ſuæ ſuperſtitionis voluntatem incurvare: ille verò ſuaſiones ejus callidas contempſit; dona & præmia veluti purgamenta repulit; Fidem Catholicam viriliter prorſus vindicavit; nec tamen contra perfidiam tacere maluit, ne tacendo forſitan conſentire videretur; ſed totis nixibus ejus veſaniæ repugnans, clangore veritatis perſonavit: cumque ſe ille cerneret caſſo labore dificere, raptus in furorem, cœpit eum multis pulſare terroribus, opinans minis poſſe concutere, quem blandimentis ſuperare nequiviſſet. Sed vir ſanctus nec terroribus frangitur, nec blandimentis ſuadetur; ſed forti congreſſione adverſus atrociſſimum tyrannum dimicans, pro defenſione juſtitiæ perſiſtebat invictus.

CAPUT XI.

Sunna Pſeudo-epiſcopus Emeritenſis Arianus diſputatione publica victus à Maſſona.

40. COMPERTO dehinc crudeliſſimus tyrannus, quòd nec minis, nec muneribus viri Dei animum à recta Fide ad ſui perfidiam apoſtatare poſſet; ut erat totus vas iræ, fomeſque vitiorum, ac frutex damnationis, cujus obſidebat pectus truculentior hæreſis, & captivum in ſua ditione tenebat calidiſſimus ſerpens, amara pro dulcibus, pro lenibus aſpera obtulit civibus, pro ſalute medicamenta mortifera; quendam ſcilicet virum, peſtiferum Arianæ hæreſeos pravitatem per omnia vindicantem, cui nomen erat Sunna, pro ſeditioſis ſimultatibus excitandis, & pro conturbatione ſancti viri, vel totius populi, in eadem civitate Epi-

Epiſcopum Arianæ partis inſtituit; virum denique pravi dogmatis fautorem, hominem funeſtum, vultu teterrimum, cujus erat frons torva, truces oculi, aſpectus odibilis, motus horrendus, eratque mente ſiniſter, moribus pravus, linguâ mordax, verbis obſcœnus, forinſecùs turgidus, intrinſecùs vacuus, extrorſus elatus, introrſus inanis, foris inflatus, interiùs cunctis virtutibus evacuatus; utrobique deformis, de bonis indignus, de peſſimis opulentus, delictis obnoxius, perpetuæ morti nimis ultroneus.

40. Hic jam ſupradictus perfidiæ auctor dum in urbem Emeritenſem adveniens, quaſdam Baſilicas cum omnibus earum privilegiis præcipiente Rege ſublatas, auſu temerario de poteſtate proprii Pontificis ſibimet aggrediens uſurparet, addictus prædonis funeſti arcioribus vinculis, ſatiatuſque de ejus lethalibus poculis, cœpit contra Dei famulum rabidos allatrare ſermones, & verbis ſtrepentibus comminantes ſpurciſſimas evomere voces. Sed ſervum Dei probatiſſimum, nec comminatio furciferi fregit, nec turbulenta ira peſtiferi mollivit, nec tempeſtas inſanientis perditi deflexit; ſed inſtar fortiſſimi muri immobilis contra omnes procellas pro ſanctæ Fidei defenſione permanſit: cumque toto adnixu Dei famulum, vel omnes fideles jam dictus infidelis exquiſitis martyriis exturbare vellet, nec poſſet; fretus favore regio, Baſilicam ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ paſſim aggredi nitebatur, ut eâ ſublatâ de proprii Epiſcopi poteſtate Arianæ hæreſi dedicaret; cui cùm ſanctus Maſſona Epiſcopus, vel univerſus cum eo populus acriter obſiſteret, ac vehementer oppugnaret, ſupradictus Pſeudo-Epiſcopus Sunna antefato Principi multa in accuſationem ſancti viri ſcripſit, eique ſuggeſſit, ut ipſa ſacra Baſilica, quam adire inhiaverat, à Catholicorum poteſtate ſublata, ditioni ſuæ regio Imperio traderetur; ad hæc illum talem fertur pronunciâſſe ſententiam: Ut reſidentibus in atrio Eccleſiæ judicibus utriuſque Epiſcopi ab eiſdem aſſumpti adeſſent, ipſiſque coràm poſitis utriuſque partis defenſione conflictu diſputationis altercarentur, alterniſque adverſum ſe congreſſionibus dimicantes, de ſacrarum Scripturarum voluminibus, quæque ab eis eſſent dicta, prolatis teſtimoniis aſtruerent, vel roboraret; & cujus pars triumphum bravii obtinerent, ipſe nihilominùs Eccleſiam Sanctæ Eulaliæ ſibimet vindicaret.

41. At ubi hujuſmodi decretum increſcente rumore in auribus almi viri Maſſonæ perſonuit, illicò Baſilicam Sanctæ Eulaliæ Virginis properus petiit, tribuſque diebus, totidemque noctibus in parſimoniis & fletibus perſeverans, ante altare, ſub quo venerabile corpuſculum ſacræ Martyris ſitum eſt, pavimento proſtratus incubuit; tertio demum die ad atrium, quod eſt fundatum intra mœnia ipſius urbis, repedavit; tantaque cum alacritate, & mentis conſtantia ingreſſus eſt, ut nulli fidelium ambiguum videretur, illum in ejus pergere adjutorium, qui dixit: *Nolite præcogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.* Cumque perveniſſet in urbem, ingreſſuſque atrium conſediſſet, vultus ſui jucunditate cunctorum fidelium mœſtitiam abſtulit, ac ne in aliquo de ejus victoria hæſitarent, admonuit; ipſumque nefandum Arianum Epiſcopum, ſimulque judices diutiſſimùm eſt præſtolatus; tandem Arianus Epiſcopus unà cum judicibus, ſeptus catervis populi, turgiduſque faſtu ſuperbiæ ingreſſus eſt.

42. Tum deinde reſidentibus Epiſcopis, reſederunt & judices; illi maximè, qui erant fautores Arianæ partis & impiiſſimi Regis: cumque reſediſſent, ſanctus Maſſona Epiſcopus, ut erat ſummæ gravitatis, ſummæque prudentiæ, diu multumque oculos cœlo intentos ſilentio tenuit; cumque ſileret, hæreticorum Sunna Epiſcopus priùs loqui exorſus eſt: cœpitque nefandi oris ſtrepentia, aſpera, ſcabra, & obſcœna ſummo cum fragore producere uerba: cui cùm vir Dei patienter, leniter, ſuaviterque reſponderet; atque ille contrà procacioribus verbis, utpote per os draconis, inſibilaret; cœperunt utrique inter ſe verborum ingens habere certamen: ſed nulla ratione potuit moles carnea ſapientiæ Dei ſanctoque Spiritui, qui per os ſervi ſui Maſſonæ Epiſcopi loquebatur, reſiſtere.

43. Quid multa? omni ratione convictus ſuperatuſque conticuit, ac pudore nimio coopertus erubuit, & non tantùm ille, quantùm mediatores perverſi, qui ejus partibus importunè nitebantur ferre adminiculum: & non ſolùm confuſi erubuerunt, verùm etiam audientes inæſtimabilis doctrinæ loquelam mellifluo ſermone de ejus ore procedentem, mente conſternati, atque in ſtupore nimio converſi, cum multa admiratione, quem expugnare antè venerant, collaudabant; nam tantam gratiam in ſuis labiis eo die Dominus conferre dignatus eſt, ut nunquam eum quiſquam viderit priùs tam claro eloquio facundum & licèt ſemper docuerit ore facundo, tunc tamen præ cæteris diebus eloquentior exſtitit, tunc enim viderunt recti, & lætati ſunt, & omnis iniquitas obturavit os ſuum: quoniam obſtruxit Dominus os loquentium iniqua.

44. Cuncti ergo fideles vehementer admirati ſunt, quia quamvis virum hunc antea noviſſent eloquentiſſimum, nuſquam tamen tam ſcholaſtico ſermone, tam nitido, tamque dulcifluo eloquio reminiſcebantur fuiſſe loquutum. Tunc protinus omnes orthodoxi, omneſque Catholici proſtratis ſuperatiſque hoſtibus in laudibus acclamaverunt, dicentes: *Quis ſimilis tui in diis Domine? quis ſimilis tibi? & non eſt ſecundum opera tua.* Deinde ad Baſilicam glorioſæ virginis Eulaliæ, unà cum victore Antiſtite Maſſona unanimiter perrexerunt: in Dei nimirum laudibus exultantes venerunt, immenſiſque fragoribus jubilantes ſacratiſſimum ejus templum introierunt, infinitas gratias Deo omnipotenti retulere; qui ſanctæ ſuæ Virginis precibus in ſublime erexerat famulos, & ad nihilum ſuos redegerat inimicos.

CAPUT XII.

Maſſona Toletum à Rege vocatur, recuſans dare tunicam S. Eulaliæ, in exſilium miſſus equum ferocem domat.

45. IGITUR ſupradictus hæreticus Sunna, quamlibet omni ratione & veritate fuerit convictus, pertinaciter in fidem priſtinam perduravit, nec poterat liberis greſſibus ad portum properare ſalutis, cujus cor lapideum inſtar Pharaonis, antiquus, permittente Deo, induraverat hoſtis. Poſt hæc ſuperatum ſe in omnibus videns, cœpit magis magiſque mente efferâ adversùs famulum Dei criminationes & objecta commercia callidis machinari diſpoſitionibus, atque contra militem Chriſti omni genere ſeptus telorum, ſeipſum potiùs expugnaturus advehi, ipſumque beatiſſimum virum Maſſonam Epiſcopum in auribus principis Leovigildi Ariani clam multis criminibus accuſare: nihil ſanè calliditas adverſantis prævaluit, nihil viro Dei calamitoſa nequitia nocuit, quem gratia Redemptoris ſpiritualibus armis armavit.

46. Tandem ſpiritus nequam compulit ſæpè nominatum Arianorum Regem, ut ſanctum virum à propria ſede moveret, ſuiſque obtutibus præſentare juberet: ocyuſque miniſtri compares criminis ejus, præceptionis dictum implentes, atque ad Emeritenſem urbem venientes, virum beatum ſub omni celeritate ad urbem Toletanam, in qua Rex erat, properare compellunt: hinc cùm ſubitò ſanctiſſimus vir, Maſſona Epiſcopus, è gremio raptus Eccleſiæ tolleretur, & indemnis quaſi reus ad exſilium duceretur; omnium civium Emeritenſium vox ejulatu magno cum intolerabilibus lacrymis perſtrepebat, tanti patroni abrogari ſibi remedia, immenſis gemitibus, immenſiſque ululatibus proclamabant, his nimirum vocibus clamitantes: Cur ovile tuum pie deſeris pater? cur gregem periturum relinquis? neque luporum nos in faucibus mittas, ne oves tuæ hactenus nectareis floribus refectæ, mortalibus dentibus à mordacibus lanientur lupis. Nimis procurante Pontifice, tunc ille motus tot fletibus, ut ſemper in Domino pietatis viſceribus influebat, lacrymâſſe perhibetur; deinde plurimis eos alloquens verbis, mira ſubtilitate conſolari dignatus eſt; poſt hæc valefaciens cunctis, comitante ſibi ſuffragio divino, profectus eſt tranquilla mente, conſtanti animo, hilari vultu, ut ſemper ſolitus erat:

47. Cùmque perveniſſet ad civitatem Toletanam, & atrociſſimi tyranni conſpectibus aſtitiſſet, plurimis eum Rex laceſſens conviciis, multiſque terroribus pulſans, ad hæreſin Arianam omni adnixu pravæ intentionis pertrahere cupiebat. Sed cùm vir Dei omnes ſibi illatas contumelias libenter toleraret, cœpit tamen adversùs ea quæ rabidus canis ublatrabat, cum omni manſuetudine incunctanter reſpondere, & omiſſis propriis contumeliis, pro injuriis Catholicæ Fidei condolens, ipſi tyranno audaciter reſiſtere: cujus conſtantiâ magis magiſque permotus inſaniſſimus Rex, multò magis cœpit rabidò ore rabidioribus adversùs Dei famulum infremere latratibus; deinde, ut tunicam ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ præſentaret, quam in Baſilicam Arianæ pravitatis ibidem in Toleto habere deberet, cœpit minis terroribuſque impellere.

48. Ad hæc vir Dei reſpondit: Compertum tibi eſt, quia cor meum ſordibus Arianæ ſuperſtitionis nunquam maculabo; tam perverſo dogmate mentem meam nunquam inquinabo, tunicam dominæ meę Eulaliæ ſacrilegis hæreticorum manibus polluendam, vel etiam ſummis digitis contrectandam nunquam tradam, nec à te reperta quocumque tempore poſſideri poteſt. Hæc profanus tyrannus audiens, in furorem inſaniæ verſus feſtinanter, celeriter ad Emeritenſem urbem miſit, qui ubique ipſam ſanctam tunicam ſolicitè requirerent, & tam in theſauro S. Eulaliæ, quàm in theſauro Eccleſiæ ſenioris, quæ vocatur ſancta Hieruſalem, ſagaciter ſcrutantes, eò uſque perquirerent, quouſque eam repertam ad eum deferrent; quò cùm veniſſent, & ubique ſtrenuè requiſiſſent, minimè repererunt, ac ſic vacui ad Regem ſuum redierunt. Quod cùm ei nunciarent, acriùs infrendere cum dentium ſtridore contra virum Dei diabolus cœpit; cumque ejus obtutibus ſiſteretur, ait ad eum: Dic ubi eſt quod requiro? aut ſi non dixeris, cognoſce, te graviùs afficiendum eſſe injuriis, & pòſt in regionem longinquam in exſilium proficiſci, ubi multis ærumnis affectus, omnibuſque neceſſitatibus intolerabiliter cruciatus, crudeli morte deficias.

49. Ad hęc vir Dei tale fertur dediſſe reſponſum: Exſilium mihi minaris: compertum tibi ſit, quia minas tuas non pertimeſco, exſilium nullatenus paveſco; & ideo obſecro te, ut ſi nôſti regionem aliquam, ubi Deus non eſt, ibi me exſilio tradi jubeas. Cui ille ait: Et in quo loco Deus non eſt * biotenate? & vir Dei reſpondit: Si nôſti quòd in omni loco Deus eſt, cur mihi exſilium minaris? nam ubicumque me duxeris, novi quia nunquam pietas Dei me derelinquet; ſed & hoc certum habeo, quia quantum tu in me crudeliùs fueris debacchatus, tantò magis me miſericordia ejus ſubſequetur, & conſolabitur clementia ejus. Ob cujus conſtantiam majori ſupplicio peſſimæ mentis ſuæ inſaniſſimus tyrannus interiùs afflictus, felle & amaritudine nimia permotus ad eum ait: Aut præſenta mihi ipſam tunicam, quam fraudulenter ſubripuiſti, aut ſi non præſentaveris, diverſis ſuppliciis faciam divaricari membra tua.

50. Cui miles Dei ita imperterritus reſpondit: Jam dixi tibi ſemel & iterum, quia minas tuas non formidabo, ſed ſi quid valet mens tua perverſa, ampliùs adversùs me excogitet; ego tamen nec te pertimeſco, nec metu territus, id quod requiris, præſentabo; ſed hoc ſcito, quia tunicam ipſam igne combuſſi, pulvereſque ex ea feci, & in liquorem aquæ permiſtos bibi; & tactu manus tuæ (contrectans ſtomachum dicebat) evidenter cognoſce, quia in pulveres redactam illam bibi, & ecce hic intus in ventre meo eſt, nunquam tibi illam reddidero. Hoc autem ideo dicebat, quia

nullo

nullo ſciente ſibi eam in ſtomacho plicatam infra ſua indumenta linteis involutam præcinxerat, & ita Deo ſolo conſcio geſtabat; nam ſic cæcavit Deus oculos ipſius Regis, & omnium aſſiſtentium, ut nullus intelligeret, quemadmodum vir Dei iſta proſequeretur.

51. Dum hæc, & his ſimilia loquerentur, & eſſet multa cœli ſerenitas, Majeſtas divina cœlitùs fragore magno repentè intonuit, ita ut tremebundus de throno ſuo Leovigildus Rex in terram cum pavore magno procideret. Tunc vir Dei cum exultatione magna ait: Si Rex es, ecce Regem, quem timeri oportet: nam non talis, qualis tu, eſt. Tunc deinde ſpiritus nequam extemplò noxialibus verbis os ſacrilegum tyranni conviciis ſemper armatum reſeravit; & iſtam protinus impietatis ſuæ ſententiam oblatravit: Maſſonam moribus noſtris ſemper contra nos infeſtum, & Fidei noſtræ inimicum, religioniſque contrarium, ocyùs à conſpectibus noſtris ſubtractum exſilio relegari jubemus.

52. Cumque hujuſcemodi inimicus impiiſſimus Rex malam ſanè ſententiam contra inſontem dediſſet, totius miniſtri compares criminis eum à conſpectibus ejus abſtraxerunt, equumque ferocem ei ad ſedendum præcipiente Rege paraverunt, qui eum ita præcipitaret, ut cadens fractis cervicibus crudeliter interiret; tantæ ſcilicet ferocitatis equus erat, quod nullus ſeſſor (pro eo quod jam multos per præceps corruere fecerat) aſcendere præſumebat: cumque viro Dei, ut in eo aſcenderet pararetur; Rex crudeliſſimus per feneſtram eminus palatii reſpiciens, exſpectabat, ut ei vir ſanctus de equo caſurus ingens ſpectaculum præberet; ſtatimque in nomine Domini edito vexillo Crucis ſanctiſſimus ſacerdos aſcendit equum ferocem, quem ei Dominus velut agnum manſuetiſſimum reddidit; cœpit namque cum omni manſuetudine & cautela itineris ſui pergere viam, qui paullò antè immenſo flatu, & fremitu inceſſanti, totius corporis motu, quaſi deſpiciendo alium ferre recuſabat. Cumque hoc miraculum omnes cernerent, obſtupeſcentes, valdè admirati ſunt, nam & ipſe Rex magna concuſſus eſt admiratione; ſed quid cæco prodeſſe poterat jubar ſplendidiſſimum ſolis, cujus arcana omni opere offuſcaverat ſæviſſimus hoſtis?

CAPUT XIII.

Nepopis Pſeudo-epiſcopus Arianus Emeritæ ſubſtitutus. Maſſona verò in monaſterio per triennium exſul miraculis claret.

53. IGITUR ſanctus vir Dei Antiſtes Maſſona tribus tantùm de ſuis comitantibus pueris ad locum deſtinatum pervenit, cum quibus eum mox homines punitori, qui à Rege miſſi fuerant, exſilio in monaſterio relegaverunt, cujus relegatio fuit ſumma ſublimitas, contumelia perſpicua ſanctitas, peregrinatio immenſa felicitas. Poſt hæc ſubrogatur ei pſeudo-ſacerdos Nepopis nomine, ac in locum viri Dei in Emeritenſem urbem ſubſtituitur; homo namque profanus, ſervus ſanè diaboli, angelus ſatanæ, prænuncius Antichriſti; & hic alienæ civitatis erat Epiſcopus; ſed quoniam vir Dei creſcebat virtutibus copioſis, è contrà ille fœdabatur actibus nefandis.

54. Cùm jam per annos tres, & eò ampliùs, beatam vitam beatus degeret vir Maſſona, multiſque ibi præpolleret virtutibus, omnia quæ ibidem ſuis uſibus, ſuorumque famulorum, habere poterat neceſſaria, pauperibus erogavit: cùmque penè nihil remanſiſſet, quod largiri deberet, quædam vidua paupercula, quæ multis obſita ærumnis ad eum ſtipem flagitans advenit; cum verò vir Dei, qui jam omnia in opus ſimile conſumpſerat, magnoperè inquireret quid ei impertiret, quia minimè reperiret; cœpit pueros, qui cum eo erant, depoſcere, ut ſi aliquis eorum aliquid haberet, ei fideliter præſentaret, quòd jam dictæ mulierculæ tribueret: è quibus unus nomine Sagatus, qui præerat cæteris, reſpondit dicens: Habeo quidem unum ſolidum, ſed ſi dedero, nihil omnino, unde nobis, vel beſtiunculæ noſtræ in poſtmodùm emamus, habebimus. Quem vir Domini ſine aliqua hæſitatione, ut integrum daret, nihilque ſibi ex eo reſervaret, præcepit; non ambigens ſibi Dominum affuturum, qui illi omnia bona protinus ſubminiſtraret: quòd cùm juſſioni ejus obtemperans mulieri ipſum ſolidum dediſſet; poſt puſillum prædictus Sagatus ad eandem mulierem cucurrit, eamque deprecatus eſt, ut quia non erat unde ſibi victum emeret, & de ipſo quod fœnerabatur, ſaltem vel unum tremiſſem redderet, unde ſuæ neceſſitati conſuleret: quem ſtatim unum abſque mœſtitia reddidit, duos verò ſecum jucunda mente portavit nec mora, & ecce ſubitò ante fores monaſterii reperti ſunt ducenti aſini onuſti ſtantes, qui miſſi cum alimoniis diverſis ad eundem virum à diverſis viris Catholicis fuerant.

55. Quod cùm viro Dei fuiſſet nunciatum, & ab his qui venerant, eſſet oblatum; omnipotenti Deo immenſas referens gratias, illicò præcepit accerſiri Sagatum; qui cùm veniſſet, ait ad eum vir Dei: Quantam dediſti mulieri eleemoſynam poſcenti? at ille reſpondit: Secundum imperium tuum, ſolidum quem habui integrum dedi; ſed quia urgebat neceſſitas, unum ab ea tremiſſem poſtea accepi. Et vir Domini dixit: Indulgeat tibi Dominus, frater, quia ambiguus exſtitiſti, & de miſeratione Domini deſperâſti; inſuper & in multos pauperes peccâſti; duos tremiſſes dediſti, ecce duo millia ſolidos & ducentos aſinos oneratos multis alimentis accepiſti; nam & ſi tertium tremiſſem non abſtuliſſes, proculdubiò trecentos aſinos onuſtos accepiſſes. Qui deinde gratias agens, atque gratiam benedictionis ſuæ pro gratiarum actione reddens, cunctos qui ei requiſierant, ſacris elogiis ſimul & epiſtolis ſimiliter refecit. ille verò confeſtim penè cuncta, quæ illi directa fuerant, pauperibus erogavit.

CAPUT XIV.

Leovigildus Rex percuſſus à S. Eulalia Maſſonam reſtituit Eccleſiæ Emeritenſi.

56. POST aliquot verò dies cùm in Baſilicam ipſius monaſterii gratiâ orationis intràſſet, ſubitò ſuper altare ejuſdem ſanctæ Baſilicæ ſacratiſſima virgo Eulalia in columbæ ſpecie nivei candoris apparuit, eumque blandè alloquens (utpote piiſſima domina) fideliſſimum dignata eſt conſolari ſervum, deinde ait ad eum: Ecce jam tempus eſt, ut ad tuam regrediens civitatem, priſtinum mihi debeas exhibere ſervitium; & hæc dicens alacri volatu ab oculis ſuis evanuit. Vir itaque Dei, licèt tantæ viſionis, tantæque conſolationis gratiâ exſultaret, flere nimium cœpit, quòd quietem paupertatis & peregrinationis ſuæ amittens, ad turbines & procellas mundiales reverteretur; non illi quippe ambiguum erat, id quod audierat confeſtim eſſe adimplendum; tunc deinde nulla intercurrente mora, præfata glorioſa Virgo injurias ſervi ſui ſeveriſſima vindicavit ultione.

57. Denique nocte quadam recubanti in ſtrato ſuo impio Leovigildo tyranno adſtitit, eique flagris diu multumque utraque latera verberavit, dicens: Redde mihi ſervum meum, nam ſi moram feceris, ſcito, te acrioribus ſuppliciis cruciandum: ita nimirùm flagellatus eſt miſer, ut expergefactus cum fletu magno cunctis ſibi aſſiſtentibus tot illatos oſtendit livores, & iccircò clamitans ſe fuiſſe flagellatum, quod ſanctiſſimo Epiſcopo injurias irrogâſſet; nam quis ei verbera intulerit, nomen, habitum, vultuſque venuſtatem ſigillatim pandit; & omnia magnis cum ejulatibus manifeſtiſſimè propalavit: illicò namque veritus ne graviori ſupplicio mulctaretur, ut erat in omnibus rebus ſimulator peſſimus, ac diſſimulator facillimus, pietate ſimulata præcepit, ut vir Dei, qui fruſtrà fuerat à civitate ſua remotus, rurſus ad ſuam accederet regendam Eccleſiam.

58. Qui dum ea quæ infanus Rex poſtulabat, minus annueret ſanctiſſimus vir Maſſona, ſeſeque permanſurum ubi relegatus fuerat, aſſereret; iterumque oblatis precibus popoſcit, ut ad ſuam dignaretur redire civitatem; pietas quippe ſummi Dei ſtatim ſinceratum pectus emollivit, ac benevolentia copioſa viam ſuo famulo aperuit, ut regrederetur. Cùm verò Deo jam opitulante regrederetur, precibus muneribuſque eum propitium crudeliſſimus Rex nitebatur efficere, quem dudum fraudis relegaverat damnatione; ille autem munera reſpuit, dona abnuit, facinus perpetratum animo clementi laxavit, & juxta ſententiam Domini, culpas debentium non retinuit, ſed dimiſit.

CAPUT XV.

Fugienti Nepoti Pſeudo-epiſcopo Maſſona res Eccleſiæ recuperat.

59. DEHINC cum maximo comitatu de loco quo relegatus fuerat ad Emeritenſem urbem reverſus eſt: cujus dum regreſſum Nepopis, qui eidem fuerat ſubrogatus, audiviſſet, terrore divino ſubitò exterritus, ad propriam urbem, in qua antea fuerat Epiſcopus, fugere nitebatur, priùs tamen quàm abiret, argentum copioſum, & ornamenta inſignia, & quæque meliora vidit in Emeritenſi Eccleſia, plauſtris plurimis oneratis per homines Emeritenſis Eccleſiæ clam nocturno tempore ad ſuam civitatem fraudulenter immiſit; ipſe videlicet Nepopis infeliciter ab omni clero vel populo pulſus ab Emerita ad civitatem ſuam feſtinus perrexit, ac ne eum vir Dei Maſſona in ſua Eccleſia inveniret, & eum omni ignominia pelleret, quantocyùs egredi feſtinavit. Cumque prior ipſe cum paucis ſociis fugeret, poſt ipſum cuncti ad eum pertinentes urbe ignominioſè egreſſi, diſperſi, conturbatique, ac per diverſa pallantes, ad propriam tendebant civitatem.

60. Cumque hæc agerentur, nutu Dei, meritiſque ſanctæ Eulaliæ contigit, eodem die ſubitò ſanctum Maſſonam cum infinita multitudine per viam egredi ad Emeritam civitatem, per quam plauſtra rebus ejus onuſta properabant; cui dum in ipſo itinere haud procul ab urbe obviâſſent, vir ſanctus ſciſcitari præcepit: Cujus eſſent homines vel plauſtra? at illi cognoſcentes proprium dominum, gaudio magno repleti reſponderunt: Servi tui ſumus, domine. Quos ille denuò, quid in plauſtris ferrent, interrogavit. Illi autem dixerunt: Res ſanctæ Eccleſiæ & tuas, quas hoſtilis prædo Nepopis prædavit, portavit, & ipſi infelices in captivitatem pergimus ſeparati à rebus & filiis, noſtriſque uxoribus, à patria, in qua nati ſumus, expulſi.

61. Quod cùm vir Domini audiviſſet, magno gaudio repletus ait: Gratias tibi, Domine Jeſu bone, refero, quia magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, qui tantam in omnibus pro tuis, licèt indignis, ſervis curam gerere dignatus es; & ut nos ab omnibus malis ereptos proſperè reduceres, & res tuas ditioni inimicorum minimè traderes. Et hæc dicens, cunctos ad civitatem ſuam revocare præcepit, ac ſic cum immenſo gaudio gaudentibus cunctis ad urbem pervenit: & ſicut quiſpiam ſitiens in ardore caumatis fluenta fontium concupiſcit, ſic ille ad Baſilicam Sanctæ Eulaliæ animo ferventi frequentique ſpiritu, adnitente Deo, pervenire meruit; cumque ibidem toto mentis affectu deſiderii ſui accumulâſſet effectum, exultans in Domino, exultantibus univerſis, urbem ingreſſus eſt. Ita nimirum Eccleſia Emeritenſis exultans cum ſumma jucunditate ſuum gubernatorem recepit: gaudebat enim, quòd reperiſſet ægrotus medelam, ſolatium quòd inveniſſet oppreſſus, alimentum quòd non deeſſet

egeno.

egeno. Quid multa? reddita ſunt à Domino Emeritenſi Eccleſiæ copioſa ſuffragia: nam calamitatum pennrias, & crebras peſtilentiæ clades, inſolenteſque totius orbis procellas ſancti viri præſentia, Domino miſerante, ſuſpendit, quos indubiè remoto paſtore cauſsâ ejus abſentiæ oppreſſit,

CAPUT XVI.

Leovigildo Regi in hæreſi mortuo, Reccaredus filius Catholicus ſucceſſit.

62. IGITUR cùm non præeſſet, ſed obeſſet, magis perderet, quàm regeret Leovildus Hiſpaniam; nec quippiam de flagitiis vel facinoribus remaneret, quod non proprium ſibi defenderet, deferens uſquequaque Deum; immo derelictus ipſe à Deo, regnum ſimul cum vita infeliciter perdidit, graviſſimoque morbo Dei judicio correptus, vitam fœdiſſimam amiſit, & mortem ſibi perpetuam acquiſivit, crudeliterque è corpore ejus anima reſoluta, perpetuis pœnis detenta perenniter erebi mancipata tartaris, non immeritò relegata tenetur, picibus arſura ſemper bullientibus undis.

63. Poſt cujus crudeliſſimam mortem venerabilis vir Reccaredus Princeps filius ejus, jure adminiſtrationem regni adeptus eſt, meritoque ad culmen ſibi debitum principatûs evectus eſt, præcipuis meritis legitimè ſolenniterque regale culmen, tribuente Deo, promeruit; vir denique orthodoxus, & per omnia Catholicus, qui non patrem perfidum, ſed Chriſtum Dominum ſequens, ab Arianæ hæreſeos pravitate converſus eſt, totamque Wiſi-gotthorum gentem mira prædicatione ad veram Fidem perduxit: erat enim religionis divinæ aſſertor, rectæ gloriæ prædicator & defenſor; omnimodis Catholicam Fidem, ſanctamque Trinitatem coæternam, & unius virtutis & ſubſtantiæ prædicans, atque in perſonarum proprietate diſtinguens, in natura unum Deum affirmans, Patrem ingenitum dicens, Filium ex Patre genitum adſtruens, Spiritum verò ſanctum ex utroque procedere credens: his videlicet virtutibus ornatus cœpit omnes, quos charos Deo ſentiebat, diligere, horrere omnino & exſecrari omnes, quos Deo cognoſcebat odibiles, atque hæreticorum nefandæ impietatis condemnare errorem. Quod dum inſtanter fieret, & multa Catholicæ Eccleſiæ favente Deo tranquillitas redderetur, & Arianæ calamitatis error ab omnibus penè mentibus diſcuteretur, & cunctis ſimultatibus pulſis urbs Emerita unà cum ſancto Maſſona Epiſcopo pro tantæ tranquillitatis gratia congauderet, & Domino indeſinentèr gratias referret; rurſus antiquus hoſtis invidiâ aſſuetâ incitatus, redIviva Dei famulo per ſuos miniſtros intulit prœlia.

CAPUT XVII.

Sunna Pſeudo-epiſcopi fraude cùm à Witterico Comite Maſſona gladio peteretur, miraculo liberatur.

64. SUNNA namque Gothicus Epiſcopus, cujus ſuprà memoriam fecimus, irritatus à diabolo, quoſdam Gotthos nobiles genere, opibuſque ditiſſimos, è quibus etiam nonnulli in quibuſdam civitatibus Comites à Rege fuerant conſtituti, conſilio diabolico perſuaſit, eoſque de Catholicorum agmine, ac gremio Catholicæ Eccleſiæ cum innumerabili multitudine populi ſeparavit, & contra famulum Dei Maſſonam Epiſcopum frandulenta conſilia, qualiter eum interficerent, commentavit.

65. Tunc deinde ad eum pueros ſuos miſit, & quaſi ex affectu charitatis ad domum ſuam pro eiſdem venire rogavit, ut ibidem virum Dei crudeliſſima morte perimeret. Qui cùm veniſſent, eique ſuggeſſiſſent, mox vir Dei ſpiritu Dei repletus, conſilium eorum intellexit, & ſtatim ait: Ego illic abire modò minimè poſſum, quia eſt quod pro utilitatibus Catholicæ Eccleſiæ diſponere debeam: at ſi me deſiderat videre, huc in atrium Eccleſiæ veniat, & quemadmodum vult, ita me videbit: ii verò qui miſſi fuerant, redeuntes, ea quæ audierant renunciaverunt. Cumque hæc audiviſſet, ſupradictos Comites, cum quibus ſanctum virum interficere diſponebant, ad domum ſuam protinus aſcivit, eiſque, ut ad atrium unà cum eo pergerent, dixit; ita tamen cum eis priùs definivit, ut dum atrium introirent, unum ex illis, cui Wittericus nomen erat, qui etiam pòſt Rex Gotthorum fuit, exempto gladio in beatiſſimum virum uno ictu transverberaret, ut ſecundo opus non eſſet: cùm autem hujuſmodi conſilio jam dictum Wittericum informâſſet; ad atrium ſancti Epiſcopi uno animo eademque ſententia omnes ſimul perrexerunt; qui cùm veniſſent, & illicò ingredi voluiſſent, prohibiri ſunt, & ut paulliſper pro foribus exſpectarent, admoniti ſunt, quoadusque ſanctus Maſſona ad Claudium virum clariſſimum, ducem Emeritenſis civitatis, mitteret, ut eo præſente ſe mutuis alterniſque cernerent aſpectibus: idem verò Claudius nobili genere ortus.

66. Romanis fuit parentibus progenitus, exiſtebat prorſus Fide Catholicus, & religionis vinculis fortiter adſtrictus, in prœliis ſtrenuus, in timore Dei valdè promptiſſimus, in bellica ſtudia eruditus, in cauſſis bellicis nihilominùs exercitatus. Cùmque eidem nunciatum fuiſſet, quia domus ejus valdè contigua erat atrio, mox cum ingenti multitudine perſpicaciter properans adfuit. Idemque cùm vir illuſtris Claudius atrium introiſſet, protinus & illi, qui ſuprà memorati ſunt, cum ingentibus catenis populi introierunt; ac deinde ſalutato viro ex more reſederunt; cumque diu multùmque reſidentes ad invicem loquerentur, idem jam dictus Wittericus juvenis fortiſſimus ſtans poſt ſcapulam egregii viri Clau-

dii

dii Ducis, utpote junior adhuc ætate, reddens obſequium ſeolori, immo nutritori ſuo, gladium, quo accinctus erat, toto niſu è vagina ſua educere maluit, ut ſanctum Maſſonam, ſimulque & Claudium (ſecundùm quod definitum fuerat) trucidaret; ſed nutu Dei ita gladius in vagina aſtrictus eſt, ut putaretur clavis ferreis cum ea fuiſſe confixum: cùmque diu multumque enſem educere voluiſſet, & omnino non valuiſſet, cœperunt auctores hujus pravi conſilii tacitè admirari cur Wittericus quod fuerat pollicitus minimè adimpleret, eumque ſubtiliter oculis intuentes magis magiſque hortabantur, ut tantum nefas & tam immane piaculum incunctanter patrare deberet, & prædictos viros gladio animadverti nullatenus formidaret; ad quorum itaque crudeliſſimam exhortationem iterum atque iterum ſpatham ſuam è vagina totis viribus educere voluit, ſed nunquam potuit; cumque hoc ſupradictus juvenis cerneret; ſenſit divino munere gladium fuiſſe adſtrictum, ut quem ſemper ſuis uſibus aptum habebat, tunc minimè educere potuiſſet, & hic in ſtuporem nimium converſus expallult; auctores verò hujus nefandi ſceleris, ut viderunt concinnationes ſui nequiſſimi conſilii divino judicio fuiſſe fruſtratas, illicò ſurrexerunt, ac valefacientes, ad domos ſuas cum amaritudine redierunt.

CAPUT XVIII.

Iterum Maſſona liberatur ab inſidiis Sunnæ ope Claudii Ducis Emeritenſis. Sunna pertinax & exſul moritur in Mauritania. Vacrila ſocius criminis fit mancipium Eccleſiæ.

67. ILLISQUE reverſis, Wittericus cum eis minimè abiit, ſed ſtatim tremebundus ad pedes viri ſanctiſſimi Maſſonæ Epiſcopi corruit, omnemque conſilium prodidit, & quemadmodum eum percutere voluerat, nec gladium educere valuerat, ſinceriter enarravit; poſt hæc cum lacrymis ait: Confiteor peccatum meum, quia tota intentione hoc malum perpetrare volui, ſed non me permiſit Deus. Et adjecit: Nam & aliud adversùs te diſpoſuerunt conſilium, ut quia dum in atrium modò non prævaluerunt, ſaltem in diem ſacratiſſimum Paſchæ prævaleant: hanc verò diſpoſitionem habent; ut cùm ex more Paſchæ Miſſam celebraveritis in Eccleſia ſeniore, poſt Miſſam (juxta quod mos eſt) ad Baſilicam Sanctæ Eulaliæ pſallendo cum omni populo Catholico proceſſeritis, homines eorum ad portam civitatis cum multis plauſtris onuſtis gladiis & vectibus, diſſimulata calliditate, quaſi frumenta deferant, ſtatuti ſunt, cumque vos inermes ſimpliciter proceſſeritis, omnis eorum repleta ſuper vos irruat multitudo, arreptiſque gladiis vel fuſtibus, omnes pariter viros ac mulieres, ſenes & parvulos, crudeli morte interimant. Ego verò infelix, qui me in tantum facinus miſcui, à te piiſſimo domino indulgentiam peto, & ut mihi tuis precibus veniam Dominus tribuat precor; omnia eorum, quæ novi, fideliter ſuggero, & puriſſimè manifeſto, & ecce in manibus veſtris ſum, facite in me quod bonum eſt, & rectum videtur in oculis veſtris; ac ne forſitan me tua ſanctitas fallacem aut illuſorem exiſtimet, non me permittas egredi, ſed in cuſtodia, quâ jubeas, trade, donec omnia ſtrenuè perquiras, aut certiſſimè cognoſcas, &, ſi me mentientem aliter repereris, nolo vivere.

68. Cùm hæc vir Domini Maſſona, qui ſemper virtute pietatis enituit, audiſſet, enm ut nihil omnino metueret, blandè admonuit; gratias omnipotenti Deo egit, qui ſervos ſuos de tantis periculis liberavit, ac deinde ad Claudium Ducem miſit, eique omnia intimavit: quòd cùm ille audiviſſet, præcepit, ut cauſſa paullulùm ſilentio tegeretur, ſi forſitan cognoſcentes proditum fuiſſe eorum conſilium, fugam arriperent: ſed dum ſagaciter inveſtigavit, manifeſtiſſimè reperit fuiſſe verum quod fuerat nunciatum: cumque ea quæ expoſuerant, Comites ſupradicti Ariani præbuiſſent, ex more in occurſum diſpoſita circumquaque multitudo in inſidiis, repentè ſuper eos Dux irruit Claudius, & alii ex eis capti ſunt, alii verò qui gladiis operari voluerunt, gladio ſtatim perierunt; tunc deinde ad domum Sunnanis Ariani Epiſcopi cum ingenti multitudine Dux Claudius perrexit, ipſumque hæreticum ſimiliter Epiſcopum nihil horum opinantem comprehendit, eumque ardué cuſtodiendum S. Maſſonæ Epiſcopo delegavit, ſimiliique modo univerſos collegas ejus cuſtodiæ mancipavit, Wittericum verò, qui nefandorum conſilium manifeſtavit, liberum abire præcepit. Omnia igitur, quę fuerāt geſta, orthodoxo Principi Reccaredo Claudius Dux intimavit, atque ut porrectâ confeſtim decreti ſententiâ ei pręciperet, quid de hoſtibus Domini JESU CHRISTI fieri deberet, ſuggeſſit.

69. Rex verò hujuſmodi ſuggeſtionem accipiens, talem dedit ſententiam: Ut cuncti omnibus patrimoniis vel honoribus privati, exſilio multis vinculis ferreis conſtricti legarentur; Sunnam verò Pſeudo-epiſcopum exhortarentur converti ad Fidem Catholicam: & ſi converteretur, tunc demum ei præciperet, ut pœnitentiam ageret, & ſatisfactione lacrymarum ſua delicta defleret, ut acta pœnitudine, cùm eum jam agnoſcerent perfectum eſſe Catholicum, eum poſtmodum in quacumque alia civitate ordinarent Epiſcopum. Cumque ei crebrò dicerent, ut pœnitentiam tantis pro piaculis ageret, & furorem Domini, quem delinquendo excitaverat, defleudo mitigaret. Quod agere noluit; ſed priſtinam non omittens tyrannidem, hæc reſpondit: Ego quid ſit pœnitentia ignoro, ob hoc compertum ſit vobis, quia pœnitentiam neſcio, & Catholicus nunquam ero; ſed eo ritu quo vixi, vivam, aut pro religione, in qua nunc ab ineunte ætate mea permanſi, libentiſſimè moriar.

70. Cujus dum mentem obſtinatam pertinacemque in malis cernerent; hunc protinus de finibus Hiſpaniæ, ne alios peſtifero morbo macularet, cum ſummo dedecore infeliciter pepulerunt; atque eum modicam ſupra naviculam ignominioſè impoſuerunt, eique comminantes præcepe-

cepe-

ceperunt, ut in quemcumque locum, vel regionem tranſmeare vellet, liberum haberet arbitrium: quocumque verò tempore in Hiſpania fuiſſet repertus, graviori ſe cognoſceret mulctandum ſententia. Tunc deinde navigans, Mauritaniæ regionis contigit litus, atque in eadem provincia aliquandiu commoratus, multos perfidiâ impii dogmatis maculavit, deinde protinus Averno mulctatus judicio, crudeli exitu vitam finivit.

71. Baſilicas verò, quibus S. Maſſona dudum injuſtè caruerat, juſtè cum omnibus privilegiis recipere meruit, & omne patrimonium ſupradicti hæretici, concedente clementiſſimo Principe Reccaredo, adeptus eſt: cæteros verò ſceleſtos (quos ſuprà memoravimus) juxta præceptum Regis exſilio relegârunt. è quibus unus vocitabatur Vacrila, de eorum manibus evadens, ad Baſilicam S. Eulaliæ ob remedium percipiendum confugit; quod dum Principi Reccaredo ſupradictus Claudius intimâſſet, hoc dixiſſe fertur: Inimicos ſummi Dei miror cum qua facie atria ejus ſancta ingredi præſumpſerit, ut quem hactenus inſaniendo fruſtrà perſecutus eſt, nunc ad eum cauſsâ percipiendi remedii confugium facit; ſed quia multæ miſerationis novimus eſſe Deum, & nullum deſpicere, quamvis delinquentem ad ſe convertentem ambigimus; ob hoc itaque decernimus, ut ipſe Vacrila cum uxore, filiis, & omni patrimonio ſuo perpetim ſanctiſſimæ virgini Eulaliæ deſerviat; nam & hoc præſenti decreto ſancimus, & ſicut ultimi pueri ante equum dominorum ſuorum abſque aliquo vehiculi juvamine ambulare ſoliti ſunt, ita ante caballum domini, qui præeſt cellæ ſanctæ Eulaliæ, ambulare debeat, & omne ſervitium, quod infimum conſueverat peragere mancipium, coram eo, depoſito cothurno vel faſtu, cum omni humilitate exhibeat.

72. Accepta igitur ſanctus Maſſona auctoritate, eum illicò de Baſilica egredi, ad ſuum conſpectum venire præcipit, ut ſemper viſceribus pietatis affluebat, eum blandè, ne aliquid jam deinceps formidaret, admonuit: ſed, ut juſſioni Principis obtemperaret, cauſsâ obedientiæ de Eccleſia S. Eulaliæ uſque ad atrium, quod eſt fundatum infra muros civitatis, ante caballum diaconi Redempti pergeret, ordinavit; arreptoque baculo ſupradicti diaconi, manibus geſtans ad atrium perveniſſet, ſtatim eum liberum abire permiſit cum uxore, & filiis, & omnibus prædiis ſuis, hoc ſolùm illi præcipiens, ut omnibus modis Catholicam Fidem integram immaculatamque cuſtodiret cunctis diebus vitæ ſuæ.

C A P U T XIX.

Narbonenſis tumultus Arianorum ab Epiſcopo Athaloco excitatur, compreſſus eſt operâ Reccaredi Regis.

73. EA igitur tempeſtate apud Galliarum eximiam urbem Narbonam hujuſcemodi contra Fidem Catholicam diabolus excitavit ſeditionem, cujus cauſſæ ſeriem enarrare perquàm longum eſt, nam ſi hoc per ordinem perſequi voluerimus, tragœdiam magis quàm hiſtoriam texere videbimur: ſed breviter ſummatimque exiguam particulam enarremus. Duo denique Comites, inclyti licèt opibus, & nobiles genere, profani tamen mentibus, & ignobiles moribus, Graniſta videlicet & Wildigernus, cum Ariano Epiſcopo nomine Athaloco, vel alii plures compares errorum ſuorum, graviorem in eandem regionem fecerunt turbationem; nam reſultantes adversùs Fidem Catholicam, infinitam multitudinem Francorum in Galliis introduxerunt, quatenus vi pravitatem Arianæ partis vindicarent; & ſi fieri potuiſſet, regnum viro Catholico Reccaredo præriperent; interim per idem tempus innumerabilem clericorum, religioſorum, & omnium Catholicorum interficientes multitudinem, immenſam fecerunt ſtragem, quorum ſcilicet Salvator noſter Jesus CHRISTUS animas obrizo puriores, omnique lapide pretioſo pretioſiores, velut holocauſtomata ſuſcipiens, catervis Martyrum in cœleſti ſacrario collocavit.

74. Poſt hæc igitur nulla mora interveniente, ſublimis atque omnipotens Deus hoſtibus ſuis ſuperno brachio repugnans, precibus excellentiſſimi Reccaredi Principis ſanguinem innocuum ulciſcens, romphæali judicio protinus de inimicis mirificam fecit ultionem: denique proſtratis conſternatiſque univerſis Fidei Catholicæ inimicis, ſanctus Maſſona Epiſcopus cum omni plebe ſua pſalmodiæ canticum exorſus, myſticas laudes Domino cecinit, ad aulam almæ virginis Eulaliæ omni cum plebe laudantes hymniſanteſque venerunt; ac deinde Paſchalem ſolennitatem omnes cum eo cives jucundiſſimè celebrantes, more priſcorum per plateas fragore magno jubilantes, in gloriam Domini clamaverunt, dicentes: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.* Et iterum: *Dextera tua, Domine glorificata eſt, in virtute dextera manus tua confregit inimicos: & præ multitudine majeſtatis tuæ contriviſti adverſarios.* Poſt hæc remotis ab omni parte tempeſtatibus, copioſam Dominus populo Catholico largiri dignatus eſt pacem.

C A P U T XX.

Maſſona valdè ſenex factis eleemoſynis moritur, Eleutherio archidiacono ex prædictione viri ſancti præmortuo.

75. SANCTUS itaque Maſſona dum multis curriculis annorum adminiculante divino ſuffragio Emeritenſem regeret Eccleſiam, feſſuſque jam nimia ſenectute, in febrim correptus eſt, cœpitque viribus totius corporis repentè deſtitui: tunc deinde convocans archidiaconum ſuum nomine Eleutherium, ait illi: Cognoſce, fili, quòd tempus meæ reſolutionis inſtat: & ideo obſecro te atque admoneo, ut jam modò ita curam ſanctæ Eccleſiæ, totiuſque ſanctæ Congregationis ſollicitè geras, ut me in omnibus ſecurum reddas, & mihi liceat

in

in loco ſecreto mœroris animi mea, priuſquàm abeam, defleam delicta. His auditis jam dictus archidiaconus, ejus non infirmitati & ſenectuti compaſſus eſt, non ſe deſolari tanti patris ſolatio doluit; ſed potiùs per ejus obitum gaudio magno gaviſus eſt, cor ſuum lætitiâ tranſitoriæ poteſtatis inflavit; ita nimirum ut cum magno comitatu puerorum ſuperbus equo vehente huc illucque properaret.

76. Pòſt aliquantis autem diebus accidit, ut ſanctus Maſſona Epiſcopus puerulis, qui ei fidele exhibebant ſervitium, libertatis chartulas conſcriberet, & per confirmandas eorum libertates aliquam particolam pecuniolæ tribueret, aut certè exiguas poſſeſſiunculas conferret. At ubi archidiacono jam dicto nunciatum eſt, illicò atrium petiit, quemadmodum ſanctus Epiſcopus haberet, ſciſcitavit; cui cùm dictum eſt, quia invaleſcente languore morti jam jamque propinquaret, ſtatim ſupradictos puerulos accerſivit, & quid illis fuiſſet veraciter à ſancto Epiſcopo illatum, requiſivit; cui cùm illi veraciter dixiſſent, excitatus in furia cœpit eis minans turbulenter prætendere terrores, & dicere: Videte quod accepiſtis, bene conſervate, nam ſi omnia mihi intemarata, cùm requiſiero, non præſentaveritis, ſcitote, vos graviſſimis ſuppliciis fore excruciandos. & his dictis cum furore ad domum ſuam reverſus eſt.

77. Tunc deinde ſupradicti pueri cellam in qua ſanctiſſimus vir Maſſona Epiſcopus æger in lectulo recubabat, ingreſſi, amariſſimè coram eo flere cœperunt, dicentes: Miſericordiam in nos indignos pro tua pietate feciſti, quod utique melius nobis convenerat ſi non feciſſes, ecce adhuc tu vivis, & tantas nobis minas prætendunt, te defuncto quis è nobis de eorum manibus queat liberare? Hæc & his ſimilia multa coram eo lacrymabiliter affati ſunt. At ille his auditis non facilè credidit, ſed priùs, ut ſuæ gravitati condecebat, utrùm verum, an falſum eſſet, quod dicebatur, ſagaciter exquiſivit: cùm autem comperiſſet verum eſſe quod audierat, lacrymatus eſt, ſtatimque in cellulam levari, & ad Baſilicam S. Eulaliæ virginis (cui ſemper devota mente ſervierat) deferri præcepit: cumque ibidem ſanctiſſimus ſenex perveniſſet, coram altari ſacro manus expandens, ſimulque venerabiles oculos cum lacrymis ad cœlum ſuſtollens, cum magno gemitu ſeſe in terram proſtravit, & preces ſuas diu multumque in conſpectum Domini fudit; completa verò oratione clarâ voce cunctis audientibus ait: Gratias tibi refero, Domine, quoniam exaudiſti me, benedictus in ſecula ſeculorum; quia non amoviſti deprecationem meam, & miſericordiam tuam à me.

78. Et his dictis, ad Epiſcopum rediit, ita nimirum redditus priſtino robori, ut putares hunc non ægrum, non ſenem, ſed redivivum ſumpſiſſe vigorem, juvenemque eſſe robuſtiſſimum; qui cùm ex more ad veſpertinum officium vellet procedere, mirum in modum gaudentibus cunctis; archidiaconus hæc audiens reatu ſuo oppreſſus obſtupuit, quòd audiebat ad Veſperam proceſſurum, quem putabat eodem die moriturum, confuſione, & pudore faciei opertus, ſecundùm conſuetudinem cum omni clero venit, coram Epiſcopo aſtitit, eique more incenſum obtulit, cui vir Domini ait: Præcedes me. Illi verò ignorantes cauſſam reſponderunt: Non pro alio tibi dictum eſt, niſi quia eum præcedes ad Eccleſiam: cumque veſpertinum cœpiſſet implere officium, ſtatim ſupradictus archidiaconus graviſſimo dolore ibidem in choro pſallentium percuſſus eſt, ad domumque ſuam cum gravi ægritudine remeavit; quòd dum genitrix ejus ſanctiſſima fœmina agnoviſſet, illicò ad venerabilem virum rapidiſſimo curſu properavit, eumque deprecari cum lacrymis & fletu magno cœpit, ut pro filio ejus oraret ad Dominum. Ad hæc ille tantùm reſpondit: Quod oravi, oravi: ex hinc die tertia archidiaconus obiit. Sanctus verò Maſſona Epiſcopus plurimis, quibus ſuperſtes fuit diebus, multam eleemoſynam egenis impertivit, ac fidelibus famulis majora ſuæ gratiæ beneficia conferens, largiora ſtipendia munerum tribuere eſt dignatus; deinde ſenex nimiùm ætate decrepitus, dierumque multorum, ultimum inter verba orationis cum pace efflavit ſpiritum.

CAPUT XXI.

Poſt Maſſonam Innocentius Diaconus fit Epiſcopus Emeritenſis, & poſt illum Renovatus: uterque clarus miraculis.

79. POST diſceſſum namque ſupradicti ſanctiſſimi ac venerabilis Maſſonæ Epiſcopi ſubrogatur vir ſummæ humilitatis ac ſimplicitatis Innocentius nomine, cujus meritum nominis indicavit vocabulum, innocens utique & ſimplex, neminem judicans, neminem condemnans, nemini nocens, innocuus ſemper & pius cunctæ ſuæ vitæ temporibus extitit: qui & eodem tempore quo ordinatus eſt (ut fertur) in ordine diaconorum ultimus habebatur. Tantæ denique ſanctitatis, tantæ compunctionis fuiſſe perhibetur, ut quoties pluvia deerat, & æſtu nimio terra longa ſiccitate exarebat, collecti in unum cives loci illius cum eodem per Baſilicas Sanctorum precibus Dominum exorantes pergebant; repentè verò, quoties cum eo procedebant, pluvia cœlitus largiflua tribuebatur, quæ pleniſſimè terram ſatiare potuiſſet; unde non dubium erat, quòd ejus lacrymæ ex tam humili ſimplicique mente editæ apud omnipotentem Dominum, non ſolùm hæc, verùm etiam potiora iis obtinere potuiſſent.

80. Quo etiam defuncto, Renovatus ſacerdotii culmen cunctis virtutibus decoratus non immeritò promeruit: vir denique natione Gothus, generoſo ſtemmate procreatus, familiæ ſplendore conſpicuus; erat enim procerus corpore, formâ perſpicuus, ſtaturâ decorus, obtutu gratus, venuſto vultu, decora facie, nimiumque admirabilis aſpectu: ſed quamvis extrorſus habitus ſui gloriâ eſſet decoratus, introrſus pulchrior habebatur, lumine ſancti Spiritus illuſtratus, multis nimirum artium diſciplinis exiſtebat eruditus, mul-

multiſque virtutum variis generibus: erat enim egregius in omnibus operibus ſuis, æquiſſimus, juſtiſſimus, nimiumque acris ingenii, & in omnibus diſciplinis Eccleſiaſticis vehementer inſtructus, atque in divinis voluminibus perquàm exercitatus. Hic dum multis virtutibus coruſcaret, ſacrâ doctrinâ nonnullos diſcipulos erudiens, ſanctiſſimoque exemplo vitæ ſuæ inſtituens, prudentiâ videlicet, ſanctitate, patientiâ, manſuetudine, miſericordiâ, plurimos tales, qualis exſtitit, lumina juſtitiæ, ſequendique dogmatis prædicatione effecit; cujus doctrinâ hactenus rutilat ac reſulget Eccleſia in ſole & luna. Dein, cùm per plurimos annos irreprehenſibiliter rexiſſet Eccleſiam, angelicis cœtibus copulaturus, omnibuſque cœleſtibus partium ſupernarum legionibus conjuncturus, mirabiliter artubus reſolutis è corpore egrediens, ſuperni regni aulam cum Chriſto ſemper manſurus, & ſine fine regnaturus introire meruit.

81. Horum igitur ſupradictorum Sanctorum corpora in una eademque cellula haud procul ab altari ſanctiſſimæ virginis Eulaliæ honorificè tumulata quieſcunt: ad quorum denique veneranda ſepulcra tantam Chriſtus quotidie confert copioſe charitatis gratiam, ut quacumque fuerit quiſpiam ægritudine convexatus, quocumque fuerit etiam languore afflictus; ſtatim ut divinum numen illicò toto corde depopoſcerit, omnes à ſe morbo diſcuſſos, omneſque maculas pulſas divinitus ſentiens, hilaris ſanuſque ad cupitam per Dei gratiam pervenit ſanitatem. Quantitatem ſcilicet miraculorum obituumque ſimul, impeditus, ut potuit, ſermo, Chriſti militum enarravit, qui quamlibet ex colore nimio peritis imperitè diſpliceat, omiſsâ pompâ verborum, humiliter ſentientes credenteſque nobilitat, & quoddam emolumentum bonæ mercedis legentibus audientibuſque accumulat. Ego autem humiliſſimus omnium à faſtidioſis lectoribus precor, ut legant priùs hujus codicis opuſcula, & poſtea deſpiciant; ne videantur non ex judicio, ſed ex odio præſumere, & ignorata damnare; illud tamen manifeſtiſſimè cognoſcant, me amore Chriſti, & dilectione ſanctiſſimæ Eulaliæ impulſum ut ſcriberem, manifeſta retuliſſe, vera proculdubio veraciter expoſuiſſe. Uni in Trinitate Domino ſemper manenti regnantique perenniter gloria, honor, fortitudo, gratiarum actio, virtus, poteſtas, & benedictio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

CARDINALIS DE AGUIRRE LECTORI.

82. *QUO tempore habitum fuit Concilium Emeritenſe, anno nimirum Chriſti DCLXVI. florebat inſigni ſanctitatis famâ S. Ildephonſus Præſul Toletanus, præſertim poſt celeberrimam deſcenſionem Deiparæ ad ipſum, & apparitionem S. Leocadiæ, ubique notam. Videtur enim utraque contigiſſe anno ipſo, qui fuit penultimus vitæ ejuſdem, aut proximè præcedenti: quo ſanctiſſimus ille Præſul iis favoribus adeò miris & inſolitis exaltatus à Deo, jam non veluti mortalis homo cenſebatur, ſed tanquam unus ex præcipuis cœlitibus. Quamvis verò ſuprà poſt Concilium Toletanum VIII. paginâ 568. & ſeqq. exhibuerimus Vitam ipſius, prout edita fuit à Michaële Carranza ann. MDLVI. eamq; ſcripſerit inclinante ſæculo octavo Cixilla Archiepiſcopus Toletanus, qualis exſtat apud Bollandum in Actis SS. die 23. Januarii; viſum hoc loco recudere inſigne aliud teſtimonium ſcriptoris antiquioris, qui videtur adhuc vicinior fuiſſe tempori S. Ildephonſi, quàm Cixilla prædictus. Is eſt Julianus Pomerius, longè poſterior illo alio ejuſdem agnominis, qui floruit Arelate in Gallia circa annum Chriſti CDXCVI. dictus ſpeciatim DIACONUS. Non eſt idem cum S. Juliano Præſule Toletano, qui mortuo Ildephonſo, & tredecim annis poſt illius obitum decedente Quirico Archiepiſcopo Toletano, in hujus locum ſuffectus fuit, quamvis & hic Pomerius appellatus fuiſſe dicatur. Sive autem idem cum illo fuerit, ut videtur cenſere Labbeus in Diſſertatione* De Scriptoribus, *ſive alius ab eo, ut ſatis indicat Cardinalis Bellarminus, qui tres Julianos Pomerios enumerat; id certum apparet, Julianum Diaconum Toletanum, ſequentis monumenti auctorem, fuiſſe valdè vicinum tempori S. Ildephonſi, & fortè illum de facie noviſſe, aut ſaltem alios nonnullos, qui cum eo verſati ſunt: veluti Evantium & Urbanum. Viſum itaque hoc loco teſtimonium Juliani Pomerii Diaconi, ſive ejuſdem cum S. Juliano Præſule Toletano, ſive diverſi ab eo, repræſentare hoc loco, prout illud primus è Mss. edidit Franciſcus Fevardentius inſignis Theologus Pariſienſis, & nuper Aniſſonii in Bibliotheca Maxima VV. Patrum Tomo XII. pag. 548.*

PRÆFATIO

JULIANI POMERII TOLETANÆ SEDIS DIACONI

In librum Ildephonſi ejuſdem Sedis Archiepiſcopi, De laude intemeratæ ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ei viſibiliter in die Aſſumptionis ſuæ apparuit, veſtimentumque ei dedit.

Hîc Julianus Pomerius Diaconus Toletanus, longè diverſus fuit à S. Juliano Epiſcopo Toletano, auctore librorum contra Judæos, & Prognoſtici; nam iſte Julianus Diaconus meminit in hac Præfatione Siſiberti Epiſcopi Toletani, qui jam defuncto Juliano ejuſdem Sedis Antiſtite illi Eccleſiæ præfuit. Vide Annales Eccleſiaſt. *To. VIII. anno DCLXXXVI.*

cap. 15.

83. ECCE dapes mellifluæ illius domini Ildephonſi, quas de Paradiſo Dei rapiens, & per totam Heſperiam diſpergens, inediam noſtram ingenti ſatiavit eloquio, non impar meritis ſanctiſſimi illius domini Iſidori, de cujus fonte adhuc clientulus puriſſimos latices bibit. Nam directus à ſancto ac venerabili Papa Eugenio Toletanæ Sedis Metropolitano Epiſcopo ad ſupradictum Doctorem Hiſpalenſem Metropolitanum Epiſcopum, cùm ſibi jam ſciolus videbatur, adeò ab eo tentus elimatus eſt, & ut ferunt, tempore aliquo ferro conſtrictus, ut ſi quid ſcientiæ deerat, pleniùs inſtructus, ad pædagogum ſuum dominum Eugenium remeans, non poſt multos dies adhuc diaconi officium peragens, in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, quæ ſita eſt in ſuburbio Toletano, Abbas præficeretur. Ubi ſtatim in officio clarens, duas Miſſas in laudem ipſorum divorum, quas in feſtivitate ipſorum pſallerent, miro modulationis modo perfecit: quas Miſſas notatas habemus.

84. Deinde poſt multum tempus, decedente domino Eugenio, in Sede ſua Epiſcopus præficitur. Cujus ſtatim virtus enucleata lucens in Sede Romulea effulſit: & veluti facula ardens, omnem ſuam Hiſpaniam perluſtravit: cujus doctrina uſque hodie fulget ut Sol & Luna: cujus memoria in benedictionibus odoris & compoſitione incenſi habetur. Qui ab ipſis cunabulis, & in abeunti ætate eunuchus permanens, magnum in ſe habitaculum Domino præparavit: qui non manubrio materiali manûs, ſed divino ſecatus eſt gladio: nec ingenio ferramentorum reſecavit libidinem, ſed munere cœleſti promeruit ſanctitatem.

85. Qui ſubito dono ſuperno afflatus, tantis talibuſque prædeceſſoribus ſuis æqualiter clarens, quod illis clauſum fuerat, iſti reſeratum eſt. Sic enim habitator ſuus Spiritus ſanctus egit, ut quod iſte celabat intus, ille patefaceret foris: & utrobique adoperatus adjutor fortiſſimus occurreret, ut iſti ordinaret quod in laudes virginum panderet: illis revelaret quod aliquid mirum in athletam oſtenderet, unum fidei ejus meritum coram hominibus declararet, & laborantem in agone ſpirituali donariis ſuis non evacuaret. Sic enim agit, ut quod per tot annos populis deſiderantibus necdum fuerat oſtenſum, illis iſte patefaceret primùm: & reliquias ſanctæ ac Deo dicatæ virginis Leocadiæ, adveniente Rege in ſede regia ſepulchrum ejus genibus provolutus, tumulum in quo ejus ſanctiſſimum corpuſculum uſque hodie humatum eſt, ut exiliret, & operculum quod vix triginta juvenes movere poſſunt, non humanis manibus, ſed angelicis elevatum: velum quod ſanctæ Martyris membra tegebat, conſurrexit, tanquam illud ipſa vivens foras ſubmitteret, & veluti manibus hominum extenſum, elevaretur, atque conſpectui ejus virgo pulcherrima obſequens adventaret, clamantibus Epiſcopis, Principibus, Presbyteris, diaconibus cleri, atque omni populo: Deo gratias in cœlo, Deo gratias in terra, nemine tacente.

86. Ipſa verò manibus ſtatim complexans ut aſtringens, talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo, & clamans: Deo gratias, vivit domina mea, per ' Ildephonſi. Et ipſum repetens clerus vehementer pſallebat Alleluja, & canticum quod ipſe dominus Ildephonſus graviter fecerat: *Specioſa facta es alleluja.* & alia quæ in ipſa Miſſa, quæ ſubter eſt annotata, in laude ejus depromſerat. Clamabat inter voces populi velut mugiens, ut aliquod inciſorium deferrent, unde quod manibus tenebat præcideret: & nemo illi accurrebat, & populus vaſtis vocibus rictibuſque frendebat. Nam & ſancta virgo quod voluntate ſubmiſerat, violenter retrahebat.

87 Sed

87. Sed & Princeps quondam Rèccesvinthus, qui eo tempore erat, gloria & felicitate terrena depoſita, qui eum ob iniquitates ſuas increpitus ſuperbo oculo intuebatur, cultrum modicum, quem in theca tenebat, cum lacrymis offerebat: & collo ſubmiſſo ſupplices manus à throno ſuo extendens, ut eum illi deferrent inſtanter deprecabatur: poſtulans ut indignum non judicaret ſua cum lacrymis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu læva jam modicum tenebat, dextrâ præcidit: & cultrum ipſum unà cum eiſdem reliquiis tectis argenteis collocavit, indignum judicans, ut qui ſancta præciderat, polluta ultrà tangeret. Requirentis manus quantum valebat vicario jure præcipit impendi.

88. His peractis, quia longum eſt iſta omnia enucleare, cuncta quæ uſui pertinebant ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, in Dei laudibus uſquequaque completa ſunt. His excuſſis alia adhuc miracula Spiritus ſanctus per eum in ipſo Dominico adventu, non poſt multos dies peregit. Sed quia omnia longa ſunt recenſere, quæ ejus temporibus in Toletana urbe dominus Urbanus, & dominus Evantius per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur: quia qui hoc mecum audierunt, cùm hoc legerint, dolebunt prætermiſiſſe me tam multa & magna quæcumque mecum ſciunt. Superveniente verò die Aſſumptionis ſanctæ & ſemper Virginis Mariæ, ante tres dies tribus diebus litanias peregit, & Miſſam quæ in illius laudem decantaretur, perfecit, quæ eſt ſeptima.

89. At ubi ventum eſt ad ejus ſolennitatem, ſupradictus Rex minus de timore Dei ſolicitus, & de ſuis iniquitatibus malè conſcius, ad audienda ſolennia regali de more acceſſit. Nam rebus Dei Ildephonſus majori adhuc munere fretus, dum dominæ ſuæ ſolennia, cui Deo præſule ſerviebat, ovans ſuſciperet, & in laude Genitricis Dei, hoc quod ſuprà prænotavimus, ſummo cordis affectu harmonica modulatione compoſita carmina appararet, & libellum virginitatis, more ſynonymiæ, teſtimoniis Veteris ac Novi Teſtamenti plenum comptè ederet, & digna facundia ac magnificentia jam præfatæ dominæ ſuæ exornaret, dum ante horas matutinas ſolito more ad obſequia Deo peragenda conſurgeret, ut vigilias ſuas Domino conſecraret; diacono, vel ſubdiacono, atque clero ante eum cum vaſculis præcedentibus, ſubitò oſtia aperientes, & Eccleſiam intuentes, atque ſplendori cœleſti aciem defigentes, lumen quod ferre non valuerunt, cum tremore effugientes; lampadas, quas manibus tenebant, reliquerunt, & ſua veſtigia, per quæ venerant, adeuntes, prope mortui reverſi ſunt ad ſodales.

90. Solicitè omnis congregatio requirens, quid de Dei ſervo ageretur, cum angelicis choris viderunt, quod tam ſubitò expaverunt cuſtodes, ut & terga ab oſtio Eccleſiæ dantes, revertebantur ad proprias ſedes. At ille bene ſibi conſcius, ante altare ſanctæ Virginis procidens, reperit cathedrâ ipſam dominam ſedentem, ubi ſolitus erat Epiſcopus reſidere, & populum ſalutare: (quam cathedram nullus Epiſcopus adire tentavit poſtea, niſi dominus Siſibertus, qui ſtatim ipſam perdens exſilio relegatus eſt) & elevatis oculis aſpexit in circuitu ejus, & vidit omnem abſidem Eccleſiæ repletam virginum turmis, de Canticis David modulata ſuavitate aliquid decantantibus. Aſpiciensque in eam, ut ipſe ſibi conſcius bene chariſſimi referebat, ſic eum allocuta eſt voce.

91. Propera in occurſum ſerve Dei chariſſime, accipe munuſculum de manu mea, quod de theſauro filii mei tibi attuli. Sic enim tibi opus eſt ut benedictione tegminis, quæ tibi data eſt, in meo tantùm ſervitio utaris. Et quia oculos Fidei fixus in meo ſemper ſervitio tenens permanſiſti; & laudem meam diffusâ in labiis tuis gratiâ, dulciter in cordibus fidelium depinxiſti; & veſtimentis Eccleſiæ jam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuariis meis cum aliis ſervis filii mei lætaberis. Et hæc dicens, ab oculis ejus, unà cum virginibus & luce quâ venerat, remeavit. Remanſit Dei ſervus in tantum ſecurus de adipiſcenda gloria, in quantum præſcius de ſibi donata palmæ victoria; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & cuncta regit per infinita ſemper ſæcula ſæculorum. Amen.

92. Hucuſque Julianus ille, de quo, & S. Juliano Præſule Toletano, plura legere eſt apud laudatos Bellarminum & Labbeum in Opere *De ſcriptoribus*, ſub verbis *Julianus Pomerius*, & *Julianus Toletanus*. Porrò auctorem Opuſculi præjacti non fuiſſe S. Julianum Toletanum, ut jam præmiſimus, videtur præterea demonſtrari: quoniam ſub finem illius fit mentio Sisberti ſucceſſoris ejuſdem S. Juliani in Eccleſia Toletana, & depoſitionis atque exſilii, quo multatus fuit ob crimen læſæ majeſtatis. Cujus infelicitatis occaſionem auctor tribuit ſuperbiæ ejuſdem Sisberti, quòd in cathedra illa, ubi Deipara conſederat, & nemo Præſulum Toletanorum deinceps auſus fuerat, ipſe ſolus reſidere præſumpſiſſet. Alii id referunt in ſuperbiam ejuſdem Sisberti, auſi celebrare cum veſte illa cœleſti, quam Deipara ſoli Ildephonſo dedit: ut propterea juſto Dei judicio permiſſus fuerit labi in crimen proditionis regiæ, & ſubinde depoſitionis atque exſilii perpetui. Cùm ergo hoc contigerit anno Chriſti DCXCI. quo jam mortuus fuerat Julianus Præſul Toletanus, non potuit ipſe ſcribere aut narrare quæ poſtea contigerunt ſucceſſori ſuo.

Innocentius Papa in epiſt. ad Petrū. Compoſtellanum vocat undecimum Toletanum Cōcil. authenticum.

CONCILIUM TOLETANUM XI.

XIX. EPISCOPORUM,

* Bambæ.

In quo ſedium Epiſcopalium diviſio facta eſt, anno IV.* Wambani Regis, VII. Idus Novembris, anno Redemptoris noſtri DCLXXV. tempore Adeo-dati Papæ.

EST PROVINCIALE.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ne tumultu Concilium agitetur.*

II. *In Epiſcopis valdè neceſſarium eſſe ſtudium ſacrarum literarum ad erudiendum ſubditos: nec debere Metropolitanum à confiniti morum inſtructione ceſſare.*

III. *Ut in una provincia diverſitas officiorum non teneatur.*

IV. *De diſcordia ſacerdotum.*

V. *De compeſcendis exceſſibus ſacerdotum.*

VI. *Non debere ſacerdotes quaslibet in Eccleſia familiis truncationes membrorum facere, nec aliquid quod morte plectendum eſt judicare.*

VII. *Quæ debeat diſcretio Eccleſiarum Rectoribus eſſe; ne per inconditam diſciplinam ſubeant homicidii notam.*

VIII. *Ne quicquam præmii pro divinis ſacramentis accipiatur.*

IX. *Quid cuſtodiri debeat, ne per præmium * Epiſcopus fiat: vel quâ ſententiâ feriatur is qui poſt honorem acceptum, per * præmium ordinatus fuiſſe detegitur.*

* *Quis Epiſcopus.* * *Pecuniam.*

X. *Ut omnes Pontifices, rectoreſq; Eccleſiarum, tempore quo ordinandi ſunt, ſub cautione promittant, quàm juſtiſſimè vivere debeant.*

XI. *De elucidatione antiqui Canonis, quo præcipitur, ut ſi quis acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.*

XII. *Ne in confinio mortis pœnitens à reconciliatione diutinè ſuſpendatur: & ut oblatio ejus qui pœnitens, nec tamen reconciliatus, de hac vita exierit, ab Eccleſia receptetur.*

XIII. *De ſacerdotibus, qui vexati cadere videntur.*

XIV. *Ut hi qui Domino canunt atque ſacrificant, poſt ſe ſemper habeant adjutoria conſtituta.*

XV. *De inſtitutione certi temporis, quo Concilium agitetur.*

XVI. *De relatione gratiarum pro conſummatione Concilii.*

PRÆFATIO.

Erâ DCCXIII. habet Chronicon generale Era 717. Vaſæus & Morales anno Domini DCLXXV. * Cernimus. *Jerem. 2. Apoc. 17.* * Diſſolutis. * Incitamenta. * Exoſus. * Renovata. *Undecimum Toletanum concilū eſt Era DCLXXIV. cui ſumme adde XVIII. efficies DCXCII. & unū annum ultrà, (nā ungunt poſt decem & octo) efficies DCXCIII. Luce 13.* * Mereri poſſimus Spiritali gratia ſanctitatem.

1. IN nomine ſanctæ Trinitatis, collectis in unum Carthaginis provinciæ ſacerdotibus in Toletana urbe, in Beatæ matris Domini Mariæ Virginis ſede, anno quarto excellentiſſimi & religioſi Wambani Principis, ſub die ſeptimo Idus Novembris, res votiva gaudii, & dies nimiùm optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum eſt conſpicere pariter & deflere, quid lacrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus enim huc uſque pro labentis ſæculi colluvione inſtabiles, quia annoſa ſeries temporum, ſubtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam otioſis mentibus ingerebat.

2. * Cernebamus enim, quomodo Babylonicæ confuſionis olla ſuccenſa, nunc tempora Conciliorum averteret, nunc ſacerdotes Domini * de reſolutis moribus irretiret. Purpuratæ enim meretricis ſequebantur * invitamenta, quia Eccleſiaſtici conventûs non aderat diſciplina; nec erat qui errantium corrigeret partes, cùm ſermo divinus haberetur * extorris. Et quia non erat adunandorum Pontificum ulla præceptio, creſcebat in majus vita deterior.

3. Cùm tandem divina nos clementia ex alto reſpiciens, & tempori ætatis noſtræ ſe occurſuram præbuit & ſaloti; præparans noſtris ſæculis religioſi Principis mentem, devotam pariter & inſtructam: cujus fervidæ ſolicitudinis voto, & lux Conciliorum * revocata reſplenduit, & alterna charitas ſe mutuò in corrigendis vel inſtruendis moribus excitavit; dum & aggregandi nobis, hortatu Principis religioſi, facultas eſt data, & opportuna corrigendis præparata eſt diſciplina: ut qui decurſis longè antè temporibus, poſt decem & octo ſcilicet labentium annorum excurſum, in unum meruimus aggregari conventum, * mederi poſſemus ſpiritali gratia ſanitatum. Nec enim numerus iſte alienus eſt à ſalute:

ſic

ſic quippe mulier illa in Evangelio ter ſenis annorum excurſibus curva, quæ figuram totius generis humani geſtabat, ſub ſacramento hujus numeri ſaluti priſtinæ à Salvatore donatur,

4. Nos igitur per tot annos curvi noſtri ordinis perſiſtente ſtatu, in eo quod nulla nos Conciliorum definitio jungeret, nullus etiam conventus Eccleſiaſtici ordinis adunaret, tandem divinæ voluntatis imperio, & religioſi Principis juſſu evocati, in Toletanam urbem convenimus. Qui cùm in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ debitis in ſedibus locaremur, inter cætera, quæ ſubteriùs diſcreto capitulorum ordine ſunt digeſta, non aliunde primum cœpimus habere ſermonem, quàm de ſancta Fidei puritate: ut quia initiandis ad beatam vitam hominibus hæc prima eſt via ſalutis, prævia quoque noſtris fieret & inſtitutis pariter & præceptis.

5. Unde ſacro hujus inſtructionis arcano ſanctorum Patrum, Nicæni ſcilicet, Conſtantinopolitani, Epheſini, atque Chalcedonenſis Conciliorum monita amplectentes, per quæ & radicitùs hæreticorum falſa * concinnabula deſtruuntur, & Fidei Catholicæ * limpor evideus declaratur, hoc communi alternoque animorum judicio definimus, ut hanc ipſam noſtræ Fidei regulam verbis ſimplicibus niteremur alternatim nobis ſingulariterque referre: itaut quicquid per triduum de hujuſmodi quæſtionibus unicuique noſtrûm lectionis memoria miniſtrâſſet, prout animis vel memoriæ occurriſſet, * omnis ſub brevitatis compendio ſimplici notaretur ſtylo: relatio tamen ipſius ſacramenti pura & evidens à capite primùm inciperet, & ſic ad membra reliqua perveniret; nullas obſcuritatis lineas in ſe habens, nullas etiam inuſitatæ locutionis regulas continens; ſed puritas ſola eſſet clara ſermonum, quæ poſſet * evidentem exprimere ſenſum: quo exercitatiores nos ad intelligendum redderet verborum ſimplex collatio, quàm relata condenſæ lectionis inſtructio.

Vide infra num. 52. in Notis.
* Concilabula.
* Norma.
* Omnis ſobrietatis comp.
* Evidentiam exprimere ſuam.

6. Quia & re vera tantæ * Fidei myſterium ita ſacerdotes Dei convenit nôſſe, ut non ſuperficie verborum efferantur incogniti, ſed ſenſibus ſanæ intelligentiæ reperiantur inſtructi: ut in * differendo præcipuè hujus ſanctæ Trinitatis arcano plus evidentia quàm eloquentia eos efficiat ſaporatos: ſic enim & divini muneris dono eſt actum, ut juxta votum definitionis alternæ, promiſſio monſtraretur in opere. Unde quod primo die præſidentis Metropolitani lingua profudit, die tertia omnium noſtrorum vox ſingulatim collativè repetiit. Iſte ergo eſt tenor Fidei noſtræ, qui & à capite copioſè profluxit, & à membris * prolatus glorioſè emicuit.

* Rei.
* Differendo.
* Probatus.

7. Confitemur, & credimus ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum naturaliter eſſe unius ſubſtantiæ, unius naturæ, unius quoque majeſtatis atque virtutis. Et Patrem quidem, non genitum, non creatum, ſed ingenitum profitemur: ipſe enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus ſanctus proceſſionem accepit: fons ergo ipſe & origo eſt totius divinitatis. Ipſe quoque * Pater eſt eſſentiæ ſuæ, qui de ineffabili ſubſtantia Filium ineffabiliter genuit; Deus Deum, lux lucem: ab ipſo eſt ergo omnis Paternitas in cœlo & in terra. Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, nec tamen factum eſſe fatemur: quia nec Pater ſine Filio, nec Filius aliquando extitit ſine Patre: & tamen non ſicut Filius de Patre, ita Pater de Filio; quia non Pater à Filio, ſed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, ſed non de Filio: Pater quidem Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris, & Deus de Patre; * æqualis tamen per omnia Filius Deo Patri: quia nec naſci cœpit aliquando, nec deſiit.

* Pater eſſentia quidem ineffabiliter ſubſtantiæ ſuæ Filium.
Epheſ.3.
* Æqualis Deus per omnia Deo Patri.

8. Hic etiam unius cum Patre ſubſtantiæ creditur; propter quod & homoûſios Patri dicitur, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ creditur: ὁμῶς enim Græcè *unum*, ὐσία verò *ſubſtantia* dicitur: quod utrumque conjunctum ſonat, una ſubſtantia. Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia ſubſtantia, ſed de Patris utero, ideſt, de ſubſtantia ejus, idem Filius genitus vel natus eſſe credendus eſt. * Sempiternus ergo Pater, ſempiternus & Filius. Quòd ſi ſemper Pater fuit, ſemper habuit Filium, cui Pater eſſet: & ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quòd de Patre ſit genitus, defectæ naturæ portiunculam nominamus; ſed perfectum Patrem, perfectum Filium ſine diminutione, ſine defectione genuiſſe aſſerimus, quia ſolius divinitatis eſt inæqualem Filium non habere. Hic etiam Filius Dei, naturâ eſt Filius, non adoptione; quem Deus Pater nec voluntate, nec neceſſitate genuiſſe credendus eſt: quia nec ulla in Deo neceſſitas cadit, nec voluntas ſapientiam prævenit.

* Sempiternus quoque eſt & Filius, quoniam ſi Pater.
Quod definitum eſt adverſùs Elipandum in Conc. Francofurd. Vide infra in Notis num. 53. & tribus ſeqq.

9. Spiritum quoque ſanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, unum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus eſſe Deum, unius ſubſtantiæ, unius quoque eſſe naturæ: non tamen genitum vel creatum, ſed ab utriſque procedentem, amborum eſſe Spiritum. Hic etiam Spiritus ſanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur; ne aut ſi ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremur: qui tamen nec Patris tantùm, ſed ſimul Patris & Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in filium, vel de filio procedit ad ſanctificandam creaturam; ſed ſimul ab utriſque proceſſiſſe monſtratur; * quia charitas, ſive ſanctitas amborum cognoſcitur. Hic igitur Spiritus ſanctus miſſus ab * utriſque creditur; ſed minor à Patre & Filio non habetur: ſicut Filius propter aſſumptam carnem minorem ſe Patre & Spiritu ſancto eſſe teſtatur.

* Qui.
* Utriſque ſicut Filius creditur.

10. Hæc eſt ſanctæ Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, ſed Trinitas & dici & credi debet. Nec rectè dici poteſt ut in uno Deo ſit Trinitas, ſed unus Deus Trinitas.

11. In relativis verò perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, ſanctus Spiritus ad utroſque refertur: quæ cùm relativè tres perſonæ dicantur, una tamen natura per ſubſtantiam creditur. Nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus; ſed unam ſubſtantiam, tres autem perſonas.

Quod

Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt: & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt: ſimiliter & Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur; in eo quòd Spiritus Patris & Filii prædicatur,

Locus videtur ex A neſuper Pſal. 68. ſermia.

12. Item cùm dicimus, Deus, non ad aliquid dicitur, ſicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium; ſed ad ſe ſpecialiter dicitur Deus. Nam & ſi de ſingulis perſonis interrogemur: Deum neceſſe eſt fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus ſingulariter dicitur: nec tamen tres Dii, ſed unus eſt Deus. Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus ſanctus omnipotens ſingulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotens; ſicut & unum lumen, unumque principium prædicatur.

13. Singulariter ergo, ut unaquæque perſona plenus Deus, & totæ tres perſonæ, unus Deus confitetur & creditur: una illis vel indiviſa, atque æqualis deitas, majeſtas, ſive poteſtas, nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cùm unaquæque perſona Deus ſingulariter dicitur; nec ampliùs, cùm totæ tres perſonæ unus Deus * enunciatur.

* Enunciantur.

14. Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ unus & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum numerus cernitur; in divinitatis verò ſubſtantia quid numeratum ſit non comprehenditur. Ergo hoc ſolum numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt; & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt. Nam ita huic ſanctæ Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus perſonis non poſſit eſſe plurale. Ob hoc ergo credimus illud in ſacris literis dictum: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus.*

Pſalm. 146.

15. Nec quia tres has perſonas eſſe diximus unum Deum, eundem eſſe Patrem, quem Filium, vel eum eſſe Filium, qui eſt Pater, aut eum, qui Spiritus ſanctus eſt, vel Patrem, vel Filium dicere poterimus. Non enim ipſe eſt Pater, qui Filius; nec ipſe * Filius, qui Pater; nec Spiritus ſanctus ipſe, qui eſt vel Pater vel Filius: cùm tamen ipſum ſit Pater quod Filius; ipſum Filius quod Pater; ipſum Pater & Filius quod Spiritus ſanctus: ideſt, naturâ unus Deus. Cùm enim dicimus non ipſum eſſe Patrem, quod Filium; ipſum Filium, quod Patrem; ipſum Spiritum ſanctum, quod Patrem & Filium; ad naturam, quâ Deus eſt, vel ſubſtantiam pertinere monſtratur, quia ſubſtantiâ unum ſunt: perſonas enim diſtinguimus, non deitatem ſeparamus. Trinitatem igitur in perſonarum diſtinctione agnoſcimus; unitatem propter naturam vel ſubſtantiam profitemur.

* Filius, qui Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſanctus qui Pater:

16. Tria ergo iſta unum ſunt; naturâ ſcilicet, non perſonâ: nec tamen tres iſtæ perſonæ ſeparabiles æſtimandæ ſunt; cùm nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia, vel exſtitiſſe, vel quippiam operâſſe aliquando credatur: inſeparabiles enim inveniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt: quia inter generantem Patrem, & generatum Filium, vel procedentem Spiritum ſanctum, nullum fuiſſe credimus temporis intervallum, quo aut Genitor Genitum aliquando præcederet, aut Genitus Genitori deeſſet, aut procedens Spiritus Patre vel Filio poſterior appareret. Ob hoc ergo inſeparabilis & inconfuſa hæc Trinitas à nobis & prædicatur & creditur.

Ex Aug. lib. De cognitione veræ vitæ, *cap. 20. tit. 9. Sap. 7.*

17. Tres igitur perſonæ iſtæ dicuntur, juxta quod majores definierunt, ut agnoſcantur, non ut ſeparentur. Nam ſi attendamus illud quod Scriptura ſancta dicit de Sapientia: *Splendor eſt lucis æternæ:* ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Tres ergo illas unius ac inſeparabilis naturæ perſonas, ſicut non confundimus, ita inſeparabiles nullatenus prædicamus. Ita nobis hoc dignata eſt ipſa Trinitas evidenter oſtendere, ut etiam * in his nominibus, quibus voluit ſigillatim perſonas agnoſci, unam ſine altera non permittat intelligi: nec enim Pater abſque Filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli perſonalis perſonas ſeparari vetat: * quas etiam, dum non ſimul nominat, ſimul inſinuat. Nemo autem audire poteſt unumquodque iſtorum nominum, in quo non intelligere cogatur & alterum. Cùm enim igitur hæc tria ſint unum, & unum tria, eſt tamen unicuique perſonæ manens ſua proprietas. Pater enim æternitatem habet ſine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus verò ſanctus proceſſionem ſine nativitate.

* In omnibus quibus.

* Quæ etiam non ſimul nominat, ſimul inſinuat.

18. De his tribus perſonis ſolam Filii perſonam pro liberatione humani generis hominem verum ſine peccato de ſancta & immaculata Maria Virgine credimus aſſumpſiſſe: de qua novo ordine, novaque nativitate eſt genitus: novo ordine, quia inviſibilis divinitate, viſibilis monſtratur in carne: nova autem nativitate eſt genitus, quia intacta virginitas & virilem coïtum neſcivit, & fœcundata per Spiritum ſanctum carnis materiam miniſtravit. Qui partus Virginis, nec ratione colligitur, nec exemplo monſtratur: quod ſi ratione colligitur, * non poteſt eſſe mirabile; ſi exemplo, non erit ſingulare.

Phraſis ex S. Leone deſumpta.

* Non eſt mirabile.

19. Nec tamen Spiritus ſanctus Pater eſſe credendus eſt Filii; pro eo quòd Maria eodem ſancto Spiritu obumbrante concepit: ne duos Patres Filii videamur aſſerere, quod utique nefas eſt dici. In quo mirabili conceptu, ædificante ſibi ſapientia domum: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Nec tamen Verbum ipſum ita in carne converſum atque mutatum eſt, ut deſiſteret Deus eſſe, qui homo eſſe voluiſſet; ſed ita *Verbum caro factum eſt*, ut non tantùm ibi ſit Verbum Dei, & hominis caro, ſed etiam rationalis hominis anima: atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. In quo Dei Filio duas credimus eſſe naturas; unam divinitatis, alteram humanitatis; quas ita ſe una Chriſti perſona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas à divinitate poſſit aliquando ſejungi. Unde perfectus Deus, perfectus & homo, in unitate perſonę unius, eſt Chriſtus. Nec tamen quia duas diximus in Filio eſſe naturas, duas * cauſabimus in eo eſſe perſonas; ne Trinitati, quod abſit, * accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit perſonam hominis, ſed naturam,

Joann. 1. Contra Eutychianos, & Neſtorianos.

* Cauſabimur.
* Accidere.

& in

& in * æternam perſonam divinitatis, temporalem accepit ſubſtantiam carnis. Ita cùm unius ſubſtantiæ credamus eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; non tamen dicimus, ut hujus Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit; ſed tantummodo Filium, qui ſulus naturam noſtram in unitate perſonæ ſuæ aſſumpſit.

* Æternum perſona.

20. Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operâſſe credenda eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitati: quæ forma illi ad unitatem perſonæ coaptata eſt; ideſt, ut Filius Dei, & Filius hominis unus ſit Chriſtus. Item idem Chriſtus in duabus oatusis, tribus exſtat ſubſtantiis; Verbi, quod ad ſolius Dei eſſentiam referendum eſt; corporis & animæ, quod ad verum homioem pertinet. Habet igitur in ſe geminam ſubſtantiam divinitatis ſuæ, & humanitatis noſtræ.

21. Hic tamen pro eo quod de Deo Patre ſine initio prodiit, natus tantùm (nam neque factus, neque prædeſtinatus accipitur), per hoc tamen quòd de Maria Virgine natus eſt, & natus, & factus, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt. Ambæ tamen in illo generationes mirabiles: quia & de Patre ſine matre ante ſæcula eſt genitus, & in fine ſæculorum de matre ſine patre eſt generatus: qui tamen ſecundùm quod Deus eſt, creavit Mariam: ſecundùm quod homo creatus eſt à Maria: ipſe & Pater matris, & Filius. Item & per hoc quòd Deus, eſt æqualis Patri; per hoc quòd homo, minor eſt Patre. Item & major & minor ſe ipſo eſſe credendus eſt: in forma enim Dei etiam ipſe Filius ſe ipſo major eſt, propter humanitatem aſſumptam, * quâ divinitas major eſt: in forma autem ſervi ſe ipſo minor eſt, ideſt, humanitate, quæ minor divinitate accipitur. Nam ſicut per aſſumptam carnem non tantùm à Patre, ſed à ſe ipſo minor accipitur; ita ſecundùm divinitatem * coæqualis eſt Patri: & ipſe, & Pater major eſt homine, quem ſola Filii perſona aſſumpſit.

* Quia.
* Quæ eſt æqualis.

22. Item in eo quod quæritur, utrum poſſet Filius ſic æqualis & minor eſſe Spirito ſancto, ſicut Patri nunc æqualis, nunc minor Patre creditur eſſe; reſpondemus: ſecundùm formam Dei æqualis eſt Patri & Spiritui ſancto; ſecundùm formam ſervi minor eſt & Patre & Spiritu ſancto: quia nec Spiritus ſanctus, nec Deus Pater, ſed ſola Filii perſona ſuſcepit carnem, per quam minor eſſe creditur illis perſonis duabus.

23. Item hic Filius à Deo Patre & Spiritu ſancto inſeparabiliter diſcretus creditur eſſe perſonâ; ab homine autem * aſſumptâ naturâ. Item cum homine unus exſtat perſonâ; cum Patre vero & Spiritu ſancto, naturâ divinitatis ſive ſubſtantiâ. Miſſus tamen Filius non ſolùm à Patre, ſed ab Spiritu ſancto miſſus credendus eſt; in eo quòd ipſe per Prophetam dicit: *Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus * ſanctus.* A ſe ipſo quoque miſſus accipitur; pro eo quòd inſeparabilis non ſolùm voluntas, ſed operatio totius Trinitatis agnoſcitur. Hinc enim qui ante ſæcula unigenitus eſt vocatus, temporaliter primogenitus factus eſt: unigenitus propter deitatis ſubſtantiam; primogenitus propter aſſumptæ carnis naturam, in qua * ſuſcepti hominis forma, juxta evangelicam veritatem, ſine peccato * conceptus, ſine peccato mortuus creditur, qui ſolus pro nobis peccatum eſt factus, ideſt, ſacrificium pro peccatis noſtris. Et tamen paſſionem ipſam, ſalva divinitate ſua, pro delictis noſtris ſuſtinuit, mortique adjudicatus & cruci, veram carnis mortem excepit: tertio quoque die virtute propria ſua ſuſcitatus, è ſepulchro ſurrexit.

* Aſſumpto.
Iſai. 48.
* Ejus.
* Suſcepta.
* Natus.
2. Corinth. 5.

24. Hoc ergo exemplo capitis noſtri confitemur * veram fieri reſurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aërea, vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) ſurrecturos nos credimus, ſed in iſta quâ vivimus, conſiſtimus, & movemur. Peracto hujus ſanctæ reſurrectionis exemplo, idem Dominus noſter atque Salvator paternam aſcendendo ſedem repetiit, de qua nunquam per divinitatem diſceſſit. Illic ad dexteram Patris ſedens, exſpectatur in finem ſæculorum judex omnium vivorum & mortuorum. Inde cum ſanctis omnibus veniet ad faciendum judicium, reddere unicuique mercedis propriæ debitum; prout quiſque geſſerit in corpore poſitus, ſive bonum, ſive malum.

* Vera fide reſurr.
Hæreſis fuit Eutychii Conſtantinop. Epiſcopi. Vide Beatum Greg. Magnum in cap. 18. Job.

25. Eccleſiam ſanè Catholicam pretio ſui ſanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cujus gremium conſtituti unum baptiſma credimus & confitemur, in remiſſione omnium peccatorum. Sub qua Fide & reſurrectionem mortuorum veraciter & credimus, & futuri ſæculi gaudia exſpectamus. Hoc tantùm orandum nobis eſt & petendum, ut cùm peracto finitoque judicio tradiderit Filius regnum Deo Patri, participes nos efficiat regni ſui; ut per hanc Fidem, quâ illi inhæſimus, cum illo ſine fine regnemus. Hæc eſt confeſſionis noſtræ Fides expoſita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, fidelium corda mundantur; per quam etiam ad Deum glorioſè acceditur, cujus * ſacroſanctum ſaporem, ſub triduano dierum jejunio, continua relationum collatione * ructantes, ad ea quæ ſubnexa ſunt, ſequenti die diſcernenda tranſivimus.

* Sancto ſapore.
* Ructantes.

C A P I T U L A.

I.

26. IN loco benedictionis conſidentes Domini ſacerdotes, * nullis debent aut indiſcretis vocibus perſtrepere, aut quibuslibet tumultibus * perturbari; * nullis etiam vanis fabulis vel riſibus agi, &, quod eſt deterius, obſtinatis * concertationibus tumultuoſas voces effundere. *Si quis enim* (ut Apoſtolus ait) *putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens*

3. p. 4. In loco. *Ivo p. 4. cap. 245. Anſelm. in principio.*
* Nullus debeat.
* Perturbare.
* Nullos.
* Diſceptationibus.
Jacob. 2.

ducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Cultum enim ſua juſtitia perdit, quando ſilentia judicii obſtrepentium turba confundit, dicente Propheta: *Erit cultus juſtitiæ ſilentium.* Debet ergo quicquid aut * contendentium collationibus agitur, aut accuſantium parte proponitur, ſic mitiſſima verborum relatione proferri, ut nec contentioſis vocibus * audientiam turbent, nec * judicantium vigorem de tumultu enervent. Quicumque ergo in conventu Concilii hæc quæ præmiſſa ſunt violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis, vel riſibus Concilium perturbaverit, juxta divinæ legis edictum, quo præcipitur: *Ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium*; & cum omni * confuſionis dedecore abſtractus à communi cœtu ſecedat, & trium dierum excommunicationis ſententiam perferat.

Iſai. 32.
* Conſidentium conſultationibus.
* Senſus audientium turbent.
* Judicii.
Proverb. 22.
* Dedecore de conſeſſione.

II.

27. Quantum quis præcelſi culminis obtinet locum, tantò neceſſe eſt præcedat cæteros gratiâ meritorum; ut in eo quod præſidet ſingulis, ſingulariter ornetur eminentiâ ſanctitatis, habens ſemper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis: ut, juxta Paullum, *potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere.* Nos proinde noſtri ordinis gradum, vel ſuſcepti regiminis modum magnopere cogitare debemus: ut qui officium prædicationis ſuſcepimus, nullis curis à divina lectione privemur. Nam quorundam mentes Pontificum ita * corporis otio à lectionis gratia ſecluduntur, ut quid doctrinæ ſubditis exhibeat gregibus, non inveniat præco mutus. Inſiſtendum ergo ſemper erit majoribus, ut quos ſub regiminis ſui cura tuentur, fame Verbi Dei perire non ſinant. Sic Metropolitanis in confinitimos, cæteroſque Eccleſiaſticis ordinibus deditos; ſic confinitimis in commiſſo ſibi religioſorum numero vigilandum eſt, qualiter neſcientia talium divinæ legis traditionibus imbuatur: ita ut indeſinenti ſolicitudine Prælatus quiſque ſubditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoſcat, aut neſcientiam ſine arrogantia inſtruat. Placuit ergo de talibus, juxta inſtituta Toletani Concilii, hoc ſpecialiter definire, ut aut ſpontè ſumant intentionem neceſſariam perdiſcendi, aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.

Tit. 1.
* Torporis.
Octavi cap. 8.

III.

28. De his qui contra Apoſtoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic S. Concilio, ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ Pontifices, Rectoreſque Eccleſiarum unum eundemque in pſallendo teneant modum; quem in Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum; nec aliqua diverſitate cujuſque ordinis vel officii à Metropolitana ſe patiantur ſede disjungi. Sic enim juſtum eſt, ut inde unuſquiſque ſumat regulas magiſterii, unde honoris conſecrationem accepit: ut, juxta majorum decreta, ſedes, quæ unicuique ſacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit & Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Abbatibus ſanè indultis officiis, quæ juxta voluntatem ſui Epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cætera officia publica, id eſt, * Veſperam, Matutinum, ſive Miſſam, aliter quàm in principali Eccleſia celebrare non liceat. Quiſquis autem horum decretorum violator exſtiterit, ſex menſibus communione privatus, apud Metropolitanum ſub pœnitentiæ cenſura permaneat corrigendus; qualiter apud illum, & præteritæ tranſgreſſionis colpam lacrymis diluat, & neceſſariam officiorum doctrinam ſtudioſè addiſcat. Sub iſta ergo regula diſciplinæ non ſolùm Metropolitanus totius ſuæ provinciæ Pontifices vel ſacerdotes aſtringat; ſed etiam cæteri Epiſcopi ſubjectos ſibi Eccleſiarum Rectores his obtemperare inſtitutionibus cogant.

Epheſ. 4.
Diſtinct. 12. *De his qui.* *De hac etiam re eſt in Cõcil. Tolet. IV. cap.* 2. *dictum ejus.*
* Veſperas.

IV.

29. Sicut omnis qui diligit fratrem ſuum * ex Deo, ita omnis qui odit proximum, ex diabolo eſt: dilectione enim ſola diſcernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Joanne: *In hoc manifeſti ſunt Filii Dei, & filii diaboli: omnis qui non facit juſtitiam, non eſt de Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Quoniam hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, ut diligamus alterutrum.* Et poſt paullulum: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Ecce homicida eſſe probabiliter declaratur, qui à fraterna ſocietate dividitur: nam etſi manus non moveat ad occidendum, pro eo tamen * quia immitis eſt ad ignoſcendum, jam à Deo homicida tenetur. Vivit ille, & iſte jam interfector eſſe convincitur. Cùm igitur his præceptis Beatus Apoſtolus conſona prædicatione concordet dicens: *Non occidat ſol ſuper iracundiam veſtram, & nolite locum dare diabolo*; relatæ ſunt nobis quorundam Sacerdotum perſonæ in tantam obſtinationis efferbuiſſe diſcordiam, ut non ſolùm illos ab ira Occaſus ſolis non revocet, ſed nec annoſa quidem tranſactio temporum ad bonum charitatis reclinet: quippe in quorum cordibus ita ſol juſtitiæ Chriſtus occubuit, ut ad lumen charitatis redire vix poſſint.

* Ex Deo natus eſt.
1. *Joann.* 3.
Ibid.
* Quia nititur ad nocendum.

30. Horum igitur, & ſimilium diſcordantium fratrum oblationes, juxta antiqui Canonis definitionem, nullo modo recipiendas eſſe cenſemus. De perſonis tamen * diſcordantium id ſpeciali definitione præcipimus, * ut antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis ſanctæ percipiat: ſed, geminato tempore, per pœnitentiam compenſabunt quod diſcordiæ ſervierunt. Quod ſi unus eorum, alio contemnente, ad ſatisfactionem charitatis cucurrerit; ex eo tempore, ut pacificus intra Eccleſiam receptetur, ex quo ad concordiam feſtinâſſe convincitur; ſententiâ tamen ſuperiori ſervatâ, ut tempus, quod quiſque in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ ſatisfactione perſolvat.

Concil. Carthag. IV. cap. 93.
* Diſcordantibus.
* Ut eos antè reconciliatio mera innectat, quàm ullus.

V.

31. Nullis vita Præſulum perturbari debet exceſſibus motionum: quia valdè indignum eſt, ut qui throni Dei vocantur, levi motione turbentur: & qui debent eſſe area juſtitiæ, ipſi efficiantur ſemina-

ctum litis atque rapinæ. * *Quando ergo hujuſmodi* (juxta Apoſtolum) *irreprehenſibiles erunt*, qui non ſolùm reprehenſibilia faciunt, ſed mortifera potiùs & exſecranda committunt? Relati enim nobis ſunt quidam ex ſacerdotibus, quòd omni gravitate ſacerdotalis ordinis prætermiſſa, audientiam judicii furore præveniant, & exceſſu ſolius inhoneſtæ * motionis audire, pro quibus eos oportuerat æquitatis judicia ſuſtinere. Dum enim de honoris ſui culmine blandiuntur, patientiam habere refugiunt: & qui inconcuſſè debuerant veritatis conſervare ſtatum, ſubitò religionis mutant propoſitum, & præcipiti furore judicium antecedunt: ſicque in quo decuerat eos judicii ſuſtinere conventum, * prævaſione agunt, unde de præſumptionibus confundantur.

1\. *Timoth.* * Quomodo. * Motionis judicia audire refugiant, *al*, adire. * Pervaſione.

32\. Qui tamen aut damno pariter & excommunicatione plectendi ſunt, aut omiſſis compoſitionibus rerum, ſola ſatisfactione pœnitentiæ curabuntur. Illi enim, qui rei propriæ facultate ſuffulti ſunt, aut qui rem ſuam jam antea in nomine Eccleſiæ, cui præſunt, * tranſtuliſſe noſcuntur, * aut per ſe, aut per ſubditos, ſeu per quemlibet aliena diripiunt, vel præſumptionis, ſeu cædis quippiam agunt, tam in rebus fiſcalibus, quàm etiam in quorumlibet dominio conſtitutis, & * prævaſa, vel præſumpta de rebus propriis, juxta leges excellentiſſimi Principis, ſarciant, & pro exceſſu religioni contrario, * quo inhoneſti ante judicium * paruerunt, duarum hebdomadarum excommunicatione plectendi ſunt.

* Transfudiſſe. * Si aut. * Pervaſa. * Quod inhoneſtè. * Perpetrarunt.

33\. Illi autem qui hujuſmodi exceſſibus inſerviunt, & nihil proprietatis habere videntur, magnâ diſcretionis arte medendi ſunt; quò nec auſus illicitos Eccleſiarum facultatibus redimant, nec ipſi penitùs extorres à pœna perſiſtant. Neque enim juſtum eſt, ut pro pravis actibus ſacerdotum Eccleſiæ, quibus præeminent, ſuſtineant damnum: ut pro exceſſibus talium ſatisfactio ab Eccleſiis exigatur: cùm Eccleſia * rectores ſuos non ad litem, ſed ad honeſtatem informet. De talibus ergo placuit definire, qui nullis habitis rebus propriis, aut in quocumque pervaſores exſtiterint, aut quibuslibet perſonis cædes, vel quodcumque præſumptionis intulerint, nulla eos incurvatione ſtatus ſui, ſervituti hominum debere addici: ſed juxta quod præſumptuoſus quiſquis ille exſtiterit, ita & pœnitentiæ legibus ſubjacebit: ideſt, ut ſi in decem ſolidorum ſummam præſumptor eſſe convincitur, viginti dierum pœnitentiæ ſatisfactione purgetur: ita ut ſive majoris ſummæ exceſſum peregerit, ſimiliter geminata hoc ſemper ſatisfactione pœnitentiæ recompenſet. Servos tamen Eccleſiarum, qui hujuſmodi exceſſus * operàſſe noſcuntur, ad leges ſæculares audiendos remittimus. Et hæc quidem de generali exceſſu dicta ſufficiant.

* Cultores. * Operati eſſe.

34\. Ceterùm ſpecialitatis ordinem * perſequentes, ſi quis Epiſcoporum magnatis cujuſque uxorem, filiam, neptem, ſeu quolibet illi gradu altero pertinentem, quacumque fraude vel ſubtilitate adulterina pollutione fœdaverit; & honoris proprii gradum amittat, & ſub exſilii relegatione perpetuam excommunicationis ſententiam perferat: qui tamen circa finem vitæ communionis remedio adjuvandus eſt. Hanc ſanè & illi ſententiam merebuntur, qui aut volentes homicidium fecerint, aut primatibus Palatii, generoſiſque perſonis, ſeu nobilioribus quibuſque mulieribus, vel puellis, aliquid, aut per cædem, aut per quamcumque irrogatam injuriam, viſi fuerint intuliſſe, unde eos juxta legum ſæcularium inſtituta, aut talionem recipere, aut traditionem de his fieri, vel proſcriptionem oporteat.

* Perſequentes decernimus.

VI.

35\. His à quibus Domini ſacramenta * tractanda ſunt, judicium ſanguinis agitare non licet: & ideo magnopere talium * exceſſibus prohibendum eſt, ne indiſcretæ præſumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum eſt ſententiâ propriâ judicare præſumant, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet perſonis aut per ſe inferant, aut inferendas præcipiant. Quòd ſi quiſquam horum immemor præceptorum, aut Eccleſiæ ſuæ * familiis, aut in quibuslibet perſonis tale aliquid fecerit; & conceſſi ordinis honore privatus & loco ſuo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergaſtulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda eſt; propter Domini miſericordiam, *qui non vult peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat*.

Raban. Pœniten. cap. 32. 23. *q.* 8. His à quibus. *Ivo part.* 5. *cap.* 315. *Burch. lib.* 1. *cap.* 32. * Tractantur. * Exceſſus prohibendus eſt. * Famulis. *Ezech.* 18.

VII.

36\. Cùm juxta antiquæ inſtitutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat benevolentia quàm ſeveritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm poteſtas; relatum eſt nobis, quòd quidam ex fratribus plus livore odii quàm correctionis ſtudio ſubditos inſequentes, dum ſe ſimulant ſpiritualem eis adhibere correctionem, indiſcretam ſubitò afferunt mortem, cùm inauditos à ſe projiciunt, & * occultis eos judiciis ſub pœnitentia puniunt. Non ergo de cætero perverſis voluntatibus ſit liberum ſimulare quod fingunt; ſed quotieſcumque quilibet ex ſubditis corrigendus eſt, aut publica debet à ſacerdote diſciplina curari: aut, ſi aliter rectoribus placet, duorum vel trium fratrum ſpiritualium teſtimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoſcatur, & modus pœnitentiæ irrogetur: ita tamen ut ſi exſilio vel retruſione dignum eum eſſe * qui deliquit, judicium peculiare decreverit; modus pœnitentiæ * quam coram tribus fratribus ſacerdos tranſgreſſori indixerit, ſpeciali debeat ejus, qui ſententiam protulit, manus propriæ ſubſcriptione notari: ſicque fiet ut nec tranſgreſſores ſine teſtimonio excidia vitæ ſuæ incurrant, nec rectores accuſatos ſe de quorumlibet interemptionibus erubeſcant.

Leo Epiſt. 84. * Illicitis. * Aut quid aliud deliquit. * Quem.

VIII.

37\. Quicquid inviſibilis gratiæ * collatione tribuitur, nummorum quæſtu, vel quibuslibet præmiis venundari penitùs non debet, dicente Domino. *Quod gratis accepiſtis, gratis date*. Et ideo quicumque deinceps in Eccleſiaſtico ordine conſtitutus, aut pro baptizandis conſignandiſque fidelibus, aut

1\. *q.* 1. Quicquid inviſibilis. *Ivo part.* 5. *cap.* 126. *& par.* 1. *cap.* 73. *Matth.* 10. * *Gratianus & alii legunt* pro collatione, conſolatione. *Verùm in notis Gregorianis poſterior lectio probatur*.

* Præmia niſi voluntariè.

pro collatione chriſmatis, vel promotionibus graduum, pretia quælibet, vel * præmia voluntariè oblata pro hujuſmodi ambitione ſuſceperit; equidem, ſi ſcient Inci Epiſcopi tale quicquam à ſubditis perpetratum, idem Epiſcopus duobus menſibus excommunicationi ſubjaceat; pro eo quia & ſciens mala contexit, & correctionem neceſſariam non * adhibuit. Sin autem ſuorum quiſpiam, eodem neſciente, quodcumque pro ſupradictis capitulis accipiendum eſſe ſibi crediderit; ſi presbyter eſt, * trium menſium excommunicatione plectatur; ſi diaconus, * quatuor; ſubdiaconus verò, vel clericus his cupiditatibus ſerviens, * & competenti verbere, & debita excommunicatione plectendus eſt.

* Acquiſivit.
* Quatuor.
* Trium.
* Pro competenti pœna & debita.

IX.

Ivo part. 5. cap. 127.

38. Mnltæ ſuper hoc capitulo Patrnm ſententiæ manaverunt; ſcilicet ne inappretiabilem ſancti Spiritûs gratiam donis vel muneribus quis exiſtimet comparandam. Sed (quod non ſine gravi dolore dicendum eſt) quantò hæc res frequenti decretorum eſt præceptione prohibita, tantò nobis fraudibus cognoſcitur iterata: dum hi, qui tali pretio mercari nituntur gratiam Spiritûs ſancti, aut ordinationis, * ſeu tempora præveniunt munere, aut poſt acceptum honorem * promiſſam ſuis conferunt * apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo ut horum & ſimilium argumentorum deinceps amputetur occaſio, hoc ſancta Synodus definivit, ut cùm quiſque Pontificale culmen ante Domini altare percepturus acceſſerit, ſacramenti * ſe taxatione aſtringat, quod pro conferenda ſibi conſecratione honoris, nulli perſonæ cujuslibet præmii collationem, vel * jam dediſſe, vel aliquando ad futurum dare procuret; ſicque aut mundus ab hoc contagio, prælationis conſecrationem accipiat, * aut implicitus huic ſceleri, manifeſtè denotatus coram Eccleſia, ad honorem, quem mercari voluit, non accedat. Illos autem quos deinceps poſt * relationem per præmium ordinatos fuiſſe patuerit, ſub definitis pœnitentiæ legibus, ut verè ſimoniacos ab Eccleſia ſeparandos eſſe cenſemus: ideſt, ut duorum annorum ſpatio exſilio relegati, & digna ſatisfactionis vel excommunicationis ſententia coërciti, honoris gradum, quem præmiis emerant, lacrymis conquirere & reparare intendant. Unde ſi digna eos ſatisfactio pœnitentiæ commendaverit, peracto pœnitentiæ indictæ tempore, non tantùm communioni, ſed & loco, & totius ordinis officiis, à quibus ſeparati fuerunt, reſtaurandi ſunt.

* Sue.
* promiſſis.
* Apparentibus.
* Exactione aſtringantur.
* Aliquando dediſſe.
* Aut publicato hoc ſcelere, manifeſtè denudatus coram Eccleſia, & ad *Al.* aut per illicitum uſum implicatus, &c.
* Prælationem.

X.

Diſt. 23. c. Quamquam omnes.
Anſel. lib. 7. c. 88.

39. Quamquam omnes, qui ſacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur adſtricti; expedibile tamen eſt, ut promiſſionis ſuæ vota ſub cautione ſpondeant, quos ad promotionis gradus Eccleſiaſtica * provehit diſciplina: ſolet enim plus timeri quod ſingulariter pollicetur, quàm quod generali * innexione concluditur. Et ideo placuit huic ſancto Concilio, ut unuſquiſque, qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt * acceſſurus, non antè honoris conſecrationem accipiat, quàm * placiti ſui innodatione promittat, ut Fidem Catholicam ſincera cordis devotione cuſtodiens, juſtè & piè vivere debeat, & ut in nullis operibus ſuis canonicis regulis contradicat; atque ut debitum per omnia honorem, atque obſequii reverentiam præeminenti ſibi unuſquiſque dependat, juxta illud Beati Papæ Leonis edictum: *Qui ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat.* Pœna tamen juxta Eccleſiaſticæ conſuetudinis morem, & placitis talium * inſerenda, & ab his qui tranſgreſſores fuerint perſolvenda eſt.

* Probat.
* Sponſione.
* Aſcenſurus.
* Placita ſibi annotatione.

Epiſt. 84.

* inſerenda.

XI.

Cap. 14. Delectus.

* Fideliter.

40. Cùm nihil in divino Canone debeat eſſe confuſum, nihil dubium, nihil etiam indiſcretum; in collatione noſtri cœtûs * relatus eſt Canon Toletani Concilii primi, in quo præceptum eſt, ut ſi quis acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur: nec adjecta eſt ibi diſcretio voluntatum; cùm & infidelis hæc & talia infideliter agat; & fidelis * fidenter accipiat, quod naturalis illum neceſſitas deglutire non ſinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipſo mortis exitu prægravata, tanto ſiccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici; ſed vix tantumdem illati delectetur poculi gratiâ ſuſtentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expetentes viaticum, collatam ſibi à ſacerdote Euchariſtiam rejecerunt; non quòd infidelitate hoc agerent, ſed quòd præter Dominici calicis hauſtum, traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire. Non ergo hujuſmodi à corpore Eccleſiæ ſeparandi ſunt, qui talia non infidelitate, ſed neceſſitate fecerunt; præſertim hi, de quibus nihil Fidei ſiniſtræ ſentitur. Placuit ergo definire, quòd nec fideli officiat, nec infideli inultum exiſtat. Quicumque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Euchariſtiam perceptam rejecerit, in nullo Eccleſiaſticæ damnationi ſubjaceat. Similiter nec illos cujuſquam punitionis cenſura redarguet, qui talia tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione poſiti, quid fecerint, ignorare videntur. Jam verò quicumque, aut de fidelium aut infidelium numero, corpus Domini abſque inevitabili (ut dictum eſt) infirmitate projecerit; ſi fidelis eſt, perpetua communione privetur; ſi infidelis, & verberibus ſubdatur, & perpetuo exſilio relegetur. Quòd ſi horum quilibet hujuſmodi exceſſus digna pœnitentiæ ſatisfactione defleverit, poſt quinquennium licitum erit illum communioni priſtinæ reformari.

XII.

* Differendus.
* Præcincto mortis urgeatur periculo.

41. Qui pœnitentiam in mortis agit pericolo, non diutinè à reconciliationis gratia * referendus eſt: ſed ſi * præceptum mortis urget periculum, pœnitentiâ per manûs impoſitionem acceptâ, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt: ne priùs ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis percipiat; ſicque ſuperſtitibus quodammodo dolotis videatur eſſe perpetui, ſi præciſum ab

Eccle-

Eccleſiæ membris enm, qni utique reconciliari non meruit, raptim à præſenti vita mors maturata ſubduxerit: juxta Papæ Leonis edictum: *His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ,* * *& mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.* De his autem, qui acceptâ pœnitentiâ, antequam reconcilientur, ab hac vita receſſerint; quamquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatnr, illorum tamen nos ſententias placuit ſequi, qui multiplices nnmero de hujuſmodi humaniùs decreverunt; ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur.

16. *quæſt.* 6. His qui. Leo Epiſt 91.
* Ex more.

XIII.

42. Bene quidem majorum regulis definitum eſt, ut dæmoniis, aliiſque ſimilibus paſſionibus irretitis, miniſteria ſacra tractare non liceat: cui præcepto conſenſu rationis adhibito, id communiter definivimus, ut nulli de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus illiduntur, aut quolibet modu vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel * indiſcuſſos ſe divinis ingerant ſacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, * ſine hujuſmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi. Qui tamen & ipſi tamdiu erunt officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab incurſu dæmonum alieni.

Conc. Eliberitanum cap. 29. *& Fins Papa l. d.* 33. Communiter.
* Indiſcuſſi.
* In.

XIV.

43. * Et illud divini oraculi momentis ſingulis præcaventes, qno ſcribitur: *Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem*; ſummopere curandum nobis eſt, & cavendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Domino pſallitur, vel ſacrificatur, unicuique divinis ſingulariter officiis inſiſtenti pernicioſa paſſio, vel corporis quælibet * valetudo occurrat, quæ aut corpus ſubitò ſubrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro hujuſmodi ergo caſibus * præcavendis, neceſſarium duximus inſtituere, ut ubi temporis, vel loci, ſive cleri copia ſuffragatur, habeat ſemper quiſquis ille cauens Deo, atque ſacrificans, poſt ſe vicini ſolaminis adjutorem: ut ſi aliquo caſu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, à tergo ſemper habeat qui ejus vicem exſeqnatur intrepidus. *In Decreto Gratiani aliis characteribus additur*: Sed ſi hoc ſacrificanti frequenter acciderit, tunc omnino ab oblatione prohibeatur.

7. *quæſt.* 1. Illud divini oraculi. *Ivo par.* 4. *c.* 126. *Burch. lib.* 2. *cap.* 73. & De conſ. d. 1.
* Ut illud. *Eccleſ.* 4.
* Invalitudo.
* Præcaventes.

Hanc additionem nota Gregoriana non probat.

XV.

44. Peractis omnibus quæ ad correctionem noſtri ordinis in hoc Concilio promulgata ſunt, placuit definire, ut paternis inſtitutionibus obſequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilii in Metropolitana ſede, tempore quo Principis vel Metropolitani electio definierit, devotis ſemper animorum ſtudiis * confluamus: nec quibuslibet requiſitis occaſionibus abſentemur; ſed * in præfato die, qno indictum fuerit, adunatis in Metropolitana ſede omnibus * Pontificibus, Concilium Deo præſule celebretur. Quiſquis autem Epiſcoporum, exceptâ inevitabili cauſſâ, vel neceſſitate, de peragendo ſe Concilio abſentaverit, unius anni excommunicatione plectendus eſt. Quòd ſi deinceps abſque celebratione Concilii anni unins meta tranſierit, omnes in commune Pontifices Carthaginenſis provinciæ ſuperioris cenſuræ ſententia obnoxios retinebit: ideſt, ſi nullâ ſibi impediente Principis * poteſtate, ſolius propriæ voluntatis * libido, ſe ad celebrandum Concilium non collegerint.

De hac re diximus Concil. Tolet. IV. cap. 3.
* Conferamus.
* Præparato.
* Provinciæ pontificibus.
* Poteſtate vel infirmitate aut inevitabili cauſſâ.
* Libitu.

XVI.

45. His igitur conſtitutionibus noſtris, quæ neceſſariò decernenda credimus, finalem manus noſtræ ſubſcriptionem adjicimus; immortali Deo noſtro & Domino gloriam & honorem reddentes, qui nos de conventu alternæ viſionis lætos effecit; qui os noſtrum in confeſſione laudis ſuæ aperuit; qui etiam decreta hujus noſtri Concilii honeſto fine complevit. Poſt hæc religioſo Domino & amabili Principi noſtro * Wambano Regi gratiarum actiones perſolvimus; cujus ordinatione collecti, cujus etiam ſtudio aggregati ſumus; qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ his noſtris ſæculis novus reparator occurrens, omiſſos Conciliorum ordines non ſolùm reſtaurare intendit, ſed etiam annuis recurſibus celebrandos inſtituit; ut ad alternam morum correctionem annuo tempore alacriter concurrentes, juxta Prophetæ vaticinium, quod in nobis defractum eſt alligetur, & quod abjectum eſt reducatur. Det ergo eidem Principi Dominus pro hujus ſacræ ſolicitudinis voto, & curſum præſentis vitæ in pace tranſigere, & poſt diutina tempora ad ſe in pace remiſſis iniquitatibus pervenire, qualiter & hîc felicia tempora ducat, & felix cum omnibus, quibus principatur, ad Chriſtum ſine confuſione perveniat: ut quia per eum corona noſtri ordinis in melius reſtauratur, coronam futuri regni capiat; ex hoc in regione vivorum regnans cum Chriſto in ſæcula ſæculorum. Amen.

* Wambani.
Ezech. 34.

Subſcriptiones Epiſcoporum.

Ego Quiricus urbis regiæ Metropolitanus Epiſcopus, hæc geſta ſynodalia à nobis definita ſubſcripſi.

Athanaſius Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.

Ego Argemundos Oretanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

* Bigerrenſis. Ego Joannes * Bigaſtrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Godiſcalcus Oxomenſis Eccleſiæ Epiſcopos, ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Leander Eccleſiæ Illicitanæ, qoi & Elotanæ, Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Felix Eccleſiæ Dianienſis Epiſcopus, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.

Svinterius Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.

Palmatius Eccleſiæ Urcitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

Ricilla Eccleſiæ Accitanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

* Vatienſis. Rogatus Eccleſiæ * Beatienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

* Baſtianæ. Etherius Eccleſiæ * Baſtitanæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Concordius Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Aciſclus Eccleſiæ Complutenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

* Segobricenſis. Memorius Eccleſiæ * Segobrienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Egica Eccleſiæ Seguntienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Gaudentius Eccleſiæ Valerienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Vicarii Epiſcoporum.

Libertus diaconus, agens vicem domini mei Siuduiti, Eccleſiæ Segobienſis Epiſcopi, hæc geſta conſentiens ſubſcripſi.

Egila diaconus, agens vicem domini mei Mumuli, Eccleſiæ Arcavicenſis Epiſcopi, hæc geſta conſentiens ſubſcripſi.

Abbates.

Julianus Eccleſiæ monaſterii S. Michaëlis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.

Valderedus Eccleſiæ monaſterii S. Leocadiæ Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis edita conſentiens ſubſcripſi.

Gratindus Eccleſiæ monaſterii SS. Coſinæ & Damiani Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis edita conſentiens ſubſcripſi.

Abſalio Eccleſiæ monaſterii Sanctæ Crucis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcripſi.

Florentinus Eccleſiæ monaſterii S. Eulaliæ Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcripſi.

Avila Eccleſiæ monaſterii S. Juliani Agalienſis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcripſi.

Gudila Eccleſiæ Sanctæ Mariæ regiæ Sedis archidiaconus, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

46. IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS, &c.] Toletanum Concilium undecimum, habitum anno IV. Wambani Regis, ſeptimo Idus Novembris, eſt Provinciale, coactum ſub Agathone Pontifice Maximo, in quo factam eſſe legitimam ſedium Epiſcopalium diviſionem, omnes Hiſpani hiſtorici tradunt, Rodericus, Chron. generale, Tudenſis, Vaſæus, & alii. Loaisa.

47. Baronius anno DCLXXV. num. 4. & 5. fretus auctoritate Tudenſis aſſerit, diviſionem ſedium Epiſcopalium in Hiſpania factam eſſe, non in hoc Concilio, cui XVIII. tantùm Epiſcopi interfuerunt; ſed in alio quodam Toletano Generali Concilio, cui omnes Epiſcopi Hiſpaniæ ſub Rege Wamba interfuerunt. In re graviſſima judicium meum ſuſpendo. Binius.

48. Sed enim ſub Wambane Rege nullum aliud præcedens Concilium in Hiſpania fuiſſe, in quo diviſio ſedium fieret, videtur palam conſtare ex prologo hujus Synodi ſub initium, in quo teſtantur, & dolent Patres, octodecim annos fuiſſe tranſactos ſine Concilio ullo, indeque ortam fuiſſe tantam diſciplinæ ac morum relaxationem in

clero

clero & populo, &c. Cùm igitur annus hujus Concilii fuerit quartus Wambanis (aliàs Wambæ) Regis; planè evincitur, nec totis iis quatuor annis, nec aliis quatuordecim præcedentibus, fuiſſe aliud Concilium Generale in Hiſpania, immo nec Provinciale, in quo ea ſedium diviſio fieret. Nota inſuper ex eodem prologo, quot mala afferant regnis defectus Conciliorum frequentium; de quo ſæpè aliàs doluimus decurſu hujus Operis. CARD. DE AGUIRRE.

49. *Cùm tandem nos.*] Joverius in *Collectione Conciliorum*, ampliùs habet: *Cùm tandem divina clementia operis manuum ſuarum perditioni condolens, prava in directa reducens, ſuum ſanctum Sabaoth novis propaginibus, ac plantis novellis fæcundare volens, negligentiæ ſubrogans diligentiam, pro ignorantia diſciplinam immittens, pro ſecordia ſolertiam, pro ſchiſmate unitatem inducens, pro zizania veræ pacis vinculum largiens, pro caducis cœleſtium deſideria infundens, pro turpibus honeſta ſectari ſtimulans, à terrenis & infimis ad ſublimia erigens nos, in hac lacrymarum valle potiùs morientes quàm viventes; in hoc vaſto periculorum mari vagantes ſine remige, ſine clavo, huc illucque tempeſtatum fluctibus per abrupta colliſos, in continua malorum acie, ubi nos circumſtant mille diſcrimina, ubi verſutiſſimus inſidiatur hoſtis, mille nocendi artibus inſtructus, ex alto cœli domicilio reſpiciens*, &c. LOAISA.

50. *Conciliorum monita amplectentes.*] Solenne fuit in Synodis Hiſpaniæ præmittere formulam profeſſionis Fidei Catholicæ ad præſcriptum primorum quatuor Conciliorum Generalium, poſt medium quinti ſæculi, uti hoc loco apparet, & antea ſuis locis vidimus. Quinti autem non fit expreſſa mentio: quoniam in eo potiùs de tribus Capitulis, & quibuſdam aliis rebus Eccleſiaſticis, quàm de dogmatibus Fidei tractatum fuit, acri animorum diſſidio & contentione. Non enim tractabatur quæſtio juris divini, ſive dogmatis; ſed ſolius facti non revelati circa ſcripta quædam Theodoreti, Theodori Mopſueſteni, & Ibæ; an damnanda eſſent cum auctoribus ſuis, integro antea ſæculo defunctis, & nondum eouſque damnatis ab Eccleſia. Hæc verò, juxta Cardinales Baronium, & Bellarminum, omneſque Theologos alicujus nominis, nullatenus definit judicio irreformabili & infallibili ejuſmodi controverſias, etiam intra Concilium Generale: ut ſæpè oſtendunt iidem ſcriptores pluribus exemplis, præſertim Honorii Papæ, & Epiſtolarum quarundam ipſius, de quibus infrà in Notis ad Epiſtolam Benedicti II. Papæ. quæ habetur in fine Concilii Toletani XIV. Eadem verò ratio eſt in quæſtione illa de tribus Capitulis, quorum diſcuſſioni præcipuè deputata fuit Quinta illa Synodus ſub Vigilio Papa, & Juſtiniano Imperatore. Hanc igitur cauſſam credo, cur in Concilio iſto Toletano, aliiſque multis, profeſſio Fidei fiat nominatim juxta quatuor prima Concilia Generalia, nulla facta mentione Quintæ Synodi, licèt valdè venerabilis, etiam in iis quæ non ſpectant ad dogmata Fidei. CARD. DE AGUIRRE.

51. *Confitemur.*] Fidei confeſſio in Conciliis præponitur, ſtatimque initio fieri ſolenne fuit, velnti totius Chriſtianæ ſtructuræ baſis & fundamentum, à quo omnis ædificatio creſcit in templum Dei. LOAISA.

52. *Hic etiam Filius Dei, naturâ eſt Filius, non adoptione.*] Ex hiſce verbis ac toto contextu dignoſcitur clariùs luce meridiana, Præſules Toletanos intervenientes huic Concilio longiſſimè fuiſſe ab errore Adoptivorum, centum annis circiter poſtea diſſeminato à Felice Urgellenſi, & Elipando Toletano Præſule, quibus potiſſimùm tribuitur hæreſis illa ajentium, Chriſtum fuiſſe filium Dei adoptivum. Conſtat enim ex præfatis verbis, Patres Toletani hujus Concilii oppoſitum palam atque ex diametro tradidiſſe. Porrò ii fuerunt contemporanei ſanctorum Archipræſulum Toletanorum Ildephonſi & Juliani, quorum ille Quirici, Præſidis hujus Concilii, deceſſor, iſte ſucceſſor *dein* fuit, uterque inſignis ſanctitate & doctrina. Quapropter certiſſimè credendum eſt, neutrum illorum incidiſſe in ſtupidum illum errorem Adoptivorum, aut ipſum tradidiſſe; ſed palam profeſſos fuiſſe veritatem Catholicam de Chriſto Filio Dei naturali, & nullatenus adoptivo, quam Quiricus Præſul, utrique amborum interjectus, & Præſes hujus Concilii, cum cæteris Epiſcopis tam apertè profitetur.

53. Verùm ad vindicandum S. Ildephonſum ab ea labe, quam centum annis plus minùs poſtea ipſi affricârunt nonnulli Adoptivorum, in patrocinium ſuæ ſectæ, nullo alio defenſore opus eſt, quàm Ildephonſo ipſo plurimis locis, præſertim libro celeberrimo *De perpetua virginitate S. Mariæ*, columnâ 3. juxta partitionem doctiſſimi Fevardentii in Bibliotheca Magna Patrum Aniſſoniana. Sæculo VIII. Tomo XII. pag. 566. ubi ſanctiſſimus Præſul ita loquitur de Chriſto naſcente ex Virgine: *Non illum, ut cæteros adoptio filios, Dei fecit filium, ſed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit: donavit & illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut eſſet totus Dei Filius, homo & Verbum: quia nunquam non fuit Dei Filius, qui ſempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipſe purus homo conceptus, nec natus ſicuti cæteri naſcuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa Filii præſtaretur: ſed Dei Verbum, quia caro factum eſt, aſſumpſit hominem in ſe ſine perſona hominis.* Quid clarius? Mitto plura alia ipſius teſtimonia, præſertim in eodem libro, clariora ſole, in id comprobandum.

54. Ex hiſce obiter confutantur Felix & Elipandus, aliique ipſorum ſequaces, qui ut errorem de filietate Chriſti adoptiva tuerentur, auſi fuerunt pro illo allegare plures Præſules Hiſpanos, & in iis nominatim S. Ildephonſum: ut patet ex Concilio celeberrimo Francofordienſi, habito anno Chriſti DCCXCIV. ſub Adriano I. Papa, & Carolo Magno Francorum Rege: ubi in Epiſtola ſynodica ad Epiſcopos Hiſpaniæ (à nobis edita Tomo III. hujus Operis pag. 102. & ſeqq.) ipſi ita laceſſuntur à Patribus Francofordienſibus: *Sequitur in eodem libello veſtro; Item prædeceſſores noſtri*

Euge-

Eugenius, Ildephonſus, Julianus, Toletanæ Sedis Antiſtites, in ſuis dogmatibus ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini: Qui per adoptivi hominis Paſſionem, dum ſuo non indolſit corpori. *Et in Miſſa de Aſcenſione Domini*: Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit deitatis: *& cætera, quæ ex parentum veſtrorum dictis poſuiſtis: ut manifeſtum ſit quales habeatis parentes, & ut notum ſit omnibus, unde vos traditi ſitis in manus infidelium. Quia hominem Chriſtum verum Dei Patris Filium eſſe negâſtis, vobis defenſor eſſe noluit; ſed tradidit vos in manus inimicorum ſuorum, ut dominentur veſtrî, qui eum recipere noluerunt.* Deinde ſuppoſito quòd verba illa fuerint ab Ildephonſo profecta, ut ajebant errones illi, invehuntur Patres Francofordienſes contra ipſum, ejuſque auctoritati anteponunt aliam S. Gregorii Papæ tradentis apertè contrariam doctrinam.

55. Sed enim judicium id Patrum Francofordienſium ſolùm eſt conditionale, ex hypotheſi quòd Ildephonſus, Eugenius III. & Julianus ita loquuti fuiſſent in iis Miſſæ officiis. At enim apertiſſima erronum illorum calumnia & impoſtura videtur fuiſſe, repugnantibus teſtimoniis Ildephonſi; ſicut & Quirici Præſidis in hoc Concilio Toletano XI. Idemque abſdubiò cenſendum de Eugenio III. & Juliano, viris ſanctiſſimis, quorum facta & ſcripta nec levis antea ejus erroris rumor aſperſit. Sed de hoc forſan opportuniùs in Prolegomenis Tomi III. Miſſa facio plura illuſtria teſtimonia eorundem Toletanorum Præſulum apertiſſimè contraria hæreſi Neſtorianæ, ex qua ille Adoptivorum error effluxit. Adi Baronium ad annum Chriſti DCCXCIV. CARDINALIS DE AGUIRRE.

56. *Et prædeſtinatus eſſe credendus eſt.*] In eo ſenſu quo dicitur à D. Paullo: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.*

57. AD CAP. I. *In loco benedictionis.*] De forma ſervanda in Conciliis celebrandis, ſtatuunt Concilium Toletanum IV. cap. 3. & Agathenſe cap. 40. Chalcedonenſe etiam, ut habetur diſt. 18. cap. *Pervenit ad noſtras*. Ordinemque celebrandi Concilia principio hujus Collectionis poſui.

58. AD CAP. II. *Quantum quis.*] De ſcientia quam debet habere Epiſcopus, vide Innocentium in cap. *Cùm in cunctis*. in princip. *De electione*. & Joannem Andreã, & Hoſt. & Abbat. Verùm Card. Turre-cremata Hiſpanus, & Prepoſitus, & Alexander, parciùs loquuntur de ſcientia & peritia Epiſc: in cap. *Omnes pſallentes*. 38. diſt. Epiſcopi munus eſſe primum ac præcipuum prædicare ſanctum Jeſu Chriſti Euangelium, habere in ore gladium veritatis, & divinæ Scripturæ intelligentiâ eminere. Multis exemplis pariter ac doctrinis oſtendit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſupremum Eccleſiæ caput, ſummuſque ſacerdos, cujus ſacrata membra Epiſcopi ſunt, qui typum ſupremi in veteri lege Epiſcopi Aaronis referunt. Nam ſicut ille os fuit Moyſi, ita Epiſcopus per verbi miniſterium os eſt Chriſti.

59. Atque hoc eſt quod Apoſtolis promiſit: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri*. Et ipſe primùm docuit facere, & poſtea docere. Immo duodecimum nondum annum compleverat, & in medio doctorum in templo diſputare inventus, ſolicitæ mœſtæque matri reſpondit: *Nonne in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et alibi: *Oportet me operari opera ejus qui miſit me*. Et illud: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, Patris.* Quænam eſſet Patris voluntas docuit; cùm Samaritanam prædicatione ad Fidem traxit; cùm parabolis & cœleſtibus doctrinis populum inſtruxit. *Circuibat enim Jeſus omnes civitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Et cum in ſynagogam Nazareth, ubi erat nutritus, intrâſſet; traditus eſt illi liber Iſaïæ Prophetæ: & ut revolvit, incidit in locum, ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum.*

60. Miſit etiam diſcipulos binos prædicare, & dixit illis: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*. Et: *Dicite: Pax huic domui*. Et: *Appropinquavit in vos regnum Dei*. Et poſt mortem corporis, gloriâ immortalitatis coopertus, dixit Apoſtolis: *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et rursùs: *Poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis*. Et alibi: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & univerſa Judæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ*. Idem etiam Apoſtolorum comprobatur doctrinâ; qui aliis ita de ſe ipſis dixerunt: *Non eſt æquum miniſtrare menſis, & relinquere verbum Dei*. Et Paullus: *Væ mihi* (inquit) *ſi non euangelizavero!* De quo dictum eſt: *Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum*. Unde ipſe de ſe dicebat: *Miſit me Dominus non baptizare, ſed euangelizare.* Et Epiſcopo Timotheo regulam Epiſcopalis muneris ita præſcribit: *Oportet* (inquit) *Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, nec turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt arguere*. Et alio loco: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem*. Et paullò pòſt: *Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ.*

61. Hæc igitur norma eſt, veraque imago Epiſcopalis curæ, quam Paullus deſignat, & certis coloribus depingit: quam etiam omnes ſancti Patres ſunt ſecuti. Zoſimi Pontificis Maximi fragmentum apponam: *Qui Eccleſiaſticis* (inquit) *diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, & temporum approbatione divinis ſtipendiis non eſt eruditus, nequaquam ad ſummum Eccleſiæ ſacerdotium aſpirare præſumat: & non ſolùm in eo ambitio inefficax habeatur, verùm etiam ordinatores ejus careant eo ordine, quem contra præcepta Patrum crediderunt præſumendum*. Inde eſt quòd ſacra-

rum

rum literarum neceſſariò oportet Epiſcopum habere peritiam. Et in ſua ordinatione, quum formatur, interrogatus, an utrumque ſciat Teſtamentum; publicè fatetur ſe ſcire. Idque in Veteri Teſtamento præfiguratum erat. Nam inter cætera ornamenta Pontifex rationale judicii ferebat in pectore, in quo inciſum erat: *Doctrina & veritas*: quia in pectore Pontificis manifeſta & cognita omnibus debet eſſe ſapientia veritatis. Hinc etiam veſtes, quibus arca à Levitis in via portabatur, jugiter annulis erant inſertæ: ut cùm illa eſſet portanda, nulla fieret mora intromittendis vectibus. Quia Epiſcopi, per quos verbum Dei in Eccleſia publicè in orbem circumfertur, ſacrarum literarum lectioni perpetuò debent ſedulam navare operam; ne tunc quærant diſcere, cùm ex officio alios teneantur docere.

62. David Rex, cui munus regendi populos datum eſt, priùs ex gratia Spiritus ſancti donum ſcientiæ percepit, quàm adminiſtrationem regni ſequeretur. Salomon quoque cùm primùm regnum inchoâſſet, non divitias, non longum vitæ tempus; ſed divinam ſapientiam à Deo poſtulat, & impetrat, ſine qua nihil eſſe præſtans ad regimen aptum regni intelligebat. Et priùs Dominus poſuit verba in ore Prophetæ, quàm conſtitueret eum ſuper gentes & regna; dicens ad Jeremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtitui te ſuper gentes & regna.* Hinc etiam Malachias: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt de ore ejus: quia angelus Domini exercituum eſt.* Quia ſancti & optimi viri eſt, priùs diſcere, poſtea verò prædicationis officio fungi.

63. Salomon antè tacendi tempus expreſſit, loquendi poſtea: quia veritas taciturnitate & ſilentio, meditationeſque animi diſcitur & comparatur: jam verò concepta, partaque, verbo populis datur & annunciatur, ut Domini ſermo ait: *Qui audit, dicat, veni.* Id enim in Apoſtolis formandis obſervavit, erudiens eos doctrinæ cœleſtis intelligentiâ, parabolarum apertione, miraculorum operatione, vitæ conſuetudine & familiaritate: ut ita edocti, prædicationis officio fungi poſſent: poſtea miſit in univerſum Orbem. Unde poſt corporis ſui admirabilem reſurrectionem, illis divinæ Scripturæ abditum reconditumque ſenſum aperuit; poſtea verò dixit: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Petrus verò Apoſtolorum Princeps, Chriſtique vicarius, cui ovilis Dominici cura demandata eſt, cùm rectoribus & præpoſitis Eccleſiæ ſcriberet, ait: *Parati eſſe debetis reddere rationem omni poſcenti vos ſatisfactionem de ea fide & ſpe quæ in vobis eſt.* Quibus teſtimoniis apertè monſtratur, non ſatis eſſe ſi inſit presbytero bona morum puritas, & vitæ honeſtas, ut muneri Epiſcopali præficiatur, niſi ſcientiâ doctrinæ cœleſtis polleat.

64. Expendamus poſt Zoſimum Origenis verba hom. 6. ad cap. 8. Levitici: *Si quis vult Pontifex tam vocabulo eſſe quàm merito, imitetur Moyſen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quia non diſcedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyſes indeſinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus ejus erat? ut aut à Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret. Hæc duo ſunt Pontificis opera, ut aut à Deo diſcat, legendo Scripturas divinas, & ſæpiùs meditando; aut populum doceat; ſed illa doceat quæ ipſe à Deo didicerit; non ex proprio corde, vel ex humano ſenſu, ſed quæ Spiritus ſanctus docet.* Hæc Origenes.

65. Concilio etiam Toletano XVI. in decreto 12. judicii, & electione Felicis Epiſcopi in Toletanam ſedem, & Fauſtini in Hiſpalenſem, & alterius Felicis in Bracarenſem, ſic Epiſcopale officium deſignatur: *Quatenus uterque eaſdem, quas ſuſcipiunt Eccleſias, pia prædicatione inſtruant, moribus ſanctis exornent, ac beata vita exemplis ædificent.* At dicet quis, Concilio Tridentino ſtatutum eſſe, poſſe Epiſcopos per alios, ſi legitimè impediti fuerint, verbum Dei annunciare. Id autem quis negabit? quis inficiabitur? Verùm ignorantiæ, & inſcientiæ, & imperitiæ impedimentum, nullus ſanus, neque in ſacris literis verſatus, ut per alios populum erudiat, dicet eſſe legitimum atque ſufficiens. Quod nec Paullus admittit, quum ait: *Ut potens ſit exhortari in doctrina, & eos qui contradicunt, arguere. Potens ſit* (inquit) *in doctrina*, id eſt, in ſacrorum librorum intelligentia, in divinorum myſteriorum peritia, in quæſtionum ſacrarum enodatione, in Conciliorum & decretorum Eccleſiæ doctrina & ſapientia, in hæreticorum calliditatibus & verſutiis arguendis ac ſubvertendis. Et 2. ad Timoth. eum in Epiſcopali cura inſtruens, ſic ait: *Tu verò permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis enim ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus inſtructus.* Neque prætermittendum eſt Timotheum ab infantia ſacras literas didiciſſe, ut in curam Epiſcopalem incumberet. Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 1. in Epiſcopis requirit, ut eorum prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia laudabiliter acta teſtimonium præbeat. Hæc de Epiſcoporum munere & doctrina diximus, fuſiùs fortè quàm oportuit. Loaisa.

66. Ad Cap. IV. *Sicut omnis*, &c.] Non ſatis apparet, quonam fundamento Surius, Joverius, & alii Collectores, tribuerint Bonifacio verba hujus capitis, quod in exemplaribus Mss. à D. Loaïſa viſis nemini adſcribitur. Certè doctrina in eo tradita eſt lectu digniſſima, & ut habeantur præ oculis verba illa: *Relatæ ſunt nobis*, &c. Etenim diſcordiæ inteſtinæ & exitiales ſacerdotum ad invicem ſæpè contingunt in Eccleſiis, etiam Cathedralibus, ac Metropolitanis, tum inter canonicos, ſeu Præbendatos, tum etiam inter ipſos, & eorum Præſules. Quot turbulentiæ, quot lites, quot ſumptus, quot inquietudines, odia mutua, & ſacrilegia accedentium ad altare in eo deplorando ſtatu, contingant, etiam per integros annos, ſine reconciliatione ulla vera, & cum ſcandalo populorum, ſatis conſtat frequenti ex-

experimento. Utinam pœna indicta hoc loco à PP. Toletanis mandaretur exſecutioni. CARDIN. DE AGUIRRE.

67. *Juxta antiqui Canonis.*] IV. Concil. Carthagin. cap. 9. *Oblationes* (inquit) *diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.* LOAISA.

68. AD CAP. V. *Si quis Epiſcoporum,* &c.] Vides hoc loco pœnam depoſitionis & excommunicationis perpetuæ impoſitam cuilibet Epiſcopo carnaliter lapſo cum fœminis ibidem indicatis, ſola communione ipſi permiſſa in fina vitæ. Quod jam antea ſæpiſſimè ſtatutum fuiſſe ab Eccleſia cum pluribus aliis adversùs clericos incontinentes, latè oſtendimus tota Diſſertatione X. in Concilium Toletanum X. Vide ibi. CARD. DE AGUIRRE.

69. AD CAP. VIII. *Voluntariè oblata.*] Sic in Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 1. *De reformatione: Nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, aut alia quacumque de cauſſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant.* Habes idipſum Concilio Toletano VIII. cap. 3. Concilio tamen Bracarenſi II. permittitur, ut ſi quid ab iis, qui infantes ad baptiſmum offerunt, ſponte oblatum ſit, accipi poſſit. ſic enim habetur: *Placuit, ut unuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, ut hi qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis.* In excuſis ex Gratiano legitur: *Nonniſi voluntariè oblata.* Concilio Emeritenſi cap. 9. *Quod ſi quis aliquid offerat per bonam voluntatem, accipitur gratè.*

70. *Conſignandis.*] Conſignatio eſt Confirmatio; munus ſolius Epiſcopi. Act. 8. *Miſerunt ad eos Petrum & Joannem,* &c. Apoſtoli initiatis baptiſmo manus imponebant, non presbyteri; Epiſcopi verò Apoſtolis ſucceſſerunt, non presbyteri, ut ait Auguſt. ad Pſalm. 44. S. Clemens lib. 3. *Conſt. Apoſt.* cap. 16. *Poſtea Epiſcopus* (ait) *ungat baptizatos chriſmate.* Idem Clemens Epiſt. IV. Et Urbanus Papa I. Epiſtolâ ad omnes Chriſtianos, Can. *Omnes fideles*. *De Conſecr.* diſt. 5. Melchiades Papa Epiſtolâ ad Epiſcopos Hiſpaniæ quærit, utrum majus eſſet ſacramentum, manûs impoſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus. Idem Damaſus Papa Epiſt. IV. ad Chorepiſcopos, Leo Magnus Epiſt. LXXXVIII. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, Euſebius Martyr Epiſt. III. ad Epiſcopos Thuſciæ. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium, cap. 3. *De conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt* (inquit) *non ab alio quàm Epiſcopo fieri licere.* Tolet. I. cap. 20. Idem in Concil. Hiſpal. cap. 7. S. Thomas 3. p. quæſt. 72. art. 11.

71. AD CAP. IX. *Patrum ſententiæ.*] Neminem pretio ordinandum decrevit Gelaſius Papa Epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam, cap. 26. & Conc. Chalced. cap. 2. habeturque 1. q. 1. *Si quis Epiſcopus.* Idem Hormiſda Papa Epiſtolâ ad Epiſcopos per Hiſpan. cap. 2. Symmachus Epiſtolâ ad Cæſarium cap. 2. & 5.

72. *Apparitoribus.*] Erant apparitores magiſtratuum miniſtri, qui & *viatores* dicebantur; homines qui reos in jus ſiſtebant; unde & *Statorum* nomen illis inditum. Hic accipi videntur pro iis, qui ordinibus initiandos Epiſcopis ſiſtebant, & ea re lucrum captabant.

73. AD CAP. X. *Placiti ſui innodatione.*] Placitum, profeſſio, conventio, & pactum. Sic in *Legib. Wiſi-gotth.* lib. & tit. 4. leg. 10. & lib. 12. *De Judæorum placito.* Et apud Caſſianum collat. 9. cap. 1. Et apud Juriſconſultos, ibi ſæpè, tum præſertim lib. 40. tit. 14. *De pactis.*

74. AD CAP. XI. *Tempore infantiæ faciunt.*] Infantibus poſt baptiſmum Euchariſtię ſacramentum dari ſolitum, teſtatur Ambroſius libro *De his qui myſteriis initiantur,* cap. 7. & 8. & lib. 3. *De Sacramentis,* cap. 1. Et Concil. Laodicen. cap. 28. ita habetur: *Oportet baptizatos poſt baptiſmum ſacratiſſimum chriſma percipere, & cæleſtis regni participes fieri.* Idem Tertull. lib. *Adverſus Marcionem,* & Hieronymus *Adverſus Luciferianos,* Auguſt. Epiſt. XXIII. & lib. 5. *Hypognoſt.* In parvulis etiam eadem ſervabatur inſtitutio; ut conſtat ex Ordine Romano, & Alcuino lib. *De divinis officiis,* cap. *De ſabbatho ſancto.* Verùm hæc conſuetudo in Eccleſia Latina antiquata eſt, quamvis in Græca ſint qui dicant adhuc permanere. LOAISA.

75. Citat hoc loco Illuſtriſs. Loaïſa librum quintum Hypognoſticôn, veluti ſcriptum ab Auguſtino. Sed enim ipſi abjudicant id Opus alii: Cujuſcumque tamen ſit, per omnia ferè videtur conſonus indubitatis ſcriptis S. Doctoris, ut alibi obſervavimus, & fatetur Janſenius libro ſingulari *De gratia primi hominis,* cap. 7. cùm tamen ipſi valdè contrarius ſit in quodam dogmate capitali, præſertim lib. 3. cap. 10. CARD. DE AGUIRRE.

76. AD CAP. XII. *Reconciliatio adhibenda eſt, ne priùs ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis percipiat.*] Tria ſunt hoc loco conſideranda: pœniteotia, manûs impoſitio, & reconciliatio. Accipere pœnitentiam nihil aliud erat, quàm pœnitentium ſubdi legibus, per animi contritionem, & oris confeſſionem. Manûs impoſitio erat abſolutio ſacerdotis poſt peractam peccatorum confeſſionem. Reconciliatio verò erat Euchariſtiæ ſumptio; ad quam perceptionem in mortis extremo periculo maximè feſtinandum eſt. Id conſtat ex Concilio Carthag. IV. cap. 76. quod de infirmis in phreneſin verſis ſic decernit: *Accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Idipſum explicatur Concil. Arauſic. I. Can. III. *Qui recedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ, placuit ſine reconciliatoria manûs impoſitione eis communicari.* quod morientis ſufficit reconciliationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter Viaticum nominârunt. In fine vitæ, pabulo corporis & ſanguinis Chriſti Domini noſtri dignè refici, æternæ vitæ argumentum eſt, donumque cœleſte profecturis ad regnum æternum con-

conceſſum: unde viaticum à Latinis, à Græcis verò ἐφόδιον nominatum. Nicæna Synodus Canone XIII. Habetur 26. quæſt. 6. cap. *De his verò*.

77. Meritò in hoc uno ſacramento poſitum eſt Viaticum: eſt enim cibus itinerarius animæ & corporis, ſicuti manna fuit corporis in deſerto iter agentibus. Ejus uſu & ſumptione virtutes officiaque pietatis Chriſtianæ augentur, appetitioneſque humanæ terreſtres debilitantur & diſſipantur; præſertim cùm & vinculis corporis, tanquam è carcere animus eductus, viam pertimeſcendam alterius ſæculi calcat. Quo tempore præcipuè iſte cibus ſtudioſè & piè adhibendus eſt; idque viri ſancti maximo ſtudio curârunt. Chryſoſtomus lib. 7. *De ſacramentis*, commemorat ſe audiviſſe à ſancto viro, qui divino beneficio ipſe viderat, quòd qui ex hac vita migraturi ſunt, ſi purè & ſanctè hujus ſacramenti participes fuerint, ab angelis, eorum animas ſatellitum more ſtipantibus, propter hujuſmodi ſacramentorum ſumptum, hinc rectà in cœlum abducuntur. quam ſententiam libentiſſimè poſui propter conſolationem fidelium in hac lacrymarum valle degentium. Paullinus etiam in *Vita Ambroſii*, narrat Honoratum ſacerdotem Vercellenſis Eccleſiæ retrò fuiſſe divina voce vocatum ſic: *Surge & feſtina, quia modò es receſſurus*; qui veniens obtulit Ambroſio Dominicum corpus, quo accepto, emiſit ſpiritum. Nicephorus etiam lib. 13. cap. 37. de morte Chryſoſtomi tradit, eum fuiſſe à Petro & Joanne Apoſtolis cœleſti eſca refectum. Vide quid dicat Greg. hom. 40. & lib. 4. *Dialog.* cap. 15. de Sancta Romola, & Euſebius lib. 6. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 36. de Serapione. Et hoc eſt apud Cyprianum lapſis pacem dari, hoc eſt, ad communionem ſanguinis & corporis Domini admitti. Loaisa.

78. Non facilè apparet undenam D. Loaïſa in Notis prejactis ad hunc Canonem, ſive Cap. XII eruerit, quòd manûs impoſitio eſſet abſolutio ſacerdotis, reconciliatio autem Euchariſtiæ ſumptio. Etenim ex dictis & obſervatis in hoc Opere conſtat, poſt conceſſam peccatoribus actionem pœnitentiæ, quâ adſcribebantur gradatim variis pœnitentium claſſibus, ſecutam fuiſſe crebram manuum ſacerdotalium remiſſionem, quâ non abſolvebantur, ſed ſolùm præparabantur lento ac ſucceſſivo gradu, ut poſt impletum tempus ſatisfactionis abſolverentur, & non antea, niſi fortè urgens periculum mortis accideret. Tunc enim reconciliabantur Deo per formam abſolutionis. Et hoc ipſum docet S. Leo Papa verbis citatis in præſenti capite, quæ habentur Epiſt. ipſius XCI. aliàs in editione Queſnelii LXXXIII. ad Theodorum Foro-julienſem Epiſcopum. Data autem ſemel reconciliatione, ſive abſolutione per ſacerdotem, ſequebatur communio Euchariſtica, quæ in articulo mortis dicitur Viaticum, juxta Concilia & Patres. Lege eandem Epiſtolam S. Leonis integram cum Notis ejuſdem Queſnelii, & Joannis Morini, ſparſis in Opere doctiſſimo *De pœnitentia*: ubi invenies eruditè comprobata pluribus monumentis Conciliorum ac Patrum quæ modò diximus, & omnium doctorum animis altè infixa videntur, quotquot in veteri diſciplina Eccleſiaſtica ſtudium ſolerter collocârunt. Cardinalis de Aguirre.

79. *De his autem qui.*] Vide de hac re Magiſtrum Sententiarum lib. 4. diſt. 20. de his qui in fine pœnitent.

80. Ad Cap. XII. *Nos ſententias ſequi placuit.*] Sic in Concil. Epaun. & ex eo apud Gratian. 26. quæſt. 6. cap. *Si aliquis*. *Si quis fuerit mortuus, qui jam ſit confeſſus, & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad ſacerdotem, ſed præoccupavit eum mors in domo, vel in via; faciant parentes ejus pro eo oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis. Idem per totam quæſtionem hujus cauſſæ.*

81. *Memoria talium in Eccleſiis commendetur.*] Veteris Eccleſiæ mos fuit, pro quibus offerebatur, nomina in Miſſæ ſacrificio recitari, tam vivorum, quàm defunctorum. Id conſtat ex Concilio Emeritenſi cap. 19. *Proinde ſalubri deliberatione cenſemus, ut pro ſingulis quibuſque Eccleſiis, in quibus presbyter juſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre; & eorum nomina, à quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſiis videntur, aut viſi ſunt contuliſſe; ſi viventes in corpore ſunt, ante altare recitentur tempore Miſſæ: quòd ſi ab hac diſceſſerunt, aut diſceſſerint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo in ordine.* Erant enim tabulæ duæ, quarum uni vivorum, alteri defunctorum nomina inſcribebantur: ut patet ex Innocentio in Epiſtola I. ad Decentium, & ex Dionyſio Areopag. cap. 3. *Eccleſiaſt. Hierarch.* In Concilio Eliberitano cap. 29. *De energumenis*, dicitur: *Ut nomen eorum non recitetur ad altare.*

82. Defunctorum in Miſſa memoria ab Apoſtolis eſt inſtituta, ut tradit Iſidorus lib. 1. *De Offic.* cap. 18. *Sacrificium* (inquit) *pro defunctorum fidelium requie offerre, vel orare pro eis, quia per totum hunc Orbem cuſtoditur, credimus quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim ubique Catholica tenet Eccleſia: quæ niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus, vel eleemoſynam faceret, vel ſacrificium Deo offerret.* Hæc Iſidorus. Cyprianus pro mortuis ſemper offerebat ſacrificium, ut in Epiſtola ad Clerum dicit de Celerino Confeſſore. Et Gregorius lib. 7. *Regiſt.* Epiſtolâ quæ incipit: *Utilis ſemper*. Ultimò apponam fragmentum Auguſt. lib. 9. *Confeſſ.* cap. 13. Sic enim ait de morte Monicæ matris ſuæ: *Namque illa, imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitavit corpus ſuum ſumptuosè aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit ſepulcrum patrum: non illa mandavit nobis, ſed tantùm memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat. Unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis; quâ triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra.* Et infrà: *Inſpira, Domine Deus meus, inſpira ſervis tuis fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus voce, & corde, & literis ſervio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio*

quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodum neſcio. Meminerint cum affectu primùm parentum meorum, in hac luce tranſitoria, & fratrum meorum ſub te patre, in matre Catholica, & civium meorum in æterna Jeruſalem, cui ſuſpirat peregrinatio populi tui, ab exitu uſque ad reditum; ut quod à me illa popoſcit extremum, uberiùs ei præſtetur in multorum orationibus, tam per confeſſiones, quàm per orationes meas. Hæc Auguſtinus de matre ſua.

83. Ad Cap. XIII. *Majorum regulis.*] Concilium Eliberitanum cap. 29. & I. Arauſicanum Canone XVI. & Pius Papa I. diſt. 33. cap. *Communiter.*

84. *Arrepti à dæmonibus.*] Hi Græco nomine dicuntur energumeni, *ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν*, ideſt, ab operationibus dæmonum, quas in ipſis præcipuè videmus. Concil. Ancyr. Can. XVI. *Energumenus eſt qui tempeſtate jactatur, ſeu ſpiritu immundo divexatur*, *ἐνέργεια* enim pro vi, ſeu efficacia, & vexatione dæmonum accipitur apud Tertull. libro *De præſcript. adverſùs hæreticos*. Sanctus Ambroſius ſerm. 25. dicit, à diabolo energumenum nonniſi jejuniis poſſe purgari. Arreptorum nomen etiam apud Caſſianum eſt Collat. 7. cap. 12. Dicti ita videntur *ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν*, ideſt, ab operationibus dæmonum, quas in eos exercent.

85. Ad Cap. XIV. *Qui ejus vicem.*] Idem eſt in Concilio VII. Toletano Canone II. *Quòd nullus ſolus Miſſam dicat*, decretum eſt à Sotere Papa, habeturque *De conſecrat.* diſt. 1. cap. *Hoc quoque.* & Concil. Moguntino cap. 43.

86. Ad Cap. XV. *Metropolitani electio.*] Sic cavetur Concil. Chalcedon. cap. 29. ut celebretur Synodus bis in anno, eo in loco, quem Epiſcopus Metropolitanus deſignaverit. Suprà de hac re diximus.

87. *Subſcriptiones.*] In his omnibus ſubſcriptionibus ſolus Athanaſius Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcribit, qui aliis interfuit Conciliis: is enim in VIII. Erâ DCXCI. & IX. & X. ſubſcribit; unde hic ut antiquior omnibus, poſt Metropolitam Quiricum ſecundo loco confirmat. Cæteri omnes Epiſcopis aliis ſuffecti huic Synodo interfuerunt: ut Argemundus Eccleſiæ Oretanæ, qui ſucceſſit Mauricio in X. Aciſclus Complutenſis Davilæ in X. Concordius Palentinæ Aſcario in VIII. Etherius Baſtitanæ Servo-dei in VIII. Egica Seguntienſis Widerico in X. Felix Dianienſis Marcello in VIII. Gaudentius Valerienſis Stephano in X. Godiſchalcus Oxomenſis Egilano in X. Joannes Bigaſtrenſis Giberio in X. Leander Illicitanæ Winibali in X. Memorius Segobrienſis Euſicio in X. Mumulus Arcavicenſis, per procuratorem Balduigio in X. Palmatius Urcitanæ Marcello in X. Quiricus Urbis-Regiæ Eugenio in X. Ricilla Accitanæ Magnario in X. Svinterius Valentinæ qui Felici in VIII. Sinduitus per procuratorem Segobienſis Anſerico. Subſcribit etiam Rogatus Beatienſis. Hujus Epiſcopatus mentio in aliis ſubſcriptionibus non habetur. Omnes ferè Epiſcopi ſunt ex Metropoli Toletana; nam in X. Concilio Toletano omnes ſubſcribunt, præterquam Palentinæ, Baſtitanæ, Valentinæ, Segobrienſis, qui etiam ad Carthaginenſem provinciam pertinent. Loaisa.

88. Primus omnium huic Concilio ſubſcribentium ponitur Quiricus, *Urbis Regiæ Metropolitanus Epiſcopus*, qui Sancto Ildephonſo ſucceſſit, & Sanctum Julianum præceſſit. Fortaſſis ex celeberrimo deſcenſu Deiparæ Virginis ad honorandum Ildephonſum ſibi devotiſſimum, & ſeſſione ſupra cathedram Epiſcopalem illius, quæ contigerat octo circiter annis ante hoc Concilium, fuit ortum ut initio ejus dicatur celebratum *IN BEATÆ MATRIS DOMINI MARIÆ VIRGINIS SEDE*. Cùm enim eſſet recentiſſima memoria ejus miraculoſæ deſcenſionis, veroſimile eſt, ut ab eo tempore Eccleſia ipſa Metropolitana appellaretur eo titulo, deſumpto ex ſeſſione Deiparæ ſupra cathedram. Sed hoc intra limites ſolius conjecturæ dictum eſto.

89. Alioqui glorioſiſſimam ipſam deſcenſionem enarratam habemus, non modò ex teſtimonio Cixillæ Præſulis Toletani, ſed etiam Juliani Diaconi ejuſdem Eccleſiæ, in Præfatione ſua ad librum S. Ildephonſi *De virginitate perpetua Deiparæ*, quam ex Mss. fideliter edidit inſignis Academiæ Pariſienſis doctor Fevardentius, & nuper recudendam curârunt Aniſſonii Tomo XII. Biblioth. Maximæ Veterum PP. paginâ 548. Nos verò edidimus ſuprà, paginâ 658. Cardin. de Aguirre.

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT CONCILIUM BRACARENSE * III.

* Quartũ erat in uno Mſ. ut patet ex aliis, & ex Ivone p. 5. cap. 35. & Exc.

Quod factum eſt ſub anno IV. glorioſi domini noſtri WAMBANI Regis, Erâ DCCXIII. ideſt, anno CHRISTI DCLXXV.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De Fide.*

II. *Ut repulſis omnibus opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm & vinum aquâ permiſtum in Sacrificio offeratur.*

III. *Ne vaſa Domini ſacrata humanis uſibus ſerviant.*

IV. *Ne ſacerdos ſine orario Miſſam audeat celebrare.*

V. *Ne ſacerdotes, ſive quicumque ex clero, ſine teſtimonio cum quibuslibet fœminis habitent.*

VI. *De damnata præſumptione quorundam Epiſcoporum, qui in feſtivitatibus Martyrum ad Eccleſiam procedentes, appenſis collo reliquiis, ab albatis diaconibus in ſellulis vectantur.*

VII. a *De boneſta bonoratorum diſciplina.*

VIII. *Ne repromiſſione munerum honoris gratia venundetur.*

IX. *Ne* b *Rectores Eccleſiæ plus propria, quàm Eccleſiaſtica jura laborare intendant.*

a De boneſtate bonoratorum, & diſciplina. Exc.
b Actores. Exc.

I. *De Fide.*

1. DECENTER ſatis per divinum Spiritum in Bracarenſi urbe collecti, de his quæ intra Dei Eccleſiam perverſa actione geruntur, tractaturi convenimus; ut adjuvante nos illo, qui dicit: *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ero in medio eorum*; pari animo, parique devotionis ſtudio exſurgentes, malè habitos extirpemus errores. Etenim dum nos in unum ſynodalis actio aggregâſſet, debitis in ſedibus collocati, primùm de ſanctæ Fidei ſacramento cœpimus habere ſermonem: ſcilicet, ne aut vanitate diſputantium, aut neſcientiâ ſimplicium, erroris quippiam in hoc ſacroſancto * ſacramento Fidei teneretur. Unde cùm omnes nos in vera Fide, ut ſpeculum perluſtraremus illæſos; in eo, quia nullum noſtrum ſchiſmatici erroris c fœdaverat turbo; ſed vera nos & ſimplex in hoc ſacramento Apoſtolica oſtendit idoneos prædicatio, grates omnipotenti peregimus Deo. Quam tamen noſtræ Fidei regulam ipſis verbis atque ſententiis commemorando reteximus, quibus eam declaratam eſſe ſcimus in conventu Nicæni Concilii. Et ideo:

* Deeſt. Exc.
c Fatigaverat. Exc. al. fuſcaverat.

2. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium conditorem: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum; ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum ex Deo, lumen ex lumine; Deum verum ex Deo vero; natum, non factum: homouſion Patri (hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ) per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & quæ in terra: qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, d & ex Maria Virgine homo factus; paſſus ſub Pontio Pilato; ſepultus, tertia die reſurrexit; aſcendit in cœlos; & ſedet ad dexteram e Patris: inde venturus judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem; cum Patre & Filio adorandum & glorificandum; qui locutus eſt per Prophetas: g in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma, in remiſſionem h peccatorum, carnis reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

d Natus ex Maria Virg. Exc.
e Dei Patris. Iterum vent. Exc.
f Vent. in gloriâ jud. C. A.
g Et unam ſanctam Catholicam. Exc.
h Pecc. exſpectamus reſurrectionẽ mort. Exc.

3. Poſt hujus ſanctæ Fidei ſacramentum, relatus eſt in i concione noſtrorum omnium error manifeſtus pariter & diverſus, qui tanta debet diſciplinæ arte retundi, quanta & perverſitate comprobatur k admitti. Quidam enim in ſacrificiis Domini relati ſunt lac pro vino; pro vino botrum offerre: Euchariſtiam quoque vino madidam, pro complemento communionis credunt populis porrigendam; &, quod pejus his omnibus eſt, quidam ſacerdotum in vaſis Domini epulas ſibi apponunt, & manducare in eis præſumunt. Quidam etiam ex ſacerdotibus relati ſunt, quòd Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordine prætermiſſo, Miſſam ſine orariis audeant dicere, & quòd in ſolennitatibus Martyrum reliquias ſuo collo imponant, & in ſellulis non ab aliis ſe portandos, niſi ab albatis diaconibus credant. Illud quoque quòd plerique ſacerdotum abſque teſtimonio cum fœminis commorentur, & quòd quidam illorum honoratos fratres ſuos verberibus indiſcretis ſubjiciant: necnon & illud, quòd quidam l ſimoniæ cupiditate arrepti, quos ordinaturi ſunt, ſub cautione dimittant; qualiter poſtquam ordinati fuerint, pecuniam ab ipſis promiſſam accipiant. Illud quoque, quòd familiam Eccleſiæ in propriis laboribus quaſ-

i Cognitione. Exc.
k Infundi. Exc.
l Simonis. C. A.

quaſſant ; damnum rebus Dominicis facientes, Quæ omnia ne confuſè viderentur eſſe prolata, diſcretis titulorum ordinibus credimus ſubnectenda.

II. *Ut repulſis omnibus opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm & vinum aquâ [m] permiſtum in Sacrificio [n] offeratur.*

m Permixta. C. A.
n Offerantur. Exc. De conſecr. diſt. 2. Cùm omne crimē. *Id prohibitum eſt Can. Apoſtol. III. ne mel aut lac offeratur præter ordinationem Domini.*
o Expreſſum vinum. Exc. & tit. De conſecr. diſt. 2. Non rectè.
p Cognoſc. commendata. Exc. tit. De conſecr. cognoſcimus dediſſe. *Matth. 26.*
q Sacrificio. Exc.

4. Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipſa oblatione ſacrificii erratur? Audivimus enim quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra divinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones, lac pro vino in divinis ſacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigere: quoſdam etiam [o] non expreſſum vinum in ſacramento Dominici calicis offerre, ſed oblatis uvis populos communicare. Quod quàm ſit Evangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini Eccleſiaſticæ adverſum, non difficile ab ipſo fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipſa ſacramentorum myſteria proceſſerunt. Cùm enim magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, non illis lac, ſed panem tantùm, & calicem ſub hoc ſacramento benedixiſſe [p] cognoſcimus. Ait enim Evangelica veritas: *Accepit Jeſus panem & calicem, & benedicens dedit diſcipulis ſuis.* Ceſſet ergo lac in [q] ſacrificando offerri, quia manifeſtum & evidens exemplum Evangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem & vinum aliud offerri non ſinit.

Joann. 13.
r Demonſtraret. Exc.
Julius Papa ad Epiſcopos per Ægyptum tit. De conſecr. diſt. 2. cap. Non debes.
Omnia hæc ex Epiſt. Julii Papæ ad Epiſc. Ægypti.

5. Illud verò quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio teſtimonium recipit, ubi Apoſtolis corpus ſuum & ſanguinem commendavit: ſeorſum enim panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illi tantùm diſcipulo, quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderet: non quæ ſacramenti hujus inſtitutionem [r] ſignaret. Nam quod de inexpreſſo botro, id eſt, de uvæ granis, populus communicatur, valdè eſt omnino confuſum. Calix enim Dominicus, juxta quod quidam doctor ediſſerit, vino & aquâ permiſtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quando in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur: quæ copulatio & junctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commiſtio illa non poſſit ſeparari: nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Ergo quando botrum ſolum offertur, in quo vini tantùm efficientia demonſtratur, ſalutis noſtræ ſacramentum negligitur, quod per aquam ſignificatur: non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur.

s Statum. Exc.
t Quod. Exc.

6. Et ideo, quia jam ex hoc plurima & multiplex majorum emanavit ſententia, quorum pietas in Deum religioſa, horum ſacramentorum & efficientias copioſè diſſeruit, & inſtitutiones veriſſimè declaravit, omnis talis error atque præſumptio ceſſare jam de cætero debet, ne perverſorum ordinata compago [s] ſenatum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum erit, aliud in ſacrificiis divinis offerre, niſi juxta antiquorum ſententias Conciliorum, panem tantùm & calicem vino & aquâ permiſtum: de cætero aliter quàm præceptum eſt faciens, tamdiu à ſacrificando ceſſabit, quamdiu legitimâ pœnitentiæ ſatisfactione correctus, ad gradus ſui officium redeat, [t] quem amiſit.

III. *Ne vaſa Deo ſacrata humanis uſibus ſerviant.*

a Terribile. Exc.
b Comedendas. Exc.
c Tantum ſibi offerri ſacramenta pro. Exc.
d Præcepit. Exc. 23. diſt. cap. Eccleſiaſt. inſtit. *De orario nobis ſuprà dictum eſt.* Concil. Tolet. IV. cap. 28.

7. Omni cura, omniſque ſtudio providendum eſt, ne hi qui locum videntur regiminis obtinere, contumeliam videantur inferre cœleſtibus ſacramentis. Etenim, quod & auditui [a] horribile, & viſui exſecrabile judicatur, relatum eſt nobis, quòd quidam ſacerdotum ſacrilega temeritate præcipites, vaſa Domini in proprios uſus adſumant, epulaſque ſibi in eis [b] comeſuras apponunt. Quod malum & obſtupentes deflemus, & deflentes obſtupeſcimus; ut illic humana temeritas ſibi epulum præparet, ubi ſanctum Spiritum cognoſcitur advocâſſe: & ibi eſum carnium crapulatus aſſumat, ubi divina viſus eſt celebrâſſe myſteria: & in quibus [c] tantæ rei ſacramentum pro expiatione delictorum [d] percepit, in his expleat voluntatem ludibrii ſui.

8. Et ideo hujus de cætero præſumptionis perſona, quæ ſciendo divina vaſa, vel miniſteria, aut in uſus ſuos tranſtulerit, aut comedere in his, vel poculum ſibi ſumendum elegerit; gradûs ſui, vel officii periculum ſuſtinebit: ita tamen, ut ſi de ſæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: ſi verò religioſus, ab officio deponatur. Sub hac quoque damnationis ſententia & illi obnoxii tenebuntur, qui Eccleſiaſtica ornamenta, vela, vel quælibet alia indumenta, atque etiam utenſilia, ſciendo in uſus ſuos tranſtulerint, vel aliis vendenda vel donanda crediderint.

IV. *Ne ſacerdos ſine orario Miſſam audeat celebrare.*

e Utroque. Exc.
f App. humero. qua. Grat.
g Non dubitatur. C. A. & Grat.
h Conſ. honoris ſuæ retineat, & in obl. Exc. & Grat.

9. Cùm antiquâ Eccleſiaſticâ noverimus inſtitutione præfixum, ut omnis ſacerdos, cùm ordinatur, orario utroque humero ambiatur; ſcilicet, ut qui imperturbatus præcipitur conſiſtere, inter proſpera & adverſa, virtutum ſemper ornamento [e] utrobique circumſeptus [f] appareat; qua ratione tempore ſacrificii non aſſumat, quod ſe in ſacramento accepiſſe [g] non dubitatur? Proinde modis omnibus convenit, ut quod quiſque percepit in [h] conſecratione, hoc & retentet in oblatione, vel perceptione

ſuæ

ſuæ ſalutis ; ſcilicet, ut cùm ſacerdos ad ſolennia Miſſarum accedit, aut [i] pro ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus : ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore [k] præferat crucis, Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ [l] ſubjacebit.

[i] Per ſe. *Exc.*
[k] Præparet. *Exc.*
[l] Subjaceat. *Exc.*

V. *Ne ſacerdotes, ſive quicumque ex clero, ſine teſtimonio cum quibuslibet fœminis habitent.*

10. Quanquam antiqua Canonum inſtitutio de hujuſmodi præſumptione abſolutas & multiplices diſciplinas atque inſtitutiones ediderit; nos tamen brevitatis cauſâ, omnem fornicandi occaſionem cupientes auferre, id omnimoda ſancimus auctoritate tenendum, ut nullus ſacerdotum, ſive quiſquis ille de clero, abſque honeſto & competenti teſtimonio, excepta ſola matre, cum quibuslibet fœminis ſecretè ſe præſumat adjungere, non ſolùm cum extraneis mulieribus, ſed nec cum ipſis etiam ſororibus, vel propinquis ; ne licentiâ ſororum, vel propinquarum mulierum, quiſquis ille ſolutus, familiarior habeatur ad perpetrandum ſcelus. Hujus ergo præceptionis tranſgreſſor, ſex menſibus ſe noverit pœnitentiæ legibus ſubjacere.

VI. *De damnata præſumptione quorundam Epiſcoporum, qui in feſtivitatibus Martyrum ad Eccleſiam procedentes, appenſis collo reliquiis, ab albatis diaconibus in ſellulis vectantur.*

11. Bona quidem res eſt, divina ſacerdotibus contractare myſteria : ſed cavendum valdè eſt, ne hoc quiſque ad uſum pravitatis ſuæ intorqueat, unde ſoli Deo de bono conſcientiæ placere debuerat. Scriptum eſt enim : *Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & deſidiosè!* Ut enim quorundam Epiſcoporum deteſtanda præſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda, agnovimus quoſdam de Epiſcopis, quòd in ſolennitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, reliquias collo ſuo imponant ; & ut majoris faſtus apud homines gloria intumeſcat (quaſi ipſi ſint reliquiarum arca) levitæ albis induti in ſellulis eos deportant.

Hierem. 28.

12. Quæ deteſtanda præſumptio abrogari per omnia debet ; ne ſub ſanctitatis ſpecie, ſimulata vanitas ſola prævaleat, ſi modum ſuum uniuſcujuſque ordinis reverentia non agnoſcat. Et ideo antiqua in hac parte & ſolennis conſuetudo ſervabitur, ut in feſtis quibuſque arcam Dei cum reliquiis, non Epiſcopi, ſed levitæ geſtent in homeris, quibus & in veteri lege onus id & impoſitum novimus & præceptum. Quòd ſi etiam Epiſcopus reliquias per ſe deportare elegerit ; non ipſe à diaconibus in ſellulis vectabitur ; ſed potiùs pediſequa eo, unà cum populis progreſſione procedente, ad conventicula ſanctarum Eccleſiarum ſanctæ Dei reliquiæ per eundem Epiſcopum portabuntur. Jam verò, qui hæc inſtituta ſciendo adimplere diſtulerit, quamdiù in hoc vitio fuerit, à ſacrificando ceſſabit.

VII. *De honeſta honoratorum [m] diſciplina.*

[m] *Doctrina.* C. *A.* *Diſt.* 25. Cùm B. Apoſtol.

13. Cùm B. Apoſtolus arguere, obſecrare, vel increpare in omni patientia [n] præcipiat & doctrina ; novimus quoſdam è fratribus tantis cædibus in honoratos * ſubditos * effervеſcere, quantas poterant latrocinantium promereri perſonæ. Et ideo qui gradus jam Eccleſiaſticos meruerunt, ideſt, presbyteri, Abbates, ſive levitæ, excepto gravioribus, & mortalibus culpis, nullis debeat verberibus ſubjacere, Non eſt dignum, ut paſſim unuſquiſque Prælatus honorabilia membra ſua, prout voluerit & complacuerit, verberibus ſubjiciat & dolori ; ne dum incautè ſubdita percutit membra, ipſe quoque debitam ſibi ſubditorum reverentiam ſubtrahat : juxta illod quod quidam ſapiens dicit : Leviter caſtigatus, reverentiam exhibet caſtiganti : [o] aſperitatis nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec ſalutem. Et ideo ſi quis aliter quàm dictum eſt, prædictos honorabiles ſubditos, licentiâ perceptæ poteſtatis elatus, malitiâ tantùm crediderit verberandos, juxta modum verberum, quem intulerit, excommunicationis pariter & exſilii ſententiam ſuſtinebit.

2. *Timoth.* 4.
[n] Præc. extra hanc doctrinam novimus. *Grat.*
* *Deeſt. Exc. & Grat.*
D. ad leg. Aquiliâ Præceptoris.
[o] Aſperitas autem nimiæ increpationis. C. *A.*

VIII. *Ne [p] repromiſſione munerum honoris [q] gratiæ venundentur.*

[p] Promiſſione. C. *A.*
[q] Gratia venum detur. C. *A.*

14. Quia non expedit, ut donum ſancti Spiritus pecuniis comparetur, quamquam ex hoc antiquorum Canonum diſciplinæ & multiplices maneant & diverſæ, tamen, quia neceſſè eſt, ut frequentiùs retundatur quod ſine intermiſſione præſumitur ; ideo novellæ hujus inſtitutionis formam inſtituentes decernimus, ut quicumque pro conferendo cuiquam ſacerdotii gradu, aut munus quodcumque, aut promiſſionem muneris, antequam ordinetur, acceperit ; vel etiam poſtquam ordinatus fuerit, in aliquo ſe pro hoc ipſo præſumpſerit munerari ; ſive ille qui dederit, ſive qui acceperit, juxta ſententiam Chalcedonenſis Concilii, gradus ſui periculum ſuſtinebit.

Vide 3. Bracar. cap. 3. ubi de hac re ſcripſimus.
Ivo p. 5. cap. 85.
Can. II.

IX. *Ne*

IX. *Ne rectores Eccleſiæ plus propria, quàm Eccleſiaſtica jura laborare intendant.*

15. Non decet rectores Eccleſiæ in ſuis ſtrennos, & in Eccleſiaſticis rebns eſſe remiſſos. Nam quorundam fertur opinio, qnòd quidam ſacerdotnm familias Eccleſiæ in ſuis propriis laboribns quaſſent, rei propriæ profectum augentes; Dominicis verò diſpendium nutrientes. Unde quicumqne ſub hoc neglectu res divinas laborare diſtulerit, ſpeciali placito diſtringendus eſt: qualiter ſi de rebus, ſeu augmentis Eccleſiæ quæſtum [r] vel labores rei propriæ auxit; nt ex hoc Eccleſiaſticis rebus, aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit; quicquid in rebus Eccleſiæ [s] minorationis exhibuit, tantum de rebus propriis Eccleſiæ illi reſtituat, ex cujus rebus, atque ſuffragiis ſuos convictns fuerit ampliaſſe labores.

12. q. 4. Quicumque ſub hoc.
r Laboribus ſuis propriè auxit, & ex hoc. *Exc. & Grat.*
s minuit, illi reſtituat, ex cujus reb. *Grat.*

16. Quòd ſi aliquid pro utilitatibus Eccleſiæ, ant ſubſtantiæ expendit, aut diſpendii vel perditionis quippiam pertulerit; ſi hoc comprobare potuerit, totum illi à rebus ejuſdem Eccleſiæ reformabitur, pro cujus utilitatibus id expendiſſe comprobatur. Gratias itaqne peragimus omnipotenti Deo. Poſt hæc ſit pax, ſalus, & diuturnitas piiſſimo & amatori Chriſti domino noſtro Wambano Regi, cujus devotio nos ad hoc decretum ſalutiferum convocavit: divinam poſtulantes clementiam, ut gloria Chriſti regnum ejus corroboret, nſque ad ultimam ſenectutem: præſtante ipſo, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus vivit & gloriatur in Trinitate Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Subſcriptiones.

1. Leodeciſius in Chriſti nomine Epiſcopus, cognomento Julianus, has Conſtitutiones ſecundum qnod nobis cum ſanctis Coëpiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, Deo inſpirante, complacuit, & relegi, & ſubſcripſi.
2. Genetivus in Chriſti nomine Eccleſiæ Tudenſis Epiſcupus, ſimiliter.
3. Froaricus Deo jubente Portucalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
4. Bela in Chriſti nomine Britanienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
5. Iſidorus Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
6. [t] Alarius Deo jubente Auriſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
7. Rectogenis in Chriſti nomine Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
8. Ildulſus, qui cognominor Felix, Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.

t Hilarius, *C. A.*

NOTÆ VARIORUM.

17. BRACARENSE II. actnm fuit Erâ DCX. anno II. Mironis Regis. Tertium verò poſt elapſos centum & tres annos, Erâ DCCXIII. Verùm ex eadem provincia in aliis Conciliis interfuerunt Epiſcopi: ut Alarius, ſive Hilarius, Aureſinæ Eccleſiæ, qui ſucceſſit Sonæ, qni in VIII. Tolet. ſubſcribit. Bela Britanienſis vel Britonienſis, nt eſt in Bracar. II. qni ſucceſſit Servo-dei, in VIII. Froaricus Portucalenſis, qui Flavio, in X. Tolet. Genitivus Tudenſis, qui Beato in VIII. Iſidorus Aſturicenſis, qui Elpidio in X. Toletano. Ildulſus Felix Irienſis, qui Vincibili in VIII. Tolet. Leodeciſius Julianus Bracarenſis, qui Fructuoſo, in X. Tolet. Rectogenis Lucenſis, qui Hermenfredo, in X. Toletano.

EPISCOPATUS METROPOLIS BRACARENSIS.

In III. Bracar.	*In II. Bracar.*	*In Concil. apud Lucum.*
1. Bracara.	1. Bracara.	1. Luco.
2. Aureſina.	2. Egitania.	2. Aſtorica.
3. Tnde.	3. Conimbrica.	3. Auria.
4. Aſtorica.	4. Viſeo.	4. Britonia.
5. Iria.	5. Lameco.	5. Tude.
6. Portucale.	6. Magneto.	6. Iria.
7. Britania.		
8. Lucu.		

In Codicibus Mss. ſunt ſubſcriptiones ut poſuimus: unde curruptè in aliis ponitur Julianus Hiſpalenſis. Bela Britanienſis eſt in Mss. Eſt Bela nomen Gotthicum, nunc generoſæ familiæ Ayalæ gentile.

18. AD CAP. I. *Concilium Bracarenſe.*] Bracara, hodie Braga, in provincia Luſitaniæ, caput totius regni in ſpiritualibus. Dicitur Auguſta-Bracarum Plinio: Βράκαρα Ptolemæo. In veteri nummo ſic ſcriptum eſt:

RECCESVINTHVS REX.

BRACARA PIVS.

Vocatur Bracar-auguſta: inde Bracar-auguſtani, ut

ut docet vetus inſcriptio marmori inſculpta, quam exſcripſit Lipſius in libro *Inſcriptionum antiquarum*.

ISIDI AVG. SACRVM.
LVCRETIA FIDA. SACERDOS. PERP.
ROM. ET AVG.
CONVENTVS BRACARAVG. V. D.

19. Ad Cap. II. *Vino & aqua.*] *De conſecrat.* diſt. 2. *Cum omne*. Et Cyprianus Epiſt. III. lib. 2. exponens illud: *Bibite vinum quod miſcui vobis*, in tota hac Epiſtola id intendit, ut probet, nec calicem cum aqua ſine vino rectè offerri, neque vinum abſque aqua, juxta Chriſti traditionem, conſecrari. Hujus Epiſtolæ meminit D. Auguſtinus lib. 4. *De Doct. Chriſtiana*, cap. 21. & Concil. Chartag. III. cap. 24. cui divus Auguſtinus interfuit, ſic enim habet: *Ut in ſacramentis corporis & ſanguinis nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aquâ miſtum*. Et habetur *De conſecr.* Diſt. 2. cap. *In ſacramento*. Et Innocentius III. errorem eorum correxit, qui dicebant aquam converti in phlegma: habeturque lib. 3. Decretal. tit. *De celebrat. Miſſæ*, cap. *In quadam noſtra*. Idem Alexander PP. & Martyr. V. à B. Petro, in Epiſtola ad omnes orthodoxos: *Non debet* (inquit) *in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permiſtum, quia utrumque ex latere ejus in paſſione ſua profluxiſſe legitur*.

20. Qua de cauſſa S. Irenæus calicem vocat temperamentum lib. 4. cap. 47. & calicem miſtum. Et Julius Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Ægypti. Ambroſius lib. 5. *De ſacramen.* cap. 1. S. Hieronymus in Marcum cap. 14. Damaſcen. lib. 4. *De orthodoxa Fide*, cap. 14. Duas hæreſes, evertit Concilium Trullan. Can. XXXII. alteram Hydroparaſtatarum, qui aquâ ſolâ in ſancti calicis ſacrificio utebantur. Epiphanius hæreſi 30. & 42. *De Aquariis*, & Auguſt. hæreſ. 44. ad Quodvult deum, & *De Eccleſiaſticis dogmatibus*, cap. 75. *Non debet* (inquit) *pura aqua inferri, ut quidam ſobri etatis falluntur imagine; ſed vinum cum aqua miſtum*. Alteram Armeniorum, qui nonniſi vinum purum offerunt. Cujus erroris meminit Theophylactus ad cap. 19. Joannis. Nicephorus lib. 18. cap. 53. Demum Synodus magna Tridentina ſeſſ. 22. Can. IX. *Si quis dixerit, aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit*. Trullana Synodus, quæ ſub nomine VI. Synodi circumfertur, Can. LVII. vetat ad altare mel & lac offerre. Et Can. Apoſtol. 3. *Si quis Epiſcopus*.

21. Ad Cap. V. *Antiqua Canonum*.] Ut patet lib. 3. Decret. tit. *De cohabitatione clericorum & mulierum*. Concil. Conſtantinop. VI. cap. 5. & 27. q. 1. *Si quis*. Bene ait Auguſtinus pſal. 5. & lib. 4. homil. 21. *Mulier longè, libido propè*.

22. *Etiam ſororibus*.] Concilio I. Niceno cap. 3. contrarium cavetur, videlicet, ut liceat Epiſcopo & presbytero matrē, ſororem, amitam, & eas etiam perſonas habere, quæ ſuſpicionem omnem effugiant. Concilium Carthaginenſe III. cap. 17. hanc ulteriùs indulgentiam extendit; videlicet, *ut cum clericis ſola matres, avia, matertera, amita, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum, & quæcumque ex familia, domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant: vel ſi filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut ſervis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit*. Atque huic Concilio D. Auguſtinus ipſe ſubſcripſit; ſed quod aliis conceſſit, ſibi ipſi interdixit. Nam fœminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ contubernium & familiaritatem vitavit: quippè qui ſibi dicere ſolebat: Etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas venirent, poſſe ſuſpicionem efficere.

23. De pœna, quam incurrunt eæ mulieres, quæ contra interdictum, clericis cohabitant, habes Concil. Hiſpal I. cap. 3. Concilio Matiſcon. Can. II. cavetur, ut nulla mulier in cubiculo Epiſcopi, abſque duobus presbyteris, aut certè diaconis, ingredi permittatur. Et Concil. Carthag. I. cap. 3. ex ſententia Grati Epiſcopi decernitur, ut in una domo nullus clericus cum extranea fœmina commoretur: & cap. 4. neque cum viduis, niſi fuerint germanitate conjuncti. Idem Concil. Carthag. IV. Can. CII. Idem Lucius PP. XXI. à Petro, in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ: *Clericus ſolus* (inquit) *ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque frequenter properet, ſine majoris natu ſacerdotis juſſione: & ne ſolus presbyter cum ſola fœmina fabulas miſceat: & ſi quid agnitum fuerit; & ille deponatur, & illa à liminibus Eccleſiæ arceatur*. Et ut nullus clericus cum extranea habitet fœmina, niſi ſoror, aut proxima fuerit, habetur d. 81. cap. *Clericus ſolus*. Gregorius Magnus Januario Epiſcopo Calaritano, Ep. XXVI. & per totam diſt. 81. idem multis ſanctorum Patrum teſtimoniis decernitur. Loaisa.

24. *Sex menſibus ſe noverit pœnitentiæ ſubjacere*.] Pœnitentiam publicam accipere, legibus pœnitentiæ ſubjacere, infinitè & abſolutè enunciata, non mihi videntur aliter intelligi debere, quàm de pœnitentia ordinaria, cui clerici ſeſe ſubmittebant. Deinde pœnitentia publica ſecretæ & in ſeceſſu factæ opponitur. Idem præterea clariſſimè demonſtrat pœnitentiæ ſpontaneæ ab ipſis Epiſcopis, ne dum ab inferioribus clericis, aſſumptæ conſuetudo, in Hiſpania præſertim uſitata, quâ pœnitens publicæ manuum impoſitioni cum lugubri veſte ſupponitur. Morinus *De Pœnit.* lib. 4. cap. 14. num. 14.

25. Ad Cap. VI. *Reliquias collo ſuo*.] Reliquias Sanctorum debito honore eſſe venerandas, decretum eſt Concil. Niceno II. Act. 1. in Confeſſ. Catholica, Act. 3. *Servator* (inquit) *noſter Chriſtus fontes ſalutares, Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, unguentum redolentis ſuavitatis ſcaturientes, &, ut inquit magnus Doctor, cui ab immortalitate nomen eſt, Martyrum oſſa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis viſum impartiunt, lepras mundant, tentationes & mærores ſolvunt; atque id per Chriſtum, qui in ipſis habitat*. Hæc Nicæna Synodus adverſus Iconoclaſtas. Concil.

Trident.

Trident. ſeſſ. 25. ſic dicitur: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur.* Et alia multa de hac re ſcripta ſunt à viris piis & doctis, adverſus impiam hæreticorum audaciam, Sanctorum corpora, quæ fuerunt Spiritus ſancti organa, & viva membra, odio & armis oppugnantium.

26. Præſertim probat reliquiarum antiquiſſimum cultum S. Clemens lib. 6. *Conſt. Apoſt.* cap. 29. ex contactu cadaveris Eliſæi Prophetæ, mortuum ſuſcitantis, 4. Reg. 23. Idem Cyrillus Hieroſolym. Catech. 18. Et Joſephi oſſa jam vitâ functi prophetantia Eccleſ. cap. 49. Auguſt. ſerm. 29. *De Sanctis*, ſic inquit: *Si opem ferre poterat umbra corporis Petri, quantò magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis nunc gratia permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincentis?* Hæc Auguſtinus.

27. Idem probat Baſilius homil. 40. ad Martyres, Ruffinus lib. 1. cap. 35. Sozomen. lib. 3. cap. 18. Theod. lib. 3. cap. 10. Verùm D. Ambroſius *De cultu reliquiarum*, ſic inquit ſerm. 92. *Honoremus beatos Martyres, principes fidei, interceſſores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quid ſi dicas mihi: Quid honoras in carne jam reſoluta atque conſummata, de qua jam Deo nulla cura eſt? Et ubi eſt illud, chariſſimi, quod ipſa Veritas loquitur per Prophetam. Pretioſa* (inquit) *eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et paullò pòſt: *Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices; honoro viventis memoriam, perennitatem virtutis; honoro per confeſſionem Domini ſacros cineres.* Rurſus: *Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur dæmones, quod affixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnavit in cælo.*

28. Ultimò apponam S. Hieronymi fragmentum ex libello *Adverſus Vigilantium* Barcinonenſem presbyterum, vel potiùs adverſus dormientes hujus temporis hæreticos ſcriptum. *Ergo ſacrilegi ſumus* (invehitur in Vigilantium) *quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii ſe ſentire præſentiam confitentur? ſacrilegus dicendus eſt nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa B. Samuëlis, longo pòſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos, in ſerico & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnes Eccleſiarum populi qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ, præſentem viventemque Prophetam cernui, ſuſceperunt, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem una voce reſonarent? videlicet adorabant Samuëlem, & non Chriſtum, cujus Samuël, & Levita & Prophetes fuit.* Hæc Hieronymus.

29. Poſſumus nos quod ille de Arcadio ſui temporis Imperatore dixit, de Philippo Hiſpaniæ Rege Catholico & piiſſimo dicere, adverſus hæreticos hujus ſæculi. Sacrilegus & nunc dicendus eſt Philippus, qui reliquias B. Eugenii, & Leocadiæ humeris impoſitas piè & religioſè in Eccleſiam Toletanam, Philippo filio & aliis Principibus ſociatus, immiſit? & in Cœnobio D. Laurentii, ab ipſo mirâ ſtructurâ exædificato, conquiſitas ex omni Chriſtiano Orbe, magno ſtudio, Sanctorum beatas reliquias, vaſis auro & gemmis clariſſimis & fulgentibus, & cælatis, diſtinctis, magno cultu & religione colit & veneratur? Ita ut Philippus Princeps natu maximus, adoleſcens ſummæ ſpei, ſoleat detecto capite, genibus flexis, eiſque innixus, pulverem vaſorum abſtergere.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM XII.

XXXV. EPISCOPORUM,

AD REGEM CONFIRMANDUM.

Circa tempora AGATHONIS Papæ habitum, anno primo orthodoxi atque ſereniſſimi domini ERVIGII Regis, v. Idus Januarii, anno REDEMPTORIS noſtri DCLXXXI. Erâ DCCXIX.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De agnita & confirmata prælectione faſtigii principalis.*

II. *De his qui pænitentiam non ſentientes accipiunt.*

III. *De culpatorum receptione, vel communione apud Eccleſiam.*

IV. *Ut in locis, ubi Epiſcopus non fuit, nunquam Epiſcopus ordinetur.*

V. *De quorundam conſuetudine ſacerdotum fœdiſſima, qui oblatis Deo per ſe ſacrificiis non communicant.*

VI. *De conceſſa Toletano Pontifici generalis Synodi poteſtate: ut Epiſcopi alterius provinciæ cum conniventia Principum in Urbe regia ordinentur.*

VII. *De recepto teſtimonio perſonarum, quæ per legem, quæ de promotione exercitûs facta eſt, teſtificandi licentiam perdiderunt.*

VIII. *De his qui uxores ſuas divortio intercedente relinquunt.*

IX. *De confirmatione legum, quæ in Judæorum nequitiam promulgatæ * ſunt.*

X. *De his qui ad Eccleſiam confugium faciunt.*

XI. *De culturibus idolorum.*

XII. *De * interdictione temporis conſtituti, quo debeat Concilium celebrari.*

XIII. *Concluſio definitionum, in qua & Deo grates referuntur, & pro Principe exoratur.*

* *Sunt. juxta earum ſc. legum præfixum ordinem titulorum, qui in eodem Canone numerantur.*

* *In ratione, aut indicto.*

1. ANNO primo orthodoxi atque ſereniſſimi domini noſtri * Ervigii Regis, cum ex glorioſo prædicti Principis juſſu in unum fuiſſemus aggregati conventum, & in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum debitis in ſedibus locaremur, adfuit coram nobis idem clementiſſimus Princeps, humilitatis gratiâ plenus, & claro pietatis cultu conſpicuus: qui noſtro ſe cœtui reclinem exhibens ac devotum, in primis omnium ſacerdotum ſe commiſit precibus adjuvandum: deinde grates multiplices omnipotenti Domino egit de conventu totius Concilii, * quia & glorioſæ juſſionis ſuæ ut in unum adeſſent, impleverit votum, & alternæ viſionis innovatione ſe refecerint gaudiorum. Deinde adjiciens, ſic eſt omne Concilium allocutus: Non dubium eſt, ſanctiſſimi Patres, quòd optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo ſubveniunt, ſi officioſis, quæ corrigenda ſunt, ſtudiis peragantur.

* Hervigii.

* Et ſuæ glorioſæ juſſionis.

2. Et ideo quibus malis terra prematur, quibuſque plagis, proventu dierum ſuccedentium * feriatur, paternitati veſtræ non reor eſſe incognitum. * Ob id, quia certum apud nos gerimus, quòd pro contemptu divinorum præceptorum terra perniciem ſuſtineat preſſurarum, dicente Domino per Prophetam: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea*; ideo oportet ut quia ore Salvatoris noſtri Domini ſal terræ eſſe probamini, per vos ſalvationis obtineat lucrum, per quos regenerationis percipit ſacramentum: ut diligentia * definitionis veſtræ ab omni emendata contagio, & ab infirmitatis peſte ſit liberata, & bonorum omnium ſit proventibus * gratioſa jam nunc: quia quicquid me ad hæc dicere opportuna ratio ſinit, quicquid etiam narrandum veſtris auribus convenit, aut memoriæ curarum intercapedo ſubducit, aut faſtidium prolixæ orationis intercipit, ecce in brevi complexa vel exarata devotionis meæ negotia in hujus * tomi complicatione agnoſcenda perlegite, perlecta diſcutite, diſcuſſa elimitatis ac decretis titulorum ſententiis definite: ut pura & placens Deo veſtrarum definitionum valitura diſcretio regni noſtri primordia decoret, exundatione juſtitiæ, & errores plebium digna cohibeat ſeveritate cenſuræ. Scriptum eſt enim: *Juſtitia elevat gentem, miſeros facit populos peccatum.* Tunc ſuſcepto à glorioſiſſimo Principe tomo, pro tam ſalubri invitamento co-

* Pereamus.

* Obinde.

Oſeæ 4.

Matth. 5.

* Dignationis.

* Glorioſa.

* *Iſidorus libro etymolog. 5. cap. [illegible]. Tomi, quos nos libros vel volumina nuncupamus.*

Prov. 14.

pioſas gratias retulimus Domino Jeſu Chriſto, & etiam benediximus Principi glorioſo. Poſt egreſſum igitur ejuſdem ſereniſſimi Principis, hæc jam dicto tomo ſcripta comperimus probitatis:

In nomine Domini Ervigius ſanctiſſimis patribus in Synodo reſidentibus.

3. EN, reverendiſſimi Patres, & honorabiles miniſteriorum cœleſtium ſacerdotes, ſoliditatem ſanctæ Fidei veraciter tenens, & ſincera cordis devotione amplectens, teſtimonium paternitatis veſtræ fortiſſimum in ſalutis noſtræ advoco adjumentum: ut quia regnum fautore Deo ad ſalvationem terræ, & ſublevationem plebium ſuſcepiſſe nos credimus, ſanctitudinis veſtræ conſiliis adjuvemur. Unde licèt ſublimationis noſtæ primordia paternitati veſtræ opinabili relatione non lateant, quibus clara divinorum judiciorum diſpoſitione præventos, & regnandi conſcendere me ſedem, & ſacroſanctam regni perceperim unctionem; nunc tamen melius id poteritis, & ſcriptorum relatione cognoſcere, & promulgationis veſtræ ſententiis publicare. Ut ſicut eadem regni noſtri primordia conventus veſtræ ſanctitudinis comperecit divinitus ordinata, ita his & orationum ſolamen impendat, & ſalubrium conſiliorum nutrimenta impertiat: quo ſuſceptum regnum, ſicut jam veſtris aſſenſionibus teneo gratum, ita veſtrarum benedictionum perfruatur definitionibus conſecrandum, ut innovatio quodammodo noſtri videatur Imperii, hæc numeroſitas veſtri ordinis aggregati.

Matth. 18. 4. Et ideo quia Dominus in Evangelio præcepit dicens: *Amen dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt.* Ob hoc venerabilem paternitatis veſtræ cœtum cum lacrymarum effuſione convenio, ut zelo veſtri regiminis purgetur terra à contagio pravitatis. Exſurgite, quæſo, exſurgite, culpatorum ſolvite nodos, tranſgreſſorum mores corrigite inhoneſtos, & exerite zeli diſciplinam, ponderibus ſubvenite, &, quod plus his omnibus eſt, Judæorum peſtem, quæ in novam ſemper recrudeſcit inſaniam, radicitus exſtirpate: legeſque, quæ in quorundam Judæorum perfidiam à noſtra gloria noviter promulgatæ ſont, omni examinationis probitate percurrite: & tam eiſdem tenorem inconvulſum adjicite, quàm pro eorundem perfidorum exceſſibus complexas in unum ſententias promulgate. Etenim valdè nobis cavendum, ne tot antiquorum Canonum regulæ, quæ pro eorum erroribus ſunt etiam cum anathemate pro-
* Culpis. mulgatæ, nos illorum * culpæ obnoxios reddant, ſi noſtri regni temporibus eorundem Canonum con-
* Temporibus. ſtrictio diſſoluta pertranſeat: præſertim ſi legis illius, quod abſit, ſerenitatis noſtræ in * tempore illa clare, Fidei inſtitutio ceſſet, ubi divæ memoriæ domnus atque præceſſor noſter Siſebutus Rex, omnes ſucceſſores ſuos ſub perpetua maledictionis cenſura obſtrinxit, quicumque Regum mancipium Chriſtianum Judæo ſervire vel famulari permiſerit.

5. Poſt hæc illud veſtris Deo placitis infero ſenſibus corrigendum, quod deceſſoris noſtri præceptio promulgata lege ſancivit, ut omnis aut in expeditione exercitûs non progrediens, aut de exercitu fugiens, teſtimonio dignitatis ſuæ ſit irrevocabiliter carens. Cujus ſeveritatis inſtitutio, dum per totos Hiſpaniæ fines ordinata decurrit, dimidiam ferè partem populi ignobilitati perpetuæ ſubjugavit. Ita ut quia in quibuſdam villulis, vel territoriis, ſive vicis, peſte hujus infamationis habitatores ipſorum locorum ſunt degeneres redditi, quia teſtificandi nullam habeant licentiam, veritatis ex toto videatur interiiſſe cenſura: ſicque gemino malo terra atteritur, dum & infami plebium notatur elogio, & reperiendæ veritatis deſtituitur adjumento. Unde licèt eandem legem noſtræ gloriæ manſuetudo temperare diſponat, veſtræ tamen paternitatis ſententia hos, qui per illam titulum dignitatis amiſerant, reveſtiri iterum claro priſtinæ generoſitatis teſtimonio devotiſſimè optat: qualiter nec noſtra gloria mini-
* For. jugo. ſterium crudelitati adhibeat, nec tam ſæva præceptio terram ſub diutino infamationis * jugulo premat.
* Gloriæ. Nam & hoc generaliter obſecro, ut quicquid in noſtræ * Eccleſiæ legibus abſurdum, quicquid juſtitiæ videtur eſſe contrarium, unanimitatis veſtræ judicio corrigatur.

* Firmari. 6. De cæteris autem cauſſis atque negotiis, quæ novella comperunt inſtitutione * formari, evi-
* Exſecranda. dentium ſententiarum titulis * exaranda conſcribite: ut quia præſto ſunt religioſi provinciarum rectores, & clariſſimorum ordinum totius Hiſpaniæ duces, promulgationis veſtræ ſententias coràm poſiti
* Commiſſa. prænoſcentes, eo illas in * commiſſas ſibi terrarum * latitudines inoffenſibili exerant judiciorum inſtan-
* Latitudine. tia, quò præſentialiter aſſiſtentes perſpicua oris veſtri conceperunt inſtituta.

7. Omnes tamen in commune convenio, & vos Patres ſanctiſſimos, & vos illuſtres aulæ regiæ viros, quos intereſſe huic ſancto Concilio delegit noſtra ſublimitas, per divini nominis atteſtationem, & terribilem cunctis futuri judicii diem: quia ſine perſonarum aliqua acceptione vel favore, ſine aliquo quoque aut malignæ contentionis ſcrupulo, aut ſubvertendæ veritatis ſtudio, quæque ſe veſtris ſenſibus audienda ingeſſerint, ſana verborum examinatione diſcutite: ſaniori quoque judicio comprobate, ut collatarum habita priùs deliberatione cauſſarum, diſcreta veſtri ordinis condatur probitas titulorum: qualiter cùm vos amor æquitatis in negotiorum acceleratione reddiderit ſervidos, efficientia quoque juſtorum operum connectat Deo perenniter ſociandos: ut bonorum veſtrorũ actibus lætabundus, & præſentis vitæ
* Serenitatis noſtræ & tranquillitatis noſtræ in Dei nomine Toleto. capiam lucrum, & æternarum perfruar vobiſcum gaudiis manſionum. Datum ſub die V. Idus Januarias, anno feliciter primo regni * ſerenitatis noſtræ, in Dei nomine tranquillitatis noſtræ ſedis Toleto.

Item ſubſcriptio prædicti Principis manu ſua exarata.

CAPI-

C A P I T U L A.

I.

8. IN nomine glorioſi domini noſtri Ervigii Regis, * primi diei ſynodali exordio conſidentibus Epiſcopis, atque ſenioribus Palatii univerſis, habita primùm eſt de ſancta Trinitate collatio: non quæ novello * exarationis ſtylo definita pateſceret, ſed quæ * nobis ſimplicioribus ſeſe pigris ſenſibus patefacta monſtraret: ubi præmiſſa ſemper lectio præcederet, quod ſequens expoſitio aperiret: credentès pariter & docentes de eadem ſanctæ Fidei puritate, quicquid Euangelica & Apoſtolica traditio ſancit, quicquid Synodus Nicæna conſtituit, quicquid Conſtantinopolitana Patrum aggregata collectio promulgavit, quicquid Epheſini cœtûs * definitio docuit, quicquid etiam Chalcedonenſis Concilii promulgatio definivit, ſicut multorum aliorum Patrum documentis id ſacramentum expoſitum traditumqne nobis accepimus, ſicut etiam in Miſſarum ſolenniis patulis confeſſionum vocibus proclamamus.

* Primo die ſynodalis exordii.
* Exa tionis.
* Verbis.
* Definitio dici docuit.

9. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, ſacturum cœli & terræ, * viſibilium & inviſibilium conditorem: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homoûſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & quæ in terra: qui propter nos & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine homo factus: paſſus ſub Pontio Pilato, & ſepultus tertia die reſurrexit: aſcendit in cœlos: ſedet ad dexteram Patris, iterum venturus in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum: qui locutus eſt per Prophetas: in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

* Viſibilium omnium.

10. Poſt pacifica igitur hujus ſanctæ Fidei collationum ſtudia, illa ſe primùm noſtris ſenſibus ſalutaris cognitio agnoſcendam invexit, quæ tanto corda omnium ardore charitatis aſtringit, quanto * ſe per eandem ipſa cognitio in conventu Generalis Concilii prænoſcendam exhibuit. Etenim ſub qua * parte vel ordine ſereniſſimus Ervigius Princeps regni conſcenderit culmen, regnandique per ſacroſanctam unctionem ſuſceperit poteſtatem, oſtenſa nos ſcripturarum evidentia edocet: in quibus & præcedentis * Wambæ Principis pœnitentiæ ſuſceptio noſcitur, & translatus regni honor in hujus noſtri Principis nomine derivatur. Idem enim Wamba dum inevitabilis neceſſitudinis tenetur eventu, ſuſcepto religionis debito cultu, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo, mox per ſcripturam definitionis ſuæ hunc inclytum dominum noſtrum Ervigium poſt ſe prælegit regnaturum, & ſacerdotali benedictione ungendum. * Vidimus, intuitu prælucente perſpeximus, hujus præmiſſi ordinis ſcripturas, ideſt, notitiam manu ſeniorum palatii roboratam, coram quibus antecedens Princeps, & religionis cultum, & tonſuræ ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum: ſcripturam quoque definitionis ab eodem editam, ubi glorioſum dominum noſtrum Ervigium poſt ſe fieri Regem exoptat: aliam quoque informationem jam dicti viri, in nomine honorabilis & ſanctiſſimi fratris Juliani Toletanæ ſedis Epiſcopi: ubi eum ſeparavit pariter & inſtruxit: ut ſub omni diligentiæ ordine jam dictum dominum noſtrum Ervigium in regno ungere deberet, & ſub omni diligentia unctionis ipſius celebritas fieret. * In qua ſcriptura & ſubſcriptio nobis ejuſdem Wambæ Principis claruit, & omnis evidentia confirmationis earundem ſcripturarum ſeſe manifeſtè monſtravit.

* Se eadem ipſa.
* Pace.
* Bambæ.
* Vidimus enim, & pariter patulo alternæ viſionis intuitu prælucente perſpeximus.
* In quibus ſcripturis.

11. Quibus omnibus approbatis atque perlectis, dignum ſatis noſtro cœtui viſum eſt, ut prædictis definitionibus ſcripturarum noſtrorum omnium confirmatio apponatur, ut * quia ante tempora in * occultis Dei judiciis præſcitus eſt regnaturus, nunc manifeſto in tempore generaliter omnium ſacerdotum habeatur definitionibus conſecratus. Et ideo ſoluta manus populi ab omni vinculo juramenti, quæ prædicto viro Wambæ, dum regnum adhuc teneret, alligata * permanſit, hunc ſolum ſereniſſimum Ervigium Principem * obſequenda grato ſervitii famulatu ſequatur & * libera, quem & divinum judicium in regno prælegit, & deceſſor Princeps ſucceſſorem ſibi inſtituit, & quod ſupereſt, quem totius populi amabilitas exquiſivit. Unde his præcognitis atque præſcitis, ſerviendum eſt ſub Deo cœli prædicto Principi noſtro Ervigio Regi cum pia devotione: obſequendum etiam promptiſſima voluntate, agendum & enitendum quicquid ejus ſaluti proficiat, quicquid genti vel utilitatibus patriæ ſuæ conſuluerit. Unde non erit jam deinceps, aut ab anathematis ſententia alienus, aut à divinæ animadverſionis ultione ſecurus, quiſquis ſuperbè contra ſalutem deinceps, aut erexerit vocem, aut commoverit cædem, aut quamcumque exquiſierit lædendi * occaſionem.

* Qui.
* Occultis judiciis.
* Eſt, hunc ſolum qui permanſit ſereniſſimum.
* Obſecutura.
* Libero.
* Ultionem.

II.

12. Plerumque hi, quibus miſeratio Domini etiam nolentibus ſubvenit, beneficiis Dei videntur eſſe ingrati, & abuti gratiâ largitoris, quâ bene uſi poterant conſequi abolitionem facinoris: impugnant ſæpè quod honorare debuerant, & profanis queſtibus indultæ gratiæ munus à ſe rejiciunt, cùm ſummis votis amplecti debuerant. Etenim multos ſæpè conſpeximus, & in ſalute poſitos, ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum, & ruſſus nimietate ægritudinis, ita loquendi & ſentiendi perdidiſſe naturale officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ devotionis

Ita decretum Concil. Tolet. XI. cap. 12. ubi de hac ipſa re non nihil annotavimus.

noſcerentur deſiderium anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in Fide ſua ſuſceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum: quod ſcilicet ſine fructu pœnitentiæ non videantur tranſire è ſæculo, ſi forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cantionibus vanis, & oppoſitionibus exſecrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abjiciant; impudentiſſimè aſſerentes, ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint.

Hæc eadem ferè ſunt in Concilio Tolet. VIII. cap. 7.
* Nullo.
* Impugnantia violationis.
* Pœnitentibus.
* Pœnitenti.

13. Quorum impudentia procax, & obſtinata procacitas, neququam talia diceret, qualiter ad vitam per ſacroſancti lavacri gratiam venerit, meminiſſet. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ * nulli per ætatem diſcernendi vel expetendi ſenſui aptior judicatur, niſi ſponſione fidelium baptiſmi accipiant ſacramentum, nullo ſenſu, nullâ etiam diſcretionis induſtriâ id appetere poſſunt. Unde ſicut baptiſmum, quod neſcientibus parvulis, ſine ulla contentione in Fide tantùm proximorum accipitur; ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla * repugnantia inviolabiliter hi qui illud exceperint, obſervabunt. Si autem quolibet modo pœnitentiam accipiens, hoc ſynodale violaverit inſtitutum; ut verè tranſgreſſor, paternis regulis ferietur. Neque enim iſta inſtituentes ſacerdotes quoſque, ut paſſim & licenter donum pœnitentiæ non * petentibus audeant prorogare, abſolvimus: ſed hos, qui qualibet ſorte pœnitentiam ſuſceperint, ne ulteriùs ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non ſentienti, neque * petenti, auſu temerario pœnitentiam dederit, neque ſe exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit; unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit.

III.

* Volvi.
* Ab eis nulla.

14. Vidimus quoſdam & flevimus ex numero culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres exſtitiſſe à collegio ſacerdotum. Quod denotabile malum illa res agit, quia licentia principalis in quo ſe * ſolvi licentiùs curat, ibi alios alligat, & quos in ſuam communionem videtur ſuſcipere, à communione & pace Eccleſiæ eligit ſeparare: ut qui cum illo conveſcunt, ſola ſacerdotum communione priventur. Et ideo quia remiſſio talium, qui contra regem, gentem, vel patriam agunt, per definitiones Canonum antiquorum, in poteſtate solùm regia ponitur, cui & peccâſſe noſcuntur, * adeò nulla ſe deinceps à talibus abſtinebit ſacerdotum communio. Sed quos regia poteſtas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos etiam ſacerdotum & populorum conventus ſuſcipere in Eccleſiaſticam communionem debebit: ut quod jam principalis pietas habet acceptum, neque à ſacerdotibus Dei habeatur extraneum.

IV.

Ivo p. 5. cap. 144. Burchd. 5. cap. 32.
* Præceptionis.
* Convellenda.
* Punenii. *Al.* Pigmenii. *Al.* Pinenii. *Erat Pimenius Dumienſis monaſterii Abbas, & Epiſcopus, qui ſubſcribit in IV. Toletano.*
* Illuſtris.
* Prælationem.
* Prædicamine.
* Aliquis.
* Cum.

15. Majorum inſtitutionibus contraire, & SS. Patrum decreta convellere, quid aliud eſt, quàm vinculum ſocietatis Chriſti abrumpere, & uſurpatæ * præſumptionis licentia flatum totius Eccleſiæ diſſipare? Proſequente igitur venerabili & ſanctiſſimo viro fratre noſtro Stephano Emeritenſis ſedis Epiſcopo, res nobis novellæ præſumptionis uſurpatione ſeſe intulit * pertractanda, tantò communionis noſtræ judicio evellenda, quantò & privatis noſcitur auſibus perpetrata. Dixit enim violentia principali ſe impulſum fuiſſe, ut in monaſterio villulæ Aquis, in qua venerabile corpus ſanctiſſimi * Pimenii Confeſſoris debito quieſcit honore, novam Epiſcopalis honoris ordinationem efficeret. Et ideo quia indiſcreto & facillimo aſſenſu, * injuſtis Wambæ Principis juſſionibus parens, novam, & injuſtam illic Pontificalis ſedis * prælectionem induxerit, ubi canonica inſtitutio id fieri omnimoda ratione refellit, prædictus idem vir proſtratus humo, * medicamine noſtri præcepti, & ſibi dari veniam petiit, & quid potiſſimùm oportet fieri de perſona ejus, qui illic ordinatus fuerat, noſtri oris ſententiâ decernendum popoſcit.

* Exſtirpationis.

16. Sed quia veraciter, immo communiter noveramus, prædictum Principem conſilio levitatis agentem, non ſolùm præcepiſſe, ut in prædicto loco * Aquis Epiſcopus fieret, ſed etiam ita * eum conſuetis obſtinationibus definiſſe, ut hic in ſuburbio Toletano in Eccleſia Prætorienſi SS. Petri & Paulli Epiſcopum ordinaret: nec non & in aliis vicis vel villulis ſimiliter faceret: ideo pro tam inſolenti hujuſmodi * diſturbationis licentia, quid de hac re haberent Canonum inſtituta perlecta ſunt: in primis ex Epiſtola Paulli, ubi Tito diſcipulo, ut Epiſcopos per civitates conſtituere debeat, præcepit: item ex Concilio Nicæno titulo * octavo, ubi inter cætera præcipitur, ut in civitate non videantur duo Epiſcopi eſſe: item ex Concilio Laodiceno, titulo quinquageſimo ſeptimo, ubi dicit: Ut diœceſis, quæ Epiſcopum nunquam habuit, non habeat.

* *26. Si Concilii Sardicenſis Capitula illi addantur, ut in quibuſdam exemplaribus fit: habetur nunc cap. 6. diſt. 80. Non oportere, & Concilio Carthaginenſi cap. 5.*
* Genedictus, *al.* Genethlius.
* Quarto.

17. Felix Epiſcopus Silenſitanus dixit etiam: Si hoc placet ſanctitati veſtræ, inſinuo, ut diœceſes, quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, non habeant: vel illa diœceſis, quæ aliquando habuit, habeat proprium. Secundùm autem hanc proſecutionem ſanctitatis veſtræ eſt æſtimare, quid fieri debeat. * Genedius Epiſcopus dixit: Si placet inſinuatio fratris & Coëpiſcopi noſtri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet. Item ex Concilio Africæ * tertio, titulo quadrageſimo ſecundo, ubi dicitur, ut non accipiat alium Epiſcopum plebs, quæ in diœceſi ſemper ſubjacuit. Epigonius enim Epiſcopus inter cætera ſic dixit: Hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem, quæ in diœceſi ſemper ſubjacuit, nec unquam proprium Epiſcopum habuit. Quapropter ſi univerſo ſanctiſſimo cœtui placet, hoc quod * proſecutus ſum, confirmetur.

* Præfatus.
* Capitulo 6. ubi.

18. Aurelius Epiſcopus dixit: Fratris & conſacerdotis noſtri proſecutioni non obſiſto, ſed hoc me & feciſſe & facturum eſſe profiteor. Item ex Concilio Sardicenſi *, ubi inter cætera præcipitur: Licentia

centia danda paſſim non eſt. Si enim ſubitò, aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui ſatis eſt onus presbyter, voluerit ſibi Epiſcopum ordinari, ad hoc ut vileſcat nomen Epiſcopi & auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere * Epiſcopum. Item de ſententia eorum qui hujuſmodi ordinationes faciunt, vel de his qui contra hæc inſtituta Canonum ordinantur, ex Concilio Tauritano titulo ſecundo, ubi dixit: Geſtorum quoque ſeriem conſcribi placuit ad perpetem diſciplinam, quod circa Octavium, Urſionem, Remigium, * Attreſoërium Epiſcopos Synodus ſancta decrevit: qui in * uſurpationem quandam de ordinatione ſacerdotum ad invidiam vocabantur. Quod eatenus his videtur indultum, ut de cætero hac auctoritate commoniti, nihil uſurpare conentur; * ſiquidem ea ſe ab hac cauſſa excuſatione defenderint, quà dicerent priùs ſe non eſſe conventos.

* Epiſcopum quibus antea non fuit
* Tryſerium.
* Uſurpatione quadam. *al.* qui in uſurpationis quadam deordinatione.
* Siquidem ſe ab hac cauſſa tali excuſatione.

19. Proinde judicavit Synodus, ut ſi quis ex hoc fecerit contra inſtituta majorum, ſciat is qui ordinatus fuerit, ſacerdotii ſe honore privandum: & ille qui ordinaverit, auctoritatem ſe in ordinationibus vel in Conciliis minimè retenturum. Non ſolùm autem circa memoratos Epiſcopos hæc ſententia prævalebit, ſed etiam circa omnes qui ſimili errore decepti, hujuſmodi ordinationes perpetrârunt. His igitur fortiſſimis regulis effectum pii operis apponentes, * id communi definitione elegimus, ut in * locum villulæ ſupradictæ Aquis deinceps ſedis Epiſcopalis non maneat, neque Epiſcopus illic ultrà conſtituendus exiſtat. Hic tamen * Cuniuldus, qui contra majorum decreta illic videtur inſtitutus fuiſſe Epiſcopus, nullis Canonum erit ad condemnationem ſui ſententiis * ulciſcendus, quia non ambitione, ſed Principis impulſione illic conſtitit ordinatus.

* In.
* Loco.
* Convildus. *al.* Coniuldus.
* Ulciſcendum.

20. Et ideo hoc illi remedium homanitatis concedimus, ut in * ſede alia decedentis cujuslibet Epiſcopi tranſducatur, & prædictus locus ſub monaſtica deinceps inſtitutione manſurus, non Epiſcopali ultrà privilegio fretus, ſed ſub Abbatis regimine, ſicut huc uſque fuit, erit modis omnibus mancipandus. Jam verò de cætero generale * ponentes edictum, ſi quis contra hæc Apoſtolica juſſa, ſi quis contra hæc Canonum interdicta venire conaverit, ut in locis illis Epiſcopum eligat fieri, ubi Epiſcopus nunquam * fuit, ſit in conſpectu omnipotentis Dei anathema: & inſuper tam ordinans quàm ordinatus, gradum ſui * ordinis perdat: quia non ſolùm antiquorum Patrum decreta, ſed & Apoſtolica auſus eſt convellere inſtituta.

* Sedem aliam.
* Ponamus.
* Fuit, anathema in conſpectu omnipotentis Dei incurrat.
* Honoris.

V.

21. Relatum nobis eſt, quoſdam de ſacerdotibus, non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in uno die * videantur Deo offerre: ſed in uno die, ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus * à communicando ſuſpendunt, & in ſola tantùm extremi ſacrificii oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt: quaſi non ſit totiens reus * illius veri & ſingularis ſacrificii, quotiens participator corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe deſtiterit. Nam ecce Apoſtolus dicit: *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Si ergo qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris, certum eſt, quòd hi qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt * Dominici ſacramenti.

De conſecr. *diſt.* 2. Relatum eſt nobis. *Ivo p.* 2. *cap.* 114.
* Videntur offerre. *Ivo & Exc.*
* A communione ſuſpendant.
* Illi vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. *Exc. Ivo, & Grat. Ceriub.* 10.
* *Deſunt. Ivo*,
* Dominicis ſacramentis. *Exc. & C. A.*

22. Quicumque ergo ſacerdotum deinceps divino altario ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa, quâ ſe indecenter * privabit gratia communionis, anno uno repulſum ſe noverit. Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans * participâſſe cognoſcitur? Ergo hoc modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcumque ſacrificans corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri in altario immolat, toties * perceptioni corporis & ſanguinis Chriſti ſe participem præbeat.

* Privavit. *Ivo & Grat.*
* Particeps eſſe. *Grat. & Ivo.*
* Perceptionis. *Exc. Grat.*

VI.

23. Illud quoque * collationi mutuæ decernendum nobis occurrit, quòd in quibuſdam civitatibus decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diù ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur & officiorum divinorum offenſio, & Eccleſiaſticarum rerum * noſcitur perditio. Nam dum longè lateque diffuſo tractu terrarum, * commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut non queat Regis auditibus decedentis Præſulis tranſitus innoteſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio præſtolari, naſcitur ſemper, & noſtro ordini de relatione talium difficultas, & regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet, injurioſa neceſſitas.

* Collatione mutua. *Exc.*
* *Deſunt. Exc. Diſt.* 63. Cùm longè lateque.
* Naſcitur.
* Commeatus. *Exc.*

24. Unde placuit omnibus Pontificibus * Hiſpanię, ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque provincię, licitum manest deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, in pręcedentium ſedibus pręficere Pręſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores. Ita tamen, ut quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuę tempus, infra trium menſium ſpatium, proprii Metropolitani pręſentiam viſurus accedat: qualiter ejus auctoritate vel diſciplinà inſtructus, condignè ſuſceptę ſedis gubernacula teneat. Quòd ſi per deſidiam * aut neglectum, quilibet conſtituti temporis metas exceſſerit, quibus Metropolitani ſui nequeat obtutibus pręſentari, excommunicatum ſe per omnia noverit: excepto ſi regia juſſione impeditum ſe eſſe probaverit. Hanc quoque definitionis formulam, ſicut de Epiſcopis, ita & de cęteris Eccleſiarum rectoribus placuit obſervandam.

* Hiſp. atque Galliciæ. *Exc. C. A. & Grat.*
* Neglectu quolibet. C. A.

VII.

25. Omnis diſciplina ſic ſubjectos debet arguere, ut ſpem venię non videatur auferre, nec funditus curvationis inducere jugum, ſed temperantię ſemper adhibere conſultum. Et ideo quia legem illam à domino Wambane Principe editam, quę de * progreſſione eſt exercitûs * annotata, hujus Principis noſtri & domini Ervigii manſuetudo temperare diſpoſuit; ideo annuente nobis glorioſo, & reli-

Lib. 9. legum Wiſigothorum, tit. 2. leg. 9.
* Proditione. Exc.
* *Deeſt. Exc.*

religioſiſſimo Principe noſtro Ervigio, neceſſarium hoc ſanctum Concilium definivit, ut hi, qui * ſuper prædictam legem, teſtificandi dignitatem perdiderant, recepto teſtimonio priſtinæ dignitatis, cauſſas exſequi poſſint debitę actionis; qualiter nobilitatis ſolitę titulum reportantes, & quęque de pręteritis legitimè teſtificari voluerint, licentiæ obtineant votum, & à judicibus nullis prohibitionibus arceantur: hoc videlicet adjicientes, ut ſi quid in præteritis teſtificare voluerunt, ſi pro ſola rei infamatione rejecti ſunt, teſtimonio ſuo nuper conquirant, quod in præteritis conquirere poterant: tantùm ſi illo tempore, quo in præteritis ad teſtimonium dicendum vocati ſunt, & ſupradictæ legis inſtitutionibus reprobati, aut aliam criminis notam eos tunc non habuiſſe patuerit, aut a triceonium tum effluxiſſe, cùm ad teſtimonium fuerant prolati, hi qui eos reprobaverant manifeſtè convicerint.

* Per ſupradict. leg. *Exc.*
a Trienniū. *Exc.*

VIII.

26. Præceptum Domini eſt, ut exceptâ cauſâ fornicationis, uxor à viro dimitti non debeat. Et ideo quicumque citra culpam criminis prædicti, uxorem ſuam quacumque occaſione b reliquerit; quia c quos Deus d jungit, ille ſeparare diſpoſuit, tamdiu ab Eccleſiaſtica e communicatione privatus, & à cœtu omnium Chriſtianorum maneat alienus, f quamdiu, & ad ſocietatem relictæ conjugis redeat, & partem ſui corporis honeſta lege conjugii ſinceriter amplectatur & foveat. Hi tamen, qui jam admoniti à ſacerdote ſemel, & bis, terque ut corrigantur, g ad tori ſui conjugii noluerunt redire conſortium, ipſi ſe ſuis meritis, & à palatinæ dignitatis officio ſeparabunt, & inſuper generoſæ dignitatis teſtimonium, quamdiu in culpa fuerint, amiſſuri ſunt; quia carnem ſuam diſcidii jugulo tradiderunt.

Matth. 5. & 19. 32. 9. 5.
Ivo p. 8. *cap.* 329.
b Dimiſerit. *Exc.*
c Quod. *Exc.*
d Junxit. *Exc.*
e Communione priv. *Exc. Grat.* & *C. A.*
f Quamdiu ſocietatem relictæ conjug. amplectatur ſinceriter & foveat Itaq; qui jam, &c. *Exc.* & *Grat.*
g Ad carum ſuæ conjugis nol. *C. A.* *Sic ferè Grat.* & *Exc. niſi quod pro carum habeant torum.*

IX.

27. De Judæorum autem exſecranda perfidia, diſcretis titulorum ſententiis, editas noviter à glorioſo Principe leges vigilanti ſenſuum intentione perlegimus; i diſcreto etiam gravitatis pondere earum inſtituta probavimus: & quia debitæ rationis judicio editæ ſynodali k indagatione probatæ ſunt, irrevocabili deinceps judiciorum ordine, pro eorum exceſſibus tenebuntur: ideſt; leges de commemoratione priſcarum legum, quæ in Judæorum tranſgreſſionibus promulgatæ ſunt, atque de novella confirmatione a earum. Item ne Judæi, aut ſe, aut ſuos filios, vel famulos, à b baptiſmo ſubtrahant. Item ne Judæi more ſuo celebrent Paſcha, vel carnis circumciſiones exerceant, ac ne Chriſtianum quemquam Fide Chriſti c dimoneant.

i Diſtricto. *Exc.*
k Dignatione. *Exc.*
l Leg. quæ de cōmemor. priſcar. cæremoniarum, & Judæor. tranſgr. *Exc.*

28. Item ne Judæi ſabbatha, cæteraſque feſtivitates ritûs ſui celebrare præſumant. Item ut omnis Judæus diebus Dominicis, & in prænotatis diebus ab opere ceſſet. Item ne Judæi more ſuo dijudicent eſcas. Item ne Judæi ex propinquitate ſui ſanguinis connubia ducant. Item ne Judæi religioni noſtræ inſultantes, ſectam ſuam defendere audeant: ac ne à Fide refugientes alibi ſe tranſducant: & ne quilibet d refugientes alibi ſuſcipiat. Item ne Chriſtianus à Judæo quodcumque munus contra Fidem Chriſti accipiat. Item ne Judæi libros illos legere audeant, quos Chriſtiana Fides repudiat. Item ne Judæis mancipia deſerviant vel adhæreant Chriſtiana. Item ſi Judæus Chriſtianum eſſe teſtatur, & ob hoc non velit à ſe rejicere mancipium Chriſtianum. Item profeſſio Judæorum, e quando unuſquiſque ad Fidem veniens, indiculum profeſſionis ſuæ conſcribere f debet.

Habentur omnes hæ leges lib. Legum Wiſi-gotth. tit. 12. 3.
a Far. Item de blaſphematoribus ſanctæ Trinitatis. Item. *Exc.*
b Baptiſmi gratia. *Exc. C. A.*
c Dimoveant *eſt l.* 4.

29. Item conditiones Judæorum, * ad quas jurare debeant hi, qui ex eis ad Fidem venientes, profeſſiones ſuas dederint. Item de Chriſtianis mancipiis Judæorum, quæ ſe non prodiderunt Chriſtiana, ſive de g publicatoribus eorum. Item ne Judæi, à quolibet poteſtate accepta, extra regiam ordinationem, Chriſtianum quemquam h imperare, plectere, vel diſtringere audeant. Item i ut Judæorum ſervi, necdum adhuc converſi ad Chriſti gratiam convolaverint, libertati donentur. Item ne Judæi adminiſtratorio uſu k ſub ordine villicorum atque actorum Chriſtianam familiam l regere audeant: & de damnis eorum, qui iis talia ordinanda injunxerint. Item ut Judæus ex aliis provinciis vel territoriis ad regni noſtri ditionem pertinentibus veniens, Epiſcopo loci vel ſacerdoti ſe præſentare non differat: vel quid huic m in toto obſervari conveniat. Item qualiter concurſus Judæorum diebus inſtitutis ab Epiſcopo fieri debeant. Item, ut quicumque Judæum ſecum n obſequentem habuerit, expetente ſacerdote eum apud ſe retinere non audeat. Item ut cura omnis diſtinguendi Judæos ſolis ſacerdotibus debeatur.

d Fugientes. *C. A.*
e Quomodo. *Exc.*
f Debeat. *Exc.*
* Deeſt. *Exc.*
g Publicatibus. *C. A.*
h Impetere. *Exc.*
i ut ſi. *Exc.*
k In ordinē. *Exc.*
l Redirere. *Exc.*
m In Toleto. *C. A.*
n Aſſequentē. *Exc.*

30. Item de damnis ſacerdotum vel judicum, qui in o Judæis inſtituta legum adimplere diſtulerint. Item ne judices quicquam de Judæorum exceſſibus extra ſacerdotum conniventiam judicare præſumant. Item ut a Epiſcopi immunes habeantur à damnis; cùm eorum presbyteri, ea quæ ipſi non correxerint, ad eos non remiſerunt corrigenda. Item de reſervata Principibus miſerendi poteſtate, in his qui converſi ad Fidem Chriſti veraciter fuerint. Item ut Epiſcopi omnes Judæis ad ſe pertinentibus libellum de ſuis editum erroribus tradant; & ut profeſſiones eorum vel conditiones in ſcriniis Eccleſiæ condant. Quarum omnium legum promulgatio gravida, ſicuti ſynodali judicio comprobata, ita generali omnium noſtrorum definitione in eorum erit deinceps exceſſibus b excernenda.

o Judiciis. *Exc.*
a Ep. tunc imm. *Exc. C. A.*
b Exercenda. *Exc.*

X.

31. Pro his, qui quolibet metu vel terrore Eccleſiam appetunt, conſentiente pariter & jubente glorioſiſſimo domino noſtro Ervigio Rege, hoc ſanctum Concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad Eccleſiam vel reſidentes inde abſtrahere, aut quodcumque nocibilitatis vel damni, ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſancto inferre: ſed eſſe potiùs his ipſis, qui Eccleſiam petunt, per omnia licitum in triginta c paſſibus ab Eccleſiæ januis progredi: in quibus triginta paſſibus uniuſcujuſque Eccleſiæ, in toto circuitu reverentia defendetur: ſic tamen, ut hi qui ad eam confugiunt, in extraneis,

c Paſſus. *Grat.*

vel

vel longè ſeparatis ab Eccleſia domibus nullo modo [d] abcellentur. Sed in hoc triginta paſſuum numero, abſque domorum extranearum receptaculis, [e] progrediendi aditum obtinebunt: [f] qualiter & requiſitæ naturæ uſum debitis expleant locis, & nullo teneantur eventu neceſſitudinis, qui Dominicis ſe defendendos commiſerint clauſtris.

32. Si quis autem hoc decretum violare tentaverit; & Eccleſiaſticæ excommunicationi ſubjaceat, & ſeveritatis regiæ feriatur ſententiâ. Ipſos tamen, qui ad Eccleſiam [g] refugium ſecerint, [h] juxta priſcorum Canonum inſtituta, [i] hi qui eos [k] competunt ſacramenta reddiderint, & ſacerdos Eccleſiæ ipſius ab Eccleſiæ foribus non abſtraxerit, aut fuga talium, ſi [l] venerit, ſacerdoti quærenda eſt, aut damnorum ſententia, ſecundùm electionem Principis, hujuſmodi ſacerdotibus irroganda.

d Abſcedant. *Grat.* & *Ivo* abſcedantur. *C. A.*
e Progredientes. *Grat.*
f ut ad inquiſitæ naturæ uſum debitis exeant locis. *Grat.*
g Confugiū. *Grat.*
h Si juxt. *Exc.*
i His qui. *C. A.*
k Repetunt. *Grat. Ivo. & Exc.*
l Evenerit. *Exc.*

XI.

33. Præcepta Domini ſunt dicentis: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum,* [a] *nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles.* [b] Item: *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Item: *Vir, aut mulier, qui* [c] *faciant malum* [d] *in conſpectu Domini Dei* [e] *ſui,* [f] *& tranſgrediantur pactum illius, ut vadant, & ſerviant diis alienis, & adorent* [g] *eos, ſolem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non* [h] *præcepi; & hoc tibi fuerit nunciatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe* [i] *reperreris, & abominatio facta eſt in Iſraël, educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrârunt ad portas civitatis* [*] *tuæ, & lapidibus obruentur.*

34. Præcepta hæc Domini non in ultione, ſed in terrore delinquentium apponentes, non mortis [k] per [*] hanc ſententiam promulgamus, ſed cultores idolorum, veneratores lapidum, accenſores facularum, & excolentes ſacra fontium vel arborum, admonemus, [l] ut agnoſcant, quòd ipſi ſe ſpontaneæ morti ſubjiciunt, qui diabolo ſacrificare videntur: mortis enim nomine diabolus appellatur: ſicut de eo ſcriptum eſt: *Et erat illi nomen mors.*

Exod. 20.
a Neque horum. *C. A.*
Exod. 22.
b Itemque immolant diis. *C. A.*
Deuter. 17.
c Facit. *C. A.*
d Ante conſpectū Domini. *Exc.*
e Tui. *C. A.*
f Tranſgrediuntur. *Exc.*
g Eos, vel ſol. *Exc.*
h Præcepit. *C. A.*
i Reperis. *Exc.*
* Deeſt. *Exc.*
k Per abſentiam. *C. A.*
* Deeſt. *Exc.*
l Ex cultores ſunt. admon. *ut Mſ. Conc. Tolet. XVI. cap. 2.*
Apoc. 6.

35. Ac proinde omne ſacrilegium idololatriæ, vel quicquid illud eſt contra ſanctam Fidem, in quo inſipientes homines captivati diabolicis culturis inſerviunt, ſacerdotis vel judicis inſtantiâ [m] inventa hæc ſacrilegia eradantur, & exterminata truncentur. Eos verò qui ad talem [n] errorem [o] concurrunt, & verberibus coërceant, & onuſtos ferro ſuis dominis tradant. Si tamen domini eorum per jusjurandi atteſtationem promittant, ſe eos tam ſolicitè cuſtodire, ut ultrà illis non liceat tale nefas committere. Quod ſi Domini eorum nolunt hujuſmodi reos in Fide ſua ſuſcipere, tunc ab eis, à quibus coërciti ſunt, Regis conſpectibus præſententur: ut principalis auctoritas liberam ſe talibus donandi poteſtatem obtineat. Domini tamen eorum, qui nunciatos ſibi talium ſervorum errores ulciſci [p] diſtulerint, excommunicationis ſententiam perferant, & jura ſervi illius, quem coërcere nolunt, ſe amiſiſſe cognoſcant. Quòd ſi ingenuorum perſonæ his erroribus fuerint implicatæ, & perpetuâ excommunicationis ſententiâ [q] ferientur, & arctiori exſilio [r] ulciſcentur.

m Inventum, ut ſacrileg. *Exc.*
n Horrorem incurrunt, *C. A.*
o Recurrunt. *Exc.*
p Noluerint. *Exc.*
q Feriantur. *Exc.*
r Ulciſcantur. *Exc.*

XII.

36. Placuit hoc [b] venerando Concilio, ut juxta [c] priorum Canonum inſtituta, Epiſcopi ſingularum provinciarum annis ſingulis in unaquaque provincia Kalendis Novembribus Concilium celebraturi conveniant. Quiſquis autem in prædictis Kalendis Novembribus pro celebratione Synodi venire diſtulerit, excommunicationi debitæ ſubjacebit.

b Sancto. *Exc.*
c Priorum Epiſcoporum ſingularū provinciarum inſtituta, annis. *Exc.*

XIII.

37. Præmiſſis his omnibus ſynodalibus geſtis, quæ honeſto decretorum fine complevimus, perpetuum his robur per manuum noſtrarum ſubſcriptionem adnectimus; dantes [d] in his gloriam & honorem immortali Deo & Domino noſtro, quo inſpirante, & determinationis noſtræ ſententia viguit, & probitas cauſſarum honeſto fine complevit. [e] Cujus ſanctæ Trinitatis poſcimus inenarrabile [f] nomen, & glorioſam ineffabilis potentiæ majeſtatem, ut det amatori Chriſti ſereniſſimo domino noſtro, atque amantiſſimo Ervigio Principi, cujus juſſu ad hunc meruimus advocari conventum, imperare clementer, regnare feliciter, habere de clementia fructum, obtinere de juſtitia præmium, de pietate trophæum: quo & hîc invictus victor hoſtium ſemper appareat, & poſt diuturna hujus [g] ævi curricula ad regnum [h] æternæ vitæ cum ſuis omnibus coronandus perveniat: te præſtante Deo & Salvatore Jeſu Chriſto Domino, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto unus in Trinitate [i] vivis & glorificaris Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Conſummatum eſt hoc ſanctum Concilium die VIII. Kalendar. Februariarum, anno feliciter primo ſereniſſimi atque clementiſſimi domini noſtri Ervigii Regis, Erâ DCCXIX.

d Pro. *Exc.*
e Unde. *Exc.*
f Numen. *Exc.*
g Seculi. *Exc.*
h Æternum cum. *Exc.*
i Vivit & regnat. *Exc.* Vivit & glor.

Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero triginta quinque.

1. Ego Julianus indignus urbis regiæ Toletanæ ſedis Epiſcopus, hæc ſynodica inſtituta à nobis edita ſubſcripſi.
2. Ego Julianus Dei gratiâ Spalenſis Eccleſiæ ſedis Epiſcopus, hæc ſynodica inſtituta à nobis edita ſubſcripſi.
3. Ego Liuba Bracarenſis ſedis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
4. Ego Stephanus Emeritenſis ſedis Epiſcopus, &c.
5. Ego Aſfalius Abelenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.

Julianus Regiæ urbis primo loco ſubſcribit Tolet. Conc. Uni \[illegible\] Concilio præfuit, non Julianus Spalēſis.

6. Ego

6. Ego Leander Eccleſiæ Illicitanæ Epiſcopus, &c.
7. Ego Palmatius Eccleſiæ Urcitanæ Epiſcopus, &c.
8. Ego Concordius Palentinæ ſedis Epiſcopus, &c.
9. Ego [a] Recilla indignus Accitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
10. Ego Simpronius indignus Segobrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
11. Ego Spera-in-deo Italicenſis ſedis Epiſcopus, &c.
12. Ego Geta Elplenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
13. Ego Memorius Arcavicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
14. Ego Tructemundus Elborenſis ſedis Epiſcopus, &c.
15. Ego Iſidorus Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
16. Ego Gaudentius Valerienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
17. Ego Deo-datus Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
18. Ego Geneſius Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
19. Ego Froaricus Portucalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
20. Ego Felix Irienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
21. Ego [b] Antonianus Baſtitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
22. Ego Proculus Bigaſtrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
23. Ego [c] Acula Caurienſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
24. Ego [d] Reparatus Veſenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
25. Ego Providentius Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
26. Ego [e] Siſebaldo Tuccitanæ Eccleſiæ ſedis Epiſcopus, &c.
27. Ego [f] Argibudo Eliberitanæ Eccleſiæ ſedis Epiſcopus, &c.
28. Ego Ella Segontienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
29. Ego Siberitanus Oxomenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter.
30. Ego Joannes Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
31. Ego Theodulphus Aſtigitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
32. Ego Samuël Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
33. Ego Gundulphus Lamecenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
34. Ego Euphraſius Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.
35. Ego [g] Theuderacus Aſſidonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c.

[a] Rixila. C. A.

Sic legitur ex Conc. Tol. XIII. cap. 10.

[b] Antonius. C. A.

[c] Atula. C. A.
[d] *Al.* Separatus.

[e] Siſebad. C. A.
[f] Argibado. C. A.

[g] Theodoracus. *Bene Iſidorus Pacenſis in Chron. ſolum. 35. Epiſcoporum interfuiſſe huic Concilio affirmat, malè alii qui unũ & quadraginta, & quinque Abbates, & tredecim viros illuſtres ex officio Palatino, cùm Abbates quatuor, & viri illuſtres quindecim ſubſcribãt.*

Abbates.

1. Valdreduſ Abbas.
2. Florentius Abbas.
3. Gratinus Abbas.
4. Fauſtinus Abbas.

Vicarii Epiſcoporum.

1. Ego Annibonius presbyter, [a] agens vicem domini & [*] Pontificis mei Gildemeri Epiſcopi Complutenſis Eccleſiæ, ſubſcripſi.

2. Ego Vincentius presbyter, agens vicem domini & Pontificis mei Felicis Epiſcopi Danienſis Eccleſiæ, ſubſcripſi.

3. Aſturius diaconus, agens vicem domini & Pontificis mei Hoſpitalis Epiſcopi Valentinæ Eccleſiæ, ſubſcripſi.

[a] Tenens. C. A.
[*] *Deſunt.* Exc.

Viri illuſtres officii Palatini.

1. Ego Seſullus hæc ſtatuta quibus interfui, annuens ſubſcripſi.
2. Ego Reccaredus ſimiliter ſubſcripſi.
3. Ego Witiſſa ſimiliter ſubſcripſi.
4. Ego Wimar ſimiliter ſubſcripſi.
5. Ego Theudila ſimiliter ſubſcripſi.
6. Ego Oſtrulphus ſimiliter ſubſcripſi.
7. Ego Salamirus ſimiliter ſubſcripſi.
8. Ego Theudefredus ſimiliter ſubſcripſi.
9. Ego Egiſeberinus ſimiliter ſubſcripſi.
10. Ego Theudulphus ſimiliter ſubſcripſi.
11. Ego Ildigiſus ſimiliter ſubſcripſi.
12. Ego Vitulus ſimiliter ſubſcripſi.
13. Ego Ella ſimiliter ſubſcripſi.
14. Ego Adilegus ſimiliter ſubſcripſi.
15. Ego Ataneſus ſimiliter ſubſcripſi.

Lex edita in confirmatione Concilii Toletani, ſub die octava Kalend. Februarii, anno feliciter primo gloriæ noſtræ.

IN NOMINE DOMINI

Flavius Ervigius Rex.

38. MAGNA ſalus populi gentiſque noſtræ [a] regno conquiritur, ſi hæc ſynodalium decreta geſtorum, ſicut pio devotionis noſtræ ſtudio acta ſunt, ita inconvulſibilis noſtræ legis valido oraculo confirmentur; ut quod ſereniſſimo noſtræ celſitudinis juſſu, à venerandis Patribus, & clariſſimis palatii noſtri ſenioribus, diſcreta titulorum exaratione eſt editum, præſentis legis hujus noſtræ edicto ab æmulis defendatur. [b] Etenim hæc ipſa definitio Canonum ſub iſto [c] renotata ordine titulorum; ideſt, de agnita & confirmata [d] prælectione faſtigii principalis in nomine [e] noſtræ ſerenitatis. Item de his qui pœnitentiam non ſentientes accipiunt. Item de culpatorum receptione vel communione apud Eccleſiam. Item ut in locis ubi Epiſcopus non fuit, nunquam Epiſcopus ordinetur. Item de quorundam conſuetudine ſacerdotum fœdiſſima, qui oblatis Deo per ſe ſacrificiis non communicant.

39. Item de conceſſa Toletano Pontifici Generalis Synodi poteſtate. Ut Epiſcopus alterius provinciæ, cum conniventia Principum, in urbe regia ordinetur. Item de recepto teſtimonio perſonarum, quæ per legem, quæ de promotione exercitûs facta eſt, teſtificandi licentiam perdiderunt. Item de his, qui uxores ſuas divortio intercedente relinquunt. Item de confirmatione legum, quæ in Judæorum nequitiam promulgatæ ſunt, juxta earundem legum præfixum ordinem titulorum, qui in eorum Canone adnumerantur. Item de his, qui ad Eccleſiam confugium faciunt. Item de cultoribus idolorum. Item de [f] interdicto temporis conſtituti, quo [g] debuit Concilium celebrari. Item concluſio definitionum, in qua & Deo gratiæ referuntur, & pro Principe exoratur.

40. Quibus omnibus ſynodalibus [h] geſtis, atque decretis, & debitam reverentiam honoris impendimus, & patulum auctoritatis noſtræ vigorem his innectere [i] procuramus. Ideoque præmiſſas has Conſtitutiones ſynodicas à præſenti die, vel tempore, ideſt ab octavo Kalendas Februarii, anno primo regni noſtri, nullus audeat contemnere; nullus etiam præterire; nemo earundem conſtitutionum audeat jura convellere, nullus temerator hæc decreta [a] ſubvertat, nemo illicitator, vel contemptor vigorem his inſtitutionibus ſubtrahet; ſed generaliter per cunctas regni noſtri provincias, hæc Canonum inſtituta noſtræ gloriæ temporibus acta, & auctoritatis debitæ faſtigio præpollebunt, & irrevocabili judiciorum exercitio, prout [b] conſtitutæ ſunt [*] in omnibus regni noſtri provinciis [*] celebres habebuntur.

41. Si quis autem hæc inſtituta contemnat, contemptorum ſe noverit damnari ſententiâ; id eſt, ut juxta voluntatem noſtræ gloriæ, & excommunicatus à cœtu noſtro reſiliat, & inſuper decimam partem [c] rei ſuæ fiſci partibus ſociandam amittat. Quòd ſi nihil habuerit facultatis, unde prædictam compoſitionem perſolvere poſſit, abſque [d] aliquo infamio ſui, quinquaginta eum oportebit ictibus [e] verberari.

Edita lex in confirmatione Concilii [f] Toleto, ſub die octavo Kalendarum Februariarum, feliciter primo regni gloriæ noſtræ.

In nomine DOMINI, Flavius Ervigius Rex hoc legis noſtræ edictum in confirmatione hujus Concilii promulgatum ſubſcripſi.

a Ac regni. *Exc.*
b Eſt enim hæc ipſa. *Exc.*
c Notata. *Exc.*
d Prælatione. *Exc.*
e Sanctæ Trinitatis. *Exc.*
f Indicto. *Exc.*
g Debeat. *Exc.*
h Decretis atque peractis, & deb. *Exc.*
i Properamus. *Exc.*
a Subvertere. *Exc.*
b Conſtituta. *Exc.*
* *Deſunt. Exc.*
c Facultatis ſuæ. *Exc.*
d Alia infamia. *Exc.*
e Verb. ut ſemper infamis permaneat. *Exc.*
f Toletani. *Exc.*

NOTÆ VARIORUM.

42. MULTI in XII. Concilio Toletano Epiſcopi ſubſcribunt, qui aliis interfuerunt Synodis, ut Aſfalius Abelenſis Eccleſię in Emeritenſi. Concordius Palentinæ, in XI. Toletano. Felix Danienſis per procuratorem in eodem XI. Froaricus Portucalẽſis in III. Bracar. Gaudentius Valerienſis in XI. Toletano. Genetius Tudenſis in III. Bracarenſi. Leander Illicitanæ in XI. Toletano. Palmatius Urcitanæ in eodem XI. ſicut Recilla Accitanæ. Alii verò aliis ſuccedunt, ut Antonianus Baſtitanæ, qui ſucceſſit Etherio in XI. Toletano. Acula ſeu Atula Caurienſis, qui Donato, in Emeritenſi; Argibudo, qui Argibado Eliberitanę, Ellę in VIII. Toletano. Deo-datus Segobrienſis, qui Egicæ, in XI. Toletano. Euphraſius Lucenſis, qui Rectogeni, in III. Bracarenſi. Felix Irienſis, qui Idulfo Felici, in eodem Bracarenſi. Geta Eliplenſis, qui Servando, in VIII. Toletano. Gundulfus Lamecenſis, qui Theodiſclo, in Emeritenſi. Gildemirus Complutenſis per procuratorem, qui Aciſclo, in XI. Toletano. Hoſpitalis Valentinæ per procuratorem, qui Svintero, in XI. Toletano. Joannes Pacenſis, qui Deo-dato, in Emeritenſi. Iſidorus Setabitanæ, qui Athanaſio, in XI. Toletano. Julianus urbis regiæ, qui Quirico,

in XI. Toletano. Julianus Spalenſis, qui Fugitivo in X. Toletano. Liuba Bracarenſis, qui Leodeciſio Juliano, in III. Bracarenſi. Providentius Salmanticenſis. qui Egeredo, in decimo Toletano. Proculus Bigaſtrenſis, qui Joanni, in undecimo Toletano. Reparatus Veſenſis, qui Unadilæ, in VIII. Toletano. Samuel Malacitanæ, qui Dunilæ, in VIII. Toletano. Severitanus Oxomenſis, qui Godiſcalco, in XI. Tuletano. Siſebaldo Tuccitanæ, qui Vincentio, in VIII. Toletano. Spera-in-Deo Italicenſis, qui Epartio, in VIII. Toletano. Simpronius Segobrienſis, qui Sinduito, in XI. Toletano. Stephanus Emeritenſis, qui fuit ſanctiſſimus & venerabilis vir, qui Proficio in Emeritenſi. Truclemundus Elborenſis, qui Sozimo, in X. Toletano. Theodulphus Aſtigitanæ, qui Stephano, in VIII. Tuletano. Theuderacus Aſſidonenſis, qui Pimenio, in VII. Toletano. In Cod. Ms. regii monaſterii S. Laurentii primo loco ſubſcribit: *Julianus indignus urbis regiæ Toletanæ ſedis Epiſcopus, hac ſynodica ſubſcripſi*. Deinde ſecundo loco eſt: *Ego Julianus Dei gratiâ Spalenſis ſedis Epiſcopus, hac ſynodica inſtituta à nobis edita ſubſcripſi*.

43. Ad Cap. I. *In Miſſarum ſolemniis*.] De Symbolo recitando alta voce in Miſſarum ſolenniis, ſuperiùs diximus. Nunc de Miſſæ nomine, & hujus vocis antiquitate aliquid addamus, ex ſententia Patrum. Miſſæ nomen Latinum, non Hebræum eſt, ut neoterici ſtudioſè excogitant. Iſidorus Hiſpal. lib. *Etymolog*. 6. cap. 19. Alcuinus *De divinis offic*. & Remigius *De offic. Miſſarum*. Miſſa à præmittendo, vel emittendo, vel dimittendo, dicitur. Unde Ambroſius lib. 2. Epiſt. XIV. in Miſſa catechumenorum utitur illa voce, *dimiſſis catechumenis*. Alii à gemina miſſione dictam exiſtimant. Prima miſſio eſt catechumenorum, altera fidelium, quæ fieri ſolet peractis ſacris, clamante diacono: ITE, MISSA EST. hoc eſt, finita & completa eſt oblatio. Caſſianus lib. 2. *Inſtit*. cap. 13. nocturnæ Miſſæ meminit: quod nihil aliud eſt, quàm dimiſſio; quæ fiebat à Synaxi peractâ & finitâ oratione. Et lib. 3. *Inſtit*. cap. 7. ſic inquit: *Is verò qui in tertia, ſexta, nona, priuſquam Pſalmus cœptus fuerit, ad orationem non occurrerit, ulteriùs oratorium introire non audeat, nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus; ſed congregationis Miſſam, ſtans pro foribus, præſtoletur*. Et alibi: *Miſſam vigiliarum, pro dimiſſione peractis vigiliis*. Unde rectè auctor Ciaconius Hiſpanus, ſive alius in *Notis Caſſiani* exiſtimat, apud Caſſianum ſumi Miſſam pro quacumque Synaxi, ſive Congregatione, quam monachi publicè orandi cauſâ faciebant; nempe Tertia, Sexta, Nona, & aliis. Accipiebat verò nomen ab ipſa dimiſſione completâ oratione. Nam, ut Smaragdus ait: *Orationes* (id eſt collectæ) *quæ in fine curſûs à ſacerdote dicuntur, Miſſa, id eſt Deo tranſmiſſa, dicuntur*. Unde idem Caſſianus Miſſam finem Synaxeos vocat lib. 3. cap. 7. ut ſuprà dictum eſt. Verùm cùm ex omnibus ſolennitatibus, ſacrificiis, & oblationibus labiorum, quæ Deo in Orbe terrarum fiunt, maxima oblatio ſit ſacrum Miſſæ, ratione veri & proprii ſacrificii, & ſanguinis Chriſti, in quo panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſubſtantiantur; inde per excellentiam Miſſa nominatur oblatio & ſacrificium illud incruentum corporis & ſanguinis Chriſti, quod quotidie à ſacerdotibus peragitur: ad quod omnia alia officia divina, tanquam ad ſcopum, diriguntur. Miſſæque nomen pro hoc ſacrificio uſurpari, non eſt recens, ſed antiquum: ut conſtat ex Euariſto Papa III. à Petro, apud Burchard. lib. 3. *Decret*. cap. 27. *Omnes Baſilicæ*. & Alexandro Papa à Petro IV. Epiſt. *Ad omnes orthodoxos*, & Teleſphoro Papa VI. à Petro, Canone *Nocte ſancta*. *De conſecr*. diſt. 1. Hac eadem voce utitur Leo Magnus Epiſt. LXXXVIII. & S. Ambroſius Epiſt. XXXIII. S. Auguſtinus ſermone *De tempore*. 91. Idem Gregorius Magnus, & Iſidorus Hiſpalenſis, & complures illius ſæculi Patres. Loaisa.

44. Ad Cap. II. In Canone hoc quæſtio vertitur de iis, qui cùm ſani eſſent, verbis demonſtraverant ſe pœnitentiam aliquando ſuſcipere velle; quippe poſtea in tantum morbum inciderunt, ut nullus ſenſus & mentis effectus in iis animadverteretur. *Multos* (inquiunt Patres) *ſæpe vidimus in ſalute poſitos, ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum, & rurſus nimietate ægritudinis ita loquendi & ſentiendi perdidiſſe naturale officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ devotionis noſcerentur deſiderio anhelare*. Quid igitur de illis actum eſt? Aſſidentes eorum commiſerati ſacerdotem petierunt, ut pœnitentiam illis imponeret, ſimulque pœnitentiæ fructum, hoc eſt abſolutionem & Euchariſtiam traderet; ſpondentes eos ſanitate recuperata leges pœnitentiæ exſecuturos. At illi ſanitati reſtituti negant ſe hac promiſſione teneri, eò quòd nec pœnitentiam petierint, nec ſcientes acceperint; ideo pœnitentiæ habitum, cæteraque pœnitentium inſignia ſe jure abjicere profitentur. *Quorum caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſua ſuſceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum: quod ſcilicet ſine fructu pœnitentiæ non videantur tranſire ſæculo. Si forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppoſitionibus exſecrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abjiciant, impudentiſſimè aſſerentes ideo ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint*.

45. Nunc videamus quanta ſit pœnitentiæ ſic impoſitæ nedum decurſæ efficacia, cujus cauſâ amici adſtantes moribundum eâ donari efflagitârunt. Tanta ſanè ab iis judicatur, & adeò clarè & ſine ambagibus enarratur, ut malim eorum verbis quàm meis id referre. *Quorum impudentia procax, & obſtinata procacitas, nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lavacri gratiam venerit, meminiſſet. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem diſcernendi vel expetendi ſenſui aptior judicatur, niſi ſponſione fidelium baptiſmi accipiant ſacramentum, nullo ſenſu*

nulla

nulla etiam diſcretionis induſtriâ id appetere poſſunt. Unde ſicut baptiſmum quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi qui illud exceperint, obſervabunt. Primùm vides, lector, pœnitentiam publicam amicorum rogatu illis datam. Exiſtimabant igitur amici qui eorum vitam noverant, crimina ab iis perpetrata longè faciliùs per eam expiari: quod etiam vel Canonis verba ſatis indicant. Eſt igitur manifeſtum ea crimina tum temporis per pœnitentiam publicam expiata fuiſſe. Hoc enim ſi vulgata Eccleſiæ praxis non tuliſſet, improbabile omnino eſſet amicos inconſulto moribundo luctuoſam illi pœnitentiam procuraturos: improbabile rurſus ſacerdotes tam gravem pœnitentiam non petenti impoſituros, cùm ſecreta pœnitentia, quæ crimina omnia ſanaret, præſtò illis eſſet. Quis enim credat & amicos & ſacerdotes bona infirmi voluntate tam prodigè abuſos, ut cum leni medicamento morborum ipſius facilè ſanare poſſent, ferrum & cauterium adhibuiſſe, ſtulteque ſperâſſe quæ fecerant, boni conſulturum.

46. Excipietur forſan crimina illa publica fuiſſe, & conſequenter ex praxi Eccleſiæ pœnitentiæ publicæ obnoxia. At ſi crimina illa publica fuiſſent, eâ ratione ad pœnitentiam publicam ejuſmodi homines obligati fuiſſent, & ante pœnitentiam impoſitam, & cùm imponeretur, & poſt impoſitam, donec eâ defuncti fuiſſent. Verùm Patres illi neceſſitatem agendæ pœnitentiæ ſic impoſitæ, inde tantùm petunt, quòd pœnitentiæ donum neſcientibus illabatur, ut parvulis donum baptiſmi. Si publica fuiſſent crimina, quàm validis rationibus petitis ex Scriptura, ex Canonum præſcripto, ex perpetua Eccleſiæ univerſalis praxi, eos homines ad pœnitentiam publicam coegiſſent, aut ab Eccleſia duro anathemate abegiſſent? Immo ex praxi illorum temporum, atque etiam hodiernorum, ſi publicis peccatis maculati fuiſſent, pœnitentia ſic pervicacibus imponi non potuiſſet, multoque minùs Euchariſtia dari. Certum eſt enim peccatoribus publicis niſi reſipiſcant, aut reſipiſcentiæ teſtimonia præbeant, pœnitentiam imponi non poſſe. Quid de communione corporis Chriſti dici par eſt, quâ ii, de quibus agitur, donati ſunt?

47. Præterea eodem Canone duo adducuntur quæ peccata illa occulta fuiſſe demonſtrant. Priùs verba, quæ citatis immediatè ſubſunt: *Siquis autem quolibet modo pœnitentiam accipiens, hoc ſynodale violaverit inſtitutum, ut verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur.* Quid opus hac interminatione peccatori publico jam ipſo jure excommunicato, quique inſuper recèns Dei gratiam ab Eccleſia oblatam tam impudenter exſpuerat? Non levibus minis cum eo erat agendum, ſed anathematum fulguribus percellendus. *Paternis regulis ferietur.* At jam erat propter peccatum publicum anathemate contritus. Horum tamen Patres illi nihil commemorant, aut exprobrant, vel leviſſimè innuunt. Poſterius colligitur ex poſtremis Canonis verbis: *Sacerdos tamen qui non ſentienti, neque petenti, auſu temerario pœnitentiam dederit, neque ſe exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit.* Sacerdoti prohibetur pœnitentiam non ſentienti nec pœnitenti imponere; ſed tamen data non declaratur irrita. Nunc animo tibi propone peccatorem publicum. An licet ei pœnitentiam & ultimum viaticum dare non petenti, nec quid agatur ſentienti? Sed plura. Si poſtea convaleſcens pœnitentiæ luctuoſæ leges exſequi nolit, num rata poterit judicari ejuſmodi pœnitentia, tam temerè, ne dicam impiè, data?

48. Illuſtre & auguſtum hujus rei argumentum nobis præbet Rex Gotthorum Hiſpanorum Wamba ſanctitate clarus. Illum hiſtoricorum nullus criminis accuſat, ſed omnes illius religionem & vitæ ſanctitatem laudant & admirantur. Quod inſuper ad rem maximè facit, ipſi graviter ægrotanti, nihilque ſentienti, pœnitentia de qua agimus data eſt, eamque convaleſcens, regia auctoritate depoſita, in hoc ipſo Concilio probavit & aſſumpſit. Ut ſe res habuit breviter, tam ex Luca Tudenſi, quàm ex hoc Concilio enarrandum eſt. Cùm Cindaſvinthus in Hiſpania regnaret, ad eum venit Græcus quidam nobilis vir, Andabaſtus nomine, ab Imperatore in exſilium pulſus. Recceſvinthus Rex Cindaſvinthi ſucceſſor, eum favore plurimo proſecutus eſt, & conſobrinæ ſuæ matrimonio junxit, Comitiſque dignitate illuſtrem fecit. In Recceſvinthi defuncti locum Wamba electus eſt, in quem occulto odio furens Andabaſtus, venenum ei propinari curavit, cujus virulentiâ lecto decumbens, memoria ſenſuque aliquanto tempore privatus eſt. *Cumque Epiſcopus civitatis, & optimates Palatii, qui erant fideles Regis, quos potionis cauſſa latebat, vidiſſent Regem jacentem abſque memoria, cauſâ pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, unctionem ſancti olei, & communionem corporis Chriſti obtulerunt. Sed factum eſt ut Rex à potione liberatus, cùm præſenſiſſet quòd illi extremæ unctionis Epiſcopus peregerit ſacramentum, ad monaſterium perrexit, ibique in Criſtiana religione permanſit.* Hæc Lucas Tudenſis. Narrant Concilii XII. Toletani Patres cap. I. Wambam morbi cauſſâ pœnitentiam ſuſcepiſſe, regno renunciâſſe, Ervigium Principem in ſui locum elegiſſe, literaſque tam renunciationis ob pœnitentiam ſuſceptam, quàm Ervigii in Regem electionis, Concilio oſtendiſſe, ut à Patribus in Regem, quod factum eſt, ungeretur. *In quibus* (inquiunt) *& præcedentis Wambæ Principis pœnitentiæ ſuſceptio noſcitur, & translatus regni honor in hujus noſtri Principis nomine derivatur. Idem enim Wamba dum inevitabilis neceſſitudinis tenetur eventu, ſuſcepto religionis debito cultu, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo, mox per ſcripturam definitionis ſuæ, hunc in clytum dominum noſtrum Ervigium poſt ſe prælegit regnaturum, &c. Vidimus, intuitu prælucente perſpeximus hujus præmiſſi ordinis ſcripturas, id eſt notitiam manu ſeniorum Palatii roboratam, coram* qui-

quibus antecedens Princeps, & religionis cultum, & tonſura ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum, &c.

49. Rex ille Wamba pius admodum erat, nec illius criminis publici ſuſpectus, nedum diffamatus; ægrotanti tamen nec roganti aſſidentes amici procurant ut pœnitentia publica imponatur, eamque impoſuit Julianus ipſiſſimus Toletanus Archiepiſcopus, approbantque factũ Toletani Patres. Evidens igitur eſt de criminibus publicis eo Canone non agi, ſed de peccatis occultis & mortalibus, à quibus difficillimum eſt quemcumque Chriſtianum prorſus immunem eſſe; ac proinde piè admodum amici moribundorum, ut illis ante mortem pœnitentia præſtetur, procurant, quod & nunc in Eccleſia Catholica diligenter & ſolicitè procurari videmus. Si crimina publica fuiſſent, pœnitentia illa perfecta, ideſt, cum abſolutione & corporis Chriſti communione conjuncta, præſtita illi nunquam fuiſſet, ſicut etiam nunc non præſtaretur. Nulli enim, cujus ſcimus publica peccata, & nullo modo ſcimus reſipiſcentiam, adminiſtranda eſt reconciliatio. Verùm ille, cujus nulla certò ſcimus crimina, moreſque apparent nullius criminis accuſandi, non abs re moriens præſumitur corde contritus, & reconciliationi idoneus. Quanquam enim falli poſſit ſacerdos, præſtat tamen, ut ex SS. Cornelio, Cypriano, & Auguſtino demonſtratum eſt, cùm ulteriùs inquirendi vitæ periculum occaſionem intercipit, multis indignis ſancta myſteria præbere, quàm dignos aliquos iis fruſtrare. Hunc autem Concilii Canonem, Concilium ſequens XIII. quod duobus poſt antecedens annis celebratum eſt, anno DCLXXXIII. prid. Non. Novembris, nominatim cap. 9. approbavit & confirmavit. MORINUS *De Pœnit.* lib. 5. cap. 7. num. 2. & ſeqq.

50. AD CAP. III. *Per definitiones Canonum antiquorum.*] Concilii Tolet. IV. Can. LXXV. & toto Concilio V. VI. & VII. cap. 1. Id enim tot Conciliis & decretis cavetur. Nam, ut inquit Gregorius Turon. lib. 3. *Sumpſerant Gotthi hanc deteſtabilem conſuetudinem, ut ſi quis eis de Regibus non placuiſſet, gladio eum appeterent, & quem libuiſſet animo, hunc ſibi ſtatuerent Regem.* Et Concilio Tolet. XVI. cap. 10. dicitur: *Quia juris jurandi tranſgreſſio valdè inolevit, & machinandi contra Principes noſtros conſuetudo ſæva.*

51. AD CAP. IV. *Ex Concilio Nicæno tit.* 8.] Habetur nunc cap. 6. De non ordinandis Epiſcopis per vicos.

52. *Titul.* 57.] Idem habetur Concil. Carthag. II. cap. 5. & Laodic. cap. 57.

53. AD CAP. V. *Sed in uno die ſi plurima.*] Hinc patet in more fuiſſe, plures uno die Miſſas dici, aliqua urgente neceſſitate. Unde Concilio Salegunſtadienſi cap. 5. *Item decretum eſſe dicitur, ut unuſquiſque presbyter in die non ampliùs quàm tres Miſſas celebrare præſumat.* Et Altiſiodorenſi cap. 10. *Non licet ſuper uno altario in una die duas Miſſas dicere.* Liberum verò aliquando fuiſſe, uno die plures Miſſas celebrari, tradit etiam Walafridus Strabo, *De rebus Eccleſiaſticis*, cap. 21. ubi ad ſuam notitiam perveniſſe gravium virorum relatu teſtatur, Leonem Papam ſæpè ſepties, aut octies uno die celebrare ſolitum: contrà verò D. Bonifacium Archiepiſcopum & Martyrem ſemel duntaxat per diem. Neceſſitate verò exigente pluries fieri permiſſum, ex Gratian. *De Conſ.* d. 1. cap. *Sufficit.* ex Alexandro PP, qui ſic habet: *Sufficit ſacerdoti unam Miſſam in die una celebrare; quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere; & valdè felix eſt qui unam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit. Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus ſæcularium, una die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo evadere damnationem.* Hoc Alexander. In ſeptem caſibus uno die plures dicere Miſſas licet. Primo, die Nativitatis, quo tres dici poſſunt. Can. *Nocte ſancta.* Media nocte, & diluculo, & tertiâ horâ, & aliis, ut tradit Doctor inſignis Navarro cap. 25. *Summæ*, num. 78. Item Durandus in *Rational.* lib. 4. cap. 1. Torre-cremata in dict. Can. *Sufficit.* Sylveſter in *Summa*, voce *Miſſa*. Soto. IV. Sent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. Leo primus Epiſt. LXXXI. ad Dioſcorum addit, ſacerdotem Miſſam iterare poſſe, cùm ſolennior feſtivitas conventum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit. *Tum enim* (ait Leo) *ſacrificii oblatio procul dubio iteratur.* Item Innocentius cap. *Conſuluiſti*, *De celebratione Miſſarum.* Hodie id fit, cùm ſub una parochia, unus ſacerdos duo habet oppida unita. Ex aliis etiam cauſſis idem licere, tradunt Doctores ſcholaſtici, Antonin. III. p. tit. 13. cap. 6. §. 4. & Paludan. in 4. d. 15. q. 2. Walafridus *De rebus Eccleſ.* cap. 21.

54. *In ſola tantùm extremi.*] Hunc morem celebrandi ſæpiùs in die Miſſæ ſacrificium, & in ultimo ſumendi communionis ſanctæ gratiam, tempore Cypriani in uſu fuiſſe, patet ex ejus Epiſtola LXV. ad Cæcilium.

55. AD CAP. VI. *Libera Principis electio.*] Studium & labor eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos, penes Reges tempore Gotthorum erat: quod uſque (Romanorum Pontificum indulgentià) ad noſtra tempora penes Hiſpaniæ Reges reſedit. Conſtat id ex Epiſtola Braulionis ad Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum: *Ut quia* (inquit) *Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam; & hoc filiolo tuo, noſtro domino ſuggeras, ut illum illi loco præficiat; cujus doctrina ſanctitas cæteris ſit vitæ forma.* Cui Iſidorus ſic reſpondet: *De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi, non eam, quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis: ſed tamen & ipſe adhuc, ubi certiùs convertat animum, illi manet incertum.* Et Concilio XVI. Tolet. in tomo Egicæ Regis cavetur, ut ſi quis Epiſcopus in ſua diœceſi idololatriam fieri permiſerit, officio ſuo deponatur; alio tamen principali electione ibidem conſtituto, qui poſſit hujus inſtitutionis ordinem ſervare. Unde conſtat ad regiam curam pertinere nominare Epiſcopos: quod fiebat hoc pacto. Rex de ea re nomina-

tionem

tionem referebat ad Concilinm: Concilium antem inquirebat, an nominatus dignus eſſet eo munere, nt ad Epiſcopatum eveheretur; quòd ſi inventus eſſet moribus & doctrinâ ornatus, ſtatim à Concilio confirmabatur. Patet hoc etiam ex Concil. XVI. Tolet. in decreto judicii ab univerſis edito, de depoſitione Sisberti Præſulis Toletani, his verbis: *Igitur quoniam favente Domino, Concilium eſt quò citiùs inchoandum, ſecundùm praelectionem atque auctoritatem totiens dicti noſtri domini, per quam in præteritis juſſit venerabilem fratrem noſtrum Felicem Spalenſis Sedis Epiſcopum, de privata ſede Toletana, jure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodùm reſervans ibidem decreto firmandum, ob id nos cum conſenſu cleri ac populi, ad ſæpè dictam Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum de Spalenſi ſede, quam uſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem canonicè transducimus.* Confirmatus jam à communi Concilio Epiſcopus, cogebatur ſe coram Metropolitano intra duos menſes ſiſtere; ut conſtat ex Concil. Tarracon. cap. 5. eſtque apud Gratian. diſt. 65. cap. *Si quis in Metropol.* Tota hæc poteſtas probandi & confirmandi Epiſcopos, à Rege libera electione deſignatos, quæ antè penes Concilium Generale erat, in hoc Concilio, ob cauſſas in Canone aſſignatas, in Archiepiſcopum Toletanum transfertur, veluti in totius regni Primatem. Omnia autem hæc fiebant conceſſione Romanæ & Apoſtolicæ ſedis, cujus auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper majorem in modum coluit, & obſervavit. Et habetur diſt. 63. cap. *Cùm longè, lateq́;*. LOAISA.

56. *Quoſcumque regalis poteſtas elegerit, &c. decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.*] Sciendum eſt ex veterum ſcriptorum monumentis, Gotthorum Reges in Hiſpania nominationem ſibi vindicâſſe creandorum Epiſcoporum, quorum nominatio referebatur ad Concilium, ut de perſona inquireret, utrùm digna eſſet Sede Epiſcopali. Quoniam autem longæ moræ ſolerent intercedere in his perficiendis, ob idq́ue contingere vacantes ſedes diutiùs abſque Epiſcopo permanere; id ſancitum eſt in hoc Concilio, ut quem Rex nominaret, unus Toletanus Epiſcopus, de perſona habita inveſtigatione ſolita, ordinare poſſet. Verùm quòd hæc res admodum invidioſa eſſet, quæ videretur ſtatuta in præjudicium reliquarum Archiepiſcopalium ſedium; adverſùs ejuſmodi hujus Synodi decretum conſtat fuiſſe ab Hiſpanorum reliquis Epiſcopis tumultuatum, ab eiſq́ue in contrariam partem flexum Regem, ſibi timentem ne cæteri Hiſpaniæ Epiſcopi rebellarent. Actumq́ue eſt ab Epiſcopis ipſis cum Romano Pontifice, *ut nullus Archiepiſcopus Hiſpaniarum ſubderetur alicui Primati, præter quàm Romano.* Iſta enim ita ſe habuiſſe docet Tudenſis. Quibus etiam intelligas, arbitrio Romanorum Pontificum pro temporis & perſonarum ratione dari & demi conſueviſſe Eccleſiis privilegia, neque quicquam conſiſtere quod Reges aut Concilia de his ſtatuant, niſi Pontifex Romanus annuerit. SPONDANUS ad ann. DCLXXXI. num. 14.

57. Vix aliquas in Germania, Gallia, Hiſpania, electiones Antiſtitum reperias, quæ non ex Principum aut conſenſu, aut voto, aut imperio fierent; quamvis, ut ſuprà notatum, id graviter Canones prohiberent, cùm Principum voluntas pro imperio eſſet, imperium verò pro neceſſitate; ſicq́ue electionum libertas peſſum ibat. Vide multa exempla electionum regio conſenſu aut imperio factarum apud Gregorium Turonenſem. Huic malo ut Concilium Pariſienſe III. mederetur, edidit anno DVII. Canonē VII. quo vetabantur electiones regio imperio violari; & à Rege electi omnino ſacerdotiis arcebantur. Anno, tamen DXLIX. Concilium Aurelianenſe V. licèt Can. XI. electiones Epiſcoporum ſolis clericis & populo concedat, vetetq́ue ne Principes *ad conſenſum faciendum* (verba ſunt Concilii) *cives aut clericos, quod dici eſt nefas, inclinent*; Canone tamen X. approbationem electionis regiæ voluntati permittit. Idem in Concilio V. Pariſienſi anno DCXV. & edicto Regis Clotarii confirmatum, ſicq́ue conſuetudo in jus & legem verſa. Idem quoque jus Regibus Hiſpaniæ (nam Gotthorum Reges nominationem Epiſcoporum jam olim ſibi vendicaverant) in Concilio Toletano XII. Can. VI. aut collatum, aut confirmatum eſt anno DCLXXXI: habetur is Canon apud Gratianum. Can. XXV. diſt. 63. Videntur Reges Galliæ Hiſpaniæq́ue exemplum à Græcis Imperatoribus accepiſſe, qui multum in electionibus Patriarcharum, aliorumq́ue Epiſcoporum ſibi tribuebant, & exempla hiſtoriam Eccleſiaſticam legentibus paſſim occurrunt. EUGENIUS LOMBARDUS in *Regali ſacerd.* in Prælud. §. 1.

58. *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici &c.*] Videtur hoc privilegium, eo præſertim titulo Toletano Antiſtiti tributum, quòd antea, ut refert Rodericus, Primatiæ dignitatem à ſummo Pontifice, inſtante Cindaſvintho Rege Wambæ prædeceſſore, obtinuiſſet: ſed non multo tempore iſtâ prærogativâ fruitus eſt: nam tertio & triceſimo ab eo Concilio anno, Hiſpaniis à Sarracenis occupatis, Toletum in eorum quoque poteſtatem venit. Cæterùm eandem quoque ob cauſſam, cùm Romani Pontifices Epiſcoporum confirmationes, immo & electiones, ad ſe traxiſſent, comprovincialibus, ſicut & Metropolitano, adempto ordinationum jure, in curia Romana Epiſcoporum frequentiores ordinationes fuerunt: cenſuitq́ue Synodus Tridentina, Epiſcopos vel in curia, vel in provincia, ſi fieri commodè poſſit, conſecrandos: ideſt, vel à Romano Pontifice, vel iis quos ipſe delegârit, ſi nempe in curia ordinentur; vel à Metropolitano, ejuſq́ue Comprovincialibus, quibus ſolis in provinciam jus eſt; ſi videlicet extra curiam conſecrentur. HALLIER *De ſacris electionib.* pag. 696.

59. AD CAP. VII. *Omnis diſciplina.*] Ex lege Wambæ lib. 12. legum Wiſi-gotthorum tit. 2. leg. 8. ubi dicitur, ut amiſſo teſtimonio dignitatis, protinus ad ultimæ ſervitutis conditionem redigatur, quiſquis laïcus, ſimul ut inimica aliqua vis adverſus gentem Gotthorum ingruiſſet, eam non omni ope propulſare conatus fuiſſet.

60. AD

60. Ad Cap. X. *Qui eos competunt.*] Multum huic decreto lucis infertur ex leg. Wiſi-gotth. lib. 9. tit. 3. de iis qui ad Eccleſiam confugiunt; & ampliùs ex lib. 6. tit. 4. leg. 16. quâ agitur de homicida ad Eccleſiam confugiente. Verba ſunt: *Sed etſi contigerit eum ad altare ſanctum fortaſſe confugere, non quidem præſumat eum abſque conſultu ſacerdotis perſequutor ejus abſtrahere. Conſulto tamen ſacerdote, ac reddito ſacramento, ne eundem ſceleratum publicâ mortis pœnâ condemnet, ſacerdos eum ſua intentione ab altari repellat, & extra chorum projiciat: & ſic ille, qui eum perſequitur, comprehendat. Cui ab Eccleſia ejecto, non aliàs mortales inferat pœnas; ſed in poteſtate parentum, & eorum, cuius propinquus occiſus fuerit, contradendus eſt; ut excepto mortis periculo, quid de eo facere voluerint, licentiam habeant.* De immunitate Eccleſiarum ſuprà diximus.

61. *Lex.*] Leges condere poſt peracta Concilia in eorum confirmationem, ab Imperatoribus Romanis Reges Gotthi acceperunt; gens cùm hac in re, tum in aliis pleriſque Imperii æmula.

62. Confirmatum eſt hoc Concilium Toletanum XII. in Concilio Tolet. XIII. cap. 9. ubi ſic ſcriptum eſt: *Licèt unanimi conſenſionis noſtræ judicio geſta ſynodalia Toletani Concilii duodecimi acta ſunt atque diſpoſita, quæ anno primo glorioſi Principis Ervigii in hac urbe regia celebrata ſunt,* &c.

CONCILIUM TOLETANUM XIII.

XLVIII. EPISCOPORUM.

Actum anno IV. Ervigii Regis, Erâ DCCXXI. anno Domini DCXXCIII. ſub Leone Papa II.

1. ILLIBATÆ charitatis inſtinctu alternis viſionum obtutibus redditi, & in unum cœtum [a] fautore Deo pariter aggregati, in Eccleſia videlicet ſanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli, anno regni quarto ſereniſſimi Ervigii Principis, ſub die pridie Nonas Novembris, Erâ DCCXXI. Cùm unuſquiſque noſtrorum debitis locaretur in ſedibus, adfuit idem Princeps, pleno Fidei ardore ſubnixus, & humilitatis gratiâ decoratus: qui ſynodico cœtui deliberationis ſuæ vota commendans, & ut pro ſe Deum inſtantiſſimè deprecarentur, expoſtulans, hoc præſertim eſt allocutus ſufficienti exhortatione Concilium, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ quæ congruunt, & corrigendis moribus quæ conveniunt, tractatûs noſtri evidentiâ ſancirentur.

[a] Auctore.

2. Deinde religioſa vota ſuæ clementiæ, quibus ſubveniendum miſeris definivit, ſynodali conventui confirmanda commiſit; offerens videlicet ſacris Pontificibus tomum; obſecrans pariter & obteſtans, ut quicquid illic venuſtioris calami reſperſione congeſtum, ſynodalis potentiæ conderetur ordine titulorum. Tunc nos pro ſuſcepto à Principe tomo, gloriam dedimus Deo, & eidem Principi benediximus glorioſo. Idem tamen Princeps poſtquam votorum ſuorum [b] inſinuationem peregit, à conventu Concilii gratioſus exivit. Tunc poſt præſentiæ principalis abſceſſum, hoc in tomi ipſius allegatione [c] pervenimus exaratum.

[b] actionem.
[c] Reperimus.

IN NOMINE DOMINI,

Flavius Ervigius Rex ſanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

3. ECCE ſanctiſſimi, religioſa pietate excolendi Pontifices, & divini cultus inſtantiſſimi ſectatores, coram cœtus veſtri reverentia humilis devotuſque proſternor, reclinis adſiſto, promptus adſtipulor: primùm de conventus veſtri aggregatione Patri luminum gratiarum copiam ſolvens; deinde votorum meorum ſtudia veſtris judiciis dirimenda committens. Nec enim fas eſt, quemquam, etiam [d] ſi bonum ſit opus, ſine conſilio agere; [e] cùm tamen multum proſit bona cum conſilio bonorum exegiſſe. Unde, ut brevi exhortatione perurem vota mea, quibus remedia pietatum exerceri delector, ſenſibus paternitatis veſtræ agnoſcenda inſinuo: quæ tamen, ne oblitu quodam memoriam fugiant, & relationi propriæ curarum ea intercapedo ſubducat, in hujus tomi complicatione accipite [f] renotata.

[d] Si nondum ſit opus.
[e] Cùm multa promiſit Deus bona.
[f] Annotata.

4. Illud primùm volenti mihi miſeris parcere convenit intimare, quòd divulſam per tyrannidem noſtri corporis partem in ſocietatis noſtræ gremium conamur reducere. Etenim retroactis divæ memoriæ prædeceſſoris noſtri [g] Wambæ Regis temporibus, quæ in profanatoribus patriæ, cum Paullo quondam tyrannidem aſſumpſerant, illata ſit ſententia ultionum, [h] quo per judicii univerſalis edictum

[g] Bambæ.
[h] Qui.

ctum, amiſſo teſtimonio, rebuſque propriis caruerunt, [i] cuncta hæc veſtræ ſanctitudini nota ſunt. Quos tamen & in collegio ſocietatis noſtræ recipere, & rebus, quibus fas fuerit, devovimus [k] reveſtire. Nam & de accuſatis modum volumus ponere juſtiſſimæ perquiſitionis: quo ſive de religioſis, ſive de laïcis quiſquam accuſationis cujuſque [l] ſtudio propulſatus, non occultis fraudibus, vel violentis comprimatur: [m] nec ad dandam profeſſionem violenter arceatur; ſed in communi omnium examine judicetur; quo, ſecundum publicæ profeſſionis ſuæ tenorem, aut offenſibilis debitas damnationis pœnas excipiat, aut innocens ex judicio omnium comprobatus clareſcat. Nam quid jam de tributorum fiſcalium exactionibus referam? Quorum redhibitiones tantis debitorum cumulis increverunt, ut ſi exigi penitùs jubeantur, & ſtatus [n] ſubruat funditus populorum, & [o] fragamine colliſionis eorum ultimum terra ſentiat propriæ prolapſionis excidium.

i Quæ cuncta.
k Deveſtire.
l Studio fuerit propulſ.
m Nec clam ad.
n Subruatur.
o Fragmine.

5. Unde his etiam talibus privatis, ſeu etiam fiſcalibus ſervis, remedia pietatis præoptans noſtra gloria affluenter impendere, omnes tributorum exactiones, quæ apud illos de retractis temporibus [p] relucent, uſque ad primum annum celſitudinis noſtræ, manſuetudo noſtra illis omittendas laxavit, & ſtylo propriæ auctoritatis [q] omittendas inſtituit. Quas etiam, [r] anctoritates ſacroſancto cœtui veſtro relegendas elegit. Illud quoque adjiciens loquar, quod votis noſtris horribile & animis exſecrabile ſemper [s] eſt: cum nobilitate conditio libertorum, vel ſervorum etiam adæquata, gentis noſtræ ſtatum degenerat. Ob quam rem, id noſtræ gloriæ animis placet, ut exceptis ſervis fiſcalibus, vel libertis, abraſâ deinceps hujus malæ præſumptionis licentiâ, nullus, qui ex ſervitute quorumlibet ſervus ſit, vel libertus, ad Palatina officia tranſeat: quod ſi fecerit, [t] illi ſerviturum procuhdubio reducendum ſe noverit, ex quo aut conditionis propriæ originem ſumpſit, aut libertatis titulum reportavit.

p Adjacent.
q Remittendas.
r Auctoritas.
s Eſt nobilitatis cond.
t Illic.

6. His votorum meorum inſinuationibus allegatis, quæſo, ut fortia paternitatis veſtræ adjutoria [u] prorogetis: luce enim clariùs conſtat, quòd aggregatio ſacroſancta Pontificum, quicquid cenſuerit obſervandum, per ſancti Spiritus donum, [x] omni maneat æternitate perfixum. Et ideo univerſitatem paternitatis veſtræ, atque ſublimium virorum nobilitatem, qui ex aulæ regalis officio in hac ſancta Synodo [y] nobiſcum ſeſſuri prælecti ſunt, obteſtor pariter & conjuro, atque per ineffabile illud ſanctiſſimæ Trinitatis ſacramentum convenio, ut quid in medio veſtrî ſe judicandum vel retractandum invexerit; tam quæ per nos dicta, quàm etiam cætera, quæ veſtris auditibus ſe ingeſſerint audienda, [z] cum omni vigore juſtitiæ & temperamento miſericordiæ dirimere procuretis: quo cum omni reverentia Patrum præcedentium regulis ſubdita totius unanimitatis veſtræ ſententia non aliunde, quàm ex veritatis fonte procedat. Sicque & his quæ præmiſſa ſunt ſolidum deliberationis ſtylum promptiſſimè apponatis, & reliqua adhuc quæ neceſſaria ſunt in peragendis Eccleſiaſticæ regulæ diſciplinis, & dirimenda tractetis, & dirempta, [a] religioſa ſub diligentia conſcribatis. Qualiter dum doctrinam [b] reſpergitis ſalutarem in populis, Chriſtum Dominum in [c] emolumento juſtitiæ capiatis: ut & vobis prædicantibus, & nobis implentibus, quæ divinis oculis [d] cumplacent, ſit utriuſque partibus & in hoc ſæculo de lucro animarum ineffabile gaudium, & in futuro de [e] perventione æternitatis præmium inconvulſum. Datum ſub die [f] pridie Nonas Novembris, anno feliciter quarto regni gloriæ noſtræ, in Dei nomine. Toleto.

u Prærogetis.
x Omnino eſt ad æternitatem perſ.
y Vobiſcum.
z communi vigore.
a Religioſiori diligentia.
b Diſpergitis.
c In cumulando juſtitiæ fructu.
d Complaceant, & quæ nobis proficiant ſemper agere valeamus. Sit utriſque parentibus in hoc ſæcul.
e Proventione.
f Secundo.

7. Perlecto igitur, [g] præ cunctis tomi [h] neceſſario inſtitutionum exorſu, priùs de Fide ſanctæ Trinitatis ſermocinationis noſtræ cœpit eſſe principium: profitentes pariter & credentes ea, quæ de hac ſancta Trinitate, & Euangelia tradunt, & Apoſtolorum ſanctiones inſtituunt; ſicut Nicæna Synodus hoc pietatis ſacramentum expoſuit; ſicut Conſtantinopolitana definitio ſanxit; vel primi Epheſini cœtûs, atque Chalcedonenſis evidens doctrina conſtituit; juxta quod etiam ſacroſancti Symboli elucubrata profeſſio claret, quæ in Miſſarum ſolennitatibus patula cunctorum acclamatur fidelium voce.

g Coram cunctis tomi.
h Neceſſariæ inſtitutionis.

Symbolum Nicæni Concilii.

8. CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium conditorem; & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum; ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum ex Deo, lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero; natum, non factum; homoûſion Patri (ideſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ) per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit; & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, homo factus; paſſus ſub Pontio Pilato; ſepultus, tertia die reſurrexit; aſcendit in cœlos; ſedet ad dexteram Patris; iterum venturus in gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum, & vivificatorem; ex Patre & Filio procedentem; cum Patre & Filio adorandum & glorificandum: qui loquutus eſt per Prophetas: in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum; & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Recitatur hoc ſymbolum ad verbum in officio Iſidoriano Mozarabum, & XII. Conc. Tolet. & VIII.

9. Poſt hujus ſanctæ Fidei diſpoſitam ſtructuram, quaſi ſuper ſolidiſſimam petram, cæterorum negotiorum ſequentium conſtruximus fabricam; ut eò firmitate inconvulſibili durent, quò ſuper fundamentum veræ Fidei fuerint conſtructa perenne. Unde & has in commune ſententias, quas Principis hortatu conſtruendas accepimus, communi voto edidimus, quas etiam æterno reverentiæ vigore obſervandas fore cenſemus,

TITU-

TITULI CAPITULORUM.

I. *De reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis cum Paullo traxit in ſocietatem tyrannidis.*

II. *De accuſatis ſacerdotibus, ſeu etiam optimatibus Palatii, atque gardingis; ſub qua eos juſtitia cautela examinari conveniat.*

III. *De tributorum principali relaxatione in plebe.*

IV. *De munitione prolis regiæ.*

V. *Ne defuncto Principe relictam ejus conjugem aut in conjugio ſibi quiſquam, aut in adulterio audeat copulare.*

VI. *Ut exceptis ſervis vel libertis fiſcalibus, nullus de ſervitute quorumlibet aut libertis, deinceps ad palatinum officium quocumque tempore tranſeat.*

VII. *De his, qui pro accidentia jurgiorum altaria nudare præſumunt, vel luminaria Eccleſiæ ſubtrahunt.*

VIII. *Ne admonente Metropolitano, quiſquam ex confinitimis ad locum ubi invitatur venire contemnat.*

IX. *De confirmatione Concilii Toletani XII. quod factum eſt anno primo glorioſiſſimi Ervigii Regis.*

X. *Utrum audeant miniſtrare hi, qui pœnitentiam accipiunt in ſacerdotio conſtituti.*

XI. *Ne quis alienum clericum vel monachum ſuſcipiat fugientem.*

XII. *De non excommunicandis à proprio Epiſcopo perſonis illis, quæ ad Metropolitanum ſuum negotia ſua geſturi acceſſerint.*

XIII. *De relatione gratiarum, quæ poſt peractionem Concilii Deo & Principi perſolvuntur.*

I. *De reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis cum Paullo traxit in ſocietatem tyrannidis.*

10. PRÆCONABILE ſignum eſt, illis ſemper negotiis intereſſe, quæ & à pietate incipiunt, & per pietatis viſcera temperantur. *Pietas enim* (ut ait Apoſtolus)[a] *ad omnia utilis eſt.* Cujus virtutis admirabili dono cor glorioſi atque religioſiſſimi Principis noſtri divino igne ſuccenſum decrevit pariter & elegit, ut in unum cœtum omnes Hiſpaniæ aggregati Pontifices illa decernerent, quæ & gravedines preſſurarum removeant, & ſublevationis opem dejectis opulenter impendant.

[a] Timo. 4.

11. Primo igitur negotiorum exorſu, hortante pariter & jubente religioſiſſimo domino noſtro Ervigio Rege, decernendum nobis occurrit, ut omnes quos ſcelerata quondam contra gentem & patriam conjuratio Paulli in perfidiam traxit, & titulo teſtimonii honeſtioris[a] abjecit, ad ſtatum dignitatis priſtinæ redeant, & nulla deinceps illis ob hoc catena judicialis obſiſtat; ſed omnes ita generoſæ ſtirpis ac nobilitatis propriæ ſubeant decus, ut præteritæ infidelitatis nullum perferant dedecus. Quod etiam & de filiis eorum decernimus obſervandum, qui poſt admiſſum parentum præmemoratæ profanationis ſcelus nati eſſe produntur, ſive de cæteris omnibus, qui ex tempore divæ memoriæ Chintilani Regis ſimili hucuſque infamationis nota reſperſi ſunt.

[a] Abegit.

12. Et quia incaſſum à ſervitute exuitur, qui ſpoliis premitur, hoc etiam adjiciendum precelſi Principis noſtri clementia juſſit, ut aggregati cœtus noſtri ſententia definiret, quo cum recepto teſtimonio dignitatis, congruis alerentur ſubſtantiis. Unde conſonam vocis ejus ſententiam præfirmantes elegimus, ut ea quæ de rebus eorum nulli donata, neque in ſtipendiis data, ſed tantùm fiſci ſunt [b] viribus applicata, unuſquiſque quod cuique proprium fuerit, incunctanter per auctoritates regias poſſidendum recipiat, & receptum, proprii arbitrii libertate diſponat. Illa verò quæ de eorum bonis largitione principali cuilibet donata, vel in ſtipendio data ſunt, in eorum jure, quibus conceſſa ſunt, perpetim tenebuntur. Hujus ergo pietatis ſententiam, quam ordinante prædicto glorioſo Principe noſtro formavimus, ſi quis immutandam elegerit, & tantę miſericordię fabricam ſubruere tentaverit; per judicium omnipotentis Dei anathema ſit.

[b] Juribus.

II. *De accuſatis ſacerdotibus, ſeu etiam optimatibus Palatii, atque gardingis; ſub qua eos juſtitia cautela examinari conveniat.*

13. Secundę collationis objectu res noſtro cœtui lacrymanda occurrit, quæ tantò eſt ſynodalis judicii pondere abigenda, quantò immenſam ſtragem populis affert pariter & ruinam. Etenim decurſis retrò temporibus vidimus multos, & flevimus, ex palatini ordinis officio cecidiſſe, quos & violenta profeſſio ab honore dejecit, & trabale Regum ſanctione judicium, aut morti, aut ignominiæ perpetuæ ſubjugavit. Quod importabile malum, & impietatis facinus exhorrendum, religioſi Principis noſtri animus abolere intendens, generali omnium Pontificum arbitrio retractandum invexit, & ultrici ſynodalis potentiæ auctoritate cohibendum inſtituit.

14. Unde congruam devotionis ejus ſententiam decernentes, hoc in commune decrevimus, ut

nullus

nullus deinceps ex Palatini ordinis gradu, vel religionis ſanctæ conventu, regiæ ſubtilitatis aſtu, vel profanæ poteſtatis inſtinctu, ſive quorumlibet hominum malitioſæ voluntatis obnixu, citra manifeſtum & evidens culpæ ſuæ judicium, ab honore ſui ordinis, vel ſervitio domûs regiæ arceatur: non antea vinculorum nexibus illigetur, non quæſtioni ſubdatur, non quibuslibet tormentorum vel flagellorum generibus maceretur, non rebus privetur, non etiam carceralibus cuſtodiis mancipetur, neque adhibitis hinc inde injuſtis occaſionibus abdicetur, per quod illi violentia, occulta, vel fraudulenta profeſſio extrahatur: ſed is qui accuſatur, gradum ordinis ſui tenens, & nihil antè de ſupradictorum capitulorum nobilitate perſentiens, in publica ſacerdotum, ſeniorum, atque etiam gardingorum diſcuſſione reductus, & juſtiſſimè perquiſitus; aut obnoxius reatui detectæ culpæ legum pœnas excipiat, aut innoxius judicio omnium comprobatus appareat.

De Gardingis habes in Tract. de Officiis palatinis Gottorum, in Notis ad Concilium Tolet. VIII.

15. Illos tamen quos in locis talibus manere conſtiterit, unde nocibilis perfugii ſuſpicio ſit, aut eos quos pro conturbatione terræ diligentiùs oporteat cuſtodiri, hoc ſine aliquo vinculorum, vel injuriæ damno, ſub libera cuſtodia conſiſtere oporteblt. Sic tamen repulſo omni terrore, ſob circumſpecta & diligenti cuſtodia habeantur, ut tempus quo judicari eos aporteat, nullo modo ſub fraudulentia dilatetur; quo ab uxoribus vel propinquis, atque etiam rebus ſuis diutiſſimè ſeparati, profeſſionem ſuam videantur dediſſe inviti: quæ tamen, ſi data fuerit, modis omoibus non valebit: ſed juxta ſuperiorem ordinem, [c] illud tamen pro vero accipietur, quod ex ore ejus agnitum generali fuerit judicio comprobatum. Nam de cæterorum ingenoorum perſonis, qui palatinis officiis non hæſerunt, & tamen ingenuæ dignitatis titulum reportare videntur, ſimilis ordo ſervabitur: qui, etiam ſi pro culpis minimis (ut aſſolet) flagellorum ictibus à Principe verberentur, non tamen ex hoc aot teſtimonium amiſſuri ſunt, aut rebus ſibi debitis privabuntur. Quod ſi de infidelitatis crimine quicquam eis objicitur, ſimili, ut ſuperiùs præmiſſum eſt, ordine judicandi ſunt.

c *Scribe* tantum, *ut alibi: nam hæ voces ſæpè in Gothicis Mss. confunduntur.*

16. Quod ſynodale decretum divino, ut confidimus, ſpiritu promulgatum, ſi quis Regum deinceps, aut temeranter cuſtodire neglexerit, aot malitioſè præterire prælegerit; quo quiſquam de perſonis taxatis aliter quàm præmiſſum eſt, prædamnetur, aut aſtu congeſtæ malitiæ perimatur, vel dejectus ſui ordinis loco privetur; ſit cum omnibus, qui ei ex delectatione conſenſerint, in conſpectu altiſſimi Dei Patris, & unigeniti Filii ejus, atque Spiritus ſancti perenni anathemate ultus, & divinis vel æternis addicetur ardoribus concremandus.

17. Et inſuper quicquid contra hanc regulam ſententiæ noſtræ, aut in perſona cujuſcumque fuerit actum, aut de rebus accuſatæ perſonæ exſtiterit judicatum, nullo vigore ſubſiſtat, quo perſona ipſa aliter quàm decernimus judicata, aut teſtimonii ſui dignitatem amittat, aut quæſtu rei propriæ careat. Nec enim hæc & talia promentes, Principibus domeſticæ correctionis poteſtas adimitur. Nam ſpecialiter de laïcis illis, quos non culpa infidelitatis adſtrinxit, ſed aut ſervitii ſui officio torpentes, aut in commiſſis ſibi actibus reperiuntur eſſe mordaces, vel potiùs negligentes, erit Principi licitum hujuſmodi perſonas abſque aliquo eorum [d] infamio, vel rei propriæ damno, & ſervitii mutatione corrigere, & in commiſſos talium alios qui placeant tranſmutare.

d *Hæc vox infra etiam uſurpatur.*

III. *De tributorum principali relaxatione in plebe.*

18. Tertii ordinis glorioſæ inſinuationis occurſo liberalitas principalis longè lateque diffuſa, noſtro ſe invexit cœtui agnoſcenda: quæ, ſicut ex puro fonte regiæ proviſionis proceſſit, ita ſynodalis conventûs debet ſanctione præſtringi. Et ideo religioſi Principis noſtri Ervigii Regis affectus in toto gentis ſuæ ambitu uſquequaque porrectus, de virtute in virtutem quodammodo gradiens, & quaſi quibuſdam paſſibus ad meliora conſcendens, hoc per ſtylum regiæ auctoritatis decrevit, ut omne tributum præteritorum annorum, uſque in anno primo regni ſui, quod in privatis, ſive in fiſcalibus populis relucet, abſolutionis pespetuæ debeat ſanctione laxari: & tamen de ipſis tributis præcipiens theſauris publicis exhiberi, quæ exacta, & non illata fuiſſe conſtiterint. Quod pietatis beneficium admirantes, non ſolùm vigorem gloriæ definitioni ejus apponimus, ſed & perpetuæ excommunicationi eum, qui contra hæc venerit, ſubjiciendum eſſe ſancimus.

IV. *De munitione prolis regiæ.*

19. Pridianæ diei exercitia glorioſa, quibus per trium capitulorum adnotationem pietas principalis ſe monſtravit eximia, cogunt cœtus noſtri reverentiam aliqoid promulgare, [e] quo valeat & pietati regiæ vicem beneficentiæ reddere, & principali ſoboli ad futurum prodeſſe. Providentia enim ſalutaris ſemper eſt utilis; immo ſemper eſt utile quod ad veram pertineat ſalutem. Et ideo piæ ſolicitudinis curâ extenti, defenſionis decretum promulgare prælegimus in regiam prolem; & tuitionis in futurum obtendere pietatem, qui paternis beneficiis nequivimus reddere vicem.

Secunda dies Concilii.

e Quod,

20. De hoc ſanè Principe noſtro Ervigio Rege id nos definiſſe conveniat, cujus provida Fide pacato imperio regimur, affectu fovemur, præmiis fruimur: qui profanatoribus perditum libertatis decus reſtituit, qui de accuſatis modum, quo juſtiſſimè examinentur, decrevit: qui terram gentis propriæ, & illæſam ab hoſte ſervavit, & multiplici tributorum relaxatione erexit. Et ideo, qui tot erga gentis ſuæ populos ejus beneficia perſentimus, dignum eſt, ut ſaltem ejus filiis fortia tuitionis ad futurum adminicula prorogemus.

21. Conteſtamur ergo omnes præſentes & abſentes, ſeu etiam futuris temporibus ſubſequentes, ſacerdotes, vel Principes, ſeu cujuſcumque honoris aut ordinis homines, coram Deo & ſanctis angelis ejus, ut nullus ad futurum poſteritati ejus vel glorioſæ conjugis ſuæ Liubigotoni Reginæ atque his, qui gloriæ ſuæ filiis vel filiabus conjuncti eſſe noſcuntur, ſeu etiam qui adhuc conjuncti non ſunt, ſed protinus conjungendi ſunt, injuſtas lædendi occaſiones exquirat; nullus occultè vel publicè, per quæ abdicentur, malitiæ ſuæ contra eos vota extendat; non eos gladio, vel qualibet pernicioſa factione interimat: nullus conſilium vel opus, quibus injuſtè dejiciantur, vel nudentur rebus, exhibeat: nullus his injuſtè violentum tonſuræ ſignaculum imprimat; nullus veſtem, contra ordinem glorioſæ conjugis ejus, vel filiabus ſuis, atque † nuris mutare præſumat: nullus etiam extra evidentis culpæ indicium, aut exſiliis eos relegandos inducat, aut eorum corporibus quamlibet detruncationem, vel flagellorum inferat detrimenta; quo cum præmemoratis omnibus, omnis ejus in tota ad futurum glorioſa poſteritas, nec læſionis injuſtam perferat notam, nec rerum ſentiat detrimenta.

† ſic Loaiſa, Binius, &c.

22. Si quis autem hominum, cujuslibet ſit ordinis aut honoris, huic noſtræ ſententiæ non acquieſcens, filios filiaſve gloriæ ſuæ, unà cum ſereniſſima conjuge ſua Liubigotone Regina, vel ſupradictis omnibus, amodò, vel quandoque, ſine juſto partis ſuæ negotio, aut lædendos impetierit, aut dejiciendos elegerit, vel ex propria deliberatione conſenſerit, quo aut de re rebus ſibi debitis injuſtè expoliati nudentur, aut dolo vel machinamento quolibet dejiciantur, ſit æterno anathemate ultus, & futuri examinis judicio condemnatus,

V. *Ne defuncto Principe, relictam ejus conjugem, aut in conjugio ſibi quiſque, aut in adulterio audeat copulare.*

23. Exſecrabile facinus, & adſuetæ admodùm iniquitatis eſt opus, defunctis Regibus ſuperſtitis ejus conjugis regale * torum appetere, & horrendis pollutionum maculis ſordidare. Quis enim Chriſtianorum æquanimiter ferat defuncti Regis conjugem alieno poſtmodum connubio uti? Aut ſequuturi Principis libidini ſubjugari? Et quæ fuit domina gentis, ſit poſtmodum proſtibulum fœditatis? Et quæ toris exſtitit regalibus honoris regii ſublimitate conjuncta, ſtupris eorum, vel conjugiis, quibus pridem dominata eſt, abdicetur ut reproba? Quid ergo ſi moriuntur Principes? numquid inhonorandas relinquunt ſui corporis partes? Aut quia ad gaudia cœleſtia Chriſtiani tranſeunt Reges, propterea ad contumeliam in ſæculo eorum devocandæ ſunt conjuges? Nuſquam ergo inhonorum eſſe oportet, quod honorandum convenit opportunè haberi.

* *Sic ſupra*, habitum & libellum, pro, habitus & libellus.

24. Nulli ergo licebit ſuperſtitem Reginam ſibi in conjugio ducere, non ſordidis contactibus maculare. Non hoc ſequuturis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit eſſe permiſſum. Quòd ſi facere tale aliquid quiſpiam præſumpſerit, quo aut ſuperſtitem Reginam, poſt decedentis Principis mortem, ſibi in connubio copulet, aut adulterina pollutione contaminet; ſive ſit Rex, ſive quilibet hominum, qui hujus noſtræ ſanctionis ſententiam violare præſumpſerit, ſit ab omni Chriſtianorum communione ſecluſus, & ſulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus. Quicumque igitur hujus conſtitutionis noſtræ præſumpſerit convellere vel abradere ſanctionem, ſit nomen ejus abraſum & deletum de libro vitæ; ut tartareas judicii pœnas excipiat, qui hæc decreta honeſtatis devoverit violanda.

VI. *Ut exceptis ſervis, vel libertis fiſcalibus, nullus de ſervitute quorumlibet deinceps aut libertis, ad palatinum officium quocumque tempore tranſeat.*

Idem ſæpè à Romanis Imperatoribus factum conſtat.

25. Sæpè obſcurat nobilium genus ſuberectum ſervitutis importabile dedecus; quod & generoſos adæquatum infamat, & dominis plerumque notam proditionis importat. Multos enim ex ſervis vel libertis, plurimum ex regio juſſu novimus ad palatinum fuiſſe pertractos officium; qui tamen affectare cupientes ſublimitatem honoris, quam illis ſubtrahebat natio obfuſcatæ originis; dum æquales dominis per ſuſceptum palatinum officium facti ſunt, in necem dominorum ſuorum vehementiùs graſſaverunt. Et, quod nefas eſt dicere, etiam hi qui à dominis ſuis libertatis beneficio potiuntur, ipſi quoque dominis ſuis regio juſſu tortores exiſtunt. Nam quid jam ſi præcedentium & antiquorum hiſtorica narratione memoremus excidia, in qua obſcœna conditio ſervitutis dominorum ſæpè ſuorum caſum operiens, & regnum pariter labefactare fecit & dominos?

26. Ac proinde, hortante pariter ac jubente prædicto glorioſiſſimo Principe, hoc noſtri cœtus aggregatio obſervandum inſtituit, ut exceptis ſervis, vel libertis fiſcalibus, nullus ſervorum, atque etiam libertorum quorumlibet, deinceps ad palatinum quandoque tranſire permittatur officium; nec etiam locorum fiſcalium, atque etiam proprietatis regiæ adminiculatores vel actores fieri quolibet tempore admittantur: ſed conditionis ſuæ uſum deinceps unuſquiſque ſervorum vel libertorum veraciter reminiſcens, ita ſibi ab ordine palatino extorris proficiat, ut dominis ſuis, vel dominorum ſuorum poſteritati, nec noceat, nec æqualis exiſtat. Quòd ſi deinceps quorumcumque ſit libertus, ſeu etiam ſervus, vel omnis eorum adfutura progenies, qui poſt hujus ſanctionis noſtræ ſententiam ad officia præmiſſa accedat, illic quolibet tempore, aut ſerviturus, aut obſequendus modis omnibus contradatur, ex quo aut ſervitutis originem duxit, aut libertatis decus ſubire promeruit.

VII. De

VII. *De his qui pro accidentia jurgiorum, altaria nudare præſumunt, vel luminaria Eccleſiæ ſubtrahunt.*

27. *Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & deſidiosè!* Propheticus ſermo anuunciat. Et ſi illi væ incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt; quod ſupplicium merebuutur, qui divinæ ſervitutis cultum, malitiâ intercedente, ab altaribus Chriſti ſubducunt? Illos dicimus, qui obſtinatæ mentis doloſitate confuſi, cùm aliqua eos moleſtia fraternorum jurgiorum pupugerit, inſanâ illicò temeritate adrepti, altaria uudantes, ſacratis veſtibus exuunt, luminaria ſubtrahunt, ac divinorum ſacrificiorum coltum malitia intercedente ſubducunt. Et quòd in hominibus ſe vindicare non poſſunt, injuriam Deo (quod pejus eſt) inferunt.

Ierem. 2.

28. Unde ſi hujuſmodi pro fraterno odio homicidæ reatu adſtringitur; pro contemptu divino quid pœnæ merebitur? Etenim juxta quod divinus ſermo increpat: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: * ſi quis autem peccaverit in Deum, quis pro eo rogaturus eſt?* Facilè ergo talium ſacerdotum exceſſibus illa Domini ſententia coaptabitur, quâ malitia percutitur ſacerdotum. Dicit enim: *Honorificantes me honorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

1. *Reg.* 2.
* *Si autem in Dominum peccaverit, quis.*
Alluſio ad illum Joannis locum Ep. 1. *cap.* 3.
Omnis qui odit fratrem ſuum homicidia eſt.

29. Quicumque ergo ſacerdotum vel miniſtrorum deinceps cauſâ cujuslibet doloris vel amaritudinis permotus, aut altare divinum, vel veſtibus ſacratis exuere præſumpſerit, aut qualibet alia lugubri veſte * accingi; ſeu etiam ſi conſueta luminariorum ſacrorum obſequia de templo Dei ſubtraxerit, vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit, atque (quod pejus eſt) occaſionem nutrierit, unde de templis Domini aut officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificii videatur in aliquo defraudari; ſi eum antea veræ pœnitudinis coram Metropolitano ſatisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta ſuperiorem ſententiam Domini, & loci ſui dignitate ſe noverit & honore privari. Illis proculdubio perſonis ab hac ultionis ſententia ſeparatis, quæ aut contaminationem ſacrorum ordinum, vel ſubverſionem ſanctæ Fidei metuentes, aut hoſtilitatem vel obſidionem perferentes, ſeu etiam divinorum judiciorum ſententiam metuentes, tale feciſſe contigerit: in quorum facto plus humilitas, quâ Deus placetur, quàm interni laboris doloſitas declaratur.

1. *Reg.* 2.
26. *q.* 5. Quicumque ſacerdos.
* Accinxerit.

VIII. *Ne admonente Metropolitano, quiſquam ex confinitimis ad locum ubi invitatur, venire contemnat.*

30. Si generaliter obediendum omni fratri in tantum à Chriſto præcipitur, ut non ſolùm ſi angariati fuerimus paſſibus mille, obedientię vota paremus; ſed etiam gemino id charitatis officio peragamus, jam quomodo obediendum eſt præeminenti? Quibus Apoſtolus ita obedire præcepit, ne de inobedientia fratris videantur ullo modo contriſtari. Accedit enim multoties, ut cauſâ ſalutis alicujus, vel collationis neceſſariæ, evocati à Principe vel Metropolitano confinitimi ſacerdotes, venire differant, & diverſis excuſationibus agant, quibus implere quæ jubentur, omittant: hac de re naſcitur & difficultas ordinibus, & contemptus majoribus.

Matth. 5.
Hebr. 13.

31. Et ideo ſi quis Epiſcoporum à Principe vel Metropolitano ſuo admonitus, deſignato ſibi dierum rationabili ad veniendum ſpatio, ſive pro feſtivitatibus ſummis, Paſcha ſcilicet, Pentecoſte, & Nativitate Domini celebrandis, ſive pro cauſſarum negotiis, ſeu pro Pontificibus conſecrandis, vel pro quibuslibet ordinationibus Principis; excepta inevitabili neceſſitate infirmitatis, quæ teſtibus poſſit comprobari idoneis, ad conſtitutum diem venire diſtulerit, contemptorum ſe noverit excommunicatione multari; ſi tamen exceptis ſuprà taxatis capitulis, aut fluminum, aut aërum procelloſa immenſitas, ad præfinitum diem aditum ei ſubduxerit properandi; quod tamen & hoc ipſum convinci idoneis teſtibus oportebit. Hanc etiam & illi ex Pontificibus ſententiam merebuntur excipere, qui exortos contra ſe clamores negotiorum, admoniti à Metropolitano, diſtulerint emendare atque compeſcere: aut ſi admoniti, ut ad judicium primæ ſedis accedant, aut per ſe noluerint properare, aut vades ſuos neglexerint legaliter informatos dirigere.

Unde Idacius Barcinonenſis venit Toletum pro celebrando Paſchate reſurrectionis, ut teſtatur Julianus Toletanus Præſul in proœmio Prognoſtici.

IX. *De confirmatione Concilii Toletani XII. quod factum eſt anno primo glorioſiſſimi Ervigii Regis.*

32. Licèt unanimi conſenſionis noſtræ judicio geſta ſynodalia Concilii Toletani XII. acta ſunt atque diſpoſita, quæ anno primo glorioſi Principis Ervigii in hac urbe regia celebrata ſunt; nunc tamen, iteratò inconvulſibilis noſtræ definitionis aſſenſu, ea ipſa geſta, prout geſta ſunt vel conſcripta, omni temporum æternitate valitura decernimus, & omnimodæ ſoliditatis vigore firmamus, juxta ordinem capitulorum, qui in eiſdem geſtis conſcriptus eſſe probatur: id eſt, De agnita & confirmata prælectione faſtigii principalis in nomine glorioſi domini noſtri Ervigii Regis.

33. Item de his qui pœnitentiam non ſcientes accipiunt. Item de culpatorum receptione, vel communione apud Eccleſiam. Item, ut in locis, ubi Epiſcopus non fuit, * nunquam Epiſcopus ordinetur. Item de quorundam conſuetudine ſacerdotum fœdiſſima, qui oblatis Deo per ſe ſacrificiis non communicant. Item de conceſſa Toletano Pontifici Generalis Synodi poteſtate: ut Epiſcopi alterius provinciæ, cum conniventia Principum, in urbe regia ordinentur. Item de recepto teſtimonio perſona-

* Nuſquam.

ſonarum, qui per legem, quæ de promotione exercitûs facta eſt, teſtificandi licentiam perdiderunt. Item de his qui uxores ſuas divortio in tercedente relinquunt. Item de confirmatione legum, quæ in Judæorum nequitiam promulgatæ ſunt, juxta earundem legum præfixum ordinem titulorum, qui in eodem Canone annumerantur. Item de his qui ad Eccleſiam confugium faciunt. Item de cultoribus idolorum. Item de interdicto temporis conſtituti, quo debeat Concilium celebrari. Item Concluſio definitionum, in qua & Deo gratiæ referuntur, & pro Principe exoratur; ſtatuentes videlicet, ut qui contra ſupradictorum capitulorum decreta venire præſumpſerit, & Eccleſiaſticæ excommunicationis ſententiâ feriatur, & ad legem glorioſi Principis, quæ in confirmatione ejuſdem Concilii facta eſt, teneatur obnoxius.

X. *Utrum audeant miniſtrare hi, qui pœnitentiam accipiunt in ſacerdotio conſtituti.*

Tertia dies Concilii.

34. Tertii diei neceſſario collationis eventu, viſum nobis eſt antiquorum Patrum indagare de pœnitentium regulis inſtitutum. Etenim digno nobis venerandus honore ſanctiſſimus frater noſter Gaudentius, Valerienſis Sedis Epiſcopus, per vicarium perſonæ ſuæ ad Concilium deſtinatum, congreſſus eſt noſtri reverentiam cœtûs; inſinuans ſacroſancto ſynodali conventui, quòd incommodæ valetudinis nimietate præventus, per manûs impoſitionem ſubactus fuiſſet pœnitentiæ legibus. Sed utrùm acceptâ pœnitentiâ liceret ſibi præcepta ſui ordinis contrectare myſteria, vel Miſſarum ſolita explere officia, per ſynodalia inſtitutionis ſe maluit certificari reſponſa. Tunc collatis in unum de hujuſmodi canonicis inſtrumentis, hoc ſancta Synodus definivit, ut reconciliatione præmiſſa, ſoliti ordinis retentet officia.

35. Si enim regulæ præcedentium Patrum, eos qui pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur (ſi adſit tamen in his & talibus probitas morum) ad Eccleſiaſticos gradus pervenire permittunt; quantò magis, ut hi, qui in ipſo ſacerdotio conſtituti pœnitentiam accipiunt, à ſui ordinis officio retrahantur? tantùm ſi ſe ipſi mortalium criminum profeſſione propria non notârunt. Cùm enim omnis ſacerdos tunc ſibi licitum ſacrificare ſciat, quando à malis actibus vacat; qua ratione qui pœnitentiæ remedium ſuſcipit, quod datur in remiſſionem peccati, à ſacrificiis divinis ſe abigit? Pœnitentia enim ad hoc ſuſcipitur, ut peccatum diluat, & peccati ſordes hominem iterare non ſinat.

36. Qui ergo confidit per ſuſceptam pœnitentiam dimiſſa ſibi peccata, cur confidenter ad altare Domini non accedat? vel cur ordinis ſui non audeat retentare officia, cùm hoc alteri non liceat, niſi ei qui ſe à peccatis abſtineat? Etenim cùm pœnitentiam accipimus, ad ſimilitudinem conditoris nos reformare conamur. Reformatio igitur ipſa medicamentum eſt quo delentur piacula. Si enim medicamentum iſtud aſſumitur rectè, creatori ſuo anima reformatur, rectè etiam ſacrificandi Deo cultus aſſumitur; quia in eo ſimilitudo conditoris agnoſcitur: ſi autem pœnitentiæ medicamentum ſubtrahitur, quod in remiſſionem peccatorum accipitur, ad ſimilitudinem factoris uſpiam non venitur. Etenim pœnitentia (ut dictum eſt) in remedium peccati accipitur; ſacerdotium verò propter munditiam retentatur: ut hoc ſacerdotis & vita, ita fructu bonorum operum floreat, quo & in ſe delicti paſſiones extinguat, & prædicamento ſuo in aliis peccati regnum potentialiter deſtruat.

37. Huic igitur taliter, ut præmiſimus, ſacerdoti viventi, quid oberit, ſi poſt acceptas pœnitentiæ leges divinis altaribus propoſitionis offerat panes? Aut numquid pœnitentiæ donum, quod in remedium ſit peccati, in prohibitione devocandum eſt ſacramenti? Nuſquam ergo pœnitentiæ præcepta privabunt jura cœleſtia. Pœnitens enim abſtinere à peccatis, pariter & negotiorum ſæcularium tumultibus debet, non ab iis quæ ſancta videntur & ſumma ſe abſtrahere, quæ operantem plus expiant, quàm commaculando deturpant. Scriptum eſt enim: *Sacerdos ad hominem mortuum non accedat*; ideſt, mortalium criminum ſe implicatione non polluat. Non enim dicit Deus, ut ſacerdos ad ſacra quæque non auderet accedere, de quibus præceperat, ut nullo modo ſacerdos de ſanctis exiret; ſed ut mortis opera non auderet contingere. Ergo abigenda ſunt ab omni ſacerdote quæ maculant, exercenda quæ mundant.

Levit. 21. ubi legitur: ad omnem mortuum. Sic interpretatur hunc locum Heſych. in Levit. cap. 21.

38. His ergo rationabili ſanctione præmiſſis, hoc ſancta Synodus definivit, ut ſtante priſcorum Canonum ſanctione, quicumque Pontificum vel ſacerdotum deinceps per manûs impoſitionem pœnitentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant: ſed per Metropolitanum, reconciliatione pœnitentium more ſuſcepta, ſolita compleant ordinis ſui officia, vel cætera myſteriorum ſibi credita ſacramenta.

39. Hoc tantùm eſt obſervandum, ut ſi, aut ante acceptionem pœnitentiæ adjudicatus, nec reconciliatus reperitur pro culpis; aut ſi in ipſa perceptione pœnitentiæ reconciliatus implicatum ſe dixerit mortalibus factis; juxta æſtimationem Metropolitani abſtinere hujuſmodi oportet à præmiſſis officiis. Cæterùm ſi (ut dictum eſt) ſub pœnitentiæ perceptione conſiſtens, nihil mortalis criminis ſe admiſiſſe prædixerit, attamen (quod fateri hominibus erubeſcit) abſconſum intra clauſtra ſui pectoris deliteſcit; noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrùm audeat, aut non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.

XI. *Ne quis alienum clericum vel monachum ſuſcipiat fugientem.*

40. Multæ ſuper hoc capitulum Patrum præcedentium ſententiæ manaverunt, quod multiplici prohibitione ſanctum eſt, ut alterius clericum nemo ſolicitare, nemo fugientem recipere, nemo etiam aut obcelare, aut ordinare auderet. Sed quia abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate, non honeſtas attenditur, nec cupiditas inhibetur, agendum eſt, ut quos impunis admonitio non emendat, evidens ſententia damnationis coërceat. *Matth.* 24.

41. Placuit ergo, ut nullus alienum presbyterum, Abbatem, miniſtrum, ſubdiaconum, vel quemlibet clericum, ſeu etiam monachum, fugientem vagumque ſuſcipiat, non ad fugam ſuadeat, non fugæ latibulum præbeat, non apud ſe habito vel retento humanitatem impendat; non occaſiones, quibus quaſi ſe neſciente alibi lateat, turpi oppoſitione confingat: nam horum omnium caſibus non ſolùm turpatur honeſtas, ſed frequenti dolorum acerbitate confoditur fraternitas. Etenim ſi dicat quis ſimplici animo alterius clericum ſuſcepiſſe, nec nôſſe eum fugitivum exiſtere, tunc evidens innocentiæ ſuæ puritas approbanda eſt, quando eum, quem ſuſcepit, & infra octo dies juxta legum ſanctionem judici præſentaverit, & infra tempus legibus conſtitutum, illuc fugitivum reduxerit, unde per fugam vagabundus exivit.

42. Quicumque ergo ex Pontificibus, ſeu ſacerdotibus, vel miniſtris, cæteriſque religioſis, hujus inſtitutionis noſtræ violaverit ſanctionem; ſi hujuſmodi ſuſceptor Epiſcopus eſt, & eum quem ſuſcepit, cum his quæ habere potuit, & ei, à quo evagatus eſt, ſine dilatione reſtituet; & inſuper, ut verè ſacrilegus & trangreſſor inſtitutionis paternæ, tanto tempore excommunicatum & remotum ſe à ſuis officiis noverit eſſe, quanto eum qui fugit ſub ſua poteſtate contigerit remoràſſe.

43. Si autem hujus conſtitutionis noſtræ prævaricator presbyter, diaconus, vel quilibet ex religioſis videatur haberi; reddito eo, cum rebus ſibi debitis, quem ſuſcepit, ipſe ſolus apud eum anno integro ſub pœnitentiæ cenſura deputatus tenebitur, cujus fugitivum ſuſcepiſſe monſtratur. Quicumque tamen talibus humanitatem impendunt, eâdem & ſimili cenſura legum exquirendos & obſtringendos ſe noverint, quâ ſuſceptores fugitivorum legum ſanctione præmonentur adſtringi. Illi autem qui prædeceſſorum ſuorum id actum eſſe temeritate contendunt, tunc immunes ab hujus ultionis ſententia habebuntur, ſi à tempore ordinationis ſuæ, infra duorum menſium ſpatium, ejus, qui apud ſe eſt, & latebram publicaverint, & perſonam domino fugitivi reduxerint. His ſanè, qui de confinitimis Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum rectoribus ad Metropolitanum ſuum pro cauſſarum ſuarum neceſſitate confugiunt, ſicut licentia talibus perfugii datur, ita hi, qui eos ſuſceperint, damnari, utpote receptores fugitivorum non poterunt: præſertim ſi & publicè illos apud ſe habeant, & eos, cum quibus actiones habuerint, ad repoſcentis vocem conventuros admoneant. *Legibus Wiſigoth. lib.* 9. *tit.* 6. *integre.*

XII. *De non excommunicandis à proprio Epiſcopo perſonis illis, quæ ad Metropolitanum ſuum negotia ſua geſturi acceſſerint.*

44. Quicumque ex clericis vel monachis cauſſam contra proprium Epiſcopum habens, ad Metropolitanum ſuum cauſſaturus acceſſerit, non antè debet à proprio Epiſcopo excommunicationis ſententiâ prædamnari, quàm per judicium Metropolitani ſui, utrum dignus excommunicatione habeatur, poſſit agnoſci. Quòd ſi ante judicium quis Epiſcoporum in talium perſonas excommunicationis ſententiam præmiſerit, illis penitùs quos ligaverint abſolutis, in ſe illam noverit retorqueri ſententiam.

45. Quod etiam & inter Metropolitanos convenit obſervari; ſi prægravatus quis à Metropolitano proprio, ad alterius provinciæ Metropolitanum moleſtiam preſſuræ ſuæ agnoſcendam detulerit: aut ſi inauditus à duobus Metropolitanis, ad regios auditus negotia ſua perlaturus acceſſerit; & ob hoc excommunicationis jugulum à proprio Epiſcopo illi videatur infigi, hoc tantùm eſt obſervandum, ut, ſi priùs unumquemque excommunicationem contigerit ſuſcepiſſe, antequam à proprio Epiſcopo ad alium pertranſiret; tamdiu excommunicatus apud eum, cujus judicium petiit, habeatur, quamdiu excommunicatoris ſui objectibus, utrum juſtè an injuſtè alligatus ſit, agnoſcatur.

XIII. *De relatione gratiarum, quæ poſt peractionem Concilii Deo & Principi perſolvuntur.*

46. His ergo ſynodicis inſtitutis ſubſcriptionis noſtræ robur * apponimus, & ſub tenore divino, perenni ea quæ decrevimus memoriæ conſecramus, dantes immortali Deo noſtro gloriam pariter & honorem, cujus inſpiratione aguntur omnia quæ ſalubriter exercentur. Invictiſſimo quoque ac religioſiſſimo Principi Ervigio Regi multiplicem gratiarum exhibitionem perſolvimus, cujus clementiſſimo juſſu in unum cœtum aggregandi convenimus. Sit illi pax optabilis & beata: ducat quoque tempora pro curſu longioris ævi felicia; & poſt imperialia terreni regni ſceptra coronandus perveniat ad cœleſtia regna, præſtante Jeſu Chriſto Domino Deo & ſalvatore noſtro, qui cum Patre, & ſancto Spiritu, unus in Trinitate vivit & gloriatur Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. * Apponitur.

Sub-

Subſcriptiones Epiſcoporum.

1. Ego Julianus indignus ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ Metropolitanus Epiſcopus inſtituta à nobis definita ſubſcripſi.
2. Liuba Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.
3. Stephanus Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus.
4. Floreſindus Hiſpalenſis Metropolitanus Epiſcopus.
5. Leander Illicitanæ ſedis Epiſcopus.
6. Palmatius Urcitanus Epiſcopus.
7. Concordius Palentinæ Sedis Epiſcopus.
8. [a] Mumulus Cordubenſis Epiſcopus. — a Mommolus.
9. Antonianns Baſtitanus Epiſcopus.
10. Theuderacius Aſſidonenſis Epiſcopus.
11. Stercorius Aucenſis Epiſcopus.
12. Geta Eliplenſis Epiſcopus.
13. [b] Monoſonſus Egitanienſis Epiſcopus. — b Moneſonſus.
14. Froaricus Portucalenſis Epiſcopus.
15. Gregorius [c] Oretanus Epiſcopus. — c Oretanæ Sedis.
16. Agricius Complutenſis Epiſcopus.
17. Proculus Bigaſtrenſis Epiſcopus.
18. Miro Conimbrienſis Epiſcopus.
19. [d] Creſcitarus Biterrenſis Epiſcopus. — d Creſcituras.
20. Cicilius Dertoſanus Epiſcopus.
21. Ella Segontienſis Epiſcopus.
22. Sonna Oxomenſis Epiſcopus.
23. Simpronius Arcavicenſis Epiſcopus.
24. Reparatus Veſenſis Epiſcopus.
25. Cuninldus Italicenſis Epiſcopus.
26. Hilarius Anrlenſis Epiſcopus.
27. Gundulfus Lamecenſis Epiſcopus.
28. Felix Irienſis Epiſcopus.
29. [e] Atula Caurienſis Epiſcopus. — e Forte: Avila.
30. Bellitus Oſſonobenſis Epiſcopus.
31. Euſraſius Lucenſis Epiſcopus.
32. Joannes Pacenſis Epiſcopus.
33. Oppa Tudenſis Epiſcopus.
34. Aſturius Setabitanns Epiſcopus.
35. Deo-datus Segobienſis Epiſcopus.
36. Truclemundus Elborenſis Epiſcopus.
37. Siſebaldo Tuccitanus Epiſcopus.
38. Vincentius Magalonenſis Epiſcopus.
39. [f] Unigirns Abelenſis Epiſcopns. — f Unigirius.
40. Theodulſus Aſtigitanns Epiſcopus.
41. Gratinus Egabrenſis Epiſcopus.
42. Sarmata Valentinus Epiſcopus.
43. Brandila Laniobrenſis Epiſcopus.
44. Holemundus Salmanticenſis Epiſcopus.
45. Florus Menteſanus Epiſcopus.
46. Olipa Segobrienſis Epiſcopus.
47. [g] Euſendus Ilerdenſis Epiſcopus. — g Eurodus?
48. Ara Olyſſipponenſis.

Abbates.

1. Abſalius Abbas.
2. Fauſtinus Abbas.
3. Gerontius Abbas.
4. [h] Gaſtorius Abbas. — h Caſtorius.
5. Siſebertus Abbas.
6. Felix Archipresbyter.
7. Viſandus Archidiaconus.
8. Vincentius Primicerius.

Vita-

Vicarii Epiſcoporum.

1. Pacatus [i] Abbas agens vicem Suniſredi Epiſcopi Narbooenſis.
2. [k] Spaſandus archidiaconus agens vicem Cypriani Epiſcopi Tarraconenſis.
3. Laulfus diaconus agens vicem Idalii Epiſcopi Barcinonenſis.
4. Giſibertus diaconus agens vicem Anſemundi Epiſcopi [l] Lotoëbenſis.
5. Freidebadus Abbas agens vicem Valderedi Epiſcopi Cæſar-auguſtani.
6. Veremundos Abbas agens vicem Clari Epiſcopi Elenenſis.
7. [m] Gratious presbyter agens vicem Argebadoni Epiſcopi Eliberitani.
8. Samoël presbyter ageos vicem Joanois Epiſcopi Egarenſis.
9. Seſuldus agens vicem Felicis Epiſcopi Dianienſis.
10. Citruninus Abbas agens vicem Stephani Epiſcopi Carcaſſenſis.
11. Audericos presbyter agens vicem Euphraſii Epiſcopi Calagurritanenſis.
12. Audericus presbyter agens vicem Rogati Epiſcopi Beatienſis.
13. Dexter diacooos agens vicem Primi Epiſcopi Agathenſis.
14. Unicomalus diaconus agens vicem Atilani Epiſcopi Pampilonenſis.
15. Aodebertus Abbas ageos vicem [n] Gadiſcaldi Epiſcopi Oſcenſis.
16. Leopardos Abbas agens vicem Potentini Epiſcopi Uticenſis.
17. Tuentius presbyter agens vicem Riccilani Epiſcopi Accitanenſis.
18. [o] Florentius agens vicem Leuberici Epiſcopi Urgelitaneoſis.
19. Vincentius Abbas agens vicem Gaudentii Epiſcopi Valerienſis.
20. Segarius Abbas agens vicem Gondilani Epiſcopi Impuritani.
21. Stabilius Abbas agens vicem Jacobi Epiſcopi Gerundenſis.
22. Baromellus diaconus agens vicem Auſterii Epiſcopi Tyraſſonenſis.
23. Calumnioſos diaconos agens vicem Samuëlis Epiſcopi Malacitani.
24. [p] Ciexa presbyter agens vicem Wiſefredi Epiſcopi Auſonenſis.
25. Joanoes Abbas agens vicem Reginci Epiſcopi Aocenſis.
26. Leopardus Abbas agens vicem Aurelii Epiſcopi Aſturicenſis.
27. Habitus diaconus agens vicem Potentini Epiſcopi Verecenſis.

[i] Indignus Abbas.
[k] Iſpaſandus.
[l] De Totela. Lotovenſis.
[m] Gratianus presbyter Joannis Pgarenſis Epiſcopi. & *mox*. Siſuldus Abbas, Stephan. Carcaſſenſis Epiſcopi. *ita ut duo Epiſcopi omittantur*.
[n] Gadiſcli.
[o] Florentinus presbyter Leuberici Urgellitani Epiſc.
[p] Cilixa.

Viri illuſtres officii palatini.

1. Oſtulphus Comes hæc inſtituta ubi interfui annuens ſubſcripſi.
2. Ubadamirus Comes Scanciarum & Dux ſimiliter.
3. Reccaredus Comes Scanciarum & Dux ſimiliter.
4. Argemirus Comes cubiculi & Dux ſimiliter.
5. Egica Comes Scanciarum & Dux ſimiliter.
6. Iſidorus Comes Theſaurorum ſimiliter.
7. Siſebutus Comes Scanciarum & Dux ſimiliter.
8. Valdericus Comes civitatis Toletanæ ſimiliter.
9. Vitulus Comes Patrimonii ſimiliter.
10. Cixila Comes Notariorum ſimiliter.
11. Suniefredos Comes Scanciarum & Dux ſimiliter.
12. Giſclamundus Comes Stabuli ſimiliter.
13. Guiliaogus Spatharius & Comes ſimiliter.
14. Altericus Spatharius & Comes ſimiliter.
15. Adeliabus Comes Scaociarom ſimiliter.
16. Theudila procer ſimiliter.
17. Salamirus Comes Scanciarum ſimiliter.
18. Ataulfus Comes cubiculariorum ſimiliter.
19. Nilacus Spatharius & Comes ſimiliter.
20. Severious Comes Spathariorum ſimiliter.
21. Traſericus Spatharius & Comes ſimiliter.
22. Aodemundus procer ſimiliter.
23. Siſimirus Spatharius Comes & Dux ſimiliter.
24. Traſimirus procer ſimiliter.
25. Terreſarius Comes Spatharius ſimiliter.
26. Recaulphus procer ſimiliter.

IN NOMINE DOMINI

q *Flavius Ervigius.*

Flavius Rex omnibus privatis ſive fiſcalibus populis.

47. MAGNUM pietatis eſt præminm, quo removentur gravedines preſſurarum: quia illud ſemper ante Dei oculos perfectæ miſerationis ſacrificium approbatur, quo fit relevatio miſerorum: ex hoc ſalvatio inducitur terræ, per quod preſſuræ ſubvenitur humanæ. Judicium eſt quippe ſalutare in popnlis, quando ſic commiſſa reguntur, ut nec incauta exactio populos gravet, nec indiſcreta remiſſio ſtatum gentis faciat deperire. Tempora ergo noſtræ gloriæ miſericordiæ beneficiis condienda ſunt, ut, parcente nobis Deo, ipſi quoque populis parcere videamur.

48. Votivum igitur omnipotenti Deo meo cordis ſacrificium delibare præoptans, in nomine divino omnibus populis regni noſtri, tam privatis, quàm etiam fiſcalibus ſervis, viris, ſeu etiam fœminis, ſub tributali exactione in provinciam Galliæ, atque in omnes provincias Hiſpaniæ conſiſtentibus, hoc decretum beneficium in Dei nomine prorogamus: ut quicquid in præteritis annis de ratione tributi, uſque ad primum noſtræ clementiæ annnm, theſauris publicis redhibere videmini, totum vobis ex integro noveritis eſſe conceſſum; qualiter uſque ad prædictum primum noſtræ gloriæ annum, qnicquid de ratione tributorum apud vos relucet, ſic totum donatum vobis à ſerenitate noſtra habeatis, ut nullam ex hoc abinceps de præteritis annis exactionem publicam pertimeſcatis: eâ tamen ratione ſervatâ, nt ea quæ in præteritis exacta ſunt, & fiſco noſtro illata non ſunt, ab his qui ea exegerunt in publicis inferantur.

49. Quod ſi diſtulerint, & in hoc confeſtim inferre neglexerint, in quadruplum unà cum ſatisfactione diſciplinæ, juxta quod noſtra manſuetudo decreverit, idipſum theſauris publicis perſolvebunt. Certè ſi quiſquis ille Dux, Comes, Tiuphadus, Numerarins, Villicus, aut quicumque curam publicam agens, tributa exacto ſibi commiſſo, annis ſingulis plenario numero non exegerit, aut exacta apud ſe retinuerit, & ea ſtatim theſauris publicis inferre neglexerit; duplata tributa ipſa de propriis rebus ſuis modis omnibus in publico inferebit.

50. Hoc tamen ſpeciali & evidenti ſerenitatis noſtræ ſententia definimus, ut nullus de ſupradictis Comitibus, Tiuphadis, Vicariis, Numeraris, ſeu quibuſcumque curam publicam agentibus, quaſcumque exactiones pro hoc negotio pietatis, cuilibet ex vobis, quibus & relaxatio manſuetudinis noſtræ conceditur, quicumque exigere præſumpſerit, aut quiſpiam eorum vobis pro tali cauſſa aliquid abſtulerit, aut ab aliis ablata ſibi acceperit, & pro his cauſſis quibuslibet modis aliquid mutilare præſumpſerit, in quadruplum de quicquid acceperit, cui noſtra clementia elegerit univerſa reſtituat.

51. De terris verò, vel vineis, quas pro eodem tributo quicumque ſupradictorum curam publicam agentium vobis privatis, vel fiſcalibus populis abſtulit, vel accepit fruges aridas & liquidas exinde in præteritis annis unuſquiſque exactor collegit in rationem ipſius tributi, hoc ſibi imputet, & terras ipſas, vel vineas vobis, de quorum jure ablatæ ſunt, reſtituere non differat. Sic enim dignum eſt, ut quod pietatis noſtræ ſinceritate depromitur, ita à cunctis ſine cujuſquam exactionis ſtimulo peragatur. Datum ſub die Kalendarum Novembris, anno feliciter quarto regni noſtri. Toleto.

Lex in confirmatione Concilii edita.

IN NOMINE DOMINI

Flavius Ervigius Rex.

52. EXIMIA Synodalis auctoritas & veneranda eſt pariter & tremenda, quæ in tantum per donum ſancti Spiritus agit, ut ex diverſitate multorum animorum & curdium unum cor unamque animam feciſſe monſtretur; dum nnmeroſitas aggregata Pontificum, non per ſententiam diſcrepat, non per ſtimulum diverſa objectat, non per judicium aliud unus quàm univerſitas format. Et ideo reverendum mihi conventum ſynodalis Concilii, in cujus medio præſentia ſancti Spiritus ſe habitare promiſit, devotè venerans, inſtanterque honorans ea, quæ illorum ore, noſtræque gloriæ hortatu digeſta ſunt, in notitiam deducamus ſingulorum: illa dicimus ſynodalis Concilii geſta, quæ anno quarto regni noſtri in Toletana urbe noſcuntur eſſe confecta: quarum inſtitutionum evidentia a ſine cunctatione omnibus innoteſcant, hîc ea b prælegimus ſpecialiter renotanda.

53. Eſt igitur primus Canon de reddito teſtimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis cum Paullo traxit in ſocietatem tyrannidis: qnos celſitudo noſtra, unà cum filiis, per hujus noſtræ legis edictum, & teſtimonio nobilitatis priſtinæ, uti & rebus, quas per auctoritatis noſtræ vigorem perceperint, decernimus reveſtiri.

a *Leg.* Ut ſine.
b *Forte*; prælegimus: *ut ſuprà hoc ipſo Concilio cap.* 2. *pro* prælegeris, prælegeris.

54. Item

54. Item ſecundus eſt titulus de accuſatis ſacerdotibus, ſeu etiam optimatibus palatii, atque Gardingis; ſub qua eos juſtitiæ cautela examinari conveniat, quos gloriæ noſtræ manſuetudo, juxta ipſius Canonis inſtituta, nullis tormentorum generibus ante publicam diſcuſſionem ſubjici cenſuit; ſed omnes qui deinceps fuerint accuſati, juxta ſanctionem prædicti Concilii erunt proculdubio judicandi. Unde id ſpecialiter obſervandum fore cenſemus, ut quicquid contra hanc regulam ſententiæ noſtræ, vel prædicti Canonis inſtitutionem, aut in perſonam cujuſquam fuerit actum, aut de rebus accuſatæ perſonæ exſtiterit judicatum, juxta prædicti Canonis inſtituta, nullo vigore ſubſiſtat; quod perſona ipſa aliter quàm decernimus judicata, aut teſtimonii ſui dignitatem amittat, aut quæſtu rei propriæ careat.

55. Tertius quoque Canon eſt de tributorum principali relaxatione in plebe: ubi noſtræ gloriæ auctoritate ſimul & exhortatione ſancitum eſt, ut omne [c] tributorum præteritorum annorum, uſque in anno primo regni noſtri, quod in privatis, ſive in fiſcalibus populis [d] relucet, abſolutionis perpetuæ debeat ſanctione laxari; ea tantùm præcipiens theſauris publicis exhiberi, quæ exacta, & non illata fuiſſe conſtiterit.

[c] Tributum.
[d] Subjacet. *al.* rejacet.

56. Quartus poſt hæc ſequitur Canon de munitione prolis, quem promptæ voluntatis [e] anniſu omnis conventus ſacerdotum, atque etiam ſeniorum, condere [*] prælegerunt.

[e] Effectu.
[*] *Pro,* prælegerunt, *ut alibi ſæpe.*

57. Quintus Canon ſequitur, ne defuncto Principe relictam ejus conjugem quiſquam ſibi, aut in conjugio, aut in adulterio audeat copulare.

58. Sextus deinde ſequitur Canon, ut, exceptis ſervis vel libertis fiſcalibus, nullus de ſervitute quorumlibet, aut libertis, deinceps ad palatinum officium tranſeat. Quòd ſi fecerint, præſentis legis noſtræ edicto ad propriæ ſervitutis jugum modis omnibus reducendi ſunt; qualiter à dominis ſuis, ſi ſuperſtites ſunt, aut eorum propinquis, quibus decedentium ſucceſſio ex lege debetur, ſervituti tradantur.

59. Poſt hunc ſeptimus eſt Canon, de his qui pro accidentia jurgiorum altaria nudare præſumunt, vel luminaria Eccleſiæ ſobtrahunt.

60. Octavus quoque Canon ſequitur, ne admonente Metropolitano quiſquam ex confinitimis ad locum ubi invitatur venire contemnat.

61. Nonus quoque Canon ſequitur de confirmatione Concilii Toletani XII. quod factum eſt anno primo gloriæ noſtræ.

62. Decimus huic Canon adjungitur, ubi ſpeciali ſententia definitur, utrum audeant miniſtrare hi, qui pœnitentiam in ſacerdotio conſtituti accipiunt.

63. Undecimus quoque Canon habetur, ne quis alienum clericum vel monachum ſuſcipiat fugientem.

64. Duodecimus poſt hæc Canon ſcribitur de non excommunicandis à proprio Epiſcopo perſonis illis, quæ ad Metropolitanum ſuum negotia ſua ſuggeſturæ acceſſerint.

65. Ultimus & tertius decimus poſt hunc Canon ſubſequitur de relatione gratiarum, quæ poſt peractionem Concilii Deo & Principi perſolvuntur. Quæ omnia præmiſſa ſynodalia inſtitutionum decreta à præſenti die vel tempore omni cura omniſque diligentia per cunctas regni noſtri provincias decernimus obſervanda. Qualiter & perſpicuum auctoritatis validæ faſtigium ſubeant, & perpetuo vigoris ordine ſolidata perſiſtant.

66. Quamobrem ſacræ hujus legis oraculo omnibus generaliter religioſis, atque etiam laïcis, ſub regni noſtri ditione manentibus interdicimus pariter & jubemus, ut prædicta ſynodalia geſta nullus contemnat, nullus etiam præterire aut convellere audeat, nemo notus harum conſtitutionum jura reſolvat, nemo incognitus neſcientiæ ſuæ objectibus excuſare ſe conjiciat: nam à præmemorato ſuperiùs die & tempore, & auctoritatis debitæ vigore pollebunt, & inſtitutionum ſuarum regulis cunctorum univerſitas aſtringetur.

67. Si quis autem hujus noſtræ legis violator exſtiterit, ac non potiùs ea quæ præmiſſa ſunt cuſtodierit; & diutinam Eccleſiaſticæ diſciplinæ excommunicationem excipiat, & decimam partem rei ſuæ fiſci partibus ſociandam amittat. Quòd ſi nihil habuerit facultatis, unde prædictam compoſitionem perſolvere poſſit, abſque aliquo infamio ſui, quinquaginta eum oportebit ictibus verberari. Hujus igitur legis noſtræ decretum, quod in confirmatione hujus ſacri Concilii noſcitur promulgatum, glorioſæ manûs noſtræ exaratione ſubſcripſimus, & ad perennem memoriam valorem ei perpetuum innodamus. Edita lex in confirmatione Concilii Toleto, ſub die Idus Novembris, Erâ DCCXXI. anno quoque feliciter quarto regni gloriæ noſtræ, in Dei nomine. Ervigius Rex.

NOTÆ VARIORUM.

68. AD CAP. II. *Trabale.*] Lege: *& trabale regum ſanctione judicium.* Ut enim à Virgilio dicitur *telum trabale*, ab Horatio & Cicerone *clavus trabalis*, à Statio *haſta trabalis*, pro magnis videlicet, atque inſtar trabis; ita hîc judicium trabale dicitur pro ingenti, ſævo, & irrevocabili.

69. AD CAP. IV. *Prolem regiam.*] De cuſtodienda ſalute regum, ac defenſione prolis eorum, habes Concilio Toletano V. cap. 2. & de dilectione adhibenda proli regiæ Concilio Tole-

tano VI. cap. 16. & Concilio Toletano XV. in Epiſt. Egicæ Regis. LOAISA.

70. AD CAP. V. *Nulli ergo licebit ſuperſtitem reginam ſibi in conjugio ducere*, &c.] Probabile cum primis eſt, hoc inexpugnabili repagulo voluiſſe Patres hujus Synodi ejuſmodi matrimonia ſummovere, ne homines ambitionis æſtu abrepti, eo nuptiarum reginæ prætextu abuterentur ad res novandas, & ad regni uſurpationem: & Reges ipſos non abnuiſſe hoc ſe quoque decreto contineri, ut privati omnes in ejus obſervantiam eſſent proniores. Eâdem ſanè mente Concilium Cæſar-auguſtanum III. non novu tantùm robore cumulavit hæc Toletani XIII. decreta, Reginarum viduarum nuptias proſcribentis; ſed eas compulit ut primùm animam efflâſſet Rex conjux, habitu religionis indui, & in monaſterium aliquod ſe abdere, reliquum ibi vitæ tempus ad cœleſtem & immortalem ſponſum ſuſpiraturas. THOMASSINUS. *De Beneſ.* Tom. II. lib. 3. cap. 89. pag. 524.

71. AD CAP. VI. *Tortores.*] Gotthorum legibus cautum erat lib. 5. tit. 7. lib. 10. & 11. ne libertus injuriam faceret domino ſuo, alioqui addicendi eum iterum ſervituti poteſtatem habebat. Et lib. 17. *Ne liberti, vel progenies eorum, cum poſteritate patroni, aut conjugia connectant, aut eis inſolentes exiſtant.*

72. AD CAP. VII. *Qui faciunt opus domini fraudulenter.*] Locus eſt Jeremiæ cap. 48. hoc modo: *Qui facit opus domini fraudulenter, ſive negligenter.* (Cui reſpondet vox ἀμελῶς, quæ eſt apud Septuaginta) deſuntque duo ſequentia verba.

73. AD CAP. VIII. *Quibus Apoſtolus ita obedire præcepit.*] Ad Hebræos cap. 13. dicitur: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.*

74. *Primæ ſedis accedant.*] Hæc tria nomina ſupremam dignitatem in Eccleſia in ſuo ordine ſignificant: prima ſedes, primas ſeu primatus, & Metropolitanus. Prima ſedes ſuprema Eccleſiæ poteſtas, & quæ eſt caput totius Catholicæ Eccleſiæ: is eſt Romanus Pontifex. Ita Synodus CCC. Epiſcoporum in cauſſa Fidei Marcellino ſummo Pontifici reſpondit: *Ore ſuo condemnatus eſt, ore ſuo anathematizatus, accepit maranatha: nemo enim judicavit Pontificem, nec Præſul ſacerdotem ſummum: quia prima ſedes non judicatur à quoquam.* Uſurpatur tamen prima ſedes interdum pro ſede Archiepiſcopali, eâ videlicet cauſsâ, quòd ſicut ſummus Pontifex omnium Eccleſiarum in univerſo Orbe primus, & princeps, & pater, & caput eſt; ita & Archiepiſcopus Epiſcoporum, quos in ſua habet provincia, obtinet primum locum. Hinc Concilio IV. Carthaginenſi in ſubſcriptionibus, Donatianus Talabricenſis primæ ſedis Epiſcopus ſubſcribit: & in Toletano V. & aliis Hiſpaniæ Conciliis, Carthaginenſis, Tarraconenſis, Narbonenſis, Emeritenſis, Bracarenſis, & Hiſpalenſis, ſedes primæ dicuntur. Et Concilio Carthaginenſi III. cap. 26. cavetur, ut primæ ſedis Epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus; eſtque apud Gratianum diſt. 99. *Primæ ſedis.* De qua re vide Rufum in Molinæum. Primas dicitur Epiſcopus, qui eſt caput totius provinciæ. Sic Concilio Carthaginenſi II. cap. 12. ut inconſulto Primate cujuslibet provinciæ nemo præſumat Epiſcopum ordinare: ibi enim pro Metropolitano accipitur; utpote cum hoc munus ad ſolum Metropolitanum pertineat, ut ex multis Conciliis liquet: & Concilio Milevitano Primas ponitur Numidiæ & Mauritaniæ. Unde in unaquaque provincia Metropolitanus Primas vocabatur. Accipitur etiam univerſaliùs Primatûs appellatio pro iis qui jus habent ſupra Metropolitanos, ex Concilio Chalcedonenſi Can. IX. *Si verò contra ipſius provinciæ Metropolitanum Epiſcopum Epiſcopus ſive clericus habeat controverſiam, pergant ad ipſius diœceſis Primates, aut certè ad Conſtantinopolitanæ regiæ civitatis ſedem.* Qui Canon doctiſſimè & eruditiſſimè explicatur à Franciſco Turriano lib. 3. pro Epiſt. Pontiſ. cap. 4. principem diœceſis vel Primatem, Romanum Pontificem intelligente. Sic in Hiſpania Archiepiſcopus Toletanus vocatur Primas, eo quòd ſupra Hiſpalenſem, Compoſtellanum, Bracarenſem, Elboreoſem, Ulyſſipponenſem, Granatenſem, Cæſar-auguſtanam, Valentinam, Burgenſem, Tarraconenſem, & Narbonenſem Eccleſias Metropolitanas jus & primatum habeat. De qua re fuſiùs ſuprà in Opuſc. noſtro *De Primatu Eccleſiæ Toletanæ* diſſeruimus.

75. AD CAP. X. *Frater noſter Gaudentius Valerienſis ſedis Epiſcopus.*] Subſcribit Concilio XII. Toletano Gaudentius Valerienſis, non Valentinenſis, Epiſcopus, ut habent excuſi. Idem Gaudentius ſubſcribit XIV. Concilio Toletano, ubi Valerienſis Eccleſiæ dicitur Epiſcopus.

76. *Si enim regula præcedentium Patrum.*] Sic in Concilio Toletano IV. cap. 54. *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm ſe peccatores eſſe prædicantes, hujuſmodi, ſi revaluerint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum ſe perpetrâſſe publicè fateantur, ad clerum vel honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt; quia ſe confeſſione propria notaverunt.*

77. *A malis actibus vacat.*] Sic Auguſtinus cap. 53. *De Eccleſ. dogmat.* & habetur *De conſecrat.* diſt. 2. cap. *Quotidie*, his verbis: *Omnibus Dominicis diebus communicandum hortor, ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit. Nam ſi adhuc habet voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari.* Iſidorus etiam lib. 1. *Eccleſ. offic.* cap. *De ſacrificio*, *Dicunt aliqui* (inquit) *niſi aliquo interveniente peccato, Euchariſtiam quotidie accipiendam: hunc enim panem dari, jubente Domino, quotidie nobis poſtulamus, dicentes: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione & devotione, & humilitate ſuſci-*

ſci-

ſcipiunt; ne fidendo de juſtitia, ſuperba præſumptione id faciant. Cæterùm ſi talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum removeant ab altari, priùs agenda pœnitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. Et Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 7. decernitur, ut nullus etiam ſacerdos, ſibi conſcius peccati mortalis, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Walafridus *De Reb. Eccleſ.* cap. 20. tradit, alios rariùs, alios crebriùs, alios quotidie communicandum præcipere. D. Ambroſius lib. 4. *De ſacrament.* cap. 5. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Quem jam modum Græci in Oriente facere conſueverunt. Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Vide quæ dicat D. Thomas opuſc. *De ſacramento altaris: Si quis* (inquit) *ad ſuſcipiendum Dominum mundus fieri vult, primò debet per aquam lacrymarum lavari, ſecundò per opera pœnitentiæ torqueri, tertiò per fervorem amoris Dei à carnalium deſideriorum humore ſiccari.* Quod idem Thomas pluribus verbis enarrat. Ille enim in ſyndone munda involvit Jeſum, qui mente pura ipſum ſuſceperit. Hieron. in Matth. cap. 27. & idem Thomas 3. part. q. 83. art. 3. De modo ſuſcipiendi ſynaxim vide Can. CI. Concilii Quini-ſexti Generalis infrà. *Quare* (dicitur) *ſi quis voluerit ſynaxis tempore cõmunicare puriſſimo Chriſti corpore, & coram ipſo participatione eſſe, manus in formam crucis figurans, ſic adeat, & ſuſcipiat gratiæ communionem.*

78. *Pœnitens enim abſtinere.*] Qualiter pœnitentia detur, Concilio III. Tolet. cap. 12. habetur, & in Epiſt. Leonis ad Ruſticum, quâ etiam prohibetur, ut nulla negotiationis lucra pœnitentes exerceant.

79. *Id eſt mortalium.*] Sic interpretatur locum hunc Heſychius in Levit. cap. 21. LOAISA.

80. Hujus Canonis illud potiſſimùm animo mandandum eſt; ſi qui dum pœnitentiam ſubit, nihil ſceleris confitetur: poſtea in ſeſe regreſſus, aculeis ſe peccatorum quorundam clandeſtinis compungi ſentiat; tum ille ſe ſibi judici reum ſiſtere debet, ſuo ſe judicio premere, damnare, excommunicare, adeoque exauthorare. Nec enim crimen eò irregulares facit, quò publicum eſt, ſed quò crimen eſt. *Cæterùm ſi ſub pœnitentiæ perceptione conſiſtens, nihil mortalis criminis ſe admiſiſſe prædixerit; attamen quod fateri hominibus erubeſcit, abſconſum intra clauſtra ſui pectoris deliteſcit; noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrum audeat aut non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.* Quo manifeſtiſſimum fit, quicumque ſibi intus clam & Deo reus erat ejus criminis, quòd omnes prorſus mortales feſelliſſet, irrevocabili tamen eâdem illâ depoſitionis ſententiâ ſe ipſum comprimere debuiſſe, & ab omnibus muniis ſacerdotalibus abſtinere. Si enim integrum fuiſſet crimen ſilentio premere, occultâ illud pœnitentiâ abolere, nec dignitate interim exui vel Beneficio; Eccur Epiſcopi, cæterique Beneficiarii, crimen ſuum nudâſſent? Eccur, quam effugere poterant, depoſitionem, ſua confeſſione provocâſſent? Eccur tanta in eos ſævitia, qui doloris & pœnitudinis vi adigebantur, ad deoudandum crimen ſuum: & in illos ex adverſo tam intempeſtiva lenitas, qui tegendi, quàm expiandi criminis cupidiores; muniendæ famæ, ſervandæque dignitatis, quàm procurandæ ſalutis ſuæ amantiores, vel hinc eſſe prodebantur? Eccur ſeſe ipſe poſt crimen admiſſum abdicâſſet ſponte ſua Potamius? Eccur in Concilio publicam confeſſionem ſceleris edidiſſet, ſi per Canones licuiſſet pœnitentiâ privatâ fungi, & eo ſuam ſervare ſibi dignitatem?

81. Horum Conciliorum interpres locupletior Iſidoro Hiſpalenſi, eorundem ferè temporum Epiſcopo, ne optari quidem poteſt. Atqui teſtatum facit ille. Primò, qui ab innocentia baptiſmo parta deſciverit, eum ſpem omnem ſacerdotii abjicere debere, ut ſibi poſthac inacceſſi. Secundò, qui ſe poſt ordines ſuſceptos mortali implicuerit flagitio, eum ab eorũ ſacris functionibus abſtinere ſeipſum debere. Tertiò, quantumvis occultum crimen, non effugere Dei oculos, eoque & ordinibus & ordinum functionibus abſtinendum ei eſſe, qui ſibi conſcius ſit. Dicam infrà de his criminibus: *Quod autem quis poſt baptiſmum aliquo mortali peccato corruptus, ad ſacerdotium non promoveatur, lex ipſa teſtatur. Moyſes enim præcepit ſacerdotibus ne aliquod pecus vitiatum ad aram offerant, &c. Si enim is qui in Epiſcopatu mortale aliquod peccatum admiſerit, non debet offerre panes Domino; quantò magis ante ordinationem peccator inventus repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à ſacerdotio removet, conſideret ſe unuſquiſque, ſciens quia potentes potenter patientur tormenta: retrahat ſe ab hoc non tam honore quàm onere; & aliorum locum qui digni ſunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque inſtituendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt ut in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur: Qui enim alium de peccatis arguit, ipſe à peccato debet eſſe alienus: nam qua fronte ſubjectos arguere poterit, cùm illi ſtatim poſſit correptus ingerere: antè doce te quæ recta ſunt. Quapropter qui negligit recta facere, deſinat recta docere.* Hæc doctrina, hæc rationum ſumma Conciliorum Hiſpaniæ, quibus intercluditur aditus ordinum & Beneficiorum omnibus ſceleribus, etiam occultiſſimis.

82. Hinc prorſus colligitur commentitiam illam eſſe ad Maſſanum Epiſcopum, quæ Iſidoro tribuitur, Epiſtolam. Nugatoriè penè & inconditè ibi illa propinatur doctrina de clericis ad ſuas revocandis functiones poſt decurſum pœnitentiæ ſtadium: quæ nec Iſidoro conſentiat, ſemetipſum alibi luculentiùs interpretanti, nec Hiſpanienſi eo ævo diſciplinæ ſacræ, nec decretis Conciliorum ejuſdem ævi & regionis, quæ paullò antè protulimus. Sed ne fingi quidem poteſt alienius quicquam, aut inſulſius eâ, quam ſcriptor iſte commentatur, concordia inter priſcos Canones, quorum alii criminoſos ab ordinibus funditus ſum-

moveant, alii poſt peractam pœnitentiam, hanc illis januam recludant. Tantum quippe abeſt, ut per antiquos Canones fas fuerit pœnitentia defonctis ad ordines anhelare, ut pœnitentes univerſim irregularitatis notiſſimæ cauterio inurerentur: & quamquam ipſa irregularitatis infamia non imprimeretur pœnitentiæ ipſi per ſeſe; erat tamen in ore & in uſu Conciliorum, Patrumque, & Pontificum ſermo ille tritiſſimus: Pœnitentes omnes & pœnitentiâ functos ad ſuſcipiendos & exercendos ordines irregulares eſſe.

83. Illa ipſa exceptio eorum, quibus impoſita fuerat pœnitentia nullo notatis crimine, ſatis indicat ſuperque, immunitate criminum, non pœnitentiæ fervore fores ordinum pandi ſolitas. Hujus Epiſtolæ conſarcinator duos in ſui defenſionem Canones aſtruit, quibus tota hæc ejus fabuloſa commentatio deſtruitur & diſſipatur. His enim definitur, ut presbyteri & diaconi, quibus cruciatuum vis extorſit, ut idolis thuris aliquid adolerent, quique pœnitudine mox docti, pugnæ ſe reddiderunt, nobilemque reportârunt palmam; in totum à functionibus ordinum abſtineantur; quamquam ſedere deinceps ſinantur inter presbyteros & diaconos, & copia fiat Epiſcopis, ut diaconis pluſculum aliquid indulgeant.

84. Hanc Gratianus laudavit Epiſtolam, quòd eam ſenſerit ſui ævi diſciplinæ conſentire, de qua inferiùs agemus. Poterat ille hoc ſe errore exuere, ſi prætuliſſet veram Iſidori Hiſpalenſis Epiſtolã ad Helladium alioſque Epiſcopos ſynodicè collectos ad definiendam cauſſam Cordubenſis Epiſcopi, qui infandâ ſe carnis voluptate contaminaverat. Hortatur Iſidorus hac Epiſtolâ Epiſcopos, ut totâ ſe arment ſeveritate Canonum ad ulciſcendam contumeliam graviſſimam ſacerdotali collegio irrogatam. *Cum effuſione lacrymarum veſtram ſanctitatem depoſcimus, ut idem lapſus ſancto cœtui veſtro præſentatus, agnito à vobis confeſſionis eloquio, ſynodali ſententia à gradu ſacerdotii deponatur. Melius eſt illi, ut temporaliter deponatur à vobis, quàm æterno damnetur judicio. Levior eſt illi præſentis temporis ignominia, quàm futura gehennæ tormenta. Sciat enim ſe amiſiſſe nomen & officium ſacerdotis, qui meritum perdidit ſanctitatis. Quapropter judicii veſtri decreto, pœnitentia perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret*, &c. In hoc verò contextu tota refulget ſuperiorum Hiſpanienſium Canonum indoles, auſteritas, diſciplina, contextio verborum ipſa. Denique non aliam lapſo huic Epiſcopo ſpem oſtendit Iſidorus, quàm remiſſionis peccatorum, poſt expletum cum vita ipſa pœnitentiæ curriculum. *Fortaſſe porrigeret illi manum quandoque Spiritus ſanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur accipere peccatorum remiſſionem.* THOMASSINUS *De Benef.* Tom. II. lib. 1. cap. 57. num. 7. & ſeqq.

85. Habes lector in hoc Canone pœnitentiam maximè publicam, & de peccatis occultis, quæ nemo præſumitur agnoſcere: pœnitentiam publicam hominis, cujus mores habentur boni probique, & qui nec publicè ſeſe accuſat, nec ab alio accuſatur. Ne autem quis objiciat ejuſmodi homines nulla peccata confiteri ſolitos; ſæpiùs in eodem Canone repetunt Patres, pœnitentiam illam dari in remedium & remiſſionem peccati. *Pœnitentia enim ad hoc ſuſcipitur, ut peccatum diluat, & peccati ſordes hominem iterare non ſinat. Qui ergo confidit per ſuſceptam pœnitentiam dimiſſa ſibi peccata, cur confidenter ad altare Domini non accedat?* Et poſt multa: *Numquid pœnitentiæ donum, quod in remedium ſit peccati, in prohibitionem devocandum eſt ſacramenti?* Peccata igitur mortalia confiteri poterant, atque id feciſſe aſſumit Concilium. Sed quia publicè peccata illa non enunciaverant, nec erant publicè nota, immo publicè pro viris bonis habebantur, poterant laïci ejuſmodi ad gradus Eccleſiaſticos promoveri, & clerici ordinis ſui functiones exercere. Verùm cum eo diſcrimine, quòd clerici à ſacris functionibus propter pœnitentiam illam non abſtinerentur, cùm laïcis ſeculares functiones obire non liceret, quia inquiunt Patres: *Pœnitens abſtinere debet à peccatis pariter & negotiorum ſæcularium tumultibus, non ab iis quæ ſancta videntur & ſumma ſe abſtrahere, quæ operantem plus expiant, quàm commaculando deturpant.* Tandem Patres quæſtione ventilata ſic definiunt: *Ut ſtante priſcorum Canonum ſanctione, quicumque Pontificum vel ſacerdotum deinceps per manûs impoſitionem pœnitentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notaverint; tenorem retentandi regiminis non omittant, ſed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more ſuſcepta, ſolita compleant ordinis ſui officia, vel cætera myſteriorum ſibi credita ſacramenta.* Quibus ſanè verbis vix clariùs docere potuerunt criminum occultorum non modò publicam, ſed & ſolennem pœnitentiam. Prætereo quòd abſurdiſſimum ſit aſſerere nulla peccata confeſſos eſſe, & nihilominus pœnitentiam illis ſolenniter impoſitam, & reconciliationem præſtitam. Verùm hoc abſurdum demus, ſi nullis peccatis confeſſis, aut, ſi mavis, venialibus tantùm, infligitur tamen publica pœnitentia, ſolenniſque reconciliatio adhibetur, multò ſanè magis criminibus occultis.

86. Graviùs opponi poteſt, ſacerdotem propter multa crimina occulta ab ordinum functione ſuſpendi. Ergo ſi illa confiteatur, ut ad id obligatus eſt, quâ ratione decernunt Patres crimina tantùm publica, aut publicè ab auctoribus enunciata, ſacris functionibus abſtinendos eſſe? Huic objectioni Patres ipſi in fine Canonis occurrunt. Non aliter ideo quàm ipſorum verbis eam diſſolvemus. *Cæterùm ſi, ut dictum eſt, ſub pœnitentiæ perceptione conſiſtens, nihil mortalis criminis ſe admiſiſſe prædixerit, attamen quod fateri hominibus erubeſcit, intra clauſtra ſui pectoris deliteſcit; noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrum audeat aut non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.* Cùm quis ſacerdos ejuſmodi criminum occultè reus eſt, eaque publicè fateri non vult, ne ab ordinum exercitio ſuſpendatur, ad ea enuncianda, aut ad ſacrarum functionum ceſſationem cogi non poteſt, licèt ea ſecretò confeſſus fuerit, ut pluribus lib. 2. de ejuſmodi caſibus demonſtra-

ſtratum eſt; an ea exerceat nec ne, ipſius conſcientiæ permittitur, quia eo caſu prohiberi non poteſt: ſi tamen Dei timens eſt, non ſacrificabit; ſi impiè agere velit, ſacrificabit. Verùm ſi poſtea criminis commiſſi convincatur, graviſſimè propter ſacrilegium perpetratum in eum animadvertetur.

87. Ajunt Patres iſta ſe ſtatuere antiquos ſecuti Canones. Quæri poteſt non immeritò qui fuerint illi Canones? Ex eorum enim cognitione id quod hactenus contendimus illuſtriùs evadet. Primus occurrit Canon LIII. Concilii Tolet. IV. quod XIII. ann. quinquaginta præcedit. *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrâſſe publicè fateantur, ad clerum vel ad honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt, quia ſe confeſſione propria notaverunt.* Eadem prorſus Canonis ſpecies: pœnitentiam publicè accipiunt ſecreta tantùm peccata confeſſi, nulla publica. Clariſſimè Patres illi explicant quid ſibi velint, quum dicunt: *tantùm ſe peccatores prædicantes*, hoc eſt, ut ajunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes. Et paullò poſt, qui ita pœnitentiam accipiunt, *ut aliquod mortale peccatum perpetrâſſe publicè fateantur*. Mortalia igitur peccata occultè commiſſa fatebantur; ſed quia non publicè, ideo à functionibus Eccleſiaſticis non abſtinebantur, licèt pœnitentiam publicam egiſſent. Quapropter evidentiſſimum eſt ex eorum interpretatione ea verba, *tantùm peccatores ſe prædicantes*, generaliter tantùm ſumi non debere; ita ut in genere tantùm, nullo particulari crimine confeſſo, ſeſe peccatores profeſſi fuerint; ſed ſic intelligendum, ſe tantùm peccatores profeſſi ſunt, nullo edito ſingulari crimine. Quod cùm Canonis verba tam clarè, tam ſplendidè adnotent, fruſtra in eo adſtruendo immoraremur. Idem inſuper confirmat ejuſdem Concilii Can. XIX. in quo recenſentur qui ad ſacros ordines admitti non debeant. Hos inter adnumerant Patres, *qui in aliquo crimine detecti ſunt, qui infamia notâ aſperſi ſunt, qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt.*

88. Sic videtur intelligendus Canon II. Concil. Tolet. I. quod ante quartum annis CCXXXIII. celebratum eſt, quum decernit, nullum pœnitentem ad clerum eſſe admittendum. Quid per pœnitentem intelligat, ſtatim explicat. *De eo verò pœnitente dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino reconciliatus eſt altario.* Duplex genus publicè pœnitentium conſtituit. Unum eorum qui cum cilicio reconciliantur; aut, ſi mavis cilicium ad antecedentia referre, quibus cum cilicio pœnitentia imponitur, hoc eſt quibus publicè diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolennia pœnitentia pro criminibus imponitur, aut reconciliatio datur. Alterum qui publicè quidem pœnitentiam agunt de criminibus ſuis, ſed non ſub cilicio eis imponitur, non ſolenniter, nec ſolenni die, eo quòd nec propria confeſſione ſeſe notârunt, nec aliqua convictione notati ſunt. Quod igitur Patres univerſaliter pronunciaverant, *pœnitentes non admittantur ad clerum*, interpretantur de eo pœnitente publico qui ſub cilicio reconciliari ſolet. Huic interpretationi convenit lectio, *de eo pœnitente*, &c. Ita ut noſint Patres ſub eorū decreto pœnitentes omnes complecti, ſed eos tantùm qui ſcelera publica aut occulta publicè cōfeſſi fuerint. MORINUS *De Pœnit.* lib. 5. cap. 8. num. 8.

De iis ſatis egimus ſuprà Differt. VII. VIII. IX. & præſertim X. nec ampliùs inculcare oportet.

89. AD CAP. XI. *Patrum præcedentium ſententia.*] Ita definitum eſt in Concilio Nicæno cap. 17. & Sardicenſi cap. 18. Antiocheno & ſeqq. cap. 13. & Conſtantinop. cap. 3. Carthagin. III. cap. 44. & 21. Tolet. II. cap. 2. & Bracarenſi I. cap. 8. & Epiſt. Innocentii ad Victricium.

90. *Nemo fugientem.*] De clericis deſertoribus Concilium Hiſpalenſe II. cap. 4.

91. *Clericum nemo ſolicitare.*] Epiſtolâ Leonis id cavetur ad Anaſtaſium cap. 9. & decreto Gelaſii generali cap. 6. De non recipiendis clericis vagis, & infirmanda ordinatione quæ ſine conſenſu proprii Epiſcopi fit, Concilio Bracarenſi III. cap. 33.

92. *Octo dies juxta legum ſanctionem.*] Conſule leges Wiſi-gotthorum lib. 9. tit. 6. leg. 3.

93. *Villicus.*] Infrà Vicarius alius à Villico eſt: cujus mentionem copioſam invenies lib. legum Wiſi-gotth. De his autem nominibus & officiis, vide quæ annotavimus in tractatu De dignitatibus & officiis Gotthorum. De Villico habes in legg. Wiſi-gotth. lib. 11. tit. 1. leg. 2.

94. *Subſcriptiones.*] In hac Generali Synodo pauci ſubſcribunt Epiſcopi, quadraginta & octo; per procuratores verò XXVII. Ex his aliqui in aliis Conciliis interfuerunt, cùm à XII. Concilio uſque ad XIII. duo vel tres anni interceſſerint: ita eſt fragilis humana conditio. Qui in aliis interfuerunt, ſunt: Antonius Baſtitanus, qui in XII. Tolet. ſubſcribit: & Atula Caurienſis in eodem. Argibundus Eliberitanus per vicarium in XII. Tolet. Concordius Palentinus in XII. Tolet. Deodatus Segobricenſis, qui in XII. Tolet. Eufraſius Lucenſis, & Ella Segontienſis, uterque in XII. Tolet. ſicut Froaricus Portucalenſis, & Felix Dianienſis, & Gundulfus Lamecenſis, & Gaudentius Valerienſis, & Julianus regiæ urbis, & Joannes Pacenſis, & Luiba Bracarenſis, & Leander Illicitanus, & Palmatius Urcitanus, & Reparatus Viſenſis, & Recilanus, qui & Recilla Accitanenſis, & Siſebaldo Tuccitanus, & Stephanus Emeritenſis, & Samuel Malacitanus, & Theuderacus Aſſidonenſis, & Tructemundus Elborenſis, Theodulfus Aſtigitanus, Unigirus Abelenſis: omnes in XII. Toletano ſubſcribunt: ſunt numero 24. Qui verò mortuis ſuccedunt, majori in numero ſunt; nimirum Aſturius Setabitanus, qui Iſidoro ſucceſſit, in XII. Toletano. Alla Olyſſipponenſis, qui Theodorico, in Emeritenſi. Aſturius Tyraſſonenſis, qui Elpidio, in VI. Toletano. Aurelius Aſturicenſis, qui Iſidoro, in III. Bracarenſi. Anſemundus Lotoëbenſis, qui Anatolio in VI. Toletano. Bellitus Oſſonobenſis, qui

Exar-

Examno, in Emeritenſi. Creſcitarus Beterrenſis, qui Petro, in IV. Toletano. Cicilius Dertoſanus, qui Aprilæ, in VIII. Toletano. Cuniuldus Italicenſis, qui Spera-in-deo, in XII. Toletano. Cyprianus Tarraconenſis, qui Protaſio, in VII. Toletano. Clarus Elnenſis, qui Acutulo, in VI. Tolerano. Euſendus Ilerdenſis, qui Gaudiolano, in VIII. Toletano. Eufraſius Calagurritanus, qui Gabino, in VIII. Toletano. Florus Menteſanus, qui Valdefredo, in X. Toletano. Floreſindus Hiſpalenſis, qui Juliano, in XII. Toletano. Gratinus Egabrenſis, qui Deo-dato, in VII. Toletano. Gregorius Oretanus, qui Argemundo, in XI. Toletano. Godiſcalcus Oſcenſis, qui Euſebio, in VIII. Toletano. Gandilanus Empuritanus, qui Dono-dei, in VIII. Toletano. Holemundus Salmanticenſis, qui Providentio, in XII. Toletano. Hilarius Aurienſis, qui Sonæ, in VIII. Toletano. Idacius Barcinonenſis, qui Quirico, in X. Toletano. Joannes Egarenſis, qui Eugenio, in IV. Toletano. Jacobus Gerundenſis, qui Taloni, in VIII. Toletano. Lubericus Urgelitanus, qui Maurello, in IX. Toletano. Miro Cunimbrienſis, qui Cautabro, in Emeritenſi. Monoſonſus Egitanenſis, qui Selvæ, in Emeritenſi. Mumulus Cordubenſis, qui Euforo, in VIII. Toletano. Olipa Segobrienſis, qui Sempronio, in XII. Toletano. Opa Tudenſis, qui Geneſio, in XII. Toletano. Proculus Bigaſtrenſis, qui Giberio, in X. Toletano. Primus Agathenſis, qui Georgio, in VIII. Toletano. Rogatus Beatienſis in XI. Toletano. Reginicius Aucenſis, qui Lothario, in VIII. Toletano. Sarmata Valentinus, qui Hoſpitali, in XII. Toletano. Sempronius Arcavicenſis, qui Momulo, in XI. Toletano. Sona Oxomenſis, qui Severitano, in XII. Toletano. Sunifredus Narbonenſis, qui Selvæ, in VI. Toletano. Stephanus Carcaſſonenſis, qui Sylveſtro, in VIII. Vincentius Magalonenſis, qui Geneſio, in IV. Toletano. Unigirus Abelenſis, qui Asfalio, in XII. Toletano. Valderedus Cæſar-auguſtanus, qui Tajoni, in IX. Toletano. Wiſefredus Auſonenſis, qui Guerico, in VIII. Toletano. Subſcribunt Abbates pro ſe octo, alii ut vicarii Epiſcoporum, & viri illuſtres ex officio palatino. Animadvertendum, novarum ſedium ſubſcriptiones hîc poni, quæ in aliis Conciliis non exſtant: ut Potentinus Uticenſis: fortè ex Utica negotiorum cauſâ Toletum venit, & Concilio interfuit. Potentinus Verecenſis: nova etiam ſubſcriptio. Subſcribunt etiam Reginicius Aucenſis per vicarium, & Stercorius Aucenſis: fortè prior infirmitate oppreſſus vel ætate gravatus ceſſerat Epiſcopatui, unde per vicarium ſubſcribit. LOAISA.

CARD. DE AGUIRRE LECTORI.

1. *EPISTOLAS ſequentes edidit Garſias Loaïſa ex Codice Ms. pervetuſto Cænobii S. Joannis regii Toletani ex familia Franciſcana, in Notis ad Concilium XIV. Toletanum, quarum occaſione celebratum illud eſt à ſeptemdecim Epiſcopis. Abſoluto enim Concilio Toletano XIII. reverſiſque ad ſuas Eccleſias Epiſcopis, cùm allatæ eſſent in Hiſpaniam literæ Leonis Romani Pontificis, ſimulque Sextæ Synodi Acta ab ipſo miſſa, nec tempus opportunum eſſet ingruente ſæva hyeme eos iterum convocandi, viſum eſt in ſequentem annum differre ejus rei tractationem. Ne tamen iſtiuſmodi mora aliquam inobedientiæ ſuſpicionem poſſet afferre, conſultum fuit, ut interim ea per Eccleſias ad Epiſcopos mitterentur; fieretque confirmatio rerum in Oecumenico Conventu geſtarum, quæ unà cum apologia de dilato negotio ad Romanum Pontificem dirigeretur: ut teſtantur Acta Synodi Toletanæ XIV. anno ſequenti celebratæ.*

2. *Eaſdem Epiſtolas recudi curavit Severinus Binius ex Cod. Ms. Bibliothecæ Toletanæ, cujus apographum dono accepit à Jacobo Huttero S. Theologiæ Doctore, & canonico Colonienſi: qui in nonnullis diſcrepat ab illo Loaïſano. Nos denuò in lucem commiſimus juxta antiquiſſimum manuſcriptum Gothicum Conciliorum Eccleſiæ Lucenſis, poſtea tranſlatum in Bibliothecam regiam S. Laurentii; rejectis tamen in marginem lectionum varietatibus. Earum αὐθεντίαν Card. Baronius expugnare conatus eſt, aliique poſt eum, nonnullis adductis rationibus, ut eas oſtendant ſpurias atque ὑποβολιμαίας. Nos tamen quid de hac re cenſeamus, alibi forſan adſtruemus, in Appendice, quam ad hujus tomi calcem rejicere curabimus, niſi temporis anguſtiæ, & valetudo minus commoda aliud ſuaſerint.*

EPISTOLA I.
LEONIS II. PAPÆ,
AD
UNIVERSOS EPISCOPOS HISPANIÆ.

Sexti Generalis Concilii Acta narrat, in quo damnatis hæreticis, Catholicæ Fidei definitio de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus promulgata fuit, quam tranſmittit omnibus manifeſtandam, cuique ipſi Epiſcopi ſubſcribere debeant.

Dilectiſſimis fratribus univerſis Eccleſiarum Chriſti Præſulibus per Hiſpaniam conſtitutis.

3. CUM diverſa ſint hominum ſtudia, quibus humana diſpenſari creditur vita; unum eſt tamen pietatis officium, quod poteſt ad æternæ vitæ perducere quæſtum & meritum; in quo omnem conſortem Fidei Chriſtianæ æquum eſt ſtudere: [a] cui nempe Spiritus ſancti dignatio ſuæ gratiæ inſpirat affectum; & inoffenſum demonſtrat operum bonorum effectum. *Quia Spiritus* (ut Dominus docet) *ubi vult ſpirat, & vocem ejus* [b] *auditis*. & quia ejus eſt incomprehenſibilis gratia, connectit & perhibet, *& neſcitis* [c] *unde veniat aut quò vadat*. Scientes igitur ac ſatisfacti, quia eſt [d] in vobis Chriſtianæ religionis præclarè ſtudium, ulniſque ſpiritalibus amplectimini, ſemina cœleſtis doctrinæ, & Evangelicæ atque Apoſtolicæ traditionis in vobis fructificat [e] fervor & puritas, pro qua hæc ſancta Eccleſiarum omnium mater Apoſtolica Sedes, uſque ad victimam deſudavit ſemper & deſudat, & priùs (ſi [f] hæc divina majeſtas cenſuerit) animam à corpore temporaliter diligit ſequeſtrari, quàm [g] proditione ſacrilega ſe à confeſſione veridica pro temporali delectatione vel afflictione ſejungi. Quia citra hanc, ſicut æternæ beatitudinis præmium, [h] quam Sanctis ſuis Dominus præparavit, adipiſci non ſuppetit; ita (quod lugubriter ejulandum eſt) à Deo vivo & vero per errorem falſidici dogmatis factum extorrem æternis cruciatibus evenit mancipari.

a Quia. Exc.
b Audis. Exc.
c Neſcis. Exc.
d Ex v. Chr. rel. flagrat ſtud. Exc.
e Fervorem. Exc.
f Hoc. Exc.
g Perditione. Exc.
h Quod. Exc.

4. Sed quia nunc per gratiam Dei Chriſtianiſſimo [i] filio noſtro Conſtantino Imperatore regnante (quem ad hoc pietatis officium elegit atque prælegit ſuperna clementia) rectæ confeſſionis atque Apoſtolicæ traditionis fulgor, hæreticæ pravitatis expulſa caligine, per totum Orbem terrarum veluti [k] clarum jubar effulſit, & pax atque concordia veritatis inter cunctos Eccleſiarum Chriſti Præſules regnat, de pacifica in Chriſtum confeſſione deſcendens, qui pax vera & ſalutaris eſt, per quem reconciliamur ad Deum; ſciat veſtra ſinceritas, & Chriſtianis omnibus innoteſcat, Dei omnipotentis mira magnalia; quia in Conſtantinopolitana urbe clementiſſimus noſter, immo Beati Petri Apoſtoli filius Imperator, armatus zelo Dei, ac deſiderio pietatis accenſus, Epiſcopis ex totius mundi partibus aggregatis, quod ex multo tempore fideliter cupiebat, dum cenſuit majeſtas [l] ſuperna, per nuper elapſam [m] nonam indictionem explevit.

i Ac piiſſimo. Exc.
k Eccleſiarū jub. Exc.
l Deeſt Exc.
m Novam. Exc.

5. Univerſale itaque ſanctum Sextum Concilium celebratum eſt, ad quod celebrandum ex prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ domini Agathonis Papæ perſona presbyteri diaconique directi [n] ſunt. De diverſis autem Conciliis huic ſanctæ Apoſtolicæ ſedi, cujus miniſterio fungimur, ſubjacentibus, Archiepiſcopi à nobis ſunt deſtinati: qui cùm [o] pro Principe ſimul & omnibus qui ejus mandato convenerunt, Eccleſiarum Præſulibus, [p] præſidentes ac conſidentes; primitùs quidem ſancta quinque Univerſalia Concilia & venerabilis Eccleſiæ Patres, quorum libri ac teſtimonia hinc fuerant deſtinata, cum tomo dogmatico Apoſtolicæ memoriæ noſtri deceſſoris domini Agathonis Papæ atque Pontificis, & reſponſis totius noſtræ Synodi, pro confirmatione duarum [q] naturalium voluntatum & operationum in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, & condemnatione eorum qui aliter docuerunt vel crediderunt: & hæc ſingula relegerunt ac retractàrunt. Et quia quæ Dei ſunt, cum ejus timore atque amore ſcrutati ſunt, ejus nutu [r] bene per eos confeſſionis ſinceritas demonſtrata ac confirmata eſt. Erga quod ſynodalis diffinitio dictis Apoſtolicorum virorum conſona proteſtatur. Ex quibus veſtram ſatisfieri dilectionem confidimus.

n Fuerunt. Exc.
o Deeſt Exc.
p Præſ. fuerunt. Ac conſiderantes pr. Exc.
q Duarum naturarum, duarumque natural. Exc.
r Verè. Exc.

6. Qui verò adverſum Apoſtolicę traditionis puritatem perduelliones exſtiterant, abeuntes quidem æterna condemnatione multati ſunt: ideſt Theodorus [s] Faranitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paullus, Petrus, Conſtantinopolitani, cum [*] Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non, ut

s Farantanus. Exc.
* Negligentia Honorii, non hæreſis accuſatur.

t Retractare. *Exc.*
* *Deeſt* Exc.
u Inceptatore. *Exc.*
x *Deeſt* τὸ ex *in Exc.*
y Quarum. *Exc.*
z Adhuc. *Exc.*
a Conceptu & denotatione. *Exc.*
b Cōcurrēte. *Exc.*
c Quod Proſphoneticum. *Exc.*
d Factum.

ut debuit, Apoſtolica auctoritate incipientem extinxit, ſed negligendo confovit. Qui verò ſuperſtites voluerunt ad veritatis confeſſionem per medelam pœnitentiæ converti vel t repedare, de præſulari ac ſacerdotali gradu dejecti ſunt: ideſt, Macarius Antiochenus Præſul, cum Stephano * ex Abba presbytero ejus diſcipulo, immo erroris hæretici u incentore, & quodam ſene Polychronio x ex Abba presbytero novo Simone. Qui meritò de Eccleſiis Chriſti ut mercenarii infideles expulſi, y quorum noxii ſubſeſſores & perverſores exſtiterant, & z huc exſules deportati ſunt, ut reatûs ſui & blaſphemiarum in Deum opprobria recognoſcant, ſub a contemptum ac denotationem fidelium omnium conſtituti.

7. Et quia quæque in Conſtantinopolitana urbe Univerſali Concilio b currente celebrato geſta ſunt, propter linguæ diverſitatem in Græco quippe conſcripta ſunt, & necdum in noſtrum eloquium examinatè tranſlata; definitionem interim ejuſdem ſancti Sexti Concilii, & acclamationem, c quæ *Proſphoneticus* dicitur, totius Concilii, d factam ad piiſſimum Principem, pariterque edictum clementiſſimi Imperatoris, ad omnium cognitionem ubique directum in Latinum ex Græco tranſlatum, per latorem præſentium Petrum notarium regionarium, ſanctæ noſtræ Eccleſiæ veſtræ dilectione direximus, etiam Acta totius venerandi Concilii directuri, dum fuerint elimatè transfuſa; ſi hoc & veſtra bonis ſtudiis fervens charitas delectatur.

e Myſteriis. *Exc.*
f Adjungamini. *Exc.*
g Nobiſcum. *Exc.*
h Et. *Exc.*
i Dominus noſter Jeſus Chriſtus. *Exc.*
k Oblatam itaque opportunitate, & *Exc.*

8. Hortamur proinde veſtram divinis e miniſteriis mancipatam in Fidei veritate concordiam, ut ſummam ſedulitatem atque operam præbeatis, paribuſque laboribus f accingamini, pro amore atque timore Dei, Chriſtianæque profectu religionis, & Apoſtolicæ prędicationis puritate: ut per univerſos veſtræ provinciæ Præſules, ſacerdotes, & plebes, per religioſum noſtrum ſtudium innoteſcat, ac ſalubriter divulgetur, & ab omnibus reverendis Epiſcopis unà g vobiſcum ſubſcriptiones in eadem definitione venerandi Concilii ſubnectantur: ac ſi profectò in libro vitæ properans unuſquiſque Chriſti Eccleſiarum Antiſtes ſuum nomen adſcriberet, h ut in unius Evangelicæ atque Apoſtolicæ Fidei conſonantia nobiſcum, & cum Univerſali ſancta Synodo, per ſuæ ſubſcriptionis confeſſionem, tanquam præſens ſpiritu conveniat, quatenus i Domino noſtro Jeſu Chriſto cum in glorioſo ac terribili potentatu ad judicandum advenerit, cum titulo orthodoxæ confeſſionis occurrens, conſortem ſe traditionis Apoſtolicæ per manûs ſuæ demonſtret ſignaculum. Ut cùm Apoſtolorum Chriſti Principibus, quorum confeſſionem zelo veræ pietatis amplectitur, beato conſortio perfruatur; revolvens ſemper in cordis arcanis ſententiam Domini prædicantis: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo qui in cælis eſt.* Quia & nos, qui licèt impares, vicem tamen Apoſtolorum Principis fungimur, dum veſtras ſubſcriptiones in paginis cum Dei prẹſidio per latorem prẹſentium ſuſcepérimus, has apud Beati Petri Apoſtolorum principis Confeſſionem deponimus, ut eo mediante atque intercedente, à quo Chriſtianæ Fidei deſcendit vera traditio, offeratur Domino Jeſu Chriſto ad teſtimonium & gloriam ejus myſterium fideliter confitentium, ac ſubſcribentium, qui veræ de ſe confeſſionis prẹconium, quod per tot temporum lapſus hẹreticis opprimebatur inſidiis, ex inſperato per ſedulum pii Principis ſtudium claræ veritatis radiis ubique conceſſit fulgeſcere. k Oblata itaque ſalutis opportunitate, ut verè divinum munus efficaci ſedulitate fructuoſum, vos hortamur oſtendere, ut gloria vobis ante Deum accreſcat de conſcientiæ puritate. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi fratres.

NOTA SEVERINI BINII.

9. EPISTOLA.] Hanc cum tribus ſequentibus Baronius velut ſpurias rejicit, quòd in omnibus & ſingulis inculcetur Concilium Oecumenicum nona Indictione abſolutum fuiſſe, cùm tamen Acta noviſſimarum Actionum teſtentur ipſam Synodum decimạ Indictione abſolutam eſſe. Et maximè quidem ideo quòd his literis dicantur mitti in Hiſpaniam, non ipſa Acta ſynodalia, ſed tantùm definitio Synodi, edictum Imperatoris, & ſynodalis ſermo acclamatorius, quæ ſunt minima pars ſynodalium Actorum. Verùm Canone ſecundo Concilii Toletani XIV. teſtantur Epiſcopi ſe cum Epiſtola Leonis ipſa integra Acta ſynodalia accepiſſe. Veram igitur Leonis Epiſtolam ad Epiſcopos Hiſpaniæ cum Actis ſynodalibus tranſmiſſam excidiſſe oportuit, ſolùm ſpuriis & commentitiis adhuc exſtantibus. Manuſcriptam hanc ex Bibliotheca Toletana nobis communicavit reverendus & eximius vir dominus Jacobus Hutterus, ſanctæ Theologiæ doctor, & Metropolitanẹ Eccleſiẹ Colonienſis canonicus presbyter, quam & cum editione Epiſtolarum Romanorum Pontificum contulimus.

EPISTOLA II.

AD QUIRICUM EPISCOPUM.

Petrum à ſe cum Epiſtola fuiſſe deſtinatum ſcribit, qui Synodi definitionem & quædam munera defert.

Dilectiſſimo fratri Quirico Leo.

10. AD cognitionem veſtræ dilectionis deducimus, quòd latorem præſentium Petrum l notarium regionarium ſanctæ noſtræ Eccleſiæ illic properavimus deſtinare, m cum tractatoria ad omnes unà n nobiſcum Chriſti Eccleſiarum Antiſtites, ſimul etiam ad præcellentiſſimum atque Chriſtianiſſimum Regem filium noſtrum, ad glorioſumque Comitem contradi quoque facientes, eiſdem reſponſa, initio definitionem venerabilis Synodi, quæ per novam nuper elapſam indictionem in Conſtantinopolitana urbe cum Dei præſidio pro ſtabilitate orthodoxæ noſtræ Fidei celebrata eſt. o Acclamationem quoque reverendiſſimorum Epiſcoporum in ea convenientium, & edictum piiſſimi filii noſtri atque clementiſſimi Imperatoris, cui pro Dei p miniſterio quod ſuſcepimus, & rectitudine Apoſtolicæ Fidei, per quam ſalvari tam nos quàm commiſſas nobis animas præſtolamur, providentiam atque concurſum omnem exhibeat veſtra in Chriſto dilectio, ut pro flagrantibus ſtudiis Euangelicæ atque Apoſtolicæ Fidei æternæ beatitudinis cum beatis Chriſti Apoſtolorum principibus habere conſortium mereamini.

l Deeſt *Exc.*
m Cum tractatorio. *Exc.*
n Vobiſcum. *Exc.*
o Acclamationēque. *Exc.*
p Myſterio. *Exc.*

11. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime frater. * Benedictionis itaque q gratiâ crucem clavem habentem de ſacris vinculis auctoris noſtri Beati Petri Apoſtoli tuæ dilectioni direximus, ut præſulare meritum Dei & proximi charitas vinciat, & per vexillum ſalutiferæ crucis Chriſti, qui in r ea ſuſpenſus eſt, totius corporis membra clavis divinorum mandatorum obſtringat; ut tali ſignaculo communitum, reſeratis januis regni cœleſtis, Apoſtolorum princeps ad ſecum perfruendum s beatitudine æterna ſuſcipiat.

* Deeſt *Exc.*
q Gratiam. *Exc.*
r Eo. *Exc.*
s Beatitudinem æternam. *Exc.*

NOTA SEVERINI BINII.

12. EPISTOLA.] Ex nomine Quirici impoſturam colligit Baronius: nullus enim Hiſpaniæ Epiſcopus hoc nomine appellatus reperitur alius, quàm ille Quiricus Toletanus Epiſcopus, qui ante annos ſeptem vitâ defunctus, Julianum, qui Toletano XIII. tempore Leonis II. interfuit, ſucceſſorem habuit. Baronius prædicto anno num. 19.

EPISTOLA III.

AD SIMPLICIUM COMITEM.

Narrat Acta Concilii. Definitionem tranſmittit, cui Epiſcopi ſubſcribant; petens, ut ea in ſua editione omnibus innoteſcere curet.

Domno glorioſo filio Simplicio Comiti, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

13. CUM t ſit veſtræ ſalutis remedium vera in Deum confeſſio ex Apoſtolica traditione deſcendens, cum qua beati martyres temporaliter u deteſtantes, * & æternæ vitæ præmia meruerunt, pro qua x probatiſſimi ſanctæ Eccleſiæ Patres atque Doctores diverſa certamina & immenſas afflictiones perpeſſi, animam tradere quàm Fidem veram y prodere z delegerunt: ex quorum regulari doctrina, quam nunc uſque hæc ſancta Chriſti Eccleſia ab ejus Apoſtolorum principe conſtructa atque præſtructa prædicare cognoſcitur, & per Apoſtolicos ſucceſſores ſalutaris inſtitutio per Dei gratiam ad nos uſque pertingit; ſed & præceſſorum noſtrorum pro ejus ſtabi-

t Cùm ſingulare ſit. *Exc.*
u Decertantes. *Exc.*
* Deeſt *Exc.*
x Beatiſſimi. *Exc.*
y Perdere. *Exc.*
z Elegerunt. *Exc.*

litate nimium deſudavit inſtantia. Verùm poſt tot certamina & afflictiones innumeras diverſis temporibus à veræ Fidei infeſtis [a] effectas, tandem ſuperna clementia cor imperiale cœleſti gratia præſtruens, & fervore ſuæ gratiæ ad [b] indicandam veræ pietatis integritatem accendens, de diverſis mundi partibus nuper Concilium Univerſale congregari diſpoſuit, in quo etiam Legati hujus ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ, * quam divina dignatione diſpenſandam ſuſcepimus, & Concilio eidem ſubjacentium reſponſales, unà cum ſereniſſimo filio noſtro Imperatore, [c] pietatis inſignibus & inſulis redimito, in eodem ſacro Concilio convenientes, ex ſcriptis pontificalibus, ſanctorum Patrum teſtimoniis roboratis, Apoſtolicæ traditionis regulam [d] hanc ſanctam Eccleſiam divino ſubnixam auxilio integrè prędicare atque ſervare totis [e] viribus probaverunt.

14. Tomus [f] enim domini Agathonis Apoſtolicæ memoriæ magni Pontificis, noſtrique deceſſoris, quem ad tranquilliſſimum Imperatorem direxerat, ita erat ex ſanctorum Conciliorum definitionibus, beatorumque Patrum teſtimoniis, & aſſertionibus veritatis inſtructus, ut & integritatem Apoſtolicæ Fidei luculentiſſimè patefaceret, & erroris hæretici latebras revelaret, & ex ejus inexpugnabilibus dictis per gratiam Dei de [g] hominum cordibus hęretici dogmatis ſublata caligine, lumen veræ confeſſionis effulſit. In quo manſuetiſſimi Principis labor pro rectæ Fidei pietate præclaruit, in ſæculis omnibus collaudandus; ut eo favente cum Dei præſidio veritas Apoſtolicæ Fidei bravîum victoriæ ſumeret, divinituſque conceſſum Imperium pietatis inſignibus decoraret.

15. Ideoque, vos, glorioſiſſimi Chriſti Eccleſiæ filii, in quibus pietatis deſiderium pollet, Euangelicæ atque Apoſtolicæ prædicationi manum ſuffragando porrigite, ut etiam veſtras Chriſtianiſſimas regiones ſinceræ Fidei, quam diligitis, fulgor irradiet; ut Apoſtolicæ prędicationi faventes atque conlaborantes, conſortium fidelium apud Deum habere mereamini, ad quem redigitur * de eo veræ confeſſionis integritas. Quod enim ad noſtrum officium, quibus animarum diſpenſatio commiſſa eſt, competebat, definitionem ſancti Sexti Concilii per [h] nonam indictionem in Conſtantinopolitana urbe celebrati, & acclamationem univerſorum reverendiſſimorum Epiſcoporum, * quæ & *Proſphoneticus* dicitur, ſed & edictum Fidei à piiſſimo Auguſto noſtro sereniſſimo filio huc deſtinatum, veſtris * quoque * provinciis innoteſcere per latorem pręſentium Petrum notarium regionarium, ſanctę noſtræ Eccleſiæ illuc dirigere affectu paterno maturavimus; [i] ut de profectu Apoſtolicæ prędicationis, ut merito Fidei verè conſortes, nobiſcum unanimiter lætemini.

16. Hortati autem ſumus reverendos Eccleſiarum omnium Pręſules, ut [k] ſcriptiones ſuas eidem Apoſtolicæ [l] ſynodali definitioni ſubnectant, & utpote [m] pro filiis atque cum filiis patres ſua nomina in hujuſmodi libro vitæ deſcribant, ad laudem fideliter concurrentium, & Chriſti Euangelio conlaborantium, & commendationem ad Deum, quem tunc mereamur habere propitium, dum ejus Fidei veritatem immutilatam [n] ſine tenus conſervamus incolumem. Gloriam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Ad perpetuam proinde veſtrę glorioſę Chriſtianitatis protectionem, venerabilem crucem [o] clavum habentem de ſalutaribus vinculis auctoris noſtri Petri Chriſti Apoſtolorum Principis per preſentem [p] regulum dereximus; ut cujus ſinceram dilectionem geritis, & [q] luminariis fideliter providetis, [r] traditioniſque rectitudinem amplectimini, ejus jugiter Apoſtolica tuitione ſalvemini.

a Affecta. Exc.
b Indagandam. Exc.
* Deeſt Exc.
c Conſtantino, inſig. & inſ. Exc.
d Ac. Exc.
e Niſibus. Exc.
f Etiam. Exc.
g Omnium. Exc.
* Deeſt Exc.
h Novam. Exc.
* Deeſt Exc.
* Deeſt Exc.
i Unde. Exc.
k Subſcriptiones. Exc.
l Atque ſ. n. Exc.
m Proles atque cum fil. Exc.
n Immutatam. Exc.
o Clavem. Exc.
q Gerulum. Exc.
q Luminaribus. Exc.
r Traditioneſque rect. veraciter ampl. Exc.

EPISTOLA IV.

AD ERVIGIUM REGEM HISPANIÆ.

Ejuſdem argumenti cum ſuperiore.

* *Domino excellentiſſimo filio Ervigio Regi Leo.*

17. CUM unus exſtet Rex omnium Deus, qui cuncta creavit ex nihilo; quæ verò creavit regit & continet, qui verè Rex Regum eſt & Dominus dominantium, idem incomprehenſibilis providentiæ ſuę libramine, tam temporaliter quamque localiter, diverſos in terris regnare diſponit: quorum etſi diviſa ſunt regna, æqualiter tamen de ſingulis rationem diſpenſationis [s] expetit, unamque de eis verè de ſuę confeſſionis hoſtiam laudis exſpectat: & hoc ſolùm munere circa hominum genus complacatur ejus majeſtatis immenſitas, dum à cunctis vera de [t] eo confeſſio prędicatur. Ut & ſi diſpoſitionum temporalium videtur eſſe diverſitas, circa ejus Fidei rectitudinem unitatis [u] conſonantia teneatur. Hoc etiam & in ſanctis ſuis diſcipulis Salvator mundi Dei filius eſſe conſtituit, qui beatum Petrum ſui vice diſcipulorum ſuorum [x] inſtituit principem; cujus ſalutari prędicatione atque traditione ab hac ſancta Apoſtolica Chriſti Eccleſia, velut à fonte prędicationis progrediente, cunctę regiones, quibus etiam veſtrum faſtigium pręſidet, ad cognitionem veritatis & viam vitę perductę [y] ſunt; regnique veſtri culmen illuſtratum: & dum [z] per gratiam Dei pietate regnatis, de temporali regno ęternę beatitudinis regnum acquiritis. Ad quod perfectiùs obtinendum, ſicut inſtanter oramus, dum Dei dignatione Patrum ordine [a] fungimur & Beati Petri Apoſtolorum prin-

* Benedictus gratiâ Dei presbyter, & electus S. Sedis Apoſt. domino excellentiſſimo filio Ervigio. *Loaiſa.*
s Exſpectat. Exc.
t Deo. Exc.
u Conſtantia. Exc.
x Conſtituit. Exc.
y Fuerunt. Exc.
z Pro gratiæ Dei piet. Exc.
a Fruimur. Exc.

principis, licèt impares, pro commiſſo divina ope miniſterio locum implemus; ita prędicando atque commonendo ad beatę vitę meritum conamur provehere. Initium quippe ęternę beatitudinis [b] rectę Apoſtolicę prędicationis eſt regula: quam etſi labefactare olim quidam moliti ſunt, hęreticos in Eccleſiam Chriſti intromittere enitentes errores; ſed Euangelica veritas vincit; pro cujus ſtabilitate & immutabilitate ſervanda diverſas affectionum inſidias hęc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſtinuit ſemper & ſuſtinet, & ſuperna gratia ſuffragante illæſa perſiſtit.

b Obtinendæ. Exc.

18. Nunc autem, quod cum gratiarum actione in Deum exultantes effamor, per [c] nonam nuper elapſam indictionem piiſſimus atque Chriſtianiſſimus noſter, immo Eccleſię Dei filius Imperator, ad Apoſtolicę memorię noſtrum deceſſorem Agathonem Papam atque Pontificem ſcripta imperialia dirigens, [d] affatim hortatus eſt, ut ab hac ſancta Apoſtolicę ſedis Eccleſia de omnibus adjacentibus ei reverendis Conciliis [e] legatos, tam de Eccleſiarum Pręſulibus, quamque de aliis ordinibus Eccleſiaſticis, cum dogmaticis literis venerabiliumque Patrum libris ac teſtimoniis [g] inſtructos in regium Conſtantinopolitanam urbem dirigeret: quod Dei nutu effectum atque perfectum eſt.

c Novam. Exc.
d Effatim. Exc.
e Noſtra. Exc.
f Deeſt Exc.
g Inſtructis. Exc.

19. Quibus illuc ob hoc advenientibus, Concilium ex diverſis partibus ejus pietas congregavit, & commiſſę reipublicę curis [h] parumper ſepoſitis, in venerando Epiſcoporum fratrum Concilio reſidens, veritatem Apoſtolicę traditionis & rectitudinem Fidei per [i] ſanctas Synodos venerabiliumque Patrum teſtimonia, & aſſertiones prędeceſſorum noſtrorum Apoſtolicorum Pontificum ſubtiliter atque attentè examinari fecit, & verę Fidei ſinceritatem à Legatis hujus ſanctę Apoſtolicę ſedis monſtrari. Quod per Dei gratiam, Imperii [k] annitente pręſidio, inceptum atque peractum eſt, & perfectiſſimè claruit verę Fidei noſtrę veracitas, juxta veneranda Concilia & probabilium Patrum doctrinas; ut in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto filio Dei, [l] eodemque Deo vero atque perfecto, & eodem homine vero atque perfecto, ſicut duas inſeparabiliter & inconfusè confitemur naturas; id eſt, divinam & humanam; ita & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes eum omnes habere prędicemus, ſecundum qualitates ac proprietates in eo concurrentium naturarum. Quia [m] ſi eum unum Chriſtum unamque perſonam ſanctę Trinitatis eſſe credamus, [n] ut & divinam & humanam naturam, & harum naturarum proprietates inconfusè, indiviſè, & indiminotè eum habere prędicemus.

h Deeſt, parùper. Exc.
i Sanctæ Synodi. Exc.
k Adveniſte. Exc.
l Eodemque vero atque perfecto homine. Exc.
m Sic. Exc.
n Ut. Exc.

20. Verùm piiſſimus Imperator gratiâ Spiritus ſancti animatus, & laborem pro Chriſtianę Fidei puritate ſpontè perpeſſus, Eccleſiam Dei Catholicam ab erroris hęretici macula [o] luminis niſibus purificare molitus eſt, & quicquid offenſionem Chriſtianis populis poterat generare, de medio Dei Eccleſiæ fecit auferri, omneſque hæreticæ aſſertionis auctores venerando [p] cenſente Concilio condemnati, [q] & Catholicæ Eccleſiæ adunatione projecti ſunt: id eſt Theodorus [r] Faramitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paullus, Pyrrhus, & Petrus, quondam Conſtantinopolitani Præſules, & unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis * regulam *, quam à præceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit. Sed & Macarium Antiochenum, cum Stephano ejus diſcipulo; immo hæreticæ pravitatis magiſtro, & Polychronio quodam inſano ſene, novo Simone, qui ſuſcitatione mortui, hæreticæ prædicationis [s] fiduciam pollicebatur implere: neque rurſus ad viam veræ confeſſionis ſaltem [t] confeſſus converti æterna condemnatione multatus eſt. Et * omnes * hi cum Ario, Apollinario, Neſtorio, Eutyche, Severo, Theodoſio, [u] Themeſio, in deitate atque humanitate Domini noſtri Jeſu Chriſti unam voluntatem unamque operationem prædicantes, doctrinam hæreticam [x] imprudentes defendere conabantur. Neque enim, ut ſacerdotes Dei oportuerat, ſanctarum Scripturarum & Patrum teſtimoniis hoc demonſtrabant; ſed mundanis ſophiſmatibus Euangelium Chriſti callidè machinabantur pervertere. Quos omnes cum ſuis erroribus divina cenſura de ſancta ſua projecit Eccleſia, & nunc ſuperno favente præſidio in unam veræ Fidei conſonantiam omnes Dei Eccleſiæ Præſules ubique concordant; & factum eſt unum os & labium unum, unuſque grex & unus paſtor, Chriſtus filius Dei, qui unanimiter à cunctis ejus ſacerdotibus atque ſinceriter prædicatur.

o Summis. Exc.
p Conſentiente. Exc.
q De Cath. Eccl. communione profuerunt. Exc.
r Faranitanus. Exc.
* Deeſt Exc.
s Fiducia. Exc.
t Confuſus voluit conv. Exc.
* Deeſt Exc.
u Themiſtio. Exc.
x Impudentes. Exc.

21. Iccircò & veſtri Chriſtiani regni faſtigium ſtudium pietatis aſſumat, quatenus hæc omnibus Dei Eccleſiis, Præſulibus, ſacerdotibus, clericis, & populis, ad laudem Dei, pro veſtri quoque regni ſtabilitate atque ſalute omnium prædicetur: ut Deus omnipotens ab omnibus populis unanimiter glorificetur ac collaudetur. Definitionem proinde ſancti Concilii, & acclamationem reverendiſſimorum Epiſcoporum (quod *Proſphoneticum* dicitur) ad piiſſimum Imperatorem, & edictum clementiſſimi Imperatoris, pro veræ Fidei confeſſione conſtructum, & ubique mandatum, per latorem præſentium Petrum notarium regionarium ſanctę noſtræ Eccleſiæ illuc providimus deſtinare; ut in eadem ſacrę Synodi definitione, tanquam pro ſpiritualibus filiis Patres, omnes veſtri religioſiſſimi regni Eccleſiarum Antiſtites, juxta tenorem à nobis illuc deſtinatum, ſubſcriptiones ſuas, ſicut in libro vitæ, per ſuæ confeſſionis ſignaculum adſcribendus unuſquiſque ſubjungat: ut pax & concordia in Eccleſiis Dei veſtri ſublimis regni temporibus Deo concedente veſtraque Chriſtianitate favente crebreſcat & maneat: ut qui veſtrum culmen regnare diſpoſuit ſuæ Fidei ſtabilitate ſubnixum, concedat per plurima tempora proſperè ac ſibi placitè commiſſum populum [y] diſpenſari. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

y Diſpēſare. Exc.

EPISTOLA BENEDICTI II.

AD

PETRUM NOTARIUM REGIONARIUM.

Monet illum, ut Acta ſynodalia VI. Concilii (quorum gratiâ à Leone II. in Hiſpanias miſſus erat) Epiſcoporum Hiſpaniæ ſubſcriptione muniri curet.

Benedictus presbyter, & in Dei nomine electus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Petro notario regionario.

22. JUXTA quod tuam ſtrenuitatem Apoſtolicæ memoriæ domious Leo Papa Hiſpaniam proviociam ire diſpoſuit ad præcellentiſſimum & Chriſtianiſſimum Regem, & ſanctiſſimos Archiepiſcopos, & Eccleſiarum omnium Præſules ibidem conſtitutos, ſimul & glorioſum Comitem, pro a innoteſcendis venerabilis Sextæ Synodi definitione, acclamatione quoque, quæ & a *Proſphoneticus* dicitur, reverendiſſimorum Epiſcoporum, qui in eodem à Deo congregato Concilio convenerunt, ad clemeotiſſimum Principem, edicto b ejuſdem piiſſimi Principis ubique generaliter deſtinato, pro Apoſtolicæ noſtræ Fidei firmitate cum ſummo pietatis ſtudio commiſſum miniſterium perage.

a Innoteſcenda. Exc.
a Proſphonetici. Exc.
b Ex edicto. Exc.

23. Subſcriptiones quoque reverendiſſimorum Epiſcoporum poſt eandem ſynodicam diffinitionem cum ſumma ſedulitate atque vigilantia procura ſubjungi, ut & iidem reverendiſſimi Epiſcopi, omniſque per eos religioſa provincia, conſortes nobiſcum Catholicæ atque Apoſtolicæ traditionis & Fidei comprobentur, & apud Deum, ad cujus gloriam laus & ſtabilitas Fidei Chriſtianæ redigitur, commendatio eis atque ſuſceptio ad ſalutem animarum proveniat. Officium c proinde pietatis aſſumptum vigilantiâ atque ſolertiâ condecorans, feſtina perficere: quia & tibimet ipſi theſaurizas boni operis fructum, & ſuſcipientibus provides cœleſtis regni beatitudinem per rectæ atque Apoſtolicæ Fidei confeſſionem adipiſci.

c Perinde. Exc.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM XIV.

XVII. EPISCOPORUM.

Erâ DCCXXII. anno v. Ervigii Regis, Christi Redemptoris DCLXXXIV. celebratum ſub Benedicto II.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De præmemoratione aggregati Concilii, & relatione principalis edicti, quo juſſum eſt Synodum agitari.*
II. *De initio relationis, quo Concilium cœpit geſtorum ſynodalium & Epiſtolæ Romani Pontificis facere mentionem.*
III. *De adverſitate duplici, quâ non potuit Generale Concilium fieri.*
IV. *De reſponſis partis noſtræ.*
V. *De iterata diſcuſſione præmemorati Concilii.*
VI. *De præmemorati Concilii honore collato.*
VII. *De loco vel ordine, quo jam dictum Concilium collocari oporteat.*
VIII. *Allocutio ad totius compagem Eccleſiæ, de duabus Chriſti naturis inſeparabilibus & perfectis.*
IX. *De duarum naturarum Chriſti voluntatibus & operibus.*
X. *De hæreticorum contentionibus evitandis, & ut non diſcutiantur quæ ſumma ſunt, ſed credantur.*
XI. *De communi omnium judicio, quo reſponſa partis noſtræ firmata ſunt.*
XII. *De relatione gratiarum ad Deum pro peracto Concilio.*

CAPITULA.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SANCTI SPIRITUS.

Incipiunt geſta ſynodalia, quæ acta ſunt à Præſulibus Carthaginis provinciæ, aſſiſtentibus etiam vicariis.

I.

1. CUM ſereniſſimus & perſpicuus princeps Ervigius, glorioſus amator veræ Fidei, immo amabilis filius Eccleſiæ Chriſti, promiſſionis ſuæ non immemor, ob confutandum Apollinaris dogma peſtiferum, de quo ſibi à Romano Præſule fuerat nunciatum, ſtrenuo & invicto ſuæ celſitudinis juſſu nos omnes præciperet aggregari in unum, hoc dedit ſpeciale edictum, ut quia ſicut oportebat, pro tantæ rei negotio pertractando Generale Concilium fieri varia adverſitatum incurſio non ſineret, ſaltem adunata per provincias Concilia fierent: & ſiquidem hic primùm à nobis in urbe regia Synodus ageretur, deinde in ſingulis quibuſque provinciis ſingulare haberetur Concilium: quo quicquid hîc actum per Toletanam Synodum, reliqui primarum ſedium Præſules ſuorum vicariorum relatibus comperiſſent, id etiam in poſtmodum ipſi per diſcreta provinciarum ſuarum Concilia obſervarent: ſicque hæc noſtri Concilii geſta eſſent illis omnibus in toto communia; utpote ab ipſis edita, atque ipſis coràm poſitis roborata, quæ utique per legatos ſuos confirmanda decreverant: quo ex hoc unum & indiviſibile fieret cunctorum Hiſpanorum Præſulum per totam Hiſpaniam vel Galliam ſynodale edictum, ex quo omnium Metropolitanorum fuiſſet & aſſenſibus promulgatum. Nos proinde Carthaginis provinciæ Præſules, anno quo ſuprà, ſub die decimo octavo Kalendas Decembris, in præmemorata Eccleſia debitis ordinibus conſidentes, cauſſæ hujus ordinem, & totius rei negotia retexentes, quibus Romanæ Sedis fueramus literis invitati, ſic patula & communi ſumus voce exorſi.

Damnata eſt hæc hæreſis III. Conc. Generali Conſtantinopolitano.

In XIII. Toletano dicitur coactũ in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

II.

2. Clara omnes notio populos Hiſpaniæ implet, quòd decurrentis evoluti temporis ſerie per Romani Præſulis bajulum geſta ſynodalia ſocietati noſtræ advecta ſunt, quibus Conſtantinopolim, Con-

ſtantino pio & religioſo Principe mediante, magnâ & ſublimi copiâ aggregatâ Pontificum, Apollinaris * dogma comperimus fuiſſe deſtructum. Cum quibus etiam geſtis, Leonis * quoque antiquæ Romæ Pontificis invitatorio epiſtolaris gratiæ conſulta ſuſcepimus, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucidè, nt acta ſunt, noſtris ſenſibus patnerunt. In cujus etiam gratioſo Epiſtulæ tractu ad hoc omnes Præſules Hiſpaniæ invitati ſunt, ut prædicta ſynodalia inſtituta, quæ miſerat, noſtri etiam vigoris manetent auctoritate ſuffulta, omnibuſque pet nos ſub regno Hiſpaniæ conſiſtentibus pateſcerent divulganda.

** Idest, Monothelitarum.*
** Leo II. Siculus anno 682. electus in ſummum Pontificem, eodemque, aut ſequenti anno 15. Augusti conſecratus.*

III.

3. Et quæ ſiquidem totius allegationis illatio exhibita nobis eſt, temporis infeſti urgente preſſura, quo non ſolùm tellus omnis hyemali ſtricta gelu, graciali nivium immenſitate duruerat, ſed & tunc, quando ex Generali Concilio nos abſolutos jam eſſe conſtabat. Quo gemino obſiſtentis cauſſæ obice præpediti, generaliter iterato tunc non quivimus aggregari; quos & vicina Concilii abſolutio propriis ſedibus reddiderat imminutos, & procelloſi temporis adverſitas non ſinebat iterum adunari diſperſos.

4. Sed licèt in unum generalitet colligi per idem tempus Hiſpanorum omnium Præſulum ſocietas nequiviſſet; ſparſis tamen ſedibus atque locis, præfatas geſtorum regulas pertractandas ſuſcepimus, ſuſceptas perlegimus, approbantes in his de utrarumque Jeſu Chriſti Filii Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas & operatio prædicatur, recti dogmatis ſenſum, inculpandæ diſputationis edictum, Apoſtolicæ traditionis ſtylum.

IV.

5. Placuit proinde illo tunc tempore, apologeticæ defenſionis noſtræ reſponſis ſatisfacientes Romano Pontifici, ea ipſa geſta firmare, noſtræque Fidei ſenſum porilſima verborum enodatione depromere. Et quia illic de hac gemina voluntate & operatione Jeſu Chriſti Filii Dei copioſè & dilucidè inſigniuntur quæ vera ſunt, quæ jam utique Romanis partibus per legatos Hiſpaniæ deſtinata ſunt; nunc nobis id operis reſtat, ut juxta Canonnm ſpeciale decretum, quo Concilium Generale pro Fidei cauſis aggregari præcipitur, utraqne operum geſta, & ſynodico dirimantur examine, & diſcreta Conciliorum fulciantur auctoritate: quo juxta edictum præmemorati Principis glorioſi, adunato per ſingulas quaſque provincias regni ejus Conciliorum conventu, ſynodica iterum examinatione decocta, vel communi omnium Conciliorum judicio comprobata, per ſingnla Hiſpaniæ provinciarum Concilia præmemorata Synodi geſta, ſeu etiam eadem partis noſtræ reſponſa, omnium notionem attingant, ſalubri etiam divulgatione in agnitionem plebium tranſeant.

V.

6. Communi proinde jam omnium judicio placet, ut quia generaliter in unum omnes Hiſpaniæ Præſules aggregari non quivimus, ſaltem diſcretis provinciis Concilia celebremns: qno prædicta Synodi geſta, vel noſtræ partis reſponſa, & digno probitatis demum decoquantur judicio, & ſynodico laudabili illoſtrentur ſtylo. Ideo nos primùm omnes Carthaginis provinciæ Pontifices pari animorum judicio prædicta geſta cum antiquis Conciliis conferentes, aſſiſtentibus quoque nobis vicariis reverendiſſimorum ſubliminmque primarum ſedium Epiſcoporum, ideſt, Tarraconenſis provinciæ Cypriani, Narbonenſis Sunifredi, Emeritenſis Stephani, Bracarenſis Juliani, Hiſpalenſis Floreſindi, iteratò ea ipſa geſta probavimus, decretis quidem illis ſynodalibus, & præcipnis in omnibus conſona, & Nicænæ quidem, Conſtantinopolitanæ, vel Epheſinæ Fidei concordantia. Chalcedonenſis verò tam eſſe unita, utpote ipſis verbis edita vel libata; quippe quibus ſumpta videtur penè omnis ipſius ſtyli præcurrentis materia.

VI.

7. Et ideo ſupradicti Acta Concilii in tantum à nobis veneranda ſunt, & recipienda conſtabunt, in quantum à præmiſſis Conciliis non diſcedunt; immo in qnantum cum illis concordare videntur. Habebunt ergo ſui ordinis locum, quæ ſublimationis habent & meritum. Unde his Conciliis ea ipſa ſubnectenda decernimus, qnorum & auctoritate fulta probamus.

VII.

8. Poſt Chalcedonenſe igitur Concilium, hæc debito honore, loco, & ordine collocanda ſunt, ut cujus glorioſo themate fulgent, ei & luci & ordinis coaptentur honore.

VIII.

9. At nunc nos, quibus loqui ad cor Jernſalem divinâ voce præcipitur, id nobis deputatum gregem Chriſti munemus, id etiam omnibus ad æternæ vitæ portum feſtinantibus prædicamus; brevi admodum definitione collecta: ut in una enim Chriſti Filii Dei perſona duarum naturarum individuas pruprietates agnoſcant; ſicut indiviſas atque inſeparabiles, ita in confuſas & inconvertibiles permanere; unam deitatis, alteram hominis; nnam quâ ex Deo Patre eſt genitus, alteram quâ ex Maria Virgine generatus.

Iſai. 40.
Vide Epiſtolam Agathonis ad Cæſarem, & Synodum Conſtantinopolitanam III. Act. 4.

10. Utraqne ergo ei generatio plena, utraque perfecta, nihil minus ex deitate habens, nihil imperfectum ex humanitate ſuſcipiens: non naturarum geminatione diviſus, non perſonâ geminatus; ſed plenus Dens, plenuſque homo, abſque omni peccato, in ſingularitate perſonæ unus eſt Chriſtus. Unus igitur in utraque natura conſiſtens, & divinitatis ſignis effulget, & humanitatis paſſionibus ſubjacet. Nec enim alter ex Patre, alter ex matre eſt genitus. Cùm tamen aliter de Patre, aliter de matre ſit natus; ipſe tamen in utroque naturarnm genere non diviſus, ſed unus idemque & Dei & hominis Filius: ipſe vivit moriens, ipſe moritur vivens, ipſe impaſſibilis patiens, ipſe paſſioni non ſubjacens,

nec

nec deitati ſuccumbens, nec humanitate paſſioni ſe ſubtrahens: habens ex deitatis natura non poſſe mori; habens ex humanitatis ſubſtantia, & nolle, * poſſe mori: ex una immortalis habetur, ex altera mortalium conditione reſolvitur: habens in æterna divinitatis voluntate quo ſuſceptum hominem ſumeret; habens in ſuſcepti hominis voluntate, ut humana voluntas Deo ſubdita eſſet. Unde & ipſe dicit ad Patrem: *Pater non mea voluntas, ſed tua fiat.* Alteram, videlicet oſtendens voluntatem, quâ ſuſceptus eſt homo; alteram hominis, quâ obediendum eſt Deo. * Et poſſe. Matth. 26.

IX.

11. Et ideo ſecundùm harum duarum differentiam naturarum, duarum quoque inſeparabilium proprietates prædicandæ ſunt voluntatum & operum.

X.

12. Scientes igitur hanc ſolam eſſe Fidei confeſſionem, quæ vincat infernum, quæ exſuperet Tartarum (de hac enim Fide à Domino dictum eſt: *Porta inferni non prævalebunt adverſus eam.*) ideo omnibus dicimus, omnibus inclamamus, ut caveamus hæreticorum muſcipulas, effugiamus dogmatis canceroſi venena, verbis illis, quibus diſpenſatio humanitatis Chriſti adſtruitur, non nobis inanium quæſtionum tendicula præparemus, quibus inanis gloriæ cupidi diſcutere audeamus quæ ſumma ſunt. Neque enim quæ ſunt divina diſcutienda ſunt, ſed credenda. Non enim ſe Deus diſcutere jubet, ſed credere. Matth. 16.

13. Credamus ergo non ſenſibus noſtris, ſed indubitatis Conciliorum priſcorum dogmatibus jam præmiſſis. Si quis igitur Jeſu Chriſto Dei Filio, ex utero Mariæ Virginis nato, aliquid aut divinitatis imminuit, aut de ſuſcepta humanitate ſubducit, exceptâ ſolâ lege peccati; & non eum verum Deum, hominemque perfectum in una perſona ſubſiſtentem ſinceriſſime credit, anathema ſit.

XI.

14. Illa igitur apologetica defenſionis noſtræ reſponſa, quæ ob iſtorum confirmationem ſunt edita, pro multorum inſtructione, & utilitate Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſimili honoris & reverentiæ vigore firmamus, atque ad vicem decretalium Epiſtolarum ea permanenda ſancimus.

XII.

15. Dantes in his gloriam ſoli Deo omnipotenti vivo & vero, in Trinitate regnanti, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cujus dono mutuis præſentia repræſentati aſpectibus, & fraternis vilibus hilares, & votorum ſpiritualium effecti ſumus opulentiùs efficaces; cujus gloriæ immenſitatem expoſcimus, ut glorioſo Principi noſtro Ervigio Regi, ſub cujus pace pax ſervatur Eccleſiæ, florentis regni diuturnitate temporis ſpatia præbeat: quo poſt hæc præſentia ad regnum futuræ gloriæ nobiſcum conregnandus accedat, præſtante Deo noſtro, cujus regnum manet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Peractum Concilium die Dominico, ſub die XII. Kalendas Decembris, anno quo ſuprà.

Subſcriptiones Epiſcoporum.

1. Julianus urbis regiæ Metropolitanus Epiſcopus.
2. Leander Illicitanæ ſedis Epiſcopus.
3. Palmatius Urcitanæ ſedis Epiſcopus.
4. Recilla Accitanæ Sedis Epiſcopus.
5. Gaudentius Valerienſis ſedis Epiſcopus.
6. Rogatus Beatienſis ſedis Epiſcopus.
7. Deo-datus Segobienſis ſedis Epiſcopus.
8. Antonianus Baſtitanæ ſedis Epiſcopus.
9. Sempronianus Arcavicenſis ſedis Epiſcopus.
10. Ella Segontienſis ſedis Epiſcopus.
11. Gregorius Oretanæ ſedis Epiſcopus.
12. Agricius Complutenſis ſedis Epiſcopus.
13. Proculus Bigaſtrenſis ſedis Epiſcopus.
14. Florus Menteſanæ ſedis Epiſcopus.
15. Sona Oxomenſis ſedis Epiſcopus.
16. Marcianus Dianienſis ſedis Epiſcopus.
17. Olipa Segobrienſis ſedis Epiſcopus.

Abbates.

1. * Aſfalius Dei nutu Abbas hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi. * Aſcalius.
2. Felix Archipresbyter ſimiliter.
3. Gerontius Abbas ſimiliter.
4. Gabriel Abbas ſimiliter.
5. Caſtorius Abbas ſimiliter.
6. Siſebertus Abbas ſimiliter.

Vica-

Vicarii Epiſcoporum.

1. Vitalianus presbyter agens vicem domini mei Cypriani Epiſcopi Eccleſiæ Tarraconenſis, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcripſi.
2. Argebudus Abbas agens vicem domioi mei Cypriani Epiſcopi Eccleſiæ Tarraconenſis ſimiliter.
3. Joannes Abbas agens vicem domini mei Sunifredi Epiſcopi Narbonenſis Eccleſiæ ſimiliter.
4. Valdemarus diaconus vicem agens domini mei Sunifredi Epiſcopi Narbooenſis Eccleſiæ ſimiliter.
5. Maximus Abbas agens vicem domini mei Stephani Emeritenſis Eccleſiæ ſimiliter.
6. Booiba Abbas agens vicem domini mei Liubani Epiſcopi Bracarenſis Eccleſiæ ſimiliter.
7. Reccifuodus Abbas agens vicem domini mei Liubani Epiſcopi Bracarenſis ſimiliter.
8. Gaudentius Abbas agens vicem domini mei Floreſindi Epiſcopi HiſpalenſisEccleſiæ ſimiliter.
9. Gravidius diaconus agens vicem domini mei Concordii Eiſcopi Palentinæ Eccleſiæ ſimiliter.
10. Joannes diaconus, cognomento Iovolatus, agens vicem domini mei Sarmatani Epiſcopi Valentinæ Eccleſiæ ſimiliter.

NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

16. CONCILIUM *Toletanum XIV.*] Congregatum eſt hoc Concilium adverſus hæreſim Monothelitarum Apollinaris, iiſdem ferè temporibus condemnatam in tertia Syoodo Conſtantinopolitaoa, quæ Sexta Generalis eſt, ſub Agathone Pontifice maximo, & Conſtantino quarto Imperatore. Videtur autem Concilium hoc XIV. Toletanum miſtom, ut partim in perſonis Provinciale ſit, partim in auctoritate Nationale: re autem eſt Provinciale, ut conſtat ex primo ejus Canone. Cauſſa hujus Concilii celebrandi fuit, quòd Romanus Pontifex Leo II. ad Flavium Ervigium Regem Hiſpaniæ & Epiſcopos per Epiſtolam miſerat unà cum Legato Acta Concilii VI. Univerſalis, III. Conſtantioopolitaoi, quod aliqoot ante annos à Domno Romano Pontifice convocatum erat, & ſub Agathone ceptum, ſub Leone II. abſolutum & peractum, ad infringendum errorem Conſtantinopolis Patriarchæ, & Antiochiæ, & Alexandriæ, qui cum aliis Apollinaris hæreſim impiè reoovantes, duas in Chriſto Domioo noſtro naturas & voluntates operationeſque pertinaciter negabant. Decrevit autem Romanus Pontifex, ut decreta Generalis Concilii ab Epiſcopis Hiſpaniæ ſynodali auctoritate ſuſciperentur, quemadmodum in hoc Concilio, & in aliis Proviocialibus factum eſt.

17. Scripſit Leo tres Epiſtolas, uoam ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ, alteram Quirico Toletano Aotiſtiti, tertiam Simplicio Comiti, ut curareot de convocatione Concilii, & amplectenda Fide Concilii Conſtantioopolitani. Has Epiſtolas inveoi in Cod. Ms. Cœnobii Sancti Joannis regii Toletani ex familia Frãciſcana pervetuſto, in pelle membranea literis Latinis, quibus mirificè juvatur hujus Concilii intelligentia. Et quamvis Julianus ſubſcribit in Concilio, cum Petrus Regionarius proficiſcebatur in Hiſpaniam, Quiricus erat Præſul Toletanus, poſt quem vitâ functum, Julianus in Cathedra Pontificia ſedit, adhibuitque diligeotiam, ut Coocilium congregaretur. Sunt in eodem Codice aliæ Epiſtolæ Benedicti Papæ ejuſmodi, quæ valdè otiles ſunt ad Concilii intelligentiam.

18. *Subſcriptiones.*] Omnes ferè Epiſcopi, qui XIII. Concilio Toletano interfuerunt, in hoc Provinciali XIV. ſubſcribunt, ut Antonius Baſitanæ Eccleſiæ, in XII. & XIII. Toletaoo. Cyprianus Tarraconenſis in XIII. Toletano. Concordius Palentinæ in XII. & XIII. Toletano. Deo-datus Segobienſis in XII. & XIII. Toletano. Ella Segontieoſis in XII. & XIII. Toletano. Fiorus Menteſaoæ in XIII. Tolenano. Floreſindus Hiſpalenſis in XIII. Toletano. Gaudentius Valerieuſis in XII. & XIII. Toletano. Gregorius Oretanæ in XIII. Toletano. Julianus urbis regiæ in XII. & XIII. Toletano. Leander Ilicitanæ in XII. & XIII. Toletaoo. Liuba Bracarenſis in XII. & XIII. Toletano. Martianus Dianienſis, qui Felici io XIII. Toletano ſucceſſit. Olipa Segobrienſis in XIII. Toletano. Palmatius Urcitanæ in XII. & XIII. Toletano. Proculus Bigaſtreoſis in XIII. Toletano. Recilla Accitanæ in XIII. Toletano. Rogatus Beatienſis, qui Primo, in XIII. Toletano. Sempronius Arcaviceoſis in XIII. Toletano. Sona Oxomenſis in XIII. Toletano. Suoifredus Narbonenſis in XIII. Toletano. Stephanus Emeritenſis in XII. & XIII. Toletano. Sarmatanus Valentinæ, qui Sarmata Valentinus, in XIII. Toletano. Hæc de ſubſcriptionibus hujus Concilii.

CONCILIUM TOLETANUM XV.

LXI. EPISCOPORUM,

Anno Domini DCLXXXVIII. tempore Sergii Papæ celebratum.

In nomine Domini Jeſu Chriſti incipit Synodus Toletana XV. ſexaginta unius Epiſcoporum, acta anno primo ſereniſſimi & orthodoxi Egicanis Principis, ſub die V. Iduum Majarum, Erâ DCCXXVI.

1. APUD urbem Toletanam, in Eccleſia Prætorienſi ſanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli, omnes Hiſpaniæ Galliæque Pontifices aggregati, dum cunctis reſidentibus, in aſpectu ſingulorum ſe ſe in alterutrum charitas diffuſa monſtraret, alternisque vocibus relatio gratiarum Deo reddita ſonuiſſet, adfuit idem ſereniſſimus Egica Princeps, placida devotionis arce ſublimis, & ſtrenuâ culminis reclinatione laudabilis, quique in medio Pontificum poſitus, humoque proſtratus, ſacerdotum Dei ſe commendat orationibus. Deinde ſurgens, & ſufficienti exhortatione Concilium alloquens, innexa tomo ſui culminis vota Dei ſacerdotibus tradidit relegenda.

2. Ecce, inquiens, beatiſſimi Patres, omne quod loqui me vobis aut circumlocutio oneroſa cohibuit, aut communis ſermo forſitan explicare non ſinit, hîc brevi ſtylo complicui, hîc liquida renotationis inſinuatione conjeci: his, quæſo, attendite, hæc pertractate, his deliberationis ferte inconvulſibilem ſanctionem. Tunc nos oblatum à Rege tomum ſuſcepimus, & dantes Deo gloriam, eidem Principi benediximus: quo diſcedente hæc jam dicti tomi complicatione reperimus.

In nomine Domini Flavius Rex reverendiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

3. ECCE ſublimi Patres, & cœleſti jure honorandi mihi Pontifices, [a] ſpecioſi veſtri ordinis adiens cœtum, illâ plus efferor potentiâ gaudiorum, quo in medio veſtri poſitum non ambigo Dominum Jeſum Chriſtum: ejus quippe ſermonibus Fidem accommodans, quibus ait: *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ero in medio eorum*; tantâ ſpei hujus fiduciâ feror, ut quicquid veſtrâ fuerit ſententiâ cautum, nonniſi eo dictante credam exorſum. Non ergo pudebit me illic cordis pandere ſinum, ex quo ubertim manant rivuli ſanitatum. Attendite jam jamque unde cor ſerenitatis noſtræ exæſtuet, vel quibus ex cauſſis mœſti pectoris anguſtetur dolore.

[a] Specioſum.

Matth. 18.

4. Illud mihi primo in loco dicendum occurrit, quòd divi patris noſtri & [b] ſoceri regale ſortientes faſtigium, gemino me ſentio juramenti rete implicitum: ita ut ſi unum ex his obſervantiæ cautela conſervem, ex alio nihilominus in perjurii crimen videar recidiſſe. Egit enim idem divus prædeceſſor noſter Ervigius Princeps, inter cætera quibus me incauto & inevitabili [c] conditionum ſacramento aſtrinxit, cùm adhuc mihi glorioſam filiam ſuam conjungendam eligeret, ut omnimoda ſacramenti me taxatione conſtringeret, quo pro omni negotio filiorum ſuorum ita me ipſum opponendo ſollicitus eſſem, qualiter eorum cauſſæ ad victoriam pervenirent, & quicquid me pro quibuslibet cauſſis imperâſſet, in omnibus juſſa ejus implerem. Hæc, inquam, jam dicto Principi ſub juramenti cautione promittens, aliud è contrà me tempore mortis ſuæ impegit, aliud agere impulit; ſcilicet, ut non antè regnum adirem, niſi primùm ſtrictis me juramentorum vinculis alligarem, ut juſtitiam commiſſis populis non negarem. Acta ſunt iſta, & ſpecialibus conditionum probantur nexibus illigata.

[b] *Egica Rex fuit filius Regis, & non nepos Wambæ regis: ejus uxor Cixilo fuit filia Ervigii Regis. Forte fuit ſurus Wambæ; nam de patre & ſocero dicit,* regale ſortientes faſtigium.

[c] Cordi bonum Sacramentum adſ.

5. Quarum etiam duarum conditionum inevitabilem & ſibi contrariam ſeriem, & illarum, quas ob protectionem filiorum ſuorum mihi exegit, & iſtarum, quas ob præelectionem regni mei exigendas inſtituit, paternitatis veſtræ pertractandas conſultibus deſtinavi; petens, ut & benedictionibus veſtris regno confirmatus inhæream, & ſanctionis veſtræ regulis viam, qua diſcreto calle perjurii gradiar, informatus agnoſcam. Non enim potero perjurii effugere notam, ſi aut jam dicti Principis contra juſtitiam defendendo prolem non reddidero populis veritatem, aut propter veritatem populorum zelans negotia, erga filios promiſſionis meæ non implevero vota.

6. Additur ſuper hoc (ut fertur) preſſurarum ejus in pleroſqne acerbitas, quos indebitè rebns & honore privavit: quos de nobili ſtatu in ſervitu
rem ſui juris implicuit, quos tormentis ſubegit, quos etiam violentis judiciis preſſit, pro quibus omnibus hæc adhuc inſuper vox in querimoniam venit, quòd omnem populum regni ſui ob tuitionem filiorum ſuorum jurare compulerit, & ex hoc cunctis quaſi aditum reclamandi obſtruxerit. His omnibus preſſurarum vocibus tabido anxieratis ſtrepitu occupatus, cupiens periclitationis hujus elaqueari periculo, fiduciâ illâ quâ vobis vicinum eſſe Deum non ambigo, veſtris hæc pertractanda ſenſibus, veſtriſque judiciis dirimenda committo. Nam & cæteras cauſſarum voces, reliquaſque jurgantium actiones, quæ veſtro ſe cœtui dirimendæ ingeſſerint, veſtris opto judiciis conſopiri: conteſtantes generaliter omnes, & vos ſacroſanctos cœleſti jure Pontifices, & vos regalis aulæ viros nobiles & illuſtres, per ineffabile illud ſanctæ Trinitatis ſacramentum, & per Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguinem pretioſum, ac diem futuri judicii pertremendum, ut in his omnibus commemoratis negotiorum capitulis, repulſa omni acceptione muneris vel favoris, fideli conſcientiæ oculo intendatis: quo in elucubrandis vocibus & negotiis univerſis ita operam detis, ne à juſtitiæ tramite ullo modo decidatis: ut dum inflexibili æquitatis culmine judicia veſtra ſeſe in conſpectu Domini placitura direxerint, & mihi de admonitione lucrum, & vobis pro æmulatione juſtorum judiciorum proveniat gaudium exoptatum. Datum ſub die [d] agnita.

[d] V. Iduum Majarum.

7. Igitur hujus tomi ſerie perlecta, primùm nobis ille ordine conſequenti occurrit, quo primitias noſtri ſpiritus Domino conſecrantes, collationis noſtræ primordia à ſanctæ Fidei ſoliditate inciperent ordienda. Sanctam igitur, & definitam à Patribns Fidem pia confeſſione fatentes, ſicut eam Nicæna Synodus ſanxit, Conſtantinopolitana Patrum aggregatio edidit, vel Epheſini cœtus Cyrillo præſidente traditio protulit, atque etiam Chalcedonenſe Concilium declaravit; ſic etiam eam tremendam omnibus prædicamus: ſicut & per traditum à Patribus Symbolum profitemur ac dicimus.

Hæc idem Symbolum eſt in XII. Concil. & XIII. Toletanis, & habetur ad verbum in Miſſali Mozarab. ſive Iſidoriano.

8. Credimus iu unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium conditorem: & in nnum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum ex Deo; lumen ex lumine; Denm verum ex Deo vero; natum, non factum; homoûſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & quæ in terra: qni propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine homo factus; paſſus ſub Pontio Pilato; ſepultus, tertia die reſurrexit; aſcendit in cœlos; ſedet ad dexteram Patris: iterum venturus in gloria judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum, & vivificatorem; ex Patre & Filio procedentem; cum Patre & Filio adorandum & glorificandum: qui locutus eſt per Prophetas; in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unom baptiſma in remiſſionem peccatorum; exſpectamus reſurrectionem mortuorum, vitam [e] venturi ſæculi. Amen.

[e] Futuri.

9. Poſt hujus igitur piæ confeſſionis prolatam devotis vocibus regulam, ad illa nos illicò convertimus contuenda capitula, pro quibus muniendis ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus nos literarum ſuarum ſignificatione monnerat. Quæ tamen non in ſcriptis ſuis annotare curavit, ſed homini noſtro verbo renotanda injunxit; ad quod illi jam eodem anno ſufficienter congrueque reſponſum eſt. Nos tamen nunc eandem renotationem hominis noſtri ſtudioſiùs relegentes, invenimus, quòd in libro illo reſponſionis Fidei noſtræ, quem per Petrum regionarium Romanæ Eccleſiæ miſeramus, id primum capitulum jam dicto Papæ incautè viſum fuiſſet à nobis poſitum, ubi nos ſecundum divinam [f] eſſentiam diximus: *Voluntas genuit voluntatem, ſicut & ſapientia ſapientiam.* quod vir ille incurioſa lectionis tranſcurſione præteriens, exiſtimavit hæc ipſa nomina, ideſt relativum, aut ſecundum comparationem humanæ mentis nos poſuiſſe. Et ideo [g] ipſa renotatione ſua ita nos admonere juſſus eſt, dicens: Naturali ordine cognoſcimus, quia verbum ex mente originem ducit; ſicut ratio & voluntas: & converti non poſſunt, ut dicatur: quia ſicut verbum & voluntas de mente procedit, ita & mens de verbo aut voluntate: & ex iſta comparatione viſum eſt Romano Pontifici voluntatem ex voluntate non poſſe dici. Nos autem non ſecundùm hanc comparationem humanæ mentis, nec ſecundum relativum, ſed ſecundum eſſentiam diximus: Voluntas ex voluntate, ſicut & ſapientia ex ſapientia: hoc enim ex Deo eſſe, quod velle; hoc velle, quod ſapere. Quod tamen de homine dici non poteſt. Aliud quippè eſt in homine id quod eſt ſine velle, & aliud velle etiam ſine ſapere. In Deo autem non eſt ita, quia ſimplex ita natura eſt; & ideo hoc eſt illi eſſe quod velle, quod ſapere. Quapropter qui poteſt capere voluntatem ex voluntate ſecundùm eſſentiam nos dixiſſe, non de hujuſmodi laborabit propoſita quæſtione: qnòd etiam in jam dicto reſponſionis & Fidei noſtræ opuſculo ſolicitè legentibus & intelligentibus claret. Ubi & appoſita illic beati Athanaſii ſententia id ipſum nos debere ſentire pronunciat, dicens: *Hanc de Deo religioſæ opinationis ſententiam retinemus, ut non aliud ejus voluntatem, aliud credamus eſſe naturam.* Si enim ſecundùm quod hic doctor dicit, id debemus ſentire, ut non aliud Dei voluntatem, aliud credamus ejus eſſe naturam; hoc ergo eſt ejus voluntas quod & natura, hoc natura quod ſubſtantia vel eſſentia.

[f] Exiſtentiam.

[g] In ipſa.

10. Filius igitur Dei de eſſentia Patris natus eſt, eſſentia de eſſentia, ſicut natura de natura, & ſubſtantia de ſubſtantia: & tamen nec duæ eſſentiæ, nec duæ naturæ, nec duæ ſubſtantiæ poſſunt dici, ſed una eſſentia, natura, atque ſubſtantia: ſicut & lumen de lumine, non duo lumina, ſed unum lumen; ſicut eſſentia de eſſentia, non duæ eſſentiæ, ſed una eſſentia; ſicut natura de natura, non duæ naturæ, ſed una natura: ſic & voluntas de voluntate, non duæ voluntates, ſed una voluntas: quia non eſt aliud Dei voluntas, aliud ejus natura, qnod jam ſuperiùs Athanaſio doctore firmatum eſt. Ac proinde

quic-

quicquid de Deo ſecundum eſſentiam dicitur, communiter in ſingulis perſonis convenire videtur, ſicut ſapientia & fortitudo, vel cætera: quia & Pater ſapientia, & Filius ſapientia poteſt dici. Furtitudo quoque & Pater poteſt & Filios appellari. Quod ſecundùm illam comparationem humanæ mentis nullo modo poteſt dici, quia, verbi gratiâ, mens ſi in perſona Patris ponatur, Verbum jam [h] ex mente prodiens, Filius intelligitur, & voluntas procedens ex mente & verbo ſpiritus ſignificatur. Nec tamen recurrit, ut poſſit dici, ut aut mens, quæ in ſignificatione Patris eſt poſita, Filio, vel Spiritui ſancto conveniat, aut Verbum, quod ſolùm Filius intelligitur, Patri, vel Spiritui ſancto comparetur; aut voluntas, quæ in perſona Spiritûs ſancti accipitur, aut Patris, aut Filii perſonæ convenire dicatur: ſed ſic ſingula ſingulis, ſecundùm comparationem humanæ mentis, conveniunt, ut unumquodque, quod ex eis unus dicitur, alius penitùs non dicatur: ſicut & relativo vocabulo Pater nominatus, non eſt ipſe qui Filius: vel Filius quum dicitur, non eſt ipſe qui Spiritus ſanctus: nec Spiritus ſanctus ipſe eſt qui Pater aut Filius. Ac per hoc illa nomina, quæ comparativè ex homine aſſumuntur, ideo ſecundum comparationem humanæ mentis dicuntur, ut quoquo modo ad contuendum illud divinæ Trinitatis ineffabile ſacramentum humana infirmitas excitetur.

h Quaſi ex.

11. Secundum hanc igitur comparationem putati ſumus dixiſſe: Voluntas ex voluntate, quod utique dici vel ſentiri abſurdiſſimum eſt. Ac proinde longè alia eſt regula, quâ de Deo aliquid ſecundùm eſſentiam dicitur: aliud cùm ſecundùm comparationem humanæ mentis aliquid de illo pronunciatur. Nos proinde conſentientes, & ſequentes Doctoris egregii Auguſtini ſententiam, diximus ſecundùm divinæ Trinitatis eſſentiam: voluntas de voluntate, ſicut & ipſe in quintodecimo libro Trinitatis Dei pronunciat, ita dicens: *Melius, quantum exiſtimo, dicitur conſilium de conſilio, & voluntas de voluntate; ſicut ſubſtantia de ſubſtantia, ſapientia de ſapientia.* Hîc jam quiſquis ſapiens manifeſtè intelligit, non nos hîc erràſſe, ſed illos forſitan incurioſæ lectionis intuitu fefelliſſe: quia quod à nobis eſt ſecundùm eſſentiam dictum, illi ſecundùm comparationem humanæ mentis poſitum putaverunt.

Cap. 22. & affert. Magiſter Sentent. lib. 1. diſt. 5.

12. Ad ſecundum quoque retractandum capitulum tranſeuntes, quo idem Papa incautè nos dixiſſe putavit, tres ſubſtantias in Chriſto Dei Filio profiteri; ſicut nos non pudebit quæ ſunt vera defendere, ita forſitan quoſdam pudebit quæ vera ſunt ignorare. Quis enim neſciat unumquemque hominem duabus conſtare ſubſtantiis, animæ ſcilicet & corporis? De quibus Apoſtolus ſpecialiter loquitur, dicens: *Et ſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem.* Sicut & ille ſitiens Deum clamabat in Pſalmo: *Sitivit in te* (inquit) *anima mea, quàm multipliciter & caro mea.* Nec non & alia multa, quæ hominem duabus ſubſtantiis conſtare pronunciant.

Secundi hujus capitulus eſt in Cod. alio, de tribus ſubſtantiis in Chriſto manentibus. D. Juliani aſſertio manifeſta.
2. Corinth. 4.
Pſalm. 62.

13. Contra quam regulam invenimus item in Scripturis, aut carne plerumque nominata, totum hominem poſſe intelligi, aut animâ ſolâ interdum nominatâ, totius hominis perfectionem agnoſci. Quapropter natura divina humanæ ſociata naturæ, poſſunt & tres propriæ, & duæ propriæ appellari ſubſtantiæ. Sed aliud eſt cùm per proprietatem totus homo exprimitur, aliud cùm à parte totus intelligitur. Eſt enim quidam modus locutionis, qui frequenter in Scripturis divinis poſitus invenitur, quo ſignificatur à parte totum: hic etiam tropus apud Grammaticos ſynecdoche dicitur. Scribitur enim in libro Geneſis ſecundum iſtam tropicam locutionem ſignificantem à parte totum: *Factus eſt homo in animam viventem.* Cùm homo non ſolùm ex anima, ſed ex carne conſtet. Item ſimiliter à parte totum, ubi omiſsâ ſubſtantiâ animæ, ſola carnis ſubſtantia nominatur: ſicut in Pſalmo ſcribitur: *Ad te omnis caro veniet.* Cùm omnis homo non ſolùm ex carne, ſed ex anima conſtet; & tamen ſolâ carne nominata, totus homo intelligitur: ſicut & ſolâ animâ nominatâ totus homo accipitur. Nam in Exodo volens ſimiliter Scriptura hominem à parte totum intelligi, ſic dicit: *Septuaginta animæ ingreſſæ ſunt cum Jacobo in Ægyptum.* Cùm ipſæ ſeptuaginta animæ non ſine ſuis corporibus illic ingreſſæ fuiſſent. Ex carnis quoque nomine totum hominem intelligi voluit qui dixit: *Et in carne mea videbo Deum.* Cùm non ſine animabus ſuis reſurgenda ſint corpora.

4. Regula Tichonii, quam affert Auguſt. De doctrina Chriſtiana. Et Iſid. lib. 1. Sentet. cap. 25.
Geneſ. 2.
Pſalm. 64.
Exod. 1.
Job. 9.

14. Ecce per conſuetudinem Scripturæ ſacræ probavimus, & propriè hominem ipſis quibus conſtat, ſubſtantiis appellari, & tropicè à parte totum hominem poſſe intelligi. Si quæras culpam, nec ille erràſſe dicendus eſt, qui hominem à parte totum nominavit; nec iſte culpandus eſt, qui totũ hominem carne & animâ nominatâ expreſſit: quia utrumque inculpabiliter dici Scriptura divina convincit. Et tamen cùm jam probatum teneamus, nec illam, nec iſtam partem eſſe culpandam; quærendum eſt quæ pars plus poſſit eſſe ad totum hominem intelligendum facilior, atque etiam repulſa omni obſcuritate lucidior: utrum ea quæ ſolùm carnem nominans, & animam tacitè ibi vult intelligi; an ea quæ & animam & carnem exprimens totum dicit.

15. Quod ut manifeſtiùs innoteſcat, quædam exempla ponenda ſunt. Ecce juxta ſuperiorem tropicæ locutionis modum, qui ſynecdoche dicitur, quo aut pars à toto, aut totum à parte intelligitur, ſcriptum invenimus de flagellatione Ægypti in Pſalmis: *Immiſit in eis muſcam caninam.* Necnon & illud: *Dixit, & venit locuſta & bruchus.* Volens Scriptura iſto genere locutionis non ſingularitatem, ſed pluralitatem muſcarum & locuſtarum intelligi. Non enim [i] muſca & locuſta, ſed multitudo muſcarum & locuſtarum repleverunt Ægyptum. At nunc ſi aliquis noſtrorum modò dicat: Miſit Deus in Ægyptum muſcas, & locuſtas, & bruchos, pluralem numerum proferens, quod & utique verum eſt, numquid in parte iſta, quæ pluralitatem confitetur, poteſt calumnia cadere; ut dicatur non eſſe verum, quod utique verum eſt, de multitudine locuſtarum quæ repleverunt Ægyptum? Tale quippe illud eſt, ubi populus ad Moyſen clamavit dicens: *Ora ad Dominum, ut auferat à nobis ſerpentem*; cùm non unius ſerpentis, ſed multorum ſerpentum moleſtias ille populus pateretur. Hoc etiam more &

Pſal. 105.
Pſal. 77.
i Una & locuſta.
Num. 21.

Rom. 3. Apoſtolus loquitur in illo loco ubi ait: *Quoniam ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Ac ſi
diceret, omnis homo; à parte carnis totum hominem intelligi volens. Sic ergo & de Domino noſtro
Joan. 1. Jeſu Chriſto, cùm ſcriptum ſit de illo in Evangelio: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*;
caro ſola eſt nominata, ut illic tacitè intelligeretur & anima; ſecundum ſupradictum locutionis modum, quo homo à parte totus accipitur. Quæ locutionis regula plerumque & à Patribus eſt ſervata.

16. Sic enim ex hoc beatus Cyrillus in libro qui vocatur *Scholia*, dicit: *Quomodo igitur Verbum caro ſit factum, videre neceſſa eſt. Primùm quidem divina Scriptura carnem plerumque nominat, & quaſi ex parte animalis totius ſignificationem facit: necnon etiam à ſola anima interdum tantundem*
Luc. 3. *agit. Scriptum eſt enim, quod* videbit omnis caro ſalutare Dei. *Et ipſe divinus Paulus*: Non con-
Galat. 1. ſenſi (*inquit*) carni & ſanguini. *Allocutus eſt autem eos qui ſunt ex Iſraël Pontifex Moyſes*: In ſe-
Deuter. 10. ptuaginta quinque animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum. *Sed non iccirco dixeris, quòd nuda & ſine carne animæ in Ægyptum deſcenderunt: nec porrò, quòd inanibus corporibus, & ſolis carnibus ſalutare ſuum Deus indulſerit. Quoties igitur audimus carnem factum eſſe Verbum, hominem intelligitur ex anima & corpore factum.*

Quæſt. 20. 17. Item & S. Auguſtinus in libro Quæſtionum contra Apollinariſtas ſic dicit: *Si ubicumque caro*
k Ibi eſſe. *fuerit nominata, & anima tacita, ſic intelligendum eſt, ut anima ibi* [k] *non eſſe credatur, nec illi habebant*
Luc. 3. *animam, de quibus dictum eſt*: Et videbit omnis caro ſalutare Dei. *Et illud in pſalmo*: Exaudi pre-
Pſal. 64. ces meas, ad te omnis caro veniet. *Et illud in Evangelio*: Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut
Joan. 17. l Det eis vitam. omne quod dediſti ei non pereat, ſed habeat [l] vitam æternam. *Unde & intelligitur ſolere homines per nominationem ſolius carnis ſignificari; ut ſecundum hanc locutionem etiam illud poſſit intelligi, ut quod*
Joan. 1. *dictum eſt*: Verbum caro factum eſt; *nihil dictum ſit, niſi, Verbum homo factum eſt. Sicut enim à par-*
Geneſ. 46. Exod. 1. *te totum plerumque, nominatâ ſolâ animâ, homo intelligitur* (*ſicut eſt illud*: tot animæ deſcenderunt
Deut. 10. m Caro. in Ægyptum) *ſic rurſus à parte totum, etiam nominata ſola* [m] *carne, homo intelligitur.*

Joan. 1. 18. Item ipſe in libro *Enchiridion* dicit: Verbum caro factum eſt; *à divinitate carne ſuſcepta: non*
Rom. 3. *in carnem divinitate mutata: carnem quippe hic hominem debemus accipere; à parte totum ſignificante locutione, ſicut dictum eſt*: Quoniam ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro; *id eſt, omnis ho-*
n Quapropter. o Ex ſcripturarũ. *mo.* [n] Qualiter [o] hæc eſt Patrum plena, Scripturarum more, libata ſententia; ut cùm à parte totum una quælibet hominis aſſumpti in Chriſto ſubſtantia nominatur, illic ſtatim & altera intelligatur. Nam ſi una ſecundum hunc tropum taceatur, & alia dicatur, duæ tamen nihilominus intelliguntur. Nemo ergo jam dicat, cùm audit totum hominem à parte poſſe intelligi, non debere tres in Chriſto ſubſtantias profiteri, cùm iſto genere locutionis aliud ex altero cogatur intelligi. Nihil ergo diverſitatis eſt, ſive tropicè una, ſive propriè gemina hominis nominata ſubſtantia; cùm utraque locutio hominem à Deo aſſumptum, nonniſi in duabus ſubſtantiis nos intelligere & confiteri permittat. Ac per hoc tres in Chri-
p Hanc rationem. ſto ſubſtantias profiteri ille non dubitabit, qui [p] hac ratione plena cognitione didicerit. Cæterùm ubi non tropicè, ſed propriè hi Patres hominem totum à Chriſto ſuſceptum eſſe fatentur, ſic in ſuis tractatibus poſuerunt.

19. Beatus enim Cyrillus in ſuperiori libro, qui vocatur *Scholia*, dicit, ubi veritatem trium ſubſtantiarum Chriſti figura veteris teſtimonii apertè convincit. Sic enim ait: *Quod adunato Deo verbo verè humanitati, inconfuſa tamen ſubſtantia permanſerunt, erectum eſt ſecundùm Dei voluntatem ſanctum tabernaculum per deſertum, & in eo multis modis formabatur Emmanuel. Ait igitur Deus omni-*
Exod. 25. *potens ad divinum Moyſen*: Et facies arcam teſtimonii ex lignis imputribilibus, duorum cubitorum & dimidii longitudinem, & cubiti & dimidii latitudinem, & cubiti & dimidii altitudinem, & inaurabis eam auro puro; extrà & intrà inaurabis eam. *Sed lignum quidem imputribile ſit figura corporis incorrupti (imputribilis enim cedrus) aurum verò, quaſi materies aliis pretioſior, divina nobis indicat ſubſtantiæ majeſtatem. Attendite igitur, cùm arca tota inaurata ſit auro puro extrà & intrà, adunatum quidem fuerit ſanctæ carni Deus Verbum: & id eſt (ut opinor) arcam fuiſſe extrà inauratam. Quòd verè animam rationalem, quæ corpori inerat, propriam fecerit, ex hoc apparet, quod & intrà præceperit inaurari. Quòd autem natura ſive ſubſtantiæ inconfuſæ manſerunt, hinc ſcimus; aurum enim ſuperpoſitum ligno manſit id quod erat; & ornabatur quidem lignum auri decore, tamen lignum eſſe non deſiit.*

20. Item S. Auguſtinus in libro Trinitatis Dei idipſum exprimens dicit: *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantiis fieret una perſona, ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima, & carne.* Hæc igitur ſanctis Patribus nos docentibus, & utramque locutionis regulam nobis inſinuantibus, videant jam tandem & ſentiant qui ſine favore Patrum judicant, quæ pars plus poteſt eſſe tutiſſima, licèt in neutram partem poſſit cadere culpa: utrumne illa quæ in Chriſto Dei Filio unam Verbi, alteram hominis à parte totum ſubſtantiam profitetur; an iſta quæ propriè totum hominem in duabus ſubſtantiis Verbo Dei adunatum fuiſſe fatetur. In illa enim parte, quæ à parte totum hominem intelligi volet, poteſt hæreticorum dolus latere, ut unamquamlibet ex his ſubſtantiam nominans, aliam ſupprimat, ſicque quod ore non profitetur, nec corde confiteatur, ſicut Apollinaris qui negat Dominum Jeſum humanam animam habuiſſe, vel Manichæus negans in Chriſto aſſumpti corporis veritatem: in hac verò noſtra profeſſione, ubi præmiſsâ Verbi ſubſtantiâ, ſpecialiter duas hominis in una Chriſti perſona ſubſtantias profitemur, nullus poteſt accidere vel ſuſpicari fraudulentiæ dolos, quando evidenter in Deo aſſumptus prædicetur homo totus. Tutior ergo pars eſt quæ totum dicit, quàm quæ
q Formatur. aliquid ſupprimit: & plus claret quod propriè dicitur, quàm quod arcta tropicè locutione [q] firmatur. Sed fortè nos ſoli hoc dicimus, quod majorum ſententiâ non probamus.

21. Ju-

21. Judicem jam ergo Auguſtinum (ſi complacet) advocemus, ut quam partem contra hæreticos munitiorem eſſe pronunciet, audiamus. Sic enim in tractatu *Symboli* dicit: *Temporali diſpenſationi Dominicæ multis modis inſidiantur hæretici: ſed quiſquis tenuerit Catholicam Fidem, ut totum hominem credat à Verbo Dei eſſe ſuſceptum, ideſt, corpus, animam, & ſpiritum, ſatis contra illos munitus eſt.* Ecce ſpirituales ſpiritualiter utraque conſideramus, judicium protulit, ſententiam fixit, munitiorem & tutiorem partem illam eſſe pronuncians, quæ contra hæreticos totum hominem à Verbo Dei ſuſceptum in duabus ſubſtantiis, carnis animæque defenderit.

22. Sed fortè aliquis dicat, jam hîc tria quædam hominis nominata, ideſt, corpus, anima, & ſpiritus. Tria quidem dicuntur, ſed duo ſunt: ſicut ab eodem doctore in prædicto *Symboli* tractatu convincitur. *Tria ſunt* (ait) *quibus homo conſtat, ſpiritus, anima, & corpus, quæ rurſus duo dicuntur: quia ſæpè anima ſimul cum ſpiritu nominatur: pars enim quædam ejuſdem rationalis, quâ carent beſtiæ, ſpiritus dicitur.* Quod etiam in Epiſtola ad Petrum dilucida manifeſtatione [r], exſequitur, quod ſpiritus & anima utrumque ſint unum, & unius eſſe ſubſtantiæ ſentiantur. Dicit enim, duo quædam eſſe animam & ſpiritum, ſecundum id quod ſcriptum eſt: *Abſolviſti à ſpiritu meo animam meam.* Et utramque ad naturam hominis pertinere, ut totus homo ſit ſpiritus, anima, & corpus, ſed aliquando duo iſta ſimul nomine nuncupari animæ, quale eſt illud: *Et factus eſt homo in animam viventem*; ubi quippe & ſpiritus intelligitur. Itemque aliquando utrumque nomine Spiritûs dici, ſicuti eſt: *& inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ubi & anima neceſſe eſt intelligatur, & utrumque unum, & unius eſſe ſubſtantiæ: [s] ac per hoc anima & ſpiritus, & anima & corpus, duæ ſpeciales hominis ſubſtantiæ ſunt, quæ & diverſæ dicuntur.

Iſidor. lib. 1. Diff. cap. 26. diſcrimen ponit inter ſpiritum & animam.
r Aſſequitur.
Gen. 2.
Joan. 19.
s Ac non anima.

23. Nos proinde in jam dicto Fidei noſtræ Opuſculo Apollinariſtarum hæreſi reſpondentes, tres in Chriſto ſubſtantias diximus, quod & majores noſtros docuiſſe monſtravimus; honorantes videlicet & ſequentes ſententiam doctoris egregii Hiſpalenſis ſedis Epiſcopi, quam in libris ſuis *De differentia naturæ Chriſti vel noſtra* diſſeruit, ubi ait: *Nos ex duabus ſubſiſtimus ſubſtantiis, corporis videlicet atque animæ: ille ex tribus, Verbi, corporis, atque animæ: inde eſt, quòd perfectus homo, perfectus prædicatur & Deus.* Hæc igitur perpauca de Patribus exempla libavimus, ut in brevi ea quæ competunt monſtraremus. Cæterùm qui hæc adhuc intentiùs legendo quæſierit, plurima colligere poterit.

Iſidor. lib. Diff. 1. cap. 6.

24. Jam verò ſi impudoratâ quis fronte, ne his Patribus cedat, & unde ea libaverint, inſolens ſcrutator exquirat; Evangelicis ſaltim vocibus credat, quibus has tres ſubſtantias ſibi ineſſe Chriſtus pronunciat. Interrogatus enim à Judæis: *Tu quis es?* Reſpondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Ecce habes unam ſubſtantiam deitatis. Reſtant duæ ſubſtantiæ hominis: ut enim veram carnem hominis ſuſcepiſſe monſtraret, palpandum ſe diſcipulis præbuit, dicens: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non [t] habent, ſicut me videtis habere.* Ecce expreſſa eſt ſubſtantia carnis humanæ. Item ut animæ humanæ ſubſtantiam ſuſcepiſſe monſtraret, dicit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem iterum ſumendi eam.*

Joan. 8.
Luc. 24.
t Habet.
Joan. 10.

25. Ecce tres in una Chriſti perſona ſubſtantias inconfusè & inſeparabiliter adunatas, deitatis videlicet atque humanitatis, Evangelicis oraculis approbantes, omnes uno ore fatemur, & præfixâ ſententiâ prædicamus; confitentes videlicet, ſecundum Chalcedonenſe Concilium, eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, perfectum in divinitate, perfectum eundem in humanitate; Deum verum, & hominem verum eundem ex anima rationali & corpore; ſecundùm divinitatem unius cum Patre naturæ; ſecundùm humanitatem unius naturæ nobiſcum; per omnia ſimilem nobis abſque peccato: ante ſæcula quidem ex Patre natum ſecundùm divinitatem; in noviſſimis diebus verò eundem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine, Dei genitrice, ſecundum humanitatem, unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum in duas naturas inconfusè, immutabiliter, indivisè, & inſeparabiliter cognoſcendum, in nullo naturarum differentias, propter unitatem perimendas; magis autem, ſalvâ utriuſque naturæ proprietate, & in una coëunte perſona, unoque ſtatu concurrente, non in duabus perſonis partiendum vel dividendum; ſed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jeſum Chriſtum. Jam verò ſi quis contra hæc ulteriùs non inſtruendum, ſed contrarium ſe huic redditæ rationi præbuerit, damnationem præfati Concilii ſuſtinebit.

Habentur hæc verba in expoſitione Symboli, act. 2. Concilii Chalcedonenſis.

26. Tertium ſanè quartumque capitulum continentes, non ſolùm ſenſum, ſed & ipſa penè verba ex libris beatorum Ambroſii atque Fulgentii nos prælibâſſe monſtravimus, quibus ea prædictos viros dogmatizâſſe ſcimus. Quos quia celebres in toto Orbe doctores feriata Eccleſiarum Dei vota percenſeant, non illis eſt ſuccenſendum, ſed potiùs ſuccumbendum: quia omne quod contra illos ſapitur, à rectæ Fideî regula abhorrere ſentitur. Has ſanè quatuor ſpecialitates capitulorum, quæ ut à nobis ſolida efficerentur, hortati ſunt, quid à quo fuerit doctore prolatum, congeſto in uno reſponſionis noſtræ libro, Catholicorum dogmate Patrum ante hoc biennium parti illi porreximus dignoſcendum. Jam verò ſi poſt hæc, & ab ipſis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata ſunt, in quocumque diſſentiant, non jam cum illis eſt ampliùs contendendum; ſed, majorum directo calle inhærentes veſtigiis, erit per divinum judicium amatoribus veritatis reſponſio noſtra ſublimis, etiam ſi ab ignorantibus æmulis cenſeatur indocilis.

27. His itaque ſuper ſanctæ Fideî profeſſionem [u] explicatis, ad contuendam illarum ſeriem conditionum nos vertimus, quarum [x] nexibus ſe illigatum prædictus Princeps fuerat proteſtatus. Etenim tempore quo divæ memoriæ Ervigius Princeps hunc præſentem dominum noſtrum Egicanem Regem ad copulam filiæ ſuſtinuit, his eum primùm ligaminibus implicavit. Clarâ igitur pronuncian-

u Explicitis.
x Nexibus illigatus prædictus Princeps fuerat.

tis

tis voce, earundem conditionum nobis textu præcognito, invenimus illic tam impoſſibilia vincula quædam juramenta innexa, ut difficulter mens jurantis ab earum illigatione ſit libera: etiamſi eſſet à regni curis & ſolicitudinibus aliena. Quarum textrinii evidens ligatura, inter cætera connexionum capitula, his verbis habebatur expreſſa,

v Levitone.

28. Circa cognatos meos, filios veſtros, quos de glorioſa conjuge veſtra, domina mea v Leubigitone regina progenitos habere videmini, tam charum me amicum in ſincera mentis dilectione, ſine fraudulenta calliditate exhibere & eſſe polliceor; & ita cum eis in affectu dulcedinis & charitatis omnibus diebus vitæ meæ vivere ſpondeo, ut nec ipſos, nec partem eorum, pro quibuslibet capitulis, aut ordinibus, vel occaſionibus, quoquolibet tempore inquietari aut ſtimulari debeam. Nec ullum dolorem, ullamque malitiam in corde vel animo meo contra eos amodò, & deinceps quandoque retinebo, aut excogitabo: neque aliquam occaſionem aut argumentum enutribo, per quod, aut præfata ancilla veſtra, ſponſa mea, ſive jam nominati filii veſtri, qui de toties dicta clementiſſima conjuge veſtra, domina mea Leubigitone regina progeniti ſunt, aut in maximum, aut in modicum conturbentur vel ſtimulentur, excepto propter juſtiſſimas cauſſas, unde legalis mihi veritas patuerit; quas ut cum charitatis affectu ad eoſdem cognatos meos quærere debeam, mihi licentiam reſervo, & tam de promptiſſima dilectione & charitate eorum nunquam recedam: nam & pro cauſſis eorum, quas aut ipſi contra quaslibet perſonas habuerint, aut ſi quicumque contra eos pro quibuſdam rebus intenderint, ita uſque quoad vixero in eorundem filiorum veſtrorum adjutorium, cum omni mentis meæ intentione, in quantum valuero, & Deus mihi dederit poſſe, exſurgebo & intendebo, veluti ſi pro cauſſa propria mea: ut nec illi damnum aut perditionem quamcumque ſuſtineant, & negotia eorum cum Dei auxilio, me intendente, agente, & proſequente, celerem ad effectum perveniant.

29. Perlectis igitur his conditionibus, quæ divæ memoriæ Ervigius Princeps præſenti Principi noſtro ob ſuorum tantùm filiorum vindicationem extorſerat, aliæ iterum conditiones ex communi voto ſeſe nobis retractandæ objiciunt, ad quas præfatus Princeps Egica in regno adſcitus juramentorum ſuorum Deo reddidit vota, cùm ſe juſtitiam populis redditurum promiſit, ac ne quemquam contra juſtitiam læderet, jurisjurandi atteſtatione devovit. Prima igitur conditionum illa ſeries z pertractata, multis his ſecundis conditionibus videtur eſſe contraria. Quomodo enim pro cognatis cauſſaturus exſurgens, decertantibus contra eos dabit juſtitiæ palmam, ſi ipſe contra eos ſententiam ſuam defendat? aut ſi ipſe, ſicut juravit, negotii ſit objector? Quis exſpectabitur judicii terminator, aut quomodo data in populis juramenta ſervabit, ut nullum, ſicut eſt pollicitus, contra juſtitiam gravet; ſi in tantum cognatis protectionis adminicula præſtet, quamdio negotia eorum ſe proſequente ad effectum a videantur pertingere? Sic enim, ſicut jam ſuperiùs dictum eſt, juràſſe præfatum Principem conſtat, ut negotia eorum, ſe intendente & proſequente, ad effectum perveniant.

z Pertractanda.

a pertineant. Illigatum itaque.

30. Illigatum itaque Principem utriuſque partis vinculis contuentes; perpendimus, quia utraque promiſſio ſimul ab eodem inculpabiliter impleri non poſſit. Quamquam ſi bene res conſiderata tractetur, tunc ab illis primis conditionibus abſolutus oſtenſus eſt, quando ad ſecundas has conditiones populorum jurare coactus eſt: quia uno eodemque compulſionis auctore utrumque conteſtatus eſt.

b Invenimus.
c Honeſtis juris.
d Fidē exactam.
e Portenditur.

31. Quapropter perpenſis utrarumque conditionum allegationibus, atque communi omnium collatione tractatis, b pervenimus in illis conditionibus, ad quas primùm hic Princeps noſter ſocero juràſſe dignoſcitur, ſola illi proprii juris commoda cogitata; in his autem conditionibus c honeſtatis vota pollicita: illic ante regnum unius tuendæ domûs d Fides exacta; hic poſt regnum inoffenſa regendarum plebium vota pollicita: illic privatus amor, ob defenſionem filiorum e protenditur; hic generalis patriæ & gentis affectio pollicetur: juratio illa offenſis forſitan plurimis uni tantùm domui portabit effectum; hæc verò generale æquitatis ſervans in ſingulis compromiſſum, nulli parti dabit veritatis excidium. f Quod igitur ex utroque juſto diſputationis fine conficitur, numquid paucorum ſalus erit extinctio plurimorum? aut numquid tantum valere debet privatæ rei commodum, quantum generalis relevatio populorum? abſit. Quia ergo in illa juratione acceptio privatarum cogitata eſt perſonarum, in hac autem generalis protectio plebium; quæ ex his duabus ſit potiùs obſervanda, divina nobis pandat ſententia.

f Quid.

Prov. 24.
Joan. 7. & Deut. 1.
g Pro his ſpecial.

32. Scriptum eſt enim in Proverbiis Salomonis: *Cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum*. Chriſtus quoque in Euangelio: *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate*. Paullo præſertim Apoſtolo g ſpecialiter præſtruente, ut *non quæramus quod nobis utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. Jam ergo in promptu eſt, qui ex his duobus ſalubri pietate præponderetur; & ideo intemerata plus erunt quæ patriæ ſunt ſalubri pollicitatione jurata, quàm illa, quæ ob unius tantùm domûs ſunt utilitatem pollicita. Nec hoc quidem ſic dicimus, ut illa quæ quidem pro cognatis jurata ſunt, penitùs deſtruantur; ſed potiùs ut unus idemque affectus populis cognatiſque ſervetur; unum quid ex duobus unitatis gratiam redolens, neutrum dividat, ſed componat. Non enim poſſunt utraque ſejuncta æqua obſervantiæ lance ſervari: quia ſi promiſſa cognatis fides ſervetur, populis quæ promiſſa ſunt deperibunt: & iterum, ſi data populis intemerata Deo ſacramenta ſerventur, cognatis proculdubio promiſſa beneficia negabuntur: nec unius partis præſtatio ſine alterius partis poteſt eſſe diſpendio. Quid ergo? numquid ob hoc utraque juramentorum promiſſa ſolvenda ſunt? quia ſingula invicem ſine culpa agi non poſſunt? Abſit. Transfundendum ergo unum in alterum, & ad unam regulam redigendum: ita ut minoris partis vota potioribus ſint conjuncta, & affectus protectionis, qui privatim ſocero promiſſus eſt & cognatis, transfuſus generaliter ſervetur in populis; non quo, ut aut hinc aut

inde

inde promiſſa fides patiatur diſpendium, ſed conjuncta, atque in alterutrum transfuſa commune defenſionis ſentiat lucrum.

33. Dicimus ergo per ſpiritum Dei, & [h] proximam ſententiam ponimus, eo in nobis loqnente, qui ſe in ſuo nomine aggregatis medium adeſſe promiſit. Sic ergo ab illis vinculis juramenti, quibus ſocero antè juravit, Principem noſtrum Egicanem Regem ſancta Synodus abſolvendum elegit, nt aut cognatus ad populorum regulam dirigat, aut populos in cognatorum juſtam defenſiooem aſſumat; ut quaſi unius patris, geminiſque filios utrumque uno devocans in affectu, oec in cogoatorum juſtis negotiis favorem populorum obtendat, nec rurſus in populorum quæſtibus cognatis favere pertentet, ut tam in populorum, quàm in cognatorum negotiis, una eademque illi fides ſervanda ſit, oec alio affectu tractandos eligat cognatos, quàm populos, quò io adeptum cœlitùs regnum directo æquitatis gradiens calle, nec profanationis io utrumque ſubeat notam, nec pietatis claudat utriſque partibus viſcera.

h Præfixam. *Matth.* 18.

34. Secunda poſt hæc noſtro cœtui retractanda ſe collatio intulit; pro conditionibus ſcilicet illis, quas jam dictus Princeps Ervigius ob tuitionem filiorum ſuorum, totius regni ſui populos jurare coegit. Quibus inſpectis, & diutiſſimè retractatis, nihil illic inveoimus, quod æquitati ſit obvium, nihil quod & pietati adverſum: occaſiones tantùm malitiæ [i] amputantur, nam juſtorum negotiorum aditus non excluditur. Hoc enim ſingulariter illic ſervandum promittitur, quod generaliter à Domino omni Chriſtiano jubetur; ſcilicet, ut malitia [k] caveatur, innocentia illibata ſervetur, fruſtretur nocendi propoſitum, admittatur negotioſum juſtumqoe judicium. Hoc enim ſi commoni omnium lege ſervetur; & illæſum ſemen regium à nocibilitate ſervabitur, & veritas populis ſine perjurii profanatione reddetur. Nec enim illic juramentum eſt, ut aut cauſſantes contra filios ſuos nemo juvaret, aut nullos ſuper æquitatis judicium promeret: ubi jam dictus Princeps non ſolùm in ſingulis negotia ſua judicialiter proponendi aditum tribuit, ſed & ſcelera filiorum ſuorum, ſiqua accidiſſent, legibus ulciſcenda permiſit.

i Illic amputantur.
k Capatur.

35. Quod ergo illic non eſt juramentum, & tamen juramentum fuiſſe impudenter aſſeritur, non devocabit populos in perjurii crimen, quia nec alligatum cernitur in conditionum ſerie: oec enim in nobis eſt cohibendum, quod in illis conditionibus oon invenimus eſſe cohibitum. Recedendum tamen eſt à malitia, & [l] exercenda ſunt negotia opportuna. Neque enim quorundam incauta illa dicacitas attenditur, quæ impudenter adſtruere nititur, illos tantùm innoxios eſſe à perjurii crimine, qui negotia ſua tantùm viſi fuerint objeciſſe: illos autem, qui vel talia negotia judicanda ſuſceperint, vel hujuſmodi pro æquitate adjuverint, inexpiabili profanationis crimino irretiri: hæc quippe dicunt contentioſè magis quàm rationabili ſtrepitu obſtrepentes; oeſcientes videlicet, quia ſi negatus fuiſſet illic aditus jurandi, negaretur & propoocndi: ſed qui admiſit juſtæ propoſitionis negotium, non voluit prolatæ æquitatis amputare judicium: oec qui proponentem admiſit, poteſtatem juſtè judicandi judicibus abſtulit. Magna ergo ſtultitiæ vox eſt hæc ſentire vel proloqui. Nam è contrà, ecce per totam divinæ ſeriem Scripturæ plus judicibus præcipitur judicare juſtitiam, quàm populis ſua objectare negotia. Dicit enim Scriptura: *Juſtè judicate filii hominum*. nec addit: Juſtè proponite caoſſas veſtras filii hominum: oumquid, quia judices juſtè judicare admooet, ideo popolis proponendi ſua negotia interdixit [m] in eo quòd de negotiis proponendis nihil protulit? Numquid ſuper eo judicii formula [n] rejicitur, quia mutum & abſque propoſitione ſentitur? Non ergo aut judicia ſine objectis, aut objecta ſine judicibus eſſe poſſunt, quo aut judex deſit cauſſanti, aut cauſſans deſit nullo modo judici.

l Exequenda.
Levit. 19.
m Ideo quod.
n Texitur, qui mutus eſt abſque.

36. Quapropter conditiones ipſæ, in quibus nec veritas eſt præciſſa, nec pietatis amputata ſunt viſcera, non tenebunt aut juſtè proponentes ad perjurii ſacrilegium, aut juſtè judicantes ad profaoationis reatum. Hac igitur reddita ratione conficitur, nt ad prædictarum ſeriem conditionum nullus teneatur obnoxius, quiſquis repolſa à malitia, contra jam dicti Principis partem, aut negotia ſibi debita judicibus judicanda objecerit, aut qui talium mandata ſuſceperit, aut teſtis judex, qui advocatus teſtimonium dixerit, aut judices ipſi, qui hujuſmodi juſtè oegotia terminaveriot, vel hi etiam, qui parti juſtitiam habenti ſimpliciter fautores exſtiterint, ad revelationem potiùs miſerorum currentes, quàm parti cuiquam delectantes eſſe oocibiles. Scriptum eſt enim: *Pietas ad omnia utilis eſt*. Neque enim ceſſandum eſt à miſericordiæ opere, quod illo non interdictum eſt fœdere. Qoia ergu illic juſtitiæ aditus non negatur, conſequens eſt, ut nec pietas abnegetur: non enim plenè juſtitiam diligit qui pietatem proximo non impendit; ſic enim inconfusè pietatis ſervantes affectum, illud Apoſtolicum prælegimos obſervandum, [o] quàm maoifeſtè præcipitur: *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*.

1. *Timoth.* 4.
o Quo. *al.* cum. *Galat.* 6.

37. Hac igitur ratione præmiſſa, abſolutis & diſcretis perſonis, atque vocibus ſingulorum, negotia ipſa, quæ contra partem dicti piæ memoriæ Ervigii Principis, vel filiorum ejus habebantur proponenda admiſimus, definientes, ut legibus Canonibuſque deſignata juſtitia inter opponentes & reſpondentes à judicibus inconcuſſa ſervetur. His itaque excurſis, quæ placitæ diſpoſitionis fine concluſa ſunt, damus ſoli Deo gloriam & honorem, poſcentes ejus profuſiſſimam pietatem, ut ejus virtus atque potentia, & noſtrarum ſolvat mentium ligaturam, & glorioſo amatori Chriſti Egicani Principi noſtro tribuat felicem retentâſſe ſceptrum, felicioris vitæ reducere curſum, ac diuturnum cum pace in populis tenere imperium, eo præſtante qui eſt Rex omnium Regum, & cujus regnum manet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sub-

Subſcriptiones.

1. Julianus urbis regiæ Metropolitanus Epiſcopus hæc Canonum ſtatuta ſubſcripſi.
2. Suniefredus Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
3. Floreſindus Hiſpalenſis Metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
4. Fauſtinus Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
5. Maximus Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
6. Idalius Barcinonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
7. Concordius Palentinus Epiſcopus ſubſcripſi.
8. Mumulus Cordubenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
9. Recila Accitanæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
10. Gaudentius Valerienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
11. Cicilius Dertoſanæ Epiſcopus ſubſcripſi.
12. Deo-datus Segobienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
13. Ervigius Calabrienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
14. Moneſonſus Egitanæ Epiſcopus ſubſcripſi.
15. Gregorius Oretanæ Epiſcopus ſubſcripſi.
16. Proculus Bigaſtrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
17. Sonna Oxomenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
18. Sarmata Valentinæ Epiſcopus ſubſcripſi.
19. Marcianus Dianienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
20. Joannes Abelenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
21. Gabinius Arcavicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
22. Samuel Malacitanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
23. Froaricus Portucalenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
24. Ubiſefredus Auſonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
25. Emila Elicitanæ, qui & Dotanæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
26. Felix Irienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
27. Euphraſius Lucenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
28. Theuderacius Aſſidonenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
29. [p] Villiedus Calagurritanæ Epiſcopus ſubſcripſi. — p Vbiliedus.
30. Nepotianus Tyraſſonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
31. Cuniuldus Italicenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
32. Geta Eliplenſis ſedis Epiſcopus ſubſcripſi.
33. Stercorius Aucenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
34. Baſilius [q] Baſtenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi. — q Bæticenſis, al. Baſtitanus.
35. Gaudila Empuritanæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
36. Euſendus Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
37. Pacotaſis Biterrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
38. Aurelius Aſturicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
39. [r] Holemundus Salmanticenſis Epiſcopus ſubſcripſi. — r Polemnadus.
40. Spaſandus Complutenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
41. Gundericus Segontienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
42. Joannes Eliberitanæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
43. Habitus Vicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
44. Villiephonſus Viſenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
45. Sabaricus Gerundenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
46. Fructuoſus [s] Aureſinæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi. — s Aurienſis.
47. Anterius Segobrienſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
48. Rogatus Beatienſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
49. Valderedus Cæſar-auguſtanæ Epiſcopus ſubſcripſi.
50. Adelphius [t] Tudeſinæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi. — t Tudenſis.
51. Tructemundus Elborenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
52. Siſebaldo Tuccitanæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
53. Atula Caurienſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
54. Joannes Egarenſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
55. Iſidorus Setabienſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
56. Landericus Olyſſiponenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
57. Miro Conimbrienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
58. Vincentius Dumienſis Sedis Epiſcopus ſubſcripſi.
59. Fiontius Lamecenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
60. Joannes Pacenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
61. Conſtantinus Egabrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Abbates.

Abbates.

1. Abſalius Abbas ſubſcripſi.
2. Felix Archipresbyter ſubſcripſi.
3. Gerontius Abbas ſubſcripſi.
4. Gabriel Abbas ſubſcripſi.
5. Caſtorius Abbas ſubſcripſi.
6. Siſebertus Abbas ſubſcripſi.
7. Eulalius Abbas ſubſcripſi.
8. Involatus Abbas ſubſcripſi.
9. Adeo-datus Abbas ſubſcripſi.
10. Ubiſandus Archidiaconus ſubſcripſi.
11. Muſantius Primiclerus ſubſcripſi.

Vicarii Epiſcoporum.

1. Seſaldus indignus Archipresbyter & Abbas, agens vicem domini mei & Pontificis Cypriani Tarraconenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.

2. [u] Florentinus presbyter, agens vicem domini mei & Pontificis Leuberici [x] Urgellitanenſis Epiſcopi, ſubſcripſi. u Florentius. x Urgellitanæ.

3. Daniel presbyter, agens vicem domini mei & Pontificis mei Agripii Offonobenſis Epiſcopi, ſubſcripſi.

4. Suniulfus Abbas, agens vicem domini & Pontificis Flori Menteſani Epiſcopi, ſubſcripſi.

5. Deſiderius presbyter, agens vicem domini & Pontificis mei [y] Naſidarbi Aſtigitanæ Sedis Epiſcopi, ſubſcripſi. y Naridarbi. *al.* Nandarvi.

Viri illuſtres officii Palatini.

1. [z] Oſtulfus Comes ſimiliter. z Oſtrulfus.
2. Ubimar Comes ſimiliter.
3. Vitulus Comes ſimiliter.
4. Tranſemundus Comes ſimiliter.
5. Valdericus Comes ſimiliter.
6. Naufti Comes ſimiliter.
7. Cixila Comes ſimiliter.
8. [a] Giſclamundus Comes ſimiliter. a Giſdamundus.
9. Siſaldus Comes ſimiliter.
10. Theudila Comes ſimiliter.
11. Severinus Comes ſimiliter.
12. Sonna Comes ſimiliter.
13. Ara Comes ſimiliter.
14. Traſericus Comes ſimiliter.
15. Ega Comes ſimiliter.
16. Suniemirus Comes ſimiliter.
17. Audemundus Comes ſimiliter.

Data lex in confirmatione Concilii Generalis, ſub anno primo regni glorioſi Egicani Principis noſtri.

38. [b] Decretis & eximiis temporis noſtri geſtis ſynodalibus præfaventes, quibus & doctrinæ ſacroſanctæ Fidei [c] audivimus copiam, & indiſſolubilis juramenti novimus confractam eſſe catenam, id lege promulgata decernimus, ut ea ipſa quæ inconvulſo Canonom vigore decreta ſunt, ab omnibus cautiſſima & diligenti obſervatione ſerventur. Si quis autem his ipſis definitionibus contraire voluerit, decima ſuarum rerum parte multabitur, excommunicationis inſuper ſententiâ ferietur. b Diſcretis. c Haurimus.

NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

39. E*RA DCCXXVI.*] Ex hac Eræ ſubductione Ervigius non ſex, ut aliqui noſtri hiſtorici, ſed octo regnavit annos; Synodus enim Toletana XIII. congregata eſt Erâ DCCXXI. anno Ervigii Regis quarto; Synodus Toletana decimo quarto Erâ DCCXXII. anno Ervigii quinto: Toletanum Concilium XV. celebratur Erâ DCCXXVI. anno primo Egicæ. Ex qua computatione liquidè conſtat octo regnâſſe annos, à decimo octavo

uſque ad viceſimum quintum. Vaſæus ſeptem ejus regno annos adſcribit. Rodericum Toletanum ſecutus fortè excludit primum. Quam computationem nos ſumus ſequuti in Chronologia.

40. *Soceri.*] Inter alias filias, quas Rex Ervigius ex Leubigitone uxore ſuſcepit, fuit Cixilo, quam in matrimonium Egicæ tradidit. Egicam fuiſſe filium Regis exiſtimo, nam ipſe ſic ait in tomo: *Illud autem primo in loco dicendum occurrit, quod divi patris noſtri & ſoceri regale ſortientes faſtigium*, &c. Ex quibus verbis conſtat, & ſocerum & patrem habuiſſe Regem, nam ait: *Sortientes diſſolvant hiſtorici noſtri argumentum.* Quid de Egicæ moribus Concil. Toletan. XVI. tradat Canone VIII. libenter appono. *Glorioſiſſimus etenim* (ait) *ac ſereniſſimus dominus noſter Egica Rex, ferventiſſimi amatoris Chriſti igne ſuccenſus, & ſanctæ actionis ope perfunctus, inimicorum Chriſti perfidiam (illud prophetale vaticinium ſequens:* Nonne qui oderant te, Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?) *utpote verus Chriſticola obnoxius proterere decernit, Eccleſiæ Dei ſtatum vigilaci inſtantia roborare diſponit, ſanctis Dei Baſilicis ſe munificum exhibet, tributorum impenſiones populis moderamine diſcreto remittit; maligna contra ſe obſtinatione agentibus, animi liberalitate gratiſſima, ac piæ miſerationis inſtantiâ ignoſcere conſuevit: multos quoque, qui confracti ſunt, liberos, ſecundum prophetam omne onus diſrumpendo, in ingenuitatis ſtatu reformat, atque in diverſis ſanctę vitæ ſtudiis, ſanctis exercendo præpollet.* Hactenus Concilium. Leubigito verò ejus nurus unà cum Siſeberto Toletano Antiſtite & aliis adversùs eum conjuratione inita, ut vitâ & regno privarent, exſilio multati ſunt, ut infrà Concilio Toletano XVI. cap. 9. *De Siſeberto Epiſcopo.*

41. *Papa Benedictus.*] Benedictus II. Leoni II. ſucceſſit. Totam hanc controverſiam Rodericus Toletanus Archiepiſcopus, lib. 3. cap. 13. ſic deſcribit: *Ejus in tempore* (inquit) *liber de tribus ſubſtantiis, quem dudum Romam miſerat Primas ſanctiſſimus Julianus, & minùs cautè tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quod voluntas genuit voluntatem. Sed ſanctus Julianus veridicis teſtimoniis in hoc Concilio, ad exactionem præfati Principis, per oracula eorum quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmavit, Apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos legatos, presbyterum, diaconem, & ſubdiaconem, viros eruditiſſimos, & in omnibus Dei ſervos, & in divinis Scripturis imbutos, cum verſibus etiam acclamatoriis, ſecundùm quod & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperii. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando: Laus tua Deus in fines terræ; lectum ſæpiùs notum fecit: qui & reſcriptum domino Juliano per ſuprafatos legatos cum gratiarum actione, & cum honore remiſit, & omnia quæcumque ſcripſit juſta & pia eſſe deprompſit.* Hæc Rodericus.

42. *Adde.*] Hunc Rodericum redarguit erroris Baronius, ut diximus ſuprà in Notis ad vitam & Epiſtolas Benedicti.

43. *Nec ſecundum relativum.*] Quæritur, an hæc nomina, ſapientia & voluntas, ſecundum relationem, an ſecundum ſubſtantiam, à ſanctis Patribus uſurpentur? Quam quæſtionem diſſolvit Magiſter Sententiar. lib. 1. diſt. 27. ubi ex ſententia D. Auguſtini docet nomina quæ ſubſtantiam ſignificant, tantùm dici, illud de illo. Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 39. art. 5. ſic ait: *Unde minus impropria eſt iſta: Natura de natura, vel ſapientia de ſapientia, quàm eſſentia de eſſentia.* Quamvis Auguſt. lib. 7. *De Trinitate*, cap. 1. & 2. probat hanc: *Sapientia de ſapientia.* & lib. 15. *De Trinit.* cap. 20. hanc: *Voluntas de voluntate. Dicitur* (inquit) *filius conſilium de conſilio, & voluntas de voluntate, ſicut ſubſtantia de ſubſtantia, ſapientia de ſapientia.*

44. Sed omnes Doctores ſancti aliquando expreſſiùs locuti ſunt, quàm proprietas dictionis patitur: unde hujuſmodi formæ loquendi non ſunt extendendæ, ſed potiùs exponendæ; ut ſcilicet nomina abſtracta exponantur per concreta, vel per nomina perſonalia, ut docuit D. Thom. 1. par. quæſt. 39. art. 1. & Magiſt. Sententiar. libro 1. diſt. 5. Unde iſtę propoſitiones debent interpretari per concreta, aut perſonalia nomina, ut cùm dicitur: eſſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia, ſit ſenſus: Filius, qui eſt eſſentia & ſapientia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia & ſapientia.

45. *Ac proinde.*] Hæc regula generalis, & axioma univerſale eſt omnium Theologorum, in materia de Trinitate, ex Auguſtino lib. 3. *De Trinitate*, qui in prologo *De nominibus individuæ Trinitatis*, ſic ait: *Quædam de ſingulis tantùm dicuntur perſonis, quædam verò unitatem eſſentiæ ſignificantia ſunt, & quæ de ſingulis ſigillatim, & de communibus communiter dicuntur: alia verò ſunt quæ tranſlativè ac per ſimilitudinem de Deo dicuntur.* Hoc idem Ambroſius lib. 2. *De Trinitate*, in Prologo.

46. *Egregii Auguſtini ſententiam.*] Locus eſt apud Auguſtinum lib. 15. *De Trinitate*, cap. 20. & adducitur à Magiſtro Sententiar. lib. 1. diſt. 5.

47. *Sitit te.*] Ex Pſalm. 62. ſecundùm LXX. qui ita tranſtulerunt: ἐδίψησέ σοι ἡ ψυχή μου, ποσαπλῶς ἡ σάρξ μου. ad verbum: *Sitivit te anima mea, quàm multipliciter caro mea.* Divus Hieronymus ſic habet: *Sitivit ad te anima mea, deſideravit ad te caro mea.* Baſilius referens hæc verba: *Sitivit in te anima mea quàm multipliciter*, ſic ait: Theodotion habet: *ſæpè numero*: Symmachus: *concupiſcit: Poſuit autem omnes interpretationes, ut doceret illud* ποσαπλῶς *non eſſe duarum partium dictionem, ſed unam eſſe unius partis, quæ ſermonis ſignificet epitaſin. Conſentit enim & caro animæ amori, nec conſiliis illius repugnat; ac ſi dicat: & ſi anima mea, & corpus meum te deſiderat: quemadmodum ſi quis aquam ſitiat & jucundiſſimam, & liquidiſſimam.* Nova Latina verſio LXX. habet: *Sitivit te anima mea*, ex ſententia Hilarii & Auguſtini.

48. *Significatur à parte totum.*] Hæc eſt quarta regula Tichonii, quam affert Auguſtinus libro *De doctrina Chriſtiana*, & Iſidorus libro 1. *Sententiarum*, cap. 26.

49. Se-

49. *Septuaginta animæ.*] Locus eſt Exodi 1. ubi ita legitur: *Erant igitur animæ eorum, qui egreſſi ſunt de femore Jacob, ſeptuaginta*. qui paullò antè eodem capite in Ægyptum ingreſſi dicuntur. Et Geneſis 46. expreſsè dicitur: *Omnes animæ domûs Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuêre ſeptuaginta*. Item locus eſt Deuteronom. 10.

50. *Muſcam caninam.*] Pſalm. 77. κυνόμυιαν habent ſeptuaginta, ut etiam Pſalm. 104. quam vocem Græcam Latina vulgata editio retinuit: ſignificat verò κυνόμυια *muſcam caninam*, ut hîc ponitur. Iſidor. lib. *Etymol.* 12. cap. 8.

51. *Ut auferat à nobis ſerpentem.*] Locus eſt Num. 21. paullò tamen aliter: neque ſerpentem, ſed ſerpentes habet Latina translatio: apud LXX. tamen eſt τὸν ὄφιν, ſingularitatis numero, ut hîc.

52. *Cyrillus libro qui vocatur Scholia.*] Fortè ſunt Commentaria in Joannem, ubi lib. 1. cap. 15. ad ea verba: *Et Verbum caro factum eſt*, ſic habet: *Sermonem incarnationis jam manifeſtè ingreſſus, hominem factum fuiſſe unigenitum Dei Filium apertiſſimè narrat. Cùm enim dicit*: Et Verbum caro factum eſt, *nihil aliud dicit, præterquam quòd Filius Dei & Deus naturâ, homo factus eſt: nec novi quicquam profertur, cùm ſæpè divina Scriptura ſolo carnis vocabulo integrum (ut ita dicam) & totum hominem ſignificet*. Effundam (*Joël inquit*) à ſpiritu meo ſuper omnem carnem: *ubi niſi ex parte una totum hominem intelligas, ridiculosè inanimata carni ſpiritus dari videbitur*.

53. *Septuaginta quinque.*] Sic eſt Exod. 1. ex editione LXX. ἦσαν δὲ πᾶσαι ψυχαὶ ἐξ Ἰακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. Idem Lucas in Act. Apoſtol. cap. 7. Verùm Geneſis 46. dicitur: *Cunctæque animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex. Filii autem Joſeph, qui nati ſunt ei in terra Ægypti, animæ duæ: omnes animæ domûs Jacob, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum, fuêre ſeptuaginta*. Pro *ſeptuaginta*, habet editio LXX. ψυχαὶ ἑβδομήκοντα πέντε. Deut. verò 10. ſeptuaginta interpretum, & vulgata editio conſentiunt, & animas ſeptuaginta in Ægyptum deſcendiſſe commemorant. Idem Joſeph. lib. 2. *Antiquit.* cap. 7. Quomodo verò hæc conſtent, eſſe ſeptuaginta, & eſſe ſeptuaginta quinque, pulcrè conciliat Hieronymus Quæſt. in Geneſim, ad hunc locum.

54. *Facies arcam.*] Locus eſt Exodi 25. hoc modo: *Arcam de lignis Setim compingite, cuius longitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum ſimiliter & ſemiſſem: deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris*. Ubi pro lignis Setim LXX. diſertè ἐκ ξύλων ἀσήπτων habent, ut Cyrillus legit.

55. *Tres in Chriſto ſubſtantias.*] Stephanus Eduenſis Epiſcopus in lib. *De ſacramento altaris*, cap. 17. *Credimus in Chriſto duas fuiſſe naturas, divinam & humanam; & tres ſubſtantias, divinam, carnem, & animam*, Athanaſio atteſtante, qui ait: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*.

56. *Subſcriptiones.*] In hoc decimo quinto Concilio Toletano multi ex Epiſcopis, qui XIV. interfuerunt, ſubſcribunt; eſt enim Nationale, ex Epiſcopis Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis. Qui in aliis ſubſcribunt, ſunt: Aurelius Aſturicenſis, in XIII. Toletano. Atula Caurienſis, in XII. & XIII. Toletano. Valderedus Cæſar-auguſtanus, in XIII. Toletano. Concordius Palentinus, in XII. XIII. & XIV. Toletano. Cicilius Dertoſanæ, in XIII. Toletano, & dicitur Dertoſanus. Coniuldus Italicenſis, in XIII. Toletano, ſicut Cyprianus. Deo-datus Segobienſis, in XII. XIII. & XIV. Toletano. Euphraſius in XII. & XIII. Toletano. Euſendus Ilerdenſis, in XIII. Toletano. Felix Irienſis, in XII. Toletano, & III. Bracarenſi, ubi dicitur Ildulphus Felix. Froaricus Portucalenſis, in XII. & XIII. Toletano. Floreſindus Hiſpalenſis, in XIII. & XIV. Toletano. Florus Menteſanus, in XIII. Toletano. Gaudentius Valerienſis, in XII. XIII. & XIV. Toletano. Gregorius Oretanæ, in XIII. & XIV. Geta Eliplenſis, in XII. Toletano. Gaudila Empuritanæ, in XIII. Toletano, qui Gaudilanus. Julianus urbis regiæ, in XII. Toletano, XIII. & XIV. Idalius Barcinonenſis, in XIII. Toletano. Joannes Egarenſis, in XIII. Toletano. Joannes Pacenſis, in XII. & XIII. Toletano. Leubericus Urgelitanus, in XIII. Toletano. Mumulus Cordubenſis, in XIII. Toletano. Moneſonſus Egitanæ, in XIII. Toletano. Martinus Dianienſis, in XIV. Toletano. Miro Conimbrienſis, in XIII. Toletano. Proculus Bigaſtrenſis, in XIII. Toletano. Recilla Accitanæ, in XII. & XIII. Toletano. Rogatus Beatienſis, in XI. & XIII. Toletano. Siſebaldo, in XII. & XIII. Toletano. Stercorius Aucenſis, in XIII. Toletano. Samuel Malacitanus, in XII. & XIII. Toletano. Sarmata Valentinæ, in XIII. & XIV. Toletano. Sona Oxomenſis, in XIII. & XIV. Toletano. Sunifredus Narbonenſis, in XIII. & XIV. Toletano. Theuderatius Aſſidonenſis, in XII. & XIII. Toletano. Tructemundus Elborenſis, in XII. & XIII. Toletano. Ubiſifredus Auſonenſis, in XIII. Toletano. Maximus Emeritenſis, in XIV. Toletano. Alii ſubſcribunt qui non interfuerunt aliis Conciliis, ſed ſuccedunt aliis Epiſcopis, ut Anterius Segobrienſis, qui Olipæ in XIV. Toletano. Adelphius Tudeſinæ, qui Opæ Tudenſi, in XIV. Toletano. Agrippius Oſſonobenſis, qui Bellito, in XIII. Toletano. Baſilius Baſtenſis, qui Antonio in XIV. Toletano. Conſtantius Egabrenſis, qui Gratioo, in XIII. Toletano. Ervigius Calabrienſis, qui Alvaro, in Emeritenſi. Frontinus Lamecenſis, qui Gundulpho, in XIV. Toletano. Fauſtinus Bracarenſis, qui Luibæ, in XIII. Toletano. Gabinus Arcavicenſis, qui Sempronio, in XIII. Toletano. Gundericus Segontienſis, qui Ellæ, in XIV. Toletano. Habitus Urcenſis, qui Palmatio, in XIII. Toletano. Joannes Abelenſis, qui Unigiro, in XIII. Toletano. Joannes Eliberitanæ, qui Argibandonio, in XIII. Toletano. Iſidorus Setabienſis, qui Aſturio Setabitano, in XIII. Toletano. Landericus Olyſſiponenſis, qui Aræ, in XIII. Toletano. Naſi-

bardus Aſtigitanæ, qui Theodulpho, in XIII. Toletano. Nepotianus Tyraſſonenſis, qui Aſturio, in XIII. Toletano, Sabaricus Gerundenſis, qui Jacobo, in XIV. Toletano. Spaſandus Complutenſis, qui Agricio, in XIV. Toletano. Vincentius Dumienſis, qui Aviachimaro, in VIII. Toletano. Viliephonſus Viſenſis, qui Reparato, in XIII. Toletano. Villiedus Calagurritanæ, qui Euphraſio, in XIII. Toletano. Emila Elicitanæ, qui Leandro, in XIV. Toletano. Fructuoſus Aureſinæ, qui Aurienſis dicitur, ſucceſſit Hilario, in XIII. Toletano.

57. Prima ſubſcriptio hujus Concilii eſt: *Julianus urbis regiæ Metropolitanus Epiſcopus hac Canonum ſtatuta ſubſcripſi*. In qua advertendum duxi, Julianum regiæ urbis Metropolitam, qui Quirico ſucceſſit, diverſum eſſe à Juliano Pomerio Gallo doctore; is enim vixit circa annum Domini CDXC. ut ex Ennodio Ticinenſi conſtat: noſter verò incidit in hæc tempora, & in Prognoſtico futuri ſæculi, Pomerium affert, in Opere *Adverſus Judæos*, Video aliquos viros doctos ſimilitudine nominum deceptos: ſed Julianus Primas civis fuit Toletanus, Eugenii III. diſcipulus, inter divos relatus, qui magnâ totius populi veneratione Toleti colitur, cujus vitam Felix literis mandavit; alter Julianus Pœnus in Gallia vixit, tantùm doctor Eccleſiaſticus fuit.

CONCIL. CÆSARAUGUSTANUM III.

Tempore SERGII Papæ I. celebratum anno DOMINI DCXCI.

Nunc denuò collatum cum Ms. D. Antonii Auguſtini Archiepiſc. Tarraconenſis, qui illud exſcripſit ex Codice Æmilianenſi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut non liceat Epiſcopis, citra diebus Dominicis conſecrationes Eccleſiarum exercere.*

II. *Ut conſinitimi Epiſcopi de ſacra ſolemnitate Paſchali annua vice Primatum ſuum* * *requirant.*

* Inquirant. Cod. Ant. Aug.

III. *Ut monaſteria diverſoria ſæcularium non fiant.*

IV. *De libertis qui ab Epiſcopis ex familia Eccleſiæ manumittuntur.*

V. *Ut defuncto Principe ſuperſtes regina ſtatum & veſtem ſæcularem deponat, & in cœnobio virginum mancipetur permanſura.*

PRÆFATIO.

IN NOMINE DOMINI

Incipiunt geſta ſynodalia in urbe Cæſar-auguſta, ſub die Kalendar. Novembrium, Erâ DCCXXIX. anno quarto orthodoxi atque sereniſſimi domini noſtri Egicani Regis.

1. SACERDOTES Domini, quos non ſolùm divina pietas ad magiſterium provehit ſacrum, ſed etiam ſpeculatores inſtituit plebium, eâ ſe debent auctoritatis munire ſententiâ, quòd & divinis ſine intermiſſione inſiſtant præceptis, & cunctam plebem dignis condirigant exemplis. Et ideo quia nos divina celſitudo ex juſſu excellentiſſimi & piiſſimi magnique Dei cultoris domini noſtri Egicani Principis, in hanc Cæſarauguſtanam urbem coadunari præcepit, & ita ſub omnimoda ſpecialitate inſtituit, ut reſecante falce juſtitiæ, æquitatis conſolidetur materies: & quicquid cujuslibet indiſcreta pernicies à ſanctis inſtitutionibus Patrum de ordinibus Eccleſiaſticis divellit, noſtris elucubratis ſententiis, Deo mediante, in lumine deducatur veritatis; iccircò dum nobis de ſanctæ Trinitatis myſterio ſecundùm formulam Nicæni Concilii triduo mutua fuiſſet [a] collatio, & quæ ſe cœtui noſtro ad ædificationem totius plebis ingeſſerunt, conſpicua diligentique ratione pertractantes, quæ neceſſaria extiterunt, Chriſto opitulante (cujus nos cauſſa ſalutis ad hoc provocavit ſtudium) in brevibus atque continuatis capitulis cuncta definivimus, & ad perennitatis ſuæ roborem, ea quæ à nobis acta vel definita ſunt, propriæ manus noſtræ exaratione firmare procuravimus.

a Conſolatio. Cod. Ant. Aug.

2. In

I.

2. In ſanctum & ſatis venerabile Concilium reſidentibus, renunciatum eſt nobis, eo quòd aliqui Pontifices regulam veritatis prætermittentes, Eccleſias, quæ à fidelibus pia devotione conſtruuntur, extra diebus Dominicis conſecrent. Si ergo, cùm quiſque noſtrum mortalium ad ſacerdotale promovetur officium, nullatenus patimur ut in reliquis diebus, niſi tantùm [b] Dominicis feſtivitatibus, ii qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur Eccleſiaſtico; quantò magis ut deificata ſancta templa, quæ ab hominibus fidelibus cenſentur honorificanda, ſine diebus Dominicis prohibeantur conſecranda? cujuſque non talium præſumptiones Pontificum, non ſolùm ſanctorum Patrum cohiberemur prohibere [c] ſententiam, ſed propria deliberatione cenſemus, ut nulli penitùs Pontificum, in quibuſcumque provinciis conſtituti, amodò liceat, præter certis diebus Dominicis, Eccleſias ſanctas conſecrare.

De Eccleſiarum conſecratione multa tradita ſunt à SS. Patribus, ut conſtat ex Concil. Bracar. II. cap. 3. & ex Felice Papa IV. cap. 4. ejus Epiſt. & ex Euſeb. l. 2. Eccl. hiſt. cap. 8. & Gelaſio Papa Epiſt. 1. cap. 27. & Nicol. Papa I. Ut habetur De conſecr. *diſt. 2. cap.* Eccleſia.

b In Dominicis. *Cod. Ant. Aug.*

c Sententiâ. *Cod. Ant. Auguſt. Vide IV. Tolet. c. 4. II. Bracar. cap. 9. & III. Carthag. cap. 1. & 41. I. Arelaten. cap. 1. & Carthag. IV. & V.*

II.

3. Si quidem ſancta inſtitutio Patrum de ſolennitate Paſchali præcipiat, ut omnes confinitimi Epiſcopi annua viciſſitudine Primatum ſuum inquirant, quo tempore Paſchæ feſtum peragant; tamen quia didicimus nonnullos Epiſcopos, ſententiam Patrum tranſgredientes, propter quod etiam debuerunt uſquequaque vigilantes manere; placuit omnibus nobis, ut abinceps cuncti confinitimi Epiſcopi nullam ſibi occaſionem [d] ſubjicientes, aut longinquitate itineris præcaventes annua recurſione feſtivitate Paſchali tempore congruo Primatem ſuum, ſub cujus poteſtatis manſerint regimine, inquirant, ut quo die & tempore illis Paſchæ feſtum pronunciaverit, ſolicita veneratione peragant.

d Objicientes. *Cod. Ant. Aug.*

III.

4. Sanctorum Patrum decrevit ſententia, ne monaſteria diverſoria ſæcularium fiant. Unde quia novimus quoſdam Abbates, quibus regulariter cura regendarum animarum commiſſa eſt, dum quaſi [e] patrono affatu aditum ſæcularibus in monaſteriis [f] attribuunt, diverſas inſolentias monachis ibidem Deo [g] deſervientibus ingerunt; dum & eorum operationem, [h] quo ſe divinæ pietati placituros alacri curioſitate exhibent, deprehendunt, & vitam & mores illorum quadam mentis pernicie infanſtè detrahendo, deturpare non deſinunt. Et iterum, quod peſſimum eſt, dum extraneis paſſim commorandi aditus infra clauſtra monaſterii confertur, grave inoleſcit vitium monachorum: quo & vitam ſuam per lucra mundialia ſectantes degenerant, & ſe à proprio cœnobio voluptuoſa fœditate diſſociant. Quæ res ad hoc noſtrorum paterna pietate demulcet animos, ut ea conſtituamus, quæ & ſanctis animabus juvaminis ſolamen impendant, & præſumptiones ſæcularium removeant.

e Paterno affectu. *Cod. Ant. Aug.*

f Tribuunt. *Cod. Ant. Aug.*

g Deo ſervientibus. *Cod. Ant. Aug.*

h Quæ ſe. *Cod. Ant. Aug.*

5. Quamobrem placuit univerſo cœtui noſtro hoc ſtatuere, vel potiùs definire, ut nullus abinceps ſæcularium, ſeu poteſtativè, ſeu etiam vel ex permiſſo Abbatis, vel cujuslibet monachorum, infra clauſtra monaſteriorum hoſpitandi vel commorandi habeat receptaculum: excepto quos vitâ probabiles, egenos, aut paupertate depreſſos inſpectio prævideril Abbatis: quos & ſuſcipere benevola voluntate in monaſteriis, & alendos eleemoſynis modis omnibus ſinimus. De reliquis autem perſonis ſæcularibus (ſicut jam à nobis eſt ſuperiùs præmiſſum) nullum penitùs patimur infra clauſtra monaſteriorum hoſpitandi habere receptaculum. Cæterùm ſi ſecretiùs aut ſequeſtratim à monaſterio [i] ad id quod conſtructum pro ſupervenientibus domicilium patuerit, ibi eos ſuſcipere Abbates vel monachos oportebit. Quatenus & vita eorum remotis ſæculi conturbationibus in omni [k] opere deifico probabilis inveniatur, & nullius vaniſſimis detractionionibus dehoneſtentur: aut certè (quod inhoneſtum eſt) ne per talium ſuſceptiones diſſolutionem incurrant, & à bono propoſito vitam ſuam extorrem efficiant.

i Aliquid conſt. *Cod. Ant. Aug.*

k Specie. *Cod. Ant. Aug.*

IV.

6. Non eſt dubium à ſanctis Patribus definitum fuiſſe, ut omnes liberti, qui ab Epiſcopis ex propriis familiis Eccleſiæ manumiſſionis gratiâ titulantur, poſt decedentis Epiſcopi obitum, mox ut alius ſupervenerit Epiſcopus, infra anni ſpatium libertates ſuas repræſentent, quo ſecundum Canonis ſententiam, per ſuas profeſſiones debitam ſuæ originis conditionem agnoſcant. Sed quia ita ſpeciali modo ſancta decrevit Synodus, ut ſi ipſi liberti infra anni ſpatium ſupervenienti ſuo Pontifici chartulas libertatis ſuę præſentare neglexerint, protinus eos in priſtinam ſervitutis redigant conditionem; [l] & licèt illis congruentiùs ſatiſque luculentiùs retractatum fuerat, hoc tamen à nobis conſpicuum perpenditur, quo non ſolùm & prædia Eccleſiarum debita auctoritate diſponimus, ſed etiam & oppreſſis pium ſuffragium porrigimus: per quod & cupiditas ſacerdotalis fruſtretur, & imbecillitas pauperum ſublevetur.

l Ut licèt illi e congr. *Cod. Ant. Aug.*

7. Quia ergo comperimus quoſdam Pontifices potiùs lucra ſua ampliare ſtudentes, quàm de mercedis opere Domino placentes, liberos, quos ex familia Eccleſiæ à ſuis prædeceſſoribus inveniunt, pro eo quòd chartulas libertatis ſuæ infra conſultum tempus non repræſentent, ſtatim eos in propriam ſervitutem redigere; unde hoc pietatis ſtudio generali modo ſubrogamus beneficium, ut ſi iidem liberti forſitan ignoraverint ordinem Canonum, aut certè (ut aſſolet fieri) ad præſentandas libertates ſuas tepuerint; ipſius Pontificis ſolicitudo mox in ſedem ſibi creditam ſucceſſerit, per clerum aut domeſticos perquirere procurabit, quos decedentes Epiſcopi de familiis Eccleſiæ manumiſſionis [m] gratulaverunt: ut, eoſdem Pontifice præmonente, ipſi liberi chartulas ſuæ libertatis repræſentent; qualiter nec liberti Eccleſiæ de inſtitutione Canonum ignorantes ſe eſſe perhibeant, nec ſacerdotis callida voluntas pateſcat, unde contra ordinem reducantur manumiſſi, ad originem ſervitutis. Quos ſi Pontifice præmonente contempſerint infra anni ſpatium ſuas libertates propriæ ſedis Epiſcopo pandere, licitum ſit ei ſecundum Canonum ſanctiones in jure Eccleſiæ ſuæ reducere ſervituros.

m Titulaverunt. *Cod. Ant. Aug.*

V.

Concilium Tolet. XIII. cap. 5.

8. Licèt planiſſimè in Concilio Toletano de Principum relictis inſtitutum fuiſſet, ut nulli licitum eſſet ſuperſtitem reginam in conjugio ducere, aut ſordidis contactibus maculare, neque ſecuturis Regibus, nec cuilibet hominum eſſet permiſſum; tamen noſtri ordinis cauſſa eſt, ut crebriſſimè ad hoc aciem mentis noſtræ condirigamus, quæ animæ intuemur exhibere profectum. Unde quia præteritis temporibus multas ſcimus atque cognovimus Principum relictas, poſt eorum vocationem pro apice regni, [n] quem regendo in cunctis tenuerunt, nullam reverentiam honoris eis adhiberi à populis, ſed paſſim (unicuique probatum eſt) diverſas aſſumentes occaſiones, non ſolùm lateoter in eorum contrarietate inſidias moliuntur, verùm etiam (quod veritati contrarium eſt) procaciter verba contumelioſa in conventu multorum eas afficiunt: & quod omni religioni abominandum atque horrendum eſt, de iis detrahere non ſinunt, quas in caterva populi cernunt commorari.

n Quod regendo. Cod. Ant. Aug.

9. Proinde paterna pietate commoti, atque condigna circa tanto culmine providentes, per hujus decreti noſtri paginam non ſolùm quæ in prædicto Concilio exarata ſunt de conjuge Principum perenniter cuſtodire, atque firma ſtabilitate decernimus permanere; ſed etiam ea quæ ſunt conſpicua honeſtati neceſſaria modò advertere procuramus, ut [o] ſervatas in omnibus ſanctiones Canonum totius Toletani Concilii, quæ de Principum relictis promulgatæ atque definitæ eſſe noſcuntur, deinceps relicta Principis ſuperiorem ſententiam illibato animo pudicè ſervans, ſtatim arceſſito ab hoc ſæculo Principe, veſtem ſæcularem deponat, & alacri curioſitate religionis habitum aſſumat. Quam etiam & confeſtim in cœnobio virginum mancipandam eſſe cenſemus, & ut ab omni turbine mundi remota, nequaquam cuilibet locus attribuatur, per quod aut contumelia tantæ poteſtati in publico ingeratur, aut ſubdita plebi eſſe * hæſiſſe * pateſcat, quorum antè dudum agnoſcitur domina fuiſſe; ſed infra clauſtra monaſterii jugi ſedulitate perſiſtens, atque ſanctimonialem vitam peragens, de regno temporali opitulatione divina ad regnum æternitatis mereatur pervenire.

o Servatis in omnib. ſanctionibus Cod. Ant. Aug.

** Deeſt Cod. Ant. Aug.*

10. Quicumque igitur ſuperiores conſtitutiones, quæ ſalubri conſilio à nobis definitæ eſſe noſcuntur, violaverit, vel exſecrari quacumque factione pertentaverit aut permiſerit, noverit ſe excommunicationis percepturum ſententiam, atque etiam exſilii damnationis diuturno tempore incurrere jacturam. Peractis quoque à nobis quæ congrua fuerunt de ordinibus Eccleſiaſticis, imprimis immenſas laudes omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cui cura eſt pacem & unitatem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Catholicæ providere, deferimus. Deinde orthodoxo & ſereniſſimo domino noſtro Egicani Regi, cujus inſtinctu & devotiſſimo inſtituto in hoc coadunari meruimus ſynodali conventu, multiplices gratiarum actiones perſolvimus; qui non ſolùm noſtrorum animos ad corrigendos ordines Eccleſiaſticos excitavit, ſed etiam & populum per oracula, regni ſui voto gratioſo, ab impenſione tributi reddidit abſolutum.

11. Pro quo beneficii ſtudio, qui plebi ſuæ tanta largitus eſt dona, Dominum Jeſum Chriſtum, qui nos potentiâ virtutis ſuæ decoravit pretioſâ, ac [p] pretioſa effuſione ſanguinis ſui redemit, exoramus ut ipſe regnum ejus in pace ſub multimoda annorum curricula ſolidet, gentemque & univerſam patriam ejus in tranquillitate conſervet, & contra hoſtem adverſum victrix Chriſti dextera victorem efficiat ſemper, atque expletis hujus [q] extenſis vitæ temporibus, ad æternæ beatitudinis præmium pervenire mereatur ille ſus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor, ſumma virtus, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

p Propria. Cod. Ant. Aug.

q Exilis. Cod. Ant. Aug.

NOTA GARSIÆ LOAISÆ.

12. CONCILIUM *Cæſarauguſtanum III.*] Hoc Concilium Cæſarauguſtanum eſt tertium ex his quæ in hoc Opere ponimus: exſcriptum eſt ex Codice Ms. vetuſto monaſterii Sancti Æmiliani, quem vocamus hîc Hiſpalenſem; nam in omnibus Codicibus Eccleſiæ Toletanæ & Sancti Laurentii eſt mutilum: ubique caret ſubſcriptionibus. Erat Epiſcopus Cæſar-auguſtanus in hoc Concilio Walderedus, vel Valdefredus, qui ſubſcribit in XV. Toletano anno primo Egicani Regis, & in decimo ſexto anno VI. ejuſdem. Interfuit etiam eâdem ratione Joannes Egarenſis, & Nepotianus Tyraſſonenſis, & Florus Menteſanus, & Ubiſifredus Auſonenſis, qui omnes in XV. & XVI. Conciliis adfuerunt.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM XVI.

LIX. EPISCOPORUM,

Celebratum Erâ DCCXXXI. id eſt, anno CHRISTI DCXCIII.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De Judæorum perfidia.*
II. *De idolorum cultoribus.*
III. *De * ſtupris.* (* Al. De ſodomitis.)
IV. *De deſperantibus.*
V. *De reparatione * Eccleſiarum.* (* Eccleſiarum, vel diverſis aliis cauſis.)
VI. *De integra oblata, & ex ſtudio præparata, in ſacrificio offerenda.*
VII. *De publicatione Concilii.*
VIII. *De munimine prolis regiæ.*
IX. *De Sisberto Epiſcopo.*
X. *De his qui juramenti ſui profanatores exſtitiſſe noſcuntur.*
XI. *De gratiarum actione.*
XII. *Decretum judicii ab univerſis editum.*
XIII. *Lex edita in confirmatione Concilii.*

IN NOMINE DOMINI

Incipit Synodus Toletana ſexta decima, LIX. Epiſcoporum.

1. DUM anno ſexto inclyti & orthodoxi domini & Principis noſtri Egicanis, ſub die ſexto Nonarum Majarum, Erâ DCCXXXI. unanimitatis noſtræ conventus in prætorienſi Baſilica, ſanctorum videlicet Petri & Paulli, aggregatus conſiſteret, atque unuſquiſque noſtrorum ex more ſecundùm ordinationis ſuæ tempus in locis debitis reſideret, rerum priùs omnium Domino devotiſſima gratiarum jura perſolvimus, pro eo quòd nos & alterutræ viſionis conºtuitu ſolari permiſit, & alternæ pacis oſculo conſovendos ſtatuit, diffuſis cordibus, ſimulque & vocibus ei precum murmura effundentes: ut ſicut nos alternorum oſculorum impenſione lætificos effecit, ita ſereniſſimum & religioſiſſimum prædictum Egicanem Principem, cujus juſſu fraternitatis noſtræ cœtus eſt adunatus, fidei ſuæ converſatione ſtabiliat, prorogatione juſtitiæ muniat, pacem locupletem reddat, impenſione miſericordiæ fulciat, virium fortitudine roboret: quo longævitatis munus fruens, commiſſa ſibi regni gubernacula diſcreto moderamine teneat, & commiſſos ſibi populos benignè regat, æquè diſponat, & juſſu pietatis modificet.

2. His devotione promptiſſima actis, cœpit unionis noſtræ numeroſitas de rebus ſpiritualibus mutua collationis inter ſe orſa diffundere, atque eventum rei exſpectatione manſuetiſſima præſtolare. Igitur cùm ea attentiùs agerentur, ſic idem excellentiſſimus Princeps ſanctæ intentionis munimine fretus, religione pleniſſimus, & elucubrationis ſummæ titulo inclytus, noſtro ſeſe cœtui intulit, ac glorioſi capitis verticem cernuo voto reclinans, noſtris ſeſe Domino precatibus commendari percenſuit; propriis manibus tomum nobis deferens reſerandum, in quo ſuæ devotionis vota, & deliberationis piæ deſideria ſiſtebant, ſtylo graviſſimo exarata, omnes in commoni ſui oris dulcifluis exhortans oraculis ait.

3. En divini cultûs, reverendiſſimi ſacerdotes, quicquid proprii oris effamine veſtris ſacris ſenſibus debui intimare, quicquid innormis poterat diffuſæ elocutionis affatus exprimere, ſicut hic breviter ſummatimque calamo currenti digeſſi. Unde vos ea ſolicitiùs prælibantes, gliſcentibus animis pertractate: & tam ea quæ hìc ſunt inſita, quàm etiam alia quæque ſe reverendiſſimo veſtro cœtui ingeſſerint audienda, æquiſſimis judiciorum veſtrorum definitionibus terminate, & firmiſſimo ſententiarum veſtrarum ſtylo eſſe permanſura decernite.

Quem tomum ab eo unanimitas noſtra ſuſcipiens, eidem Principi benediximus: eoque è noſtri medio diſcedente, ejuſdem tomi ſeriem reſeravimus, cujus dictorum textus ſubter annexa ſerie declaratur.

IN NOMINE DOMINI

Flavius Egica Rex ſanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

4. NOVIT, beatiſſimi Patres, ſerenitatis noſtræ glorioſa ſublimitas, ſynodicæ advocationis ſtudia nutantis ſæculi obſiare ruinæ, & fidelibus populis congruam ſalutaris vitæ impendere diſciplinam. Quapropter orthodoxæ Fidei religione permotus, veſtrique cœtus optabili conventu jucundior redditus, cœlorum Regi grates laudumque vota perſolvo, quoniam præſtolata aggregationis veſtræ concurſio præceptionis noſtræ oraculis devotiſſimè paruit, & alternæ viſionis exoptata gaudia commodavit. Igitur vobis coram poſitus, veſtris precibus ſupernam mihi clementiam ſuffragari efflagitans, univerſitatem ſanctitudinis veſtræ Chriſtiana mentis devotione convenio; ut quia Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ digna ſpeculatione præſtatis, votis meis fautores ſitis, veſtrique Pontificatûs meritis in regendis populis præſtantiora mihi ſubſidia præparetis, & conſiliorum nutrimenta ſalubria afferatis, quo valeam ſanctimoniæ veſtræ adminiculo fultus, & regnandi greſſus in pace perficere, & gentem mihi ſubditam pio ac diſcreto moderamine regere. Nam & tales vos in hoc ſancto Concilio adeſſe præopto, quo gratia Spiritus ſancti corda veſtra irradians, in medio ſit veſtrorum; ut ipſo docente id teneatis atque ſervetis, unde & mihi, qui præ omnibus multis ſum criminibus deditus, & cuncto populo regiminis mei reſpectio divina ſemper opituletur.

5. Quantis denique malis indignante Deo terra quotidie vapulet, quantiſque plagis, vel perfidorum ſceleribus contabeſcat, paternitati veſtræ non reor eſſe incognita. Sed quia indubiè credimus, quòd tranſgreſſione mandatorum Dei digna factis recipimus, dicente Domino per Prophetam: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea*; opportunum ſatis eſt, ut per vos, qui divinæ vocis præconio ſal terræ eſtis, ſalvationis obtineat opem. Unde venerabilem ſanctitatis veſtræ * univerſitatem exhortor, ut imprimis almæ Fidei rectitudo, quæ per veram credulitatem in omni terrarum Orbe diffuſa expanditur, veſtræ collationis eloquiis præconetur, prædicata veraciter teneatur, retenta in arcano veſtri pectoris illibata ſervetur. Deinde quia comperimus quòd multæ Dei Baſilicæ in diſperſis locis veſtrarum parochiarum conſtitutæ, dum ad unius reſpiciunt ordinationem presbyteri, nec aſſidua in eis ſacrificia Domino delibantur, & deſtitutæ remanent, atque ſine tectis, vel ſemirutæ fore noſcuntur, ſpecialiter in Canonibus annotetis, unaquæque Eccleſia, quamvis pauperrima, quæ, vel decem mancipia habere poteſt, ſui debeat curâ gubernari cultoris: cæterùm ſi minùs habuerit, ad alterius Eccleſiæ presbyterum pertinebit.

Oſee 4.
Matth. 5.
* Unitatem.

6. Nam dum ex omnibus plurimæ Baſilicæ, ut præmiſimus, unius ſolicitudine rediguntur, ſolùm eſt, quia & viduatæ perſiſtunt, & difficilè ſacris cultibus ordo debitus exhibetur. Quod non tantùm ſacerdotibus Dei in culpa eſt, verùm etiam & infidelibus Judæis ridiculum affert, qui dicunt nihil præſtitiſſe interdictas ſibi ac deſtructas fuiſſe ſynagogas, cùm cernant pejores Chriſtianorum effectas eſſe Baſilicas. Pro quarum etiam reparatione à veſtra univerſitate cenſendum eſt ut eas unuſquiſque Epiſcopus de tertiis parochialium Baſilicarum canonicè reſtaurandas invigilet. * Qui ſi tertias ipſas conſequi noluerit, curâ ſui gerendum eſt, ut presbyter deſtructæ Eccleſiæ exinde commiſſam ſibi Baſilicam reparet; evidentem cenſuræ modum apponentes in Canone, qualiter debet incurioſus quiſque Epiſcopus condemnari, ſi præſcriptum pro renovandis Dei templis ordinem neglexerit adimplere.

* Cui, ſi tertias ipſas conſequi voluerit, cura ſui gerenda eſt.

7. Nam & hoc honorificentia veſtra promulgare curabit, ut nemo Epiſcoporum, pro regiis inquiſitionibus exhibendis parochialium Eccleſiarum jura contingat, nec quaſcumque exinde inquiſitiones aut evectiones exigere audeat; ſed de prædiis ſuarum ſedium regio culmini ſolita perquiſitionum obſequia deferat, nihilque de rebus earundem parochiarum Eccleſiarum cauſâ ſtipendii cujuſpiam dare præſumat. Quòd ſi fecerit, duorum menſium ſpatio excommunicari ſe noverit. Interea id præcipuè à vobis procurandum eſt, ut ubicumque idololatriam, vel diverſos diabolicæ ſuperſtitionis errores repereritis, aut qualibet relatione cognoveritis, ad deſtruendum tale facinus, ut verè Chriſti cultores, cum judicibus quantocyùs inſurgatis: & quæque ad eadem idola à ruſticis vel quibuſcumque perſonis deferri * perveneritis, tota vicinis conferenda inibi Eccleſiis conferatis.

* Pro, inveneritis.

8. Pro quo etiam exſtirpando ſcelere edictum tale in regulis apponatis, ut quicumque Antiſtes hujuſmodi nefas agi permiſerit, vel peractum in ſua diœceſi protinus abolere diſtulerit, à loci ſui officio pulſus, unius anni excurſu ſub pœnitentiæ maneat religatus lamento: alio tamen principali electione ibidem conſtituto, qui poſſit hujus inſtitutionis ordinem ſervare, & populo Chriſtiano bonæ converſationis pandere tramitem, poſtmodùm ad ſedis ſuæ ordinem reverſurus. Sed & quod his potius eſt, zelo Dei zelantes Judæorum abrogandam utriuſque ſexus perfidiam radicitùs demite, ut & legum noſtrarum ſententias, quæ ob perfidiam eorum & in præteritis editæ, & hodierno ſunt tempore conditæ, omni valeant robore ſubnixæ, & acceſſus nequitiæ ipſorum earundem legum diſpereant ſanctione.

Sic Concil. XIII. init. & XV. Tolet.
A regibus Gothis Epiſcopos nominari ſolitos, oſtendimus in Concil. Tolet. XII. c. 6.

9. Sic quoque, ut juxta novellæ legis noſtræ edictum, nemo ex eiſdem Judæis in perfidiam durantibus ad * catablum, pro quibuſlibet negotiis peragendis accedat, nec quodcumque cum Chriſtia-

* Prætorium ubi cauſæ aguntur.

tiis

ſtis commercium agere audeat: qno meritò cum propheta dicatis: *Nonne qui te oderunt, Domine, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Ex quibus igitur Hebræis vel uxoribus, ac filiis eorum, ſi qois deinceps ad Catholicæ Fidei regulam integerrima devotione converſus exſtiterit, abnegans ex toto genuinæ prævaricationis errores, vel cæremonias, omneſque parentalium rituum ſectas, ab omni exutus jugo maneat functionis, quam pridem in errore præſtitutus publicis utilitatibus exſolvere conſuevit. *Pſal. 138.*

10. Sic quoque & in cæteris incredulis ejus redundetur functio penſionis, quos adhuc nefanda retinuerit obſtinatio parentalis. Inter cætera tamen, obſcœnum crimen illud de concubitoribus maſculorum exſtirpandum decernite: quorum horrenda actio, & honeſtæ vitæ gratiam maculat, & iram cœlitùs ſuperni judicis provocat. Et quia plerique perfidorum cothurno ſuperbiæ dediti, non ex Deo regale faſtigium, ſed ſolo jactantiæ tumore appetere dignoſcuntur; quicumque amodò ex Palatinis, cujuſlibet ſit ordinis vel honoris perſona, in necem regiam, vel excidium gentis ac patriæ Gotthorum fuerit conatus intendere, aut quodcumque conturbium intra fines Hiſpaniæ tentaverit excitare; tam ipſe quàm ejus omnis poſteritas ab omni Palatino expulſa officio, ſub tributali impenſione fiſco debeant perpetim inſervire: amiſſis inſuper cunctis facultatibus propriis, quas cui voluerit licenter conferat clementia principalis. *De his vide Concil. Tolet. IV. cap. 75. & VI. cap. 17. & 18. Concil. Tolet. X. cap. 2.*

11. Cuncta verò quæ in Canonibus vel legum edictis depravata conſiſtunt, aut ex ſuperfluo vel indebito conjecta fore pateſcunt, accommodante ſerenitatis noſtræ conſenſu, in meridiem lucidæ veritatis reducite; illis proculdubio legum ſententiis reſervatis, quæ ex tempore divæ memoriæ prædeceſſoris noſtri domini Cindaſvinthi Regis uſque in tempus domini Wambanis Principis ex ratione depromptæ, ad ſinceram juſtitiam, vel negotiorum ſufficientiam pertinere noſcantur.

12. Varia quoque popolorum negotia, cæteraque ſceleratorum hominum geſta, Fidei ſanctæ contraria, ita veſtri examinatione judicii canonicè ac legaliter finiantur, ut nec juſtitia prætereat, nec ſeveritas legum ex omnibus intercurrat: qualiter dum in his omnibus vos amor Chriſti reddiderit fervidos, & æqoitatis catenâ conſtrinxerit nexos, non ſolùm in hoc ſæculo ſanctitatis dono perſpicui maneatis, ſed & æternis præmiis in perpetuum floreatis: quia tunc me à Domino cum plebe mihi credita à peccatis elui credo, cùm diſcuſſio judicii veſtri in examinandis cauſſis talis præceſſerit, quæ in nullo tramite veritatis aberret.

13. Hoc ſolum vos honorabiles Dei ſacerdotes, cunctoſque illuſtres aulæ regiæ ſeniores, quos in hoc Concilio noſtræ ſerenitatis præceptio, vel opportuna ineſſe fecit occaſio, per inſeparabilem omnipotentis Dei potentiam adjuramus, quia in privatis dirimendis negotiis, quæ ſe veſtro cœtui audienda emerſerunt, nulla perſonarum vel muneris acceptio intercurrat, nullus ſe favor interſerat, nullioſque tepiditatis incuria promolgare juſtitiam, quæ Deus eſt, obſtrepat; ſed puro examinationis libramino cauſſarum jurgia terminantes, & juſta Dei judicia vobis præ oculis opponentes, unicuique parti æquitatem pandere procuretis: quatenus ex hoc noſtræ manſuetudini præſtolatæ à Deo mercedis præmia conqoiratis, & rectitudine veſtri judicii coram nobis honorabiles ſitis, atque ante Deum ſemper bonorum operum gratiâ polleatis. Datum ſub die ſeptimo Kalendarum Majarum, anno feliciter ſexto regni manſuetudinis noſtræ, Toleto.

14. Reſerato tomo igitur, & quæquæ ejus ſeries retentabat diligenti indagatione perluſtrantes, immenſi mole gaudii cordium noſtrorum arcana exæſtuant. Proinde ferventioribus animis in laudem Dei noſtri hymnorum libet cantica reboare: quòd religioſiſſimi & orthodoxi Principis noſtri intimo igne ſui amoris ita reddiderit fervidum, ut totius noſtræ adunationis collegium prudentiſſimis ac ſalutaribus ſui oris affatibus crediderit exhortandum; perbenignè nos admonens, ut dignorum ſpeculatorum more, Eccleſiæ Dei navem, quam diſpenſatione ſuperna in vaſti hujus ſali gurgitibus gubernandam ſuſcepimus, ſalutarium remigiorum gubernaculis, ad conſummatæ ſalutis portum incolumem perducamus, & in defenſione ejus quotidianis lucubrationibus operam demus, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper nobis creditos greges: ita nempe ut verborum ſpiritualium concrepantibus tubis, & ſanis membrorum compagibus, nec ſecuritatis torpore depreſſa diverſorum lapſuum incurrant decipula, ſalutaria ſine intermiſſione miniſtremus munimina, & infirmis artubus, diverſis utpote ægrimoniarum vulneribus ſauciatis, congrua medicamina apponamus, qno faciliùs queant, & veternoſa ulcera radicitùs evelli, & remedia exoptatæ ſalutis nanciſci. At nunc quoniam ad hæc implenda nullum noſtrorùm ſine adjumento omnipotentiſſimæ Trinitatis cemimus eſſe idoneum; ideo conſpicuum ſatis & neceſſarium perpendimos, ut quia *corde creditur ad juſtitiam, oris autem confeſſio fit ad ſalutem*; ipſius ſanctæ Trinitatis myſterium, qui eſt unus Deus, à qno nos expetere convenit ut digni Eccleſiæ ſuæ paſtores exiſtere mereamur, proprii oris confeſſione promamus; &, utpote mortali ore, quantum ipſe juſſerit prælargiri, laudum inſignia præcinamus: quatenus univerſæ definitiones, quæ noſtro effectu exſtiterint editæ, ſuperpoſitæ fundamento firmiſſimo, inconvulſæ perſiſtant, & juſtitiæ robore ſubnixæ, ſæculis infinitis perdurent. *Rom. 10.*

15. Credimus & confitemur omnium creaturarum, quæ trinis rerum machinis continentur, auctricem atque conſervatricem individuam Trinitatem, ideſt Patrem, qui eſt totius fons & origo divinitatis; Filium, qui eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis unionem, ante omnium ſæculorum eventum ex Patris intimo ineffabiliter genitus; Spiritum verò ſanctum ex Patre Filioque abſque aliquo initio procedentem. Qui tres, quamquam perſonarum ſecernuntur diſtinctione, nunquam tamen ſeparantur potentiæ majeſtate, inſeparabilis nempe æqualitatis eorum inſinuatur

divinitas. Et tamen quamvis Pater genuerit Filium; nec ideo Filius ſit idem qui Pater, neque Pater ſit ipſe qui Filius; ſed nec Spiritus ſanctus Pater ſit Filiuſque, ſed tantùm Patris Filiique Spiritus, & idem Patri & Filio etiam ipſe coæqualis; neqnaquam in hac ſancta Trinitate quicqnam creatum, ſervum famulumque convenit credi, neque adventitium vel ſubintroductum, tamquam ei aliquando acciderit, quod conſtet eam aliquando minimè habuiſſe, condecet autumari.

16. Unde catholicè confitemur, Patrem Deum eſſe omnipotentem, Filium ſimiliter Deum omnipotentem, necnon & Spiritum ſanctum Deum omnipotentem: non tamen tres Deos credimus, aut tres omnipotentes; ſed unum tantummodo Deum ſumus inconcuſſa Fidei veritate credentes; unius naturæ, unius eſſentiæ, unius omnipotentiæ, unius majeſtatis, uniuſque virtutis. Quarum tamen perſonarum quamvis in hoc qnod ad ſe ſunt nulla poſſit ſeparabilitas inveniri; in hoc verò quod ad diſtinctionem attinet, ſunt quædam quæ ſpecialiùs unicuique poſſint pertinere perſonæ; ſcilicet, quòd Pater à nullo originem ſumpſit, Filius Patre generante exiſtit, Spiritus quoque ſanctus ex Patris Filiique unione procedit. Sed numquid qnia Filius ex Patris eſt omnipotentia generatus, aut Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedens, putandus eſt aliquando Pater fuiſſe ſine Filio, aut genitor genituſque ſine ſancti Spiritûs exſtitiſſe ſubſtantia? Abſit. Sed ſicut Pater ſine initio creditur, ita Filius veneratur, ita etiam ſanctus Spiritus veridicè profitetur.

Vide Tom. II. Theol. S. Anſelmi Diſp. LXXXIV. An Filius Dei ſit autotheos.

17. Nec tamen ſicut Pater creditur à qnolibet neqnaqnam exiſtendi originem ducere, ita Filins, aut Spiritus ſanctus autumandi ſunt ex ſemetipſis exiſtere: ſed Filius Deus de Patre Deo, non Deus Pater à Filio Deo, neque Pater aut Filius à Spiritû ſancto, abſqne noxa, ſumpſiſſe putabuntur originem: cùm ipſe à Patre & Filio ſine cujuſquam infidelitatis nævo credatur ſine initio proceſſiſſe. Et ideo in hujus ſanctæ Trinitatis ſacramento nihil anterius poſteriuſve credendum eſt, quia nunquam fuit tempus qnando Pater ſine Filio aut Spiritu ſancto ſubſiſteret, neque Filius ſine Spiritu ſancto ſubſiſteret, neque Filins ſine ſancto Spiritn cum Patre aliqnando regnaret. Et iſta dicentes, non perſonarum confundimns proprietates, nec unionem ſubſtantiæ ſeparamus.

18. Nihil etiam in eadem ſancta Trinitate majus aut minns credere oportet, nihilque etiam imperfectum atque mutabile: nam perfectus Pater, perfectus Filius, perfectus Spiritus ſanctus: immntabilis Pater, immntabilis Filius, immutabilis Spiritus ſanctus: nam de immutabili & perfecto Patre mutabilem imperfectumque Filiom nec decnit naſci, nec convenit credere. Iccircò ſunt quædam quæ in hac ſancta Trinitate indiſcretè oporteat confiteri: in hoc etenim quod ad ſe eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, indiſcretè unus Deus credendus eſt Pater cum Filio & Spiritu ſancto; quod verò ad relativum attinet, diſcretè perſonarum trinm eſt prædicanda proprietas, Euangeliſta prædicante: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Relativnm etenim dicitur, quòd una ad aliam perſonam referatur. Nam quando dicitur Pater, Filii nihilominus perſona ſignatur; & cùm dicitur Filius, Pater ei ſine dubio ineſſe monſtratur.

Matth. 28.

19. At nunc quoniam Spiritus ſancti vocabnlum, quo non tota Trinitas ſignificatur, ſed tertia quæ eſt in Trinitate perſona, quomodo ſecundùm relativum ad Patris Filiique referatur perſonam, nequaqnam apertiſſimè pateat; pro eo ſcilicet, quia ſicut dicimus Spiritum ſanctum Patris, non conſeqnenter dicimus Patrem Spiritûs, ne Filius Spiritus ſanctus intelligatur: in aliis tamen vocabulis, quibus ejuſdem Spiritus ſancti ſignatur perſona, ad relativum pertinere dignoſcitur. Igitur donum ſpecialiter Spiritum ſanctum accepimus, qui in ſancta prænoſcitur Trinitate tertia eſſe perſona; pro eo quòd à Patre Filioque, cum qnibus unins eſſentiæ per omnia creditur, fidelibus condonetur. Quapropter cùm dicitur donum donatoris, & donator doni, relativum haud dubiè declaratur: quod etiam de ipſo vocabnlo Spiritus ſancti inculpabiliter eſt credendnm.

20. Denique quia ſanctæ Trinitatis (etſi non ut debuit) tamen qnantum ipſe donavit, hncuſque myſterii confitendo digeſſimns; exinde qnæ de ipſa Trinitate perſona ſuſceperit carnem, piè & orthodoxè ſubſequiva ſerie pandimns. Unde licèt inſeparabilia ſint opera Trinitatis, tamen fideliter profitemur, non tantùm fide cordis, ſed & oris profeſſione, quòd non tota Trinitas ſuſceperit carnem, ſed ſolns Filius Dei, qui eſt ante ſæcula ex Dei Patris ſubſtantia genitus, in fine ſæculorum de Virgine Maria Euangelio teſte enixus, qui ait: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Nam Gabriel archangelus ad Mariam Virginem cœlitùs miſſus ait: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieres. Ecce in utero concipies, & paries filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Cui cùm Maria (nt ait Sanctns Ambroſius) non fidem * renuens, non officium recuſans, ſed potiùs accommodans * effectum, ſpondens obſeqnium, neque de effectu dubitans, ſed qnalitatem ipſius quærens effectus, dixiſſet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognovi?* Ab angelo illi reſponſum eſt: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Joan. 1.
Lucæ. 1.
* Refutans.
* Affectum.
Ibidem.

21. Cujus nempe angeli oraculnm, dum Spiritnm ſanctum ſnperventurum in ea dicit, & virtutem altiſſimi, qui eſt Dei Patris Filius, obnmbraturum eam præmonnit, ejuſdem Filii carni totam Trinitatem cooperatricem eſſe moſtravit. Quæ ſcilicet Virgo ſicut ante conceptionem obtinuit virginitatis pudorem, Ita poſt partum nullam ſenſit integritatis corruptionem: nam virgo concepit, virgo peperit, & poſt partum incorruptelæ pudorem ſine interceptione obtinnit. Cujus videlicet conceptionis aut partus myſterium, quia ſecundum prophetale vaticinium, *Novum creatum eſt ſuper terram, ut fœmina illa ſingulariter, abſque virili coïtn, circundaret virum,* nulla poteſt ratione comprehendi, nullius oris affatn valet enunciari. Ob hoc etenim Joannes Baptiſta cernuè profitetur: *Ecce poſt me ven-*

Jerem. 31.
Joann. 1.

venturus eſt qui ante me factus eſt, cujus non ſum dignus ut ſolvam corrigiam calceamenti. Ac ſi dice-
ret, corrigiam calceamenti divinitatis calceatæ, quæ eſt ligatura myſterii, nequeo ſolvere: quia quo-
modo in virginali utero corporatum eſt Verbum, quomodo etiam idem Verbum caro factum anima-
tum exiſtat, nequaquam inveſtigare ſufficio.

22. Pro qua re præcellentiſſimus faſſus eſt Auguſtinus: Hîc ſi ratio quæritur, non eſt mirabile:
ſi exemplum poſcitur, non eſt ſingulare. Ipſe verò Dei Filius ab ingenito Patre genitus, à vero verus,
à perfecto perfectus, ab uno unus, à toto totus, Deus ſine initio, perfectum hominem de ſancta & in-
violata Maria ſemper virgine aſſumpſiſſe eſt manifeſtus. Cui etiam homini ſicut perfectionem adſcri-
bimus, ita duas ei voluntates ineſſe; unam divinitatis ſuæ, aliam humanitatis noſtræ, nihilominus
credimus.

23. Quod etiam per quatuor Euangeliſtarum oracula, ejuſdem redemptoris noſtri affatu eviden-
tiſſimè declaratur: ſic enim faſſus eſt, dicens: *Mi pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verum-* *Matth. 26.*
tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Et iterum: *Non veni voluntatem meam facere, ſed volunta-* *Joann. 6.*
tem ejus qui miſit me. Et reliqua. Quæ ſi de omnibus ſanctarum Scripturarum codicibus maluerimus
colligere, enormis voluminis telam noſtri oris videbimur compaginare textrinio. Quibus etiam allo-
cutionibus demonſtrat ſuam voluntatem ad hominem retuliſſe ſe aſſumptum; Patris ad divinitatem,
in qua eſt idem, unus & æqualis cum Patre: quippe quantum ad divinitatis attinet unitatem, non eſt
alia voluntas Patris, alia Filii; una enim eſt voluntas, ubi una perſiſtit divinitas: quantum autem ad
hominis naturam aſſumpti, alia eſt voluntas deitatis ſuæ, alia etiam humanitatis noſtræ. Proinde in
hoc quod ait: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*; patulè oſtendit, non velle id fieri quod voluntatis huma- *Matth. 26.*
næ loquebatur affectus, ſed propter quod ad terras paterna voluntate deſcenderet. Cujus tamen patris
voluntas nequaquam contraria filii voluntati exiſtit: quia quibus eſt divinitas una, non poteſt eſſe vo-
luntas diverſa: & ubi in natura nihil poteſt diverſitatis accidere, ibi nihilominus enumerantur genera-
liter aliqua numeroſa.

24. Igitur hujus voluntatis ſanctæ vocabulum, quamvis per comparativam ſimilitudinem Trini-
tatis, quâ dicitur memoria, intelligentia, & voluntas, ad perſonam ſancti referatur Spiritûs; ſecun-
dùm hoc autem quod ad ſe dicitur, ſubſtantialiter prædicatur. Nam voluntas Pater, voluntas Filius,
voluntas Spiritus ſanctus: quemadmodum Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, Deus eſt Spiritus ſanctus: &
multa alia ſimilia quæ ſecundùm ſubſtantiam dici ab his qui Catholicæ Fidei cultores exiſtunt nullâ ra-
tione ambigitur. Et ſicut eſt Catholicum dici, Deum de Deo, lumen de lumine, lucem de luce; ita *Suprà in Concil.*
veræ Fidei eſt proba aſſertio, voluntatem dici de voluntate, ſicut ſapientiam de ſapientia, eſſentiam *XI. Tolet.*
de eſſentia: & veluti Deus Pater genuit Filium Deum, ita Pater voluntas genuit Filium voluntatem.
Itaque quamquam ſecundùm eſſentiam, Pater voluntas, Filius voluntas, & Spiritus ſanctus voluntas;
non tamen ſecundùm relativum unus eſſe credendus eſt, quoniam alius eſt Pater, qui refertur ad Filium,
alius Filius, qui refertur ad Patrem, alius Spiritus ſanctus, qui pro eo quòd de Patre Filioque procedit,
ad Patrem Filiumque refertur, non aliud, ſed alius: quia quibus eſt unum eſſe in deitatis natura, his eſt
in perſonarum diſtinctione ſpecialis proprietas.

25. Quocirca idem Dei Filius, qui dum eſſet dives, *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi acci-* *Philipp. 2.*
piens, in impaſſibilitate deitatis conſiſtente natura, ſpontaneè in hominis ſuſcepti eſt paſſus ſubſtan-
tia, & pro nobis primæ mortis ſuſtinuit dura exitia: & qui nullius peccati noxæ obnoxius manſit, pro
noſtris peccatis crucis patibulum ſpontè moriturus aſcendit; quique carnis & ſanguinis nullum conta-
gium habuit, in carne ſua flagra pro nobis, colaphos, ſputamenta, coronamque ſpineam ſuſtulit, &
effuſione ſui cruoris totum mundum à pædoribus abluit; ac ne poteſtatem mors ſecunda in Dei habe-
ret electis, eam uſquequaque impaſſibilis divinitatis ſuæ jaculo perculit ac peremit, dicente Prophe-
ta: *O mors ero mors tua!* tartara penetravit in anima, & ſanctorum animas, quas illic hoſtis vinctas *Oſee 13.*
tenebat, morſu potentiæ ſuæ exemit, ut prophetale vaticinium inquit: *O inferne, ero morſus tuus!* *Ibidem.*
qui etiam tertii diei diluculo, ejuſdem carnis, quâ occubuerat, veritate reſumptâ, diſcipulorum ob-
tutibus claruit, eorumque corda nimio pavore concuſſa præſentiæ ſuæ exhibitione * ſolavit, & coram ** Solidavit.*
angelorum credentiumque frequentia ſedem patriam repetivit: in qua nunc ſicut in veritate ſurrexit
à mortuis, ad ejus dexteram ſedens, ſic exinde in fine ſæculi venturus eſt, judiciariæ poteſtatis direm-
ptione à peccatoribus juſtos ſecernere, ſanctis reſtituens pro bene geſtis coronam, iniquis verò infinitæ
damnationis * ignivomam pœnam: exemplum nobis ſua reſurrectione impendens, ſicut ille vivifi- ** Ignominioſam.*
cans nos poſt duos dies die tertia vivus reſurrexit à mortuis, ſic nos etiam in hujus ſæculi fine reſurre-
cturos uſquequaque credamus, non in aërea vel in phantaſticæ viſionis umbra, ut quorundam impro-
banda opinio perſtruit, ſed in veridicæ carnis ſubſtantia, in qua nunc ſumus & vivimus. Ac tempore
judicii coram Chriſto & ſanctis angelis ſuis unuſquiſque referet corporis ſui propria, prout geſſit, ſive
bonum ſive malum; recepturus ab eo aut pro piis actibus interminabilis beatitudinis regnum, aut pro
ſuis ſceleribus perpetuæ damnationis interitum.

26. Hujus etenim Fidei Eccleſia ſancta Catholica baptiſmatis aquâ abluta, Chriſti ſanguine pre-
tioſo redempta, quæ neque in Fide habet rugam, neque maculoſi perfert operis notam, inſignibus
pollet, virtutibus claret, ſanctique Spiritus donis referta coruſcat: quæ etiam cum Jeſu Chriſto Domi-
no noſtro capite ſuo, cujus corpus eſſe nequaquam ambigitur, eſt perenniter regnatura. Atque omnes
qui nunc in ea minimè conſiſtunt, ſive conſtiterint, aut ab ea receſſerunt, ſeu receſſerint, aut peccata
in ea relaxari diffidentiæ malo negaverint, niſi pœnitudinis ope ad eam redierint, & quæque Nicæna

Synodus ſervanda decrevit, Conſtantinopolitanus conventus venerari inſtituit, Epheſini primi Concilii ampleƈti auƈtoritas ſanxit, atque Chalcedone ſanƈtorum unanimitas, vel reliquorum Conciliorum, ſive etiam omnium venerabilium Patrum in Fide ſana reƈtè viventium ediƈta cuſtodire præcipiunt, abſque aliquo dubietatis nævo non crediderit, perpetuæ damnationis ſententiâ ulciſcetur, atque in fine ſæculi cum diabolo ejuſque ſociis ignivomis rogis cremabitur.

27. Sanƈtæ etenim Fidei myſterium oris noſtri confeſſione pandentes, ad capitula quæ ob diſciplinam Eccleſiaſticam, moreſque malè errantium componendos neceſſaria ſunt, unanimitatis noſtræ articulum fleƈtamus, & quæ oportuna ſunt, decretis capitulis definiamus.

C A P I T U L A.

I.

Tolet. III. cap. 13. Tolet. IV. act. 57. 66. & Tolet. XII. cap. 8. Jerem. 32.

28. LICET in condemnatione perfidiæ Judæorum numeroſæ antiquorum Patrum ſententiæ ac leges promulgatæ niteſcant, tamen quia, ut prophetale vaticinium propter eorum duritiam narrat, peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, ſuper petram durioris effeƈti, in obſtinationis ſuæ cæcitate perdurant; ſatis eſt conſpicuum ut Catholicæ Eccleſiæ machinis murus infidelitatis eorum crebriùs proteratur: quo aut tandem corrigantur inviti, aut * validè in ſtylo atterantur, ex Domini in æternum judicio perituri. Nam peritorum medicorum eſt conſuetudo laudabilis, ut ægris diverſarum ægrimoniarum incommodis laborantibus ſtudioſiùs medendi arte occurratur, quoaduſque ſalutis medelam recipiant. Quinimmo quoniam glorioſiſſimi & amatoris Chriſti Egicani Principis noſtri fervens intentio & prompta devotio hujus admirabilis medelæ peritiam his adhibere contendit, quatenus aut convertantur ad Fidem, aut in perfidia perdurantes, acrioribus ſedulè multentur ſtimulis; proinde * exhortante pariter & jubente delegit noſtræ unanimitatis conventus, ut quicquid eorum ſententiæ vel leges, qui nos in Fide Catholica præceſſerunt, ad obterendam eorum perfidiam continere noſcuntur, ab omnibus ſacerdotibus, cunƈtiſque judiciariam curam habentibus, ſtudioſiùs in eis nihilominus compleantur, & ea quæ nunc à nobis inſtituuntur, votis ferventioribus conſerventur. Ita nempe, ut quique eorum ad Chriſtum plena mentis intentione ſe converterint, & Fidem Catholicam abſque aliquo infidelitatis fuco ſervaverint, ab omni exaƈtione, quam ſacratiſſimo fiſco perſolvere conſueti ſunt, cum his quæ habere poterint ſecuri * extorreſque perſiſtant. Eandem impenſionem hi qui in infidelitate ſua perſtiterint publicis utilitatibus in integritate perſolvant. Ipſi verò qui ab errore ſuo converſi extiterint, ſuis tantùm utilitatibus, ut cæteri ingenui vacent, & negotia ſua agentes, quicquid pro publicis indiƈtionibus à Principe eis fuerit imperatum, ut veri Chriſticolæ expediant: nam id æquitatis ordo depoſcit, ut qui Fide Chriſti decorantur, coram hominibus nobiles atque honorabiles habeantur. Legem ſanè illam quæ præfatis capitulis ad eorundem proterendam duritiam à domino noſtro Egicane Principe nuper eſt edita, firmamus, & per hujus conſtitutionis noſtræ decretum inconvulſibile robur eam obtinere cenſemus.

* Validè ſic atterantur.

* Eo orante.

* Extorreſque.

II.

1. Petri 5. Exod. 20. Levit. 26. Deut. 6.

29. Manifeſtiſſimè liquet, quòd hoſtis humani generis, ut Apoſtolus narrat, per mundum rugiens currat, quærens quem devoret: nam diverſo tergiverſationis ſuæ aſtu quamplurimos inſipientium decipiens, ſuis eos decipulis irretire non ceſſat: & cùm Dominus præcipiat: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum*; & reliqua. Et iterum: *Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. Rurſumque: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſervies*; illi diverſis ſuadelis decepti, cultores idolorum efficiuntur, * veneratores lapidum, accenſores facularum, excolentes ſacra fontium vel arborum, auguratores quoque ſeu præcantores, multaque alia, quæ longum eſt narrare. Et quia ille nec conditor eorum eſt, nec dominus ac redemptor; ſummopere reƈtoribus Eccleſiarum Dei convenit ſtudere, ut quos maligna perſuaſione per diverſa ſacrilegia ſibi hoſtis idem ſubjecerat, de ejus jure tollentes, ſuo eos reſtituant creatori. De quibus videlicet ſacrilegiis extirpandis, quoniam multimoda ſanƈtorum Patrum * in diverſis Conciliis clarent ediƈta, * vigilaci ſenſuum indagatione perluſtravimus, ac diſcreto gravitatis pondere horum inſtituta perpendimus.

* *Concil. Tolet. XII. cap. 11. veneratores lapidū, accenſores facularum, & excolentes ſacra fontium vel arborum.*

* *Concil. Elib. cap. 3. & 40. Nicænum cap. 11. Tolet. XII. cap. 11.*

* Ea vigil.

30. Et quia debitæ rationis plenitudine nitent, cum conſenſu ac ferventiſſimo juſſu religioſiſſimi domini noſtri Egicani Regis inſtituentes decernimus, ut omnes Epiſcopi, ſeu presbyteri, vel hi qui judicandis cauſſarum negotiis præſunt, ſolerti cura invigilent, & in cujuſcumque loca præmiſſa ſacrilegia, vel quælibet alia, quæ divina lege prohibentur, vel ſanƈtorum Patrum cohibent inſtituta, venerantes quoque, aut facientes repererint, cujuſcumque ſint generis aut conditionis, ſtatim ſecundùm prædiƈtarum ſententiarum ſeriem emendare & extirpare non differant: & inſuper ea quæ in eodem loco * ſacrilego oblata fuerint, in convicinis Eccleſiis coram ipſis qui hoc voto ſacrilego dedicanda crediderant, habenda perpetim * auferantur. Quòd ſi forſitan Epiſcopus, aut presbyter, ſeu etiam judex, ad quem locus ille pertinuerit, manifeſtiſſimum ac probatiſſimum cujuſpiam ſacrilegii facinus prænoſcens, hoc ardenti voto emendare neglexerit, loci ſui dignitate privatus, anni unius ſpatio erit ſub pœnitentia conſtitutus, loco ſuo in poſtmodum redditurus: ſcilicet, ut in eodem tempore, quo ille à loci ſui propulſus fuerit officio, ſpecialiter à Principe eligatur, qui timore Domini plenus, & ut Phinees

* Sacrilegii. *al.* Sacrilegio.

* Offerantur.

ſpe-

ſpeciali zelo accenſus, cum judicibus ſibimet, ut diximus, injunctis, & ſacrilegium, quod invenerint, omnimodè exſtirpent, & ab omni populo iram Dei arceant.

31. Si qui verò pro talium defenſione obſtiterint ſacerdotibus aut judicibus, ut ea nec emendent ut debent, nec exſtirpent ut condecet, & non potiùs cum eis exquiſitores, ultores, ſeu exſtirpatores tanti criminis exſtiterint, ſint anathema in conſpectu individuæ Trinitatis: & inſuper, ſi nobilis perſona fuerit, auri libras tres ſacratiſſimo fiſco exſolvat: ſi inferior, centenis verberibus flagellabitur, ac turpiter decalvabitur, & medietas rerum ſuarum fiſci viribus applicabitur.

III.

32. Sicut cordis corporiſque munditia homines Deo proximos facit, ita incentivæ pollutionis actio à Deo alienos ſtatuit: & ſicut Sodomiticos populos horrenda nimiumque deteſtanda patratio igni cœlitùs confluenti exurendos in * peccatis tradidit, ita talibus immunditiis homines deditos æternæ damnationis rogus conſumet, loquente Domino per Prophetam: *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* At nunc quoniam hæc funeſta actio, & Sodumiticæ operationis malum multos ſauciâſſe perpenditur, adeò nos ob hujus fœdiſſimæ cauſſæ exſtirpandam conſuetudinem, zelo Domini ardentes, omnes in communi ſancimus, ut quicumque hujus nefariæ actionis patratores exſtiterint, quiſque in his turpitudinibus ſeſe implicari permiſerint, & contra naturam maſculi in maſculos hanc turpitudinem operaverint, ſiquidem Epiſcopus, presbyter, aut diaconus fuerit, de proprii honoris gradu dejectus, perpetui exſilii manebit damnatione perculſus. Sin verò cujuslibet ordinis, gradûs, vel perſonæ, & talibus colluvionis noxiis reperti fuerint implicati, illius legis quæ de talibus eſt edita, nihilominus feriantur ſententiâ, atque ab omni Chriſtianorum ſint alieni caterva; & inſuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exſilio mancipentur perpetuo. Ita niſi tam eos qui religionis cultum turpâſſe viſi fuerint, quàm etiam alios (ut diximus) cujuſcumque ordinis homines digna ſatisfactio pœnitentiæ accipere corpus & ſanguinem Chriſti in fine permiſerit, aut Chriſticolarum ſocietati reddiderit, nec in exitus ſui diem, ſecundùm Canonum inſtituta, communionis perceptione ſe noverint relevari, nec Catholicorum cœtui aggregari.

* Præteritis. *Iſa. 9.* In *legib. Wiſigotorum* lib. 4.

IV.

33. Ad hoc ſacerdotalis inſtitutio debet ſine dubio promulgari, & ut vitia inolita auſteriſſima falce pœnitentiæ deſecet, & ulcus, quod dudum in membrorum compagibus exortum ſauciat ac ſerpit, rigidæ * inventionis conatu uſquequaque detruncet. Quorundam etenim hominum tam grave inolevit deſperationis contagium, ut dum fuerint pro qualibet negligentia aut diſciplinæ cenſura multati, aut pro ſui purgatione ſceleris ſub pœnitentiæ ſatisfactione cuſtodię mancipati, incumbente deſperationis incommodo, ſeipſos malunt aut laqueo ſuſpendio enecare, aut ferro, vel aliis mortiferis caſibus interimere: & niſi præventi cujuslibet rei occaſione, ſuam nihilominus diabolus in eis perficit voluntatem. Proinde huic nequiſſimæ ſuadelæ cupientes ponere finem, & malagmam congruam tali ægrimoniæ providere, cœtus noſtri decernit ſacratiſſima unio, ut quicumque talibus decipulis irretitus, interemptionis evaſerit caſus, duorum menſium ſpatio, & à Catholicorum collegio, & à corpore ac Chriſti ſanguine ſacro manebit omnimodo alienus: quia oportet ut per pœnitentiæ cenſuram priſtinæ reddatur ſpei atque ſaluti, qui animam ſuam per deſperationem conabitur diabolo ſociare.

Concil. Bracar. I. cap. 16. * Innexionis. *Sap. 16.* Neque herba neque malagma ſanavit eos.

V.

34. Quamquam in præteritis ſanctorum Patrum de diverſis cauſſis ſententiæ eniteſcant; ſed & nunc quæ tempori ordiniſque congruant ordinato jure inſtituenda ſunt. Nam ſicut antiquitas de cauſſis ingruentibus edicta multimoda edidit, ita nunc noſtri temporis ætas de his quæ occurrunt ut faciat convenit. Quapropter in medio cœtus noſtri deducta eſt quorundam conſuetudo inordinata ſacerdotum, qui parochias ſuas ultra modum diverſis exactionibus vel angariis compriment, vel quod quamplures Eccleſiæ deſtitutæ perſiſtunt. Iccircò * unio noſtræ adunationis decernit atque inſtituit, ut tertias, quas antiqui Canones de parochiis ſuis habendas Epiſcopis cenſuerunt, ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis diruptæ Eccleſiæ reparentur: ſi verò eas maluerint reddere, ab earundem Eccleſiarum cultoribus, ſub cura & ſolicitudine ſui Pontificis reparatio eiſdem adhibenda eſt Baſilicis.

Concil. Tarracon. cap. 8. Bracar. II. cap. 2. Emeritens. cap. 16. 10. *queſt.* 3. * Unio Congregationis.

35. Quòd ſi omnes Eccleſiæ, aut incolumes fuerint, aut quæ diruptæ erant, reparatæ exſtiterint, ſecundùm antiquorum Canonum inſtituta, tertias ſibi debitas unuſquiſque Epiſcopus aſſequi ſi voluerit, facultas illi omnimoda erit; ita videlicet, ut citra ipſas tertias, nullus Epiſcoporum quippiam pro Regis inquiſitionibus à parochitanis Eccleſiis exigat, nihilque de prædiis ipſarum Eccleſiarum cuiquam aliquid cauſsâ ſtipendii dare præſumat. Sed & hoc neceſſariò inſtituendum delegimus, ut plures Eccleſiæ uni nequaquam committantur presbytero: quia ſolus per totas Eccleſias nec officium valet perſolvere, nec populis ſacerdotali jure occurrere, ſed nec rebus earum neceſſariam curam impendere: eâ ſcilicet ratione, ut Eccleſia, quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat ſacerdotem; quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Eccleſiis. Si quis ſanè Epiſcoporum hanc noſtram inſtitutionem parvipenderit, & quippiam exinde temerandum crediderit, duorum menſium ſpatiis ſe noverit excommunicatione multari: * ita nempe, ut poſtquam ab hoc excommunicationis interdicto ad ordinis ſui remeaverit locum, cunctas hujus Canonis ſanctiones modis omnibus ſtudeat adimplere.

* *Omnia hæc uſque ad calcem capitis deſiit in Gratiano, ut nota Gregoriana animadvertit.*

VI.

36. Licèt multæ ſanctorum Patrum in Fide ſancta nobis præcedentium de rebus neceſſariis ſententiæ promanaverint; tamen quia & nunc uſque numeroſæ ultra quàm oportet fieri prænoſcuntur;

ideo neceſſarium duximus illicitis auſibus ponere terminum. Ad conventus etenim noſtri agnitionem delatum eſt, eo quòd in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam ſacerdotum, partim neſcientiâ implicti, partim temerario auſu provocati, non panes mundos & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in ſacrificio offerant, ſed paſſim quomodo unumquemque aut neceſſitas impulerit, aut voluntas coëgerit, de panibus ſuis uſibus præparatis cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper altare cum vino & aqua pro ſacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in ſacræ auctoritatis hiſtoria uſpiam geſtum perpenditur. Nempe etenim per Matthæum Euangelica veritas inquit: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit.* Item per Marcum: *Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit & dedit eis.* Rurſumque per Lucam: *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis.* Item Apoſtolus: *Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum.*

Matth.26. Marc.14. Luc.22. 1. Cor. 11.

37. Denique quid aliud innuitur, niſi quia panem integrum accipiens, & benedicendo confringens, particulatim unicuique diſcipulorum ſumendum contradidit? Quod & nos in poſtmodum facturos edocuit, haud dubiè ſignificans, quòd omnis buccella panis, non omnis panis buccella. Unde & in ſequentibus ait, dum ſuum traditorem mallet ſignificari: *Cui buccellam panis porrexero, ipſe eſt.* Ac proinde, quia & redempturis verba teſtantur, quòd panem integrum * accipiens, non buccellam, quem poſt benedictionem confrangens ſuis particulatim diſcipulis dederit, & Paullus Apoſtolus ſimiliter nihilominus narrat, quòd panem acceperit, & gratias agens confregerit: necnon & illud, quòd Chriſtus de quinque panibus confractis turbam refecerit; quid aliud inſtituit nos, niſi ut panem integrum ſumentes, ſuper altaris ejus menſam benedicendum ponamus, non particulam panis, quod caput noſtrum nequaquam feciſſe perpendimus? Nam ſi homo ſuæ vitæ diligentiam ſtudioſiùs adhibere procurat, quantò magis ſacris Dei * cultibus nitorem debitum exhibere ſummopere debet?

Joan. 13. * Acceperit. * Cultoribus.

38. Unde temeritatis hujus aut neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus; neque grande aliquid, ſed modica tantùm oblata, ſecundùm quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat: cujus reliquiæ ad conſervandum modico loculo, abſque aliqua injuria faciliùs conſerventur; aut ſi ad conſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius qui ſumpſerit gravis farciminis onere premat, nec quod in digeſtionem vadat, ſed animam alimonia ſpirituali reficiat: ita nempe, ut ab his qui ea ſumpſerint, priſcorum Canonum inſtituta ſerventur. Igitur quicumque hoc decretum noſtrum temerandum crediderit, animadverſioni divini judicii ſubjacebit, & anni unius ſpatio à communione alienus manebit.

VII.

39. Grandis populo datur emendationis correctio, ſi geſta ſynodalia, dum quandoque peraguntur, relatione Pontificum in ſuis parochiis publicantur. Et ideo plenâ decemimus unanimitate connexi, ut dum in qualibet provincia Concilium * agitatur, unuſquiſque Epiſcoporum admunitiunibus ſuis infra ſex menſium ſpatium, omnes Abbates, presbyteros, diaconos, atque clericos, ſeu etiam omnem conventum civitatis ipſius, ubi præeſſe dignuſcitur, necnon & cunctam diœceſis ſuæ plebem, aggregare nequaquam moretur: quatenus coram eis * publicè omnia reſerata, de his quæ eodem anno in Concilio acta vel definita exſtiterint, pleniſſimè notiores efficiantur. Profectò etenim pravorum ſeveritas exſtirpatur, dum canonica inſtituta ad agnitionem eorum obſervanda modis omnibus deducuntur. Ita ſcilicet, ut quæ ſunt, aut in præteritis geſtis, aut in præſentibus conſtitutis, nullus his contradicere audeat, nullus ea reverberare præſumat, nullus non implere contendat. Quòd ſi quiſpiam ea aut parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contra hæc inobedientiâ tumidus, ſuſurratione plenus, invidiâ incenſus, & laceratione perfunctus, necnon potiùs earundem * definitionum exſtiterit favor benevolus, ſententiâ excommunicationis duorum menſium curriculo perſiſtet uſquequaque multatus.

Diſt. 18. cap. Decernimus. * Agitur. * Pleniſſimè omnia reſeret quæ eodẽ anno in Concilio acta vel definita eſſe noſcuntur. * Inſtitutionum.

VIII.

40. Dum ſanctæ actionis ſtudia, ac fervidæ intentionis vota longè lateque diffuſa, principali exhibitione cunctis patulè liquent, Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ obtutibus luce clariùs eniteſcunt, cogunt adunationis noſtræ conventum quippiam ſalutari promiſſione depromere, & cauſsâ retributionis proli ejus aliquid congruum aut expedibile promulgare: quo & parentali exhibitione pro bene geſtis videamur aliquantulam opem beneficentiæ reddere, & ſobolem ejus piæ defenſionis ac tuitionis neceſſario munimine præmunire. Glorioſiſſimus etenim ac ſereniſſimus dominus noſter Egica Rex, ferventiſſimi amatoris Chriſti igne ſuccenſus, & ſanctæ actionis ope perfunctus, inimicorum Chriſti perfidiam, illud prophetale vaticinium ſequens: *Nonne qui oderant te, Deus, oderam illos; & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* utpote verus Chriſticola obnoxios proterere decernit, Eccleſiæ Dei ſtatum vigilaci inſtantiâ roborare diſponit, ſanctis Dei Baſilicis ſe munificum exhibet, tributorum impenſiones populis moderamine diſcreto remittit, maligna contra ſe obſtinatione agentibus, animi liberalitate gratiſſima, ac piæ miſerationis inſtantiâ ignoſcere conſuevit: multos quoque qui confracti ſunt, liberos, ſecundùm Prophetam, omne onus diſrumpendo, in ingenuitatis ſtatu reformat, atque in diverſis ſanctæ vitæ ſtudiis ſeſe exercendo præpollet.

Supra Conc. VIII. cap. 2. & VI. cap. 18. * *Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Pſ. 138. *Iſai. 58.*

41. Quocirca, quoniam pro tot tantiſque beneficiis, quæ multimoda devotio Eccleſiæ Dei, vel gentis ſuæ populis prorogare ſtudet, quid aliud illi unanimitas noſtra condignè reſpondeat, invenire non prævalet; id ſalutari providentia, quæ ſemper eſt utilis (immo ſemper eſt utile quod veram pertinet ad ſalutem) decernit atque inſtituit, ut ejus filiis, ut præmiſimus, fortia tuitionis ad futurum adminicula

pro-

promulgemus, conteſtantes per nomen illud, cui cuncta cœleſtia & terreſtria genuflectunt, omnes præſentes & abſentes, ſeu etiam futuris temporibus ſubſequentes ſacerdotes, vel Principes, ſeu cujuſcumque honoris aut ordinis homines: ut nullus ad futurum poſteritati ejus, atqoe his qui gloriæ ſuæ filiis vel *filiabus conjuncti non ſunt, ſed fortè ſunt conjungendi, injuſtas lædendi occaſiones exquirat, nullus occultè vel publicè, per quæ abdicentur, contra eos malitiæ vota extendat, non eos gladio vel qualibet perniciosa factione interimat, nullos conſilium vel opus, quibus injuſtè dejiciantur, vel nudentur rebus, exhibeat, nullus his injuſtæ violentum tonſuræ ſignaculum imprimat, nullus veſtem contra ordinem filiabus ſuis atque nuris mutare præſumat, nullus etiam extra evidentis culpæ indicium, aut ex illis eos relegandos inducat, aut eorum corporibus quarumlibet truncationum vel flagellorum inferat detrimentum.

* Filiabus conjuncti eſſe noſcuntur, ſeu qui adhuc cōjuncti non ſunt.

42. Denique licèt hæc quæ præmiſſa ſunt æquiſſimè digeſta exiſtant, tamen quia ejuſdem glorioſi noſtri domini tantum emicat devotio prompta, ut ea ipſa nequeant ei ad complementum vicem patientiæ reddere debitam; ob hoc noſtram univerſitatem adjicere ſaluberrimè convenit, ut tam per omnes civitates vel loca, in quibus ſedes Epiſcoporum eſſe noſcuntur, ad regni ejus ditionem pertinentes, quàm etiam per eorundem Epiſcoporum diœceſes, excepto Paſſionis Dominicæ die, quando altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam in eodem die Miſſarum licet ſolennia celebrare, cunctis aliis diebus, quibus iiſdem Dominus noſter in hac vita ſuperſtes exſtiterit, pro eo, vel pro cunctis ejus filiis vel filiabus, aut pro his qui jam matrimoniali ſunt jure conjuncti, adhucque ſunt conjungendi, ſeu pro nepotibus, vel ſuis omnibus, ſacrificiorum Domino libamina dedicentur, piæ orationis vota ſolvantur, ac cum gratiarum actione ſuperno numini commendentur: quia ſi deſideria in eis bona quotidie multiplicentur, adverſantium eorum conamina virtute ſuæ dexteræ confringantur, indulgentia & gratia eis à ſua miſericordia conferatur: ut ſuæ potentiæ defenſione protecti, antiqui hoſtis decipula evadant, & charitate ac vitæ longævitate pollentes, adire mereantur poſt tranſitum ſidereas manſiones.

IX.

43. Sicut ſummum bonum eſt, valdeque conſpicuum, ſuperno numini amanter fideliterque inhærere, ejuſque præceptioni patientiam votis gliſcentibus exhibere; ita conſequens bonum eſt, poſt Deum Regibus, utpote jure vicario ab eo prælectis, fidem promiſſam quemque inviolabili cordis intentione ſervare, & nulla contra eum occaſione quicquam nocibilitatis excogitare, nihilque noxius definire, dicente Domino: *Nolite tangere Chriſtos meos*. Et iterum David: *Quis enim extendit manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* Item ipſe cuidam comminans: *Quare non timuiſti manum tuam mittere, ut occideres Chriſtum Domini?* Unde opportunum ſatis eſt, ut ſponſio Principibus compromiſſa abſque aliquo fraudis nævo cuſtodiatur, & fides eis reddita nullis factionibus, nulliſque etiam nequitiæ machinationibus temeretur. Nam ſi nuda tantùm verbi pollicitatio qualibet occaſione violetur, criminis denotatione cenſetur; quantò magis ſi fides Regibus ſub jurisjurandi atteſtatione promiſſa, nequaquam profanare pertimeſcatur? Eſt enim quorundam ſæcularium, & (quod pejus eſt) ſacerdotum improbanda ſatis obſtinatio animorum: & fidem ſuis Principibus ſub juramento promiſſam obſervare contemnunt, & verborum fuco juramenti obnubilant promiſſionem, dum in arcano pectoris retentent infidelitatis perverſitatem. Et dum ſcriptum ſit: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.* Et iterum: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus.* Ruſſumque: *Maledictus omnis qui jurat in nomine Domini Dei ſui mendaciter.* Illi jurantes fidem promiſſam temerare non metuunt, & juramenti ſui pollicitationem prævaricare nullatenus pertimeſcunt.

Pſal. 104. 1. Reg. 26. 2. Reg. 1.

Exod. 20.

Levit. 19.

44. Unde Sisbertus Toletanæ Sedis Epiſcopus talibus machinationibus denotatus repertus eſt, pro eo quòd ſereniſſimum dominum noſtrum Egicanem Regem non tantùm regno privare, ſed & morte cum Flogello, Theodomiro, Liubilane, Liubigitone quoque, Thecla, & cæteris interimere definivit, atque genti ejus vel patriæ inferre conturbium & excidium cogitavit: qui etiam per decreti noſtri definitionem jam & loco & honore privatus exiſtit. Ideo noſtrum in commune per hujus canonicæ ſanctionis decernit collegium, ut hoc ipſum omnimodis noſtræ decretum, quod etiam his ſynodicis definitionibus annectendum decrevimus, omni ſubſiſtat valore ſuboixom, atque in perpetuum obtineat inconvulſibile robur.

45. Ipſe verò Sisbertus pro ſui juramenti tranſgreſſione, ſacinoriſque tanti machinatione, ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem, quâ præcipitur, ut quiſquis inventus fuerit talia feciſſe, & vivente Principe in alium attendiſſe pro futura regni ſpe, à conventu Catholicorum excommunicationis ſententiâ repellatur; honore ſimul & loco depulſus, omnibuſque rebus exotus, quibuſque in poteſtate prædicti Principis redactis, perpetui exſilii ergaſtulo maneat relegatus: ita nempe ut ſecundùm eorundem antiquorum Canonum decreta, in fine vitæ ſuæ tantùm communionem accipiat: excepto ſi regia eum pietas antè abſolvendum crediderit. Similí quoque & cæteri de religioſis, cujuslibet ſint ordinis aut honoris, qui deinceps talia contra Principem egiſſe vel definiſſe reperti exſtiterint, cenſurâ multandi ſunt.

De eo, vide Rodericum Toletanum. Concil. Tolet. IV. cap. 75. & Concil. Tolet. V. cap. 4. & Concil. Tolet. VI. cap. 17. & Concil. Tolet. X. cap. 2.

X.

46. Sicut ulcus quod *graviter ſerpit in corpore, nonniſi gravioribus medicaminibus aut ferro curatur, ita perfidorum obſtinatio, quæ nullatenus cohibetur, durioribus ſententiis neceſſe eſt ut multetur. Nam quamquam Dominica ſanctio proteſtetur: *Non morietur pater pro filiis, nec filii pro*

* Graditer.

paren-

Deut. 24. & Paralip. 25. ubi legitur: Non occidentur patres pro filiis.

parentibus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur. Et iterum: *Filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filii*, tamen, quia & jurisjurandi transgreſſio validè inolevit, & machinandi contra Principes noſtros conſuetudo ſæva percrebuit, quo aut nece diverſa Princeps interimatur, aut regni dignitate privetur (quod nequaquam cohiberi poteſt, niſi ſeveriori cenſura) ideo per hujus inſtitutionis noſtræ decretum ſancimus, ut quicumque deinceps, cujuslibet ſit honoris perſona vel ordinis, in necem vel dejectionem regiam quippiam machinaverit, eumque qualibet nocibilitate impendendum crediderit, aut gentem ejus vel patriam, quibuslibet factionibus vel machinationibus diſturbare contenderit; tam ipſe, quàm omnis ejus poſteritas, ab omni palatini ordinis dignitate privati, fiſci viribus ſub perpetua ſervitute maneant religati, poteſtate tantùm glorioſo Principi noſtro Egicani ſervatâ, ut ſi aut eos qui jam pro ſuæ infidelitatis perfidia canonicè legaliterque dijudicati ſunt, aut eos qui deinceps à fidei ſuæ juramento aborbitaverint, & adversùs prædictum Principem noſtrum aliquid nocibilitatis agere aut machinare ſtuduerint; ſi eos, ut diximus, piæ indulgentiæ voto quandoque relevare maluerit, licentia illi uſquequaque manebit. Et quia res eorum juſto ac legali modo in ejuſdem domini noſtri dominio pervenerunt, ex quibus etiam quædam ejuſdem Principis collatione, tam Eccleſiæ Dei, quàm prolis ejuſdem domini noſtri, ſeu etiam alii plures, pro ſui ſervitii merito accipere meruerunt; providè inſtituentes decernimus, ut nullo umquam tempore eorum filii, qui juramenti ſui profanatores exſtitiſſe noſcuntur, ſeu exſtiterint, vel ſubſequens eorum poſteritas, in nocibilitate eorum intendere audeant, nec ipſas res eis anferre quoquo pacto ſtudeant.

47. Ideo denique, ut præmiſimus, ſeveriſſimam hanc decreti noſtri curabimus promulgare ſententiam, ut qui ſuum non formidat exitium, ſaltem filiorum cunctæque ſuæ poſteritatis pertimeſcat interitum. Si quis ſanè Regum ſuccedentium cunctas hujus conſtitutionis noſtræ definitiones cuſtodire aut implere diſtulerit, omnis linea generationis ejus perpetim condemnata depereat, & inſuper divino judicio rebus omnibus & honore præſenti in ſæculo careat, atque Chriſto judicante, cum diabolo ejuſque ſociis ad interitum gehennæ perveniat. Cui noſtræ definitioni ex antiquo Canone quædam neceſſaria innectimus, & omnes in commune ipſis verbis, quibus (ut diximus) hoc deprompſit antiquitas, proclamamus, dicentes: Quicumque igitur à nobis, vel totius Eccleſiæ populis, qualibet conjuratione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gotthorum ſtatu, vel pro conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut glorioſum Principem noſtrum Egicanem, vel ſubſequentes Principes nece attrectare voluerit, aut poteſtate regni exuere tentaverit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpare delegerit, anathema ſit in conſpectu Dei Patris, & angelorum, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus, cum omnibus impietatis ſuæ ſociis: quia & oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimilis error invenerit implicatos.

Conc. Tol. IV. cap. 75.

48. Quod iterum ſecundò replicamus, dicentes: Quicumque amodò ex nobis, vel cunctis Hiſpaniæ populis, quolibet tractatu vel ſtudio, ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gotthorum ſtatu vel conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, violaverit, aut prædictum Principem noſtrum, aut ſubſequentes principes nec atrectare voluerit, aut poteſtate regni exuere tentaverit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpare delegerit, anathema ſit in Chriſti conſpectu & Apoſtolorum ejus, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni conſortio Chriſtianorum alienus, & damnatus in futuro judicio habeatur cum participibus ſuis: quia dignum eſt ut qui talibus ſociantur, ipſi etiam damnationis eorum participatione obnoxii teneantur.

49. Hoc etiam tertiò clamamus, dicentes: Quicumque amodò ex nobis, vel cunctis Hiſpaniæ populis, qualibet meditatione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ ſalute, gentiſque Gotthorum ſtatu, vel incolumitate regiæ poteſtatis pollicitus eſt, violaverit, aut totiens dictum Principem noſtrum vel ſubſequentes Principes nece attrectare voluerit, aut poteſtate regni exuere tentaverit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpare delegerit, anathema ſit in conſpectu Spiritûs ſancti, & Martyrum Chriſti, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Chriſtianorum alienus: neque partem juſtorum habeat, ſed cum diabolo & angelis ejus æternis ſuppliciis condemnetur, unà cum eis qui eâdem conjuratione nituntur: ut par pœna conſtringat, quos in pernicie prava ſocietas copulat. Et ideo ſi placet omnibus qui adeſtis hæc tertiò reiterata ſententia, veſtræ vocis eam conſenſu firmate. Ab univerſis Dei ſacerdotibus, palatii ſenioribus, clero, vel omni populo dictum eſt: Qui contra hanc veſtram definitionem venire præſumpſerit, ſit anathema, maranatha, hoc eſt perditio in adventu Domini, & cum Juda Iſcharioth partem habeant & ipſi & ſocii eorum.

XI.

50. Finitis conſummatiſque omnibus quæ ob diſciplinam Eccleſiaſticam neceſſaria fuère definienda, vel reliqua quæ noſtro cœtui ob directionem exſtitère delata, omnipotentiſſimæ & indiviſibili Trinitati ineffabilium gratiarum jura dependimus, laudum vota perſolvimus, ac tota mentis intentione gloriæ ejus inſignia prædicamus, pro eo quòd nos ejus diſpoſitione mirabili non ſolùm ad hunc ſanctæ congregationis cœtum meruimus adunari, atque alternæ viſionis intuitu confoveri; ſed ex ſe nobis dicere contulit, & in ſe dicta complevit; obnixiùs ejus imprecantes clementiam, ut ſicuti nos alterutræ pacis oſculo dulcifluos reddidit, & diffinitionum noſtrarum primordia lineavit, * ac conſummatione ſublimi perficiendo concluſit, ita ſereniſſimum ac piiſſimum dominum noſtrum Egicanem Regem, cujus juſſu atque hortatu ſicut hîc adunati ſumus, ſalutiferæ defenſionis clypeo protegat, vexillo Fidei muniat,

* *Hanc conſummationem ſublimi perficiendo cõcludit.*

atque cum gente & patria ſibi credita per viam voluntatis ſuæ deducat; quatenus protelatis præſentis ævi curriculis feliciter polleat, & poſt hujus vitæ excurſus numeroſitate piæ actionis opimus, cum his quibus nunc principatur, ad Chriſtum perveniat laureandus.

XII.

51. Actuum Apoſtolorum probata ſatis & veneranda narrat hiſtoria, quòd Judâ crimine proditionis damnato, nequaquam Spiritus ſanctus ſuper reliquos undecim illapſu cœlico eſt diffuſus, quoadusque Mathias ab omnibus eſt præelectus in loco ejuſdem Apoſtolus: inde ſcilicet, quia undenarius numerus tranſgreſſionem ſignificat mandatorum. Et quia Sisbertus Toletanæ Sedis Epiſcopus ſuo facinore denotatus, noſtro ex corpore conſtat abſciſſus; ob id ſummopere numeroſitatem noſtram convenit ſtudere, ut in loco ejus alio ſubrogato, perfectioni debitæ corpus noſtrum reddatur, ſicut per Mathiam perfectus numerus noſcitur ſuiſſe completus. Et quia idem, legationem ſuperni numinis fungentes, Apoſtoli ſunt proteſtati, dicentes: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalvi ſiunt, & in his qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam*. Illis videlicet odor vitæ in vitam, qui præceptis eorum exhibere patientiam curaverunt, illis verò odor mortis in mortem, qui eorum nihilominus monita contempſerunt. 1. Act. / Corinth.

52. Proinde quia prædictus Sisbertus, Toletanæ Sedis Epiſcopus, eorum ſalutaribus monitis nequaquam maluit ex humilitate dependere obſequelam, quo Eccleſiam Dei ordine debito regeret, humilitate inſtrueret, & exemplis ſalutaribus ad regna ſiderea provocaret; ſed bicipiti ſe percellens mucrone, ſuperbiæ videlicet atque perjurii, glorioſum dominum noſtrum Egicanem Regem non ſolùm regno voluit privare, ſed & mortis impenſione perimere; ideo non congruit nos priùs Concilium inchoare, niſi illo priùs canonica ac legali cenſurâ multato, in loco ejus alius fuerit ſubrogatus, Toletanæ Sedis cathedram retenturus. Iccircò nobis omnibus in unum collectis, idem Sisbertus Epiſcopus noſtro cœtui præſentatus, atque infidelitatis ſuæ machinationem patuli oris eſt affatu profeſſus. Unde nos per hujus decreti noſtri formulam, ſæpedictum Sisbertum, ſecundùm edictum priſcum ſynodicæ ſanctionis, ac decretum de talibus promulgatæ legis, ab Epiſcopali ordine & honore dejicimus, à perceptione corporis & ſanguinis Chriſti excommunicatum in exſilio perpetuo manere cenſemus, in fine tantùm communionem per omnia percepturum: excepto ſi eum principalis pietas cum ſacerdotali conniventia delegerit abſolvendum.

53. Igitur quoniam favente Domino Concilium eſt quo citiùs inchoandum, ſecundùm prælectionem atque auctoritatem totiens dicti noſtri domini, per quam in præteritis juſſit venerabilem fratrem noſtrum Felicem, Hiſpalenſis Sedis Epiſcopum, de prædicta Sede Toletana jure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſervans ibidem decreto firmandum; ob id nos cum conſenſu cleri ac populi, ad ſæpè dictam Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede, quam uſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem canonicè tranſducimus, & in eadem Hiſpalenſi cathedra fratrem noſtrum Fauſtinum Bracarenſis ſedis Epiſcopum, necnon & Felicem Portucalenſis Eccleſiæ Antiſtitem, in præfata Bracarenſi ſede, ſimiliter Pontifices ſubrogamus, ac perpetua ſanctione unumquemque eorum in privatis ſedibus confirmamus, quatenus uterque eaſdem, quas ſuſcipiunt Eccleſias, pia prædicatione inſtruant, moribus ſanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent: ut unanimitate mirabili in unum collecti, unum corpus effecti, eis nobiſcum in ſynodali conventu pariter reſidentibus, illapſum ſancti Spiritus, ut duodecim Apoſtoli, mereamur: quo ejus igne ſuccenſi, & doctrinâ imbuti, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, & ad compeſcendos pravorum hominum mores, æquiſſimè promulgemus, & laudes altiſſimo devotis mentibus præcinamus. Quod videlicet collegii noſtri decretum geſtis ſynodalibus, à nobis in Concilio fortè definiendis, ſociandum decernimus, & locum illic debitum ut obtineat, definimus.

XIII.

54. Synodalis conventus, & numeroſa adunatio ſacerdotum, eò venerabilior cunctis perpenditur, eò nihilominus terribilis cernitur, quòd in medio cœtûs eorum præſentia individuæ Trinitatis adeſſe nequaquam ambigitur, ſancto proteſtante Euangelio: *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ſum & ego in medio eorum*. Quocirca, quia ſe in eorum medio ſuperni omnipotentiâ numinis adeſſe innotuit, quid aliud niſi quicquid eorum ore depromitur, inſpiramine eſt ejus affectum, qui ſe inter eos eſt faſſus habitaturum? Unde glorioſa ſerenitas noſtra ea quæ unanimitas eorum deprompſit, immo quæ per ora illorum Spiritus ſanctus promulgavit, venerabiliter ſuſcipit, amanter amplectitur, & per hujus legis noſtræ decretum firma in perpetuum manere decernit, inconvulſibili conſiſtere auctoritate inſtituit, & omnimodum robur obtinere decernit: ſcilicet, ut à præſentis diei temporiſque articulo, omni vigilantia, omni ſollicitudine, omni etiam cura, quæque ſunt pro diſciplina vel utilitate Eccleſiaſtica in hac Synodo definita, quæque pro corrigendis pravorum motibus edita, per cunctas regni noſtri provincias ab omnibus cuſtodiantur, & abſque aliqua ſcrupuloſitate vel controverſiæ oppoſitione ſerventur. Et quia ingruente inguinalis plagæ vaſtatione, qui ad Narbonenſem Sedem pertinent Epiſcopi, nequaquam ſunt in hac ſancta Synodo aggregati; ideo per hanc noſtræ manſuetudinis legem inſtituentes jubemus, ut omnes ad ejuſdem cathedræ diœceſim pertinentes Epiſcopi, in eadem urbe Narbona cum ſuo Metropolitano adunentur, & cunctis hujus Concilii capitulis vigilaci ab eis indagatione perlectis, accedant ordinibus debitis ſubſcriptores. Si quis igitur earundem definitionum Conſtitutiones temerare præſumpſerit, detrahere viſus fuerit, & miſerabili auſu eis contraire tentaverit, excommunicationis ſententiâ ferietur, & rerum ſuarum * quinta parte multabitur. Matth. 15. / * Quarta.

IN NOMINE DOMINI

Flavius Egica Rex omnibus ſanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

Eſt hæc Epiſtol. in Cod. Lucenſ. & in utroque Toletan. in aliis deeſt. Exiſtimo redd tam ante depoſitionem Siſberti.

55. ECCE, ſanctiſſimi Patres in Chriſto, & Apoſtolico dogmate fideles populi doctores, ſynodicæ aggregationis veſtræ unionem illo fiducialiter hortatu convenio, quo religioſum nobis veſtræ ſanctitudinis præbeatis ſuffragium, veſtræque promulgationis conſultum porrigatis omnimodè præſtolatum. Promptiſſimè etenim ſæpè glorioſæ noſtræ ſerenitatis fervet devotio, ac puræ voluntatis flagrat devotiſſima plenitudo, illis cum plebe mihi credita affectibus vivere, pietatibus inhærere, ac miſericordiæ incremento ſtudium regendi ſervare, quibus tempora noſtra nullis adverſitatum ſtimulis commota, nullis civilibus vel externis excitationibus præpedita, pacis munere floreant; ac miſerationis noſtræ beneficio cumulata perſiſtant: & quos forſitan pravæ infidelitatis implicat actio, reſpectu clementiæ noſtræ, ſi fas eſt, pietatis releventur ex brachio; ut parcendo illis ſupernam mihi clementiam fautorem efficiam, & ſtatus gentis meæ ac patriæ nullis ampliùs, quod abſit, ruinæ lapſibus concidat.

56. Sed quantum culparum noxam remittere procuramus, tantum profanatorum tranſgreſſio molitur, & crebris perfidiæ auſibus præpedita ſubruitur. Unde ſi culpis indulgentiam, ſi condigna factis reſtituam, anceps noſtræ tranquillitatis animus æſtuat, in eo quòd plerumque ipſa culparum remiſſio increbreſcenti nequitia in contrarium vertitur; cùm nec tandem vitia reprimuntur, quæ facili emendationis conamine perduci ad terminum debuerunt. Ipſi autem in hoc ſancto Concilio liquidè perpendatis, jam jamque antea plurimorum caſus relatu opinabili didiciſtis, quibus perfidorum, quantiſque æmulorum nefandis conatibus deceptionis meæ, quotidie excidium ſentiam, vel quanta patriæ fuerint inſolenter conturbia excitata. Quorum denique ſceleratorum, qui & in præteritis & nunc perfidàſſe detecti ſunt, prævaricatione compellimur cœtûs veſtri in univerſitatem conſulere: ut quod de talium exceſſibus, qui in præteritis, vel nunc uſque mihimet deliquiſſe noſcuntur, agere ſerenitatem noſtram conveniat, utrùm condignis ſententiis canonicè ac legaliter feriantur, an parcendo illis, noxarum debita impunita ſerventur, ſaluberrimâ unanimitatis veſtræ promulgatione attentiùs decernatur: illa noſtræ gloriæ, vel ſucceſſorum noſtrorum Principum licentia modis omnibus ſervata, ut ſi deinceps quiſquam contra regiam poteſtatem, gentem ac patriam noſtram agere conatus exſtiterit, juxta canonicam ſententiam tempore prædeceſſoris noſtri domini Siſenandi Principis de talibus perſonis in Concilio editam, vel legis ſententiam, ejus debeat pravitas acriter coërceri. Tantum eſt, ut ſicut præmiſimus, quo emendationis ſtudio errantium mihi tranſgreſſio emendetur, ſalutaris veſtra reſponſio noſtris clareſcat in ſenſibus: nam & hoc decreti veſtri condecet ſtylo cenſendum.

Conc. Toletan. IV. cap. 75.

57. Et quia præceſſor noſter dignæ memoriæ dominus Wamba Rex in ipſis regnandi primordiis Theudemundum ſpatharium noſtrum contra generis vel ordinis ſui uſum, Feſti quondam incitatione Emeritenſis Epiſcopi, ſolius tantùm regiæ poteſtatis impulſu, in eadem Emeritenſi urbe Numerariæ officium agere inſtituit (quod etiam unius anni excurſu contra rationem noſcitur peregiſſe) immo quia nec valuit imperio gentis obſiſtere, veſtri edicto Concilii ab eodem Theudemundo, ſuaque omni poſteritate, talis actionis officium ſuſpendatis: quò nullo ulteriùs tempore, tam ipſe, quàm omnis ejus progenies, uſque ad finem ſæculi, ob hanc cauſſam videantur aliquatenus moleſtari. Datum ſub die Kalendas Majas, anno feliciter ſexto regni noſtri, in Dei nomine, ſedis noſtræ Toleto.

Subſcriptiones.

1. Ego Felix indignus urbis regiæ Epiſcopus hæc decreta ſynodica à nobis edita ſubſcripſi.
2. Ego Fauſtinus indignus Hiſpalenſis Sedis Epiſcopus hæc decreta ſynodica à nobis edita ſubſcripſi.
3. Maximus indignus ſanctæ Eccleſiæ Emeritenſis Epiſcopus hæc decreta ſynodica à nobis edita ſubſcripſi.
4. Ego Vera indignus Tarraconenſis Sedis Epiſcopus hæc decreta ſynodalia à nobis edita ſubſcripſi.
5. Ego Felix in Dei nomine Bracarenſis atque Portucalenſis Sedium Epiſcopus hæc decreta ſynodalia à nobis edita ſubſcripſi.
6. Gaudentius Valerienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
7. Florus Menteſanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
8. Ervigius Beterrenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
9. Fructuoſus Aureſinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
10. Guadila Empuritanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
11. Bonifacius Caurienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

12. * Arcontius Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. * Ardontius.
13. Auredus Ilerdenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
14. Gondericus Segontinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
15. Spaſſandus Complutenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
16. Beroaldus Palentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
17. Marianus Oretanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
18. Vitiſclus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
19. Sonna Oxomenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
20. Gabinus Arcabricæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
21. * Zacceus Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopos ſubſcripſi. * Zaccharus.
22. . . . .
23. Anterius Segobrienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
24. Honorius Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
25. Arvidius Aſtigitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
26. Pappulus Eliplenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
27. Decentius Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
28. Habitus Urcitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
29. Felix * Calagurritanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. * Calahorritanæ
30. Conſtantinus Aucenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
31. Audebertus Oſcenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
32. Adelphius Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
33. Nepotianus Tyraſſonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
34. Suniagniſidus Laniobrenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
35. Potentius Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
36. Eppa Illicitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
37. Joannes Egarenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
38. Holemundus Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
39. Valdefredus Cęſarauguſtanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
40. Invulatus Dertoſanæ Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
41. Arceſindus Egabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
42. Iſidorus Setabitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
43. Joannes Abelenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
44. Theudiſclus Beatienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
45. Cuniuldus Italicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
46. Wiſefredus Auſonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
47. Laulſus Barcinonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
48. Emilla Conimbrienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
49. Leubericus Urgelitanæ Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
50. Siſebado Tuccitanæ Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
51. * Gerontius Aſſidonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. * Hierontius.
52. Baſilius Baſtitanę Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
53. * Finniſus Lamecenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. * Fionicus. *al.* Fiontius.
54. Mirus Gerundenſis Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
55. Landericus Olyſſipponenſis Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
56. Joannes Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
57. Centurius Eliberitanæ Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
58. Theudefredus Viſenſis Sedis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
59. Aurelius Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Abbates.

1. Gabriel miſericordiâ Dei Abbas hęc decreta ſynodalia à nobis edita ſubſcripſi.
2. Eulalius Abbas ſubſcripſi.
3. Nervatius Abbas ſubſcripſi.
4. Braulio Abbas ſubſcripſi.
5. Eugenius Abbas ſubſcripſi.

Vicarii Epiſcoporum.

1. Vitulus diaconus, agens vicem domini mei Marciani Dianienſis Eccleſiæ Epiſcopi ſubſcripſi.

2. Vincomalus diaconus, agens vicem domini mei Marciani Pampilonenſis Sedis Epiſcopi ſubſcripſi.

3. Chriſtes presbyter, agens vicem Agrippii Oſſonobenſis Sedis Epiſcopi.

Comites viri illuſtres.

1. Vitulus vir illuſtris Comes Patrimonii & Dux hæc decreta ſynodalia edita ſubſcripſi.
2. Wimar Comes ſubſcripſi.
3. Thendulphus Comes ſubſcripſi.
4. Paullus Comes ſubſcripſi.
5. Theudefredus Comes ſubſcripſi.
6. David Comes ſubſcripſi.
7. Requiſindus Comes ſubſcripſi.
8. Siſemundus Comes ſubſcripſi.
9. Ella Comes ſubſcripſi.
10. Theodehitus Comes ſubſcripſi.
11. Regeſvindus Comes ſubſcripſi.
12. Ega Comes ſubſcripſi.
13. Afrila Comes ſubſcripſi.
14. Danila Comes ſubſcripſi.
15. Audemundus ſubſcripſi.
16. Theudemuodus ſubſcripſi.

NOTÆ VARIORUM.

58. CONCILIUM TOLETANUM XVI.] Tria Concilia inveniuntur celebrata in Hiſpania tempore Egicaois Regis. Primum eorum fuit Toletanum XV. ſub Juliano Præſule, habitum anno Chriſti DCLXXXVIII. & primo regni illius. Secundum eorundem fuit Cæſar-auguſtanum III. anno Chriſti DCLXXXIX. Egicanis autem ſecundo. Tertium tandem eſt hoc ipſum Tuletanum XVI. anno Chriſti DCXCIII. Egicanis quinto, in quo Sisbertus Præſul Toletanus ob crimen læſæ majeſtatis cum diris & exſecratione depoſitus fuit, & Felix Hiſpalenſis in ejus locum ſuffectus; ſicuti & pro Felice Fauſtinus Bracarenſis Antiſtes, ac pro Fauſtino alius Felix Epiſcopus Portucalenſis. Depoſito Sisberto Toletano, intra ipſum Concilium, nullâ morâ exſpectatâ, tres prædictæ translationes factæ fuerunt; ſicuti & ſuprà in Concilio Toletano X. vidimus depoſito ob peccatum carnis Potamio Præſule Bracarenſi, ſtatim in locum illius ſubrogatum fuiſſe S. Fructuoſum Epiſcopum Dumienſem. Quod autem infrà Patres hi Toletani ajunt, ſe facere CANONICE translationes iſtas, oon caret difficultate, nec contradictione plurium auctorum. Sed de hoc ſatis egimus ſuprà in Notis ad Concilium Toletanum X. & latiùs antea Tomo I. Diſſert. XI. præſertim Excurſu V. ubi eruditus lector inveniet plura, quibus factum iſtud Toletanorum Patrum à labe ſeu violatione ſacrorum Canonum excuſare poſſit, & controverſiam ipſam de translatione Epiſcoporum intra Eccleſiam Occidentalem, præſertim Hiſpanicam, penitiùs nôſſe, ac faciliùs dirimere. CARD. DE AGUIRRE.

59. AD CAP. I. *Antiquorum Patrum ſententia.*] Concilio Toletano XII. cap. 8. Concilio Toletano IV. à cap. 57. uſque ad 66. & *Legib. Wiſi-gottborum*, lib. 12. toto penè ſecundo titulo. Conc. Toletaoo III. cap. 14. Conc. Tolet. XVII. cap. 8.

60. AD CAP. II. *In diverſis Conciliis.*] Concilio Eliberitano cap. 3. & 40. in Concilio Nicæno cap. 11. Aurelianen. II. cap. 19. Toletano XII. cap. 11. multiſque aliis Coocillis idem contra idolorum cultores decretum eſt. LOAISA.

61. AD CAP. III. *De ſtupris*, aliàs *De ſodomitis.*] Coociliom Toletanum XVI. ex novem ſuprà quinquaginta Epiſcopis conflatum, anno Redemptoris DCXCIII. celebratum, horribile illud peccatum ſequentibus pœnis plectendum eſſe decernit Canone vel num. III. Sicut cordis, (inquit) corporiſque munditia homines Deo proximos facit, ita incentivæ pollutionis actio à Deo alienos ſtatuit: & ſicut ſodomiticos populos horrenda nimiſque deteſtaoda patratio igni cœlitùs confluenti exurendos in præteritis tradidit; ita talibus immunditiis deditos homines æternæ damnationis rogus coosumet, loquente Domino per Prophetam: *veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* At nunc quoniam hæc funeſta actio, & Sodomiticæ operationis malum, multos ſauciâſſe perpenditur, adeò nos ob hujus fœdiſſimæ cauſſæ exſtirpandam conſuetudinem zelo Domini ardentes, omnes in commune ſancimus, ut quicumqoe hujus nefariæ actionis patratores exſtiterint, quiſque in his turpitudinibus ſeſe implicari permiſerint, & contra naturam maſculi in maſculos hanc turpitudinem operati fuerint; ſiquidem Epiſcopus, presbyter, aut diaconus fuerit, de proprii honoris gradu dejectus, perpetui exſilii manebit damnatione perculſus. Sin verò cujuslibet ordinis, gradus, vel perſonæ, ac talibus colluvionis ooxis reperti fuerint implicati, illius legis, quæ de talibus eſt edita, nihilominùs feriantur ſententiâ, atque ab omni Chriſtianorum alieni caterva, & inſuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exſilio mancipentur perpetuo. Ita niſi tam eos, qui religionis cultum turpâſſe viſi fuerint, quàm etiam alios (ut diximus) cujuſcumque ordinis homines di-

digna ſatisfactio pœnitentiæ, accipere corpus & ſanguinem Chriſti in fine permiſerit, aut Chriſticularum ſucietati teddiderit, nec in exitus ſui diem, ſecundùm Canunum inſtituta, communionis perceptiune ſe nuveriut relevari, nec Catholicorum cœtui aggregari. Hactenus Canon Toletani Concilii XVI.

62. Quid quud hujuſmodi peccatum in cœlum clamare dicitur, eo quòd ad ejus ultiunem Deus adigatur? Unde Salvianus lib. 1. *De Gubernat. Dei*, verſans iſta Geneſeos verba: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt: Quare*, (inquit) *peccata hominum clamare teſtatur? ſcilicet quia cadi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur*. Et infrà: *Dominus dicens, quod clamor Sodomorum adſe aſcenderit: Hoc eſt dicere: miſericordia quidem mea mihi ſuadet ut parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam*. Hæc ille.

63. Tale & tam immane peccatum capitali ſuppliciu plectendum decernitur Levit. cap. 18. verſ. 29. & ejuſdem Levit. cap. 20. verſ. 13. & alibi. S. Paullus Rom. cap. 1. adeò nefandum tale peccatum eſſe demunſtrat, ot nun ſolùm grande peccatum, ſed etiam graviſſimurum criminum, animadvertendæ ſcilicet vanitatis, quâ Philoſophi ſuis in cogitatiouibus evanuerunt, & idolatriæ, iu quam iuciderunt, pœnam eſſe luculenter afferat.

64. Cuncilia ſæpenumero immane illud peccatum contra naturam ſub gravium pœnarum interminatiune prohiboerunt. Nam Concilium Illiberitanum (quod & Nicæno & Arelatenſi I. antiquius eſſe affirmant eruditi) illud ipſum peccatum perpetua excommunicatiune multat, ut patet ex Can. LXXI. qun decernit ſtupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem, id eſt denegandam eſſe reconciliationem ſeu abſulutionem. Re vera Gabriel Albaſpineus *Obſerat.* l. 2. obſervat. 13. citat ea Tertulliani verba ex cap. 4. libri *De Pudicitia*. *Reliquas autem libidinum furias impias & iu corpora & in ſexus ultra jura natura, non modò limine, verùm omni Eccleſia tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*: ait his muuſtris nuſquam indultam eſſe veniam. Quæ autem & qualia ſint hujuſmodi muoſtra apud Chriſtianos declarat idem Tertullianus in lib. *De corona militis*, cap. 5. *Omne quod coutra naturam eſt, monſtri meretur notam apud omnes; penes nos verò etiam elogium ſacrilegii in Deum, natura Dominum & auctorem*.

65. Iuſuper idem Albaſpiueus luco citato affirmat temporibus Cuncilii Illiberitani peccata iſta tam exſecranda, tamque horribilia, perpetua excommnnicatione fuiſſe multata, ita ut illorum conſcii nec in ipſâ murte abſolvi poſſent.

66. Concilium Ancyrauum annu Chriſti CCCXIV. celebratum, cum hujuſmodi monſtris paullò humauiùs & benigniùs agere cœpit. Sic enim ſtatuit Can. XV. De his (inquit) qui irrationabiliter verſati ſunt (ideſt contra naturalem nſum in maſculos vel pecora exarſerunt) vel verſantur, quotquut ante viceſimum annum tale crimen commiſerint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquenniu in hac cummuniune durantes, tunc demum ublationis ſacramenta contingant, & ita miſericordiam conſequantur. Quod ſi inexplebiliter his hæſere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus inſumant. Quotquut autem peracta viginti annorum ætate, & uxores habentes, in huc peccatum prolapſi ſunt, viginti quinque annis pœnitudiuem gereutes, in cummuniunem ſuſcipiautur orationum: in qua quinquennio perdurantes, tunc demom ublationis ſacramenta percipiant. Quòd ſi qui & nxores habentes, & tranſcendentes quinquageſimum annum ætatis, ita deliqnerint, ad exitum vitæ cummuniunis gratiam conſequuntur. Hactenus Canon Concilii Ancyrani.

67. Concil. Pariſienſe VI. an. DCCCXXIX. celebratum, bujuſmodi vitium cuutra naturam eſſe plecteudum ſecundùm judicium canunicum Cuucilii Ancyrani, quod ſuprà retulimus. Hoc namque peccatum (inquit) SS. Patres divinu Spirito afflati, meritò in ſacris Canunibus acriùs cæteris judicandum decreverunt; qooniam eo regnante, & ſtatum Chriſti Eccleſiæ infirmari, & reguum periclitari apertè cognoverunt. Hactenus præfatum Coucilium lib. 1. cap. 34.

68. Cuncilium Troslejauum anno Chriſti CMIX. celebratum, de peccatis contra naturam ſic loquitur: Exſtant & alia diverſorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex divina, pro quibus populus vaſtitate & gladio fame & peſtilentiâ atteritur, & Eccleſiæ ſtatus infirmatur, regnumque periclitatur: ut ſuut nefandiſſimæ cum maſculis aut pecoribus pollutiones, pro quibus dulcis & beniguus Deus noſter ad amaritudinem iracundiæ tantò graviùs provocatur, quantò contra naturam fieri comprobantor. Hactenus Cuncilium Troslejanom cap. 15. cujus titulus eſt: *Epilogus ad Epiſcopos, & generaliter ad omnes*.

69. Hæc eſt doctriua Conciliorum, ex qua ſatis ſuperque conſtat quàm ſit abominabile peccatum contra naturam, & quantu ſtudio homines illud effugere debeant. Siquidem flagitia quæ ſunt cuntra naturam, ubique ac ſemper deteſtanda atque punienda ſuut, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non ſic fecit humines, ut ſe illu uterentur mudu. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ com Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur, ut ait S. Auguſtinus Confeſſionum lib. 3. cap. 8.

70. Hujuſmodi peccatorum gravitatem graphicè depingit S. Petrus Damiani in eo qui *Gomorrhianus* inſcribitur libro: *Hoc ſanè vitium* (inquit) *nulli prorſus eſt vitio conferendum, quòd omnium immanitatem ſuperat vitiorum*. Et infrà: *Nimirum* (inquit) *quem hac atrociſſima beſtia cruentis ſemel faucibus devorat, à cunctis bonis operibus quibuſdam ſuis vinculis obligat, per omnia nequiſſima pravitatis abrupta præcipitanter*

tur effrænat. Mox nempe ut quiſque in hanc extremæ perditionis abyſſum fuerit lapſus, à ſuperna patria exſul efficitur, à Chriſti corpore ſeparatur, totius Eccleſiæ auctoritate confunditur, omnium ſanctorum Patrum judicio condemnatur, inter homines in terra deſpicitur, à cœleſtium civium contubernio reprobatur; fit ſibi cœlum ferreum, & terra ænea, neque illuc poteſt pondere criminis gravatus aſſurgere, neque hic ſua mala ignorantiæ latibulo diutiùs occultare. Non hic poteſt gaudere dum vivit, neque illic ſperare dum deficit: quia & nunc humanæ deriſionis opprobrium, & poſtmodùm æternæ damnationis cogitur perferre tormentum. Hactenus Sanctus Petrus Damiani in libro citato cap. 16. MERBESIUS Tomo II. *Summæ Chriſtianæ*, tertia parte, quæſt. 34. pag. 448. & ſeq.

71. Præter ea quæ dedimus ex Merbeſio, recole nonnulla alia quæ monuimus Tomo I. ad Canonem Eliberitanum LXXI. Nec tamen exiſtimes, Patres illius Concilii negantes communionem, ſive reconciliationem (ut interpretatur Albaſpineus, & alii) in fine vitæ ſceleratiſſimis quibuſdam, reos fuiſſe Novatianiſmi. Ab hac enim non juſta quorundam ſuſpicione jam ſæpiſſimè vindicati ſunt à ſummis viris, & ſparſim oſtenſum eſt toto cœlo aberrâſſe quicumque ſeveritatem illam Eliberitanorum Patrum, ſicuti & Sardicenſium, & Arelatenſium, Novatianiſmi fuligine notare auſi ſunt. Liber autem ſuprà indicatus Beati Cardinalis Petri Damiani, cui *Gomorrhæanus* nomen fecit, ſcriptus ad S. Leonem IX. Pont. Max. adverſus flagitia naturæ adverſantia, digniſſimus lectu eſt, & inter ejus Opuſcula, præſertim editionis Conſtantini Cajetani, exſtat: ut propterea non fuerit opus illud hoc loco exſcribere. CARD. DE AGUIRRE.

72. AD CAP. IV. *Deſperationis.*] De his Concilium Antiſſiodorenſe cap. 17. Et Bracarenſi primo cap. 16. dicitur: *Nulla pro his in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur.*

73. AD CAP. V. *Tertias quas antiqui Canones.*] De diviſione redituum Eccleſiaſticorum diximus in Concilio Tarraconenſi, in more fuiſſe de reditibus Eccleſiæ vel oblatione fidelium quatuor fieri partes, quarum una cedebat Pontifici ſeu Epiſcopo, alia presbyteris & diaconibus & omni clero, tertia templorum & Eccleſiarum reparationi, quarta pauperibus, infirmis, & peregrinis. Sic ſtatutum eſt Concilio Romano à Sylveſtro Papa cap. 4. & à Gelaſio Papa Epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam cap. 29. & à Simplicio Papa Epiſt. III. ad Florentinum, & à Gregorio Papa II. in Epiſt. I. ad plebem Thuringiæ. De quarta autem parte, pauperum & peregrinorum uſibus attributa, Epiſcopo cura incumbebat. Unde Concilio Bracarenſi I. cap. 25. dicitur. *De quarta parte, ſive archipresbyter, ſive archidiaconus illam adminiſtrans, Epiſcopo faciat rationem.*

74. Tertia Eccleſiarum Regibus Hiſpaniæ conceſſa ſub eorundem poteſtate ac fiſco eſt: idem in Gallia obſervatur. Unde Moguntiaco Concilio cap. 42. & Arelatenſi ſub Carolo Magno cap. 25. ſtatuitur, ut quicumque Beneficium Eccleſiaſticum habent, ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas vel ædificandas omnino adjuvent. Quod ita intelligendum exiſtimo, cùm tertia pars tributa Eccleſiis non ſufficit, aut in reparatione Eccleſiæ penitùs conſumpta eſt, Concilio Bracarenſi II. cap. 2, ſtatuitur, tertiam partem pro luminariis Eccleſiæ eſſe relinquendam, & reparatione Baſilicarum, rationemque ejus Epiſcopo reddendam, Unde & reditus fabricæ Epiſcopo ſubduntur,

75. AD CAP. VI. *Sanctorum Patrum.*] Materia ſacramenti Euchariſtiæ eſt panis, ſeu azymus ſeu fermentatus, & vinum aquâ miſtum, de qua re ſuperiùs. Concilium Florentinum in deciſione ad Armenos, & Alexander Papa primus Epiſt. I, ad univerſos, & Julius Pontifex I. *De conſec*, diſt. 2. cap. *Cùm omne*. Concilium II. Carthaginenſe cap. 24. & Africanum ſub Bonifacio cap. 4. Concilium Bracarenſe III. cap. 1. Cyprianus Epiſt. III. lib. 2. Ab ipſo Domino vinum aquâ miſtum fuiſſe conſecratum tradit Innocentius III. lib. 4. *Myſter. Miſſæ*, cap. 29. & pleniùs in cap. *Cùm Marthæ*. §. *Quæſiviſti*. *De celebratione Miſſarum*.

76. Algerus lib. 2. *De ſacram. Euchariſtiæ*, cap. 10. adversùs temporis ſui impios hæreticos annotat, in more ſanctis Patribus fuiſſe ex antiqua Eccleſiæ traditione, hoſtiam Euchariſtiæ offerre in Miſſarum ſolenniis rotundam, integram, nitidam, ex ſtudio præparatam, non grande fruſtum panis, ſed modica quantitate formatam, ne gravaret ſumentem, neque in digeſtionem ſpecies moleſtæ irent, poſſeque poſt conſecrationem in partes & fragmenta dividi, ut fideles alimonia ſpirituali reficiantur, recondique etiam in modico loculo ſine injuria, neque ſub utraque ſpecie, ſed una tantùm ſervari, & laïcis tradi, & ad adorandum populis proponi poſſe. Ego verò addo, in hoc ſacramento ſanctè colendo ſitam eſſe vitæ ſpiritualis & temporalis omnem honeſtatem, & cunctam in negligendo turpitudinem: populumque ſine hac ſalutari hoſtia & ſacrificio eſſe veluti mundum ſine ſole, in tenebris Ægypti à Deo derelictum.

77. *Cui buccellam.*] Locus eſt Joannis 13. apud quem ita legitur: *Ille eſt, cui intinctum panem porrexero.* In Græco pro *intinctum panem*, eſt ψωμίον, quod in vulgata editione buccella interpretatur. Sequitur enim: *Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas.*

78. AD CAP. VIII. *Vicem parientiæ.*] *Parientiæ* vox etiam infrà pro obedientia accipitur cap. ſequenti: *Ejuſque præceptioni parientiam votis gliſcentibus exhibere.* Et cap. 22. *Qui præceptis eorum exhibere parientiam curaverint.*

79. *Paſſionis Dominicæ die.*] Hæc eſt ſexta feria hebdomadæ ſanctæ. Sic de eo die Concilio Toletano IV. cap. 6. ſcriptum eſt. Ex quo patet olim eo die clauſis Baſilicarum foribus officium Eccleſiaſticum celebrari ſolitum, & paſſionem Domini annunciari: pœnitentiæ quoque remedio populum peccatorum ſordibus expiari, ut pœnitentiæ compunctione mundatus, venerabile feſtum

ſtum Dominicæ Reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus, ſuſcipere mereretur, corporiſque ejus & ſanguinis ſacramentum mundus à peccato ſumeret. In ſexta verò feria non celebrari Miſſarum ſolennia, cautum eſt ab Innocentio Papa cap. *Sabbatho*, *De conſecrat.* diſt. 5. ubi ampliùs dicitur: *Nec ſabbatho ſancto ulla penitùs ſacramenta celebrari*. Et Concilio Toletano XVI. cap. 8. *Miſſæ per totam Hiſpaniam pro Rege eiuſq; filiis quotidie celebrentur, niſi in die Paſſionis Domini*. Verùm nunc uſus obtinuit, ut Miſſa ſolennis in ſabbatho ſancto celebretur. Quamquam illa potiùs refertur ad noctem Reſurrectionis, ut tradunt viri docti ad caput illud: *Viſum præterea*. *De. conſecrat.* diſt. 1. & in Collecta dicitur: *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloriâ Dominicæ Reſurrectionis illuminas*.

80. De die Paraſceves Iſidorus lib. 1. *De offic. Eccl.* cap. *De Paraſceve, & de Miſſa, & orationibus*: *Tertia oratio Miſſæ* (inquit) *effunditur pro offerentibus, ſive pro defunctis fidelibus, ut per idem ſacrificium veniam conſequantur*. Ex Paullo ad Timoth. 1. cap. 2. *Obſecro* (inquit) *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti, ut quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & caſtitate. Eſt enim viri potentis ſingulare ornamentum pietas & caſtitas*.

81. *Virtute ſua dextera confringantur*.] Sic nunc etiam Collecta orationis Miſſarum concluditur: *Et gentes paganorum & hæreticorum, qui in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conterantur*.

82. Ad Cap. XII. *Regno voluit privare*.] Sic legum Wiſegotth. lib. 2. tit. 5. leg. 18. Eſt lex Egicæ, in qua dicitur: *Quod & temporibus noſtris detectum facinus, manifeſtis eorum confeſſionibus retinetur, qui noſtram gloriam conati ſunt aut gladio interimere, aut mortifera veneni potione decipere*.

83. *Numeraria*.] Sunt verò Numerarii, ut Iſidorus lib. 9. *Etymol.* docet, qui publicum numerum ærariis inferunt. Mentio eſt in Leg. *Final.* codice *De privil. ſch.* L. *Fin. De fabricenſ. De numerariis* dixi in opere *De officiis palatinis*.

Subſcriptiones.

84. IN eo, licèt fuerit Nationale, nullus Epiſcopus interfuit provinciæ Narbonenſis, eo quòd ingrueret inguinalis plagæ vaſtatio in illa regione, ut dicitur cap. 13. Ejectus eſt à Sede Toletana Sisbertus ob conjurationem adverſus Egicam Regem, & ejus loco ſuffectus eſt Felix Hiſpalenſis. Hiſpali verò Fauſtinus Bracarenſis. Bracaræ verò Felix Portucalenſis: de qua ſede nihil eſt actum: unde Felix ſubſcribit Epiſcopus Bracarenſis & Portucalenſis. Multi ex his Epiſcopis, qui huic Synodo ſubſcribunt, interfuerunt aliis: ut Anterius Segobrienſis in XIII. & XV. Toletano. Adelphius Tudenſis in XV. Toletano. Aurelius Aſturicenſis in XIII. & XV. Toletano. Agrippius Oſſonobenſis in XV. Toletano. Baſilius Baſtitanæ in XV. qui dicitur Baſtenſis. Waldefredus Cæſar-auguſtæ in XIII. & XV. Toletano. Cuniuldus Italicenſis in XIII. & XV. Toletano, Fioniſus Lamecenſis in XV. Toletano, & dicitur Fiontius. Fructuoſus Aureſinæ in XV. Toletano, & dicitur Aurienſis. Florus Menteſanæ in XIII. & XV. Toletano. Gaudentius Valerienſis in XII. XIII. & XIV. & XV. Toletano. Gundila Empuritanæ in XIII. & XV. Toletano, qui & Gudilanus dicitur. Gundericus Segontinæ in XV. Toletano. Gavinus Arcavicenſis, in XV. Toletano. Habitus Urcitanæ in XV. Toletano. Joannes Egarenſis in XV. Toletano. Iſidorus Setabitanæ in XV. Toletano. Joannes Abelenſis in XV. Toletano. Joãnes Pacenſis in XV. Toletano. Laudericus Olyſiponenſis in XV. Toletano. Leubericus Urgelitanæ in XIII. & XV. Toletano, Urgelletanenſis dicitur. Maximus Emeritenſis in XIII. Toletano. Marcianus Dianienſis in XIV. & XV. Toletano. Nepotianus Tyraſſonenſis in XV. Toletano. Holemundus Salmanticenſis in XIII. & XV. Toletano. Siſibado Tuccitanæ in XII. & XIII. & XV. Toletano. Sonna Oxomenſis in XIII. & XIV. & XV. Toletano. Spaſſandus Complutenſis in XV. Toletano. Wilifredus Auſonenſis in XIII. & XV. Toletano.

85. Alii verò ſubſcribunt, qui ſuccedunt aliis Epiſcopis, ut Arcontius Elborenſis, qui Tructemundo, in XV. Toletano. Auredus Ilerdenſis, qui Eufredo, in XV. Toletano. Arvidius Aſtigitanæ, qui Naſidardo, in XV. Toletano. Audebertus Oſcenſis, qui Guiſcaldo, in XIII. Toletano. Arceſimbus Egabrenſis, qui Conſtantio, in XV. Toletano. Beroaldus Palentinæ, qui Concordio, in XV. Toletano. Bonifacius Caurienſis, qui Atulæ, in XV. Toletano. Conſtantinus Aucenſis, qui Stercotio, in XV. Toletano. Centurius Eliberitanæ, qui Joanni, in XV. Toletano. Decentius Segobienſis, qui Deodato, in XV. Toletano. Ervigius Beterrenſis, qui Creſcitaro, in XIII. Tolètano. Eppa Illicitanæ, qui Emillæ, in XV. Toletano. Emilla Conimbrienſis, qui Mironi, in XV. Toletano. Felix Calagurritanus, qui Villiedo, in XV. Toletano. Felix Bracarenſis & Portucalenſis, qui Fauſtino, in XV. Toletano, Fauſtinus Hiſpalenſis, qui Felici, qui fuit electus ad regiam urbem. Felix regiæ urbis, qui Sisberto depoſito in hoc Concilio. Gerontius Aſſidonenſis, qui Theuderacio in XV. Toletano. Honorius Malacitanæ qui Samuëli in XV. Toletano. Involatus Dertoſanæ, qui Cicilio, in XV. Toletano. Laüſfus Barcinonenſis, qui Idalio, in XV. Toletano. Marianus Oretanæ, qui Gregorio, in XV. Toletano. Mirus Gerundenſis, qui Sabarico, in XV. Toletano. Marcianus Pampilonenſis, qui Atilano, in XIV. Toletano. Potentius Lucenſis, qui Euphraſio, in XV. Toletatano. Pappulus Eliplenſis, qui Getæ, in XV. Toletano. Sunnaguifidus Laniobrenſis, qui Brandilæ, in XIII. Toletano. Theudiſclus Beatienſis,

qui

qui Rogato, in XV. Toletano. Theudefredus Viſenſis, qui Viliefonſo, in XV. Toletano. Vitiſclus Valentinæ, qui Sarmatæ, io XV. Toletano. Vera Tarraconenſis, qui Cypriano, in XV. Toletano. Zaccens Cordubenſis, qui Mumulo, in XV. Toletano. Subſcribunt Abbates quinque, vicarii Epiſcoporum tres, Comites & viri illuſtres officii palatini decem & ſex.

86. De Sisberto hæc accipe: Juliano ſucceſſit, ſuit homo audax, temerarius, dignitatis acceſſione ingenii pravitatem auxit. Veſtem albam Ildephonſo Præſuli ſanctiſſimo de cœlo ad peragenda ſacra allatam, & venerationi potiùs quàm uſui à Præſulibus Toletanis habitam, ipſe profanè contrectavit, & temerè induit. Verùm continnò divina ultio conſecuta eſt, nam in caput Regis, cujus beneficio ad primum Hiſpanæ ſacerdotinm evectus fuerat, rebellavit. Qua de cauſſa Patrum decreto meritò à gradn dejectus. Ejus loco Felix ſuffectus eſt. LOAISA.

87. Nota, Felicem recèns translatum ad ſedem Toletanam, ſtatim ſubſcribere ante omnes Concilii Patres, veluti Primatem Hiſpaniæ. Hæc enim dignitas ad Toletanos Præſules translata legitur in Concilio Toletano XII. anno Domini DCLXXXI. duodecim nempe annis ante hoc Concilium XVI. De quo vide ſuprà Differt. VI. Excurſu III. pag. 162. & ſeqq. CARDINALIS DE AGUIRRE.

CONCILIUM TOLETANUM XVII.

Tempore SERGII Papæ I. anno DOMINI DCXCIV. celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De tribus diebus, quibus in Initio Concilii nibil aliud agendum jubemus, niſi tantùm de Fide ac de aliis rebus ſpiritualibus, nullo ſæcularium interpoſito.*

* Obſervandis. II. *De * ſervandis oſtiis baptiſterii in initio Quadrageſima.*

III. *De ablutione pedum in cœna Domini facienda.*

IV. *De ſacris miniſteriis vel ornamentis Eccleſiarum.*

V. *De bis qui Miſſam defunctorum pro vivis audent malevolè celebrare.*

VI. *De diebus litaniarum per totos duodecim menſes celebrandis.*

VII. *De nutritione conjugis atque prolis regiæ.*

VIII. *De Judæorum damnatione.*

IN NOMINE DOMINI.

Incipit Synodus Toletana XVII. regula ſanctæ Fidei, decurrente Imperii anno religioſiſſimi ac ſereniſſimi domini noſtri Egicani Regis VII. ſub die quinto Idus Novembris, Erâ DCCXXXII.

1. DUM in Eccleſia glorioſæ virginis & confeſſoris Chriſti ſanctæ Leocadiæ, quæ eſt in ſuburbio Toletano, nbi ſanctum ejus corpus requieſcit, plerique Hiſpaniarum & Galliarum Pontifices conveniſſemus, debitis nobis in locis reſidentibns, adfuit idem glorioſiſſimns Princeps fervore ſanctæ devotionis accenſus, ſanctiſque Spiritus munere plenus, & in medio noſtri conſiſtens, inclytum caput reclinans, ſeſe à nobis benedici popoſcit, & orationum noſtrarum effuſione Domino commendari optavit. His itaque (ut moris eſt) actis, tomum manu propria nobis obtulit, inqniens.

2. Ecce ſanctiſſimnm ac reverendiſſimum Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotale Collegium, & divini cultus honorabile ſacerdotium, ſeu etiam vos illuſtre anlæ regiæ decus, ac magnificorum virorum numeroſus conventus, quos huic venerabili cœtui, noſtra intereſſe celſitudo præcepit: qoia ſatis longum eſt, ea quæ regni noſtri ntilitatibns, ſen genti, & patriæ noſtræ neceſſaria ſunt, vobis propriis oris noſtri alloqnio enarrare; ideo hunc tomum, quia univerſa qnæ noſtra manſuetudo ad peragendum veſtris ſenſibus debuit intimare, dignoſcitur continere, contrado; præcipiens pariter, & exhortans vos per eum qui dixit: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, & ego ero in medio eorum*; quia ea quæ tomus iſte continet, vel alia quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent,

ſeu

ſeu diverſarum cauſſarum negotia, quæ ſe venerabili cœtui noſtro ingeſſerint audienda, gravi ac maturato conſilio pertractetis, atque judiciorum veſtrorum edictis juſtiſſimè ac firmiſſimè terminetis. Qua ſacri oris ſui oratione finitâ, è medio noſtri, benedictione percepta, abſceſſit. Tunc unuſquiſque noſtrorum reſidens ſuo in loco tomum ipſum referari præcepimus, & quæ neceſſaria erant, alterna collatione pertractare curavimus.

IN NOMINE DOMINI.

Flavius Egica Rex, ſanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.

3. QUO mentis ardore, quantiſque facibus ſerenitatis noſtræ ſublimitas religionis ſancto amore ſuccenſa æſtuet, nec verborum prolixa poteſt ratione depromi, nec literarum apicibus annotari. Quia in quantum Fides Chriſtiana ſpiritualium virtutum lumine ineffabili comparatione coruſcat, tantum ſenſûs noſtri brevitas nec dum valet ejus enarrare myſteria. At nunc quamquam profunditatis ipſius abyſſum nequeamus pertingere, magna tamen devotione clementiæ noſtræ animos ad exhortandam veſtram ſanctitudinem cognoſcat: qualiter vos in hac ſancta Synodo reſidentes, imprimis de ejus myſterio edictis ſpiritualibus diſputetis, & Apoſtolici veſtri ordinis dogma promulgetis: quo fidelium corda incomparabili ſidere perluſtrata, infidelium quoque pectora mentis greſſibus à tenebris ad lumen converſa pertranſeant.

4. Pro nefandis denique Judæis infra fines regni noſtri degentibus, ita præmittimus; quòd etiam abſque non minimo mœrore proferimus, quia ab initio propriorum rituum errore decepti, Chriſti nomen incredibili pravitate negaverunt, nefariiſque hactenus argumentis eandem almæ Fidei ſectam deluſerunt. Certum namque eſt verumque præconium in cuncto penè terrarum Orbe relatione perſpicua exſtitiſſe vulgatum, quòd Fidei plenitudine fines ſemper Hiſpaniæ floruerunt: unde noſtram gloriam ſumma ratio cogit, valida illis intentione reſiſtere; cùm in aliquibus mundi partibus, alios dicatur contra ſuos Chriſtianos Principes reſultâſſe: pleroſque verò juſto Dei judicio à Chriſticolis Regibus interemptos fuiſſe: præſertim quia nuper manifeſtis confeſſionibus indubiè pervenimus, hos in tranſmarinis partibus Hebræos alios conſuluiſſe, ut unanimiter contra genus Chriſtianum agerent, præſtolantes perditionis ſuæ tempus: qualiter ipſius Chriſtianæ Fidei regulam depravarent.

5. Quod & per eaſdem profeſſiones, quæ veſtris auribus ſunt referandæ, patebit. Nam & à primordio noſtri regiminis tanta fuit pro eorum converſione manſuetudinis noſtræ intentio, ut non ſolùm diverſis ſuaſionibus eos ad Fidem Chriſti pertrahere conaremur, verùm etiam & mancipia Chriſtiana, quæ pridem ob ſuam perfidam per legis ordinem caruerant, ex tranquillitatis noſtræ decreto reciperent: ſolummodo, ut per veræ converſionis propoſitum, expulsâ procul cordis perfidiâ, eos matris ſinus Eccleſiæ adoptivos exciperet. *Lex Wiſigoth. lib. 12. & Concilio Tolet. 12.* Sed & per cautionis ſeriem juris jurandi atteſtatione ſubnixa ſpondentes, nec tandem promiſſa compleverunt, ſed ritus & cæremonias ſolitas procul dubio egiſſe perventi ſunt. Et quia divinæ voluntatis imperio reſervati ſunt regni noſtri tempore corrigendi, neceſſarium fore noſtra perpendit tranquillitas, ut veſtro, noſtrorumque optimatum generali conventu, eorum nequitia quantocyus refrænetur: quo, cooperante Chriſto, exſtirpatâ ipſorum confeſtim nequitiâ, Chriſtianum nomen polleat, & Chriſti fides infinitè clareſcat: ne tunc videatur tantæ perfidiæ obviari, quando Eccleſiam Catholicam eorum dignoſcatur adverſitas impugnare.

6. Ut ergo tam dira incredulitatis perverſitas victa diſpereat, aut ſynodali emendatione à parentali refrænentur errore, aut, ſi placet, uniformi veſtra ſententia falce maneant juſtitiæ deſecati; ſic quoque, ut quid de illis cunctiſque rebus ipſorum agere conveniat, canonica veſtri cœtus ſententia patenti ſtylo conſtituat: quod noſtræ legis cenſura perpetim ſtabile manere decernat: illis tantundem Hebræis ad præſens reſervatis, qui Galliæ provinciæ videlicet intra clauſuras noſcuntur habitatores exiſtere, vel ad ducatum regionis ipſius pertinere; ut quia delictis ingruentibus, & externæ gentis incurſu, & plagæ inguinalis interitu paſſim ipſa ab omnibus deſolata dignoſcitur, cum omnibus rebus ſuis in ſuffragio ducis terræ ipſius exiſtant, & publicis utilitatibus profectum incunctanter exhibeant: ita ut ſecundùm ſanctæ Fidei regulam, ut verè Chriſticolæ, vitam ſuam corrigant, & omnem genuinæ incredulitatis errorem à ſuis cordibus pellant. Quòd ſi amodò vel in modico detecti fuerint ſanctæ Fidei depravatores exiſtere, illicò de terra ipſa promoti, eâdem, quâ & prædicti parentes eorum, cenſurâ erunt omnibus modis feriendi.

7. Nam & quorundam ſacerdotum non ſinit veritas ſilere inſaniam, qui ante ſacroſanctum altare Dei, pro ſuperſtitibus hominibus Miſſas audeant dicere de defunctis: & quum aliis nocere intendunt, ipſi ſibimet potiùs interfectores exiſtunt, & ſuarum incurrunt excidium animarum; in eo quod ſcriptum eſt: *Os quod mentitur occidit animam*: & dum quodam invidiæ, vel malitiæ livore, tam nefaria gerunt, unum eſt quia & Deo mentiuntur, & in arcum perverſum ſacerdotalem ordinem vertunt; *Sap. 1.*
* Quòd ſi Domino mendacium hujuſmodi ſacrificio offerre non metuunt, quid de cætero falſitatis lo- * *Aliisqui.*

qui paveſcunt? Petrum denique Apoſtolum dixiſſe legimus Ananiæ: *Meminero, ut quid ſatanas implevit cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? quia non es hominibus mentitus, ſed Deo.*

Act. 5.

8. Tanti quippe facinoris admiſſum veſtro Concilio committimus exſtirpandum; quo & illos qui talia egiſſe detecti ſunt, & eos à quibus ob hoc nefas perpetrandum ſciſcitati ſunt, ac deinceps in tali errore quoſque delapſos regulâ decernatis canonicâ feriendos; ut illatam in ſemetipſos ſentientes correptionem, & malè actorum pœniteant, & ne ab aliis ulteriùs fiant, ſententia veſtra ſpeciale prohibitionis exemplum oſtendat.

9. His igitur præmiſſis cauſſis, populorum negotia veſtris auribus intimata cum Dei timore prudentiæ veſtræ committimus dirimenda; ut quia multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum, nulla ſit occaſio, quæ veſtræ mentis aciem ad promulgandam juſtitiam poſſit obtundere: nullus favoris ſe locus interſerat lumen veritatis abſcondere; quatenus ipſa judiciorum veſtrorum emiſſio luce clareat æquitatis; juſtitiam proroget debitam populis, & ad cumulum nobis pertineat copioſæ mercedis. Sed & illud veſtris precibus ſedari obnixiùs à Domino præoptamus, ut quia hoſtis humani generis quoſdam noſtrorum inhians, non deſinit ad perditionem ſubripere, ex quo proprio culpæ cernuntur facinore, non (quod abſit) noſtræ poteſtatis gravedine corrui, tribus diebus hoc peracto Concilio, ſpeciales ob inde litanias contrito cordis arcano celebrare curetis; ita ut uſque hujus anni ſpatium per ſingulos menſes, eodemque modo triduana jejunia peragatis; ut quia neminem de his, quos ditioni noſtræ ſuperna pietas ſubdidit, uſquam perire volumus; nec ampliùs quempiam perdere quærimus; ſed de gentis noſtræ, vel patriæ ſtatu lætari affatim delectamur; precatu ſaltim veſtræ beatitudinis inſidiantium ſtimula, quæ contra noſtram gloriam præparant, à ſuis cordibus auferant, & erga noſtram ſervitutem pura fidei ſinceritate perſiſtant: ut à priorum lapſu ſe erectos eſſe congaudeant, & noſtra gloria ex hoc cum eis pacis & charitatis munere cumulata, Chriſto Domino indefeſſa gratiarum vota perſolvat.

De regula ſanctæ Fidei.

Matth. 6. Quærite ergo primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

10. NECESSARIUS ordo depoſcit, ut ſecundùm Paulli vaſis electionis edictum, ante initium quarumcumque cauſſarum regnum Dei quæratur; quatenus ea quæ ſequenter agenda ſunt, juſtiſſimè opitulante Domino terminentur. Ac proinde opportunum fore perſpeximus, Fidei ſanctæ myſterium, quod eſt ſalutis noſtræ inconvulſibile fundamentum, ore proprio pandere, & ructatione cordis patulè enarrare. Iccircò credentes & confitentes ea quæ in omnibus ſanctis Conciliis, ſanctorumque Patrum oraculis glorioſa confeſſio protulit, Symboli etiam ſeriem, quæ totius ſanctæ Fidei continet ſacramenta, oris noſtri confeſſione proferimus.

Sic ad verbum in 6. & 12. Tolet.

11. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ; viſibilium omnium & inviſibilium conditorem: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum * de Deo; lumen de lumine; Deum verum ex Deo vero; natum, non factum; homoûſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt quæ in cœlo & quæ in terra: qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt; de Spiritu ſancto ex Maria Virgine homo factus eſt: paſſus ſub Pontio Pilato, & ſepultus, tertia die reſurrexit, aſcendit * in cœlos: ſedet ad dexteram Patris: inde venturus in gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificatorum; ex Patre & Filio procedentem; cum Patre & Filio adorandum & glorificandum: qui loquutus eſt per Prophetas: in unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum; exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen. Qua noſtra credulitate, ut ſanctorum Patrum adunatio edidit, reſervata atque finita, ad ea quæ ſunt ſubſequenter agenda, definitionis noſtræ articulum vertimus.

* Ad Mss.

I. *De tribus diebus, quibus initio Concilii nihil aliud agendum jubetur; niſi tantùm de Fide ac de aliis rebus ſpiritualibus, nullo ſæcularium interpoſito.*

12. Ternarius numerus, in eo quod initium mediumque finemque ſortitur, Trinitatis ſpeciem ſignare videtur. Ac proinde quia numeroſitas ſacerdotum in nomine ſanctæ Trinitatis pro Synodo agenda ſolet congregari, opportunè inſtituendum credimus in initio totius adunationis, ut trium dierum ſpatiis percurrente jejunio, de myſterio ſanctæ Trinitatis, aliiſque ſpiritualibus, ſive pro moribus ſacerdotum corrigendis, nullo ſæcularium aſſiſtente, inter eos habeatur collatio: ita nempe, ut dum ſcriptis cauſſis, ſub nominis divini timore per triduum habita fuerit altercatio, ejuſdem ſanctæ Trinitatis juvamine, cæterarum cauſſarum negotia inoffenſibili peragantur inſtantia.

II. *De * ſervandis oſtiis baptiſterii in initio Quadrageſimæ.*

* Obſervandis.

13. Licèt in initio Quadrageſimæ baptizandi generaliter claudatur myſterium, tamen Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordo depoſcit, & neceſſe eſt, ut oſtia baptiſterii in eodem die Pontificali manu annulo aſſignata claudantur, & uſque in Cœnæ Domini ſolennitatem nullatenus reſerentur: ob id videlicèt,

ut

bt & per ſignaculum Pontificum (excepto graviſſimæ neceſſitatis obventu) in his diebus monſtretur, per totum Orbem non licere fieri baptiſmum & ſanctificationem: Iterum Epiſcopali ad eam obſervatione reſerata, ſignetur Dominicæ patere myſterium reſurrectionis, in quo ad vitam factus eſt aditus homini: ut quia per baptiſmum conſepultus eſt in morte Chriſti, reſurgat cum eo in gloria Dei.

14. Quod quia in aliquibus Eccleſiis minimè hæc ſancta conſuetudo ab Epiſcopis cuſtoditur atque peragitur, ideo per hanc noſtram ſententiam ſancimus atque decernimus, ut ita à totius Hiſpaniæ & Galliarum Pontificibus cuſtodiatur, quatenus in prædicto die, initii videlicet Quadrageſimæ, & oſtia ſancti baptiſterii cum laudum conſummatione claudantur, & ab Epiſcopis ſuorum ſignaculo obſignentur; ita ut niſi in Cœnæ Domini celebritate, quando more ſolito altaria debent deveſtiri, eadem debeant oſtia reſerari. Inconveniens etenim res eſt, ut illic in præmemoratis Quadrageſimæ diebus cunctis aditus pateat adeundi, ubi non licet debitum myſterium exerceri.

III. *De ablutione pedum in cœna Domini facienda.*

15. Cœlibe ſatis ratumque Deo cernitur myſterium, ſi ejus exempla ſequentes, imitatores ipſius eſſe ſtudeant Chriſticolæ mentes, dicente Domino: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Quocirca ſi Dominus Redemptorque noſter diſcipulorum non dedignatus eſt ablutione aquæ abluere pedes, proteſtante Euangeliſta: *Surgens Jeſus à cœna, & ponens veſtimenta ſua, cœpit lavare pedes diſcipulorum, dicens: ſi ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter veſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes;* cur non piæ actionis exhibitione imbuti, exemplorum ejus non ſimus devotiſſimi ſectatores? Denique coruſcante ſanctæ operationis exemplo, partim deſidiâ, partim conſuetudine, in quibuſdam Eccleſiis in Cœna Domini ablutione pedes fratrum à ſacerdotibus non lavantur, nihil aliud * obtendentes, niſi ſolam traditionis conſuetudinem, cùm veritas objurgans dicat: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?*

Cyprianus de unctione chriſmatis. *Joann. 12.* *Joann. 13.* * F. obtendendo. *Matth. 15.*

16. Itemque præcellentiſſimus Martyr Cyprianus proſequens ait: *Fruſtra qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt: quaſi conſuetudo major ſit veritate; aut non id ſit ſpiritualibus ſequendum, quod in melius fuerit à ſancto Spiritu revelatum.* Ideoque dum veritatis exemplum luce clariùs eniteſcat, & objurgationis ejus terribilia edicta præfulgeant, noſque etiam Doctoris præcipui ſententia inſtituat, majorem eſſe veritate conſuetudinem; incaſſum nobis conſuetudinem ſine ratione objiciunt. Nam licèt eadem ablutio pedum omni tempore ut fiat expedibile habeatur, neceſſe eſt ut ſpecialiùs in eodem die, quo à Chriſto geſtum eſt, omnimodè obſervetur.

17. Proinde hæc ſancta Synodus decernit atque inſtituit, ut deinceps non aliter per totius Hiſpaniæ & Galliarum Eccleſias eadem ſolennitas celebretur, niſi pedes unuſquiſque Pontificum ſeu ſacerdotum, ſecundùm hoc ſacroſanctum exemplum, ſuorum lavare ſtudeat ſubditorum. Quòd ſi quiſquam ſacerdotum hoc noſtrum diſtulerit adimplere decretum, duorum menſium ſpatiis ſeſe noverit à ſanctæ communionis perceptione fruſtratum.

IV. *De ſacris miniſteriis, vel ornamentis Eccleſiarum.*

18. Sacerdotum quorundam improbanda voluntas, & infauſta temeritas, ſacroſancta ſibi commiſſa altaris miniſteria, atque cætera Eccleſiæ ornamenta, non ſolùm quia aliis tradunt pro ſuis nequiſſimis actibus abutenda, ſed (quod pejus eſt) ſuis ea non pertimeſcunt uſibus adjungere inſumenda. Unde licèt antiquorum Patrum ſententia de talibus perſonis, quæ vaſa ſolummodo ſacra diſperdunt voluntate ſacrilega, fuerit jam in præteritis promulgata; tamen in commune deinceps ſtatuit coadunatio noſtra, ut non tantùm de ſacris miniſteriis, ſed etiam & de univerſis Eccleſiæ ornamentis, nihil unuſquiſque ſacerdotum pro ſuis uſibus vel voluntatibus confringere, vendere, aut naufragare pertentet.

Vide Concil. Bracar. 3. cap. 2. & Conſtantinop. 6. cap. 3.

19. Si quis verò ſacerdotum hoc noſtrum violare tentaverit ſtatutum, ſecundùm priſca Canonum inſtituta, honoris proprii ordinem amittat; ut ſacrilegus perenni infamio denotatus, à ſacræ communionis perceptione (excepto in ſupremo temporis curſu) omnibus diebus vitæ ſuæ maneat alienus. Atque inſuper ſi ejuſdem temeratoris extiterit propriæ rei ambitio; quicquid de eiſdem ſacris miniſteriis vel ornamentis Eccleſiæ viſus eſt naufragâſſe; aut ipſe, aut pars ejus, compellatur parti ejuſdem Eccleſiæ ex integro reformare.

V. *De his qui Miſſam defunctorum pro vivis audent malevoli celebrare.*

20. Dum ſanctus Spiritus per os Sanctorum ſuorum humano generi ſtatuit omnibus modis mendacium præcavere, dicente Salomone: *Noli arrare mendacium adverſus fratrem tuum; neque amico ſimiliter facias.* Et iterum: *Os quod mentitur, occidit animam;* plerique ſacerdotum, qui prædicatores veritatis exiſtere debuerunt, & ex quorum ore univerſitas plebium legem veritatis debet exquirere, ſecundum * Salomonem, qui dicit: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt de ore ejus: quia angelus * Domini eſt,* ita præpediente delicto, atque ſauciati inimicitiæ dolo, non ſolùm hominibus fallaciter loqui minimè pertimeſcunt, ſed & in ſanctis Baſilicis, ſupra altare Domini,

Eccleſiaſtici 7. *Sapient. 1.* * Malachiam. eſt enim locus Malachiæ 2. * Domini exercitũ. eſt in latina vulgata: Græcè: κυρίου παντοκράτορός ἐστι,

coram Deo idem nequaquam perpetrare horreſcunt. Nam Miſſam pro requie defunctorum promulgatam, fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus; non ob aliud, niſi ut is, pro quo idipſum offertur ſacrificium, ipſius ſacroſancti libaminis interventu mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum eſt in ſalutis remedium, illi hoc perverſo inſtinctu quibuſdam eſſe expetunt in interitum.

De eadem habes apud Grat. 26. q. 2. Quicumque ſacerdotum: circa medium.

21. Obinde noſtræ elegit unanimitatis conventus, ut ſi quis ſacerdotum deinceps talia perpetrâſſe fuerit detectus, à proprio deponatur gradu; & tam ipſe ſacerdos, quàm etiam ille qui ad talia peragenda incitâſſe perpenditur, exſilii perpetui ergaſtulo religati, excepto in ſupremo vitæ curriculo, cunctis vitæ ſuæ diebus ſacræ communionis eis denegetur perceptio, quam Deo ſe crediderunt fraudulento delibâſſe ſtudio.

VI. *De diebus litaniarum per totos duodecim menſes celebrandis.*

22. Quamquam priſcorum Patrum inſtitutio per totum annum, per ſingulorum menſium curſum, litaniarum vota decreverit perſolvendum; nec tamen ſpecialiter ſanxerit pro quibus cauſſis idipſum ſit peragendum; tamen quia cooperante humani generis adverſario, multa inolevit oberrandi couſuetudo, & juris jurandi tranſgreſſio; ideo ſecundùm Euangeliſtam, qui ait: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*; in commune ſtatuentes decernimus, ut deinceps per totum anuum, in cunctis duodecim menſibus, per univerſas Hiſpaniæ & Galliarum provincias, pro ſtatu Eccleſiæ Dei, pro incolumitate Principis uoſtri, atque ſalvatione populi, & indulgentia totius peccati, & à cunctorum fidelium cordibus expulſione diaboli, exomologeſes votis gliſcentibus celebteutur: quatenus dum generalem omnipoteus Dominus afflictiouem perſpexerit, & delictis omnibus miſeratus indulgeat, & ſævientis diaboli incitamenta ab animis omninm procul efficiat.

Matth. 26.

VII. *De munitione conjugis atque prolis regia.*

23. Præemineutium exercitium, ac devotionis ſanctæ ſtudium dum ſeſe per diverſa operationis geſta diffuudit, & emolumeutum ſibi met conquirit virtutis, & bene operandi adhibet incentivum ſubjectis; ita nempe & pro eo quod benè geſſit, recipiat à Deo mercedem, & pro eo quod ad bonum alios iucitavit, ſtatim recepiſſe gaudeat retributionis vicem. Quapropter dum principalis ſublimitas talia agit, perſpicuum eſt ut à ſancta Eccleſia prorogetur ei ueceſſitudo mercedis, cur eundem Eccleſia ſtudeat exornare operibus juſtiſi quatenus & ille ad bene agendum promptior magis magiſque efficiatur, & ſubditorum animus gratuita invitatione ampliùs roboretur.

24. Ac proinde quia religioſus ac glorioſiſſimus Princeps noſter Egica Rex, zelo zelaus pro Domino Deo exercituum, inimicos veræ Fidei, qui diverſa actione maloerunt Catholicæ credulitatis ſtatum evertere, & juris jurandi profanationem (dum cæremoniarum ſuarum ritus contra ſuam pollicitationem maluerunt ſervare) viſi ſunt incurriſſe, ita recto judicii tramite digna cernitur ultione percutere, quatenus & injuriam crucis Chriſti vindicaret, & ſtatum tutius ſauctæ Eccleſiæ conſervaret, atque genti ac patriæ ſuæ defenſionis munimina ueceſſaria provideret.

25. Ideo nos pro tot & tantis beneficiis, quibus tam ſanctæ Eccleſiæ, quàm geuti ac patriæ ſuæ prorogare intendit, cupientes in aliquo eidem Principi retributionem rependere, per hujus definitionis noſtræ ſanctionem depromimus, & per individuæ Trinitatis inviolabile ſacramentum, cunctos tam nunc conſiſtentes, quàm futuris temporibus cujuslibet ordinis vel generis homines ſuccedentes, convenimus & couteſtamur, ut ſi quandoque contigerit quòd gloriuſa Domina Cixilo Regina diutinis & felicioribus ſereniſſimi uoſtri Principis Egicani annis tranſactis, religioſè exiſtat in viduitate ſuperſtes, atque ex eo habuerit dulciſſimas proles, nulla murdacitate invidiæ pulſi, nullo odii ſtimulo acti, nullo diabolicæ fraudis inſtinctu permoti, contra eos quiſquam conetur aſſurgere; nullus citra evidentium culparum iudicium, per quaſcumque ſubtiliſſimas indagationes uocibilitatis adverſus eos perquirat occaſiones; nullis eorum vita cujuslibet inſtantia obteratur injuſtiſſimis tædiis; nullis maceretur inediis: nullus quoque filiis ac filiabus eorum, contra eorum voluntatem, religionis habitum imponat, aut exſilii ergaſtulis mancipandos ſtatuat, neque flagellorum verberibus cruciet, per qood & diguitate priveutur, & extra debitum juſtitiæ ordinem rerum ſuarum eis ambitio auferatur: ſed quietis ac trauquillitatis ope ſulciti, tam quod eis de pareutali ſacultate debita ſucceſſio dederit, quàm etiam quod per auctoritatum oracula idem clementiſſimus Dominus uoſter illis conferre maluerit, vel quæ ab illis juſtè couquiſita exſtiteriut, imperturbato jure poſſideant; & de rebus ipſis judicare quod voluerint incunctatam liceutiam habeant.

26. Neceſſariom enim unicuique debet videri, nt ſacerdotalibus præmuniantur oraculis, & eorum edictis reddantur per omnia liberales. Quòd ſi quandoque exſtiterint deſtituti, ſecundùm canonici vigorem edicti ſacerdotum manebuut defeuſionibus contuendi. Si quis igitur hoc pietatis edictum violandum delegerit, infirmandum crediderit, aut quoquo pacto temerare intenderit, ſit perpetui anathematis ultione damnatus, à pagina cœleſti abraſus, atque cum diabolo ejuſque ſociis acrioribus ſuppliciis alligatus,

VIII. *De Judæorum damnatione.*

27. Sicut fidelium probitas magno debet donationis præmio munerari, ita infidelium pravitas fortiſſimo congruit judicantium mucrone percelli. Æquum etenim eſt, ut & domeſtici Fidei copioſiùs ſublimentur, & adverſarii ejus duriùs condemnentur: quatenus & illi magiſque Domino ſuffragante proficiant, & iſti Deo obtinente deficiant. Et ideo, quia plebs Judæorum nequiſſima ſacrilegii notâ reſperſa, & effuſione ſanguinis Chriſti cruenta, ac multotiens juris jurandi profanatione noſcitur maculoſa; ut copioſa ſunt eorum ſcelera, ſic neceſſe eſt, ut gravem ſeſe incurriſſe lugeant animadverſionis jacturam, qui per alia ſua ſcelera non ſolùm ſtatum Eccleſiæ perturbare maluerunt, verùm etiam auſu tyrannico inferre conati ſunt ruinam patriæ ac populo univerſo: ita nempe ut ſuum quaſi tempus inveniſſe gaudentes, diverſas in Catholicis exercerent ſtrages: unde crudelis & ſtupenda præſumptio crudeliori debet exſtirpari ſupplicio: & ita in eis ordinatum debet ſævire judicium, quatenus uſquequaque puniatur, quod nequiter definitum prænoſcitur;

De Judæorum perfidia multa ſunt decreta, potiſſimùm autem in Concil. 16. Tolet. cap. 1. ubi ferè eadem quæ hic.

28. Qua de cauſſa dum in hac ſancta Synodo per allarum cauſſarum ſemitas dirigeremus cautiſſimè greſſus, exemplò eorundem infidorum conſpiratio ad unionis noſtræ pervenit auditus; eo quòd non ſolùm contra ſuam pollicitationem, ſuorum rituum obſervatione tunicam Fidei, quâ eos per undam ſacri baptiſmatis induit ſancta mater Eccleſia, maculaverint; ſed & regni faſtigium, ſibi (ut præmiſſum eſt) per conſpirationem uſurpare maluerint.

29. Quod infauſtum facinus dum ex ipſorum profeſſionibus noſter pleniſſimè nôſſet conventus, hujus decreti noſtri ſententia eos decernimus irrevocabili feriri cenſura; ſcilicet, ut ex juſſione piiſſimi & religioſiſſimi Principis noſtri Egicani, qui zelo Domini accenſus, & ſanctæ Fidei ardore compulſus, non ſolùm injuriam crucis Chriſti vindicare vult, ſed & gentis ſuæ ac patriæ exitium, quod fore illi inferendum * ſæviùs decrevêre, acriùs exſtirpare intendit, ſuis omnibus rebus nudati, & ipſæ reſculæ fiſci viribus ſociatæ, tam eorundem perfidorum, vel reliquæ poſteritatis, à locis propriis exſolutæ, per cunctas Hiſpaniæ provincias perpetuæ ſubjectæ ſervituti, his, quibus eos juſſerit ſervituros largitæ, maneant uſquequaque diſperſæ. Nec quoquo pacto iis in infidelitatis ſuæ obſtinatione durantibus, ad ingenuitatis ſtatum detur quandoque occaſio revertendi, quos numeroſa examuſſim facinorum ſuorum macula denotavit.

* Sæpiùs.

30. Sic tamen decernimus, ut ſecundùm electionem Principis noſtri, aliqui ex ſervis Chriſtianis eorundem Judæorum eligantur, qui de proprietatis eorum peculio, quantum illis ſæpè fatus Dominus noſter per auctoritatum ſeriem aut ſcripturas libertatis conferri elegerit, accipiant. Et quicquid functionis in rationem publicam ipſi Judæi viſi ſunt hactenus perſolviſſe, prædicti illorum ſervi, quos idem Princeps noſter elegerit, ſine qualibet excuſatione in omni debeant integritate perſolvere. Illi denique qui eoſdem Judæos ex largitione ſæpè fati domini noſtri donatos perceperint, tale placitum in nomine ſuæ gloriæ conſcribant: quatenus in nullo eos permittant rituum ſuorum cæremonias celebrare aut colere, vel quaſcumque parentalis perfidiæ ſemitas imitari.

31. Sed & filios eorum utriuſque ſexus decernimus, ut à ſeptimo anno eorum nullam cum parentibus ſuis habitationem aut ſocietatem habentes, ipſi eorum domini, qui eos acceperint, per fideliſſimos Chriſtianos eos contradant nutriendos: eâ ſcilicet ratione, ut & maſculos Chriſtianis fœminis in conjugio copulent, & fœminas Chriſtianis ſimiliter viris maritali ſocietate adjungant. Et neque parentibus, ſicut diximus, neque filiis ſit penitùs licentia quoquo pacto Judaïcæ ſuperſtitionis cæremonias cuſtodire, neque infidelitatis ſuæ ſemitas quibuslibet occaſionibus iterare.

De gratiarum actione.

32. CUNCTIS denique ad ſacræ inſtitutionis vel aliorum negotiorum ordinem pertinentibus Deo favente conſummatis atque finitis, eidem Regi omnium Domino, & inæſtimabiliter glorioſo grates ineffabiles pandimus, concentus melodicos inſonamus, & hymnorum vota continua jubilatione præcinimus; pro eo quòd univerſitatem noſtram ſub ſui nominis timore in unum collegit, & viciſſim nos nobis viſione alterutra præſentaneos reddidit; hujus obnixiùs omnipotentiam precibus indefeſſis orantes, ut orthodoxo ac religioſiſſimo Principi noſtro Egicano longævitatem felicium temporum largiatur; per ſuæ voluntatis itinera ejus dirigat greſſus; tribuens ei ſibi creditarum plebium phalangas piè regere; moderamine diſcreto diſponere, ac miſerationis ore fulcire: quo poſt innormes temporum curſus, de temporali regno ad regnum æternum geſtis piiſſimis opulentum eum transferre dignetur, uſquequaque cœlicolis ſociandum, cujus juſſu atque imperio ad hunc pacis conventum congregati fuiſſe dignoſcimur.

Lex in confirmatione Concilii edita.

33. CONGRUUM ſatis genti ac patriæ noſtræ, atque expedibile perpenditur omni Eccleſiæ, ſi ea quæ ſynodali definiuntur conventu, principali confirmentur ſtylo. Iccircò per hujus legis decretum ſerenitatis noſtræ manſuetudo decernit, ut omnium capitulorum ſententiæ, quæ in hac ſancta Synodo promulgata noſcuntur, firmiſſimæ ſtabilitatis obtineant robur, ideſt:

I. *De tribus diebus, quibus in initio Concilii nihil aliud agendum jubetur, niſi tantùm de Fide, ac de aliis rebus ſpiritualibus, nullo ſæcularium interpoſito.*
II. *De obſervandis oſtiis baptiſterii in initio Quadrageſimæ.*
III. *De ablutione pedum in Cœna Domini facienda.*
IV. *De ſacris miniſteriis vel ornamentis Eccleſiarum.*
V. *De his qui Miſſas defunctorum pro vivis audent malevolè celebrare.*
VI. *De diebus litaniarum per totos duodecim menſes celebrandis.*
VII. *De munitione conjugis ac prolis regiæ.*
VIII. *De Judæorum damnatione.*

34. Quarum omnium conſtitutionum decreta quicumque temeranda crediderint, obſervare noluerint, venerari neglexerint, cujuslibet ſint generis perſonæ vel ordinis, ſecundùm præcedentium Conciliorum leges, quæ in confirmatione eorum ſunt promulgatæ, ſive excommunicatione, ſeu etiam damno maneant uſquequaque damnati.

Sententiæ, quæ in veteribus exemplaribus Conciliorum non habentur, ſed à quibuſdam in ipſis inſerta ſunt.

I. *De rebus Epiſcopi propriis acquiſitis.*

Agath. 48.

35. QUICQUID Epiſcopus de ſuo proprio habet, ad hæredes ſuos relinquat: quicquid de proviſione Eccleſiæ, ſive de agris, ſive de frugibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ ſervare cenſuimus.

II. *De non alienandis ab Epiſcopo rebus.*

Idem 49.

36. Diacones & presbyteri in parochia conſtituti, de rebus Eccleſiæ ſibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare; quia res ſacratæ Dei eſſe noſcuntur. Similiter & ſacerdotes de rebus Eccleſiæ ſibi commiſſis nihil, ut ſuperiùs comprehenſum eſt, immutilare præſumant. Quod ſi facere voluerint, convicti in Concilio, ab honore depoſiti, nec in fine communionem accipiant, & de ſuo proprio aliud tantum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe.

37. Sanè ſi quis pro qualibet conditione, de rebus Eccleſiæ aliquid alienare voluerit; ſi de ſuo proprio tantum Eccleſiæ contulerit, quantum viſus eſt abſtuliſſe; tum demum illud ſtare licebit. Ita tamen libertos quoſquos ſacerdotes, presbyteri, vel diacones de Eccleſia ſibi commiſſa facere voluerint, actus Eccleſiæ proſequi jubemus. Quod ſi facere contempſerint, placuit eos ad proprium reverti ſervitium.

III. *De clericis qui crimen capitale commiſerunt.*

Idem 50.

38. Si Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, crimen capitale commiſerint, aut chartam falſaverint, aut teſtimonium falſum dixerint, ab officii honore depoſiti, in monaſterium retrudantur; & ibi tantummodo quamdiù vixerint laïcam communionem accipiant.

IV. *De Epiſcopis, qui per teſtamentum de rebus Eccleſiæ aliquibus contulerunt.*

Idem 51. & Epaun. 17.

39. Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, niſi vel tantùm de juris proprii facultate ſuppleverit.

V. *De clericis qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.*

Idem 52. & Epaun. 6.

40. Presbytero, aut diacono, vel clerico, ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.

VI. De

VI. *De presbyteris parœcitanis res Eccleſiæ diſtrahentibus.*

41. Quicquid parœciarum presbyter de Eccleſiaſtici juris poſſeſſione diſtraxerit, inane habeatur Idem 53.
& vacuum, venditorem comparantis actione vertentem. & Epaun. 7.

VII. *De eiſdem, ut quicquid emerint, in nomine Eccleſiæ comparent.*

42. Presbyter dum diœceſim tenet, de his quæ emerit ab Eccleſiæ nomine, ſcripturam faciat: Idem 54.
aut ab ejus, quam tenuit, Eccleſiæ ordinatione diſcedat. & Epaun. 8.

VIII. *Ut ſacerdotes & levitæ canes ad venandum & accipitres non utantur.*

43. Epiſcopus, presbyter, & diaconus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Idem 55.
Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluntate detectus; ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus à communione ſuſpendatur; presbyter duobus menſibus abſtineatur; uno diaconus ab omni officio vel communione ceſſabit. & Epaun. 4.

IX. *De venditionibus quas Abbates facere præſumunt.*

44. Venditiones quas Abbates facere præſumpſerint, forma ſervetur, ut quicquid ſine Epiſcopi Agath. 56.
notitia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi revocetur. Mancipia verò monachis donata ab Abbate non liceat manumitti. Injuſtum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, ſervi eorum libertatibus otium potiantur. & Epaun. 8.

X. *Ne unus Abbas duobus cœnobiis præferatur.*

45. Unum Abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere. Idem 57. & Epaun. 9.

XI. *Ne monaſterium ſine notitia Epiſcopi conſtruatur.*

46. Cellulas novas, aut congregatiunculas monachorum, abſque Epiſcopi notitia prohibemus Idem 58.
inſtitui. & Epaun. 10.

XII *De rebus Eccleſiæ uſu collatis ut præſcriptione temporis non defendantur.*

47. Clerici, quod etiam ſine præceptoris qualibet diuturnitate temporis, de Eccleſiæ remuneratione Idem 59.
poſſederint, cum auctoritate domini glorioſiſſimi Principis noſtri, in jus proprium præſcriptione temporis non vocentur; dummodo pateat Eccleſiæ rem fuiſſe, ne videatur etiam Epiſcopi adminiſtrationis prolixæ, aut precatorias, cùm ordinati ſunt, facere debuiſſe, aut diù tentas facultates proprietatis ſuæ poſſe tranſcribere. & Epaun. 18.

XIII. *De lapſis, qui de Catholica Fide in hæreſim tranſeunt.*

48. Lapſis, ideſt, qui in Catholica baptizati, prævaricatione damnabili, poſt in hæreſim tranſiêre, Idem 60.
grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas: quibus nos annorum multitudine breviata, pœnitentiam biennii conditione infraſcriptæ obſervationis imponimus: ut præſcripto biennii tertia die ſine relaxatione jejunent, & Eccleſiam ſtudeant frequentare: in pœnitentiæ loco ſtandi & orandi humilitatem noverint obſervandam; etiam cum catechumenis procedere cùm monentur, abſcedant. Hoc ſi obſervare voluerint conſtituto tempore, admittendis ad altarium obſervatio relaxetur: quam ſi arduam vel duram fortè putaverint, ſtatuta præteritorum Canonum implere debebunt. & Epaun. 29.

XIV. *De inceſtis conjugiis.*

49. De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cùm adulterium ſeparatione Idem 61.
ſanaverint. Inceſtos verò neque ullo conjugii nomine prævalendos, præter illos quos nominare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. & Epaun. 30.

50. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs ſoror exſtiterat, carnali conjunctione violaverit: ſi quis frater germanam uxoris accipit: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſobrineæve ſe ſociet. Quod ita præſenti tempore prohibemus, ita ea quę ſunt ante nos inſtituta non ſolvimus. Si quis relictę avonculi miſceatur, aut patrui, vel privignę concubitu polluatur. Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

XV. *De his qui ſervos ſuos extra judicium necant.*

Idem 62. & Epaun. 34. 51. Si quis ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicatione biennii ſanguinis ſe mundabit.

XVI. *De laïcis qui in ſolennitatibus majoribus ad civitatem non concurrunt.*

Idem 63. & Epaun. 35. 52. Ut cives ſuperiorum natalium noti Paſchæ ac Nativitatis Domioi ſolennitatem Epiſcopis, nec intereſt in quibus civitatibos poſitus accipiendæ benedictionis deſiderio; noverint, qui hoc facere neglexerint, triennio priventur Eccleſiæ.

XVII. *De clericis qui ab Eccleſia officio diebus ſolennibus deſunt.*

Idem 64. 53. Si quis in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolennibus defuit; ideſt, Nativitate Domini, ſancta Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte; dum potiùs ſæcularibos lucris ſtudet, quàm ſervitio ſuo parere convenit, triennio à communione ſuſpendatur. Similiter diaconus, vel presbyter, ſi tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat.

XVIII. *De levitis, ne ſine juſſu presbyteri ſedeant.*

Idem 65. 54. Quoniam non oportet diaconum ſedere præſente presbytero; ſed ex joſſione presbyteri ſed eat. Similiter autem honorificetur diaconus à miniſtris inferioribus, & omoibns clericis.

XIX. *De miniſtris, ne in ſecretario ingrediantur.*

Idem 66. 55. Quoniam non oportet miniſtros licentiam habere in ſecretario, quod Græci diaconœcon appellant, ingredi, & contingere vaſa dominica.

XX. *De Catholicis, ne hæreticorum connubiis copulentur.*

Idem 67. 56. Quoniam non oportet cum omnibns hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias dare; ſed potiùs accipere: ſi tamen ſe profitentur Chriſtianos futuros eſſe Catholicos.

XXI. *De levitis & clericis, ne magi vel incantatores ſint.*

Idem 68. 57. Quoniam non oportet miniſtros altaris, aot clericos, magos, aut incantatores eſſe, aut facere qoæ dicuntur philateria, quæ ſunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus utuntur, projici ab Eccleſia juſſimus.

XXII. *De ſeditionariis clericis.*

Idem 69. 58. Seditionarios nunquam ordinandos clericos; ſicut nec uſurarios, vel injuriarum ſuarum ultores.

XXIII. *De ſcurrilibus vel jocularibus clericis.*

Idem Agath. Concil. cap. 70. 59. Clericum ſcurrilem, & verbis turpibus jocularem, ab officio retrahendom.

NOTÆ D. LOAISÆ.

60. CONFESSORIS *Chriſti S. Leocadiæ.*] Vitam D. Leocadiæ, ejuſque mortem ſcriptam invenies in feſtis propriis Sanctorum Toletanæ diœceſis à ſanctiſſimo Papa Gregorio XIII. approbatis.

61. *Implevit cor tuum.*] Actuum Apoſtolorum. 5. Ubi in vulgata editione pro, *implevit*, legitur *tentavit*. In Græca tamen [illegible] eſt: quanquam onus apud me Ms. liber [illegible]. habet, ut Latina verſio.

62. AD CAP. II. *Licèt in initiis Quadrageſimæ.*] Baptizare noo oportet quemqoam ex antiqua inſtitutione poſt duas hebdomadas Quadrageſimæ, ut Syricius PP. ad Himeriom Tarraconenſem Epiſcopum cap. 2. & in multis aliis Epiſtolis & Conciliis decernitur, præterquam Paſchatis & Pentecoſtes tempore; niſi maxima neceſſitate orgente. Unde baptiſteria aliis temporibus clauduntur.

63. AD CAP. III. *Cælibe ſatis.*] Cyprianus de unctione chriſmatis hunc morem innuit: *Hac*

die

die (inquit) *primùm commendata eſt nobis fractio panis: hodie Chriſtus pedes lavit Apoſtolis: & hoc ſolenni devotione omni tempore agendum inſtituit.* Et idem de ablutione pedum: *Mandatum* (inquit) *ſimul & exemplum complexus eſt, ut hoc exemplo inſtructi non dedignentur in alterutrum agere quod actum eſt à magiſtro, ut mandato poſteris religionis auctoritas firmaretur.*

64. Iſidor. lib. 1. *Offic. Eccleſiaſt.* cap. *De cœna Domini*. *Eo etiam tempore & die Salvator ſurgens à cœna, pedes diſcipulorum lavit, propter humilitatis formam commendandam; ad quam docendam venerat, ſicut & ipſe conſequenter expoſuit. Quod etiam docebat potiſſimùm, ut facto doceret quod obſervare diſcipulos præmoneret.* Inde etiam in Eccleſia uſu receptum fuit, ut pedes lavarentur ante ſumptionem Euchariſtiæ: quod tamen abrogatum eſſe teſtatur Divus Auguſtinus, Epiſt. CXIX. cap. 8. *Sanè* (inquit) *etſi Eccleſia, quod externum erat, remiſerit; lotionem ſcilicet pedum, finem & rem hujus ſigni retinet; probationem ſcilicet & internam præparationem.* Hæc Auguſtinus.

65. Ad Cap. V. *Noli narrare.*] In vulgata editione eſt: *Noli amare*. Niſi ex Græco legas, *noli arare*: Sic enim verba habent: μὴ ἀροτρία ψεῦδος ἀδελφῷ σῷ, &c.

66. Ad Cap. VI. *Litaniarum.*] De Litaniarum uſu & nomine vide Iſidorum lib. 6. *Etymolog.* cap. ultimo ſub finem: Albinum Flaccum *De divinis officiis*, cap. *De litania majore*: Amalarium Fortunatum *De Eccleſiaſt. offic.* cap. 28. Rabanum Maurum cap. 19. Walafridum libro *De rebus Eccleſiaſticis*, cap. 28. Toletanum Concilium V. cap. 1. novas litanias inſtituit, à die Iduum Septembrium per triduom: & confirmantur Concil. VI. Tolet. cap. 2. & Concil. Bracarenſi II. cap. 9. De hac re ſuperiùs diximus.

67. *Exomologeſes celebrentur.*] Iſidorus lib. 6. *Etymolog.* cap. ultimo. *Exomologeſis* (inquit) *Græco vocabulo dicitur, quod Latinè confeſſio interpretatur: cujus nominis duplex ſignificatio eſt: aut enim in laude intelligitur confeſſio; ſicut eſt: Confiteor tibi Pater cœli & terræ: aut dum quiſque confitetur ſua peccata, ab eo indulgenda miniſterio ſacerdotis, cujus indeficiens eſt miſericordia.* Vide etiam Rabanũ *De inſtitutione clericorum*, cap. 14.

68. Ad Cap. VII. *De munitione conjugis atque prolis regiæ.*] De prolis regiæ incolumitate procuranda, fideque Regi, filiis, uxorique ejus obſervanda, molta invenies decreta, præſertim Concil. Tolet. IV. cap. 74. & Tolet. V. cap. 4. & Tolet. VI. cap. 17. Concil. Tolet. X. cap. 2. & Tolet. XIII. cap. 4. Tolet. XVI. cap. 10. ubi ſeveriſſimè contra eos qui Regum vitæ, liberis, uxoribus, fortuniſque inſidiantur, decernitur.

69. Ad Cap. VIII. *Per cunctas Hiſpaniæ provincias.*] Id exemplum ſequutus Philippus II. Hiſpaniarum Rex dominos noſter, anno MDLXX. omnes Arabes in Granatenſi regno degentes, ob perfidiam & immanem conſpirationem, per univerſas Hiſpaniæ urbes diſperſit, & bello captos ſervituti tradidit.

70. *Sed & filios eorum utriuſque ſexus.*] Hinc rectè Gregorius IX. Argentinenſi reſcripſit Epiſcopo, & habetur in cap. *Ex literis*. *De converſione infidelium*: *Cùm filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus ſequitur familiam, & non matris; & in ætate tali quis non debeat apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quòd ſaluti vel vitæ inſidientur illius; & pueri poſt triennium apud patrem non ſuſpectum ali debeant & morari; materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud eam, poſſet illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maximè Fidei Chriſtianæ reſpondemus, patri eundem puerum aſſignandum.* Hæc Gregorius.

71. Cæterùm ſunt qni dubitant, an liceat antequam filii ſunt rationis compotes, eos à parentibus ſuſpectis in Fide ſeparare, magiſtriſque, vel aliis Chriſtianis tradere; nt ſine ſuſpicione in Chriſtiana religione erudiantur, exiſtimo hoc licitum & expediens eſſe. Nam primò licèt eos, invitis & renuentibus parentibus Chriſtianis, in Fide ſuſpectis, baptizare; pari ratione æquum erit, contra voluntatem pareotum eos in Fide informare atque cogere, ut eam quam in baptiſmo profeſſi ſunt Fidem, obſervent. Secundò, parentes poſſunt impelli, ut obſervent omnia noſtræ religionis præcepta, etiam inviti, jure baptiſmatis: inter cætera verò Fidei præcepta, hoc unum eſt, nt in Fide & religione Catholica filios alant. Tertiò, licitom eſt renuente marito, mulierem fidelem à viro infideli ſeparare; propter periculum apoſtatandi: & vinculum matrimonii ita ſtrictum eſt in hac re, ſicuti vinculum parentum & filiorum.

72. Ex qoo colligo, nullum efficacius remedium poſſe adhiberi Sarracenorom in Hiſpania infidelitati, quàm ut ab eorum domibus & doctrina filii abducantur, tradanturque Chriſtianis vitæ & religionis probatæ in doctrina Chriſtiana erudiendi. Nam experientiâ compertum eſt, filios Sarracenorum poſt tot generationes à patribus in infidelitate clam notriri, & in antiqua ſecta Agareoorum erodiri. Unde Priocipes ſæculares & Eccleſiaſtici tenentur exiſtimare, probabili conjecturâ ducti, idem in aliis temporibus fore. Præterea quia licèt in principio naſcentis Eccleſiæ erat licitum, poſt ſuſceptam Fidem virum fidelem ab uxore infideli non diſcedere, vel contrà; ſed eâdem in domo & commercio manere, nt conſtat ex Paullo I. ad Corinth. 7. propter ſpem converſionis alterius; tamen ab hinc octingentos annos Eccleſia contrarium præcepit: ſicque lege, conſuetudine, & uſu introductum eſt, ut fidelis non maneat cum infideli, ex Concil. Tol. IV. cap. *Judæi*, & habetur 28. quæſt. 1. & Can. *Sæpe*. nam jam Eccleſia non habet ſpem converſionis iofidelis.

73. Idem Principes tenentur hiſce temporibus de Sarracenis ſentire, quorum cor induratum eſſe præcepſque ad infidelitatem, uſu rerum & teſtimoniis virorum comprobatum eſt: ita ut in filiorum tenera indole virus perfidiæ ſuæ quotidie videamus diſtillare altiùs, quàm mariti in cordibus fœminarum, vel fœminæ in cordibus virorum. Sed dicet aliquis: Quibus ſunt alendi ſtipen-

pendiis filii à parentibus abducti? id facilè erit animadvertere parentum ſtipendiis: ſiquidem lege naturæ inditum eſt, teneri parentes ſuis ſtipendiis in virtute & regola rationis alere filios: nam ſicuti educatio naturalis parentum eſt opus, ita educatio libera & rationalis. Et quia Sarraceni deficiunt io his quæ ſuot juſta naturali lege, & in his quæ ſupernaturali, quæ ſpectant ad eruditionem; ideo propriis ſumptibus ſunt alendi eorum filii; ut in Fide & religione Chriſtiana informentur: ſeparandique à parentum convictu, & aliorum Sarracenorum, ut educatio ſit utilis.

74. Unde licitum eſſet Principi certum vectigal ſuper omnes Sarracenos imponere, eorumque ſumptibus ſcholas erigere, magiſtros doctos conducere, quorum operà filii in Fide & religione notrirentur. Et aodeo dicere hoc, ſi noo efficax, ſaltem utile remedium eſſe ad eorum infidelitatem & apoſtaſiam coërcendam extinguendamque. Alterum eſſet, quòd hoc Concilio cautum eſt, ut à parentibus io puerili ætate ſemoti, Inter Chriſtianos fideles educarentur, non cognitis parentibus, ignoratoque genere; ſed remoti à patria, Chriſtianis fœminis probatæ Fidei matrimonio locarentur.

75. Adde, quòd etiam juſtom eſſet Sarracenis lege gravibus pœnis interdicere matrimonia inter ſe contrahere: nam id experientiâ conſtat, eos abuti ſacro conjugio, & eſſe copulatos in perniciem ſanctæ & regiæ majeſtatis, ſeminariumque perfidiæ & apoſtaſiæ. Neque pigebit ultimò ſcribere, quæ Franciſcus Ximenius vir doctos & ſanctos literis mandavit lib. 5. *De natura angelica*, cap. 38. *Hiſpania propter commercium Sarracenorum multa mala patietur* (inquit) *& innumeris calamitatibus afficietur*. Quæ ab archangelo Michaële prædicta eſſe affirmat.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM XVIII.

Tempore Wittizæ Regis celebratum anno Domini DCCI. ſub Joanne VI.

76. De hoc Concilio ſic Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 14. *Hic in Eccleſia S. Petri, quæ eſt extra Toletum, cum Epiſcopis & Magnatibus ſuper ordinat... regni Concilium celebravit: quod tamen in corpore Canonum non habetur.* Exiſtimo celebratum fuiſſe hoc Concilium ſub Gunderico Toletano Antiſtete: qui (ut Rodericus ait) ſanctimoniæ dono illuſtris fuit, & in multis mirabilibus clarior celebratur. Loaisa.

NOTA CARD. BARONII.

77. Wittiza regni ſui exordio, ut ſpecimen optimi Principis præſeferret, tum pium parentem, tum reliquos prædeceſſores optimos Principes imitatus, ad optimum regimen inſtituendum, ex omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis Concilium Generale collegit, quod habitum eſt in ſuburbiis Toleti in Eccleſia Sancti Petri: quod quidem cur nequaquam, ut cætera, poſteris ſcriptis traditum reperiatur, ea ferè omnium ſententia eſt, quòd cùm in eo complura ſancita fuerint piæ inſtitutioni & Eccleſiaſticæ diſciplinæ contraria, placuerit æterno ſepeliri ſilentio. Verùm ſi (quod omnes tradunt) initia Wittizæ fuere optima, præbentis ſe ipſum dignum ſucceſſorem parentis, immo & patre in eo clementiorem, quòd ab ipſo multatos exſilio atque bonis privatos reſtituit; utique in eo Concilio non niſi pia ſanctaque oportuit fuiſſe ſtatuta, præſertim ſi habitum eſt ſub Gunderico (ſicut volunt) Epiſcopo Toletano, qui (teſte Roderico) inſignis fuit vit probitatis. Quamobrem in eam potiùs ſententiam pedibus imus, ut quæ fuerunt bene in Concilio geſta, poſtea eodem ipſo Rege, à quo cuncta oportuit fuiſſe probata, in tyrannum erumpente, & adverſus omnem ſancitam legibus diſciplinam vitam probroſam inſtituente, ſuiſque eadem flagitia communicante, ab eodem, quæ tunc erant piè ſancteque ſancita, penitùs fuerint abrogata, ipſaque Concilii Acta conſciſſa.

Corrigenda & addenda in hoc Tomo II.

Pag. 11. col. 1. linea 30. *Subſcriptionis*, lege: *ſubſcriptionis*. Pag. 25. col. 2. lin. 20. poſt verba:
Novatianiſmi labe, adde: *Nec mirum. Tam enim Epiſcopi illi à Cypriano indicati, quàm Eliberitani Patres, itemque poſtea Sardicenſes, iis lapſis communionem in fine detrectantes non negârunt*
Eccleſiæ poteſtatem ad remittendum ipſorum peccatum, ſed tantùm cenſuerunt illam aliquantò ſeveriùs
moderandam ad terrorem aliorum; neque id decreverunt deſperatione indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ, *ut loquitur S. Auguſtinus Epiſtola L. Et fortaſſe ex illa priſcorum Canonum ſeveritate orta fuit conſuetudo in quibuſdam nationibus negandi reconciliationis gratiam reis ultimo ſupplicio mactandis: quæ in*
Gallia ſervata fuit uſque ad annum Chriſti CCCXCVI. quo tempore Carolus VI. Rex eam edicto ſuo abrogandam curavit: uti legere eſt apud Fontanonem Tomo I. Edictorum tit. 68. num. 1. Hodieque & olim multis in locis eſt & fuit conſuetudo iiſdem negandi ſacram communionem, ſola reconciliatione ſive abſolutione à peccatis conceſſa antequam occidantur. Quod tamen procul ab omni Novatianiſmi umbra patet eſſe.
Pag. 76. col. 2. lin. 15. *ellegata*, lege: *allegata*. Pag. 79. lin. 10. *varitate*, lege: *veritate*. pag. 99. col. 1.
lin. 4. *Emeritano*, lege: *Eliberitano*. pag. 113. lin. 25. *Dominicus*, lege: *Dominicis*. pag. 115. col. 1. lin.
28. *quia*, lege: *quin &*. pag. 120. col. 2. lin. 33. *infeſtator*, lege: *inſectator*. Pag. 160. col. 1. lin. 14.
permiſiſſe, lege, *permanſiſſe*. Pag. 205. col. 2. lin. 3. poſt illud, *ſitum eſt*, adde: *unde in Concilio Lucenſi*
mox allegando, non longè ab initio, ubi diſtribuuntur loci ſive oppida ad Eccleſias Cathedrales ſpectantia,
dicitur: Ad Lucenſem, Luco civitas, cum adjacentia ſua, quam tenent Comites undecim unà cum
Cairoga (*an quæ hodie Quiroga?*) Lemos, & Cabarcos. Ibid. lin. 33. *Metropolitanos*, lege: *Metropolitanis*. Pag. 217. col. 1. lin. 59. *inde*, lege: *illuc*. Pag. 224. col. 2. lin. 4. *clerici*, lege: *celeri*. Pag.
361. col. 1. lin. 7. poſt verba: *ac publicis*, adde: *quod ipſum antea tradiderat Concilium Moguntinum*
celebratum anno MDXLIX. De ſatisfactione §. 1. *dicens de Patribus antiquis*: Pro peccati menſura canonicam ſatisfactionem injungebant: non pro manifeſtis tantùm, ſed etia pro occultis delictis gravioribus. *Et Catechiſmus Romanus ſimiliter* De pœnitentiæ ſacramento, *cap. 12. loquens de eadem ſatisfactione canonica, quæ olim tota abſolutioni præmittebatur, inquit*: Quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, ſolitum erat. Pag. 366. col. 2. lin. 37. poſt verba: *aliquanto, inquam, tempore,*

pore, veluti, adde: (*ſi quid ampliùs ab iis obtineri non poteſt*) Pag. 367. col. 1. lin. 14. poſt verbum *veluti*, adde: *ut minimùm*. Pag. 368. col. 2. lin. 19. poſt verbum, *acerbitatem*, adde: *fortaſſe*. Pag. 372. col. 1. lin. 42. poſt verba, *in Conciliis ſequentibus*, adde: præſertim in Concilio Toletano IV. celebrato anno Chriſti DCXXXIII. præſide S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, Canon. XXV. Pag. 397. col. 2. lin. ultima, poſt verbum ultimum, adde: *BOLLANDUS*. Et poſtea: *Huc uſque Bollandus, nolens referre quæ de monachatu S. Leandri ſcripta invenit. Sed potuiſſet certè nonnulla ſaltem: atque imprimis celebre teſtimonium S. Iſidori de illo ſuprà num. 5. exſcriptum huc advocare, verbis illis prioribus*: Leander ....., profeſſione monachus, & ex monacho Hiſpalenſis Eccleſiæ provinciæ Bæticæ conſtitutus Epiſcopus &c. *Potuiſſet quoque, ſaltem obiter, allegare ſodalem ſuum eruditiſſimum Joannem Marianam, rerum Hiſpaniæ ſolertiſſimum indagatorem & ſcriptorem ingenuum, qui palam & intrepidè Sanctum Leandrum monachum S. Benedicti profert, uti etiam habetur in antiquis Breviariis, teſtimoniiſque ſcriptorum aliorum, & receptiſſima traditione*. Potuiſſet quoque Bollandus, ſicut & ipſius continuatores, ubi agunt de Sanctis illis Epiſcopis, qui in Hiſpania floruerunt ab inclinante ſæculo VI. Eræ Chriſtianæ, & deinceps uſque ad decimum, memorare, vel indicare ſaltem interdum, ipſorum monachatum Benedictinum, quem tot alii ſcriptores ingenui & graves, tum ſæculares, tum variarum Religionum, palam teſtati ſunt, atque inter illos ſæpiſſimè Ambroſius Morales, piiſſimus ac ſolertiſſimus indagator rerum Hiſpaniæ, variis locis Chronici ſui: præſertim lib. 14 cap. 1. ad annum Chriſti DCCCL. pag. 91. ubi loquens de monaſteriis urbis Cordubæ, quæ eo tempore erant in eadem urbe, inquit: *Aunque no hay expreſſa mencion dela Orden, habito, y Regla que tenian, no hay duda, ſinò que tenian la de San Benito, que ya eſtava muy eſtendida tambien por toda Eſpaña, como por todo lo demas de Europa: y de eſto diremos otra vez*. Deinde cap. 6. ejuſdem libri pag. 99. texens hiſtorias plurimorum Martyrum Cordubenſium, qui eo tempore paſſi ſunt, ait: *Haſe de notar deſde luego comò todos los monaſterios entonces en Cordova eran dela Orden de San Benito, por ſer eſta la que acà mas havia deſde ſu principio florecido, y de otra ninguna no tenemos memoria que huvieſſe. Aſſi eſta tan antigua Orden, y tan eſtendida en toda la Igleſia de Dios, y ſeñaladamente tan eſclarecida, y de gran authoridad en Eſpaña, puede añadir à los muchos Santos que hà tenido, los muchos Martyres que de ſus Monges y Monjas aqui ſe contaràn*, &c. Hæc ille, qui omnia ferè manuſcripta vetera Hiſpaniæ accuratiſſimè legit & obſervavit: ut proinde notis eſſe liceat quibuſdam nunc temerè dubitantibus de tanta antiquitate Ordinis S. Benedicti in Hiſpania, aut negare auſis monaſteria ipſius ſæculo VI. VII. VIII. & IX. quæ tot alii ſcriptores graviſſimi agnoſcunt, & traditio inconcuſſa. Immo quoties ſcriptores ſeptimi & octavi in Hiſpania ajunt quempiam fuiſſe monachum, inane ac ſuperfluum eſſet dicere illum Benedictinum, ſive Ordinis S. Benedicti; cùm teſtatiſſimum & exploratiſſimum ſit nullam aliam Religionem floruiſſe in Hiſpania. Quicquid nonnulli ſomnient & augentur. Sed de hoc aliàs. *CARD. DE AGUIRRE*. Pag. 407. col. 2. lin. 25. poſt verba, *pag.* 82. adde: *Et Paullum Warnefridum lib.* 3. De geſtis Longobardorum. *lib.* 3. *cap.* 21. *apud Bibliothecam PP. Aniſſonianam Tom. XIII. pag.* 176. Pag. 497. col. 2. lin. 29. *lib. VI.* lege, *lib. V.* Pag. 502. col. 1. lin. 36. poſt verba, *à Priſcillianiſtis*, adde: Seu potiùs ab Arianis: ut cenſet Illuſtriſs. dominus D. Petrus de Lepe Epiſcopus Calagurritanus, inſigni pietate & doctrinâ celebris, in Epiſtola quadam ad me ſcripta eâ de re. Pag. 601. col. 2. lin. 18. poſt verba: *De vita contemplativa*, adde: *ſive Julianus Pomerius, judicio Sirmondi & aliorum*. pag. 602. col. 1. lin. 16. *deſpenſat*, lege, *diſpenſat*. pag. 603. col. 2. lin. 11. *trepidè*, lege, *tepidè*. pag. 610. col. 2. lin. 55. poſt verba: *retractato errore*, adde: *ſibi imputato à quibuſdam*.

F I N I S.

Digitized by Google